3-a-5-5

Biblioteca Universitaria
Sala
Estante
Tabla 54
Libro

M. 3
45-15

UNIVERSIDAD DE GRANADA - FONDO ANTIGUO

Del Archivio de Conv.to de Jesus de Granada R. Libreria Dr
1095.

EXPOSITIO MORALIS IN CANTICVM CANTICORVM,

EXHORTATIONES CONTINENS
CIRCA RELIQVA SEX CAPITA, DE OMNIBVS
Christianæ religionis Mysteriis, & Virtutibus.

Autore P. LVDOVICO DE PONTE Vallisoletano, è Societate IESV,
sacræ Theologiæ Professore.

TOMVS POSTERIOR.

Del Archivo del Agente del Sr. Mro de Escritura.



LVTETIAE PARISIORVM.
Sumptibus DIONYSII DE LA NOVE, via Iacobæa, sub signo Nominis IESV.

M. DC. XXII.
Cum Priuilegiis Cæsareæ Majest. Regumq; Christianiss. & Cathol.

PRÆFATIO

IN SEQVENTIA COMMENTARIA

SVPER CANTICVM CANTICORVM,

iuxta sensum tropologicum.

NEMO *est qui Christum ardenter amet, & ipsius rerum gestarum magnitudinem intelligere cupiat, qui Cántici Canticorum lectione ac meditatione non multum delectetur, & proficiat, si tamen altissima eius mysteria probè calleat. Quamuis enim idem Saluator vniuersè dixerit,* Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. *Quibus verbis teste D. Basilio, Chrysostomo, & Euthimio, ad illas perscrutandum exhortatur, vt in eis ipsummet, de quo testimonium perhibent, & vita nostra æterna est, inueniamus: tamen singulari & supereminente ratione tota huius Cantici scriptura integrum, plenum, & iucundum (etsi parabolicum) testimonium reddit, de Christo, ac de omnibus mysteriis ad ipsum spectantibus. Quod D. Athanasius his verbis eleganter declarat. Omnis (inquit) diuina scriptura de verbi Dei descensu ad nos, & de aduentu illius in carne prophetiam habet. Canticum verò Canticorum, quem alij Prophetæ prænunciarunt venturum, hunc iam veluti præsentem, & carne iam indutum ostendit: aliæ quidem scripturæ de seruatore dicunt, & alia quædam coniungunt, hic vero liber coniugium tantum verbi & carnis, eiusque tanquam in nuptiis epithalamium canit. Quamobrem, aliis quidem scripturis, propterea quod & alia quædam in eis significantur, indignationis & iræ, ac formidabiles minæ insunt: præsens vero Liber, quoniam nihil aliud quam verbi aduentum significat, iucunditatis tantum, gaudij, & lætitiæ sermones habet. Sponso siquidem præsente omnes lætari conuenit, nec cuique lugendum est; sicut ipse Dominus dixit. Rursus quemadmodum Agnum Dei Ioannes ostendit, & ad Ioannem vsque lex est, & prophetæ: ita quæ in Cantico Canticorum connotantur, finis sunt omnium eorum quæ in vniuersa scriptura signantur. Est autem totus Liber plenus dialogorum inter verbum & populum Hebræum, & collectum ex gentibus, & vniuersum genus humanum, & inter Angelos, & homines ad fidem vocatos. Sic Athanasius. Quam vero sublimia sint, quam læta & fructuosa quæ in his dialogis tractantur, satis percipi potest ex iis quæ in priori tomo tradidimus. Primum & secundum caput Cantici commentantes, quæ omnium mysteriorum nostræ fidei, cunctarumque virtutum ad euangelicam perfectionem spectantium compendium continent. Vniuersa enim hæc ipse aduentus Dei in carne miro modo comprehendit. Sed hoc clarius patebit in hoc posteriori tomo, qui moralem interpretationem reliquorum sex capitum complectetur. In quibus eadem fidei mysteria, eædemque virtutes dilucidius, vberius, & subtilius nouis metaphoris & aptis, præclarisque similitudinibus illustrantur. Quare quæ in eorum commentario dixerimus ad clariorem & subtiliorem intelligentiam eorum quæ in priori tomo dicta sunt, valde conducent.*

Ioan. 5. v. 39.

Lib. de Bapt. c. 4.

Hom. 40. in Ioan.

in Ioan. 5.

« In sy-
« nopsi.

« Mat. 9.
« v. 15.
« Ioan. 1.
« v. 19.
« Mat. 11.
« v. 13.

Diuidimus autem tomum istum, sicut & præcedentem, in alios quinque libros. Sextus ordine est circa caput tertium, de studio quærendi Deum & Christum redemptorem nostrum, tam nobis, quam proximis nostris: atque de mysteriis fidei in quibus hoc maxime resplendet. Quem rursus in quatuor partes, vel tractatus subdiuidimus, vt mox in eius exordio commodius explicabitur. Septimus Liber, circa caput quartum versatur: de miris excellentiis & laudibus corporis mystici Ecclesiæ, & omnium statuum, graduum, & officiorum quæ ad ipsius membra spectant. Vbi etiam insinuantur media quibus ad tam sublimem possint ascendere perfectionem tanta laude dignam. Et ideo in duas vel tres partes dipartiuur. Octauus autem quintum caput interpretatur, & partim sexti vsque ad secundum versum. Agitque de dulcissimis Dei visitationibus & pulsationibus ad dignoscendum ipsum, vt à quærentibus inueniatur. Vnde iuxta tria quæ titulis ipse præ se fert, tres continebit partes. Nonus autem Liber circa sextum & septimum caput versatur de eximiis prærogatiuis & laudibus iustorum qui tam propriæ, quam proximorum saluti, & perfectioni diligenter incumbunt; in quo nouis similitudinibus explanantur & amplificantur multa ex iis quæ in cap. 4. tradita erant, eritque bipartitus. Decimus autem Liber caput 8. commentatur, quod totius Cantici peroratio est, agitque de supremo, consummatoque iustorum statu in contemplatione & delectatione Dei, atque Zelo circa proximorum salutem: tresque partes complectetur.

Omnia autem quæ in his sex capitibus continentur, singulari quadam ratione in beatissima semper Virgine Maria splendescere demonstrabimus; cuius vita inclita cunctas illustrat & dirigit animas. Quanto autem aliis sanctis est potior, tanto ad impetrandum proficiendi auxilium potentior est apud filium, & solicitior: quem non decet aliquid negare tam præcelsæ matri, sicut nec talem matrem decet aliquid indignum petere à tanto filio.

3. Reg. 2. v. 20. *Vnde potiori titulo quam Salomon matri suæ Bersabeth dicit, illi:* Pete mater, nec enim fas est vt auertam faciem tuam. *Pete ergo clementissima mater, quam in hoc opere magistram, ducem, & patronam imploraui, à sapientissimo & dilectissimo filio tuo, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, vt è cœlis à sede magnitudinis suæ mittat in me spiritum sapientiæ, quo instructus cuncta mysteria quæ in te, & per te operatus est, & quæ in hoc Canticorum Cantico nobis, etsi multis metaphoris obumbrata, reuelauit, sine errore intelligere, intellecta interpretari, & aliis proponere valeam ad totius Ecclesiæ ædificationem, & proximorum vtilitatem, in gloriam & laudem nominis sui; vnde non modica tibi laus accrescet, quæ tamen maior es omni laude, propter Iesum Christum filium tuum qui te suis præciosissimis donis exornauit & impleuit, vt de plenitudine tua, nos etiam iuxta captum nostrum sapientia & gratia impleremur, tuis meritis & intercessionibus ascribentes quidquid in nostris operibus fuerit laude dignum.*

FACVLTAS REVERENDI PATRIS PROVINCIALIS Societatis IESV, *in Prouincia Castellæ.*

EGO DIDACVS DE SOSSA, Præpositus Prouincialis Societatis IESV, in prouincia Castellæ, potestate ad id mihi data à Reuerendo admodum P. MVTIO VITELLESCO, Præposito Generali eiusdem Societatis, concedo vt typis mandetur Posterior Tomus, *Expositionis moralis in Canticum Canticorum*, compositus à P. LVDOVICO DE PONTE, eiusdem Societatis Theologo: virorum grauium, atque sapientum iudicio approbatus, in quorum fide has litteras manu nostra subscriptas, & nostri Officij sigillo munitas dedimus. Vallisoleti, die quinta Ianuarij, anni millesimi sexcentesimi decimi noni.

DIDACVS DE SOSSA.

APPROBATIO PATRIS MAGISTRI IOANNIS DE Camargo ex D. Augustini familia, & in supremo Sanctæ Inquisitionis Consilio Censoris.

ALTERVM hunc Tomum, *Expositionis moralis in Canticum Canticorum*, P. LVDOVICI DE PONTE, è Societate IESV: ex præscripto supremi Senatus perlegi, & tanto authore perdignum iudico; paremque singularis pietatis, & doctrinæ, eiusdem viri monimentis aliis adscribendum censeo. Quare cum nihil contineat quod Catholicæ fidei aduersetur, castique mores non probent, & multiplici, variaque sit eruditione refertus, qui cum priori lucem videat, & communi, tum ipse vita, tum omnes ipsius doctrina & institutione fruantur, Prælo mandandus, dignum puto. Dat. Matriti in conuentu D. Philippi, Idib. Aprilis, anno 1621.

F. IOANNES DE CAMARGO.

FACVLTAS PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV, in Prouincia Franciæ.

EGO STEPHANVS CHARLETVS, Præpositus Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Franciæ, potestate ad id mihi facta ab admodum R. P. nostro MVTIO VITELLESCO, Præposito Generali eiusdem Societatis IESV, facultatem concedo, vt opus inscriptum, *Expositio moralis in Canticum Canticorum*, à P. LVDOVICO DE PONTE compositum, & grauium doctorumque hominum iudicio approbatum, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Parisiis 24. Septembris 1621.

STEPHANVS CHARLETVS.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Christianissimi priuilegio cautum est, nequis præsens opus inscriptum, *Expositio moralis in Canticum Canticorum*, compositum à P. LVDOVICO DE PONTE, Societatis Iesu Theologo, quouis charactere, aut formâ, seu integrum, seu partem eius, vel Latinè, vel Gallicè excudere, aut alibi excusum vendere, aliove quocumque modo distrahere possit: intra decem annos, computandos à die finitæ primæ impressionis, tam Latinæ, quàm Gallicæ, præter DIONYSIVM DE LA NOÜE, Bibliopolam Parisiensem, aut eos qui facultatẽ ab eo habuerint: sub pœna confiscationis librorum, & mulctæ millium quingentarum librarum turonensium, aliarumque contra eiusmodi fraudatores definitarum in fusiori diplomate eiusdem Christianissimæ Maiestatis; dato ad Castra Montis-Albani, anno Salutis 1621. die 21. Octobris, subsignato,

BERNARD.

LICENTIA REGIS CATHOLICI.

PHILIPPI IIII. Hispaniarum Regis licentia, data Matriti, die 27. Aprilis 1621. & signata à Petro de Contreras, concessum est R. PATRI LVDOVICO DE PONTE Vallisoletano, è Societate Iesu, vt opus inscriptum, *Expositio moralis in Canticum Canticorum*, ab eo compositum, typis mandetur, aliisque omnibus nostræ ditionis intra decem annos idem opus imprimere prohibitum, præter eos qui ab eo facultatem habuerint, sub pœna confiscationis librorum, aliarumque in originali definitarum.

P. LVD. DE PONTE, DIONYSIO DE LA NOÜE, *Bibliopolæ Parisiensi cum Regis licentia sibi datam excudendi facultatem concedit.*

Perfectum 12. Ianuarij 1622.

QVAE CONTINET POSTERIOR TOMVS.

LIBER SEXTVS, ordine circa caput tertium; de studio quærendi Deum, & Christum tam nobis quam proximis nostris; atque de fidei mysteriis, in quibus hoc maxime resplendet. Diuiditur in quatuor partes, vel tractatus. Prima, de variis, & miris modis, quibus Deus quæritur, & inuenitur in hac vita. Secunda, de multiplici profectu spirituali per omnigena virtutis opera. Tertia, de iis, qui perfectionem tam propriam quam alienam custodiunt, & Christum ad alios deferunt. Quarta, de contemplatione insignium mysteriorum Christi, quæ per eius diadema repræsentantur. *In lectulo meo, &c. Quæ est ista, &c. En lectulum, &c. Fercul͂ fecit, &c. Egredimini filiæ Syon, &c.*

Liber septimus, circa caput quartum, de excellentiis corporis mystici Ecclesiæ in omnibus eius statibus, & officiis, atque de mediis ad singulorum perfectionem. Cõplectitur tres partes. Prima, de eminentia insignium iustorum, qui in Ecclesia amplius resplendent. Secunda, de excellentiis Ecclesiæ in genere, & de mediis ad participandum illas. Tertia, de singularibus prærogatiuis Ecclesiæ, & sanctæ animæ sub metaphora horti, & fontis.

Liber octauus, circa caput quintum de dulcissimis Dei visitationibus, & pulsationibus & præclarissimis Christi insignibus ad dignoscendum ipsum. Continet totidem partes. Prima, de visitationibus Dei, & de iis, quæ tunc in anima mirabiliter operatur. Secunda, de variis pulsationibus Dei ad ostium cordis, & de responsione, cooperatione que animæ cum illis. Tertia, de præcipuis Christi Domini insignibus ad dignoscendum ipsum, & secernendum ab aliis. *Veniat dilectus meus, &c. Veni in hortũ, &c. Vox dilecti mei, &c. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, &c.*

Liber nonus, circa caput sextum, & septimum, de eximiis prærogatiuis iustorum, qui tam propriæ, quam proximorum perfectioni diligenter incumbunt. Est bipartitus. Prior pars in caput sextum, de insignibus Ecclesiæ encomiis in genere secundùm statum perfectorum. Posterior circa caput septimum, de excellentiis singulorum membrorum Ecclesiæ in statu perfecto, & heroicis virtutibus eorum.

Liber decimus, circa caput octauum, de supremo, consummatoque statu iustorum in contemplatione, & dilectione Dei, atque zelo circa proximorum salutem. Tres amplectitur partes. Prima, de inflammatis desideriis fruendi Christi Domini præsentia. Secunda, de legibus excellentissimæ charitatis erga Christum ab eius sponsa seruandis. Tertia, de ardenti solicitudine iustorum circa proximos sibi commissos.

INDEX EXHORTATIONVM,

SEV SERMONVM, QVI IN HOC SECVNDO TOMO CONTINENTVR.

LIBER SEXTVS, IN CAP. III.

De ſtudio quærendi Deum & Chriſtum, tam nobis quam proximis noſtris atque de fidei myſteriis in quibus hoc maxime reſplendet.

1. *DE vltimo fine hominis qui eſt Deum quærere & inuenire: & quo affectu & conatu quærendus ſit vt inueniatur.* col. 4.
2. *De iis qui non inueniunt Deum, nec veram beatitudinem, quia male quærunt vltimum ſuum finem, in voluptatibus, diuitiis & vanis honoribus conſtituentes.* 15.
3. *De iis qui Deum non inueniunt, quia pigre quærunt fugiendo labores, vel per immoderatas occupationes; & de medio ſeruando in illis.* 25.
4. *De vehementi propenſione charitatis ad quærendum* Deum *diligenter, inſatiabiliter & conſtanter: atque ad retinendum eum ſecum in perpetuum.* 33.
5. *De forma quærendi* Deum *per opera vitæ actiuæ & contemplatiuæ, maxime per orationem & meditationem, & cur aliquando dicatur non inueniri.* 41.
6. *De vigilibus Eccleſiæ, tam angelis quam prælatis & doctoribus quibus indigemus ad* Deum *recte quærendum & inueniendum; & de iis qui ſine duce quærunt.* 51.
7. *De incomprehenſibili* Dei *natura, & de mirabili modo quo in perfecta contemplatione pertranſeundo omnes creaturas inuenitur, & tenetur, maxime per vnitionem amoris: & de arcanis ſcientiæ myſticæ.* 60.
8. *De perfecto modo quo peccatores debent tempeſtiue* Deum *quærere per inſignes actus pœnitentiæ donec eum inueniant.* 71.
9. *De Eccleſia antiqua quæ Chriſtum ſibi promiſſum diu quæſiuit nec inuenit, donec* B. *Virgo Maria inuenit eum, ac introduxit in ſynagogam & in mundum, atque ſpiritualiter in mentes hominum.* 90.
10. *De vaticinio Simeonis teſtantis Chriſtum poſitum in ruinam Iſraelitarum qui eum noluerunt quærere, & inuenire, & in reſurrectionem eorum qui inuenerunt, quorum antiſignanus fuit ipſe Simeon.* 94.
11. *De modo quo magi primitiæ gentium quæſierũt & inuenerunt Chriſtum quem Iudæi quærere noluerunt, & de triplici lumine ad eum quærendum requiſito.* 97.
12. *De geſtis, cum B. Virgo puerum Ieſum qui triduo remanſit in Ieruſalem, quæſiuit, inuenit, ac tenuit, nec dimiſit vſque ad mortem.* 102.
13. *De bino exemplo Mariæ Magdalenæ quærentis Chriſtum in domo Phariſæi, & in ſepulchro ad informationem eorum qui per pœnitentiam vel contemplationem Deum quærunt.* 109.
14. *De ſtudio Eccleſiæ Chriſti ad introducendum illum in gentiles poſtquam reſtiterunt Iudæi in quos tandem introducendus eſt prope finem ſeculi, & de præcipuis mediis ad hoc conducentibus.* 116.
15. *De perfecta forma profectus ſpiritualis ſeruanda ab omnibus iuſtis in quouis ſtatu, gradu & ordine vitæ.* 125.
16. *De aſcenſu per deſertionem mundi rerumque terrenarum ac ſui ipſius qui ab igne charitatis maxime progreditur & per humilitatem roboratur, à qua profectus inchoandus eſt.* 132.
17. *De aſcenſu animæ ad Deum per omnes actus pœnitentiæ internæ, & externæ per mortificationem, orationem & miſericordiæ opera, quam rarus ſit hic aſcenſus per quem admirabilem efficiat candorem.* 140.
18. *De aſcenſu animæ ad* Deum *per ſublimem orationem & contemplationem, de miro holocauſto quod in ea offertur, & de affluentia deliciarum eius.* 150.
19. *De incremento Eccleſiæ dum ſeruat & prædicat Chriſti legem & crucem, etſi multis perſecutionibus ſit concuſſa: & quomodo in igne tribulationis creſcunt amplius virtutes.* 157.
20. *De miro aſcenſu ſanctæ animæ poſt mortem in tribunal* Dei *vt ſuorum bonorum operum præmium recipiat, & quam efficaciter ad proficiendum moueat.* 165.
21. *De ſingulari aſcenſu Deiparæ tam in vita, vſque ad ſupremum ſanctitatis verticem quam in morte cum aſſumpta eſt ſuper omnes choros Angelorum.* 170.
22. *De indigentia Eccleſiæ & piæ animæ, quæ Dei eſt lectulus, vt cuſtodiatur ab Angelis & de fortitudine, ſolertia qua eam in omnibus timoribus, & periculis cuſtodiunt.* 179.
23. *De Prælatis & Doctoribus Eccleſiæ qui eam, & animas ſibi commiſſas cuſtodiunt; & de iis quæ ad ſuum munus perfectè obeundum, illis neceſſaria ſunt.* 187.
24. *De duplici requie contẽplationis & fœlicitatis æternæ: de modo cuſtodiendi illam, & appetendi hãc atque ſpirituales nuptias cum Chriſto.* 196.
25. *De requie legis diuinæ & Euangelicæ, atq; religioſi inſtituti, de fortibus qui illam ambiũt & cuſtodiunt, & de laudibus Chriſtianæ fortitudinis.* 203.
26. *De lectulis Salomonis qui ſunt humanitas Chriſti, Virginis vterus, præſepe, crux, & ſepulchrum, & de miris modis quibus iuſti vnũquemque ambiunt.* 209.
27. *De lectulo Salomonis qui eſt Euchariſtia, de triplici modo illum ambiendi per communionem Sacramentalem ſpiritualem, & cultum æternum in proceſſionibus.* 216.
28. *De Eccleſiæ excellentijs vt eſt ferculũ Chriſti, & currus triũphalis charitatis ipſius eſt, de gradibus iuſtorum quos continet: & quantum alijs ſectis, & cœtibus præcellat.* 223.
29. *De virtutib. inſigniũ iuſtorũ maxime Prælatorũ, & Doctorũ qui Chriſti ſunt ferculum eum per prædicationẽ in vniuerſum orbẽ deferẽtes.* 232.
30. *De quinque inſignibus religioſi inſtituti ad ſalutem animarum etiam deſtinati, & de munere confeſſarij quæ per ferculum Salomonis deſignantur.* 240.
31. *De præcellentijs Deiparæ vt ferculum fuit Chriſti quem geſtauit in vtero, & propter nos etiam ſunt illi conceſſæ.* 244.
32. *De præcellentiſſimo ferculo diuini verbi, quòd eſt eius humanitas immenſis ornata gratijs: & etiam crux cui Chriſtus affixus eſt.* 250.
33. *De Euchariſtia vt eſt Chriſti ſedes geſtatoria currus triumphalis, & conuiuale ferculum, & regium in quo eius charitas maxime ardet & ſplendet.* 256.
34. *De modo contemplandi Chriſtum regem natum in Bethleem, noſtræ humanitatis diademate coronatum, & pannis inuolutum.* 264.
35. *De ſpinea corona qua Chriſtus in paſſione ſua à Synagoga coronatus eſt, & de modo contemplandi hoc myſterium.* 273.
36. *De diademate gloriæ quo coronatus eſt Chriſtus Dominus in die reſurrectionis, & aſcenſionis, de modo contemplandi hæc myſteria, & ſecundum aduentum ad iudicium cum eadem gloria.* 280.
37. *De charitate quæ coronat Chriſtum, & eſt ſimul eius corona in Euchariſtiæ nuptiali conuiuio.* 287.
38. *De diademate Sanctorum quo coronatur Chriſtus ab Eccleſia militante & triumphante: maxime de ea quæ facta eſt in die Pẽtecoſtes, & die Transfigurationis.* 293.

Index Exhortationum.

LIBER VII. in cap. 4.

De excellentiis corporis myſtici Eccleſiæ in omnibus eius ſtatibus & officiis, atque de mediis ad ſingulorum perfectionem.

1. *DE iuſtorum ſanctitate occulta quæ ſuperat manifeſtam: de duplici contemplatione per modum columbæ gemẽtis, & de iis quæ ad eandem conducunt.* 306.
2. *De peccatoribus pœnitentibus, atque de perfectis & religioſis qui per capillos Eccleſiæ deſignantur, & de eorum propietatibus.* 314.
3. *De malis cogitationibus reſecandis, bonis verò nutriendis, atque de prouidentia Dei circa capillos, & ea quæ per ipſos repræſentãtur.* 323.
4. *De Doctoribus & prædicatoribus Eccleſiæ qui dentes eius dicũtur, & de inſignibus eorũ.* 330.
5. *De his qui meditationi, & orationi incumbunt & de peculiaris religioſorum exercitiis, quæ per dentes repræſentantur.* 336.
6. *De labijs, fide ſanguinis Chriſti, & charitate accenſis ad oſculandum ſpiritaliter Deum, & dulciter loquendum cùm ipſo, atque de ipſo per prædicationem & concionatores eſſe Eccleſiæ labia.* 341.
7. *De ſacra doctrina cum charitate, & cordis dulcedine à prædicatoribus proponẽda, & de munere confeſſariorum qui etiam ſunt labia Eccleſiæ.* 348.
8. *De orationis, ſeu locutionis cum Deo, tam mente quàm voce eximia, excellentia, efficacia, & dulcedine.* 355.
9. *De ſtudioſo ſilentio, & recto dulciq; eloquio; & de illuſtriſſimis in vtroque Deiparæ exemplis, maxime in Angelica annunciatione.* 363.
10. *De Martyribus & Prædicatoribus qui verbis & operibus præclaris Chriſti manifeſtant, & de profunda humilitate cũ inſigni ſanctitate.* 371
11. *De virginitate & continentia, ac de verecundia, modeſtia, & ſilentio quæ illam comitantur, atque de rubore pœnitentiæ ſalutaris.* 376.
12. *De recta mente erga Deum, nec curua ad infima, nec ſuperbè erecta ad ſupera, ſed per humilitatem & obedientiam ad Chriſti ſimilitudinem, & firmiter ſubiecta.* 384.
13. *De ſublimitate legis & perfectionis Euangelicæ per modum turris à nobis ædificandæ, & de armis ad eam tuendam contra hoſtes.* 392.
14. *De proprio munere Doctorum, & de varijs eorũ armis ſpiritualibus ad pugnandum cõtra Dei hoſtes, ac de ſacra Scriptura vbi omne armorum genus continetur.* 398.
15. *De ſuprema rectitudine, & celſitudine Deiparæ inſtar turris Dauid, & de miris virtutum armis pendentibus in ea etiã propter nos.* 406.
16. *De duplici charitatis actu, & præcepto dilectionis* Dei *& proximi: de iuſtis qui vtráque maxime fulgent, & peculiariter de religioſis ac Præſulibus & Doctoribus Eccleſiæ.* 411.

17. De charitate & misericordia erga proximos, de duplicibus eius operibus, ac de quatuor præclaris exemplaribus illius. 423.

18. De virtutib. quæ significãtur per montẽ myrrhæ, & collem thuris, earúmque proprietatibus, & de auxiliis Dei ad exercendum illas; ac quomodo religiosè statui maxime conueniãt. 432.

19. De ascensu Christi in crucem, & cœlum qui per montem myrrhæ, & collẽ thuris designãtur, ac de modo hæc mysteria meditandi. 441.

20. De modo quo Ecclesia triumphans & militans, atque sancta anima est tota pulchra, & sine macula: & de immaculata Deiparæ conceptione. 449.

21. De duplici vocatione ad maiores in virtutibus progressus, & ad promulgandum Euangeliũ, ac de coronatione eorũ qui eis obsequũtur. 459

22. De vocatione sanctæ animæ ad recipiendã coronam gloriæ, & de singulari modo quo beatissima Dei genitrix vocata est in die Incarnationis, & in die Assumptionis suæ super omnes cœlos. 471.

23. De eximio amore Dei erga Ecclesiam, & sanctam animam, à qua vulnerari dicitur, & de miris effectibus eius. 479.

24. De variis virtutibus, & actibus maxime contemplatiuæ & actiuæ à quibus Deus dicitur vulnerari, & quomodo per illos Deipara singulariter vulnerasse dicatur. 487.

25. De præclara vnione charitatis fraternæ inter Prælatos & subditos, ac maiores & minores qui sunt oculi & crines Ecclesiæ. 497.

26. De præcellenti munere lactandi fideles Ecclesiæ. 506.

27. De mira fragrantia virtutum, & operũ externorum, & qua ratione vim habeant orationes, & cùm illa iungenda sint. 511.

28. De Ecclesiæ & congregatione iustorum, qua ratione dicitur hortus conclusus, & fons signatus: quàm præclaras habeat emissiones, & fructus quibus mundo sit manifesta. 519.

29. De virtutibus moralibus, peculiariter de humilitate & virginitate, à quibus anima dicitur hortus conclusus, & fœcũdus, & quã mirabilis fuerit Deiparæ virginitas & fœcunditas. 529

30. De aquis viuis sapientiæ & gratiæ, de earúmque effectibus, & stupenda efficacia ad irrigandas animas, & qua ratione Apostolici viri simul sint fontes signati, & fontes hortorum. 541.

31. De progressu Apostolicæ Ecclesiæ vsque ad diem Pentecostes, & de stupendis gratiis, & donis quæ adueniente Spiritu sancto recepit, & per ipsum operata est. 552.

32. De damnis quæ infert superbia, & culpa lætifera, quomodo Spiritus sancti gratia, & inspiratio ea reparet, atq; de duplici spiritu bono & malo, de modóque se gerendi erga vtrumque. 561.

33. De multiplicitate tribulationũ flante simul Spiritus sancti inspiratione, quæ duplici via communicatur. 569.

LIBER VIII. in cap. 5.

De dulcissimis Dei visitationibus, & pulsationibus ad ostium cordis, & de præclarissimis Christi insignibus ad dignoscendum ipsum.

De affectu dilectionis, humilitatis & gratitudinis erga Deum ob collata beneficia, de petitione diuinæ visitationis, & ad quos fines ordinetur. 578. 1.

De varijs & admirandis affectibus diuinæ visitationis mouentis ad propriam denegationẽ, & tribulationes dulciter ferendas atque ad opera vitæ actiuæ & contemplatiuæ. 586. 2.

De desiderio aduentus Domini in carne quo flagrabat Ecclesia, & Beata Virgo Maria, de modo quo in eius vtero conceptus est, & de iis quæ egit, & pertulit vt electos suos sibi aggregaret. 596. 3.

De dulcissimo Eucharistiæ conuiuio, de iis qui dignè accedunt ad illud, & eius dulcedine fruuntur vberius. 607. 4.

De ascensione Domini in cœlum, & de missione iustorum, vt ibi sint cùm ipso, ac de dulcissimo conuiuio gloriæ quo satiantur beati. 615. 5.

De Christi Domini vigilantia circa iustos maxime tribulationibus oppressos, & si dormire videatur: & de fiducia in eo collocanda. 624. 6.

De vita quieta quæ Deo contemplationi & orationi vacat, de extasi & somnijs à Deo immissis, & de Pastoribus & Doctoribus qui sunt cor vigilans Ecclesiæ. 630. 7.

De vocatione Dei pulsantis ad fores peccatoris, vt pœnitentiam agat, & eum intra se per gratiam recipiat, & de miris rationibus quibus hæc pulsatio nititur. 639. 8.

De triplici Dei pulsatione qua vocãtur iusti vt amplius proficiant perfecti, vt alios lucrentur, & vtrique in hora mortis vt præmium recipiant. 649. 9.

De peccatoribus ex obstinatione, vel ex pigritia renuentes ad Deum conuerti, & de efficaciori Dei pulsatione interna, vel externa per flagella vt conuertantur. 661. 10.

De iustis qui firmum habent propositum non peccãdi, & de iis qui ex timore lapsus vel laboris se excusant, ne Deo ad lucra animarum volanti obediant. 670. 11.

De myrrha mortificationis necessaria ad obsequendum cuicumque vocationi Dei, siue ad pœnitentiam, siue ad proprium profectum, vel lucrum animarum. 678. 12.

De miro modo quo Deus consensum exigebat à Beata Virgine cum Angelis, & nũciabat mysterium Incarnationis, & in eius vtero operatus est illud, atque de Ioanne Baptista Christi aduentum Synagogæ testificante. 687. 13.

De varijs causis ob quas Deus declinat, & abscondit se à iustis etiam cum ei apperiunt cor, & quærunt illum. 695. 14.

15. De mira efficacia internæ locutionis Dei, & de variis effectibus amoris & doloris ac lachrymarum ab ea profluentibus, quæ per liquefactionem animæ designantur. 702.

16. De ingenti virtute quæ fortitudine animæ Dei amore liquefactæ ad quærendum ipsum, & ad ferenda omnia aduersa quæ in eius inquisitione occurrunt. 709.

17. De implorando suffragio Angelorum & iustorum, siue qui in cœlis, siue qui nobiscum sunt in terris, & quis fructus inde sequatur. 717.

18. De desiderio cognoscẽdi qualis sit Deus & Christus, à quo & quomodo sit quærenda hæc cognitio. 724.

19. De mysterio, candore & rubore Christi Domini ac de miris combinationibus perfectionum vt Deus est homo, quas representant in quibus supereminet omnibus. 731.

20. De eminentia capitis Christi ratione deitatis, & vt ipse est caput Ecclesiæ, de eius attributis, cogitationibus & operibus, atque de fidelibus qui ei adhærent, & assimilantur. 737.

21. De oculis Christi Domini quibus Ecclesiam, & iustos gubernat, de eorumque insignibus, atque de Prælatis & Doctoribus qui sunt eius mystici oculi. 746.

22. De modesta sancta Christi conuersatione inter homines, de mansuetudine & cordis humilitate quæ maxime splenduerunt in eo. 753.

23. De Christi prædicatione & doctrina, quæ diuinam eius naturam & humanam, resurrectionem & passionem, præmia, & mortificationis exercitia continet, & de prædicatoribus qui eius sunt mystica labia. 759.

24. De eximia perfectione operum Dei, & Christi dum vixit in terris, atque de iustis qui sunt hyacinthi in manibus eius, & eius mysticæ manus etiam dicuntur. 767.

25. De fortitudine, & pudicitiæ ac sanctitatis candore Christi Domini, & sanctorum eius in carne, de se infirma & imbecilla. 772.

26. De gressibus Christi Domini in hoc mundo, de viris Apostolicis, & peculiariter de D. Petro & Paulo, per quos graditur per orbem terræ, de eorúmque fortitudine & pulchritudine. 778.

27. De integra Christi perfectione in se toto & in singulis eius operibus, verbis, & iudiciis, & qua ratione sit totus desiderabilis, & à iustis in his omnibus imitandus. 787.

28. De iis quæ excitant Christi dilectionem, & desiderium efficax quærendi ipsum. 798.

29. De Ecclesia Catholica in qua Christus Dominus quærendus est, & inueniendus, de eiusdémque quibusdam præclaris insignibus. 804.

30. De modo quo Christus quærentibus ipsum se præsentem facit, atque de perfecta similitudine inter ipsum & animam sanctam. 810.

LIBER NONVS. IN CAP. VI. & VII.

De eximiis prærogatiuis iustorum, qui tam propriæ, quam proximorum perfectioni diligenter incumbunt.

De eximia pulchritudine Ecclesiæ, & religiosi cœtus ac sanctæ animæ ad similitudinem Christi, & vtriusque Ierusalem terrenæ & cœlestis. 819. 1.

De inuicta fortitudine instar aciei bene instructæ, tum contra hostes nos vbique impugnantes, tum maxime in oratione, etiam erga Deũ ad rapiendum sibi eius cor & dona. 828. 2.

De vnitate Ecclesiæ Catholicæ, de tribus fidelium statibus quos continet, & perfectissimum esse, qui ad omnimodam spirat vnitatẽ, in quo supereminet Deipara. 836. 3.

De execranda inuidiæ malitia, & de affectu laudandi bonos, & quomodo Ecclesia prædicanda sit beatissima, sed præ omnibus Deipara. 845. 4.

De miro profectu Ecclesiæ, & iustorum in statu incipientium, proficientium, & perfectorum, atque Deiparæ à sua conceptione vsque ad assumptionem. 852. 5.

De descensione Christi in hortum Ecclesiæ per assumptionem carnis, quid in ea egerit, & quid nobis agendum, vt perfectionem quam dicit assequamur. 863. 6.

De humili confessione propriæ inscientiæ, & ignorantiæ eorum quæ ad Christum, vel ad se ipsum spectant, & quomodo humilis anima sit currus, & quadriga Christi. 871. 7.

De triplici reuersione peccatoris ad Deum per pœnitentiam, iusti verò ad exequendum munus suum, & spiritus in morte ad ipsum Deum. 878. 8.

De admiranda pace, concordia, & obedientia iustorum sub vno duce Christo, quæ in Ecclesia triumphante & militante, ac in religiosis familijs maxime resplendet. 886. 9.

De calceamentis virtutum, quibus animæ vestiuntur affectis, ac de pulchritudine eorum qui prædicant Euangelium pacis. 893. 10.

De rectitudine gressuum, non claudicantium in Dei obsequio, & de solidarum virtutum connexione. 900. 11.

De appetitu insatiabili gulæ & libidinis, de temperantia & castitate ac cœlesti delectatione quæ illum extinguunt. 905. 12.

De triplici castitatis gradu, triplicique fœcunditate Ecclesiæ, & qua ratione eminentissime resplenduerint in Beatissima virgine Maria, atque de Eucharistiæ duplici specie sacramentali. 911. 13.

De baptismo & pœnitentia, de fontibus lachry- 14.

Index Exhortationum.

marum pro peccatis propriis vel alienis, & de lachrymis Christi Domini super Ierusalem, & in cruce. 920.

15. De virtute prudentiæ & discretionis ad odorãdũ & præcauẽdũ mala, atq; de fide & spe eorũ quæ non videtur, quæ sunt quasi nares animæ. 927

16. De iis qui dicũtur caput Ecclesiæ vel piæ animæ, & comæ earũ, de eorũq; proprietatibus per similitudinẽ ad mysticã purpurã Christi crucifixi 935

17. De spiritualibus deliciis quæ ex virtutibus oriuntur, vel ex infusione Dei communicantur iustis maxime contemplatiuis & religiosis. 941.

18. De progressu & statura Ecclesiæ ac piæ animæ instar palmæ, de rectitudine, ac fortitudine eius etiam in tribulationibus. 949.

19. De modo ascẽdendi in palmã euãgelicæ perfectionis & in cacumina eius, ac de fructib⁹ ipsius. 956

20. De ascẽsu Christi Domini in crucem, de fructibus Christi crucifixi, & de nostro ac Deiparæ ascẽsu cũ illo per meditationẽ & imitationẽ. 963.

21. De affectu orationis & deuotionis, ac de prædicatione euangelicæ doctrinæ, quæ per vinum optimum designantur. 973.

22. De multiplici mirabiliq; cõuersione Dei ad Ecclesiam, & animam quæ se totam ei tradit. 980.

23. De studio & desiderio perfectæ contẽplationis & præcipuis eius insignibus & fructibus. 984.

24. De aduentu Christi Domini ad conuersionem mundi, & de ardenti affectu, & modo imitandi eum in hoc munere. 992.

25. De quibusdam proprietatibus heroicæ virtutis & charitatis, tam erga Deum quam erga lucrum animarum. 998.

LIBER DECIMVS.

De supremo consummatoq; statu iustorum in contemplatione & dilectione Dei, atq; zelo circa proximorum salutem.

1. DE inflammato desiderio incarnationis & natiuitatis Christi quo flagrabat antiqua Ecclesia, & multo magis beatissima Virgo, & de modo contemplandi hæc, & alia Christi mysteria. 1009.

2. De inflammato desiderio quo fragrat Ecclesia conuersionis Iudæorum & gentium quæ per Christum inchoata est, & per eius Apostolos & successores protensa vsque ad finem mundi, & de conuersione secularium ad religionem. 1020.

3. De desiderio fruendi Christo in Eucharistia, & de duplici modo apprehendendi illum, vel per meditationẽ, vel per sumptionẽ sacramẽtalem, & tãdem apprehendẽdi illũ clare in gloria. 1029.

4. De miris effectibus mystici somni qui ad tranquillam & sublimem Dei spectant contemplationem, & de ascensibus qui in illo fiunt. 1038.

5. De corruptione naturæ humanæ per lapsum Adæ, & de suscitatione Ecclesiæ in cruce per Christũ, & quomodo sub arbore crucis suscitentur animæ ad amorem & de Deipara. 1047.

6. De signaculis dilectionis Dei nobis præceptæ ac legis diuinæ naturalis & euangelicæ ponendis super cor & brachium, & de miris eorum effectibus. 1055.

7. De signaculo quod est Spiritus sanctus & Christus crucifixus, seu crux eius & sacra Eucharistia ac de perfectissima similitudine cum ipsis ad quam nos ducunt. 1064.

8. De fortitudine amoris & zeli Christi Domini erga nos instar mortis & inferni, & de præclara morte quam efficit in nobis, & præcellentius in quibusdam dilectio Dei. 1069.

9. De miris effectibus quos sancta æmulatio & zelus efficit instar mortis sepulchri & inferni, ac de omnimoda sui abnegatione ex amore proueniente. 1079.

10. De lampadibus ignis amoris diuini erga nos & amoris nostri erga Deum & vtriusque proprietatibus. 1088.

11. De mira potentia charitatis ad superandas omnes aquas & flumina persecutionum & tribulationum huius vitæ. 1096.

12. De stupendo modo quo Christus dedit omnem substantiam suam pro dilectione hominum, & nos dare debemus omnem substãtiam nostram pro dilectione ipsius. 1103.

13. De prouidentia quam Christus Dominus & tres diuinæ personæ habent de Ecclesia & quauis sancta anima: de duplici allocutione facta ad Ecclesiam in sui exordio, & ad quamlibet piam animam à bono & malo spiritu. 1111.

14. De solicitudine Ecclesiæ & Prælatorum erga alios fideles, & vniuscuiusque de proximo suo atque omnium pro die vltimi iudicii. 1118.

15. De iis quæ Christus operatur in Ecclesia & in singulis iustis vt eos amplius promoueat, & perficiat, & de nostra ac ministrorum eius cooperatione cum ipso. 1123.

16. De constantia Ecclesiæ ex quo fundata est à Christo Domino & quam in eius obsequio habere tenemur, atque de differentia inter impiam synagogam quæ pacem Christi repulit & Ecclesiam quæ coram eo pacem reperit. 1132.

17. De virtutibus quibus præparata est B. Virgo ad annunciationẽ Angelicã, & quæ dona tres diuinæ personæ illi cõtulerint etiã pro nobis. 1140

18. De vinea Ecclesiæ antiquæ & nouæ ac piæ animæ, & de solicitudine quam Ecclesia gerit de vineis particularibus anima de seipsa, & Christus de omnibus. 1146.

19. De efficacia diuinæ vocis excitantis ad canendas Dei laudes, de cãtu & publica oratione in templis, atq; de cõmunicatione inter Deũ & animã per voces internas, & de effectibus illius. 1155.

20. De variis vocibus animæ in contemplatione & extra illam Deo valde gratis, de eius obedientia ad cuncta quæ Deus iubet, ac de cõsensuin speritale connubium cum ipso Deo. 1164.

21. De multiplici & mira Christi fuga super omnem intellectum creatum, & ad cœlos vnde venerat, atq; ad electos suos, & tãdem cum illis post extremum iudicium ad cœlum empyreũ. 1171.

Omnes Exhortationes sunt 147.

EXPO-

EXPOSITIONIS MORALIS IN CANTICVM CANTICORVM LIBER SEXTVS,

circa caput tertium.

DE STVDIO QVAERENDI DEVM, & Christum tam nobis, quam proximis nostris, atque de fidei mysterijs, in quibus hoc maximè resplendet.

CAPVT III. CANTICI.

1. *Solertia sponsæ in quærendo dilectũ suũ donec eum inuenit, & tenuit.*

IN lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Surgam, & circumibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea, quæsiui illum & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui custodiebant ciuitatem. Num quem diligit anima mea vidistis? Paulum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea: Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculũ genitricis meæ.

5. *Mirus profectus sponsæ postquam dilectum inuenit.*

Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosque camporum ne suscitetis, neque vigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.

6. "Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij:

8. *Magnificẽtia sponsi, & eorum in quibus residet, à quibus ambitur & defertur.*

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenẽtes gladios, & ad bella doctissimi; vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constrauit propter filias Ierusalem: Egredimini, & videte filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

10. *Exhortatio ad inuendum mirũ sponsi mysticum diadema.*

HIVS libri ordine sexti, argumentum erit tertium caput Cantici Canticorum, iucundissimum quidem atq; fœcundissimum, plurimis abundans medijs, & miris documentis ad solerter quærendum & inueniendum vltimum nostrum finem, qui Deus est, propter quem creati sumus, & Christum redemptorem nostrum à quo omnis nostra salus, & fœlicitas procedit, ac tandem ipsam Euangelicam perfectionem, quam nos docuit, in varios gradus & officia distributam. Narrauerat sponsa, in capite secundo præcedenti ab illis verbis: *Vox dilecti mei, &c.* Formam diuinæ vocationis, quæ totius vitę spiritualis est felix initium, cunctosque eius progressus per varia ministeria, gradus, & ætates vsque ad finem sæculi: nunc in isto capite tertio formam & modum explicare aggreditur, quo ipsa diuinæ assentiens vocationi, illa inquirere cæperit quæ per vocationem ei quærenda suggerebantur, plurima detegens fidei mysteria quæ ad quærendum, & inueniendum Deum maxime conducunt; de quibus in hoc sexto libro agemus in quatuor partes, vel tractatus illum diuidentes.

Prima erit de varijs ac miris modis quibus

Deus à nobis quæritur in hac vita, & inuenitur. A Nam tam peccatores, quam iusti; & tam incipientes, quam proficientes & perfecti, Deum & Christum quærere tenentur, variisque modis inueniunt: quod eleganti metaphora explicatur in exordio capitis cum dicitur. *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, &c.* vsque ad versum 5. qui desinit in illa verba, *Nec euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.* Secunda vero pars ad altiora nos prouehit, vt Deus excellentius inueniatur. Agitque de multiplici profectu spirituali per omnigena virtutis opera vitæ actiuæ, vel contemplatiuæ; qui eleganter depingitur illis verbis. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, &c.* Tertia autem pars vltra proficientes ad perfectos progreditur, differens de iis qui perfectionem tam propriam quam aliorum ex proprio officio custodiunt, atque Christum in se ferunt & deferunt ad alios, vt in ipsis per fidem B & dilectionem commoretur. Hæc enim munia duabus elegantibus metaphoris describuntur, nimirum, *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, &c. Ferculum fecit sibi rex Salomon, &c.* Quia tamen per lectulum & ferculum Salomonis multa Christi mysteria designantur, in quibus tanquam in propriis locis mysticis quæri & inueniri potest, de iis etiam in hac tertia parte agemus. Quarta vero pars admonitionem complectitur ex præcedentibus deductam ad contemplanda insigniora Christi mysteria quæ rex Salomon repræsentat in suo ferculo, existens cum diademate quo eum mater sua coronauit in die desponsationis & lætitiæ cordis eius.

C

PRIMA PARS LIBRI SEXTI.

De variis & miris modis quibus Deus quæritur & inuenitur in hac vita.

TEXTVS SACER EX CAPITE III. in quo fundatur.

VERS. 1. In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea; quæsiui illum, & non inueni. Surgã, & circuibo ciuitatem per
2. vicos, & plateas; quæram quem diligit D anima mea; quæsiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles qui custodiunt
3. ciuitatem: num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cũ pertransissem eos,
4. inueni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubi-
5. culum genitricis meæ. Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruosque camporum ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.

EXHORTATIO PRIMA ALIARVM BASIS.

De vltimo fine hominis, qui est Deum quærere, & inuenire; & quo affectu, & conatu quærendus sit, vt inueniatur.

In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea.

INCHOAVERAT sponsa Canticum Canticorum à feruentissima prece qua à cœlesti sponso dulcissimũ osculum oris sui, id est, suum erga ipsam amorem, & præclarissimos eius effectus postulabat: nunc autem secundam partem Cantici exorditur, à narratione eorum quæ ipsa egit cum dilectum suum absentem vehementi quærebat studio, vt si inueniret, optatam perficeret desponsationem, & spirituales nuptias cũ eo celebraret. Dirigit autem Cant.5.v.6. sermonem ad sodales, vt eas suo exemplo doceat quo affectu, quo labore, qua solicitudine, & solertia cælestis sponsus quærẽdus sit, si eum velint inuenire. Eandem autem narrationem, (nisi forte diuersa sit dicenda) repetit in capite quinto, nonnulla tunc commodius addens quæ nunc prætermisit, vt est illud, *Percusserunt me, & vulnerauerũt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Vt suo loco dicetur.

Varias esse Dei absentias, quæ noctes efficiũt. §.1.

ACTVRI igitur de modo quærendi Deum, D.Th.1.p. q.8.ar.3. qui re vera vbique adest per essentiam, præsentiam, & potentiam, vt Theologi testantur, quia omnibus rebus sua deitate est intime præsens, omnia cognoscens, & cum omnibus operantibus operans, aduertere oportet, eum adhuc reputari absentem, vel quia multis est incognitus, & absconditus, vel quoniã aliqua desinit efficere insigniora opera per quæ se esse præsentem quodammodo manifestat. Vnde multis modis vocatur absens. Primò quidem quatenus vltimus finis noster est, quem nondum consecuti sumus, cum iam ad eum consequendum creati simus. Deinde, cum per fidem & charitatem in mentibus hominum incipiat habitare, & quasi præsentem esse, ideo peccatoribus est absens qui vtraque vel altera carent. Ab ipsis etiam iustis multifariam abesse dicitur, vel cum per magnas tribulationes eos affligit, & derelinquere videtur, vel cum in oratione & contemplatione eos desolatos, & aridos esse permittit, nec eos vt solet, visitare dignatur; vel quia adhuc illis desunt incrementa gratiæ quę habere desiderant, & iugiter quærunt; & tandem omnibus viatoribus, quamdiu in hoc exilio peregrinantur, absens est, quia solum beatis in cælesti patria se per claram visionem manifestat. 1. 2. 3. 4.

Vltra hoc autem post peccatum Adæ quamdiu non assumpsit carnem, quam ad mundi redemptionẽ assumere promiserat, absens reputabatur. Quæ absentia durauit vsque ad aduentum Christi: qui etiam modo quasi absens est ab his regionibus, & hominibus à quibus non est cognitus, nec receptus. 5.

Dei igitur sponsa, Ecclesia nimirum siue antiqua, siue noua, has omnes eius absentias pro diuersis temporibus, vel pro diuersis hominibus, ad Ephes.5. v.17.

qui ad ipsam aliquo modo pertinent, præsentiens, A vehementerq; eius præsentiam desiderans, illũ diligentissime quæsisse dicitur, sed *per noctes*. Cum enim dies propter solis lucem ad quærendũ alium ad Ephes.5. v.12. aptiores viderentur, iuxta illud Apostoli, *Omne quod manifestatur lumen est*; per hanc phrasim *quærendi per noctes*, tristes sui spõsi delineat absentias; sicut enim naturalis dies ex solis præsentia fit, cum lucem & calorem per nostrum diffundit hemisphærium: ex eius autem absentia prouenit nox, quæ non est aliud quam carentia illius luminis & caloris quem sol efficiebat, ideoque tenebrosa manet, frigida, tristis, & horrida; sic etiã sol iustitiæ diem spiritaliter efficere dicitur, cum mentibus hominum infundit lumen fidei, splendorem gratiæ, & ardorem charitatis; maxime autem cũ lumen gloriæ in cœlo impartitur beatis, vbi nulla est nox, sed perpetuus æternitatis dies. Ex absentia autem Dei B in anima fit nox, cum hæc dona communicare desinit; & quia multa sunt dona, multæ dicũtur noctes. Infideles enim in nocte sunt ignorantiæ, quia carent lumine fidei; reliqui peccatores, in nocte malitiæ, quia deest illis splẽdor gratię: iusti sæpius sunt in nocte tribulationis, vel desolationis spiritualis, quia Deus lucem contemplationis, vel deuotionis ardorem subtrahit; omnes denique viatores in hoc exilio quodam modo etiã sunt in nocte, quatenus carent lumine glorię, & obscura ducuntur fidei reuelatione. In his ergo noctibus sponsa dilectum suum solem iustitiæ anxie quęrebat, vt sua illas præsentia depelleret, formam singulis nostrũm præscribens, vt quacumque ratione Deum nobis absentem senserimus, eum pari conatu & solertia quærere curemus donec inueniamus; inueniemus autem, si ea seruauerimus quæ de singulis dicentur, & si non eodem ordine C quo relata sunt.

Hominem creatum esse vt Deum quærat. §.2.

PRO DOMINICA XIV. POST PENTECOST. in id. *Primum quærite regnum Dei.*

AB eo igitur quod omnibus commune est, exordiendo, supponendum est inter omnia hominum studia, nullũ in hac vita sublimius, nullum honestius, nullũ esse vtilius, aut iucundius, quam Deum verè quærere, & inuenire. Quoniam inuenire Deũ inuoluit adeptionem nostri vltimi finis, & possessionem summi boni, quod nos nunc ex parte; postea vero plenè satiabit, & beatos faciet. Quærere autem Deum includit cuncta illa bona opera, & media per quę ad illum vltimũ finem, & summum bonũ consequendum peruenitur. Cum autem Deus spiritus sit, spiritualiter est quærendus, & inueniendus; nimirum per certam, & perfectam ipsius cognitionem, ac per intimum eius amorem super omnia, cæteroſq; affectus & actus qui hunc amorem comitantur. In iis autẽ duobus, quę quęsitio, & inuentio Dei cõprehendit, sita est omnis nostra sublimitas, omnis sanctitas & honestas, omnis vtilitas, & iucunditas, ac deniq; nostra suprema beatitudo, propter quam acquirendam creati sumus. D

Act.17.v. 26. Quod eleganter docuit D. Paulus, Athenienses instruens de ignoto Deo, cui erectam habebant aram. *Deus* (inquit) *fecit ex vno omne genus hominũ inhabitare super vniuersam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorũ, quærere Deum, si forte attrectent eũ, aut inueniant, quamuis non longe sit ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Quibus verbis præcipua nostræ salutis, & eorum quæ diximus fundamẽta, egregie delineat, septẽ adducens fortissimas rationes, vt nos alliciat ad quærendũ Deũ, qui noster est vnicꝰ vltimus finis, extra quẽ nó est aliꝰ.

Prima, quoniam Deus creauit, & *fecit omne genus hominũ*, qui habitãt super vniuersam terram. Ita quod nullus sit homo in vniuerso terræ ambitu à minimo vsque ad maximũ, qui non sit factus ab ipso, tãquam à prima causa, & primo omnium rerum opifice, de quo scriptum est: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Ad opificẽ vero qui ex consilio omnia sapienter agit, spectat etiam finem suo operi præstituere. Deus autem qui summa est sapiẽtia, nullũ habet se ipso sublimiorem finem, ad quem sua dirigat opera. Et ideo teste Salomone, *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, vt Prou. 16. v.4. hac ratione idẽ Deus (sicut in Apocalypsi ipse testatur) sit A & Ω, *principium & finis*, à quo omnia procedũt, & in quem omnia tendũt, sed ordine quodã: nam creaturas rationis expertes immediate fecit propter hominẽ vt ei inseruirent, eũq; ad Deũ inquirendũ, & colendũ inducerẽt. Quod non tantũ de elemẽtis, & animantibus, sed etiam de cælis, sole, luna, & astris testatur Moyses, de eis inquiens; *Quæ creauit Dominus Deus tuus in mini-* Deut. 4. *sterium cunctis gentibus quæ sub cælo sunt*: at hominem v.19. immediate fecit propter semetipsum, vt his creaturis vtẽs suo inseruiret creatori, & eius gloriam & honorem quęreret, ad cuius imaginem & similitudinem creatus erat. Propter quod idem Apostolus confirmans quæ diximus, mox citat, & approbat sententiã Arati Poëtæ dicẽtis. *Ipsius enim* (sc. Dei) *& genus sumus.* Cũ ergo genus simus Dei, & à tã nobili parente tanquã viuũ eius simulacrũ progeniti, nõ debemus à tã cælesti prosapia degenerare, & creaturas has visibiles nobis longe inferiores vllo modo colere, aut in eis nostrum vltimum finẽ constituere, quærentes illas propter seipsas; quomodo quærunt peccatores, quorum Deus venter est, & pecunia idolum. 1.

Amplificat autem hanc rationem D. Paulus, insinuans alteram, dum ait Deũ fecisse omne genus hominũ *ex vno*. sc. ex Adamo, cuius corpus formauit è terra, animã vero ex nihilo, *Cum inspirauit in faciem eius spiraculũ vitæ.* Euam autem vxorem eius ædificauit ex vna eius costa, vt hoc facto indicaret sublimitatem finis, ad quem illũ destinabat. Etenim cętera animalia fecit Deus simul masculũ & fœminã, quoniã finis eorum erat per generationem crescere, & multiplicari, & replere terram, in eaq; tantũ degere, quia cum corpore simul extinguitur eorum anima, quæ corruptibilis est, sicut & corpus: at cum creauit hominem, noluit simul creare masculũ, & fœminã, sed prius solum virũ, Sap.10.v.1. vt sciret non creari potissime ad vacandũ generationi, nec ad multiplicandũ genus suũ super terram, in eaq; dumtaxat degendũ, sed animũ habere spiritalem, & immortalẽ ad sublimiorem finẽ eleuatum, scilicet ad quærẽdum & contemplandũ Deum authorem suum. Vnde ante formationem Euę immisit Deus soporẽ seu extasim in Adã, in qua magna ei mysteria reuelauit. Fecit igitur deus omnes homines tã viros, quã fœminas ex vno viro Adã, vt omnes scirent factos esse nõ ad quærenda terrena ista quæ sunt super terrã, nec ad appetẽdas carnales voluptates, sed ad sublimiora & cælestia perquirenda. Cætera verò, etiam vxores, tantum data illis in adiutorium, vt suauius suum vltimum consequerentur finem. 2. Gen.2.v.7. & 21. 1.ad Tim.2. v.13.

Sed amplius vrget tertia ratio cum ait: *Defi-*

niens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorũ: quia nimirum Deus ſingulis hominibus præfinit tempus vitæ eorum ſuper terram, vt non ſinguli viuant quantum cupiunt, ſed quantum ipſe Deus vult, & ſtatuit, deſignans longiorem, aut breuiorem periodum vitæ, prout illi placet in ordine ad ſpecialem finem quem intendit iuxta diuinæ prædeſtinationis, aut reprobationis arcana: propter quod inquit Iob: *Breues dies hominis ſunt: numerus menſium eius apud te eſt. Conſtituiſti terminos eius qui præteriri non poterunt*, quod confirmat Pſaltes dicens: *Eccemenſurabiles poſuiſti dies meos*. Huiuſmodi autem tempora ſingulis ſtatuta, prædiffiniuntur, ſicut notat Oecumenius, vt in illis homines quærant ſuum vltimum finem Deum, eumque bonis operibus & meritis aſſequantur, vt paulo poſt fuſius proſequemur. Quod autem addit, *Et terminos habitationis eorum*, vel referri poteſt ad terminos dierum quibus ſinguli habitãt ſuper terram: vt ſit præcedentis ſententiæ confirmatio, vel ad terminos locorum, & regionum in quibus degunt. Deus enim, vt etiam inſinuat Pſalmiſta, in hac valle lachrymarum vnũquemque in proprio creat loco, & ſtatuit vbi debeat habitare, ſalua tamen hominis libertate, vt huc, vel illuc migret. Hæc autem adducit Apoſtolus vt ſciamus tempus vitæ, locum habitationis & ſimilia non caſu euenire, ſed à diuina pendere prouidentia, ſtatutaque eſſe vt homines vbique & ſemper ſuum quærant creatorem.

Iob.14.v.5. Pſ.38.v.6. Pſal.83.v.7.

4.

Hoc iam clarius explicat per ſequentia verba; *Quærere Deum ſi forte attrectent eum, & inueniant*: ac ſi dicat, facti ſunt omnes homines, & inhabitant ſuper terram vt quærant, non aurum, argentum, & diuitias, non delicias & voluptates, non honores & ſæculi pompas, ſed vt quærant ipſum Deum, qui eſt verus, & vnicus vltimus eorum finis, & curent eum ſolerter cognoſcere, & cognitum diligere, colere & venerari, eique in omnibus ſubijci, & obedire. Et quamuis oculis corporeis eum non videant, mente tamen inueſtigent, vt eum attrectent, palpent, & inueniant. Verbum *attrectare* dici ſolet de cæcis qui palpando viam quærunt, quia in hac vita ex diſcurſu noſtro tantum per veſtigia creaturarum inueſtigamus Deũ; & palpando creaturas, in illis quaſi Deum attrectamus. Alij putant vocabulum eſſe muſicum, ſignificans tactum pſalterij vel cytharæ, ad ſignificandum creaturas huius mundi viſibilis eſſe velut chordas cuiuſdam inſtrumenti muſici à Deo fabrefacti, ex quarum tactu per cognitionem, mirus prodit ſonus. Enuncians vnum Deum eſſe, qui omnium illarum eminentiſſimè fulget perfectionibus. Hic ſonus eſt, qui in libro Iob vocatur concentus cæli, quem nullus dormire faciet; qui teſte Dauid, enarrat gloriam Dei. Et in libro ſapientiæ, contactus elementorum vocatur etiam organum, quod inſtrumentum eſt muſicum. Ipſe denique creaturarum ordo tacendo clamat; *Deus fecit nos, & non ipſi nos*: factæque ſumus non vt quæratis nos, ſed vt per nos quæratis eum. Cum autem hæc rectè mente percipimus, iam ex parte Deum attrectamus, & inuenimus.

Euſtachius. Vide Lorinum ibi. Iob.38.v.37. Pſal.18.v.1. Pſ.19.v.17.

5.

Sed ſubdit Apoſtolus, *Quamuis non longè ſit ab vno quoque noſtrûm*, vt ſignificet Deum non eſſe quærendum greſſibus corporis, ſed mentis, quia non eſt diſtans loco, ſed cognitione; nec eſt palpandus manibus corporeis, ſed ſpiritualibus amplectendus; quia ſpiritus eſt inuiſibilis & abſconditus, niſi quæratur, vel ſeipſum velit manifeſtare. Dicit etiam eum non eſſe longe, ſed prope, vt pellat errorem eorum qui aſſerebant: *Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, circa cardines cæli perambulat*. Cum tamen verè iuxta omnes ſit tanquam teſtis, iudex, & remunerator eorum qui illum ſolerter quærunt, ideoque dixit idem Paulus: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*, nullũ enim ſe quærentem non videt, nec ſine remuneratione relinquit. Remuneratio autem eſt ipſemet, qui ſe inueniendum præbet. Hæc autem omnia valde nos ad eum quærendum vrgent. Sed rationem reddit cur prope nos ſit. *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus*. Commendauerat paulo ante Dei magnificentiam, *Eo quod non eſt indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia*: ac ſi diceret, non fecit Deus homines, nec vult ab illis quæri, coli, & venerari, quaſi indigeat aliquo. Æternus enim eſt, & ab æterno fuit ſine creaturis ſe ipſo ſolo beatus. *Ego dixi* (inquit Dauid) *Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges*: imò omnes indigent illo; nam ipſe eſt qui omnibus dat vitam & inſpirationem qua viuunt, & omnia quæ habent, & quibus ad ſui conſeruationem indigent: hoc autem confirmans, & amplius explicans ait, *in ipſo enim*, id eſt per virtutem & potentiam ipſius, & intra ipſum qui omnia replet, viuimus, & exercemus omnes actus vitæ, omnes motus animæ & corporis, & retinemus quidquid ſumus, in Deo videmus, audimus, olfacimus, & arabulamus: in Deo diſcurrimus, intelligimus, & appetimus: & vt inquit Iſaias, omnia opera noſtra operatur in nobis. Vnde conſequens eſt quod omnia hæc in ipſum Deum tanquam in vltimum finem, referre debeamus; vt ſi viuimus, Deo viuamus; ſi mouemur, Deo; ſi ſumus, Deo, & propter Deum eſſe, & moueri curemus, vt per opera noſtra eum quæramus & inueniamus.

Pſ.15.v.2. Iſa.26.v.12.

7.

Sed non prætermittamus ponderationem illius aduerbij *fortè*, quo vtitur Apoſtolus, dicens: *Si fortè attrectent eum*, ad indicandam hominis libertatem. *Nam Deus* (inquit Eccleſiaſticus) *ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui*. Vnde in manu ſeu poteſtate eius eſt velle Deum quærere, vel non quærere, & ita quærere vt inueniat (gratia enim & auxilium Dei præſto ſemper eſt illi.) Quia tamen vel ex praua voluntate, vel ex ignauia, reique difficultate fieri poteſt vt non inueniat, additum eſt, *Si forte attrectent eum*. Ex eo tamen quod in noſtra eſt libertate eum quærere, vrgemur etiam vt eum quæramus, non abutentes libertate, ſed eam ad id quod tam præclarum eſt, alacriter applicantes. Hæc ex D. Paulo breuius præſtrinxiſſe libuit, vt baſes ſint eorum quæ fuſius in ſequentibus ſunt explananda.

Eccleſ.15. v.14.

Ante omnia ſummo conatu Deum eſſe quærendum propter ſe ipſum. §. 3.

EX his autem ſeptem rationibus, hoc primum deducendum eſt, ante omnia debere nos totis viribus, ſummoque conatu Deum quærere, ita vt eum poſſimus inuenire: hoc eſt, cognoſcere, amare, colere, & in omnibus obedire, vt tandem nunc, & in æternum mereamur eo frui. Cum enim omnes creaturæ naturali propoſitione impellantur ad ſuum vltimũ finem conſequendũ, Deus autem vltimus ſit finis hominis

nihil ei ita charum & precioſum eſſe deberet ſicut ſuum quærere & inuenire creatorem, nam quantum diſtat cælum à terra, infinitum à finito, & à temporali æternum, tantum ſtudio quærendi creaturas excellit ſtudium quærendi creatorem, in quo eminentiſſimè ſunt omnia quæ noſtrum poſſunt ſatiare appetitum, & ſine illo nullum creaturæ bonum præſtare valent. Vnde quærendo vnicum Deum, in eo quærimus cuncta bona tam ſpiritualia, quam corporalia ad ſalutem animæ conducentia ſicut ſcriptum eſt: *Diuites eguerunt, & eſurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*; quia ipſe Deus eſt omne bonum, & inexhauſtum bonum: & quanto plus illum quæſieris, tanto plus boni ſpiritualis in illo & ab illo inuenies, & in dies lætior, ditior, & fœlicior fies. Magnum bonum (inquit D. Bernardus) eſt quærere Deum. Ego hoc nullis in bonis animæ ſecundum exiſtimo. Primum in donis, vltimum in profectibus eſt. Virtuti nulli accedit, cedit nulli: cui accedat, quam nulla præcedit? cui præcedat, quæ omnium magis conſummatio eſt? quæ enim virtus aſcribi poteſt niſi quærenti Deum, aut quis terminus quærendi Deum. Hæc Bernardus, inſinuans primum & vltimum ſtudium hominis eſſe Deum quærere. Inde incipiũt peccatores vt conuertantur ad fidem vel gratiam; inde tyrones, vt per viam purgatiuam puriores fiant: proficientes, vt vlterius per illuminatiuam progrediantur; at tandem perfecti vt in vnitiua ſint conſummati: ad omnes enim ſpectat Deum quærere, & in eo recte quærendo perfectio cuiuſque in ſuo gradu conſiſtit.

Pſal 33 v.11. Serm.84. in Cant.

2.

Propter quod Chriſtus Dominus hoc amplius explicans, illam celebrem protulit ſententiam: *Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia* (ſcilicet temporalia) *adijcientur vobis*. Regnum Dei eſt ipſe Deus, qui in anima regnat, hic per gratiam & charitatem, poſtea vero per gloriam, & claram eius viſionem. Iuſtitia vero huius regni vocatur omnigenum opus bonum, per quod ſuppoſita Dei promiſſione ex iuſtitia illud promeremur, & quia vtrumque connexum eſt, idem Apoſtolus ait: *Regnum Dei non eſt eſca, & potus, ſed iuſtitia, pax, & gaudium in Spiritu ſancto*. Comprehendens ſub ijs tribus cunctas virtutes & celeſtia dona, quæ animam ſanctificant, exhilarant & ſatiant. Hoc igitur regnum & iuſtitiam eius quærere iubemur *primum*, id ante omnia & potiſſimè, quoniam propter hoc quærendum tantum creati ſumus, & in eo inueniendo ſita eſt noſtra pax, gaudium, ſanctitas, & felicitas, tam huius vitæ, quàm futuræ. Vnde conſultò cæleſtis magiſter cum dixiſſet, *Primum quærite regnum Dei, &c.* Non dixit, & ſecundo quærite temporalia, ſed potius, *Et hæc omnia adijcientur vobis*. Vt doceret nos temporalia etiam nullo modo eſſe quærenda niſi vt pertinent ad regnum Dei, & iuſtitiam eius. Quærendus quidem eſt victus, & veſtitus, honor, & officium, ac alia huiuſmodi, non quidem propter ſe præcipuè, ſed vt ſunt quid iuſtum & medium, ad conſequendum regnum Dei, opuſque iuſtitiæ per quod poteſt acquiri. Vnde & virtutes morales aſſignamus quæ appetitum moderantur circa horum temporalium inquiſitionem & vſum; ad Dei autem prouidentiam ſpectat hæc temporalia præbere ijs qui hoc modo quærunt eius regnum, & iuſtitiam; & ideo inquit: *Hæc omnia adijcientur vobis*, confirmans quod Pſalmiſta dixerat, inquirentes Deum non minui omni bono: Vndè qui temporalia vt Deum & iuſtitiam quærat, libenter reſpuit, multo plura in ipſo inueniet. Quod elegantèr docet D. Ambroſius obſeruans Deum dixiſſe Abrahæ: *Noli timere Abraham, ego protector tuus, & merces tua magna nimis*; poſt quam oblata ſibi dona à Rege Sodomorũ cõtempſerat: non eſt (inquit) ſerus ad remunerãdum Dominus; & cito promittit, & multa largitur, ne infirmos animos ob dilationem mercedis ſubeat pœnitentia contempſiſſe præſentia. Itaque velut quadam vſuraria largitate compenſat, vt vberiora reſtituat ei qui captus non fuerat oblatione præſentium; quia igitur Abraham ſpretis bonis temporalibus ſibi oblatis, ſolum Deum quæſiuit, dixit illi Deus, ne quæras ab hominibus mercedem; *Ego merces tua magna nimis*, & in me, & ex me multo plura, imo omnia bona inuenies.

2. ad Timoth.4.v. 8. ad Rom. 14.v.17. Lib.1. de Abraham c.1. Gen.15.v.1. Geneſ.14. v.22.

3.

Hinc fit hunc vltimum finem, qui iuxta placitum Philoſophorum prior eſt in intentione, licet poſterior ſit in executione, quærendum eſſe puram, rectam, & ſimplici intentione propter ſe ipſum, ſicut decet quærere ſupremum bonum infinitè amabile, qualis Deus eſt. Nam teſte D. Auguſtino, vltimus finis dicitur, qui propter ſe ipſum amatur, cætera vero propter ipſum: nam ſi amaretur propter aliud, iam non eſſet vltimus in quem omnia referrentur, magnaque peruerſitas eſſet Deum propter aliud quærere, quod longe inferius eſt illo, & infinite vilius. Quid enim turpius quam Deum quærere ſicut quærimus mercenarium, aut ſeruum, vel pecuniam, quæ amore dumtaxat concupiſcentiæ diligimus, eo quod nobis ſunt vtilia & propter noſtrum commodum ea quærimus! merito exprobraret nobis Dominus, ſicut & illis quibus dixit: *Quæritis me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis*. Id eſt, quærite me non propter cibum, & bona quæ pereunt, ſed propter me ipſum, & bona quæ permanent in vitam æternam, quæ paratus ſum libenter impartiri quærentibus illa. Alioqui ingrata mihi erunt obſequia veſtra. *Quis* (inquit per Malachiã) *eſt in vobis qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuito? non eſt mihi voluntas in vobis (dicit Dominus exercituum) & munera non ſuſcipiam de manu veſtra*, id eſt non inſeruitis mihi animo ingenuo, ſed mercenario, ſpe lucri, & retributionis; qua ceſſante miniſteria mea contemnitis. Idcirco ego etiam veſtra munera, & obſequia reijcio, quia non me, ſed mea bona quæritis, & illa præfertis mihi: quærendus igitur eſt Deus tanquam ſupremus Pater, & fidiſſimus amicus, ex vero amore amicitiæ propter ſe ipſum. De quo amore ſponſa loquitur hîc cum ait: *Quæſiui quem diligit anima mea*, vt poſt dicemus, plura tamen de hac pura intentione dicta ſunt in primo Tomo circa illud, *recti diligunt te*.

Lib.19. de Ciuitate Dei c.1. Lib.2. Exhort.17.

Hoc autem obſeruandum eſt, inquiſitionem Dei propter ſeipſum etiam inuoluere ea dona, quæ nos illi gratos, & amicos conſtituunt; nempe gratiã, fidem, ſpem, charitatem, & cæteras virtutes ſupernaturales. Vnde qui quęrit hęc dona quo talia ſunt, Deum quærit etiam propter ſe: & qui Deum quærit, maxime quærit huiuſmodi dona, quoniam ſine illis non inuenitur Deus, nec illa inueniuntur ſine ipſo.

UNIVERSIDAD DE GRANADA

Propter quæ bona peculiariter sit quærendus Deus. §. 4.

HInc deducere licet innumera, & immensa esse bona spiritualia quæ sub hac generali intentione, peculiariter possiunt simul cum Deo, & à Deo quæri: quorum breuem Catalogum fecit D. Bernardus, dicens: anima quærit Dei verbum, cui consentiat ad correctionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad sapientiam, cui conformetur ad decorem, cui maritetur ad fœcunditatem, quo fruatur ad iucunditatem. Vbi septem ingentia commemorat bona, propter quæ Deum possumus quærere, vt protegat nos, & eruat à septem malis quæ patimur, à quibus ipse solus potest liberare, & liberat quærentes eum. Vt liceat hîc applicare quod scriptum est apud Iob: *In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum.* Sex tribulationes vocantur cunctæ huius vitæ calamitates, & miseriæ: Septima verò afflictio mortis, cuius malum est æterna damnatio, quæ recte quærentem Deum non tanget, inuenit enim potentem ab omnibus defensorem: sicut testatur Psalmista, dicens: *Exquisiui Dominum, & exaudiuit me; & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.*

Serm 84 in Cant.
Iob.5.v.19.
Sap.3.v.1.
Psal.33.v.5.

1.

Primò enim magna nos vexat corruptio morum, & carnalium concupiscentiarum iugis irruptio, cui medetur Deus cùm à quærente inuenitur, quia mox animam corripit, infrænat concupiscentias, mores componit, & insultibus carnis aduersatur. Propter quod inquit: *Esto consentiens aduersario tuo citò dum es in via cum eo.* Et quis est iste aduersarius (inquit D. Augustinus) cui consentiendum est, nisi Deus ipse, qui nobis aduersatur, & suis inspirationibus à malo retrahit, & ad bonum impellit? sicut ergo diabolo qui aduersarius nostер est contra bonum, resistendum est cito, sic Deo qui aduersarius est contra malum, illico est obtemperandum vt iusti & puri simus; hoc enim est nostræ beatitudinis fundamentum, vt idem D. Augustinus deducit ex primis verbis, Psalmi 118. *Beati immaculati in via.* Si vis (inquit) esse beatus, esto immaculatus. Illud enim omnes, hoc pauci volunt, sine quo non peruenitur ad id quod omnes volunt.

Matth 5. v.25.
Li.1. de ser. Domini in mõte c.22.
Idem fere D.Bern.
Serm. in Ps. 118.concione 1.

2.

Deinde magna cæcutimus ignorantia circa ea quæ nos oportet scire, & operari, ad eo vt quid oremus, sicut oportet, nesciamus, quærimus ergo Deum scientiarum Dominum, & luminis fontem, vt suis illustrationibus has à nobis tenebras pellat, & viam iustitiæ doceat. *Nam & beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum: &, lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*, ne pedes errent, & offendant dum gradiuntur per vias, & semitas mandatorum tuorum? sed adhuc vrget tertia calamitas propriæ imbecillitatis ad resistendum tentatoribus, & tentationibus, quibus nos in malum impellunt, & ad aggrediendum fortiter id quod iustum est, & Deo gratum; quem ideo quærimus, vt eius præsentia roboremur, & confirmemur. *Impulsus sum* (inquit Dauid) *vt caderem, & Dominus suscepit me.* Et quis est iste impulsor? certe non vnus, sed multiplex: impulsor est diabolus, impulsor mundus, impulsor caro, & impulsor homo, vnusquisque seipsum in malum

Pf. 93. v. 18.
Psal. 118. v. 104.
Pf.117.v.13.
Hoc fusius prosequitur D.Bernardus.

3.

præcipitans; sed Dominus suscipit nos dum virtutem confert, ne impellenti consentiamus, & corruamus, quia nullus impulsor euertit resistentes, sed consentientes; Dei autem est virtutem conferre, vt impulsui non cedamus, & ad altiora sanctitatis exercitia ascendere possimus. Quid enim non poterit, qui Deum secum habet? *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Et quid non assequetur, qui in omnipotente spem suam constituit? quia nulla res ita clariorem reddit omnipotentiam Dei, quam quod omnipotentes facit sperantes in se.

Iob. 17. v.3.
Verba sunt D Bernardi serm. 85. in Cant.

4.

Sed quoniam anima de se arida est, & saporem sapientiæ non habet, quo afficiatur ad diuina, & ad ea quæ Dei sunt suauiter peragenda, ideo quærit Deum qui est vera sapientia, vt saporem tribuat humilitati, obedientiæ, & patientiæ, reliquisque virtutibus, quæ nobis in statu naturæ corruptæ insipidæ sunt, nisi diuinæ sapientiæ suauitate condiantur. Sapientia autem hæc amorem includit: vbi autem amor est, labor non est, sed sapor. Sapor autem diuinus insulsa sapida reddit, & spiritum reformat, vt iam non dicatur ei sicut olim Petro: *Non sapis ea quæ sunt Dei, sed ea quæ sunt hominum.* Ex hac autem sapientia prouenit decor & pulchritudo animæ, quæ maximè consistit, tum in ornatu virtutum, tum in claritate contemplationis, qua gloriam Domini speculantes à claritate in claritatem transformamur. Sed hæc vnde habere potest anima quæ potius ex se fœda est, & ingloria? quærat igitur Deum vt illi adhærens, fiat ei similis; & à pulchro pulchritudinem recipiat, sicut à sapiente sapientiam, à forti fortitudinem, à puro puritatem. Hac autem specie & pulchritudine sua intendet prospere, & procedet, ea opera faciens quæ Dei claritatem manifestant, à qua ipsius claritas emanat. Et quia ex se sterilis est, & infœcunda velut palmes à vite præcisus, ideo quærit Deum sponsum suum, cuius præsentia, spiritualique desponsatione, & vnione fœcundatur, ad lucrandas animas, & ad bona opera peragenda; vt sicut palmes viti vnitus multum fructum ferat. Denique cum nulla sit maior animæ appetentia, quam suo frui vltimo fine, propter quem facta est, in quo eius felicitas est fita, ad hoc quærit Deum, vt eo per contemplationem, amorem & vnionem intimam, cum pace, tranquillitate, & delectatione fruatur. Hoc enim est frui Deo, fructus capere qui ex illo vt noster vltimus finis, & summum bonum est, promanant, quod plenè obtinetur in patria, sed gustatur in exilio; nequit tamen explicari lingua, sed solum valet experiri mente, & nemo scit quid sit, nisi qui à Deo accipit. Plura circa singula hæc prosequitur D. Bernardus, qui tandem perpendens ingentia bona, quæ ex Dei inquisitione nobis prouenient, sic in alio loco concludit: si nati essemus ex quo factus est homo super terram, & vsque ad centum millia annorum vita nostra extenderetur, non esset tamen condigna quæsitio huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. *Bonus es Domine animæ quærenti te.* Si quærens, quanto magis inuenienti? si tam dulcis est memoria, qualis erit præsentia? hinc probate vos fratres, si in via estis, si non exorbitatis. *Lætetur* (inquit) *cor quærentium Dominum.* Si gaudetis ad labores, si inoffenso, si indefesso pede curritis viâ mandatorum Dei, si quotidiè vtriusque hominis status recentior est ad proficiendum, & perfi-

Matth.25. v.16.
2. Corinth. 3.v.18.
6.
7.
Serm. de triplici cohærentia vinculorũ, clauorum, & glutinorum.
Thren.3.v. 25.
Pf 104.v.3.

ciendum, quàm ad incipiendũ, profecto quæritis faciem eius semper. Hæc enim & alia plura bona adfert inquisitio Dei: propter quod ingenti alacritate & solicitudine, illi deberemus incumbere. Si enim homines magno cum labore, & auiditate diuitias quærunt, & effodiunt thesauros, vt aurũ, & argentum sibi inueniant, pudeat horrere laborem quærendi Deum, & cum tædio quærere? *Si quæseris sapientiam* (inquit Salomon) *quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis eam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies.* Humilis quidem comparatio, sed in confusionem nostram adducitur, vt imitemur eos, qui corruptibiles quærunt thesauros, eo quod magnificiũt, & vehementer desiderant illos. Quod si magni faceres & desiderares Deum vt par est, diligentissimè laborares, vt illum quæreres, & thesauros bonorum commemoratos ex eo haurires, nam vt inquit D. Augustinus, vis desideriorum facit tolerantiam laborum, & dolorum; & nemo, nisi pro eo quod delectat, sponte suscipit ferre quod cruciat. Sed de hoc plura in exhortatione 3. dicemus contra pigros.

Prou 2.v 4
Lib. de Patientia, c.4.

Deum omnes excitare vt eum quærant, & quærentes sicut oportet, eum inuenire. §. 5.

1.

SEd ne quis causetur imparem se esse ad tam sublimem finem quærendum, & consequendum, sciat prouidentiam Dei nunquam in necessarijs deficere, & cùm præstituit finem, etiam tribuit media & auxilia ad obtinendum illum. Propter quod ait Psaltes: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Gratiam vocat omnia salutis media quæ naturæ superadduntur vt eam iuuent, & perficiant: gloriam vero ipsum vltimum finem & beatitudinis adeptionem: Vtrumque vero dabit Dominus suo ordine & tempore, ne quis tanto fine frustretur. Vnde non solum virtutes infundit, quæ vires ad id præstent, sed hominis cognoscens imbecillitatem, & ignauiam, eum misericorditer præuenit, excitat & mouet, vt eum velit, & incipiat quærere. Quo sensu asseruit per Isaiam? *Quæsierunt me qui antea non interrogabant:* inuenerunt in seipsis primam bonam Dei cogitationem, primumq; bonum affectum quærendi Deũ, gratis ab eo immissum, qui illustratio & inspiratio vocatur, per quem cœperunt amplius Deum quærere. Diuina enim inspiratio gratis nos quærit, & ex non quærentibus Deum, quærentes facit. Vnde prius nos quærit Deus, quam nos quæramus illum; nec nos illum quæreremus, nisi modo prædicto prius nos ipse quæreret. Qui tamen nunquam cessat tempore opportuno præuenire nos, vt eum quæramus, ne nos à quærendo cessemus, nec excusabiles simus si eum quærere neglexerimus.

Pf.83.v.12.
Isa 65.v.1. ad Rom.10. v.20.

2.

Vnde duplex debes cauere vitiosum extremum; alterum superbiæ & præsumptionis, non tibi, sed Deo humiliter ascribens quod eum quæras, alioqui inquisitio tua erit inanis, si fit sine fundamento humilitatis. Omnis anima (inquit D. Bernardus) quærens Deum, ne magnum bonum in magnum sibi detorqueat malum, nouerit se præuentam in illo; & ante se quæsitam quam quærentem. Nam eo quisque pessimus, quo optimus, si hoc ipsum quo est optimus, ascribat sibi. Hoc fusius prosequitur exemplo Psalmistæ dicentis:

Serm.84.in Cant.

Erraui sicut ouis quæ perijt, quære seruum tuum. Volebat quidem ad Deum redire, sed iacebat languida voluntas, quia facultas non suppetebat. *Nam velle adiacet mihi* (ait Apostolus) *perficere autem non inuenio. Deus autem est qui operatur in nobis, & velle & perficere pro bona voluntate.* Nos autem nec sufficientes sumus aliquid bonum cogitare à nobis quasi ex nobis, sed omnis nostra sufficientia ex Deo est. Vnde cum sponsa ait: *Quæsiui quem diligit anima mea.* Prœuenta est non vna tantum benedictione, sed duabus, scilicet, dilectione & quæsitione; nam prius fuit dilecta quam diligens; sicut prius quæsita, quam quærens. Sed nec Dauid diceret, *Quære seruum tuum*, nisi excitatus à Deo esset vt ita oraret. Pro iis ergo omnibus agendæ sunt Deo gratiæ, & tribuenda gloria, cuius donum est voluntas quærendi eum, & quæsitio ipsa.

Psal. 118. v. 176.
ad Rom. 7. v.18.
ad Philip.2. v.13.
2.Cor.3.v.5.

3.

Sed tunc fugiendum est alterum extremum pusillanimitatis, & diffidentiæ: Potentior enim es ad Deum quærendum, & inueniendum ex eius gratuito auxilio, quam si tuis propriis viribus id posses. Et cum Christus Dominus generaliter omnibus dixerit; *Quærite & inuenietis, omnis enim qui quærit, inuenit*; certum est nec præcipere impossibile, nec eius promissionem posse fallere, vel deficere, quamobrem magna cum fiducia & ingenti spe debes Deum quærere, non dubitans quod poteris eum inuenire, sicut dicebat Psaltes: *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus.* Quid est non sum deceptus? duplicem excludit deceptionem, ac si diceret; nec erraui, aut imprudenter egi in eo quod Deum quærere decreui: nec sum à meo labore defraudatus. Non enim frustra quæsiui, sed Deum quem quærebam, inueni, qui me à tribulatione liberauit. Sed cur non est deceptus? profecto quia exquisiuit Deum, non quomodocumque, sed manibus suis; non ait pedibus, sed manibus, vt significaret nos non indigere pedibus ad ambulandum vt Deum quæramus, quia loco non distat, sed manibus vt eum qui præsens est, sed absconditus, attrectemus. Manus autem sunt preces & opera. His exquirimus eleuãdo manus ad Deum quomodo orantes leuant, iuxta illud Ieremiæ: *Leeuemus corda nostra cum manibus ad Deum in cælos:* & extendendo etiam manus ad opera per quæ est maximè quærendus, & notanter ait *manibus meis*: quia non sufficient preces & operationes aliorum vt Deum inueniamus, nisi nos manibus propriis orando, & operando eum quæramus.

Pf. 76. v. 2.
Thren. 3. v. 41.

4.

Hoc ergo summopere nos consolari, & animare debet, quod homines sepe summo labore thesauros quærũt, vel honores, & alios fines quos intendunt, & tamen non inueniunt, sed omnis eorum labor cassus est & inanis: at nullus quærit Deum, qui non inueniat, si tamen, vt docet D. Bernardus, quærat illum quando, & vbi; & quomodo oportet; seu tempore, loco, & modo, à Deo præstituto, tempus est totius vitæ periodus. Deus enim vt supra diximus, prædefiniuit statuta tempora eum quærendi, quę cùm nulli constet, an longa sint vel breuia, oportet statim quærere, iuxta consilium Isaiæ dicentis: *Quærite Deum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est.* Ecce (ait ille) nunc tempus quærendi, ecce nunc dies inueniendi præ manibus sunt; erit enim tempus, quando non erit locus cùm ille fons miserationis

Serm.75. in Cant. & serm.de triplici cohærentia. *Tẽpus, locus, & modus quærẽdi Deum.*
Isa.55.v.6.

interminabili siccitate siccabitur. Post hanc enim vitam peccatores non poterunt quærere, nec inuenire Dei gratiam, & misericordiam, *Sed si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit:* id est, ibi in æternum permanebit, nec inde surget, vt locum mutet, & nouum quærat. Quamobrem, *Quodcumque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erit apud inferos quò tu properas.*

Ecclesiastes 11.v.3.

Eccl.9.v.10. De hoc fusiùs Exhort. 8.§.1.

Locus autem quærendi est de quo Psalmista ait, *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quem posuit:* id est, locus in quo quisque positus est à Deo in hac lachrymarum valle. Quod non tam intelligendum est de loco corporeo; (nam cum Deus spiritus sit, sicut vbique est præsens, ita vbique quæri, & inueniri valet) quàm de loco mystico, qui est status vnicuique ex Dei vocatione assignatus, & vniuersim pro omnibus, Ecclesia Catholica, intra quam sunt sacramenta, templa, religiosa instituta, omniaque media ad Deum quærendum apta; & extra quam inueniri non potest salus spiritualis, & vita æterna quantumuis quis sibi videatur strenuè illam quærere.

Psalm.83.v.6.

Modus autem quærendi Deum prout oportet rectam inuoluit intentionem, sedulam diligentiam, & magnum studium remouendi omnia impedimenta, & adhibendi cuncta media quæ ad illum quærendum sunt præscripta. Quod idem Diuus Bernardus vocat quærere Deum veraciter, frequenter, & perseueranter; hoc est per vera media, simplici corde, & non ficto; crebrò, per multiplicia studiosa opera, & cum perseuerantia vsque in finem.

Ser.2.Exhortatorio ad fratres in id Psal.23.

Hæc est generatio, &c. 5.

Hæc omnia iuxta plurium Patrum sententiam, eleganter delineasse videtur Salomon in hac sua parabola, cùm introducit sponsam dicentem, *In lectulo meo per noctes*, &c. (parabolica enim locutio est ad significandum omnem se adhibuisse curam & diligentiam ad dilectum, qui eam vocauerat, inquirendum.) Assignat autem quærendi tẽpus, cùm ait, *per noctes*; locum, cùm inquit, *In lectulo meo, & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas.* Modum sicut oportet, cùm testatur se quærere quem diligit anima eius, surgendo, circumeundo, interrogando vigiles, & pertranseundo illos; & tunc concludit, *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum*, &c. Singula autem verba plurimas habent mysticas significationes in sequentibus fusiùs propalandas. Vtinam sponsam imitantes, ita Deum quæramus, vt tandem eum inuenire & possidere mereamur in secula seculorum. Amen.

EXHORTATIO II.

De iis qui non inueniunt Deum, nec veram beatitudinem, quia malè quærunt, suum vltimum finem in voluptatibus, diuitiis, & vanis honoribus constituentes.

In lectulo meo per noctes, &c.

MAGNA est Creatoris prouidentia, qui naturalem homini indidit propensionem ad diligendum vltimum finem propter quem creatus est, vt alacriùs eum quæreret; nam (teste Diuo Bernardo) dilectio causa est quæsitionis, & quæsitio fructus est dilectionis. Cum enim amor (inquit Diuus Augustinus) prima sit omnium affectionum animi, & quasi aliarum radix, causa etiam est impellens eum ad quærendum id quod amat, siue bonum sit, siue malum. Ideò enim Deum & beatitudinem, aut diuitias, vel voluptates quærimus, quoniam hæc diligimus, vel amore amicitiæ propter seipsa, vel amore concupiscentiæ propter nos. Ne igitur homo suo fine frustraretur, voluntati eius vt D. Thomas affirmat, inest quidam naturalis appetitus boni, quod est secundum rationem, vt illud quærat, & amplectatur; imò etiã Angelo & homini insitam esse ait natiuam propẽsionem, ad diligendum Deum plusquam se, & super omnia, quatenus est totius mundi vniuersale bonum, sine quo nec bonum proprium potest subsistere. Propter quod sponsa sæpiùs hic repetit se quærere quem diligit anima sua, quod de hac dilectione naturali potest intelligi, etsi ad sublimiorem debeat eleuari.

Serm.84. in Cant. 4.de ciuit.c. 7.&9. D.Tho.12. q.25. ar.5.

1.2.q.63.a.1. ex Arist.2. & hic à principio. 1.p.q.65.a.5.

Sed sistamus parumper gradum, & antequam veram Deum quærendi formam tradere prosequamur, de amouendis cunctis eius impedimentis pertractemus; nam & Psalmista priùs dixit, *Diuerte à malo*; deinde subiungit, *& fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.* Rem aggredimur stupendam, de qua Ieremias inquit, *Obstupescite cæli super hoc, & porte eius desolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Et quis non stupeat innumeros homines, etsi creati sint ad Deum suum vltimũ finem quærendum, ad quod nonnullam propensionem, & per Dei auxilia sufficientes vires habeant, eo tamen neglecto creaturas quærere, & in eis suum vltimum finem & amorem constituere. Sed adhuc magis stupendum est multos ex ipso populo Dei, qui cum fide agnoscunt, factis negare, nec quærere hunc fontem aquæ viuæ, sed cisternas dissipatas creaturarum, quæ aquas viuas gratiæ continere nequeunt. Horum ergo causas indagemus, vt huic malo remedium adhibeamus.

Psal.33.v.15. Ier.2.v.12.

Quibus de causis Deus non inueniatur, maximè à peccatoribus. §. 1.

DVPLICEM ergo causam assignare possumus, ob quam Deus non inueniatur; vnam ex parte ipsius Dei, ex parte verò hominis alteram. Illa locum habet dum quæritur secundum dona gratuita, & sublimiora, quæ ad salutem non sunt necessaria. Multoties enim, sicut pro suo beneplacito ea aliquibus largitur, ita aliis negat, vel dare differt, & se abscondit, nec inueniri sinit iuxta quærentis voluntatem. De iis enim loquens Diuus Bernardus, ait; Non est parua res, nec parui momenti Deum quærere; cùm illa quæ singulari pietatis nomine gloriatur, sæpiùs se cõqueratur esse frustratam, dicens, *Quæsiui eum, & non inueni.* Est enim sicut amabilis, ita & admirabilis, quia cùm non quæritur, inuenitur; & non inuenitur cùm quæritur. Sed vlterius addere licet, Deum etiam esse terribilem in consiliis suis super filios hominum, & iudicia eius abyssum multam, etsi omnia sint iusta. Quamobrem quoties non quæritur, vel non inuenitur secundum dona

De hoc in Exhort. 5. §.4.

" Serm. de triplici " cohærentia. " "

Psal.65. v.5. Psal. 35.v.7.

gratiæ ad salutem necessaria, aut valdè conducētia in ipsum hominem causa est referēda, qui ex errore, malitia, pigritia, vel desidia, aut alio defectu negligit facere quod tenetur, vt quemadmodum Diuus Iacobus, ait, *Petitis, & non accipitis, eo quod malè petatis*: ita multis dicere possimus; quæritis, & non inuenitis, eo quod malè quæratis.

Iac.4.v.3.

1. Hoc autem deducere copiosè possumus ex hac ipsa sponsæ parabola; etsi enim isthæc nomina lectulus, vicus, platea, vel forum, circuitio ciuitatis, vigiles, custodes, percussio & vulneratio eorum, in bonum accipienda esse meritò dixerimus, ad significandum omnia quæ conducunt ad Deum rectè quærendum, vt paulatim inueniatur; tamen multi Patres ea vsurpant in malum pro iis quæ obstant ne Deus rectè quæratur, vel in quibus non potest inueniri: nec nouum est in parabolis, & similitudinibus Scripturæ sacræ eadem res, verbi gratia, ignem, solem, leonem, & alia huiusmodi secundum diuersas proprietates in bonum & in malum vsurpari. Adeoque profunda est Dei sapientia ita parabolas disponens, vt aliquando simul vtroque modo possint interpretari; sicut ex multis constat quæ in præcedenti Tomo dicta sunt, maximè verò in illud, *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol.* Hanc autem interpretationem modo prosequemur. Nam, iuxta exemplum Salomonis, qui dedit cor suum, *Vt sciret prudentiam & doctrinam, erroresque & stultitiam.* Oportet Ecclesiæ doctores non solùm scire sanam doctrinam quam doceant, sed falsam, stultam, & amentem, quam dedoceant, ne fideles ea decepti in vitia prolabantur.

Cant.1.v.5.

Eccl.1.v.17

2. Cogitandum ergo est sponsam quasi commemorare quæ olim gesserat, cùm nondum in Deum conuersa erat, aut Ecclesiam loqui nomine eius, qui adhuc suis hæret peccatis, & cùm ait, *Quæsiui quem diligit anima mea*, hunc sensum habet; Deum, quem modò verè diligit anima mea, olim malè in lectulo, vicis & plateis prohibitis quæsiui; & ideò non inueni: vel potius verbum, *quem diligit*, intelligendum est, de eo dilectionis modo quem paulò ante assignauimus; quia (teste Diuo Augustino) omnes homines beati esse cupiunt, naturalique propensione suam appetunt beatitudinem, & dum eam diligunt, & quærunt, Deum quodammodo diligere, & quærere videntur; quia in eo solo vera felicitas inuenitur. Cæterum idololatra per errorem falsum sibi fingit Deum quem verum putat, & diligit, ab eoque suam expectat felicitatem. Reliqui verò peccatores, sicut verum Deum quem fide credunt, factis negant, ita factis nouum sibi fingunt Deum, dum suum vltimum finem & beatitudinem in voluptatibus, diuitiis, & vanis honoribus collocant; ventrem quasi Deum colentes, aut gloriam, vel mammonam cui inseruiunt. Propter quos asseruit Diuus Ioannes, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*, &c. *quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Entres mundi cisternas dissipatas, quas peccatores sibi fodiunt, non valentes continere aquas gratiæ, & sapientiæ salutaris, pro quibus insipienter derelinquit Deum omnis boni, totiusque felicitatis perennem fontem. Quæ quidem similes videtur esse aliis tribus, in quibus sponsa asserit se non inuenisse dilectum. Concupiscentia enim carnis, quæ circa sensuum voluptates versatur, suum quem diligit vltimum finem, in lectulo quærit. Concupiscentia verò oculorum, quæ diuitiarum est nimia cupiditas, & molesta negotiatio, quærit eum circumeundo per vicos & plateas. Superbia autem vitæ, & ambitio honorum ad vigiles ciuitatis spectat; id est, ad principes, magnates, & sapientes seculi, à quibus maximè homines cupiunt honorari.

Lib. 3. de Trinit. c. 3. & 4. D.Tho.1.2. q.5 ar.8. In hac interpretatione relatiũ *quem diligit*, refert Deum sub ratione vltimifinis.

In iis igitur tribus impossibile est inueniri Deum, nec veram beatitudinem, quin potius valdè hoc impediunt. Propter illa enim tres inuitati ad cœnam magnam, quæ beatitudinem huius & alterius vitæ repræsentat, ire renuerunt. Vnus, quia in lectulo suo propriam quærebat voluptatem, dum plus nimio suam amabat, imo deperibat vxorem. Alius quoniam ditari insatianter cupiebat; emerat enim quinque iuga boum, *Et eo*, inquit, *probare illa*: id est, egredior per varias vias in agros vt eos colam, & diteſcam. Alius denique mundanam ambiens potestatem, villam emit, & ibat iactanter videre illam, vt inter ciuitatis computaretur magnates, & rectores. Propter quod omnes isti, nec Deum verè quærunt, nec in huiusmodi bonis beatitudinem quam desiderant, inueniunt.

Lu.14.v.18.

Docuit hoc eleganter beatus Iob in illa parabola, ad quam Salomon allusisse videtur, in hoc loco sic dicens, *Sapientia vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium. Abyssus dicit, non est in me, & mare loquitur, non est mecum*, &c. *Vnde ergo sapientia venit, & quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cæli latet, perditio & mors dixerunt; auribus nostris audiuimus famam eius. Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum illius.*

Iob 28. v. 11. & 20.

Loquitur autem Iob de vera sapientia, in qua nostra sita est beatitudo, tam de sapientia increata, & æterna, quæ est ipse Deus primus totius scientiæ & sapientiæ fons, quam de creata nobis ab ipso infusa, qua eum cognoscimus, amamus, colimus, & quæ recta sunt, iuxta ipsius voluntatem peragimus. Vtraque autem adeò est pretiosa, vt nesciat homo pretium eius: quia, vt dicit Diuus Gregorius, non habet pretium, nec dignè æstimari potest. Est enim inæstimabilis, & omnibus pretiosis infinitè pretiosior; nec propriis viribus, meritis, vel industriis, aut vllis bonis temporalibus potest emi, acquiri, & inueniri. Peculiariter verò numerat quædam loca, in quibus si quæratur, non inuenietur: quæ ferè videntur coincidere cum locis à sponsa commoratis, dum cælestem sponsum, qui sapientia est æterni Patris, quæsiuit, & non inuenit.

Ita D. Gregor. lib. 18. Mor c. 22.

Non inueniri veram beatitudinem in diuitiis, voluptatibus, & honoribus iam obtentis. §. 2.

SPONSA igitur (vt rem concisius pertractemus) duplicem insinuat hominum statum circa bona ista temporalia, vel cùm suauiter fruuntur iis quæ possident, & ideò se beatos putant; vel cùm anxiè plura desiderant, vt eorum crescat beatitudo; & vtrosque dicit esse frustratos. Propter primos inquit, *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.* Et quare non inuenit? quia, vt inquit Iob, *Non inuenitur in terra suauiter viuentium*, nec à quærentibus eum in lectulo suo, quod idem est. Lectulus enim, vt alibi diximus, locus est quieti, & delitiis deputatus. Quo sensu Amos propheta regiones opulentas, in quibus Iudæi tranquillè & iucundè requiescebant, earum fruentes bonis vocat, pla-

In id Cãt. 1. v. 15. *Lectulus noster floridus.* Amos 3.v. 12.

gam, seu regionem lectuli, & grabatum Damasci. Id igitur vnicuique hominum est lectulus, in quo suam quærit requiem, & quod sibi præfigit tanquam finem & beatitudinem, in qua tanquam in suo centro quiescat. Qua ratione cupidis lectulus
Ex D.Tho. 2.2. qu. 2. per totam. sunt diuitiæ, ambitiosis honores, & dignitates, carnalibus voluptates carnis: in eo tamen nec Deum, nec veram beatitudinem inuenire possunt, quia cũcta hęc longissimè distant à vero vltimo fine, nec veram requiem, & satietatem tribuere queunt; quia cum anima æternæ sit durationis, hæc autem tempore consumantur, necesse est si illa solùm quærit, in æternum manere miseram, sicut dives ille qui noctu in lectulo suo recumbens, dicebat,
Lu.12.v.19. *Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, & epulare.* Sed mox audiuit vocem dicẽtem sibi, *Stulte, hac nocte animam tuam* B *repetunt à te, & quæ parasti cuius erunt?* manebit quidem anima tua, sed misera sine istis. Deinde, quia anima capacitatem quandam habet infinitam, quæ satiari non potest vllis rebus corporalibus, cum ipsa sit spiritualis, nec rebus limitatis & finitis, quia illis obtentis, adhuc amplius se desiderare percipiet: nec vllis rebus creatis, quia non est facta propter creaturas, sed potius creaturæ inferiores propter ipsam: ipsa verò propter Creatorem infinitè bonum & pulchrum, qui solus potest eam explere, & eius appetitus satiare; iuxta illud
Lib. 1. cõf. c. 1. „ Diui Augustini; Fecisti nos ad te, & inquietum est „ cor nostrum, donec requiescat in te. Solus enim Deus verus lectulus est, in quo anima requiesce-
Cãt. 1.v.15. re potest; ad quem sponsa dixerat, *Lectulus noster floridus*; desiderans in illo plenam & perfectam
Ps.143.v.15. habere requiem, vt superiùs perpendimus. Vnde cum Dauid de impijs asseruisset, *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt*; id est, *cui sunt promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud, oues eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis, boues eorum crassæ, filiæ eorum compositæ, circumornatæ, vt similitudo templi*, &c. Quid ipse sentiat subiiciens, ait, *Beatus populus cuius Dominus Deus eius.* Solus enim ille beatus est, & plene satiatus, cuius possessio est ipse Deus, qui hominum & Angelorum est perfecta beatitudo, requies, & lectulus ad quiescendum aptissimus.

2. Sed quid est quod cum peccatores tamvarios sibi constituant fines, & beatitudines diuersis in rebus quærant, non dixit sponsa in lectulis, sed in lectulo; nec in lectulo nostro, sicut dixerat, *Lectulus noster floridus*, sed in lectulo meo? Forte causa est, nec aspernanda; quoniam peccator, licet videatur plures sibi constituere fines, dum plures & diuersas res commutabiles, & caducas præfert bono incommutabili, & æterno; tamen reuera omnia ad seipsum refert tanquam ad finem. Non enim amat honores, diuitias, aut voluptates propter ipsasmet, sed tantùm amore concupiscentiæ propter seipsum, vt illis se lætum & felicem reddat. Quamobrem, siue hæc bona amet, siue illa, semper requiescit in lectulo suo, hoc est in iudicio suo, in sensu suo; in appetitu & voluntate sua, ac in sui ipsius
1 2.q.77.a. 4. inordinato amore. Et hac de causa egregiè Angelicus doctor affirmat amorem sui principium esse omnis peccati; quoniam peccatum (inquit) procedit ex inordinato appetitu alicuius boni temporalis: quod ideò inordinatè homo appetit, quia nimis amat seipsum, & vult sibi illud bonum. Propter quod sicut amor Dei vsque ad contemptum
Lib.14. de ciuit. Dei c.28. sui (teste Diuo Augustino) ædificat ciuitatem cælestem per opera bona, quæ aliquo modo ab illo sancto amore procedũt: ita amor sui vsque ad contemptum Dei, ædificat ciuitatem Babylonis per mala opera, quæ à tali amore progrediuntur, ideoque Apostolus sæpiùs inuehitur in amantes seipsos, & quærentes quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. 2 ad Tim. 3. v.2. Ad Phil. 2. v.21.

Iuxta hunc igitur modum Diuus Anselmus, Beda, Cassiodorus, & alij Patres interpretantur sponsæ verba, quasi lamentantes seipsam; quia *In lectulo meo per noctes*: id est in lectulo carnis, carnalisque voluptatis ac concupiscentiæ, per noctes erroris & ignorantiæ olim quærebam, *Quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni*; quia non quærebam vbi inueniendus erat. Vera enim sapientia & cognitio affectiua Dei, *Non inuenitur in terra suauiter viuentium*: id est apud eos qui ad hoc solùm vacant, vt sibi placeant, seipsos pascant, & iuxta appetitum carnis, & propriam voluntatem degant. Nam (vt inquit Diuus Gregorius) quisquis adhuc huius vitæ voluptatibus pascitur, ab æternæ sapientiæ intellectu separatur. Vnde Christus Dominus hos non beatos prædicat sicut pauperes, & lugentes, sed miseros & infelices, dicens, *Væ vobis diuitibus, quia habetis hic consolationem vestram; væ vobis qui saturati estis, quia esurietis; væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis; væ cùm benedixerint vobis homines*, &c. Quibus verbis ignorantiam eorum condemnat, qui propriam felicitatem & requiem in commemoratis bonis temporalibus collocabant. 3. Lib. 18. Mor. c. 24. Lu.6.v.20. & 24.

Minus inueniri veram felicitatem in laboriosa, & anxia inquisitione istorum bonorum. §. 3.

SED pergit sponsa narrare quid tunc vlterius fecerit; Dixi (inquit) in corde meo, & opere perfeci, *Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos & plateas* (seu in foris & in plateis) *quærens quem diligit anima mea; quæsiui illum, & non inueni*: & cur non inueni? quia quærebam vbi non erat, *Abyssus dicit non est in me, & mare loquitur, non est mecum.* Quod Iob 28.v.12. Salomon vocat vicos, fora & plateas, Iob nuncupauerat abyssum & mare. Notum autem est discrimen inter lectulum, seu cubiculum & domum cuius homo iam habet possessionem, vbi etiam aliquantulum quiescere potest, atque inter vicos, fora, & plateas ciuitatis quæ sub eius dominio non sunt, vbi quies non est, sed turbatio, & negotia plurima, multiplicia iurgia, & lites, maximè in foris, vbi iudicum solebant esse tribunalia. Peccator igitur auaritiæ vel ambitioni, aut libidini seruiens, quantascumque possideat diuitias, honores ac voluptates, in quibus se requiescere confidebat, iusto Dei iudicio, nec quietem, nec satietatem reperit, sed potius vehementiùs eorum accenditur appetitus, crescit fames, & sitis. Vt autem se satiet, quid inquit? *Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos & plateas*, quærens amplius id quod diligit anima mea. Hactenus eram quasi otiosus domi, meam in lectulo quærens requiem, fruens bonis quæ habebam, sed non sum satiatus: surgam ad maiores labores, vt maiora bonorum incrementa conquiram, circuibo terram, tendam ad Regum curias, frequentabo fora, nundinas negotiatorum, & tribunalia iudicum: nauigabo maria, pertrãsibo abyssos, & quæram aurum, lapides pretiosos, ingentes opes, & nouos honores, vt sic satietur anima mea, dum inuenit id quod diligit. Sed mentita est iniquitas sibi, & inuenire non potuit requiem quam quærebat, sicut idem Salomon testatur postquam 4.

Eccl.2.v.2. à via recta aberrauit, & resipuit, *Dixi*, inquit, *in corde meo, vadam & affluam deliciis, & fruar bonis, & vidi quod hoc quoque esset vanitas. Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, plantaui vineas, feci hortos, & pomaria*, &c. *Coaceruaui mihi argentum & aurum, & substantias regum*, &c. *Et omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur.* Sed nunquid explerus est & satiatus? nunquid inuenit requiem quam quærebat? minime. Nam statim subiicit, *Cumque me conuertissem ad vniuersa opera quæ fecerunt manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.* In omnibus inquit, negotiis, operibus, opibus, deliciis, & bonis temporalibus, pro quibus acquirendis nimium laboraueram, requiem non inueni, quia licet coaceruauerim mihi plurima, famem & sitim animi non extinguebant, imo addiderunt afflictionem & B amaritudinem, vidique cuncta illa subito euã-
Serm.25. de verb. Dom. nescere, meque frustratum fuisse. Hæc enim bona (vt inquit Diuus Augustinus) perpetuo fluunt, & antequam capiantur, fugiunt, plusque molestiæ continent quam iucunditatis, vt inductione satis
In Psal.33. Lib. 20 Mor. c. 16 probant Diuus Basilius, & Gregorius Magnus. Propter quod meritò etiam ait Iob, *Abyssus dicit, non est in me, & mare loquitur non est mecum.* Continent quidem abyssus, & mare ingentes diuitias & thesauros, margaritas, & lapides pretiosos, quos nauigantes & mercatores quærunt, vt ditesDeut. 33. v. 19. cant. Vnde & de Zabulon maritima dicitur, *Inundationes maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum.* Seu (vt Septuaginta vertunt) *Diuitiæ maris lactabunt te, & emporia maritimam habitantium.* Sed in his non inuenitur sapientia & intel- C ligentia, quæ requiem præstet, & animum beatum faciat. Sed cur Iob sicut dixit, *Non inuenitur in terra suauiter viuentium*, non etiam addidit, nec in abysso, & in mari, sed mutata phrasi inducit ipsam abyssum & mare dicentes, non esse in ipsis? Fortè quia nullus potest vniuersam abyssum, & profundum maris circuire, & quæ intra ea sunt perscrutari; & ne quis putaret ibi absconditum esse quod quærit & diligit, ipsa abyssus clamat, *non est in me*, & mare testatur, *non est mecum.* Ipsæ enim creaturæ testimonium perhibent quod non possunt satiare hominem, sed mittunt eum ad Creatorem, in quo plenam inueniat satietatem. Et propter hanc notitiam quam præbent, etiam addidit Iob, *Perditio & mors dixerũt, auribus nostris audiuimus famam eius.* D Nam licet thesauri in subterraneis locis à natura absconditi, vel in sepulchris cum corporibus mortuorum reconditi (vt olim fiebat) participent aliquid claritatis Dei, quæ in illis etiam splendet, tamen veram sapientiam non præstant: nam, *Quid*
Prou.12.v. 16. *prodest stulto habere diuitias, cum sapientiam emere non possit?* Horum ergo miserorum ignorantiam, & stultum laborem plorat sponsa, dum inquit, *Circuibo ciuitatem per vicos*, &c. *quæsiui illum, & non inueni.* Sponsa, inquit Diuus Ambrosius, rectè spon-
Lib. de Isaac & anima, c. 5. „ sum non inuenit, quia in foro quæsiuit, vbi sunt „ lites; quia in plateis, vbi sunt nundinæ rerum vænа- „ lium: non enim Christus vlla pecunia comparatur; „ rursus nequaquam ibi quæramus Christum, vbi „ inuenire non possumus; non est Christus circumfo- „ raneus. Christus enim est pax, in foro lites. Chri- „ stus iustitia est, in foro iniquitas. Christus operator „ est, in foro inane otium. Christus charitas est, in „ foro obtrectatio. Christus fides est, in foro fraus, atque perfidia. Christus in Ecclesia est, in foro « Nota. idola. Et paulò post. Fugiamus plateas; non enim « iniuria est tantummodo non inuenisse quem quæ- « ras, sed etiam plerumque vbi non oportet quæsisse, « vulnus est. Hæc Ambrosius insinuans magnam « inferre Christo iniuriam qui eum quærit in loco, vel negotio, aut officio. Quod Christi non decet sanctitatem, & modestiam. Quemadmodum iniuria afficeret nobilem, & honestum virum, qui in ganea vel histrionum conuentu eum quæreret. Sibi etiam non modicum infert vulnus, dum plura congerit peccata, & honoris ac virtutis magnam iacturam facit.

Confirmat hoc Diuus Hieronymus, dicens; „ Epist.22. ad Eu- Sponsus in plateis non potest inueniri. Arcta & „ stoc. de angusta est via quæ ducit ad vitam, atque vtinam „ custodia non inuenisse sufficeret; vulneraberis, nudaberis, „ virginit. & gemebunda narrabis, *Inuenerunt me custodes qui* „ ad med. *circumeunt ciuitatem, vulnerauerunt me*, &c. Sed de „ Cant.5.v. hoc postea. 7.

Denique quid magis stultum, quam quietem veræ felicitatis in laboriosa, & anxia circuitione constituere? qui in lectulo domi quietem non inuenit, quomodo in foris & plateis ciuitatis inueniet illam? *Circuibo in ciuitate*, inquiunt Septuaginta; id est, non solùm semel circuibo illam, sed in ipsa ciuitate semper circuibo per omnia fora, omnesque plateas. Aptè asserit regius vates, *In* Psal.11.v.8. *circuitu impij ambulant.* Nam ambulant quidem, & laborant in quærenda vera requie, in quam non introibunt, sed foris circa ipsam circumeunt, & fatigantur sine fructu ex vno vitio in aliud, & ex vna in alteram concupiscentiam prolabentes, quia nunquam satiantur, actum sæpe agunt, & nihil Psal. 107.v. proficiunt, iam per superbiam ascendunt vsque in 26. cœlum, iam per carnis illecebras descendunt vsque in abyssum; modo sublimia vident, vt super omnes se attollant; modo ad infima se dimittunt, vt quodlibet assequantur; & in hoc circuitu quærunt quod diligit anima sua, sed non inueniunt. Nam quærunt in terra quod inueniri nequit nisi in cœlo. Veluti si amens in humo splendentem stellam quæreret ex iis quæ fixæ sunt in octaua sphæra; aut sicut Diuus Augustinus deplorat, quæ- Lib.10.cõf. c. 27. runt in creaturis quod apparet de foris, relicto Creatore qui latet intus. Sero, inquit, te amaui pulchritudo tam antiqua, & tam noua, sero te amaui: ecce tu intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in ista formosa quæ feci sti, deformis irruebam.

Nec etiam inueniri apud superbos seculi sapientes. §. 4.

SED quid interim sponsæ acciderit, videamus, *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem; num quem diligit anima mea, vidistis?* At vigiles nihil illi respondere unt; fortè, quia ignorabant vbi esset vera hæc sapientia: nam, *Abscondita est*, in- Iob 28.v.21. quit Iob, *ab oculis omnium viuentium, & volucres quoque cæli latet; perditio & mors dixerunt, auribus nostris audiuimus famam eius.* Habet ciuitas huius mundi suos vigiles & custodes. Cuiusmodi erant Philosophi, & sapientes seculi, qui sublimia sibi videbantur eloqui, docere, & scribere, de vera felicitate, quam omnes deberent quærere. Sed ita hallucinati sunt (vt teste Varrone, sicut Di- Lib.19. de uus Augustinus refert) in ducentas octoginta ciuit. Dei octo sectas sunt diuisi: vnde cum vna tantùm sit 1. c.1.

veritas, vnicus dumtaxat verus vltimus finis, & vnica vera beatitudo, in totidem consequenter prolapsi sunt errores. Quid ergo mirum quod nihil respondeant, qui ita veritatem non attingunt? nec censentur non respondisse, quia nihil locuti sunt, imo sunt loquaces, & magniloqui, sed quia nihil certum ostendũt quod queri possit; & quæ verbis de felicitate prædicant, prauæ conscientiæ operibus falsa, & inania esse ostendunt, *Nam dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Veram sapientiæ & virtutis viam ignorantes; de quibus dicitur, *Abscondita est ab oculis omnium viuentium*, eorum scilicet, qui sunt terreni, & mundani, & huic seculo viuunt, & non Deo, sicut scriptum est, *Confiteor tibi Pater Domini cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, volucres quoque cæli latet;* nimirum superbos philosophos, & sapientes qui ad astra vsque se attollunt, & discursibus suis cælestia attingere præsumunt, *Perditio autem & mors dixerunt, auribus nostris audiuimus famam eius.* Quoniam animæ huiusmodi philosophorum & sapientum qui propter sua peccata in inferno detruduntur, coguntur testari non habuisse veram sapientiam, & virtutem, nec veræ felicitatis cognitionem, sed tantùm vmbram illius; & quandam famam inanem quæ nihil illis modo prodest, sicut dixisse damnatos refert Sapiens, *Errauimus*, inquiunt, *à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus, quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam vmbra*, &c. Vtinam cogitatione descenderemus in infernum, illamque circuiremus abyssum caliginosam, & interrogaremus eos qui in hac vita erant vigiles, & custodes, sed nescierunt vigilare, nec custodire seipsos, an viderint Deum quem diligit anima nostra; tunc enim etsi coacti testimonium verum reddent suas sectas & sententias fuisse falsas, nec veritatis lumen percepisse. At qui modo interrogant eos qui adhuc in seculo superbè degunt, tanquam cæci cæcos sequentes, omnes in foueam cadent, grauissimaque inde damna percipient.

2. Vnde ipsis applicare licet quod inferiùs dixit sponsa, *Inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Non inquit inueni eos, sed ipsi inuenerunt me, & vltro occurrerunt mihi, quasi quærentes me, quoniam huiusmodi elati & superbi magistri sectas suas iactant, opiniones suas diuulgant, discipulos quærunt, & vt eos sectentur inuitant; sed dum illos suas doctrinas docent, non sanant conscientiam eorum, sed potius percutiunt, & vulnerant; & si quid molestiæ, virtutis, ac pudicitiæ à natura insitum habent, id tollunt, & diripiunt, dum in plura vitia eos præcipites abire sinunt. Quapropter ab iis falsis magistris longè fugiendum est; nam, *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea; & qui communicauerit superbo, induet superbiam.* A fructibus autem eorum dignoscemus eos. Similes enim illis sunt de quibus Diuus Paulus ad Timotheum inquit, *Hoc autem scito quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei.* Sed quoniam cuncta hæc occultari satagunt, vt pluris æstimentur, & qui in occulto sunt pessimi, in publico apparent optimi, subiicit Apostolus, *Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, & hos deuita. Ex his enim sunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.* En proprietates eorum qui se veritatis magistros iactant, & domos penetrant, mulierculis, ac simplicibus hominibus occurrunt, eosque in suam sententiam pertrahere curant, sed cauendi sunt tanquam pestis, quia sermo eorum vt cancer serpit, inficit, & occidit.

Per contemptum temporalium peruenire ad inueniendum Deum & veram felicitatem. §. 5.

1. CONFVGIENDVM ergo est ad sponsum ipsum, & veritatis magistrum Christum Deum verum, qui nouit locum vbi inuenitur vera sapientia, quæ ipse est, & viam quærendi illam; imo ipse *Est via veritatis & vita*, & nihil antiquius habuit quam sapientiam mundi confundere, & sapientum errores maximè circa veram beatitudinem detegere, & confutare, tum verbis, tum miris exemplis. Vnde sermonem illum insignem, in quo suam legem Euangelicam promulgauit, sic exorsus est, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent*, &c. Vbi vtramque beatitudinem verissimè & locupletissimè tradit, & quæ in hac vita possideri potest, & quæ expectatur in futura. Illam in virtutibus collocat, & in contemptu eorum, quæ mundus felicitatem æstimabat, nempè in paupertate spiritus, mansuetudine, luctu, esurie, & siti iustitiæ, misericordia, pace, cordis munditia, ac in persecutionibus propter iustitiam patienter toleratis. Hanc verò in adeptione regni cœlorum, in possessione terræ viuentium, in summa consolatione & saturitate, in visione Dei & hæreditate filiorum eius capessenda. Quid hæc cum lectulis mundi? quid cum diuitiis, voluptatibus, & honoribus? quid cum vicis & platearum tumultibus? quid cum doctrina vigilum semper circa veritatem dormitantium? Rectè ergo concludit Iob de sapientia, *Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum illius, & dixit homini: ecce timor Domini, ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* Nihil enim sapientius, nihil felicius, quam Deum timere, Deum colere, & reuereri, recedere à malo, sequi bonum, & Deo ipsi per verum & castum amorem inhærere.

Et hoc est quod ait sponsa, *Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem dilgit anima mea.* Postquam reliqui, spreui, & contẽpsi lectulũ, vicos, & plateas, & quidquid in illis repereram, tanquam nihilum esse duxi, & ipsa eorum vanitate mente percepta, & quasi experientia ipsa conuicta. Postquam item pertransij vigiles ciuitatis, eorumque imprudentiam & insipientiam agnoui, qui nec verbum veritatis certum mihi potuerunt respondere; tunc inueni sponsum meum, Deum verum, veramque sapientiam agnoui, & illi adhærere curaui, *Tenui eum, nec dimittam*; sed semper mecum, & intra

Ad Rom. 1. v.22.

Matt. 11. v. 25.

2. ad Tim. 2. v. 17.

Iob 28. v. 20.

Ioa. 14. v. 6.

Sap. 5. v. 6.

Mat. 5. v. 3.

Cãt. 5. v. 7.

Verſ. 28.

D. Hieron. iam citatus.

2.

Eccl. 13. v. 1.

2. ad Tim. 3. v. 2.

intra me retinebo. Sed cur tunc inuenit? nunquid ex meritis præcedentis inquisitionis, quæ facta est ex animo inquirendi verum bonum; licet erauerit circa illud; absit. Non enim inuenit nisi quia ipse sponsus ex pura misericordia, & gratia inueniri noluit ab ea quæ non rectè illum quærebat; iuxta illud Isaiæ iam citatum, *Inuentus sum à non quærentibus me.* Decreuit enim animam ita aberrantem circa veram sapientiam, & beatitudinem inquirendam per huiusmodi ambages, & circuitiones ad se trahere, atq; ita eius vocationem efficacem disponere: sicut enim apud Oseam inquit, *Sequetur amatores suos, & non apprehendet eos; & quæret eos, & non inueniet; & dicet, vadam, & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc.* Ita etiam permisit animam quærere beatitudinem, quam diligebat in lectulo, vicis, & plateis, seu in diuitiis, delitiis, & honoribus, & apud sapientes, & magnates seculi, vt experimento comperiens in his non reperisse optatam felicitatem, & requiem, relinqueret ea omnia, & reuerteretur ad Deum sponsum eius, in quo est vera felicitas, quies, & sapientia, quem tanto fortius teneret, quanto minus in aliis potuit saturari.

3. Sed quomodo inquit, *Paululum cùm pertransissem eos*; cum longissimè ab illis fugiendum esse dixerimus? Sed dictio paululum non denotat distantiam per dissimilitudinem morum; nam hæc est immensa, *Et sicut exaltatur cœlum à terra, sic exaltatæ sunt cogitationes meæ à cogitationibus vestris, & viæ meæ à viis vestris, dicit Dominus.* Sed tantùm indicat moram temporis, ea enim est Dei benignitas, vt quamuis peccator sicut filius prodigus, abierit in regionem longinquam, & longissimè à Deo recesserit, in parua tamen temporis mora eum ad se trahat, & venientem recipiat, vt bonum quod amiserat, in ictu oculi quærat, inueniat, & obtineat; sicut scriptum est, *Nunquid voluntates meæ est mors impij, dicit Dominus Deus; & non magis vt conuertatur à viis suis, & viuat?* In quacumque autem hora ingemuerit, & se conuerterit, non morietur, sed viuet; & tandem consequetur retributionem gloriæ in secula seculorum. Amen.

Isa. 65. v. 1. Ad Ro. 10. v. 20.

Oseæ 2. v. 7

3. Isa. 55. v. 9.

Lu. 15. v. 2.

Ezec. 18. v. 23.

EXHORTATIO III.

De iis qui Deum non inueniunt, quia pigrè quærunt, fugiendo labores, vel per immoderatas occupationes; & de medio seruando in illis.

PRO DO. SEPTVAGESIMÆ. *De operariis otiosis, vel laborantibus in vinea.*

In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, &c.

ALIAS perscrutemur causas, ob quas quærentes Deum secundùm dona gratiæ, vel eorum incrementum, aut perfectionem, illum non inueniant; ex eo nimirum quod medium in quo virtus consistit, non attingunt; sed per vitiosa dilabuntur extrema: quæ etiam his sponsæ verbis insinuantur, si in malum vsurpentur. Quærere enim dilectum vel iacendo in lectulo suo, vel circumeundo ciuitatem per vicos, fora, & plateas, ex-

Tom. II. B

trema videntur opposita: illud otium, hoc nimis anxium laborem designat; in neutro Deus inuenitur; nam virtus & inquisitio Dei medium appetit.

Hominem natum esse ad studiosè laborandum & operandum. §. 1.

AD cuius intelligentiam obseruandum est hominem, ex eo quod creatus est ad Deum quærendum, natum etiam esse ad laborandum, & operandum secundùm rationem, quia hoc vnicum medium est ad inueniendum illum, vt in prima Exhortatione dicere cœpimus. Quod in libro Iob testatur Eliphaz, dicens, *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum.* Hoc autem non de fine, sed de medio ad consequendum finem intelligendum est; adeoque est certum, vt in felici statu innocentiæ de Adam scriptum sit, *Posuit eum* (Dominus) *in paradiso voluptatis vt operaretur, & custodiret illum.* Quod sic explicat Diuus Chrysostomus; Cùm homines omnibus delitiis potirentur ibi vitam agentes, tam oblectamentis eorum quæ videbant, quam lætitia eorum quibus fruebantur, ne immodica prosperitate homo insolesceret. (Omnem enim malitiam docuit otium) propterea præcepit Deus vt operaretur illum, & custodiret. Si enim laboris omnis esset expers, protinus ex multo otio in ignauiam prolapsus esset, &c. Prius autem ait, vt operaretur; deinde addit, & custodiret paradisum; ad significandum (vt notat Diuus Augustinus) quod benè operando custodiret illum sibi, sic enim nihil amitteret; quare inde mereretur expelli? Post peccatum verò multo magis homo nascitur ad laborem, cui dictum est, *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, & in sudore vultus tui vescêris pane tuo.* Hanc autem conditionem omnes filij eius hæreditario iure sortimur, vt meritò dicere possimus illud Zachariæ, *Homo agricola ego sum; quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea*: id est, homo sum natus ad laborandum, sequens exemplum Adam, qui laborando vescebatur pane suo. Septuaginta pro *Exemplo*, vertunt, quia *Homo genuit me*, vt sensus sit, quia sum filius Adæ, sortitus sum conditionem ipsius qui me genuit; nam filij solent parentum obire munera.

In §. 4. Iob 5. v. 7.

1. Ratio.

Gen. 2. v. 15.

" Ho. 14. in Gen.

" Eccl. 33. " v. 29.

Lib. 8. de Gen. ad lit. c 8. 2. Ratio.

Gen. 3. v. 17

Zach. 13. v. 5

3. Ratio.

Explicat autem hoc amplius sequens sententia, *Et auis ad volatum*, quod bifariam potest intelligi. Primò quasi per dissimilitudinem, discrimen assignando inter homines & aues; quod istę non serũt, neque metunt, neq; congregãt in horrea, sed Deus pascit illas ex agricolarum alieno labore; soloque volatu, qui illis suauis est, victum inueniunt. Non sic autem homo, qui natus est vt multo labore illum quærat, & vitam seruet. Alioqui fieret superbus, elatus, ad labores piger, atque alienorum appetitor & raptor, vel vt auis, aut velut diabolus. Nomen enim Hebræum, quod vice auis ponitur, est *Reseph*; quo etiam Scriptura vtitur ad significandum diabolum ob eius nimiam celeritatem, sicut in Euangelio volucres cœli, quæ alienum semen in terram iactum rapiunt, dicuntur dæmones, qui hominibus insidiantur, & verbum Dei rapiunt ex corde eorum, ne salui fiant. Vnde quidam vertunt, *Filij dæmonum eleuabunt volatum*, vt sensus sit, homo quidem natus est ad laborem, impij verò

Mat 6. v. 26

Lu. 8. v. 5. & 13.

filij dæmonum volare nituntur per superbiam, & diuitiarum cupiditatem, è rapto viuere cupientes.

4. Ratio. Aut fortè hoc dictum est ad stimulandum hominem vt laboret; nam auis, id est diabolus inuolitat super illum, vt in eum insiliat, deuoret, & labores eius dissipet; ideoque vigilantior debet esse ad laborandum, ne eum otiosum & segnem diabolus inueniat. Quod Diui Chrysostomi interpretatio confirmat lectionem Vulgatæ, sequens ex eo quod volucres nascuntur ad volandum, quoniam volatu sibi consulunt, & vincunt laqueorum, vitæque
Prou. 1. v. 17. discrimina, sicut Salomon ait, *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Homo autem non ita facile, sed magno labore se tueri debet, & tentationes ac certamina vincere, ideoque ad laborem natum esse constat. Alter sensus est per modum similitu-
5. Ratio. Lib. 6. Mo. c. 7. dinis, sicut Diuus Gregorius insinuat, vt, sicut auis naturali voluptate se volatui committit; ita homo alacriter quasi ex natiua inclinatione sese B dedat laboribus, & volet ad benè operandum. Hoc enim maximè gratum est Christo Domino,
Ad Titum 1. v. 14. qui (vt inquit Apostolus) *Dedit semetipsum, vt mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Vide, inquit Diuus Chrysostomus,
Ho. 5. in epist. ad Titum. vt non simpliciter à nobis opera virtutis exigantur; addidit nempe *sectatorem*; hoc est, magna cum alacritate, atque ingenti studio, & animo virtutis opera capessentem. Qua in re vehementia quædam adsit necesse est omnino laudabilis. Et quales labores, & qualia opera exigat à nobis Deus, vt quæramus illum; nimirum quæ non fiant ex tristitia,
Prou. 18. v. 9. & ex necessitate, non cum tædio & pigritia; nam iuxta Salomonis sententiam, *Qui mollis est, & dissolutus in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* Hilares autem, strenuos, veloces, & feruentes operatores diligit Deus, qui alacriter & strenue quærendus est, sicut in psalmis dicitur, *Exultent, &*
Ps 39. v. 17. *lætentur super te omnes quærentes te.* Et iterum. *Lætetur cor quærentium Dominum, quærite Dominum, &*
Ps 104 v. 4 *confirmamini; quærite faciem eius semper.* Dum ait, *confirmamini*, robur indicat & fortitudinem ad pellendam pigritiam & pusillanimitatem, dum inquit semper, iugem petit durationem ad remouendum inconstantiam, & inanem interruptionem. Cùm autem quærendam dicit Dei faciem, insinuat diuinam præsentiam, vt nostra opera in conspectu Dei, & ipso intuente operemur. Hoc enim magnum excitat spiritus feruorem. Bis autem dicit quærite Dominum, & quærite faciem; quoniam quærendus est per opera duplicis vitæ, actiuæ & contemplatiuæ, vt mox dicemus. Ad vtriusque autem vitæ labores & opera homines nati sunt, etsi non eodem modo; nam quidam quasi nati videntur ad contemplationem, ad quam, teLib. 6. Mo. c. 17. ste Diuo Gregorio, naturalem habent aptitudinem & propensionem. Alij potius nati videntur
Eccl. 38. v. 26. ad labores actiuæ vitæ, ad cætera inepti; sicut Ecclesiasticus ait fabros ferrarios, & alios eiusmodi artifices ineptos esse ad sapientiam; sunt tamen apti, & naturaliter propensi ad opera externa. Vnusquisque autem Deum quærere debet per ea opera ad quæ videtur natus, aut ex Dei gratia renatus.

6. Etenim gratia naturam perficit; & sicut homo nascitur ad laborem, ita renascitur per baptismum, vt amplius & perfectius laboret secundùm propensionem quam impartitur gratia, & virtus infusa à Deo, qui speciali vocatione singulos crebrò excitat, & impellit ad labores, & opera ipsis magis expedientia; propter quod comparatur homini qui eodem die à primo manè vsque ad vesperam quinquies exiit cõducere operarios in vineam suam; & quos inuenit otiosos, acriter increpauit, tanquam reos à propria natura & statu degenerantes: nam à primo mane rationis eluescentis vsque ad vesperam mortis operarij esse, & laborare tenebantur, siquidem propter hoc nati & regenerati erant.

Mat 20. v. 3 *Quid hic statis tota die otiosi?*

Deum non inueniri ab iis qui ex pigritia labores fugiunt, & otium sectantur. §. 2.

EX his deducenda sunt extrema vitiosa, & alia impedimenta inueniendi Deum, quæ in prædictis sponsæ verbis insinuantur. Quidam enim etsi videantur Deum diligere, virtutes desiderare, & quærere; non tamen plenè inueniunt, quia *in lectulo suo* tantùm quærunt; id est pigrè & desidiosè, nimium sibi indulgentes, propriam inordinatè amantes tranquillitatem & delectationem; propter quam præcipuè virtutes quærunt magis quam propter seipsas; vnde cessante dilectione, vel temporali commodo, statim pigrescunt, labores fugiunt, horrent tribulationes, difficultates operum bonorum plus nimio timent, & otium sectantur. Quorum mores sic depingit Salomon, *Dicit* Prou. 26. v. 13. *piger, leo est in via, & leæna in itineribus; sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* Piger quidem in lectulo instar ostij in cardine, quiescit, & non quiescit: quiescit quidem, quatenus à lectulo non resurgit, nec recedit: non quiescit autem, quatenus intra illum huc illucque se mouet & agitat: sed cur se mouet? quia propriam requiem quærit. Nam cum aliquandiu iacuit super latus dextrum, & lassus est, vertitur in sinistrum, vt melius quiescat. Cum lassatur iacens in sinistro, iterum voluitur ad dextrum, variasque figuras ac situs corporis in lectulo quærit, vt leuamen aliquod inueniat. Quare autem non surgit è lectulo? quia labores fugit, si foras ad opus egrediatur; dicit enim, leo est in via, & sæuior leæna in itineribus: sed quid inde? *Dicit piger, leo est foris, in me-* Prou. 22. v. 13. *dio platearum occidendus sum.* Nolo exire vt quæram Deum per vicos & plateas, quia in illis versantur leones à quibus interficiar, & deuorer; sunt ingentia pericula, & magni labores ac difficultates quas ferre non potero. Sed non attendit miser nullam esse sæuiorem leænam quam pigritiam, quæ etiam in suo lectulo eum dilacerat; nam, *De-* Prou. 21. v. 25. D *sideria occidunt pigrum*; id est vexant, torquent, & cruciant, vt quasi mori videatur, & amariorem Prou. 13. v. 4. morte vitam ducat; nam, *Vult, & non vult piger*: vult virtutem, sed non vult sui abnegationem; vult quietem, sed non vult laborem, qui medium est ad illam: & quia huiusmodi voluntates, & desideria inter se pugnant, cor vexant, & amplius postea vexabunt, *Quia seruus sciens voluntatem Domini,* Lu. 12. v. 47. *& non faciens, vapulabit multis.*

Propter quod Diuus Bernardus meritò contra 2. tepidos inuehens, inquit. Exurgamus, obsecro, « Ser. 6. de quicumque eiusmodi sumus; resarciamus ani- « ascef etiã mas, spiritum recolligamus, abiicientes perni- « in ser. 3. ciosam tepiditatem, & si non quia periculosa « aliqua an est, & Deo solet (vt interdum miserabiliter plan- « idẽ do- gimus) etiam vomitum prouocare: certè quia « cet. molestissima, plena miseriæ & doloris, & in- « Apoc 3. ferno planè proxima, vmbra mortis iure cense- « v. 16. tur. Sed vnde hoc malum? quia pigri huiusmodi quærunt Deum, sed in lectulo suo: appetunt diuinas consolationes, sed vellent retinere ter-

renas; desiderant gustare diuinam dulcedinem, A sed horrent carnis mortificationem; cupiuntque in lectulo suarum carnalium voluptatum cœlestes inuenire delitias; quærent tamen, sed
Vbi supra. non inuenient. Quoniam præoccupatum (inquit
" idem Diuus Bernardus) secularibus desideriis
" animum, delectatio sancta declinat; nec misce-
" ri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritua-
" lia corporalibus, summa imis, vt pariter sapias
" quæ sursum sunt, & quæ super terram. Et rur-
" sus. Quod isti amant in carne sua terrenas conso-
" latiunculas, siue in verbo, siue in signo, siue in
" facto, siue in aliquo alio; & inde fit non posse im-
" pleri diuinis visitationibus, quia istæ illis nun-
" quam misceri possunt: neque enim spiritus & ca-
" ro, ignis & tepiditas in vno domicilio commoran-
" tur; præsertim cum tepiditas ipsi Domino soleat
" vomitum prouocare. Hęc carptim ex D. Bernardo.

3. Vis autem typum videre pigri, Deum in lectulo suo quærentis, & desiderantis sanitatem, sed sine labore vllo? Respice Naaman leprosum qui exiit è Syria salutem quærere, & magno cum apparatu venit in Samariam ad Elisæum Prophe-
4 Reg. 5. v. 11. tam; qui misit ei nuncium, dicens, *Vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* At quid ille iratus recedebat, dicens, *Putabam quod egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum leprę, & curaret me.* En quomodo vult & non vult piger: volebat Naaman curari à lepra, & non volebat lauari in Iordane: quærebat salutem, sed sine proprio labore. Cupiebat munditiem per hoc quod manus prophetæ tangeret illum, sed refugiebat nudare corpus, & tangere aquas fluminis; & qui tam longum iter perC egerat ex Syria in Samariam salutem quærens, pigrescit ire à domo prophetæ in Iordanem, quia illud fecerat propria voluntate, hoc aliena; nam piger vult & non vult; vult quod sibi placet, & est iucundum; non vult quod alij iubent, si est laboriosum. Si autem Naaman in hac voluntate permaneret, salutem quam quærebat, non inueniret. Inuenit autem quia reiecta pigritia, vadit ad Iordanem, septies se lauit, & mundatus est. Attende igitur verba sponsæ, dicentis, *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.* Si quem quæris, sponsus cœlestis est, quomodo eum in lectulo tuo quæris, & non potius in lectulo ipsius? Lectulus tuus dum teipsum recipit, sponsum cælestem non capit; nam vacuum quærit lectulum à teipso, à tuisque voluptatibus & commoditatibus propriis, vt eum possit
Isa. 28. v. 20 recipere: nam (vt inquit Isaias) *Coangustatum* D *est stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest*: id est, lectulus cordis angustus est, nec duos capit, aut patitur amatores. Si amor tui ipsius illum occupat, non manebit ibi amor Dei, non benè in eundem lectum, in eandemque domum conueniunt virtus & otium, delectatio diuina, & carnalis, quæsitio Dei & fuga labo-
1. Cor. 10. v. 20. ris. *Non potestis*, inquit Paulus, *calicem Domini bibere, & calicem demoniorum*: &, *quæ societas luci ad*
2. Cor 6. v. 14. *tenebras? aut quæ conuentio Christi ad Belial?*

Rursus ad quid lectulus pigro, nisi ad dormiendum? nam, teste Salomone, *Pigredo immittit sopo-*
Prou. 19. v. 15. *rem.* Sopore autem oppressus quomodo quæret
Prou. 8. v. 17. Christum, qui semper est vigil, vigilareque monet, & solùm qui vigilant inueniunt illum? *Qui mane* (inquit) *vigilant ad me, inuenient me.* Hæc igitur omnia considerans, dicito cum sponsa dum dilectum non inuenit in lectulo: *surgam*, à lecto in quo iaceo; surgam à somno pigritiæ; surgam ad labo- Ps. 100. v. 2. rem, & omnem diligentiam adhibebo, vt dilectum quæram; non timebo leones in via, quoniam sol iustitiæ fugabit eos, vt securus egrediar ad opus meum, sicut scriptum est de catulis leonum, *Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus collocabuntur; exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.*

Immoderatas occupationes externas esse etiam fugiendas. §. 3.

SED multoties homo dum vnum extremum fugit, in aliud prolabitur, nec ad medium in quo est virtus, pertingit, vnde ait, *Circuibo ciuitatem per vicos & plateas, quærens quem diligit anima mea,* B *quæsiui illum, & non inueni.* Sed nunquid non sufficeret per vnum vicũ, & plateam quærere? Vt quid omnes vicos, omnesque circuit plateas? Septuaginta versio, vt iam vidimus, hoc amplificat, *Circuibo in ciuitate, in foris, & plateis*; quia non semel, sed pluries circuibat per ciuitatem, & in ipsis foris, & plateis plures faciebat circuitiones. Per hæc autem 1. circunscribitur nimia negotiorum, & occupationum externarum multitudo, immoderataque appetentia versandi in illis. Nam sicut quidam inclinantur ad pigritiam, & otium; ita alij ad plurima peragenda negotia, pluresque assumunt occupationes, quæ non tantùm sunt prophanæ, sed etiam honestæ, ecclesiasticæ, & religiosæ; si tamen sunt plures quàm par est, & vltra vires, immoderataque auiditate assumptæ, animum turbant, cor multis pungunt curis, mentem variis dilacerãt distractionibus, spiritum deuotionis extinguunt, & hominem ineptum reddũt, vt in illis Deum queat C inuenire: ad modum quo cibus, & potus immode- *Simile.* ratus nimiaque auiditate deglutitus, stomachum grauat, calorem natiuum suffocat, generat morbos, & saluti valdè nocet, qui tamẽ moderatè sumptus valdè prodesset. Vnde sicut huiusmodi epulones non Deo seruiunt, sed ventri; nec salutem per cibos quærunt, sed delectationem; ideoque eorum comestio non ex virtute temperantię, sed ex vitio gulæ procedit: ita etiam qui plus nimio externis negotiis inordinatè vacat: & si pia videantur, in eis non Deum quærit, sed seipsum, nec veram inquirit pietatem, sed proprium commodum. Vnde immoderata illa occupatio non progreditur ex affectu virtutis qua parte immoderata est, sed ex ambitione vel cupiditate, aut sui ipsius amore. Ideoq; meritò reprehensibilis est, sicut Dominus Martham Lu. 10. v. 41. increpauit, dicens, *Martha, Martha solicita es, &* turbaris erga plurima. Anxia quippe solicitudo, & turbatio etiam erga vnum, mala est, sed circa plurima, pessima: nam quot sunt occupationes inordinatè assumptæ, tot sunt turbationis ac distractionis incentiua, diuidentia cor in varias curas & affectiones: scriptum est autem, *Diuisum est cor eorum,* Osee 10. v. *nunc interibunt.* Vnde Christus Dominus ciborum 2. similitudine iam adducta vtens, ait, *Attendite* Lu. 21. v. 34. *ne grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa; tanquam laqueus enim superueniet in omnes qui habitant super faciem omnis terræ.* A laqueo autem difficilius se extricant qui nimium grauati sunt, quam qui sunt agiles, & expediti: sicut autem crapula & ebrietas grauant corpus & animam, ita nimiæ curæ & solicitudines huius vitæ quæcumque sint, si inordinatè assumantur, grauant mentem, & ad iram

venturæ diei effugiendam torpentem reddunt.

2\. In past. p. 1. c. 5. & p. 2. c. 7.

Vnde D. Gregorius hoc confirmans ait huiusmodi nimietatem non solùm spiritum obruere, & virtutes euacuare, sed etiam ipsis actionibus obesse; Nam impar (inquit) quisque inuenitur ad singula, dum confusa mente diuiditur in multa. Vnde quidam Sapiens prouidè admonet, dicens, *Fili, ne in multis sint actus tui*; quia videlicet nequaquam plenè in vniuscuiusque operis ratione colligitur, dum mens per diuersa sparsa partitur; cumque foras per insolentem curam trahitur, timoris intimi soliditate vacuatur. Fitque in exteriorum dispositione solicita, & sui solummodo ignara, scit cogitare multa se nesciens. Hæc autem amplius nocent, cum terrena sunt negotia quæ aguntur, & statum interioris hominis valdè peruertunt. In cuius probationem idem sanctus adducit illud Ieremiæ, *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum?* Aurum, ait, obscuratur, cum terrenis actibus sanctitatis vita polluitur: color optimus commutatur, cum quorumdam, qui degere religiosè credebantur, æstimatio ante acta minuitur; sanctuarij quoque lapides in plateas disperguntur, cum causarum secularium foras lata itinera expetunt, hi qui internis mysteriis quasi in secretis sanctuarij vacare debuerunt. Et paulò post. Et notandum quod non hos dispersos in plateis, sed in capite platearum dicit, quia & cum terrena agunt, summi videri appetunt, vt lata itinera teneant ex voluptate delectationis, & tamen in platearum sint capite ex honore sanctitatis.

p. 2. past. c. 7. Thren. 4. v. 1.

3\. Hoc ipsum est quod istorum nomine sponsa inquit, *Circuiui in foris & plateis quærens quem dilexit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.* Quare non inuenit? quia cor ipsius dispersum est in foris, & in capite omnium platearum, & per tot, tam variaque negotia Deum sibi quærendum putat, vt prorsus non inueniat, sed potius ipsa multitudo cor eius induret, & ineptum ad colloquendum familiariter cum sponso reddat. Vnde Diuus Bernardus Eugenium Papam multis negotiis implicatum alloquens, dicit se vereri ne huiusmodi occupationes, quoniam multæ sunt, deducant eum ad cor durum, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Et post multa quæ de duro corde subiunxit, ait; En quò trahere te habent hæ occupationes maledictæ, si tamen pergis, vt cœpisti dare te totum illis, nihil tui tibi relinquens: perdis tempus, & si licet nunc alterum me tibi exhibere Iethro, tu quoque in iis stulto labore consumeris, quæ non sunt nisi afflictio spiritus, euisceratio mentis, euacuatio gratiæ. Subscribit Diuus Bonauentura, dicens; Sicut humores noxij affluunt vbi fuerit in corpore læsio, nisi cautè remoueantur, ne fiat ibi tumor, aut vlcus; ita & negotia crescunt ad extinctionem spiritus qui se his acquieuerit occupari.

Lib. 1. de consid. fere à princip. — Exodi 18. v. 18. — Opusc. de sex alis Seraphim c. 7. §. tertius ordo.

4\. Non negamus homini ad laborem nato licitam esse, & conuenientem moderatam occupationem, sicut & moderatum cibum, sed reprobamus in corde natam appetentiam per plurimas vagandi occupationes, & nimiam earum multitudinem, quæ in mediocritatem reducenda est, vt sponsum, sapientiam Dei Patris inueniamus; iuxta illud Ecclesiastici, *Sapientia scribæ in tempore vacuitatis; & qui minoratur actu percipiet sapientiam*: id est, sapientia inest scribis, & doctoribus, inuenitur que ab illis, cum ab externis occupationibus se expediunt; & qui illas reducit, ad conuenientem mediocritatem, inueniet hanc sapientiam, quæ inueniri nequit in turbatione & tempestate multorum negotiorum. Vnde cum Iob interrogasset, *Sapientia vbi inuenitur?* respondit, vt supra vidimus, *Mare loquitur, non est mecum.* Quod Diuus Gregorius moralizat, intelligens per mare vitam secularium, quæ dum procellosis actionum motibus concitatur, ab internæ sapientiæ quiete, atque stabilitate disiungitur. Quo contra benè per Prophetam dicitur, *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos?* A terrenis autem mentibus, tanto longius spiritus fugit, quanto apud has quietem non inuenit. Subdit tamen sanctos viros externis occupationibus ita moderatè incumbere, vt tamen interius pacem retineant, & ad sapientiam percipiendam se disponant. Nam dum occupationes (inquit) exterius perstrepunt, intrinsecus in amore pacatissima quies tenetur, atque occupationum tumultus exterius perstrepentis, interius possidens iudex ratio, & tranquillo moderamine ea quæ circa se minus sunt tranquilla, disponit.

Eccl 38. v. 25. — Iob 28. v. 13 — Lib. 18. Mo. c. 15. — Isa. 66. v. 2. iuxta Sept.

Hoc amplius alibi confirmat discrimen inter carnales & spirituales assignans, ex eo quod in lege, pisces, qui pennulas non habent, reputabantur immundi, continuò enim intra aquas natant, & demersi sunt: mundi autem, qui pennulas habent, quia super aquas saltus dare consueuerunt; ita carnales immundi habentur apud Deum, quoniam intra mare latum, & spatiosum huius seculi, curis, & occupationibus terrenis immersi iugiter vagantur, nec ad altiora spiritus se eleuant, vt Deo vacent. Electi autem (inquit) in eo quod in imis deseruiunt, aliquando ad superiora conscendere mentis saltibus sciunt, ne semper in profundis curarum lateant, & nulla eos amoris summi, quasi liberi aëris aura contingat. Qui ergo rebus temporalibus occupantur, tunc benè exteriora disponunt, cum solicitè ad interiora refugiunt, cum nequaquam foris perturbationum strepitus diligunt, sed apud semetipsos intus in tranquillitatis sinu requiescunt. Hæc Diuus Gregorius. Quæ si obseruaueris, medium rationis in quo virtus consistit, attinges, vt nec semper sis in lectulo otiosus studioso labori repugnans; nec etiam plus nimio per varios vicos, multiplicesque occupationum plateas sine moderamine vageris; sed actionibus tum internis, tum externis moderatè dispositis dilectum quæras, ita vt inuenias.

Lib. 5. Mo. c. 8. Leuit. 11. v. 9. — Idem optimè docet in 2. p. pastoral. c. 7.

5\. Et hoc est quod sponsa ait, postquam vigiles in platea obuios habuit, & cum eis colloquium miscuit, *Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea*: id est relicto lectuli otio, & anxia circuitione per plateas, neglectaque confabulatione cum hominibus, qualis in foris, & nundinis esse solet de iis quæ vnusquisque diligit, & anxiè curat; cum hæc omnia pertransirem, inueni quem diligit anima mea; inueni veram pacem, veram tráquillitatem, verum gaudium, veram virtutem, & Dominum virtutum dilectum meum, *Quia factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* Vnde Psalmista describens proprietates iustorum, de quibus inquit, *Hæc est generatio quærentium eum; quærentium faciem Dei Iacob*, præmisit, *Quis ascendit in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam*, &c. Ac si dicat; Ille verè quærit Deum, & in eius cælestem montem ascẽdet, qui non accepit frustra animam suam, viuens otiosè, nihil agens in finem propter quem creatus est; nec abutitur illa, rebus vilibus, & terrenis ea tantùm addicens, sed potius omnes suas potentias applicat in Dei obsequium & cultum, propter quem ab ipso Deo animam accepit; cui mundo corde & affectu, atque manibus, id est operibus innoxiis & sanctis seruire contẽdit. Alia lectio ex Hebręo habet, *Qui non accepit in vano animam eius, vel animam meam*, vt sit vox Dei respondentis ad interrogationem præcedẽtem, *Quis ascendet in montem Domini?* ille nimirum, qui non accipit animam Dei ad vanè iurandum per illam, vel qui animam, quæ magis est Dei, qui ad imaginem suam fecit illam, quam hominis qui possidet eam, non accipit frustra & inaniter, sed ea vtitur, prout vti decet re quæ verè est Dei, & propter se fecit illam. Quo modo hortatur Paulus, *Ne in vacuum gratiam Dei recipiamus*: id est, ne facultas benè operandi, quam per gratiam habemus, sit in nobis frustra, & sine fructu. Tunc autem non erit frustra, si vtamur ea ad quærendum Deum, ita ut inueniamus & ascendamus in montem sanctum eius, vbi eo fruamur in secula seculorum. Amen. Hæc dicta sufficiant, vsurpando in malum nomina quę habentur in priori parte huius sententiæ; iam ad nostram interpretationem reuertamur, vsurpantes ea in bonum.

Psal. 75. v. 3. — Psal. 23. v. 3. — Refert Iansenius ibi. — 2. Cor. 6. v. 1.

EXHORTATIO IV.

Pro Do. 12. & 7. post Pentec. De præcepto dilectionis.

De vehementi propensione charitatis ad quærendum Deum sibi & proximis, insatiabiliter, & constanter, atque ad retinendum secum illum in perpetuum.

In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, &c.

Psal. 4. v. 7. — In Exhort. 2.

ETsi homo naturali sit lumine pręditus ad Deum, & bonum virtutis cognoscendum, naturalemq; habeat propensionem ad eum amandum eo modo quo suprà explicatũ est; tamen sicut naturę lumen, quia tenue est, paucaque de Deo vltimo fine, & de modo quærendi illum nobis ostendit, iuuamine indiguit diuinæ reuelationis & fidei, quæ plurima de Dei maiestate ac virtutibus certo manifestat: sic etiam quoniam naturalis inclinatio voluntatis in Deum, maximè post lapsum Adæ, est valde debilis, roboratur & perficitur ab ipso Deo per infusionem alterius supernaturalis & diuinæ, quæ charitas nũncupatur, quam reliquæ comitantur infusæ virtutes, & Spiritus sancti dona, quibus roboratur voluntas, vt Deum perfectè diligat, & omne studiosum opus exequatur. De qua potissimè loquitur sponsa, cùm ait, *Quæsiui quem diligit anima mea.* Cuius dilectio adeò fuit superexcellens, vt omnibus Dei amãtibus norma possit esse, & exemplar quod sequantur; à cuius explicatione inchoandum est, quoniam ex dilectione, vt diximus, pendet inquisitio, & quanto illa est vehementior, tanto hæc est solicitior & feruentior.

Vehementem Dei amorem omnes animæ vires applicare ad quærendum eum.

§. 1.

1\. STupenda est vis charitatis, quam Spiritus sanctus diffundit in cordibus nostris, cùm prædominatur illis; & quia ex abundantia cordis os loquitur, si cor diuino abundat amore, nihil loquitur nisi amorem, idque miris modis. Habet enim amor peculiarem linguam qua loqui nouit, specialibus verbis, signis, nutibus, & gestis, quæ, teste D. Bernardo super hunc Cantici locum, barbara est ei qui non amat. Et quemadmodum qui Græcum non nouit, non potest Græcum loqui, vel loquentem intelligere; sic qui diuini est amoris expers, verba præsentis dramatis non percipiet. Cuncta enim verba & facta sponsæ in hac sua inquisitione, amorem redolent, spirãt & eructant. Etenim quater in hac periodo repetit hoc verbum, *Quem diligit anima mea*; quo satis indicat sui amoris vehementiam, & quam sedulo curet præceptum dilectionis Dei explere, quod quatuor conditionibus adornatur, cùm dicitur; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex omni fortitudine tua, seu ex omnibus viribus tuis.* Profecto diligebat sponsa Deum suum ex toto corde, quia omnis eius voluntas in ipsum ferebatur, in eiusque voluntatem per omnimodam conformitatem erat transformata; diligebat ex tota anima, quia portio eius inferior, quæ anima sentiens dicitur, ad ipsum diligendum etiam rapiebatur, & omnes eius appetitus & affectus in ipsum tendebant. Diligebat ex tota mente, quoniam pars eius superior tota erat ad ipsum erecta, & per vnionem cum ipso quasi deificata. Diligebat tandem ex omni fortitudine sua, & ex omnibus viribus suis, quia omnem sibi possibilem conatum ad ipsum diligendum applicabat, omnia dilectionis impedimenta superans viriliter, & omnes corporis sensus, ac vires compellens, vt eam ad Deum amandum, & quærendum iuuarent. Sed quid est quod tantùm ait, *Quem diligit anima mea*, non repetens quem diligit cor, mens, & vires meæ? Ratio est in promptu, sumit enim animam, non cum ea restrictione qua ponitur in præcepto amoris, sed vt significat partem hominis præcipuam, quæ corpori condistinguitur, & spiritus vocatur, quæ cor, mentes, & vires complectitur. Nam ab ea cunctæ totius hominis facultates, affectus, & actus procedunt. Quæ tamen omnia in dilecti amorem conuertit, & in hoc sensu ait, *Quem diligit anima mea.* Maluit autem hac phrasi vti, quàm dicere, quem ego diligo; vt insinuaret hanc suam dilectionem omnino spiritualem esse, nihilque habere carnale; nec Deum diligere, aut quærere propter aliquid corporeum, aut carni iucundum, sed propter ipsummet, qui spiritus est, & propter bona spiritualia, quibus illi coniungitur. Dicebat olim Dauid, *Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea*; quia caro multiplicibus necessitatibus pressa Dei desiderabat præsentiam, vt eam ab illis liberaret. Bonum quidem hoc, sed sublimius, nunc eleuatur sponsa, dum tantùm ait, *Quem diligit anima mea*, quasi oblita carnis, & necessitatum eius, dilecti prouidentiæ cuncta relinquens. Nam etiam anima cum vehementer sitit, & Dei amore ardet, secum trahit carnem, & eius rapit affectus, vt cir-

Matt. 12. v. 34. — Ser. 79. in Cant. — Matt. 22. v. 37. Lu. 10. v. 27. Mar. 12. v. 30. — Vide supra in id, *Indica mihi quem diligit anima mea.* — Ps. 62. v. 2.

ca Deum ferantur, & vnanimiter obſequantur dilecto. Tunc enim homo interior alloquitur hominem exteriorem illis verbis Pſalmiſtæ, *Tu vero homo vnanimis dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum conſenſu.*

Pſ.54.v.14.

2. Sed vehementiam amoris amplius indicat modus quo vigiles cuſtodientes ciuitatem alloquitur, eadem verba repetens, *Num quem diligit anima mea vidiſtis*? Non nominat quis ſit ille quem diligit, quaſi vigiles poſſent animum eius penetrare, & quem in corde ferebat, agnoſcere; quoniam vehementia amoris ita omnes eius vires rapuerat, vt nihil niſi dilectum cogitaret, nihil aliud loqueretur, & quaſi nihil aliud eſſet in mundo, ſolo nomine dilecti ſui omnes eum cognoſcere arbitrabatur; O amor præceps (exclamat D. Bernard.) vehemens, flagrans impetuoſè, qui præter te aliud cogitare non ſinis, faſtidis cętera, contemnis omnia præter te, te cōtentus; cōfundis ordines, diſſimulas vſum, modum ignoras, totumque opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod cōſilij, iudicijve videtur, triumphas in temetipſo, & redigis in captiuitatem, & omne quod cogitat iſta, & quod loquitur te ſonat, te redolet, & aliud nihil; ita tibi ipſius, & cor vindicaſti, & linguam, ait, *Num quem diligit anima mea vidiſtis*. Quaſi verò hi ſciant quid cogitet ipſa. Quem diligit anima tua de ipſo ſciſcitaris? Et non habet nomen, quænam vero tu? & ille quis? Hæc ille. Sed quid Spiritus ſanctus qui per ſponſam loquebatur? Certè id indicat eum qui Deum perfectè diligit, totum in ipſum Deum eſſe tranſlatum; qui vnicus eius & infinitus eſt theſaurus. Vbi autem eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum; & anima magis eſt vbi amat, quam vbi animat; magis eſt in anima dilecti, quàm in corpore proprio; quia illi eſt agglutinata, vt ex duabus quaſi videatur vna facta.

Idem de Magdalena cum hortulano perpendemus in Exhort. 13.

Ser. 79. in Cant.

3. Sed quoniam magis indicant amoris vehementiam facta, quam verba; nam probatio dilectionis exhibitio eſt operis; & qui verè diligit, non tam diligit verbo & lingua, quàm opere & veritate; audi ſtupendum factum quod vehementiſſimum ſponſæ amorem manifeſtat. Depingit enim Salomon hîc virginem teneram, domi clauſam, & abſconditam; ita exardeſcere in amorem ſui ſponſi, vt quaſi amens, vel ebria, ſeu amore abſorpta, eum in lectulo palpās quęrat, & cum non inueniat, quaſi ſui oblita, & ſtatus immemor, domo exeat, idque nocte, & ſola ſine comite, nihil trepidans, nihil mali timens, per omnes vicos & plateas ciuitatis eat, ſæpiuſque circumeat, ſponſum quærens; & quamuis vigiles, & circitores offendat, non eos fugiat, nec pertimeſcat, ſed viriliter alloquatur, & interroget de dilecto. Et quod amplius eſt, vt poſtea dicitur, ab ipſis percutitur, & vulneratur, & eius pallium quo tegebatur, aufertur; & tamen hæc omnia contemnit, & nihili ducit quærendo perſeuerans donec dilectum ſuum inueniat. Quis non putaret virginem hanc amentem, temerariam, & vitæ, honoris, ac rei familiaris prodigam? Et quidem amor carnalis imprudenter, & turpiter plura inſana operatur, homineſq; amētes reddit, temerarios, & prodigos: at diuinus amor prudenter & ſapienter multa efficit, quæ mundo & mundanis apparent inſana, temeraria, & prodiga, ſed reuera coram Deo & Angelis ſapientia ſunt, & ſanctitate ac diſcretione plena: Et quid hoc mirum, cum Apoſtolus de ipſo Chriſto dixerit, *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam; ipſis autem vocatis Iudæis atque Gentibus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam?* Si ergo quæ Chriſtus pro nobis fecit, reputata ſunt à Gentibus inſana & ſtulta, à Iudæis verò ſcandaloſa & ſacrilega, cum tamen fuerint diuina, ſapientia & pietate fulgentia, quid mirū quod diſcipulis eius idem eueniat? Vehemens igitur Chriſti amor, ita animam ad ipſum quærendum impellit, vt ad id expeditius præſtandum contemnat diuitias & honores, relinquat parentes & amicos, propriam ſpernat ſalutem & vitam, nec à cœpto deſiſtat, etiam ſi ab hominibus derideatur, vulneretur, ac mille afficiatur iniuriis, ſtultaque & amens reputetur. Quod clariùs indicant illa ſponſi verba, *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Quod Septuaginta amplificant, dum ſic vertunt; *Si dederit vir omnem vitam ſuam in charitate, contemptu contemnent eum.* Sed de hoc plura cùm hunc locum interpretemur.

Ex D.Gregor. ho. 35. in Euang. 1.Io.3.v.18. *Stupendus Sponſæ amor operibus teſtatus.*

Cāt.5.v.7. De hoc plura lib 8. Exhort.16.

2.Cor.1.v.23.

Cāt.8.v.7.

4. Sed vlterius procedit amoris vehementia, quæ animam ſtimulat, vt ſummum conatum ad quærendum dilectum adhibeat, omnem curam & ſolicitudinem ſuam huic ſoli inquiſitioni applicans, nullumque prætermittens medium quod ad hunc obtinendum finem poſſit conferre. Hoc enim ſignificat diligens quæſitio ſponſi in lectulo, circuitio per vicos, & plateas ciuitatis, & interrogatio facta ad vigiles & cuſtodes; quaſi adhibuerit cuncta media tam ſecreta quæ fiunt in cubiculo, quam manifeſta quæ patrantur in foro; & tam quæ per ſeipſam quàm quæ per aliorum conſilium & auxilium præſtare poterat, ſemper potiora probans, & æmulans chariſmata meliora, implens quod ſcriptum eſt, *In omnibus operibus tuis præcellens, & velox eſto.* Pręterea cùm inquit quæſiiſſe per noctes omne tempus includit; nam quæ intēpeſtiuum approbat, quale eſt nocturnum, non omitteret diurnum, quod ad quærendum aliquem eſt magis aptum. Nullum, inquit D. Ambroſius, tempus vacet à pietatis officio, & à quærendi exercitio, ſiue proſperum ſit, ſiue aduerſum.

Eccl.33.v.23. Prou. 22.v.25. De Iſaac & anima c.5.

Vnde hoc etiam vehementiam amoris extollit, quod nulla aduerſitas retrahere poteſt à ſedula quærendi cura; Et hoc, inquit idem Ambroſius, eſt quęrere in noctibus, id eſt in perſecutionibus, & in aduerſis quæ quantumuis creſcant, quæſitionem non interrumpent; nam, *Aquæ multæ non potuerūt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Etſi contra eam inſurgant vigiles mundi, & ſeculi poteſtates, gladioque percutiant, & vniuerſum vulnerent corpus, amplius creſcit vulnus amoris, & vehemens deſiderium quærendi quem diligit anima eius; quia vulnerata eſt charitate, nec hoc vulnus ſanatur, niſi dum dilectus quæſitus inuenitur, ſicut ipſa teſtata eſt inferius, cùm dixit, *Adiuro vos, filiæ Ieruſalem, vt ſi inueneritis dilectum, nuncietis ei quia amore langueo, ſeu quia charitatis vulnerata ego ſum.* De quo ibi.

Serm. 7. in Pſ.118. v.7. Cāt.8.v.7. Cāt. 5. v.8.

De inſatiabili deſiderio Deum ſemper amplius quærendi & inueniendi ſine limite. §. 2.

1. SED adhuc magis amoris ardor manifeſtatur per inſatiabile deſiderium quęrēdi Deum ſemper, & iugiter vt amplius & amplius in dies eum poſſit inuenire ſine vllo limite, quamdiu præſens durat vita. Hoc autem inſinuat nomen illud, *per noctes*, quod totum huius mortalitatis tempus, in quo per fidem obſcuram ambulamus, ſignificat. Dilectus enim quem anima dilectrix quærit, immenſæ

eſt maieſtatis, cuius magnitudinis & ſapientiæ non eſt finis, nec bonitatis & pulchritudinis eius vllus eſt terminus. Ita vt ſi vita innumeris duraret annis, & quotidie quęreremus, & aliquid eius per cognitionem, & amorem inueniremus, ſemper immenſum eſſet quod reſtaret quærendum, & inueniendum; ideoque ſemper & ſine vllo fine inſtanter quærendus eſt; iuxta verbum Pſalmiſtæ; *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius ſemper.* Vbi ſic, inquit, D. Auguſtinus: ſi ſemper quæritur, quando inuenietur? An ſemper dixit, in tota vita iſta, qua hic viuitur, quando & inuentus quærendus eſt? iam quippe illum inuenit fides. Sed adhuc eum quęrit ſpes, charitas autem & inuenit eum per fidem, & eum quærit habere per ſpeciem. Et paulo poſt ait, hoc eſt quærere faciem eius ſemper, vt non huic inquiſitioni, qua ſignificatur amor, finem præſtet inuentio, ſed creſcente amore, inquiſitio creſcat inuenti: & eſt ſine fine quærendus, quia ſine fine eſt amandus. Hæc Auguſtinus: inſinuans Deum quærendum eſſe ſine fine, non tantum quoad durationem totius vitæ ſine termino, ſed etiam quoad intentionem & conatum, qui quotidie deberet eſſe vehementior ſine limite, & quoad opera per quæ quæritur, quæ in dies oportet eſſe meliora, ſicut & Chriſtus Dominus, qui *cùm dilexiſſet ſuos qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos.* Hæc autem omnia præſtat ardens charitas, cuius propenſio vt docet D. Tho. eſt in ſtatu viæ in infinitum ſine termino creſcere; & quo magis amat, eo magis cupit amare, & Deum quærere, eiq; amplius vniri: & ſuiſmet actibus, & deſideriis roboratur, vt amplius Deum inueniat, & ei adhęreat.

Pſ. 104.v.4. Ioa.13.v.1. 2.2.q 24. ar.7.

Quod ſic confirmat D. Bernardus explicans eadem Pſalmiſtæ verba, *Quærite faciem eius ſemper.* Exiſtimo (inquit) quia nec cum inuētus fuerit, ceſſabitur à quærendo, non pedum paſſibus quæritur Deus, ſed deſideriis. Et vtique non tundit deſiderium ſanctum felix inuentio, ſed extendit. Nunquid conſummatio gaudij conſummatio deſiderij eſt? oleum magis eſt illi; nam ipſum flamma eſt. Adimplebitur lætitia, ſed deſiderij non erit finis, ac per hoc nec quærendi. Sic ille. Fauet quod ait diuina ſapientia: *Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Nam quod de ſummo Deo inuenitur, adeo pulchrum eſt, & ſuaue, vt non faſtidium generet, ſed potius famem & ſitim excitet. Vnde & de ipſis beatis Deo fruentibus dicitur, *In quem deſiderant Angeli proſpicere.*

Serm.84. in Cant. Eccleſ 24. v.28. 1. Petr.1. v.12.

2. Hinc eſt propter vehementiam huius famis, quæ inſatiabilis eſt quantumcumque inueniat, nihil ſe inueniſſe putat. Quia amplius eſt quod inuenire deſiderat. Sicut ſponſa poſtquam quæſiuit tam in lectulo, quam in vicis, & plateis, conſtāter dicit, *Quæſiui eum & non inueni.* Certum quidem eſt vt optime perpendit Richardus, vtrobiq; cum Deum quærebat, aliquid inueniſſe virtutis, & perfectionis, ac gratiam ſibi non modicam auxiſſe. At (inquit ille) non quia gratiam acquiſiuit, à quærendo ampliorem quieſcit. Deſideria accenſa ſunt, non impleta; excitata, non ſedata: & quantum creuerint, tanto ſibi minus ea quæ ſuſcepit, ſufficiunt. Augmentum gratiæ eſuriem excitauit, vt quanto plus accepit, tanto plus deſiderat. Malus & tepidus cum inops ſit, diuitem ſe putat, quia ſpirituales diuitias ignorat. Bonus vero, & perficiens quod habet non attendit, ſed ad anteriora ſe ſemper extendit. Cum creſcente gratia creſcit & humilitas; & quantum diues eſt, tantum ſe inopem credit, quia deguſtata gratia amplius eū accendit, & non-

In c.3. Cant. Apoc. 3. v.17.

dum ſe inueniſſe gratiam credit, dum perfectorum virtutes conſiderat. Vnde dicit, *Quæſiui illum, & non inueni*, non inueniſſe illum in ſe dicit, quem tam perfectum in aliis inuenit. Sic Antonius Monachorum maximus, poſtquam quæſitum Paulum inuenit, nihil ſe eſſe comparatione illius iudicauit, dicens: Væ mihi peccatori, quia falſum nomen monachi porto. Hæc carptim ex Richardo, qui plures cauſas tangit, ob quas vehementer amans, ſe nihil inueniſſe putat; & quia obliuiſcitur eius quod acquiſiuit; & quia aliis excellentioribus ſe comparat; & quia multo plus appetit, quam recepit; nam ignis amoris nunquam dicit, *Sufficit*, ſed inſatiabilis nuncupatur. Declarant hoc egregiè verba D. Pauli feruenter amantis qui dicebat: *Non quod iam acceperim, aut perfectus ſim. Sequor autem ſi quomodo comprehendam.* Si non accepit totum quod quærebat, ergo aliquid ei quærendum & inueniendum reſtat. Si nondum perfectus eſt, ergo aliquid ei deeſt vt ad perfectionis apicem perueniat. Propter quod *ſequitur*, hoc eſt quærere non ceſſat, donec comprehendat totum quod quærit, & ideo ſubdit: *Quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea quæ ſunt priora extendens me ipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis. Quicumque ergo perfecti ſumus hoc ſentiamus.* Antea vocauerat ſe imperfectū, quia ſemper in via aliquid perfectionis acquirendum reſtat, donec adipiſcatur perfectionem patriæ. Poſtea vero vocat ſe perfectum, quia in ſtatu eſt perfectionis, quæ in via haberi poteſt; ſed quicumque tales ſumus (ait) *Hoc ſentiamus*, quod ego ſentio. Nimirum, quod adhuc ſumus imperfecti & quod oportet nos ſemper amplius, & amplius quærere donec ad vltimum brauium perueniamus.

In eius vita. Prou. 30. v.16. ad Philip. 3.v.12.

Nemo ergo præſumat totum quod quærit inueniſſe, ne deſinat amplius inuenire, qui ceſſauerit amplius quærere. Propter quod verbum illud ſequor; *Si quomodo comprehendam*, quod idem eſt ac quæram ſi quomodo inueniam, & teneam quod inuenero, omnibus aptandum eſt, tam incipientibus quam proficientibus, & perfectis; vnicuique in gradu ſuo. Incipiēs enim qui per viam purgatiuam graditur, quærere debet totam perfectionem illius viæ donec eam inueniat, & comprehendat, ſed poſtquam comprehenderit, adhuc debet dicere, *Quæſiui, & non inueni*: quia multa ei reſtant quærenda in via illuminatiua, & vnitiua vt perfectus fiat. Et ſi autem ſit perfectus, adhuc debet dicere, ſequor Chriſtum, & quæro ampliorem perfectionem, donec comprehendam vltimum gradum, ad quem ex Dei ordinatione deſtinatus ſum; poſtquam ſequetur comprehenſio quæ eſt in gloria. Hæc autem omnia ad charitatem ſpectant, cuius propenſio teſte D. Auguſtino, eſt vt iam nata per bona opera nutriatur; poſtea creſcit vt roboretur; roboratur autem vt perficiatur. Ad hoc autem conſequendum omnes excitat virtutes, vt ſuos actus exerceant, quibus Deus quæritur, & perfectio acquiritur. Propter quod Apoſtolus ait, *Charitas patiens eſt, benigna eſt, omnia credit, omnia ſperat, &c.* Non quærit quæ ſua ſunt, vt ſcilicet quærat quæ ſunt Dei, & illa inueniat.

3. Ex D Leone in ſerm. de paſſione Domini, cuius verba infra citantur in exhort 5.§ 3.

in Epiſt. 1. Ioan. tract. 5. 1.Cor.13. v.4.

De firmo propoſito retinendi dilectum, & inuentam gratiam in perpetuum. §. 3.

ADDAMVS aliud vehementis amoris ſignum, quod explicatur illis verbis; *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam donec intro-* 4.

ducam, &c. Quod firmum inuoluit animi decretum nunquam deserendi gradum dilectionis, & gratiæ secundum quem dilectum inuenerit; sed semper intra cor suum retinendi quem diligit anima eius, siue adsint, vel desint consolationes; & etiã si superueniant innumeræ tribulationes; dicens cum Apostolo. *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, &c. certus sum quod neque mors, neque vita, &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu?* Certum enim est quod nulla creatura nec omnes mundi & inferi potestates possunt hanc charitatem & dilectum, qui charitas est, à nobis tollere, nisi nos dimittamus illum; ne autem velimus dimittere, ipsa vehementia amoris, & virtus dilecti qui inuentus est, fortiter præstat. *Nam fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus emulatio*: mors enim quẽ semel occidit, irreparabiliter occidit, infernus autẽ vel sepulchrum animam, aut corpus quod semel recepit, nunquam à se proiicit, sed perpetuo retinet; sic diuinus amor fortissimus est, & durissimus ad retinendum dilectum, ita vt nec mors, neque inferi potestates eum valeant ab anima separare. Ipse autem perpetuo permanere appetit. *Quia charitas nunquam excidit*, sed quæ habetur in exilio, etiam in æternum manebit in cælo.

ad Rom. 8. v. 35

Cant. 8. v. 6

1. Cor. 13. v. 8.

2. Lib. de Isaac, c. 5.

Et hoc est quod ait sponsa: *Nec dimittam donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Id est (sicut D. Ambrosius & alij interpretantur) donec introducam in cælestem Ierusalem, quam D. Paulus matrem nostram vocat. Sed mirum est sponsam dicere se introducturam Christum dilectum suum in cælum, cum potius ipse eam illuc sit introducturus? Vnde & dicere debuisset, nec dimittam donec introducat me in domum matris meæ. Sed apte satis ita locuta est; nam qui Deum quærit, & per amorem inuenit, eum intra se recipit sui cordis hospitem. Siquidem teste D. Ioanne, *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et Christus per fidem charitate formatam habitat in corde illius. Est ergo iustus vere Deifer, & Christifer; quia Deum & Christum in seipso habet, & quocumque tendit, eum secum ducit. Cum igitur sponsa dilectũ secundũ aliquos gratiæ, & charitatis gradus inuenit, ac sibi intimè coniungit, affirmat non dimissurum eum donec illum (subaudi) in se ipsa, aut seipsam simul cum illo introducat in domum matris suæ cælestis Ierusalem, vt in ea, ipsa cum illo, & ille cum ipsa perpetuo maneant.

1. Ioan. 4. v. 16.

ad Ephes. 3. v. 7.

Addit vero, *Et in cubiculum genitricis meæ.* Quod locum magis secretum & intimum significat quam domus, ad indicandum introductionem quam appetit, in sublimiorem Dei visionem, & amorem, quę magis perfectis conceditur. Omnes enim iusti, etiam infantes, qui per sacramentum iustificati sunt, introducuntur in domum cælestem, in qua vt saluator ait, *Mansiones multæ sunt*: at qui maiori cum labore, & feruore Christum quæsierunt, & inuenerunt, præcellentius intrant in magis secretũ cubiculum, quia eis plura, & sublimiora diuinitatis referantur arcana; nam vehementer amans non solum thronis, vel cherubinis, sed ipsis seraphinis vellet associari, vt ardentius Deum in æternum amaret.

Ioa. 14. v. 2.

3. Iob. 4. v. 18.

Sed quomodo ausa est dicere, *non dimittam*, siquidem etiam qui seruiunt ei, *Non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem*, quanto magis qui hactenus habitant domos luteas, quæ terrenum habent fundamentum. Sed anima diuino amore ebria non sibi, sed suo dilecto nitens fidenter dicit, se nunquam dimissuram illum, etsi optime nouit, si suis viribus relinquatur, facile euertendam: sicut Dauid expertus est inquiens: *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.* Psal. 29. v. 7.

Id est in affluentia bonorum spiritualium constitutus putaui, & proposui vinculo indissolubili Deo adhærere, nec ab eo vnquam separari: & quamuis ex quadam secreta præsumptione à quibusdam putetur dictum, tamen non est indecens ex abundantia amoris, & deuotionis processisse, quæ ita tunc eius animam rapiebat, & satiabat, vt immutabilem se permãsuram putaret, non ex suis viribus, sed ex voluntate Dei quem diligebat & à quo se diligi sentiebat, vnde subdit: *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.* Id est non ex mea voluntate & virtute, sed ex tua procedit, vt decor ille spiritualis, gratiæque abundantia quam exhibuisti mihi, in me corroboretur & permaneat. Quod ipsa experientia didici: nam *auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*, id est, paululum recessisti à me, & factus es mihi quasi absens, & mox conturbatus sum, & afflictus, sed non despondi animum, quin statim: *Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor*, vt bonum quod in me cæpisti, ipse custodias, & perficias.

De vehementi desiderio introducendi dilectum, per fidem & amorem in omnes proximos. §. 4.

Accedamvs ad vltimam & perfectissimam propensionem charitatis vehementer desiderantis Deum quem diligit, eodem etiam modo diligi ab omnibus hominibus, & ideo diligenter, insatiabiliter, & constãter cupit, & quærit, vt ab omnibus diligatur, & in illis per fidem & dilectionem commoretur, & hoc etiam indicant prædicta verba; *Non dimittam, donec introducam illũ in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Id est, non tantum tenebo illum mihi, quia charitas non quærit quæ sua sunt, sed etiam quæ aliorum; & ideo non quiescam donec orationibus, vel prædicationibus, & exemplis, aliisque variis modis introducam eum per cognitionem & amorem in vniuersum mundum, qui domus est sapientiæ increatæ matris meæ, & in cubiculum eius, id est in omnes regiones quantumuis abditas, & remotas, aut in domum eius quæ est Ecclesia, & in cubiculũ quod est religiosus status, vel quilibet alius Euangelicam professus perfectionem. Perfecta enim charitas in hoc propendet vehementer, vt omnes homines salui fiant, & in agnitionem veritatis veniant, fidem & legem Christi amplectantur, imò Euangelicam sequantur perfectionem, quod est Christum in eos introduci; nam sicut dicitur gigni, efformari, & quasi irasci in iis qui ad ipsum conuertuntur, sic etiam dicitur in illos introduci, vt ipsi teneant illũ; sicut domus continet habitantem in ea. Iuxta illud D. Pauli, *Christus* est in domo à Deo fabricata, *tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos.* Et D. Petrus confirmat, fidelium cætum vocans, *Domum spiritualem*, ex viuis lapidibus constructam. De quo plura in sequentibus sunt dicenda. Nos autem hoc præclarissimum amoris charisma æmulemur, hanc excellentiorem charitatis viam amplectamur; qua feruenter Deum quærentes inuenire possimus, tenere, in alios introducere, & Christum in illis ac in nobis ad cælestem domum portare, vbi pariter, & gaudenter laudemus illum in secula seculorum, Amen.

ad Hebr. 3. v. 3. & 6.

1. Petri. 2. v. 5.

EXHORTATIO V.

Pro Feria II. Rogat. et pro Dom. V. post Pascha circa Euang. de oratione.

De forma quærendi Deum per opera vitæ actiuæ, & contemplatiuæ, maximè per orationem & meditationem; & cur aliquando dicatur non inueniri.

In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum & non inueni: surgam & circuibo ciuitatem, &c.

Charitas quæ iuxta dicta, vehementer inclinat ad quærendum Deum, cum ociosa esse nequeat, duplicem fortitur propensionem ad opera vtriusque vitæ, contemplatiuæ & actiuæ; vt dilectum suum per illa quærat, inueniat, teneat, & possideat. Ex amore Dei potissime nascitur propensio in opera vitæ contemplatiuæ. Quæ magis directè eum attingunt, & proximius quærunt, cuiusmodi sunt lectio, oratio, meditatio, & contemplatio, & plures religionis actus, nimirum deuotio, laus Dei, gratiarum actio, & alij huiusmodi. Ex amore autem proximi oritur propensio in opera vitæ actiuæ, quæ varia exercet ministeria, siue corporalia, siue spiritualia erga proximos; quos cum diligat propter Deum, non tam illos quam ipsum Deum per illa quærit. Sed præterea varia exercet opera virtutum moralium, quæ carnis passiones & sensus, ac propriam voluntatem domant, impedimentaq; Deum inueniendi tollunt.

Qualis ordo sit inter hæc opera, ad Deum quærendum. §. 1.

Vtrorvmqve operum meminit sponsa in hac sua narratione dum ait, quæsisse dilectum in lectulo suo, & circumeundo per vicos & plateas ciuitatis, quæ verba bifariam interpretabimur; vel referendo has duas similitudines ad duas vitas, vel ad diuersa opera eiusdem vitæ contemplatiuæ. Etenim lectulus qui locus est secretus, quieti destinatus, apte significat vt alibi diximus, studium vitæ contemplatiuæ, quæ quieta est & tranquilla, dum versatur circa vnum. Actiuam vero, quæ occupatur circa plurima, in variaque distrahitur opera, & negotia externa, aptius repræsentat circuitio per vicos & plateas Ecclesiæ. Id est per omnes vias & semitas mandatorum Dei, qui in viis iustitiæ ambulat, & in medio semitarum iudicij, vt ditet diligentes, ac quærentes se, eorumque thesauros repleat. Vicos qui angustiores sunt plateis, appellare possumus exercitia propriæ abnegationis, de qua dicitur, *Quam angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam! & pauci sunt qui inueniũt eam.* Plateas autem quæ ampliores sunt, alia mandata & studia latiora ex amplitudine charitatis, & misericordiæ, quæ faciunt iugum Dei suaue, & onus leue. Prius autem nominat vicos quam plateas, quoniam prius incumbendum est exercitiis abnegationis propriæ, quæ obstacula auferunt reliquorum.

Mat. 7. v. 14.

2. Sed hinc non modica insurgit difficultas cur sponsa dixerit se prius quæsiisse dilectum in lectulo, deinde foras exiisse ad quærendum per vicos & plateas, cum omnes patres testentur vitam contemplatiuam posteriorem esse quam actiuam, vt alibi nos fuse probauimus; quia retributio datur post meritum, quies post laborem; & post circuitionem forinsecus, in vicis & plateis sequitur opportune recipere se ad lectulum, vt in eo sit quies. Quod satis insinuat Salomon dum ait: *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices domum tuam.* Id est, præpara te per bona opera externa, & diligenter agrum corporis tui abnegationibus, & castigationibus exerce, vt fructus ferat iustitiæ; post hæc autem ædificabis domum, & cubile quietæ contemplationis, in qua à laboribus tuis quiescas, alioqui sicut Iacob quærens in lectulo Rachelem non inuenit nisi Lyam (quod interpretatur laboriosa) cum qua compulsus est connubium contrahere, & pluribus annis pro Rachele seruire vt eam duceret in vxorem, dicente vtriusq; patre Laban (quod est candidus) *Non est consuetudinis in loco nostro, vt minores antè tradamus ad nuptias*: ita etiam (vt notat Richardus de sancto Victore) tyrones qui intempestiuè in lectulo cordis sui quietam quærunt contemplationem, non inueniunt nisi laboriosam actionem. Coguntur enim ad laborandum surgere vt ad contemplationem recipiendam se disponant; quia vtriusque vitæ Pater Deus non consueuit contemplationem, quæ minor est tempore, pulchritudine vero & dignitate maior, iustis suis ante actionem tradere.

D. Greg. l. 6. mor. c. 18. D. Tho. 2. 2. q. 182. ar. 4.

In duce spirituali, tract. 3. c. 2.

Prou. 24. v. 27.

Genes. 29. v. 26. Lib. de præpar. ad contempl. c. 4.

3. Hæc quidem vera sunt, sed ordo à sponsa seruatus adhuc optimus: tum quia hic personam gerit eius qui in statu est perfectionis, & simul contemplationi, & nobiliori actioni vacat circa lucrandas animas; quam vt D. Thomas testatur, præcedere debet contemplatio. Et postquam in hoc quieto lectulo Deum quæsiuit, surgere debet, & circuire per vicos & plateas proximos, quærens & in illis dilectum suum. Vnde postquam illum inuenit, iterum id confirmat, dicens: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam in domum matris meæ*, &c. id est, tenui per contemplationem, nec dimittam donec per prædicationem introducam eum in filios Ecclesiæ, quæ est mater mea, de quo plura postea? Præterea etsi ad tyrones referantur hæc verba, etiam illis vere aptantur, quatenus valde expediens omnibus est, vt aliqua exerceant opera vitæ contemplatiuæ, nimirum orationem, & meditationem, quæ duo mutuo se, & ad alia externa opera perficienda iuuant. Oratio enim, quæ petitio est decentium à Deo, auxilium impetrat ad meditandum diuina mysteria, & ad cuncta opera studiosa; quæ hac de causa, teste D. Dionysio, ab oratione inchoanda sunt. Meditatio vero, quæ occultæ veritatis est inuestigatio, accendit deuotionis affectus, vt oratio sit feruentior, & actio purior, propter quod D. Bernardus ad Eugenium inquit ipsi actioni expediri, vt consideratione præueniatur. Vtriusque autẽ meminit sponsa dum hic iuxta versionem lxx. & in c. 5. etiam iuxta vulgatam, asserit quæsisse & vocasse sponsum, *Quæsiui* (ait) *& non inueni, vocaui & non respondit mihi.* Insinuãs non solum eum quæsisse palpando in lecto, & quasi manibus attrectando an ibi esset; sed etiam vocibus, & clamoribus eum compellasse, vt si forte intra domum, vel cubiculum abditus esset, vocanti responderet. Vocare autem ad orationem pertinet, sicut quærere ad meditationem. Quæ duo coniunxit Christus Dominus cum dixit: *Petite & accipietis; quærite & in-*

2. 2. q. 188. ar. 6. & 3. p. q. 40. art. 1. ad 2.

c. 5. de diuin. nom.

1. f. de conf.

Mat. 7. v. 7.

Y. In id *Lectulus noster floridus*, l. 1. exhort. 14.

Prou. 8. v. 20.

Lucæ 11. v. 9. *uenietis*. Et si sponsa eo ordine inuerso prius dicat se quæsisse quam vocasse, quia vt diximus, mutuo se præcedunt & iuuant; pariuntque perfectam contemplationem, quæ simplici intuitu in Deum perspicacius, sublimius, & ardentius fertur, propter quam addidit. *Pulsate, & aperietur vobis.* Possunt autem hæc tria referri ad tres diuinas personas, & ad tria attributa quæ illis aptantur; à Patre enim, cuius est omnipotentia, petimus & accipimus: per filium, cui tribuitur sapientia, quæremus, & inuenimus: per spiritum sanctum, cui aptatur bonitas & amor, pulsamus & aperitur nobis. Quæ omnia ex verbis sponsæ deducemus, intus latentia mysteria enucleantes.

De quatuor quæ perfectam constituunt orationem. §. 2.

B

PRIMO igitur ait sponsa, *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea.* Vbi quatuor designatur perfectæ orationis proprietates, nimirum locus aptus, opportunum tempus, res petita, digna quæ à Deo petatur, & modus ipse petendi humiliter, perseueranter, & amanter.

1. Et quidem dum ait; *In lectulo meo*, aptum locum insinuat. Sumitur autem lectulus bifariam, & vtroque modo ad perfectionem orationis conducit. Primò enim per synecdochem vsurpatur pro toto cubiculo, vel domo in qua homo tranquille quiescit, vel pro loco secreto, & à conspectu, conturbationeque hominum semoto, qui aptus est orationi; cum periculum remoueat inanis gloriæ apud homines, vel vagationis mentis per diuersa quæ sensibus obiiciuntur. Propter quod Christus
Mat. 6. v. 6. C Dominus hoc ipsum consuluit dicens: *Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio posi te, ora patrem tuum in abscondito.* Ipseque secedebat in desertum, vel in montem vt solus & secreto oraret. Consulto autem sponsa non ait, in lectulo
Matth. 14. v. 23. meo iacens, vel sedens, aut stans, vel genu flectens quæsiui; sed tantum in lectulo, vt insinuaret orationem secretam, has omnes complecti corporis compositiones, ex quibus illa ab vnoquoque est eligenda, quæ maiorem pariat Dei reuerentiam, & animi deuotionem, attendendo tamen ad corporis complexionem, & vires, vel infirmitatem: Ezechias
Isa. 38. v. 2. enim in lecto infirmus iacens, *Conuertit faciem suã ad parietem, & orauit ad Dominum.* Conuertit autem ad parietem cubiculi; ne conspectus astantium orationis studium impediret, & lachrymæ eius soli Deo essent conspicuæ: quibusdam placet conuertisse faciem versus parietem templi, & ad partem
Dan. 6. v. 10. cubiculi quæ illum respiciebat, sicut Daniel in Babylone existens in cænaculo suo apertis fenestris orabat contra Ierusalem, vt qua ratione tũc poterat, videretur orare in templo, quod domus orationis vocatur.

2. Sed quid est quod Apostolus ait; *Volo viros ora-*
1. ad Tim. 2. v. 8. *re in omni loco, leuantes puras manus?* si in omni loco, ergo etiam in vicis, foris, & plateis, & vbique gentium. Quomodo igitur in cubiculo, & in lectulo? nunquid aliud præcipit magister, & aliud docet discipulus eius? absit. Sed vtrumque simul agere valemus, iuxta secundam cubiculi & lectuli acceptionem, pro ipsa mente, & corde, intra quod potissime intrãdum est, vt attente, & deuote oremus.
Lib. 6. de sacram. c. 3. Quomodo D. Ambrosius, aliique patres interpretantur sententiam saluatoris, *Cum oraueris intra*
Lib. 3. exhort. 14. §. 3. *in cubiculum tuum*, vt in primo tomo dictum est. Potes ergo simul in cubiculo orare, & vbique orare, quia vbique habes tecum cubiculum tuum, intrans in cor & mentem tuam. Vnde sponsa cum surgit à lectulo, & vadit per vicos & plateas atque fora ciuitatis dilectum quærens, etsi reliquit lectulum corporeum, ibat tamen intra lectulum spirituale; & simul in lectulo, & in plateis orabat. Quod eleganter sic prosequitur D. Chrysostomus: vbicumque sis, potes altare tuũ constituere, nihil enim Hom. 79. ad populum. locus prohibet, neque tempus. Vbicumque sis, ora; templum es, ne locum quæras. Cum ingruerit ten- " tatio, ad Deum confuge. Nunquid est homo, vt locum petas. Deus semper prope est. Si mẽtem mundam habeas ab immundis motibus, licet in foro " sis, siue in via, siue in mari, siue in diuersorio, siue in officina positus, siue sis vbicumque, Deo poteris in- " uocato, petitionem obtinere. Hæc os aureum. "

Sed obseruandum est valde quod insinuat debere mundam esse mentem, non enim cor aptus locus est ad orandum, nisi mundum sit, à passionibusque & perturbationibus seculi liberũ, iuxta illud Isaiæ: *Veniat pax, & requiescat in cubili suo qui ambulauit* Isa. 57. v. 2. *in directione sua.* Id est, veniet pax & tranquillitas à Deo super eum qui recte & fideliter ambulauit coram ipso, vt in corde suo requiescere valeat, ibique ipso Deo frui: etsi autem hæc tranquillitas sit donum Dei, eo quod cor nostrum ex se inquietum est, & fugax, dicente Psalmista, *Cor meum dereliquit* Psal. 38. v. 13. *me, complaceat tibi Domine, vt eruas me.* Tamen nobis etiam laborare incumbit, vt illud ad nos reducamus, & tranquillemus, siquidem & ipse Dauid dixit: *Inuenit seruus tuus cor suum vt oraret te oratione hac.* Qua ratione D. Gregorius sic explicat hęc 2. Reg. 7. v. 27. sponsæ verba: lectulum sibi sancta anima in nocte " in Cant. 3. facit, cum omnes perturbationes mundi fugiens se- " & ho. 25. cretum comparat, in quo requiescit. " in Euag.

Sed non ait in lecto, sed in lectulo, vt perpendit Richardus, ad insinuandum humilitatis affectũ, 3. & vilem quam sui habet æstimationem; & quia mi- in 1. cap. su- nima est quies qua in hoc sæculo fruitur; & mini- per Cant. mum reputat quidquid in se habet, quandiu dilectum quem quærit, non inuenit, & tenet. Et ideo non ait in lectulo nostro, sicut antea dixerat, *Lectulus noster floridus*, sed in lectulo meo, quoniam absentem sponsum considerat, & se solam in eo manere luget. Confirmat hoc noua D. Bernardi expositio, intelligens per lectulum humanam infirmitatem ea forte de causa, quia in eo infirmi iacere so- Serm. 86 in Cant. lent: iuxta illud Psalmi. *Dominus opem ferat illi su-* Psal. 40. v. 4. *per lectum doloris eius vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* In lectulo ergo anima Deum quærit, quæ ex eius absentia amore languet, & propriam agnoscens infirmitatem, & indigentiam, eius per orationes copiosius implorat auxilium, vt fortius eum inueniat.

Assignato orandi loco designat tempus, cum ait; *Per noctes.* Constat enim nocturnum tempus opportunum esse, & commodum ad quiete orandum & conuersandum familiariter eum Deo, vt sæpius commendatur in Psalmis & Prophetis. Iuxta illud, *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & bene-* Psl. 133. v. 1. *dicite Dominum.* Rursus. *Media nocte surgebam, ad* & Psal. 118. *confitendum tibi.* Vnde & de Christo domino dici- v. 62. tur: *Erat pernoctans in oratione Dei*, nam licet ipse Lucæ 6. v. dixerit; oportet semper orare, & vigilare semper 12. & c. 18. omni tempore orantes, tamen vt prolongetur præ- v. 1. & c. 21. catio ea tranquillitate quam exigit oratio Dei, val- v. 36. de iuuat noctis tempus; signum etiam est animi ad preces bene affecti, & de propria salute soliciti, atque de dilecto quærendo anxij, cum noctes quæ corporis quieti destinatæ sunt, orando consumit,

maximè si instar sponsæ, non vnã, sed plures in hoc A transigit noctes. Hæc enim instantia, & perseue-
Luc. 11. v. 5. rantia exauditionem implorat. Sicut ille cui panes deerant, & media nocte surgens vadit per vicos, & plateas in domum amici sui, tandiuque pulsauit ad ianuam quod propter eius improbitatem amicus surrexit è cubili; & dedit ei quotquot habebat necessarios. Est enim Deo valdè grata nostra solertia, & vigilia, importunaque pulsatio, & si tempus non videatur opportunum cum fingitur amicus media nocte clauso ostio in cubiculo suo esse cum pueris suis: vnde non potuit non placere ei solicitudo sponsæ per noctes eum sedulo quærentis, quia semper desiderat quæri, rogari, & vrgeri, eo quod omni tempore cupit nobis benefacere.

Sed habet præterea mysterium quæsiisse per noctes; quę symbolum sunt mæroris, & tristitiæ ac aduersitatis, maximè ob Dei absentiam; ideoque ad gemitus & lachrymas quibus Deus ad cor nostrum B reuocatur, sunt aptiores; omnis autem oratio, cum petitio sit eorum quę nobis desunt, hanc absentiam inuoluit, & ideo in nocte fit. Et quia in hac peregrinatione Deum clare videre nequimus, *Per fidem*
2. Cor. 5. v. 7. *enim ambulamus* (ait Apostolus) *non per speciem, &*
2. Cor. 13. v. 12. *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, semper eum per noctes, id est, per obscuras fidei cognitiones quærimus, & oramus.

5. Hinc deducitur quæ & qualia bona sint in oratione petenda, quod insinuat sequens sententia; *Quæsiui quem diligit anima mea.* Omnes enim id bonum à Deo petimus, quod nobis diligimus; sed illa est perfectissima precatio per quam non aliquid temporale, sed ipse Deus quæritur & postulatur; quia ipse propter se diligitur, alia vero non nisi propter ipsum, & in ipso; qui (vt D. Lucas refert)
Lucæ 11. v. 13. *Dat spiritum bonum*, id est se ipsum, aut Spiritum sanctum suum *petentibus se.* Et quamuis D. Mat-
Mat. 7. v. 11. thæus referat; *Dabit bona petentibus se*, in idem re- C cidunt; nam bona quæ Deus dat, ideo confert vt cum illis conferat spiritum bonum qui nos bonos & sanctos facit. Et hæc sunt quæ digne ab ipso petuntur, & quæruntur in oratione, ideoque sponsa
De hoc in lib. 1. exhor. 2. diximus ex D. Basilio, Ambrosio, & aliis. ait: in lectulo orationis tranquillæ, non quæsiui creaturas, sed creatorem, non bona peritura, sed sempiterna; & ipsum omnium bonorum fontem Deum, quem propter se ipsum diligit anima mea; qui autem ita orat, sine dubio exaudietur, dicente
Psal. 33. v. 5. Psalmista; *Exquisiui Dominum, & exaudiuit me.*
" Quid est exaudiuit me, nisi præbuit mihi se ipsum,
" quia ipsum exquirebam & petebam? noli (inquit
" D. Augustinus) aliquid à Domino extra illum quę-
" rere, sed ipsum Dominum quære, & exaudiette, &
" adhuc te loquente dicet, *Ecce adsum.* Quid est, ecce D
" adsum? ecce præsens sum: quid vis? quidquid tibi
" dedero, vilius est quam ego. Me ipsum habe, me
" fruere, me amplectere. Nondum potes totum ex
" fide, contingere me; & adhærebis mihi. Hæc ille.

Sed vltimis verbis tacitæ respondet obiectioni; ex eo quod sponsa subiungit, *Quæsiui illum, & non inueni*; si non inuenit, ergo non est exaudita, etsi bene eum quæsierit. Augetque difficultatem versio lxx. quæ vulgatæ addit, *Vocaui eum, & non obau-*
Vbi supra. *diuit me.* Dicendum enim est cum eodem D. Augustino & Gregorio non inuenisse totum quod quærebat & postulabat; scilicet videre Deum clare facie ad faciem, & quantum ad hoc non est exaudita, ideoque multiplicauit inquisitionem vt eum posset inuenire: tamen oratio eius frustrata non est; nam aliquid mox inuenit, possidendo & amplectendo amplius Deum per fidem, & per maiora gratiæ & charitatis incrementa. Precata fuerat sponsa vt ei Cant. 1. v. 6. & c. 2. v. 9. dilectus indicaret locum vbi pasceret, & cubaret in meridie, lucem cupiens meridianam, vt eum clare intueretur, sed non id obtinuit; tantum enim se illi manifestauit per cancellos, quæ rem obscure perspiciendam exhibent, vt suo loco diximus: nunc autem per hos cancellos, seu per noctes, & obscuras fidei cognitiones quærebat eandem Dei visionem, quæ has noctes depelleret, sed non inuenit, Hom. 19. in Ezech. quia adhuc tempus quærendi, & laborandi erat. In lectulo (inquit D. Gregorius) dilectum quærit, " quando in ipso suo otio, & vacatione quam appetit, " iam videre Dominum concupiscit, iam ad eum exi- " re desiderat, iam carere præsentis vitæ tenebris " anhelat. Sed quærit illum, & non inuenit, quia " quamuis magno amore desiderat, adhuc tamen " non cõceditur eum videre quem amat. Sed ex sequẽ- " tibus tandem propter orationem eum plene inue- " nisse constabit.

PRO FESTO SS. TRINITATIS.

Deum quærendum per meditationem eorum quæ intra nos sunt, sed non plene inueniri. §. 3.

IAM ex oratione ad meditationem, quæ eam accendit, transeamus, quæque speciali modo in lectulo cordis facienda est. Cor autem vocamus nobiliorem partem animæ, quæ mens, vel Spiritus dicitur; & maxime complectitur tres eius potentias, nimirum memoriam, intellectum, & voluntatem; per quas aliæ inferiores vires gubernantur. In lectulo ergo suo Deum anima quærit, quando per sedulam meditationem, & considerationem eorum quæ intra ipsam sunt, inuestigat, & perscrutatur Dei magnificentiam, sapientiam, ac maiestatem, vt in maiorem sui dilecti notitiam, & amorem perIn id, *si ignorasse; O pulcherrima inter*, &c. lib. 3. exhor. 15. uenire valeat. De quo affatim in priori tomo dispu- tatum est. Sicut igitur ille qui alium noctu quærit in lectulo, manibus palpat, & attrectat ipsum lectulum, quærens an attingat & palpet eum quem inuenire desiderat: ita homo qui ad imaginem & similitudinem Dei creatus est, palpans & attrectãs se ipsum, per sui cognitionem inuenit se animum habere spiritualem, incorruptibilẽ, & intellectualem, altissima quæque discursu, & intellectu pertingentem, liberum etiam qui à nullo possit cogi, omnibus animantibus præsidentem, ingentiũ bonorum auidum, & capacem, ita vt nullo creato & finito bono valeat satiari: hæc igitur & alia huiusmodi in seipso palpando, simul palpare & attrecta- Act. 17. v. re potest ipsum Deum, à quo bona ista procedunt, & in quo eminentissime continentur. Vnde plurimas, & maximas eius perfectiones per contemplationem inuenit, in quibus aliquantulum requiescit & delectatur dum suo dilecto fruitur. 2.

Sed quid est quod ait; *Quæsiui illum, & non inueni?* Nunquid quærendo non inuenit tot, & tam insignia attributa quæ dilecti ostendunt deitatem? nonne cum illum quæreret, interrogantibus filiabus Ierusalem; qualis esset dilectus eius, respondit; Cant. 5. v. 9 *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum*, &c. Iam ergo eum inuenerat, eiusque præclarissima attributa nouerat. Quomodo ergo ait, *Quæsiui, & non inueni.* Profecto quoniam cuncta ista quæ inuenit, adeo parua sunt comparatione eorum quæ dilectus in se habet, vel quæ ipsa de illo cupiebat agnoscere, vt quasi nihil se inuenire putaret, & per hanc ignorantiam, quæ circunscribitur per verbum *Non in-*

ueni, infinitam cõfitetur sui sponsi magnitudinem, & propriæ scientiæ paruitatem; & similiter cũ ait. *Vocaui, & non obaudiuit me.* Id ipsum insinuat. Exaudita enim est cum aliquam Dei notitiam est assecuta, nam *inuocaui* (inquit sapiens) *& venit in me Spiritus sapientiæ*: cæterum putat sponsum non obaudisse illam, quia minimum est quod meditando, & orando de eius sapientia est adepta, sicut testatur Iob, dicens, *Vix audiuimus paruam stillam sermonum eius.* Et ideo in quandam admirationem rapta ait: *Quæsiui illum, & non inueni.* Nam vt ait Psaltes, *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam*; id est, scientia & cognitio quã de te habeo ex iis quæ in me ipso cognosco, vere est mirabilis, quia mirabilia sunt quæ per illam mihi de te nota fiunt. At ita eleuatur scientia quæ de te haberi potest, vt nullo modo valeam comprehendere illam. Et quasi nihil est quod possum ad eam. Quid enim ex me inueniam in te quod nõ sit minimum tui? *Quis* (inquit Ecclesiasticus) *inuestigabit magnalia Dei? virtutem autem magnitudinis eius quis enunciabit? aut quis adiiciet enarrare misericordias eius? non est minuere, neque adijcere, nec est inuenire magnalia Dei.* Ac si dicat, omnia quæ Dei sunt ita esse perfecta, vt nihil ab eis auferri, vel addi possit; nos tamen plene inuenire nequimus magnalia ipsius, quantumuis quæramus ea, quia nostrum superant captũ. Imo *cum consummauerit homo, tunc incipiet; & cum quieuerit, aporiabitur*, id est postquam putauerit se perfecte quæsiisse, & inuenisse, tunc oportet quod de nouo incipiat quærere, ac si nihil inuenerit; sentiet enim se pauperem, anxium, & vacuum, indigentemq; vt denuo laboret ad inquirendum.

Sap 7. v. 7.

Iob. 26. v. 14.

Eccles. 18. v.3.

B

Explicat hoc eleganter D. Gregorius Nyssenus his verbis carptim ab ipso deductis, de eo qui Dei contemplationi vacat loquens. Qui (inquit) ita se gerat, vt omnis perfectio cognitionis, quam humana potest assequi natura, sit principium desiderij eorum quæ sunt excelsiora, & infra; lectum appellat perfectiorem boni participationem (scilicet ad quam sponsa peruenerat) per nomen autem noctis ostendit contemplationem eorum quæ non cadunt sub aspectum ad similitudinem Moysis, qui fuit in caligine in qua erat Deus: in qua cum fuerit, docetur quod tantum abest, vt ascenderit ad perfectionem, vt ne principium quidem attigerit. Rursus infra; Quærebam eum ipsum (ait sponsa) in lecto meo noctu, vt nossem quæ sit eius essentia, vnde venerit, quid desinat, in quo suam habeat essentiam, sed non inueni ipsum. Vocaui ipsum nominatim quantum à me fieri potuit, vt inuenirem in nomine eius qui non potest nominari, sed non erat nominis significatio, quæ pertingeret vsque ad id quod quæritur. Quam ob rem dicit; vocaui ipsum, & non audit me. Tunc cognoui quod magnificentiæ, gloriæ, sanctitatis eius non est finis. Hæc Nyssenus; satis ostendens quomodo diuina natura sit nobis incomprehensibilis, sed hoc ipsum vrgere nos debet vt diligentius eum quæramus, & inuenire quotidie aliquid ipsius possimus.

3. Hom. 6. in Cant. & idem habes in hom. 12.

C

D

Deum quærendum per ciuitatem huius mundi, & cælestis Ierusalem, sed nec etiam plene inueniri. §. 4.

PERSTITIT sponsa quærere vt mereretur inuenire, & ideo ait, *Surgam & circuibo ciuitatem per vicos & plateas, quærens quem diligit anima.* Dum ait, *Surgam*, etiam subintelligendum est *per noctes*, vt denotetur non solum quærere per fidem obscuram vt diximus, sed adhuc post primam inquisitionem permansisse in nocte; omnis enim nostra cognitio de Deo multis est ignorantiis admixta, quatenus, vt magnus inquit Dionysius; de Deo non tam scimus quid est, quam quid non est, scimus quidem eum esse bonum, sapientem, pulchrum, potentem, & sanctum, non quidem ea bonitate, sapientia, pulchritudine, & potentia ac sanctimonia, qua creaturæ, sed alia infinite eminentiori ratione, cuius comparatione, nihil est bonum, sapiens, pulchrum, potens & sanctum, nisi ipse solus, & ideo respectu nostri vocatur caligo sacra, habitareque in nebula, & in nube; lucem enim habitat inaccessibilem, quem nullus mortalium videt, sed nec videre potest.

Hæc est secunda explicatio horum verborum de actibus vitæ contemplatiuæ. I. c. 1. de diu. nom. & c. 1. de mystica Theolog.

Exod. 19. v. 9. 3. Reg. 8. v. 12. 2. Paral. 6. 1. ad Tim. 6. v. 16.

Per hoc tamen non cessandum est ab inquisitione, vt ea saltim quæ ex operibus eius inquirere possumus, inueniamus. Et hoc est quod sponsa quasi se ipsam ad nouam inquisitionem erigens, inquit; *Surgam, & circuibo ciuitatem.* Quam ciuitatem? duplicem quidem. Alteram huius mundi inferioris, & visibilis; alteram vero mundi superioris, & inuisibilis. Vtraque habet plateas, & fora ampla, vicosque angustiores, & per cuncta hęc loca quærendus est Deus. Sumitur autem continens, pro contento, vici & plateæ pro creaturis quæ in vtraque ciuitate commorantur?

Homo igitur in suo lectulo, & quiete constitutus, & in vno loco manens, pro ingenij sui nobilitate, vt perpendit D. Ambrosius, intellectu, & cogitatione potest circuire, & percurrere vniuersa quæ sunt in mundo, infima & suprema perlustrans, in eis Deum quærens. Vici angustiores sunt, res sublunares, vt elementa, mixta, & cuncta animantia, de quibus beatus Iob, inquit: *Interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi: loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit?* Nam cuncta hæc euidenter ostendunt Deum esse qui fecit illa, & in eis satis inuenitur quod Deus sit, non tamen perfecte quid sit. Ideo vlterius progrediẽdum est ad plateas huius ciuitatis, quæ sunt orbes cælestes, solis, & lunæ, ac astrorũ varietate, multitudineque decorati. De quibus dicitur: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Quoniam hæc multo maiora, & illustriora testimonia præbent diuinitatis, & in eis quodammodo inueniri potest, vt in propria domo & cubiculo. Propter quod dicitur. *In sole posuit tabernaculum suum*, vt in eo posset quæri, & inueniri? Sed omnium ampliſſima & nobiliſſima platea est homo, quem Deus constituit super omnia opera manuum suarum, & vocatur Microcosmos, id est breuis mundus, imo quidam per ciuitatem hic intelligũt etiam animam hominis. Sed hæc expositio coincidit cum præcedenti; de qua infra iterum. Per hæc igitur omnia quærendus est Deus in contemplatione; & ex perfectionibus

2. Li. 6. Epist. 38. ad Iorasianum.

Iob. 12. v. 7.

Psal. 18. v. 1.

D. Ambr. l. de Isaac, c. 5. citãdus exhort. sequenti.

To. 1. lib. 2. exhor. 10 & l. 3. exh. 16.

Gen. 2. v. 2.

fectionibus quas in illis intuemur, deueniendum est in cognitionem ipsius Dei, & immensarum perfectionum quæ sunt in ipso. Non enim sine mysterio, *Compleuit Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo.* Hunc diem deputans ad vacandum quietæ contemplationi, & inquirendum conditorem per opera quæ sex diebus perfecerat: quod ipse septenarius numerus in vtriusque testamenti pagina celeberrimus, insinuat, vt eleganter deducit D. Cyprianus, eo quod ex ternario & quaternario constat, supremi artificis & materiæ exprimens primarias substantias: vt ternarius creatorem propter Trinitatem personarum enunciet, quaternarius autem creaturas propter quatuor elementa, ex quibus sunt factæ. Et præcipue hominem, quia quatuor omnium creaturarum continet gradus, habens commune esse cum corporibus, viuere cum plantis, sentire cum brutis, & intelligere cum Angelis. Coniunctio autem ternarij cum quaternario coniunctionem denotat trium diuinarum personarum cum creaturis, in quibus Deus est per essentiam, præsentiam, & potentiam, appendens orbem terræ tribus digitis; vi-

Serm. de Sancto Spiritu.

Dan. 7. v. 10.

4.

Serm. 11. de passione Domini.

Is. 40. v 12.

delicet sua omnipotentia, sapientia & bonitate.

Gen. 1. v. 2. „ „ „ „ „ „ „ „ Et hoc insinuat scriptura cum ait; *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Nam Spiritus sanctus (inquit ille) à Patre & Filio procedens, quaternario superfertur, & conditor benignus opus suum amplectitur, & diligit quod plasmauit, & creaturam suam sanctus ipse sanctificat, & consociat sibi, & charitatis nexu statuit, & conquadrat. Ad hæc igitur omnia contemplanda in die septimo, inuitamur, vt per opera huius mundi visibilis conditorem, qui Deus trinus, & vnus est, ad cuius imaginem creati sumus, & prope nos est, nobisque coniunctus, ipsius perfectiones fidei lumine comitante inquiramus, & inueniamus, vt ei per amorem, obsequium, & imitationem coniungamur, & consociemur. Plura de hac cognitione fuse diximus supra in illud: *Introduxit me rex in cellaria sua*, & circa illud: *si ignoras te, egredere, & abi post vestigia gregum.*

Sed quoniam parum est quod de Deo in his creaturis visibilibus inuenitur, perfecta anima, cuius conuersatio, sicut ait Apostolus, in cælis est, mente ascendit in aliam superiorem ciuitatem, quæ secundum D. Ambrosium, & Gregorium Nyssenum, est ciuitas cælestis Ierusalem, quæ etiam vicos habet, & plateas; de ea enim dixit Thobias: *Ex lapide candido, & mundo omnes plateæ eius sternentur, & per vicos eius alleluya cantabitur.* Et D. Ioannes in Apocalypsi. *Et platea ciuitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum*, ad significandum omnes habitatores huius ciuitatis ineffabili pollere sapientia, & charitate ex Dei clara visione, ideoque dicuntur aurum mundum, id est expurgatum omnino, sine vlla admixtione erroris, vitij, vel cuiusuis alterius miseriæ, & perlucidum propter perspicuam ipsorum claritatem, & mutuam conuersationem sine vlla fraude, & dolo. Et quamuis in singulari Ioannes tantum nominet plateam ad denotandum vnionem, & concordiam omnium beatorum, tamen ponitur singulare pro plurali more, scripturæ, quia sine dubio tam immensa ciuitas plures habet plateas, pluresque beatorum ordines, qui ad duos rediguntur tanquam ad plateas, & vicos, nimirum Angelorum & hominum, seu Angelorum assistentium & ministrantium, qui in plures Hierarchias, & choros distinguuntur. Nyssenus fora vocat principatus, & Angelorum conuentus, plateas vero incomprehensibilem eorundem spirituum multitudinem: *Quia millia millium ministrabant ei, & decies centena millium assistebant ei.* Per hos igitur beatorum ordines sponsa discurrit, eorumque præcellentes proprietates, & insignia dona contemplatur, quærens dilectum, & ex eorum præcellentiis infinitam illius magnitudinem indagare studens.

Sed subdit: *Quæsiui illum, & non inueni*, quoniam licet multa, & præclaræ diuinitatis attributa inuenerit, non satiata, sed famelica mansit, & quasi nihil se inuenisse putat. Omnipotens enim Dominus potest innumeros mundos & ciuitates perfectiores ex nihilo facere, in quibus præclariores suæ deitatis manifestet excellentias. Vnde in iis quæ creata sunt, non potest plene inueniri, propter quod qui eum quærit, non debet à quærendo desistere, vt D. Leo Papa monet sic dicens: succumbat humana infirmitas gloriæ Dei, & in excipiendis operibus misericordiæ eius, imparem se semper inueniat. Laboremus sensu, hæreamus ingenio, deficiamus eloquio, bonum est vt nobis parum sit, quod etiam recte de Domini maiestate sentimus? dicente enim Propheta; *Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius semper*, nemini præsumendum est quod totum quod quærit, inuenerit, ne desinat propinquare, qui cessat accedere.

Hoc tamen aduertere oportet, valde conueniens esse ad inueniendum Deum, vt circumeundo per vicos & plateas, tam Ecclesiæ militantis, quam triumphantis, intueamur viros insigni sanctitate fulgentes, non solum vt in eis Dei cognitionem inueniamus, sed nostrum etiam ex eorum exemplis spiritualem profectum, per quem amplius Deum quærimus, & inuenimus, quod sic perpendit D. Gregorius; circumeat ciuitatem id est sanctam Ecclesiam, mente, & inquisitione percurrat. Per vicos eum & plateas quærat, id est, per angusta & lata gradientes aspiciat, vt si qua inuenire in eis valeat eius vestigia, exquirat. Quia sunt nonnulli etiam vitæ sæcularis qui imitandum aliquid habeant de actione virtutis. Id est non solum à religiosis qui perstrictos gradiuntur consiliorum vicos, sed etiam à sæcularibus qui per amplas incedunt præceptorum vias, quidquid imitatione dignum est, discat, æmulans, vt inquit Apostolus, bonum in bono, vt ficut sancti Deum quæsierunt, & inuenerunt, sic ipse quærere satagat, vt inueniat.

5. Exempla sanctorum intuenda.

„ In cap. 3. Cant. & hom. 25. „ in Euag. „ Idem Beda, Anselmus, „ Ricardus.

Ad Phil. 3. v. 20. Lib. de Isaac & anima, c. 5. & serm. 7. in Psal. 118. v. 7. Nyssen. hom. 6. in Cant. Thobiæ 13. v. 22. Apoc. 21. v. 21.

Ad Galat. 4. v. 18.

Deum quærendum per scripturas sacras. §. 5.

SED quoniam sublimiora Dei, & Christi mysteria nos laterent, nisi in sacra scriptura essent reuelata; oportet etiam per eius lectionem, & meditationem dilectum quærere. De qua nonnulli intelligunt verba hæc: *Circuibo ciuitatem*, &c. Est enim sacra scriptura, velut ciuitas quædam cuius vici sunt libri veteris testamenti, in quibus narrantur antiquorum patrum gesta, & ingentia quæ Deus in mundi creatione nobis contulit beneficia, vel Hebræis, quos in populum peculiarem elegit: plateæ vero dicuntur libri noui testa-

menti maxime Euangelia, quæ Christi Domini dicta & facta, cunctaque ad regnum cælorum spectantia distincte narrant. Qui autem per hos vicos & plateas humiliter & solerter gradiuntur, singula verba considerantes, multo plura de Deo & Christo inueniunt quam ex creaturis deduci possunt, vt alibi copiosè probauimus. Neque tamen in iis plene inuenitur in hac vita, quia immensa Dei maiestas omnia superat quæ de eo scripta sunt, nec mundus capere posset libros quæ de illo scribi possent: nec etiam cuncta quæ scripta sunt plenè assequi, & comprehendere valemus, maxime antequam vigiles ciuitatis consulamus. De quo in exhortatione sequenti.

In id, *Introduxit me rex in cellaria sua.* Lib. 2. exhort. 11. Ioan. 11. v. 25.

Hoc tamen curandum est nobis vt id saltem quod de Deo inuenire possumus, aliqua culpa, vel negligentia nostra non impediamus. Multories enim qui Deum prædictis modis quærunt, non inueniunt ob aliquam secretam præsumptionem, & superbiam, inanem gloriam, curiositatem, aut delectationis etiam spiritalis nimiam appetentiam. Aliquando etiam inuentio differtur, ne suis viribus, aut meritis tribuant quod inueniunt, vel vt feruentius se ad quærendum accingant, quod in eorum cedit profectum. Sponsus (inquit D. Gregorius) se abscondit cum quæritur, vt non inuentus ardentius quæratur: & differtur quærens sponsa ne inueniat, vt tarditate sua capacior reddita, multiplicius quandoque inueniat quod quærebat. Item desiderium differtur, vt proficiat, & tarditatis suæ sinu nutritur vt crescat, donec tandem perfecte inueniat. Plura de iis diximus cum de diuinis visitationibus egimus, & in libro 8. alia superaddemus. Faxit Deus vt sponsæ feruorem imitantes, à quærendo non cessemus, donec voti compotes simus. Amen.

Lib. 5. mor. c. 4. Idem D. Aug. in scala paradisi tom. 9. & D. Bernar. in scala claustralium. L. de Duce spirituali tract. 1. cap 20. §. 4. in exhort. 14. §. 1.

EXHORTATIO VI.

PRO FESTO ANGELORVM ET DOCTORVM.

De vigilibus Ecclesiæ tam Angelis, quam prælatis & doctoribus, quibus indigemus ad Deum rectè quærendum, & inueniendum; & de ijs, qui sine duce quærunt?

Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem: num quem diligit anima mea, vidistis, &c. D

EST adeo sublimis, & ardua inquisitio Dei, atque impedimentorum eius remotio ita difficilis, vt diuina prouidentia plurimos constituerit vigiles, & custodes, qui quærentibus ipsum occurrant, vt eis auxilium præbeant, ne quærendo deficiant. Sunt autem duplices, cælicolæ quidam, alij terrigenæ, nempe Angeli custodes Ecclesiæ, & omnium hominum, qui vigiles de cælo vocantur, quia nunquam dormiunt, sed semper vigilant, vt nos custodiant. Item Prophetæ, Apostoli, Pastores, & Doctores Ecclesiæ, quibus eius custodia est commendata, & vigilant pro nobis quasi rationem reddituri Deo de animabus nostris. De vtrisque inquit Dominus per Isaiã sicut D. Hyeronimo ac Bernardo placet, *Super muros tuos Ierusalem, constitui custodes, tota die, & nocte in perpetuum non tacebunt.* Custodes quidem constituuntur super mœnia, vt hostium odorentur insidias, & de imminenti periculo securum populum admoneant. Tacere autem & silere in scriptura multoties significat animo esse otioso & male quieto: sicut dum quosdam vocat canes mutos non valentes latrare. Vnde cum huiusmodi custodes dicuntur nunquam tacere, significatur, nunquam eos ab officio & munere sibi commisso cessaturos, iugiter populis opportunum tribuentes auxilium, siue precibus, siue exhortationibus, siue consilijs, & aliis ad id aptis ministeriis. Dicuntur autem non silere, die neque nocte, quoniam in prosperis, & in aduersis auxiliantur nobis: Vtroque enim tempore eorum indigemus ope.

In Isai. 62. v. 6. Serm. 77. in Cant. & Serm. de Dedicatione Ecclesiæ. Isai. 56. v. 10.

De iis igitur custodibus inquit sponsa; *Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem, num quem diligit anima mea vidistis*: vbi duo præclara nobis insinuantur, quæ hic pertractare liber, quia periucunda sunt, & ad Cantici intelligentiam valde vtilia; alterum ex parte vigilum, qui sponsæ dilectum suum quærenti obuij fuerunt, parati sine dubio illam diligere. Alterum vero ex parte sponsæ, quæ non eos contempsit, sed mox de dilecto suo interrogauit, parata etiam eorum monitis obedire. Parum enim prodesset vigilantes & prudentes habere custodes, & magistros, si non eos consulimus, & interrogamus, nec eius monitis acquiescimus.

De vigili custodia sanctorum Angelorum. §. 1.

I.

ET in primis ineffabili Dei prouidentia constituti sunt vigiles de cælo, qui Ecclesiam & singulas animas custodiant, vndequaque circumeant, ambiant, & protegant, non dormientes die ac nocte, sed semper in earum custodia vigilantes. Etenim Sathan humani generis hostis iactanter inquit, *Circuiui terram, & perambulaui eam*, profecto ad nocendum hominibus. Nec iemel circuit, sed pluries, & ideo bis hæc retulisse Domino fertur. Circuitio autem ista non solum est celerrima propter naturæ agilitatem, quæ in ictu oculi immensa spatia pertransire potest, sed etiam est perspicacissima, inspiciens, inuestigans, & perscrutans hominum ingenia, mores, inclinationes, & studia, vt eos seducat, tenter, & sibi subiiciat. Vnde cũ ait, *Perambulaui eam*, sensus est, eam meæ subegi potestati, conculcaui homines, & in meum obsequium redegi, quasi solum Iob haberet sibi contrarium.

Plura de hoc infra in exh. 22. Iob. 1. v. 7. & c. 2. v. 2. 1. Petr. 5. v. 8.

Propter quod D. Petrus vigiles nos esse monet contra vigiles hostes, inquiens: *Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret*: leo autem symbolum erat apud Ægyptios vigilantiæ, fortitudinis, & sæuitiæ, & cum famelicus est, circuit syluas quærens escam: sic diabolus vigilantissimus leo, & sæuissimus, stimulatus fame deuorandi homines, circuit terram quærens quos deuoret; vt suam insatiabilem expleat famem. Quamobrem merito in dæmones quadrat quod ait Psaltes: *Famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem*: ad hæc autem mille pollet artibus. Nam vt ait diuus Isidorus, dæmones sunt impij spiritus, subtiles, & vagi, com- Vide Pierium lib. 1. à Principio. Psal. 58. v. 18.

» mouent sensus, fingunt effectus, vitam turpant, A somnos inquietant, mentes terrent, inuocati ad- » sunt, mutantur in diuersas figuras, &c. Hunc leonem timebat piger, cum non audebat è lectu- Prou. 23. & 26. vbi sup. lo surgere, & foras ad laborandum exire, ne occideretur ab illo in plateis, cum tamen etiam occidat commorantes in lectulo, & in domo, quia omnia perlustrat, vt omnia dissipet.

2. Præuidens igitur Deus huius hostis vigilantiam, & immanitatem, Angelos suos fecit vigiles, & custodes nostros, vt ab eius nos insidiis tuerentur, & contra eum dimicarent pro nobis. Ipsi namque etiam circumeunt ciuitatem Ecclesiæ, comitantur animas, & soliciti valde sunt de earum profectu, maxime cum in Dei inquisitione & obsequio Iob 1. v. 6. versantur, propter quod in libro Iob, dicitur venisse filios Dei, vt assisterent coram Domino, inter quos etiam astitit Sathan! nam sicut Sathan venit ad accusandum Iob, ita filij Dei, id est, Angeli custodes ipsius Iob, & filiorum, ac familiæ eius, congregati sunt, vt inter se conferrent quomodo illi auxiliarentur, & ad bonum promouerent, sed clare insinuatur affuisse vnum tantum Sathan, astitisse vero plures filios Dei, quoniam sicut dixit Elisæus puero suo: *Plures nobiscum sunt, quam cum illis*, nec solum plures, sed vigilantiores, & fortiores, ex fortissimis Israël, vt suo loco dicemus. Et sicut dæmones non vocati veniunt ad tentandum, & nocendum: ita etiam & Cant 3. v. 7. in exhort. 22. Angeli occurrunt & nobis obuij fiunt, vt in necessitatibus & periculis opportunè auxilium præstent. Quod experta est sponsa, dum anxia quæreret dilectum per vicos & plateas: tunc enim eam Genes. 32. v. 3. inuenerunt vigiles quasi occurrentes ei, vt in via dirigerent. Quod & scriptura testatur de Iacob, cum iter perageret, iram fratris sui pertimescens. *Iacob* (inquit) *abiit in itinere quod cœperat. Fueruntque ei obuiam Angeli Dei: quos cum vidisset* In quæ- » *ait; castra Dei sunt hæc.* Quoniam, vt notat D. stionibus » Hebrai- » Hieronymus, pulchre ad fratrem iturus inimi- eis. » cum, Angelorum se comitantium excipitur cho- Lib. 2. de » ris: & D. Ambrosius idem confirmat, dicens; per- Iacob & » fectis & fidelibus diuina solent adesse præsidia. vita bea- » Perfectus autem erat Iacob, qui cogitabat de re- ta, c. 6. » conciliatione fraterna, ita vt humilitate eam inui- » taret, officiis acquireret, muneribus quoque emendam putaret. Admiranda fuit autem diuina hæc prouidentia, cum etiam ante periculi aduentum, præmisit Angelorum præsidium, vt minus timeret, sub eorumque protectione se esse confideret. Huiusmodi autem castra, id est multorum Angelorum præsidia, vt notauit D. Ambrosius, maxime D conceduntur perfectis viris, sicuti Iacobo, & Elisæo, vnde & Psaltes ait; *Immittet* (id est, castra Psal. 33. v. 8. metabitur) *Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Nam qui Deum timent, digni sunt, vt per Angelorum auxilia ab aliis timoribus præseruentur.

3. Sed adhuc resplenduit amplius diuina prouidentia erga eumdem Iacob, cum iamiam periculum immineret, & furibundus frater appropinGenes. 32. v. 24. quaret; tunc enim ecce Angelus nocte luctabatur cum eo vsque mane, & passus est se ab eo superari, Vide Lipomanum in catena. sicut, inquit Theodoretus, vt timenti fratrem fiduciam iniiceret: ac si diceret, me vicisti, & hominem times! cognouit autem Iacob, eum, qui secum luctabatur, non hominem, sed Angelum Oseæ 12. v. 4. esse, vnde ab eo precibus & lachrymis, vt ait Oseas Propheta, obtinuit benedictionem, ac

fortitudinem, quæ per mutationem nominis Iacob in Israel præfigurabatur. Habet enim se Angelus nobiscum, ac si pædagogus cum clientulo ad exercitium, & instructionem luctetur, vt sciat quomodo cum diabolo & hostibus luctari debeat, luctans prius cum Deo, & orationibus ab eo impetrans fortitudinem, & audaciam pugnandi contra aduersarios. Et sicut Angelus in hac lucta tetigit neruum femoris Iacob, qui statim emarcuit, ita eius auxilio eneruatur vis carnalis amoris, in quo tota aduersarij fiducia ad nos superandum sita est, vt eum facilius superare valeamus.

Explicatur amplius hæc custodia. §. 2.

I.

SED illud glorioſius quod cecinit regius vates, dicens: *Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt* Psal. 90. v. *custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.* Quid est in omnibus viis tuis! in omnibus vicis, foris, & plateis, per quas Deum quæris, in omnibus itineribus, & locis, vbi inuenire desideras; in omnibus negotiis, occupationibus, & exercitiis studiosis, quibus insudas, quia in omnibus est lapis offensionis, petra scandali, laqueus, & rete tentationis ab hoste positum, aut manifeste, aut occulte, tam in prosperis quam in aduersis: ne autem cadas, & capiaris, adest Angelus custodiens, cuius auxilio, *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, conculcabis leonem & draconem*, vincens & dissipans omnes figuras, quas diabolus assumit ad pugnandum, & cunctas insidias, quibus vtitur in pugna, siue per auditum, sicut aspis surda, siue per venenatum visum, sicut basiliscus, C siue per terrificas minas, sicut leo, siue per occultos morsus, sicut draco. Angelica tamen fretus protectione, *Non timebis à timore nocturno, nec à negotio perambulante in tenebris*, id est, à tentationibus occultis, & quæ vexant in aduersis: nec etiam *à sagitta volante in die, & ab incursu & dæmonio meridiano.* Id est à tentationibus manifestis, & quæ concutiunt in prosperis: quoniam Angelus Domini tecum aderit, vt in omnibus tibi subueniat: sicut scriptum est. *Ecce ego mitto* Exod. 23. v. *Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat te in via, & introducat te in locum, quem parani: obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaueris, & est nomen meum in illo, quod si audieris vocem eius, & feceris omnia, quæ loquor, &c. præcedet te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum,* &c. Angelus autem iste, cuius hic fit mentio, Ita Lipoille est, qui illius populi custodiam gerebat, manus ibi. præcedebatque castra Hæbreorum, viam eis ostendendo per columnam ignis in nocte, & nubis in die: qui se collocauit inter castra ipsorum, & Ægyptiorum, vt eos defenderet ab aduersariis: auxilium eis præbuit, vt in terram promissam Exod. 13. v. hostibus deuictis intrarent. Hæc autem omnia 21. præstant nobis Angeli custodes, qui nos præcedunt, & tuentur in omnibus viis nostris, nobisque contra æstus ardentium concupiscentiarum sunt velut columna, & vmbra nubis: contra ignorantias verò, & desidias velut columna ignis?

Proprium enim Angelorum est pigros, & desides, qui in lectulo suo dormiunt, nec Deum, vt par est, quærunt, excitare, stimulare, & vrgere,

3. Reg. 19. v. 5. vt surgant ad laborandum, corroborando eos ne deficiant: quomodo Angelus Eliam timore perculsum, & tædio affectum, ob persecutionem Iezabel, cum bis obdormiret ad vmbram iuniperi, bis excitauit, dicens: *Surge, & comede, grandis enim tibi restat via.* Qua voce excitatus surrexit, comedit, & confortatus illo cibo ambulauit per desertum vsque ad montem Dei Oreb, vbi diuino colloquio dignus effectus est. Quis spiritu feruentior quam Elias? & tamen aliquando intepuit, iuuamineque indiguit Angelico, cuius internæ voces, seu inspirationes consolantur tristes, erigunt pusillanimes, debilibus spiritalem cibum præparant, eoque vesci suadent, vt confortentur, & ambulent per viam mandatorum Dei, in ipsoque itinere vrgent, vt ad sublimem contemplationis montem ascendant, vbi cum ipso Deo familiariter colloquantur.

2. Vnde sponsa idem iter peragens, angelicos vigiles obuios habuit. *Inuenerunt* (inquit) *me vigiles.* Non ait vigil, sed vigiles, quia non vnus Angelus tantum eam inuenit, sicut Eliam, sed plures; quia charissima erat Dei amica, cuius maiorem gerebat solicitudinem. Mox autem ab eis interrogauit: *Num, quem diligit anima mea, vidistis?* oportet enim Angelos alloqui, eos rogare, & ab eis sicut Iacob humiliter petere, vt nobis benedicant, & auxilium, ac directionem præstent. Præstiterunt autem illam sponsæ, licet hic non referatur ad significandum locutionem, responsionemque angelorum intus in secreto cordis fieri, quam nullus intelligit, nisi ipse, cui loquuntur. Inspirarunt autem sponsæ vt in quærendo omnibus ablatis impedimentis præstaret, ideoque subdit, *Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea*, perspicuè indicans per Angelorum ministerium parari accessus ad diuinum colloquium, & ad intimam cum ipso Deo vnitionem. Quod obseruat Richardus, dicens; animam contemplationi vacantem tunc inueniri à vigilibus, cum ipsi Angeli suam ei præsentiam exhibent, suos internos impulsus communicant; solent enim orantibus, & contemplantibus assistere, imo & præuenire, etiam cum non queruntur: *Nam præuenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum.* Post hæc autem ipse dilectus se inueniendum præbet, & intimam sui cum anima coniunctionem efficit. Quoties ergo Angeli senseris inspirationes, ea, quæ Deo sunt grata, suggerentes, confestim ei obedire cura, loquitur enim nomine Dei tanquam nuncius, & legatus ipsius: ideoque ait, *Et est nomen meum in illo.* Caue tamen ne *illi* obsistas, nam etiam, inquit Dominus, *Nec contemnendum illum putes, quia non dimittet cum peccaueris.* Est enim minister diuinæ iustitiæ, vindexque iniuriæ Deo illatæ, & qui ipsum contemnit, Deum contemnit. Vnde vigil de cælo Daniele teste, promulgauit sententiam contra Nabuchodonosor, & supplicium propter eius incredibilem superbiam illi statim infligendum. Consultius ergo est illi parere, siquidem vigilat pro te, vt Deum valeas inuenire.

In hunc locum.

Exod 23. v. 20.

Dan. 4. v. 10.

PRO FESTO DOCTORVM ET PONTIFICVM. De hoc plura etiam

De necessitate custodiæ, quæ per prælatos, & magistros exhibetur. §. 3.

ETsi autem cælestium vigilum custodia tam vtilis sit, & necessaria, vt vidimus; adhuc tamen non est nobis sufficiens iuxta communem Dei prouidentiam, qui statuit homines per alios homines docere, & regere, ad hocque munus constituit in Ecclesia prælatos, & doctores, qui vigiles dicuntur, & custodes visibiles. Nam sicut qui literis dant operam, non tantum indigent libris, in quibus scientia traditur, sed etiam magistris, qui eos interpretentur, dubia declarent, & ad interrogata respondeant; ita etiam quærentibus Deum, & eius perfectam cognitionem, præter libros creaturarum, & scripturæ sacræ, opus est magistris, qui eos instruant, libros explanent; & ad ea quæ dubitauerint, vel interrogauerint, sapienter respondeant, his etiam commissa est fidelium protectio, & gubernatio. Imo magna ex parte Dei prouidentia nos per Angelos gubernans, duo hæc inuoluit, nimirum inspirare fideles, & mouere; vt tendant ad prælatos, & doctores, ab eisque viam salutis exquirant, & scisciteantur. Deinde vero ipsos prælatos, & doctores stimulare, vt ad subditos & fideles vadant, vel eos recipiant, intus suggerendo magistris, quæ docturi sunt alios, quod ex scriptura satis constat. Nam Cornelio centurioni, qui vere Deum quærebat, vt eum plene inueniret, apparuit Angelus qui dixit ei. *Mitte viros in Ioppem, & accersi Simonem quendam qui cognominatur Petrus. Hic dicet tibi quid te oporteat facere.* Poterat quidem Angelus ea omnia illi dicere; noluit tamen, sed id Petro committere. Ipsum vero Petrum, ne ire ad illum recusaret, præmissa quadam mira visione, monuit vt vocantibus annueret, dicens, *Ecce viri tres querunt te, surge, itaque descende, & vade cum eis, nihil dubitans, quia ego misi illos.* En vbi Dominus salutem Cornelij direxit per Angelum admonendo, vt visibilem vigilem inquireret, per quem salutem desideratam inueniret, vt cum de Petro scriptura ait; *Dixit Spiritus ei*, intelligi potest vel de Spiritu sancto, vel de Angelo nomine ipsius. Id etiam confirmat exemplum Eunuchi, ad quem Angelus Domini deduxit Philippum, vt ei locum Isaiæ, quem legebat, & non intelligebat, explicaret, & viam salutis doceret, ac baptizaret Imo Christus Dominus cum ad se conuertisset Saulum, qui dixit ei, *Domine quid me vis facere?* Et si posset per seipsum illum docere, noluit tamen, sed respondit ei, *Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Ne autem Saulus in ciuitate sine magistro maneret, quia nullus ad eum accedere auderet, apparuit Dominus Ananiæ, & dixit ei, *Surge, & vade in vicum, qui vocatur rectus, & quære in domo Iuda Saulum nomine.* Et cum Ananias timeret ire, iterum ait, vade; *Vas enim electionis est mihi iste*, &c.

infra exh. 24. vbi proprietates horum vigilum describuntur. 1.

Actuum 10. v. 5. & 19.

Act. 8. v. 26.

Act. 9. v. 7. & 11.

2. His ergo & aliis exemplis constat, diuinam prouidentiam homines per alios homines gubernare; vnde omnes rationes, quas pro necessitate Angelicæ custodiæ attulimus, militat etiam pro custodia, & directione à prælatis, & doctoribus præstanda. Nam ministeria quæ illi inuisibiliter exhibent, isti visibiliter securius præstant. Quare etiam ipsi in scriptura vocantur Angeli: sicut apud Malachiam legimus: *Labia Sacerdotum custodient scientiam, & legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Illud etiam quod Dominus Israelitico populo dixit: *Ecce mitto Angelum meum qui præcedat te*, &c. Quod de veris Angelis explicuimus, intelligitur ab aliis doctoribus, vel de Moyse ipso, vel de Iosue, qui populũ deducebant, & custodiebant; vnde intelligi etiã potest de quolibet prælato Ecclesiæ, &

Malach. 2. v. 7.

Exod. 23. v. 20.

Caiet. explicat de Moyse.

Rabbanus de Iosue.

doctore, qui munus Angeli obiit; cuius vocem nobis Deus præcipit audire, nec illum contemnere, quia *nomen meum*, (inquit) *est in illo.* Id est, meam maiestatem, & authoritatem refert, & per eum manifesto voluntatem meam, & gloriam meam, ac nomine meo loquitur, & ideo in me refunditur obedientia, vel rebellio contra illum. Iuxta id quod Christus Dominus Apostolis dixit: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Nam etiam sicut Pater misit me, ita ego mitto vos, & quod dicitis, nomine meo dicitis, quia mei estis nuncij, legati, & angeli.

Lucæ 10. v. 16.

3. Hinc igitur fit necessariam esse custodiam horum vigilum, & Patrum spiritualium ad superandas insidias, & tentationes diaboli, qui semper vigilat, & tanquam Leo circuit quærens, quem deuoret. Nam per hos Doctores detegit Deus insidias inimicorum, ad modum quo Elisæus monebat regem Israël, dicens: *Caue ne transeas in locum illum, quia ibi Syri insidiis sunt.* Qui autem dilectum quærit per vicos & plateas ciuitatis, cum in nocte quærat ob obscuram cognitionem, si solus quærit, incidet in insidias dæmonum; & dum putat se inuenire sponsum, inueniet Sathanam in illius speciem transfiguratum. Audiant hoc (inquit D. Bernardus) qui sine duce & præceptore vias vitæ ingredi non formidant, ipsi sunt in arte spirituali existentes discipuli pariter, & magistri. Quam multi ex hoc à recto tramite periculosissimè aberrasse comperti sunt, & paulo post ait; de sponsa exemplum sumant, quæ non prius ad eum quem desiderabat, valuit peruenire, quam sibi occurrerent, quorum magisterio vteretur ad cognoscendum de dilecto, certè ad discendum timorem Domini. Seductori dat manum, qui dare dissimulat præceptori; & qui dimittit oues in pascua absque custode, pastor est, non ouium, sed luporum. Hæc Bernardus causam insinuans, cur sponsa, nec domi, nec per vicos & plateas dilectum quærens eum inuenit, & si sedulo quæreret, quia nimirum sola sine Duce, & sine Comite quærebat; nec etiam inueniret, si postquam occurrerunt ei vigiles, eos non interrogasset. Vtrumque enim tanquam necessarium ad inueniendum Deum hic præmittitur, ne vllus detur locus diabolicæ illusioni? quod ipsa experientia, & ratio confirmat, quoniam inter homines maxime iuniores, nullus est sui ipsius securus magister, custos, & medicus, si suæ prudentiæ nititur, & proprio iudicio fidit, Indicium, enim est superbiæ, præsumptionis, quæ meretur decipi, propter quam diabolus vires recipit, vt eum facilius seducat.

Serm. 77. in Cant.

Nota.

4. Vnde D. Augustinus in prologo de doctrina Christiana, maxime inuehitur in eos, qui ab aliis discere nolunt proprio sensu nixi, quorum vocat superbissimas, & periculosissimas tentationes, quas omnino cauere debemus: confirmans id exemplo Pauli, Cornelij, & Eunuchi quæ iam attulimus. Et poterant (inquit) omnia hæc per Angelum fieri, sed abiecta esset humana conditio, si per homines hominibus verbum suum Deus ministrare nolle videretur: quomodo enim verum esset quod ait Paulus; templum Dei sanctum est, quod estis vos, si Deus de humano templo responsa non redderet, & totum quod hominibus tradi vellet, de cælo, atque per Angelos personaret? & paulo post, nonne cum Moyse

D. Auguſt.

1. Cor. 3. v. 17.

Exod. 18. v. 18.

Deus loquebatur, & tamen consilium regendi populum à socero suo, alienigena sc. homine, & maxime prouidus, & minime superbus accepit? adstipulantur antiqui Abbates apud Cassianum, eodem exemplo D. Pauli vtentes in hunc modum: Paulum per semetipsum vocans, & alloquens Christus, cum posset ei perfectionis viam referare, confestim dirigere ad Ananiam maluit; & ab eo iubet viam veritatis agnoscere, eumque illius potius doctrina quam sua censet instrui, ne scilicet quod recte gestum fuisset in Paulo, posteris malum præsumptionis præberet exemplum, dum vnusquisque sibimet persuaderet, simili modo se quoque debere Dei solius magisterio, atque doctrina potius, quam seniorum institutione formari?

Collat. 2. c. 15. & Collat. 16. c. 12.

Addit vero D. Gregorius. Si aliquando Deus speciali priuilegio aliquos sanctos velut Ioannem Baptistam per se ipsum instruxit, id non esse trahendum in exemplum infirmis; ne (inquit) si discipulus hominis esse despiciat, magister erroris fiat: iudicium enim proprium, quod sui magistrum instituit, in plures eum errores inducet, nec salutem inueniet, nisi homini se humiliter subiiciat. Quod exemplum Naaman leprosi supra allatum euidenter declarat: quandiu enim Elisæo parere noluit, leprosus mansit, quia suo se iudicio regebat, à quo in magnum errorem præcipitatus est. *Nunquid* (inquit) *non meliores sunt Abana, & Pharphar fluuij Damasci omnibus aquis Israel, vt lauer in eis, & munder?* errabat superbus proprio iudicio ductus, quoniam eædem aquæ, eademque media ex Dei & prælati voluntate per obedientiam assumpta, possunt lauare, & salutem conferre; si tamen propria voluntate contra diuinam assumantur, nihil efficient, quia multoties virtus agendi, non tam est in ipsis mediis ex natura sua consideratis, quam in Dei potentia qui illis vti vult ad nostram salutem. Quod ipse Naaman mox expertus est, cum depositio suo proteruo iudicio, suorum famulorum acquieuit consilio, qui dixerunt ei: *Pater, etsi rem grandem dixisset tibi propheta, certè facere debueras; quanto magis, quia nunc dixit tibi, lauare, & mundaberis*, assensit, lauit se, & mundatus est. Vbi simul discrimen attende inter perfectorum, & imperfectorum obedientiam: illi enim Deo, & prælatis prompte, & celeriter obediunt, hac solum ratione, quia Deus iubet. Hi vero multoties humanis rationibus, amicorum consiliis, & propriis commodis deducuntur, vt obediant, & prælatis subiiciantur; & tamen salutem sicut Naaman consequuntur, quoniam tandem propter Dei voluntatem potissime rem iniunctam exequuntur.

Lib. 1. Dialog. c. 1.

5. 4. Reg. 5. v. 11.

De modo, quo se gerere debent ad inuicem, quærentes Deum, & magistri eorum. §. 4.

SED vlterius sponsæ verba modum insinuant à prælatis, & subditis, seu à magistris, & discipulis seruandum, vt recte munus suum obeant. Etenim in eo quod non ait, inueni vigiles, sed ipsi inuenerunt me, innuit prælatos, confessarios, & magistros propensos esse debere & paratos ad vltro se offerendum fidelibus, & ad recipiendum, & audiendum illos, quoties opus fuerit.

Indecens enim est eos fugere, aut se abscondere, vel toruo vultu recipere, sed placido & benigno, imitantes ipsum Deum, qui ait: *Inuentus sum à non quærentibus me, & palam apparui iis, qui me non interrogabant.* Qui etiam velut sol paratus est lumen præstare omni homini venienti in hunc mundum. Sint ergo ipsi tanquam lucerna accensa, non quidem posita sub modio, aut subtus lectum, ex auaritia vel pigritia, abscondentes lumen; sed constituta super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt; imo Christus Dominus etiam vocauit eos lumen mundi, quia parati esse debent illuminare omnes, qui per mundi vicos, & plateas circumeunt, Deum inuenire desiderantes.

Isa. 62. v. 1.

Matth. 5. v. 15. Luc. 8. v. 16.

2. De hoc plura infra l. 9. exhor. 27. §. 2. in id: *Quo abiit dilectus tuus.*

At in eo, quod inquit sponsa, se statim vigiles interrogasse, *Num, quem diligit anima mea vidistis!* propensionem insinuat subditorum, & fidelium ad inquirendum à doctoribus, & magistris, quod sibi vtile est ad salutem, nactam occasionem statim arripientes, sed nec mysterio caret non salutasse vigiles, quos in plateis offendit, sed statim, quod volebat, interrogasse, ad significandum, non esse inutilia, vel mundana colloquia cum illis miscenda, sed tantum de iis, quæ ad rem pertinent. Quo sensu Eliseus Propheta præcipit Giesi famulo suo, *Si occurrerit tibi vir, non salutes eum.* Et Christus Dominus discipulis, *Neminem per viam salutaueritis.* Vbi D. Ambrosius notat, non frustra additum esse in via, quia non salutationis (inquit) officium, aut sedulitas aufertur, sed obstaculum impediendæ deuotionis ab oletur; vt, quando diuina mandantur, paulisper sequestrentur humana. Pulchra salutatio, sed eo pulchrior, quo præceptorum maturior executio diuinorum, quæ per moram sæpe trahit offensam. Ideo autem & honesta prohibentur, ne solennis gratia obrepat officij, & impediat ministerium, cuius mora culpa sit. Consentit D. Augustinus, dicens sensum huius phrasis esse, omnia prætermittite, dum, quod iniunctum est, peragatis. Qui ergo Deum quærit, nullam in hoc inutilem moram admittere debet, sed solùm iniuncto sibi ministerio sedulo vacare.

4. Reg. 4. v. 29. Luc. 10. v. 4. l. 7. in Luc.

Serm. 42. de Sanctis.

Præterea, verba sponsæ breuissima fuerunt, sed magno affectu probata; ita vt ex vehementia affectus nomen reticuerit eius, quem diligebat, vt sciremus, cum confessariis, & spiritus magistris non longa miscenda esse colloquia, quos sapientes, & expertos esse supponimus. At sapienti sat verbum; quia multoties plura ex paucis verbis deducit, quam ipse interrogans sciat quærere, & ex affectu, & modo, quo loquitur, statum mentis dignoscit, vt quid sit respondendum sciat. Ipsi etiam Magistri, cum valde prudentes sint, non pluribus vtuntur verbis, sed paucis respondent, ac satisfaciunt, imò aliquando non tam verbis, quam quibusdam signis, factis, & exemplis: quomodo ad interrogationem discipulorum Ioannis, solum respondit Christus: *Renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis.* Qua forte de causa hic non refertur vigilum responsio, qui à factis, aut saltem breuissimis verbis responderunt, modum quo quærendus erat dilectus, indicantes, sed in eo, quod subdit; *Paululum cum pertransissem eos*, euitanda insinuat extrema vitiosa, quia cum huiusmodi vigilibus, nec semper vel diu standum & conuersandum est, nec tamen longe, aut diu ab illis recedendum; sed paululum pertransire eos oportet,

3.

Matth. 11. v. 4.

4.

A audita ipsorum instructione, vt Deo per congruas spiritus exercitia inquirendo vacemus. Vlterius autem hæc verba monent. Vt non fidamus præcipuè in prælatis, & doctoribus, quatenus homines sunt, sed pertranseamus paululum eos, omnem nostram spem in ipso Deo, cuius illi sunt coadiutores, collocantes; siquidem, neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus; & maledictus dicitur, qui confidit in homine. Benedictus vero qui confidit in Domino, & in hunc modum explicat D. Bernardus, quod de huiusmodi custodibus inferius dicitur, nempe: *Percusserunt me, vulnerauerunt me.* Erat (inquit) cor sponsæ non in vigilibus, sed in Domino fiduciam habens, & aliter suadentibus aiebat. *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?* at vigiles percusserunt eam, quia vrgebant, vt pertransirent, proinde inuentura dilectum. Quomodo Paulus percussit

5.

1. Cor. 3. v. 7. Ier 7. v. 5. Cant. 5. v. 7. Serm. 15. in Psal. Qui habitat. Psal. 10. v. 1.

B Corinthios, qui plus nimio vigilibus adhærebant, dicentes, ego sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ. *Nunquid* (inquit) *Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? quidigitur est Apollo? quid vero Paulus? ministri eius cui credidistis.* In eo autem tota nostra spes præcipuè est collocanda, qui ministros suos iuuabit, vt nos iuuent, ad ipsumque perducant in secula seculorum. Amen.

1. Cor. 1. v. 12. & c. 3. v. 4.

In exhort. 3. plura de actibus vulnerandi & percutiendi.

EXHORTATIO VII.

C *De incomprehensibili Dei natura, & de mirabili modo, quo in perfecta contemplatione pertranseundo omnes creaturas, inuenitur, & tenetur, maxime per vnitionem amoris: & de arcanis scientiæ mysticæ.*

PRO FESTO S. TRINITATIS.

Num quem diligit anima mea, vidistis. Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea. Tenui eum, nec dimittam, &c.

AM sedulæ inquisitionis Dei fructum pandamus, quem apex mentis gustat, & Theologia mystica docet, etsi vix verbis explicari valeat. Valde laborauerat sponsa quærendo dilectum suum, tum precum clamoribus, tum variis meditationibus, & discursibus per vicos & plateas creaturarum, nec tamen potuit inuenire. Occurrerunt ei vigiles, tam Angeli, quam homines Ecclesiæ doctores, quos interrogauit, an dilectum suum viderint, & vbi eum inuenire queat, agnoscant. Insinuat Salomon eos tacuisse, nullumque ei dedisse responsum, dum illud reticet, aut si dederunt, manifestare noluit. Explicandum ergo est, quid hæc innuat taciturnitas, siue vigilum, siue Salomonis, aut potius Spiritus sancti, per illum, hanc texentis narrationem.

A nullis sapientibus, neque ab Angelis posse Deum comprehendi. §. 1.

1. Iob 12. v. 7.

MIRVM autem valdè est, quod cùm sanctus Iob quærenti Deum dixerit, *Interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi; loquere terræ, & respondebit tibi*, &c. tamen sponsæ quærenti eundem Deum, & scisciitanti à vigilibus, qui sunt spiritualia volatilia cæli, *Num quem diligit anima mea vidistis?* Nihil illi respondeant; maximè cum Angeli facilè dicere possent: vidimus vtique quem diligit anima tua, & probè eum nouimus; scriptum est enim, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Maluerunt autem tacere (sicut perpendit Diuus Gregorius Nyssenus) vt hoc suo silentio attestarentur, sibi etiam incomprehensibilem esse Dei naturam. Spōsa enim non satiata erat responsionibus creaturarum, quæ per iumenta & volatilia designantur: perfectiorem enim sui dilecti cognitionem appetebat, & ideo eam ab Angelis exquirit. Illi autem ad sublimiorem eam remittunt inquisitionem, nempè ad ipsum dilectum, qui seipsum amplius potest manifestare, sicut scriptum est, *Nemo nouit Filium nisi Pater, nec Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Etsi autem reuelauerit Angelis, qui eum clarè vident; tamen prudenter responsum non tribuunt, tum, quoniam id quod vident, animæ adhuc in carne degenti sufficienter explicare nequeunt, cum & Diuus Paulus in paradisum raptus, de se dixerit, audiuisse arcana verba, quæ non licet homini loqui, tum potissimè quia illo suo silentio, admiratione quadam Dei maiestatem venerantur, & quodammodo plus indicant, quam si loquerentur; iuxta illud psalmi, *Te decet hymnus Deus in Sion.* Quod Diuus Hieronymus sic vertit, *Tibi silentium laus Deus in Sion*; quia tunc maximè Deum laudamus, cum stupore magnitudinis eius silere cogimur, confitentes quod eius ineffabilis & incomprehensibilis maiestas nos tacere compellit.

Matt. 18. v. 10. Ho. 6. & 12. in Cant.

Matt. 11. v. 27.

1. Cor. 12. v. 4.

Psal. 64. v. 1

Ier. 42. v. 19.

Est enim sicut Ieremias ait, incomprehensibilis cogitatu humano, & angelico. Vnde omnes hominum & Angelorum laudes sunt quasi silentium, quoniam nihil eorum, quæ re ipsa in Deo sunt, vix valent explicare.

2. Isa. 6. v. 2. Ex D. Hier. ep. 1. 42. ad Damasum, Cyrillo in Isaiam, & aliis.

Propter quod Seraphini, qui Angelorum sunt sapientissimi, sicut & amore ardentissimi; etsi Deum vocibus laudarent, dicentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, tamen, vt amplius Deum extollerent, & magnificarent, alis suis faciem & pedes eius velabant; hoc facto significantes se non posse diuinitatis essentiam, vel profunda ipsius iudicia, & opera, ac humilia incarnationis mysteria comprehendere. Sed quid est, quod Seraphini faciem Dei tegunt, nec prospicere audent; & tamen Diuus Petrus ait, *In quem desiderant Angeli prospicere?* At vtrumque eandem Dei incomprehensibilem insinuat maiestatem. Licet enim Angeli, qui sua visione beatifica satiati, omnino sunt, clariorem Dei visionem absoluta voluntate non desiderent: dicuntur tamen desiderare, non solùm quia sine fastidio & tædio alacriter semper vident, ac in æternum videre cupiunt; sed etiam, quoniam quantocumque Deum clarè videant, adhuc infinitum restat, in cuius visionem eorum desiderium ferri posset. Propter quod Seraphini simul faciem Dei vident, & illam tegunt, quia sciunt in illa facie multa esse sibi ob-

1. Pet. 1. v. 12

A tecta; & sicut sponte vident, ita sponte propriis alis tegunt: gloriantur enim tam immensum habere Deum, vt eum comprehendere non valeant, & plurima in se continere, quæ ipsi ignorent; non solùm exiis quæ ad faciem, sed etiam quæ ad pedes, & gressus, ac actus illius spectant.

3.

Si autem hoc testantur cœlicolæ vigiles, quid dicent terrigenæ? quibus inquit Iob, *Tu forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum omnipotentem reperies.* Minimè gentium, quia non tantùm faciem, quod est perfectum Dei, sed nec vestigia pedum, quæ sunt vltima illius, assequi vales, & quamuis aliqua noueris, infinita manent tibi ignota. Vnde Septuaginta vertunt, *An ad vltima peruenisti, quæ fecit Omnipotens?* Propter quod quidam Sapiens dixit, *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.* Sed & Salomon mortalium sapientissimus, de diuina sapientia loquens, ait, *Dixi sapiens efficiar; & ipsa longius recessit à me multo magis, quàm antea erat, alta profunditas, quis inueniet eam?* Et rursus. *Intellexi quod omnium operum Dei non possit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole; & quantum plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniet; etiam si dixerit Sapiens se nosse, non poterit reperire:* id est, plenè nosse omnia, quæ Deus circa singula disponit.

Iob 12. v. 7.

Iob 36. v. 26

Ecclesiastes 7. v. 24. & c. 8. v. 16. De hoc infra l. 10. Exhort. 21. §. 1. in id, *Fuge dilecte mi.*

Ex his autem deducere debes propriæ ignorantiæ, & imbecillitatis agnitionem, quæ veræ humilitatis est radix, confitens ferè nihil esse quod de Deo cognoscis, cum eodem Salomone dicens, *Stultissimus sum virorum, non didici sapientiam, & non noui scientiam sanctorum.* Hæc autem humilis confessio viam aperit ad inueniendum & cognoscendum plenius Deum. Sicut enim (teste Apostolo) sapientes mundi, qui euanuerunt in cogitationibus suis, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. E conuerso (inquit Diuus Augustinus) si dicendo te esse sapientem stultus factus es: dic te stultum, & sapiens eris: dic non tantùm coram hominibus, sed præcipuè coram Deo; iuxta illud eiusdem Apostoli, *Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, vt sit sapiens.* Propter quod optime concludit Diuus Gregorius; Tunc verum est, quod de Deo cognoscimus, cum plenè nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus; vnde post sibilum auræ tenuis, vultum suum Elias operuit, quia in ipsa subtilissima contemplatione veritatis, quanta ignorantia homo contegatur, agnoscit.

Prou. 30. v. 2.

Ad Ro. 1. v. 21.

Serm. 8. de verbis Do.

1. Cor 3 v. 18.

Lib. 5. Mor c. 26.

3. Reg. 19 v. 13.

D

Quo modo pertranseundo cuncta creata inuenitur Deus. §. 2.

In duce spirituali tractatu 3. de contempl. multa circa hoc punctum dicta sunt.

CONFIRMAT, quæ diximus, ipsa sponsæ narratio, in qua clare significatur eam non inuenisse dilectum apud vigiles, & custodes ciuitatis, sed postquam paululum pertransiit eos; nam & si demus eos responsum dedisse, vel internis verbis, sicut loquuntur Angeli, vel externis, sicut doctores Ecclesiæ; tamen reticetur hoc ad indicandum nullam Angelorum, vel hominum instructionem sufficere, vt Deum plene apud ipsos inueniamus; cum ipsi etiam inter creaturas computentur, quæ ad hoc nihil ex se valent. Vnde hoc silentio tacite monemur, vt super ipsos vlterius ascendamus inquirentes summum, & immensum bonum, quod se tantum nobis potest

manifestare, sicut electis suis in suprema se ostendit contemplatione. Et hoc est quod sponsa ait, *Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.*

Singula verba plura continent mysteria. Verbum autem *pertransisse*, ex consequenti referendum est ad tres allatas similitudines lectuli, ciuitatis, cum vicis & plateis, atque vigilum. Ac si dicat; postquam cogitatione inuestigaui, & pertransiui primo meipsam, & deinde quidquid terræ & cœli ambitu continetur, & insuper vigilantissimos spiritus, qui super cœlos sunt, & mundum custodiunt, extra hæc omnia, & super hæc omnia inueni vnicum, eleuatissimum & supereminentissimum spiritum, qui omnibus his incomparabiliter est pulchrior, & splendidior, sapientior, & vigilantior, potentior, & fortior, purior, & sanctior; quocumque perfecto infinite perfectior, & quocumque amabili infinitè B amabilior; & hic est dilectus meus, quem anima mea vehementer diligit, quem anxiè quærebat, & inuenire desiderabat, nec inuenire poterat, nisi cuncta hæc pertransiret, relinqueret, & se supra seipsam eleuaret.

Per has igitur parabolas eleuatissimam scientiæ mysticæ designat cognitionem, qua omnes transcendimus creaturas, quæ sunt, vel possunt esse, aut mente concipi, vt ascendamus ad Creatorem qui super omnes est, & illos infinitè excedit. Quod Diuus Dionysius in sua mystica Theologia Timotheum ita docuit; Tu verò Timothee charissime, intentissima intuendis spectaculis mysticis exercitatione, linque sensus, & intellectuales operationes, & sensibilia, & in- C telligibilia omnia, & quæ non sunt, & quæ sunt omnia; & vt illi iungaris, qui super omnem substantiam, omnemque scientiam est, ignote pro viribus teipsum intende. Sic Dionysius, præclarè docens ea omnia relinquenda esse ad inueniendam sublimem Dei contemplationem, quæ metaphoricè dicitur reliquisse sponsa, vt dilectum inueniret. Sicut enim hæc ait reliquisse lectulum, & circuitiones per vicos & plateas absoluisse, ac pertransisse vigiles ciuitatis; ita ille inquit linquendos esse sensus, intellectuales operationes, sensibilia, & intelligibilia omnia; sensus vocat omnes apprehensiones rerum sensibilium per visum, auditum, olfactum, gustum, & tactum, & quæ etiam fiunt per imagines, & figuras sensus interni, seu phantasiæ: omnes enim D istæ versantur circa res corporeas, & materiæ immersas. Deus autem spiritus est purissimus, omnisque materiæ expers, ideoque per eas propriè non potest repræsentari, nec apprehendi. Intellectuales autem operationes dicit discursus, & meditationes nostras, quæ ex rebus sensibilibus deducuntur, vel ductu propriæ rationis fiunt, quæ non attingunt res spirituales nisi per quandam analogiam, & proportionem ad corporeas. Deus autem in seipso omnes has proportiones incomparabiliter superat, & aliquid infinitè eminentius, & præcellentius est omni re, cui potest compararí. Intelligibilia autem vocat substantias spirituales, seu Angelos, qui vigiles dicuntur, hos omnes etiam in immensum excedit, & non solùm eos, qui hactenus creati sunt, sed etiam eos qui creari possent, omnes enim limitatam habent perfectionem à suo participatam opifice; cuius comparatione sunt, ac si non essent, & quasi nihil computantur. Oportet igitur hæc omnia

Lib. de mystica Theolog. c. 1.

„ „ „ „ „ „

A pertransire, vt infinitam Dei essentiam, & maiestatem alio modo sublimiori inueniamus, quem Dionysius vocat ignotè iungi ei, qui super omnem subltantiam & scientiam est.

Vox autem *ignotè* duo includit, nimirum cognitionem per fidem Dei reuelationi obscuræ nitentem, quæ rem non manifestat clarè, sed in ænigmate. Quod enim credimus, non videmus manifestè; sed tantùm in testimonio reuelantis, quem etiam non intuemur; & ideò cuncta in se manent nobis ignota. Deinde significat exclusionem omnis formæ creatæ, quæ à nobis distincte concipi potest. Nam per negationes eorum quæ videmus quasi gradatim ascendimus ad illud increatum, & immensum quod super illa est. At modus iste mysticus cognoscendi Deum est sublimis, vt menti sit incognitus. Solùm enim habetur ex supernaturali quadam luce ab ipso Deo gratis infusa, ignorante anima infusionis modum, *Spiritus enim vbi vult spirat, vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat.* Per hanc autem lucem cognoscit Deum secundùm illum immensum excessum quem habet super omnia creata: cognoscit quandam bonitatem super omnem bonitatem; quandam sapientiam super omnem sapientiam, & quandam immensam magnitudinem super omne quod dicitur magnum: & dum hæc cognoscit, adhuc intelligit, Deum multo excellentius quid esse, quam quod ipsa intelligit, & ex hac parte manet ignotus: tamen per id quod iuxta suum captum cognoscit, in tantam rapitur diuinæ maiestatis admirationem, vt maneat quasi satiata & beatificata, & in ipsum Deum velut transfusa: tunc etiam audit arcana Dei, quæ non licet homini loqui, videtque mysteria & magnalia ipsius quæ nescit explicare. Et hac forte de causa sponsa tantùm inquit, *Inueni quem diligit anima mea*; non eum nominans, nec dicens, quis esset, quia, etsi eùm agnouerit, nesciebat proprium & genuinum nomen ei imponere, nec id, quod viderat, distincte declarare; iuxta illud, *Quod est nomen eius, aut nomen filij eius, si nosti?*

Ad hanc autem tam sublimem Dei agnitionem non peruenitur discursibus, sed precibus & gemitibus, ac ardentis amoris affectibus erga Deum ipsum, cuius est hoc donum, *Quia omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum*: ideoque sponsa toties hic inculcat vocem illam, *Quem diligit anima mea*: nam dilectio fecit illam Deum inuenire. Propter quod dicitur, *Amor intrat vbi scientia foris stat.* Amor quidem intrare non potest ad Deum, nisi illum præcedat, & comitetur aliqua eius cognitio, vnde scientia quæ foris stat, est, quæ per discursus & meditationes habetur, & amorem valde accendit. Cum amore autem intrat alia sublimior Dei cognitio, seu contemplatio; id est, simplex quidam diuinæ maiestatis, vel bonitatis intuitus, seu notitia illa, quæ per supereminentem lucem infusam habita est, quæ vehementissime inflammat amorem, & alios affectus, quos mox dicemus, operatur.

Vnde fit errare illos qui putant sua industria posse ad hanc sublimem Dei cognitionem scientiæ mysticæ peruenire. Quamobrem consulto sponsa, post allocutionem cum vigilibus, non reperit verbum, quæsiui; non enim ait cùm pertransissem eos, quæsiui, & inueni, &c. sed tantùm ait, *Inueni quem diligit anima mea*, vt significaret

3.

Ioan. 3. v. 8.

Prou. 30. v. 4.

4.

Iac. 1. v. 17.

Hugo de sancto Victore.

illam singularem Dei inuentionem gratis sibi esse A nem virtutum. Habet in oratione cum Deo famiconcessam; & non ex virtute propriæ industriæ in quærendo tunc temporis adhibita. Cæterum non concederetur illi, nisi præcessisset inquisitio in lectulo, & per vicos & plateas, atque interrogatio ad vigiles, quoniam iuxta leges à Deo omnibus communiter præscriptas, oportet studium lectionis, orationis, & meditationis circa mysteria fidei, præcedere sublimiores Dei contemplationes, & mysticos, ac anagogicos amoris excessus.

5. Euitanda sunt igitur duo extrema; vnum eorum, qui discursus & meditationes circa res fidei, De hoc ite- etiam Christi Domini, vt homo est, omnino derum in lib. serunt, anhelantes tantùm ad mysticam & eleua- 10. circa il- tissimam Dei cognitionem ab omni imagine delud, *Innixa* puratam, qui in cassum laborabunt, semperque *super dile-* dicent, *Quæsiui eum, & non inueni*; quia temerè *ctam suum.* præsumunt à communi lege discedere, & fortio- B ra se superbè quærere, ac per saltum ad sublimia volare. Nec D. Dionysius admonitionem supra positam huiusmodi hominibus tribuit, sed Timotheo, qui in lectione, meditatione, & oratione diu erat versatus, maximè circa Christi mysteria; à quibus omnes suam inquisitionem inchoare oportet. Alterum verò extremum esset eorum, qui ita his discursibus ac meditationibus hærerent, vt semper in circuitionibus per vicos & plateas versari velint, & cum vigilibus de rebus diuinis confabulari; nollentque vnquam eos pertransire, nec ad sublimiora ascendere, etsi intus Deus ad illa eos vocet, alliciat, & suis inspirationibus trahat; oportet enim fidenter, sed humiliter cum timore & tremore Deum vocantem sequi, nec ei obsistere. Cura igitur sedulo, iugiter & perseueranter commemoratis exercitiis diu incumbere. Fiet enim aliquando, vt dicas, *Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea*, &c.

6. Sed cur, inquit, tantùm pertransisse eos paulum, vt dilectum inueniret, cum inter creaturas & Deum infinita sit distantia. At si hæc creata secundùm id, quod à seipsis habent, inspicias, non solùm paulum, sed plurimum pertransire, imo omnino relinquere oportet, vt Deum inuenias; quia verè infinitè distant à Deo, & nihil per seipsa tibi queunt auxiliari, *Sed maledictus homo, qui confidit in homine.* At si inspicias ea, vt instrumenta sunt Dei, & vigiles, vt sunt eius ministri, quibus ad seipsum manifestandum vtitur, sat est paululum pertransire, ex ipsis scalam faciendo ad ascendendum in Deum, eius potissime nitens virtuti.

Sed id difficilius est in hac narratione, quia si apud vigiles non inuenit Deum, quia & illis, & D omnibus incomprehensibilis est, quomodo pertransiens illos potuit inuenire? Nunquid potuit comprehendere? Absit, si de omnimoda comprehensione sermo sit. Solùm ergo post tam sedulam inquisitionem Deum inueniisse dicit, quia multo sublimiora mysteria reperit ex gratia ipsius, qua se ei manifestare dignatus est, quam quæ suo discursu ex creaturis cœli & terræ, ac ex vigilum doctrina potuit inuenire. Quod ex effectibus, quos in se experitur, etiam dignoscit; Quærenti (ait Ricardus) nec ab intentione cessanti exhibet se dile- In cap. 3. Cant. ctus, & votis occurrit: quo præsente innouatur ani- „ ma, & quasi ei adhærens sentit interni gustus dul- „ cedinem, intelligentiam spiritualem, fidei illumi- „ nationẽ, spei argumẽtum, charitatis incentiuum, „ compassionis affectum, iustitiæ zelum, delectatio-

liare colloquium, quasi audiri se sentiens, plurimumque exaudiri; facie ad faciem cum Deo loquens, & audiens quid loquatur in ea Dominus Deus. Præterea multos ex illis septem effectibus, propter quos Deum quærebat, in seipsa per eius præsentiam experitur. Tam sublimia deniq; sunt, quæ tunc inuenit, vt pro eo temporis articulo plena sibi manere videatur, illumque quodammodo apprehendisse putet; & ideò subdit, *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam*, &c.

In Exhort. 1 §. 4.

Quomodo in contemplatione teneatur Deus, maximè per vnionem amoris. §. 3.

SED quid sibi sponsa his velit verbis, explicemus. Ad cuius intelligentiam aduertendum est, intellectui per Dei perfectam cognitionem conuenire primò, vt teneat, & possideat Deum, & suum vltimum finem consequatur. Vnde essentialis beatitudo in Dei præcipuè visione constituitur, quoniam per hanc fit Deus præsens voluntati, vt eum tanquam sibi præsentem amet, amplexetur, in eo delectetur, & quiescat: iuxta id quod Saluator ait, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum.* Et Ioannes inquit, *cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Vnde per hanc cognitionem etiam fit quædam adhæsio inter amantem, & amatum (vt angelicus Doctor testatur.) Cæterum ad illam consequitur alia vnio, adhæsio, & nexus maior in voluntate per amorem & cõplacentiam in bonitate & pulchritudine Dei visi, vt quasi vnum fiat cum illo. Amor ergo mouet, & impellit ad cognitionem & contemplationem Dei, sed contẽplatio Dei rursus fortius mouet, voluntatem, vt vehemẽtius diligat, & amplexetur illum. Vtrumq; coniunxisse videtur Apostolus pro Ephesiis orans Christum, *Per fidem*, inquit, *habitare in cordibus vestris in charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, sublimitas, & profundum*, &c. vbi coniungit fidem perficientem intellectum, & charitatem benè radicatam, atque per vtramq; ait posse nos comprehendere, id est inuenire, tenere & mente assequi perfectissimam cognitionem Dei, & attributorum eius, quæ per latum & longum, sublime & profundum designantur. Cum igitur sponsa ait, *Tenui eum*, perfectam quandam possessionem Dei indicat per sublimem eius contemplationem, & ardentissimum amorem, cuius est coniungere, & vnire amantem cum re amata; nam, teste D. Dionysio, amor diuinus etiam est vis vniens & commiscens, impellens amantem, vt semper sit cum dilecto, & intra ipsum omnibus quibus potest modis, vt cum eo fiat quasi vnum. Quod Diuus Paulus non dedignatur explicare per coniugum amorem, de quibus dicitur, *Erunt duo in carne vna; qui autem adhæret Deo, vnus spiritus est.* Adhæret autem per amorem, & fit vnum cum illo modo inenarrabili; vnde cum charitate infusa simul datur persona Spiritus sancti quæ animæ vnitur; qua vnione anima vere tenet Deum, & quiescit in eo, tanquam in proprio loco & centro; nam, *qui manet in charitate, in Deo manet.* Hanc vnionem indicant oscula & amplexus, quæ sunt amoris signa, quorum in hoc Cantico fit mentio, cùm dicitur, *Osculetur me osculo oris sui.* Et rursus. *Vt osculer te, ac dextera illius amplexabitur me.* Si enim ardenter amantes, cùm se osculantur & amplexantur, ita arctè se constringunt, vt videantur se velle

1.

1. 2. q. 3. a. 4. & 8.

Ioan. 17. v. 3.

1. Ioan. 3. v. 2.

1. 2. q. 28. a. 2. & 2.

Ad Ephes. 3. v. 17.

c. 4. de diuinis nom.

1. Cor. 6. v. 16.

1. Ioan. 4. v. 16

Cant. 8. v. 3.

penetrare, & vnum facere, quod in ſpiritualibus ſublimiſſimo ac puriſſimo modo fit; & hoc denotat verbum *tenui eum*, videlicet oſculando, amplexando, & fortiter apprehendendo, ac conſtringendo; nam quod quis manu tenet, habet illud ſibi coniunctum & vnitum, & cùm ſtrictè tenet, videtur quaſi intra ſe velle intromittere. Cum autem Deus non ſit velut corpus per plures partes extenſum, ſed ſpiritus indiuiſus, qui tenet Deum, totum eum tenet, & totum ſibi vnitum habet.

Triplex ſimilitudo vnionis quam facit amor.

Sed quia arcana ſcientiæ myſticæ & diuini amoris vnitiui quo Deus tenetur, per ſimilitudines à rebus corporeis deſumptas melius declarantur, triplicem accipe. Amor enim eſt quidam impetus & impulſus, quo anima fertur in ſummum bonum ab intellectu per Dei illuſtrationem prænognitum, cui ſummo quo poteſt modo nititur coniungi, & quaſi tenere illud, & teneri ab illo. Sicut enim magnes impetum quendam imprimit ferro, quo ferrum relicto proprio loco ad ipſum magnetem trahitur, & illi arctè coniungitur: ſic Deus impulſum amoris imprimit menti, quo potentiſſimè in ipſum trahitur, & ei vnitur. Quem impe-

Cant. 1. v. 3. tum petebat ſponſa, cùm ait, *Trahe me.* Et quemadmodum pondus & impetus lapidi impreſſus, ſic eum impellit ad proprium locum, nempe ad terram, vt ei ſe aſtrictè affigat; & ſi poſſet, faceret lapidem penetrare terram vſque ad intima eius viſcera & centrum; ita etiam amor, qui, teſte D. Auguſtino, pondus eſt ſpirituum animæ impreſſum,

Lib 11. de ciuit. Dei c 28. illam trahit ad rem dilectam; ſi eſt res terrena, ad terram; ſi cœleſtis, & ipſe Deus, ad Deum, cui eam coniungit, & affigit; ac ſi poteſt, intra illum intime conſtituit. Tandem ſicut vehemens calor liquefacit rem denſam & congelatam; eamque quaſi à proprio loco, & à propria natura extrahit, facitque defluere & commiſceri terræ, intra eam imbibi, & quaſi vnum fieri; ſic vehemens Dei amor liquefacit animam, & facit eam à ſe quaſi diffluere, & ita abſorberi & imbibi à Deo, vt pe-

Cant 5. v. 6. nitus videatur ex duobus effici vnum.

Miri effectus amoris vnitiui tenentis Deum, & qui ſint ab omnibus inquirendi. §. 4.

1. EX dictis deducemus miros effectus huius diuini amoris, quorum mentio fit in hoc Canticco; de quibus fuſiùs in propriis locis agemus. In primis enim ex eo prouenit mira illa animæ egreſſio à ſeipſa, & ingreſſio in Deum, quæ vocatur ecſtaſis. Nam (vt docet idem D. Dionyſius) amor diuinus ecſtaſim facit, nec ſinit amatores eſſe ſui iuris, ſed in ius eorum qui amantur, penitus tranſfert. Ita enim amans ſui obliuiſcitur, vt cogitatione & affectu à ſe egreſſus, totus transferatur in dilectum, & in rebus eius verſetur, quaſi non in ſe, ſed in eo viueret: adeoque vehemens ſolet eſſe impetus amoris, vt patiatur ecſtaſim, & egreſſionem à ſenſibus, vt nec videat, nec audiat, nec aliquid ſentiat; quoniam tota vis animæ quaſi exhauritur circa excellentiſſimum obiectum, ſcilicet Deum, quem contemplatur, & amat. Vnde corpus deſtituitur viribus ſpirituum animalium, qui ad illas functiones erant neceſſarij. Et tunc fit plenè ſomnus ille myſticus, de quo ſæpius fit mentio in hoc Cantico, cùm dicitur, *Ego dormio, & cor meũ vigilat.* Et rurſus. *Ne ſuſcitetis dilectam*, &c. Ex hoc amore etiã oritur liquefactio illa cordis, de qua ſponſa infra ait, *Anima mea liquefacta eſt*, vt dilectus *loquutus eſt.* Quod Septuaginta vertunt, *Ani-*

Ecſtaſis amoris. c. 4. de diuinis nomin. p. 1. De his D. Th. 1. 2. q. 28.

Sõnus ſpiritalis. Cant. 5. v. 2. & Cãt. 2. v. 13. & c. 8 v. 3

Liquefactio cordis.

ma mea egreſſa eſt; ſcilicet à ſeipſa, vt in dilectum ſuum ſe trãsferret: de quo ſuo loco plura dicentur. Cant. 5 v. 6. Lib. 8. Exhort. 15. v. 2.

Ex hoc etiam amore manant alij mirabiles effectus, quos contemplatiui experiuntur, & his nominibus explicant, nimirum intrare in abyſſum diuinitatis, deficere in ſe, perdere ſeipſos, ac in nihilum redigi, conuerti & transformari in Deum, & in illud eſſe increatum, & ideale æternum quod apud ſe habet. Quæ non ſic accipienda ſunt, quaſi anima propriam amittat naturam creatam, & realiter tranſeat in diuinam, vt ſomniarunt quidam hæretici; (ſemper enim illam retinet, & impoſſibile eſt conuerti in increatam;) ſed quia in huiuſmodi ecſtaſibus, raptibus, & vnionibus tota mens abſorbetur à Deo, ita vt ſe non ſentiat, nec aliquid aliud præter Deum, & quæ in Deo contemplatur. Et ideò dicitur intrare in abyſſum diuinitatis; tum quia ſecretiſſima & profundiſſima eius videt, tum verò quia tota à diuinitate tegitur, nec aliud quam Deum tunc videt; ſicut qui magno impetu mergitur in abyſſum maris, nihil aliud intuens niſi immenſam aquam.

Apud Ruſbrochium, & alios quos refert Ludouicus Bloſius, hæc nomina inuiuntur.

Et in hac abyſſo dicitur ſe perdere & annihilare, & ſe in Deo inuenire, quoniam videt de ſe nihil eſſe; & id quod eſt, eſſe quaſi nihil reſpectu illius immenſæ maieſtatis quam contemplatur; & ſicut in eſſe diuino idæali repræſentatur, videt ſe à Dei omnipotentia creatam ex nihilo, & in omnibus pendere; ab eius ſapientia gubernari, ab eiuſque bonitate & pulchritudine rapi, ſatiari, & inebriari; & velut vino amoris illius ebria, nihil aliud tunc ruminat & cogitat, niſi vinum & fontem eius. Dicitur autem tunc deficere, quoniam videns tam immenſum eſſe bonum quod amat, cui amando exæquare non poteſt, vellet autem ſi poſſet; ideò quantum poteſt amare conatur; at in ſuo conatu deficit, quia infinitum eſt quod ſibi deeſſe videt. Quo modo dicebat Pſaltes, *Defecit in ſalutare tuum anima mea*: & hic defectus eſt languor de quo ſponſa ait, *quia amore langueo*; non tamen de hoc triſtatur, ſed potius gaudet tam immenſam eſſe Dei bonitatẽ quod ei amore exæquare nequeat. Pſal. 118. Cant. 2 v. 5. & c. 5. v. 8.

3. Denique cuncta hæc explicari poſſunt de amante quantum eſt ex vi affectus, & amoris, qui cæco quodam impetu multoties impoſſibilia tendit, velletque Deum infinitè cognoſcere, & amare, in ſeipſo deficere, & in Deum transferri, & vnum cum Deo omnino fieri: quo affectu dicit, diligam te ſicut diligor à te, vel diligam te ſicut tu diligis me; quod de ſumma ſimilitudine & imitatione in amore intelligendum eſt. Hæc attigiſſe oportuit, quoniam modo etiam non deſunt qui hos amoris effectus, & anagogicos actus experiantur, & prædictis vocabulis manifeſtent.

4. Nobis autem incumbit tres amoris vniones acquirere, quibus ad hanc ſupremam aſcenditur, & ſigna ſunt perfectæ charitatis quæ Deum fortiter tenet. Prima eſt per crebram cogitationem, quæ nutriat amorem, ſicut gignitur ab illo. Quandiu enim amans nequit Deum præſentem habere, ſicut habent beati aſſiduè, quantum fieri poteſt, cogitatione illi adeſt, iuxta illud, *In omnibus viis tuis cogita illum.* Et rurſus. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper.* De quo ſponſa ait, *Faſciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Alia vnio eſt in ſimilitudine vitæ, & morum imitatione. Similitudo enim quædam vnio eſt eorum qui ſimiles dicuntur, cum ſit vna forma in duobus; ideoque ait Eccleſiaſticus, *Omne animal diligit ſibi ſimile, & omnis caro ad ſimilem ſibi con-*

Triplex amoris vnionis.

Prou. 3. v. 6. Pſal. 15. v. 8.

Eccl. 13. v. 19.

iungitur. Anhelat autem ad ſupremam ſimilitudinem cum Deo, quam Chriſtus Dominus præſcripſit, cùm dixit, *Eſtote ergo perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Eandemque commendat ſponſæ, cùm dixit ei, *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum*, ſicut ſuo loco dicetur. Hanc vnionem comitatur tertia, videlicet in obſequio ſecũdùm voluntatem dilecti, cupiendo ita vniri Deo, ſicut inſtrumentum artificiad exequendum quidquid illi placuerit; ad modum quo dicebat Chriſtus Dominus,

Mat. 5 v. 48 Cant. 8. v. 6 Lib. 10. Exhort. 6.

Io. 8. v. 24. *Qui miſit me, mecũ eſt, & non reliquit me ſolum, quia quæ placita ſunt ei facio ſemper.* Quam vnionem commendat ſponſus, cùm inquit, *Pone me vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Placet tandem dictum cuiuſdam Philoſophi, quod cum Ariſtotele approbat D. Thomas; nimirum amantes deſiderant ex ambobus fieri vnum; ſed quia ex hoc eueniret, aut ambos, aut alterum corrumpi, quærunt vnionem quam conuenit, & decet, vt, ſc. ſimul cõuerſentur, & colloquantur, &c. Si ergo his modis te vnire Deo curaueris, ipſe te, cùm oportuerit, eleuabit ad ſublimiorem vnionem contemplationis prædictam, vt tunc dicas, *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum*: inueni per ſublimem contemplationem, tenui fortius per ardentem dilectionem, quæ, vt ſupra diximus, velut ſepulchrum aut infernus fortiſſimè tenet quod ſemel recipit.

Cant. 8 v 6 Ariſtophanes apud Ariſt. 2. polit. c. 2. l. 2. q. 28. art. 1. ad 1.

Exhort. 4. §. 3.

Quomodo Deus dicatur introduci per contemplationem in domum & cubiculum matris noſtræ. §. 5.

COnfirmat, amplificat, & explicat amplius ſponſa, quod dixerat ſubdens, *Nec dimittam, donec introducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Quæ verba ſi ad domum cœleſtis Ieruſalem referas, indicant deſiderium ſupremæ vnionis cum Deo, qualem beati habent in cælo; vbi perpetuò cum ipſo vniuntur cõſumptis omnibus, quæ illam vnionem impedire poſſent, per quam iugiter aſſiſtunt ipſi Deo, eiuſque præſentia fruuntur, & quaſi conuerſi in Deum videntur; quo modo ferrum intra ignis fornacem exiſtens, videtur conuerſum in ſpeciem ignis. Inquit ergo ſponſa, tenui eum, & concupitam cum eo vnionem aliquantulum obtinui: hæc tamen non me planè ſatiat; ideoque non dimittam tenere, & amplius ei vniri, donec vltimam in domo matris meæ cum ipſo conſequar vnitionem.

1. Sed adhuc hæc verba ad præſentem ſtatum referri poſſunt, & inſinuant cupiditatem introducẽdi Deum dilectum per maiorem vnionem amoris in magis intima cordis penetralia, & in ſecretum fundum ipſius ſpiritus. Quod ſic explicat D. Gregorius Nyſſenus; Non dimittã amplius Deum anſa fidei apprehenſum, donec fuerit intra meum concluae. Cõclaue autem iſtud eſt cor meum. Amplius declarat D. Ambroſius, dicens; Quæ eſt domus matris tuæ, & cubiculum eius, niſi internum tuæ ſecretumque naturæ? Hanc domum ſerua, huius domus mundato penetralia, vt cum immaculata domus fuerit, Spiritus ſanctus habitet in ea. Vocatur autem mater (vt ait Nyſſenus) vel Deus ipſe, vel æterna Sapientia, per quam facta ſunt omnia, & materno amore nos proſequitur; vel Spiritus ſancti gratia, vt teſtatur Richardus, quæ nos regenerat, & ſpiritualiter nutrit, & à Sapiente vocatur omnium nutrix, cuius domus eſt humana mens, in qua eadem gratia ſuſcipitur: in hanc (inquit) domum cupit introducere, vt ſicut illum inuenit, ita cum illo maneat, & inhabitet: acceptam enim gratiam retinere deſiderat, in mores transfundere, in conuerſationem transformare, & denique vt non ipſa viuat in ſe, ſed Chriſtus in illa.

Nyſſ. Ambroſ. Richard. & alij vbi ſupra. Lib. 10. de virgin. Ita Nyſſ. & catena triũ Patrum. c. 6. Sap 16 v. 25.

2. Sed non caſu illa duo repetit nomina, *domum & cubiculum.* Diuus Ambroſius exiſtimat domum dici, in qua præfulgent moralium diſciplinæ; ſecretum verò cubiculum, in quo ſunt altiora myſteria. Quod ſic poſſumus amplius explicare; vt domus complectatur omnes vires animæ etiam inferiores, maximè appetitum concupiſcibilem, & iraſcibilem, quorum affectiones moderantur virtutes morales, vt rationi & legi Dei ſubiiciantur. Cubiculum verò ſit cor & pars ſuperior, ac nobilior animæ, in qua reſident nobiliores virtutes ad Dei cultum & obſequium deſtinatæ, præcipuè theologales, ac dona Spiritus ſancti. Cupit ergo ſponſa dilectũ ſuũ introducere perfectiſſimè in totã domum ſuam; ſed maximè in ſecretum cubiculum, vt Deus eam vndique repleat, & habitet in eius corpore & ſpiritu, in homine exteriori & interiori, in parte inferiori & ſuperiori animæ, vt poſſit dicere cum Apoſtolo, *Viuo, non ego, ſed viuit in me Chriſtus*, quẽ in corpore & ſpiritu meo porto. Deniq; cupit introducere in cubiculũ, vbi ſecretiſſima myſteria Dei melius agnoſcat; vbi intimam cum Deo ineat familiaritatem, & crebra colloquia, vbi iugiter eum intueatur præſentem, & ab eo diſcat quæcumque ei placent; vbi ſpirituales cum eo nuptias contrahat, deſponſationemque ſuam in fide, miſericordia, & miſerationibus factam corroboret; vbi tãdem Deus ſit illi omnia in omnibus, dicatq; *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?* vnde (vt inquit D. Bernardus) fortius ſponſa cupit tenere dilectum, quam Iacob: hic ait, non dimittam te, niſi benedixeris mihi; & benedictione accepta, dimiſit eum: illa verò non vult eum dimittere, nec pro benedictione quidem; quia nolo, inquit, benedictionem tuam, ſed te, quem nunquam dimittere volo, ſed introducere mecum in domum, & cubiculum genitricis meæ: nam ſponſum & ſponſam, quos Deus coniunxit, nemo alius poteſt ſeparare.

Serm. 17. in Pſ. 118. v. 3. Pſ 72. v. 25. Pſal 79 in Cant. Gen. 32. v. 26.

3. Obtinuit ſponſa quod deſiderabat, & introductum ſponſum apud ſe retinuit; cuius amore quaſi ebria in magnam ecſtaſim contemplationis, & amoris eſt rapta; quam ſomnum hic vocat, quo ſponſus ita delectatur, vt mox dicat, *Adiuro vos, filiæ Ieruſalem, per capreas, ceruoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.* Quantam amoris vehementiam, teneritudinem, & zelum ex parte vtriuſque amantis, hęc verba indicent, fuſè explicuimus circa cap. 2. vbi eadem habentur, ideoque ab eorum expoſitione nunc ſuperſedemus. Hoc ſolùm perpendamus, hunc tranquillum ſomnum tribuitum illi eſſe velut præmium laboris in præcedenti inquiſitione adhibiti; & quia iuſtum erat, vt poſt hunc laborem aliquantulum in Deo requieſceret; maximè cum propter eum omnes creaturas reliquerit, vt ei ſoli ſe totam traderet; & quia in lectulo cordis ſui dilectum quæſierat, aptiſſimè compos voti facta inſinuatur, cùm dicitur eo inuento dormiiſſe, longumque captaſſe ſomnum, qui in lectulo captari ſolet; niſi mauis dicere ipſum ſponſum fuiſſe inſtar lectuli, cuius manus læua erat velut ceruical, dextera verò, vt opertorium: nam, *Læua eius*, inquit, *ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Vnde fit, quod ſicut illa tenebat ſponſum, multo magis ſponſus tenebat illam, iuxta illud, *Tenuiſti manum dexteram meam, & in volun-*

Cant. 7. v. 7 Lib. 4. Exhort. 43 & iterum inf. lib. 10. Exhort. 6.

Cant. 2. v. 6.

Pſ. 72. v. 24.

tate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Illa inquit, non dimittam eum; ipse verò multo magis vult non dimitti ab ea; & ideò adiurat filias Ierusalem, ne eam perturbent, & causam præbeant, vt eum dimittat: cupit enim cum ea semper esse in secula seculorum. Amen.

Vide Exhort 15. ad finem, cur dicatur, *Donec ipsa velit.*

EXHORTATIO VIII.

PRO INITIO QVADRAG. DE POENITENTIA.

De perfecto modo, quo peccatores debent tempestiuè Deum quærere per insignes actus pœnitentiæ, donec eum inueniant.

In lectulo meo, &c.

CVM sæpiùs homines Deum, quem inuenerant, per lethale peccatum à se proiiciant, indigeantque iterum illum per veram pœnitentiam quærere, eius perfectam formam in iis verbis sponsæ etiam reperiant: includit autem pœnitentia hos ferè actus, dolorem, qui attritio vel contritio vocatur, examen, seu scrutinium peccatorum per omnes conscientiæ rimulas, confessionem eorum ad sacerdotis aures, qui ab eis per claues Ecclesiæ absolutionem tribuit, & satisfactionem iniungit, ac denique propositum nouæ vitæ, & nunquam amplius à Deo recedendi. Sponsa igitur agens personam peccatoris, qui ad Deum conuerti desiderat, hos omnes actus in hac parabola delineat, dicens, *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea,* &c.

Inquisitionem Dei per pœnitentiam ex amore prouenire. §. 1.

1. ET in primis mirandum non est, peccatores, dum pœnitent, quærere quem diligit anima eorum; quoniam (vt Concilium Tridentinum docet) iustificationem præcedit aliqua Dei dilectio, quæ ad illam disponit, dum, inquit, à diuina gratia excitati, peccatores se esse intelligentes, à diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo in spem eriguntur, fidentes sibi Deum propter Christum propitium fore; illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, &c. Inspiratio igitur Spiritus sancti dum cor hominis tangit, & ad pœnitentiam excitat, simul lumen infundit, quo intelligat se peccatorem esse, & aliquam amoris scintillam, per quam diligere incipiat Deum quem offendit, & à quo offensæ remissionem expectat. Hic autem amor, si perfectus est, parit cōtritionem, qui est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum: si autem est imperfectus, & quasi amor cōcupiscentiæ, cupiens Deum non esse sibi iratum, sed iudicem propitium, generat attritionem, qui est dolor de peccatis ex metu gehennæ procedens; ipsa etiam spes, quę hunc timorem Dei cōcomitatur, hunc amorem quasi concupiscentiæ includit, vt D. Thomas testatur. Quare omnis qui ad Deum verè conuersus est, potest etiam verè dicere, *Quæsiui quem diligit anima mea.* Et quo eius vehementior est dilectio, eo inquisitio & conuersio fortior est, celerior & perfectior, qualis fuit B. Mariæ Magdalenæ; cui dictum est, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* vt postea prosequemur.

Sess. 6. c. 6.

2.2. q.17.a.8.

Lu.7.v.47. In Exhort. 53.

2. Sed eleganter describitur in illo insigni, sed difficili vaticinio Isaiæ, si mysticum sensum attendas:

A *Ad me clamat ex Seïr, custos quid de nocte? custos quid de nocte? dixit custos; venit mane & nox; si quæritis, quærite; conuertimini, & venite.* Vox est & clamor peccatorum, quos Seïr vel Idumæi repræsentant, qui in nocte erroris vel malitię degunt, sed postquā Deus gratia sua præuenienti cor eorum tetigit, & illustrauit, vt suas tenebras agnoscerent, illa excitati dicūt; O custos hominum, quid erit de hac nocte, in qua degimus? quandiu durabit? quando finietur, & orietur nobis sol iustitiæ, & lux auroræ, quæ has tenebras depellat? Bis autem repetunt hunc clamorem, vel quia duplex est peccantium genus, infidelium sc. & fidelium; vel quia duplici vexantur nocte, ignorantiæ & culpæ; vel ad denotandum vehemens odium & tædium, quod habēt istius noctis, & quā ardēter cupiant ab ea liberari.

Isa.21.v.11.

Respondet autem custos, pius videlicet Samaritanus (qui custos interpretatur) & vulnerati à latronibus vino & oleo plagas sanauit. Vt autem peccatores curet, quos ad petēdam salutem excitauit, erigit ad spem cōsequendi illam, dicens, *Venit manè, & nox;* id est, veniet vobis manè, sicut venit nox: transiet aliquando nox culpæ, & orietur vobis matutina lux gratiæ, quæ vestras tenebras & noctem pellat; ideò, *Si me quæritis, quærite:* id est si vultis, aut decernitis me quærere, magno affectu, studio, & solerti cura me quęrite, *Cōuertimini,* ex toto corde vestro, *& venite* ad me, à quo recesseratis. Vbi D. Hieronymus sequēs versionem Septuag. *Si quæris, quære, & apud me habita:* ita inquit; Si verè me quæris, opere ostende quod me quæras, nec semel tibi quæsiisse sufficiat; sed quem inueneris, semper inquire, & vt perfectius teneas, obliuiscere populum tuum, & domum patris tui; & deserto errore Gentilium, apud me in Ecclesia commorare. Hæc Hieronymus, qui superaddit, cùm dicitur, *Venit manè & nox,* significari prosperitatem & aduersitatem sibi inuicem succedētes, ad denotandū peccatores, si efficaciter velint Deum quærere, quæsituros eum tam in prosperis, quàm in aduersis; ita quod ab eo quærendo nec detineant prospera, nec retrahant aduersa, sed omni tempore quęrere satagant. Est autem phrasis Scripturæ, *Si quæritis, quærite;* vt significet quęrendum Deum esse non simulatè, nec segniter, sed ex animo & strenuè: quomodo Ieremias dixit, *Si reuerteris Israel, ait Dominus, ad me conuertere;* id est, iuxta eiusdem Hieronymi interpretationem, si reuerteris ad me Israel, & semel salutem desiderans peccasse te dicis, & vocem Domini Dei tui non audisse, plenè cōuertere, & crede quem negasti, & tunc erit plena cōuersio.

Lu.10.v.34. B

1. Expositio. 2. Expositio. C

Quod clariùs monuerat Dominus per Ioëlē, dicēs, *Cōuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum.* Bis ait, conuertimini, quia plenam exigit conuersionem interius & exterius; ex toto corde, vt nihil illius conuersum maneat ad creaturas, sed totum reuertatur ad Creatorem; alioqui hac partitione, & diuisione peribit. Sed oportet vt foras se conuersio prodat per ieiunium, fletum, & planctum; non simulatè scindendo tantùm externa vestimenta, sed potius ipsa corda: priùs dixerat, vt integrum cor illi præbeant; modo ait, vt scindant, & partiantur; sed pugnātia non sinit; scinditur enim, vt melius reintegretur, tradaturque totum Deo: nam sicut pungitur & aperitur vomica, vt omnis sanies citò exeat; ita scinditur cor per cōtritionem, vt pellatur pus peccatorum quo scatebat, & subintret gratia & charitas, quæ totū illud sanū reddat.

D Ioel.2.v.12. Oseæ 10.v.2.

Cæterum

5. Ceterùm ne spes veniæ dilationem inferat pœnitentiæ, aut difficultas conuersionis aliquam segnitiem generet, eisdem verbis Isaias breuissimam monet esse vitam, in qua tantùm datur pœnitendi spatium, dicens: *Venit mane, & nox, si quæritis, quærite, &c.* Mane & nox significant vitam & mortem, vt constat ex eo quod Saluator ait: *ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ nos comprehendant. Venit nox quando nemo potest operari:* quid ergo est venit mane & nox, nisi tam cito vtrumque veniet, vt quasi videantur simul venire vita & mors? Est enim vita breuissima, & quasi vapor ad modicum parens, adeo vt damnati dixerint: *Nos nati continuò desiuimus esse,* quia ergo citissimè post mane veniet nox, si quæritis quærite, id est citissimè etiam quærite. Est enim phrasis ad celeriter faciendum aliquid, vt cùm Dominus dixit Iudæ: *Quod facis, fac citiùs;* ita, si quæritis, quærite citiùs, si conuertimini conuertimini celeriter, ne forte cum differtis, præoccupati subitò à die mortis, locum Deum quærendi, nec pœnitendi spatium inueniatis, quod clariùs commendat Ecclesiasticus dicens; *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Quæramus ergo Deum, dum inueniri facilè potest, vt ex Isaia suprà deduximus, ne forte ob pigram moram tunc quæramus, cùm inuenire non possimus: sicut virgines fatuæ, quibus, dum irent oleum quærere, clausa est ianua, nec potuerunt cum sponso intrare ad nuptias. Et sicut Esau *Non inuenit pœnitentiæ locum, quamuis cum lachrymis inquisiisset eam,* sic qui de die in diem pœnitentiam differunt, cùm quærunt, non inueniunt; eo quòd non verè quærant, sed fictè, vel ex metu mortis, qui non excludat affectum peccati; veluti rex Antiochus in periculo mortis constitutus, de quo dicitur; orabat scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus: quia non sincero corde quærebat illam.

3. Expositio. Ioan. 12. v. 35. & c. 9. v. 14.

Sap. 5. v. 13.

Ioan. 13. v. 27.

Ecclesi. 5. v. 8.

Vide in exhort. 1. §. 4.

Ad Hebr. 12. v. 17.

2. Mach. 9. v. 13.

De inquisitione Dei per actus internos pœnitentiæ. §. 2.

1. IAm modum perfectæ pœnitentiæ ex aliis sponsæ verbis deducamus, dum ait, *In lectulo meo per noctes quæsiui,* lectulum vocat iuxta supradicta, proprium cor in quo quærendus est Deus, qui ab illo per peccatum recessit: & quia non tantùm Deus, sed etiam ipse peccator à suo corde recedit, & per inordinatum amorem illum traducit in creaturas, oportet ipsum priùs intrare in cubile cordis sui iuxta illud Isaiæ; *Redite præuaricatores ad cor.* Reditus autem iste incipit per Dei timorem, nam *qui timet Deum* (inquit Ecclesiasticus) *conuertetur ad cor suum;* intrans in illud, vt pacatum reddat, idoneumque ad internos pœnitentiæ actus. Postquam ergo intrauit & reuersus est in seipsum sicut filius prodigus, tunc ait, in lectulo cordis mei quæsiui, inuestigaui, & perscrutatus sum, an in illo esset quem diligit anima mea? *Quæsiui eum, & non inueni,* quia cognoui eum recessisse à meo corde propter innumera flagitia, quæ patrauit: *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate.* Vnde benè ait quæsisse per noctes, quia adhuc anima eius in tenebris erat per absen-

Isai. 46. v. 2.

Ecclesi. 21. v. 7.

Lucæ 15. v. 17.

Sap. 1. v. 5.

A tiam solis iustitiæ; qui illuminabat eam; nulla autem est obscurior nox, quàm priuatio diuinæ gratiæ; & nulla amarior Dei absentia, quàm per carentiam illius.

2. Sed quærit etiam per noctes; quia nocturnum tempus gemitibus ac doloris affectibus excitandis multò est aptius; quomodo quærebat Dauid cum inquit; *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Laborabat in gemitu vt Deum placaret; lauabat lachrymis lectum cordis, vt omnes eius maculas abstergeret: rigabat autem, vt ariditate depulsa sanctis floreret affectibus. Hæc præstabat per singulas noctes, vt ampliùs in singulis lauaret, & rigaret, Deique iustam placaret iram propter tot, tam grauesque iniurias ei illatas. Et quoniam à corde exeunt peccata omnia, in eoque fabricatur consensus in malum opus, ideo cordis prima habenda est cura in hac inquisitione, & ab illis quæ in corde gesta sunt, compunctio debet inchoari iuxta illud Psalmistæ, *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini,* id est: illa, quæ in cordibus vestris perpetrastis scelera, amarè plorate in cubiculis & locis secretis, & in ipsismet cordibus compungimini pungendo, scindendo, & conterendo illa, donec foras pellantur omnia mala, & iterum lucifer oriatur in illis suo diuinæ gratiæ illustrans splendore.

Psal. 6. v. 7. Lib 9. exhort. 14. §. 2. explicatur ampliùs hic locus Psalmi.

B

Psal. 4. v. 5.

2. Petri 1. v. 19.

3. Quoniam ergo sponsa in lectulo cordis non inuenit dilectum, rursus inquisitionem prosequens ait: *Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas, quærens, quem diligit anima mea,* id est nihil intactum relinquam, omne studium adhibeam, vt perfectè illum quæram, sicut dictum est; *Si quæritis quærite.* Constanti ergo animo decerno surgere ab operibus mortuis; à vitiis & peccatis, in quibus mortua iaceo, & sepulta; à sopore, & pigritia, quæ me premit, ab occasionibus delinquendi, & relabendi periculis, quibus sum implexa. Audiui sponsum dicentem, *Surge, propera amica mea.* Surgam ergo & properabo instar cerui, qui cum serpentes vorauit, & à canibus insectatur, celeriter quærit fontes aquarum; ita ego peccatis inusta, & insectata ab hostibus, diligentissimè Deum quæram, vt à tot malis me eripiat.

C

Cant. 2. v. 10.

4. Sed vbi quæram? *Circuibo ciuitatem per vicos & plateas.* Duplicem ciuitatem circuire proponit. D. Ambrosius cum aliis patribus intelligens per lectulum & cubile pacem & tranquillitatem, qua Deus sine turbatione quærendus est, ait animam nostram vt iam suprà tetigimus, esse ciuitatem munitam cuius plateæ amplissimæ sunt superiores potentiæ, memoria, intellectus, & voluntas: vici verò angustiores sunt facultates partis sentientis, quæ circa corporalia tantùm versantur, nimirum imaginatio appetitus, & sensus. Per has plateas & vicos circuire oportet, & quærere, an in illis sit Deus secundùm effectus gratiæ, an verò aliquid ei aduersum, quod ipsum inde repulerit; diligenti scrutinio inuestigando, quæ per singulas potentias perpetrata sunt ita vt nulla maneat inscrutata, quando venerit iudex, qui inquit: *Scrutabor Ierusalem in lucernis.* Omnes eius vicos & plateas

D De Isaac. & anima c. 5. catena triū patrū apud Theodor.

Sophoniæ 1. v. 12.

D

ac angulos perlustrans, vt quidquid sordis in eis inuenero, non inultum maneat, ego enim *vt lutum platearum delebo eos.* Scrutare vtrum in memoria tua resideat Deus, & lex ipsius, an verò procul sit ab illa, & imaginibus terrenarum, & carnalium rerum sit depicta. Quære prætereà an Deus sit in tuo intellectu per firmam fidem, & cognitionem eorum, quæ te scire oportet, vt prudenter te geras, an sit in voluntate per verum amorem & obedientiam, in appetitibus per affectionem ad diuina, in sensibus per propensionem ad honesta, an potiùs ab iis potentiis recesserit, quia ipsæ reiecto Deo feruntur in res mundanas & voluptuosas, vnde innumeras contrahunt peccatorum sordes. Psal.17. v.34.

4. Hæc cùm scrutatus fueris, gemens dices: *Quæsiui eum, & non inueni*, quia non reperi nisi plurima delicta, quibus potentiæ sunt infectæ. Vt autem dilectum inueniã, oportet has potentias verrere, & sordes foras proiicere, sicut dicebat Psaltes; *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui, & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar & scopebam spiritum meum.* Id est in memoriam redegi quæcumque in præteritis annis feci, quæ etiam beneficia, siue communia omnibus, siue specialia, ego ipse à Deo recepi, & quæ futura sunt post hanc vitam præmia, vel supplicia per annos æternos duratura: quæ omnia meditatus sum nocte cum corde meo, conferens intra me, quot & quàm grauia commiserim scelera: quot, & quàm magnis Dei beneficiis ingratus fuerim, quàm magna & æterna propter mea delicta promeruerim tormenta, & amiserim præmia. His autem considerationibus excitatus exercitabar, affligebar, & vehementer angebar, in varios prorumpens doloris, & contritionis actus, magna sollicitudine curans spiritum meum elimare, expurgare & emundare, vt nihil in eo sordis maneret. Ecce descripsi tibi modum quærendi Deum per actus internos pœnitentiæ, nimirum examinando conscientiam, recolendo peccata, cogitando Dei beneficia, præmia & supplicia; istorum omnium perpendendo, multitudinem, magnitudinem & durationem, vt his cogitationibus te vrgeas ad actus odij, doloris, & contritionis de peccatis, per quos ex cordis penetralibus eradicentur, vt in eo possis inuenire Deum, qui in mundo corde libenter habitat. Psal.76. v.6

Ministros Ecclesiæ, maximè confessarios iuuare ad inueniendum Deum. §. 3.

1. SEd oportet vlteriùs alteram circuire ciuitatem Ecclesiæ Catholicæ, cuius plateæ & vici dicuntur cuncta media, quæ ad Dei cultum & nostram salutem ordinantur. Cuiusmodi sunt legis præcepta, & consilia, sacramenta, & sacrificia, & reliqua pietatis opera, per quæ Deus quæritur à fidelibus, sed non plenè inuenitur à peccatoribus, donec venenum peccatorum per confessionem euomant, manifestando ea sacerdotibus, quibus dictum est: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retentasunt.* Huiusmodi enim sacerdotes dum in sacramento peccata remittunt, & diuinam gratiam largiuntur, faciunt nos Deum inuenire, & in corda nostra illum introducunt. De quibus dicitur, *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem, num quem diligit anima mea vidistis?* Vigiles sunt ministri Ecclesiæ, maximè confessarii, qui super animas pœnitentium vigilant, vt eos custodiant, ab hostiumque incursibus protegant. Hos alloquitur sponsa, quæ hactenus nihil locuta erat nisi sibi ipsi, & in corde suo dicens: *Surgam, &c.* Oportet enim cum his vigilibus conuersari, atque viam inueniendi Deum ab eis inquirere, & peccata omnia, quæ id impediunt, cunctaque arcana cordis manifestare, vt meliùs nos dirigant, & viam salutis ostendant, salutemque ipsam conferant. At quid responderint, latet; quoniam cuncta quæ in confessione peraguntur, secretissima sunt, & alto silentio tegenda ac si nihil ibi dictum vel responsum fuerit; audit enim confessarius peccata non ut homo, sed vt Deus, cuius vices gerit; & ideo non licet ei de iis foris loqui, sed vice Dei remedia languoribus adhibere. Ioan 20. v.23.

In capite autem quinto refertur de iis vigilibus, non quid dixerint, sed quid egerint, *Inuenerunt me* (inquit) *custodes qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Nam cùm huiusmodi confessarij pœnitentem inueniunt humiliter coram ipsis prostratum, percutiunt eum, cum acriter peccata increpant, vt vehementius doleat, & odio habeat. Vulnerant, cum opera satisfactoria iniungunt, quæ corpus pungant, affligant, & castigent: auferunt pallium, non tantùm, cùm debita restituere cogunt (quia hoc non est auferre pallium proprium, sed alienum, vt Domino suo restituatur) sed vlteriùs, cùm præcipiunt ex propriis bonis eleemosynas egenis facere. Et sicut sponsa non conquesta est de custodibus, vel restitit illis, sed potiùs patienter tulit, sic verè pœnitens libenter cuncta hæc amplectitur; quoniam in salutem animæ destinantur? nam percutitur vt sanetur, vulneratur vt corroboretur, aufertur pallium diuitiarum terrenarum, vt vestiatur pallio diuinæ gratiæ, & cælestibus donis ornetur; vt liceat hîc dicere illud Salomonis. *Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Nullibi enim certiùs & efficaciùs anima ab inferno liberatur, quàm in confessione sacramentali, & cùm ibi percutitur virga, non moritur, sed viuit, & vitam, quæ Christus est, protinus inuenit. Cant 5.v.7. Prou. 13. v.13.

3. Vnde subditur *paululum cùm pertransissem eos inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.* Paululum pertransire est, non loco vel tempore aliquo transacto, sed fide, cogitatione, & affectu vltra eos transire, credendo salutem & vitam nostram non ab illis procedere, qua homines sunt, sed à Deo, cuius sunt ministri, & instrumenta; cuius etiam misericordia & benignitate peccator inuenit, quem diligit, & in eius gratiam & amicitiam redit eique per charitatem inhæret. Vnde firmum concepit animi propositum perpetuò eum tenendi secum, nec vmquam ampliùs dimittendi, nec committendi vllum peccatum, propter quod ipse recedat; sed benè, inquit, *Non dimittam*, quia Deus numquam dimittit animam, nisi dimittatur ab illa, nec deserit, nisi deseratur, & quam semel possidet & inhabitat per gratiam, perpetuò inhabitare desiderat, donec in cælestem Ierusalem introducat: at ipsi animæ incumbit tenere quod habet, ne alius accipiat coronam eius; nec dimittere quod semel accepit, ne fortè, si semel dimittat, cùm iterum Apoc.3.v.11

rum quærit, non inueniat, & deterius quid ei contingat, nam qui semel Deum tenuit, eique per amorem intimè inhæsit, si eum per lethale peccatum turpiter dimittat, in turpiora, quàm antea, solet corruere, & à Deo longiùs elongari, vt infrà dicetur. Ioan. 5. v.14.

Propter quod subdit sponsa, *non dimittam, donec introducam in domum matris meæ, &c.* Quibus verbis vltimum innuit propositum, quod consummatam reddit conuersionem, nimirum ad sublimiorem ascendendi perfectionem, satagendo iuxta supra dicta, in intima cordis sui penetralia Deum introducere, & summam cum eo inire familiaritatem, vt sic securiùs eum retineat, & multò plus in eius obsequio proficiat, quàm antea defecerat iuxta sententiam Baruch Prophetæ; *Sicut fuit sensus vester, vt erraretis à Deo, decies tantùm iterum conuertentes requiretis eum:* Ac si diceret, perpendite qua sollicitudine quærebatis voluptates, diuitias & honores; ac alia, propter quæ Deum reliquistis; & decupla sollicitudine quærite modò Deum, conuertentes vos ad ipsum, vt plenè & perpetuò illum retinere possitis. *Qui enim induxit nobis mala, ipse rursum adducet nobis sempiternam iucunditatem cum salute vestra.* Sempiternam, inquit, quia sine pœnitentia sunt dona Dei; & vocatio, & in sempiternum vellet illa permanere nobiscum. Numerus ille denarius in scriptura omnimodam & plenam significat perfectionem, quæ in opere conuersionis ad Deum maximè est quærenda, quoniam dimidium facti habet, qui benè cœpit, viriliter in principio firmo animo decernens omnes subire labores, ac cunctas superare difficultates in Dei obsequio occurrentes, donec introducatur in domum cælestis Ierusalem, quæ verè pœnitentibus promissa est, cùm dicitur, *Pœnitentiam agite appropinquauit enim regnum cælorum.* Etenim, vt optimè docet D. Bernardus, non sunt cõdignæ passiones huius temporis ad culpam præteritam quæ remittitur ad gratiam præsentem quæ immittitur, & ad gloriam futuram quæ nobis promittitur; adde, & ad inferni æternam pœnam quæ euaditur. Baruch 4. v.28. Ad Rom. 11.v.29. Matth.3. v.3. De conuersione ad Clericos c.30.

Tempus Quadragesimæ specialiter deputatum ad quærendum Deum per hæc opera pœnitentiæ. §. 4.

ADDAMVS colophonem, aduertentes & si omne tempus huius vitæ præstitum sit à Deo peccatoribus, ad quærendum eum, & inueniendum modo iam commemorato; tamen tempus Quadragesimæ designatum ab Ecclesia esse omnibus fidelibus, vt feruentiùs Deum quærant per omnia pœnitentię & bonorum operum exercitia. Ad quod tunc temporis quotidie ad finem primæ exhortatur verbis Isaiæ iam citatis, *Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum, dum prope est*, adiungens in ipso initio Quadragesimæ illud Pauli: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Vt indicet tempus istud ad quærendum Deum ab ipsa esse deputatum: quæritur autem in hoc tempore solertius, quàm in alio, tum domi in lectulo, tum foris per vicos & plateas ciuitates, tum etiam ope vigilum & custodum. Isai.55.v.6. 2.Cor.6. v.2.

1. Etenim omnes fideles quærunt eum per varia virtutis opera, tum secreta & occulta, tum manifesta & publica, quæ sub hac metaphora denotantur; nam quærere in lectulo est domi & secretò quærere per actus pœnitentiæ internæ modum exposito, & etiam externæ, vt sunt cilicia, flagellationes, ieiunia, & alia huiusmodi; & etiam orationes, & preces, ac genu flexiones, quæ omnia dicuntur fieri per noctes, non tantùm quoniam fiunt cum mœrore, & tristitia animi ob peccata commissa, sed quia fiunt animo ea occultandi, & tegendi hominibus, vt soli Deo sint nota. Vnde dictio hæc *per noctes* ad omnem inquisitionem extenditur, etiam quæ fit per vicos & plateas, quoniam cuncta opera, per quæ Deus quæritur, ex parte nostræ intentionis & affectus fieri debent in nocte, & in tenebris, hominibus ea occultando, non in die, vt hominibus appareant, & placeant quod Christus Dominus monuit cum dixit: *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes:* non ait nolite fieri tristes, hoc enim sanctum est, & à pœnitentibus exoptandum, sed tristes sicut hypocritæ, quorum tristitia non est intus, sed foris, *Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Et cùm eleemosynas porrigunt tubas canunt ante se, & orant in angulis platearum stantes, vt videantur ab hominibus. Hæc autem omnia respuenda sunt, & nocte operandum, non in hoc pessimo die, de quo dicitur: *Et diem hominis non desideraui, tu scis;* & quis est dies hominis nisi dies vanitatis & inanis gloriæ, in quo nostra opera apparere hominibus cupimus, vt ab illis honoremur? hunc diem abominabatur Ieremias, sicut & sanctus Iob, cùm dicebat: *Si vidi solem, cum fulgeret, aut lunam incedentem clarè.* Quia nec quærebat, (vt inquit D. Gregorius,) gloriam & splendorem hominum, nec famam, sed magis in nocte versari cupiebat apud illos. Matth.6. v.16. Ierem. 17.v.16. Iob.31.v. 26. Ibidem.

2. Deinde fideles hoc tempore quærunt Deum circumeundo ciuitatem Ecclesiæ per vicos & plateas, id est per templa, monasteria, hospitalia, & alia pia loca ad lucrandas indulgentias, ad audienda diuina officia, & conciones sacras, ad inuisendos infirmos & vinctos, & opera misericordiæ peragenda. Vnde & frequentiores fiunt processiones sacræ, & concursus fidelium ad opera pietatis, & diuini cultus, in quibus, inueniunt eos vigiles ciuitatis: quia crebrò occurrunt concionatores, & confessarij ad sua ministeria exercenda parati, vt eos instruant, & stimulent ad quærendum Deum. Obseruandum est autem quòd transiens per vicos & plateas, vbi plurium hominum solet esse concursus, non facit mentionem aliorum, sed solùm vigilum; quoniam de reliquis nihil curat, in templis enim & locis piis non est attendendum ad turbas hominum; nec cum illis vanè conuersandum; non enim facta sunt ad confabulandum cum hominibus, sed cum Deo, & cum eius ministris, nec cum his de rebus prophanis, sed dumtaxat de iis, quæ ad Deum quærendum spectant, quæ sub hoc verbo comprehenduntur: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Sed de hoc plura in Exhortatione sexta dicta sunt.

3. Denique non sine causa dicitur, nec in lecto, nec in vicis, nec cum vigilibus inueniſſe, quem diligebat, sed paululum cum pertransisset ea, vt hortaretur nos ad quærendum Deum per omnigena virtutis opera, non sistendo in quibusdam, aliis contemptis, quia hæc *oportuit facere, & illa non omittere*, maximè quia virtutes solent esse connexæ, & inquisitio vnius mox impellit ad quærendam aliam, donec acquirantur omnes. Post omnium autem consecutionem, quæ in vna Matth.23. v.23.

charitate, & Dei perfecta dilectione connectuntur, inuenitur plenius ipse dilectus, qui si inuenientes replet bonis, & coronat in misericordia, & miserationibus, dum tamen ea bona, quæ in Quadragesima inuenimus, ea transacta non statim dimittamus, sed potius firmo animo dicamus cum sponsa; *tenui eum, nec dimittam*, donec eum possideam in cælo in sæcula sæculorum. Amen.

EXHORTATIO IX.

De Ecclesia antiqua, quæ Christum sibi promissum diu quæsiuit, nec inuenit, donec B. virgo Maria inuenit eum, ac introduxit in synagogam, atque Spiritualiter in mentes hominum.

In lectulo meo per noctes quæsiui, &c.

IAM hæc verba ad dilectum Christum Deum & hominem referamus, cuius sponsa Ecclesia triplicem habuit statum; Primum in lege naturæ, alterum in lege scripta, & tertium in lege nouæ: quibus aptatur triplex huius parabolæ sententia, cum bis inquit, non inuenisse dilectum, & post tandem inuenisse.

Ecclesiam in primo & secundo statu quæsisse Christum, & in tertio inuenisse. §. 1.

1. DE primo igitur inquit: *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea.* Aptè vocat lectulum suum, statum suæ naturæ infirmæ & languidæ post Adæ lapsum, quia in lectulis & grabatis infirmi iacere solent, vel quia in fide & spe Redemptoris futuri sine aliis externis ritibus in particulari à Deo præscriptis, ille status nitebatur, & fideles requiescebant. Vera enim & sincera fides lectulus est, qui supra vocatur floridus & vmbrosus, in quo humanus intellectus per vmbras *& per noctes*, id est, per obscuras cognitiones in speculo & ænigmate aliquantulum requiescit, humiliter se Deo submittens, & in eius se captiuans obsequium. Antiqui enim philosophi tantùm quærere volebant Deum per dies, id est per suas euidentes cognitiones ex sensibilibus desumptas, fidem respuendo, sed euanuerunt, vt vidimus, in cogitationibus suis, nec veram requiem inuenerunt, quia sola fides obscura Christum saluatorem mundi reuelat, & cognitionem ad salutem necessariam præstat: ideoque sponsa semper dilectum quæsiuit *per noctes* & in lectulo fidei vmbroso requiem suam collocabat. Erat autem lectulus iste floridus, quia fides quæ per charitatem operatur, plures germinat bonorum operum flores, qui ad ipsam requiem maximè conducunt: & ita florebat in antiquis patribus desiderium videndi natum Messiam, solem iustitiæ, sed adhuc quærebant per noctes, quia sol iste nondum ortus erat: vnde subdit *quæsiui illum, & non inueni*, quia licèt gemitibus, suspiriis, precibus, variisque bonis operibus eius celerem aduentum efflagitarent, decreuerat tamen Deus diutiùs illum differre.

Vt tamen ad quærendum solertiùs sponsam excitaret, peculiarem elegit populum hebræorum, cui per Moysen tribuit legem scriptam, & tunc ait: *Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos & plateas quærens quem diligit anima mea.* Ciuitas, quam non nominat, est natio Iudæorum legem veterem profitentium, cuius vici & plateæ sunt sacrificia & sacramẽta, ceremoniæ, sacræque scripturæ, & alia externa media, per quæ ita Deum colebat, vt etiam per ea Christum quæreret, quia eius aduentum, cunctaque ab eo gerenda significabant, quærebat tamen per noctes, quia cuncta illa vmbra tantùm erant futurorum, indicabantque fòlem aliquando oriturum, sed nondum ortum: & ideo subdit, *quæsiui illum & non inueni.*

3. Sed quid tunc ei contigit? *Inuenerunt me* (inquit) *vigiles, qui custodiunt ciuitatem: num quem diligit anima mea vidistis?* Vigiles vocat prophetas, quos Deus statis temporibus mittebat, vt hebræis de aduentu Christi multa prænuntiarent. Certum autem est illos opportuna dedisse responsa, exhortantes eos, ne animo deficerent, sed sedulò in sua obsecratione, & inquisitione persisterent, vt cum Abacuc dicebat? *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit*; vel Isaias: *prope est, vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur, &c.* Ceterum Salomon reticuit huiusmodi responsa, vt silentio suo illorum sublimitatem veneraretur. Multa enim adeò erant sublimia & profunda, vt vix capi possent; vehementiorem tamen affectum accendebant erga dilectum, ardentiusque desiderium obsecrationibus, ieiuniis & piis operibus celerem eius aduentum solicitandi, ad modum, quo Isaias dicebat: *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius vt lampas accendatur.* Hic ergò vigiles Ecclesiæ seu prophetæ obuij illi erant passim vsque ad tempus, quo restauratũ est templum post Babylònicam transmigrationem, cùm floruerunt Aggeus, Zacharias, & Malachias. Extunc autem, vt docet D. Augustinus, prophetas cœpit non habere Iudæorum gens vsque ad Christi aduentum.

Abacuc. 2. v. 3. Isai. 14. v. 1. Lib. 18. de ciuitate Dei c. 5.

4. Et hoc est quod sponsa ait, *Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea*, id est paululum postquam trãsierunt prophetæ; illud enim tempus etsi longum fuerit, quingentorum fere annorum; apud Aggeum tamen vocatur paruum. *Adhuc* (inquit) *vnum modicum est, & ego commouebo cælum & terram, &c. & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.* Quodlibet enim tempus æternitati Dei comparatum valdè modicum est; sicut ait Dauid, *Quoniam mille anni ante oculos tuos, sicut dies hesterna quæ præterijt.* Tunc igitur venit plenitudo temporis à Deo prædefiniti vt carnem sumeret, quod est legis nouæ initium, in quo sponsa ait. *Inueni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam donec introducam, &c.*

Aggæi. 2. v. 7. Psal. 89. v. 4. 2. Petri 3. v. 8.

Ecclesiam veterem per Abraham inuenisse sibi Christi venturi promissionem, per Deiparam verò executionem. §. 2.

SED bifariam hæc verba possunt explicari, eo quod dupliciter Hebræorum populus inuenit Messiam quem diligebat, primò per specialem promissionem sibi factam, deinde per promissi exhibitionem; & vtriusque meminit D. Matthæus, Christi texens genealogiam in principio, & in fine illius, cum enim primis parentibus post peccatum

Pro Euang. liber generationis Iesu Christi, &c. Matth. 1. v. 1.

Genes. 3. v. 15. peccatum reuelatus sit Christi adventus in carne, illis verbis ad serpentem directis: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, &c.* Omnes nationes hominum, qui hanc fidem habebant, expectare poterant, & desiderare, ut ex eorum semine Christus nasceretur, ex illis tamen, quæ plurimæ erant (vt in c. 8. Genesis refertur) elegit Deus nationem Hebræorum, cum Abrahæ Hebræo promisit in semine eius benedicendas omnes gentes, propter Messiam ex eius posteris generandum; & quia plures habuit filios, coarctata est promissio ad Isaac, Iacob, & Iudam filium eius, ac tandem ad Dauid. Et ideo S. Matthæus, (ut notat D. Hieronymus) inchoat sic genealogiam. *Liber generationis Iesu Christi Filij Dauid, Filij Abraham.* Quia his duobus peculiaris facta est Christi promissio, ex tunc autem hebræus populus dicere potuit: *Inueni quem diligit anima mea*, id est Messiam quem diligebam, mihi astrinxi, & quasi proprium feci; seu ius, ut ex semine meo nascatur, inueni & acquisiui. *Tenui eum* vera fide spe, ac obseruantia legis eius. *Nec dimittam, donec introducam in domum matris meæ, &c.* Id est, non perdam hoc ius, nec desinam eum precibus vrgere, donec re ipsa per assumptionem carnis ex me, illum introducam in mundum, qui domus est diuinæ sapientiæ matris meæ, & in terram Israël, quæ est cubiculum ipsius. Quod factum esse testatur D. Matthæus cum ait: *Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus.*

Matth. 1. v. 1.

2. Sed numquid populus Israëliticus pacificè, & sine pugna huius promissionis complementum obtinuit? minimè; imo Verbum *non dimittam donec introducam, &c.* Magnam indicat luctam, facit enim allusionem ad aliud simile, quod dixit Iacob luctans cum Angelo, sicut scriptura refert, *vir luctabatur cum eo vsque manè, qui cum videret, quòd eum superare non posset, tetigit nervum eius, & statim emarcuit. Dixitque ad eum, dimitte me, iam enim ascendit aurora. Respondit; non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Et si autem Iustinus Martyr [a] Tertullianus [b], D. Hilarius [c], Ambrosius [d], Chrysostomus [e] Theodoretus [f]. Dixerit hunc virum luctantem cum Iacob fuisse Filium Dei, de quo tamen dubius est D. Augustinus [g], at nostro intento sat est fuisse, sicut re ipsa fuit, verum angelum, qui personam Filij Dei in mundum venturi repræsentaret: & lucta erat in nocte ante auroram, & ortum solis, quia nondum natus erat Christus.

Gen. 32. v. 24.
[a] Dialogo cum Tryphone.
[b] lib. 2. cõtra Marionem & lib. cõtra Praxiam.
[c] Lib. 4. & 12. de Trinit.
[d] Lib. 1. de fide c. 5.
[e] In c. 7. Actuum.
[f] q. 91. in Genes.
[g] Lib. 2. de Trinit. c. 13 & in tract. circa illa verba *ego sum qui sum* to 6. Vide Perciram in Genes 32. lib. 8. in Genes. c. 6. ex eius verbis cõcisis desũpta sunt quæ hîc habentur. Oseæ. 12. v. 4.

Lucta autem hæc & si corporalis fuit (qua Iacob & angelus in corpore assumpto se constringentes, & coagitãtes, in terram prosternere conabantur, Iacob autem agnoscens in eo viro diuinum quid latere, quia recedere contendebat, luctans nitebatur eum retinere, ne discederet antequam illi beneciceret:) tamen vt eleganter explicat Rupertus, totum hoc præsagium erat luctæ futuræ inter populum hebræorum, & Deum, dum conenderet Deus abire, & Iacob certaret Dominum abeuntem retinere. Futurum enim erat, vt comminaretur Deus sese à semine Iacob recedere propter peccata eiusdem gentis incredulæ, & rebellis, quæ sæpiùs ad idola gentium reuertebatur: iusti autem, quorum personam gerebat Iacob, luctabantur cum Deo precibus & gemitibus (de his enim explicat Osias luctam Iacob cum Angelo, cùm inualuit contra eum) tenentes eum ne recederet, quod videre licèt in conflatione vituli, coram quo saltauerunt cantantes, & dicentes *isti sunt dij tui Israel. &c.* propter quod iratus Dominus, ab illis discedere volebat dicens Moysi: *Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, faciamque te in gentem magnam.* Nec mirum, quòd Deus conetur reuocare, quæ promisit, propter ingentia populi delicta, vel quia promiserat sub conditione si populus ei fidelis esset: vel quoniam præuiderat futuras orationes iustorum, propter quas minas remitteret, ad modum quo Card. Caietanus ait propter peccata filiorum Iacob dilatam esse incarnationem, non quidem permutationem diuini propositi (est enim Deus immutabilis) sed quia homines peccando meruerant illam dilationem, quam Deus ita prædefinierat: sicut etiam prædefiniuit eam vel accelerare, vel tali tempore exequi propter iustorum preces, quæ apponebantur hominum peccatis. Hac de causa Dauid, vt notat D. Gregorius, certus quod Filius Dei de suo nasciturus erat semine, gaudebat antequam laboraretur. Post lapsum verò in adulterium, formidabat ne sibi Deus hoc subtraheret quod placatus promiserat, & ideo vt istud obstaculũ auferret, orabat: *Redde mihi lætitiam salutaris tui.* Idem in prædicto casu contigit Moysi, qui magnitudine minarum territus, Deum reluctantem, quasi luctans precibus, ne hoc faceret, tenuit dicens: non dimittam te, & *cur* (inquit) *Domine irascitur furor tuus contra populum tuum? ne quæso dicant Ægyptij, callidè eduxit eos, vt interficeret eos in montibus, quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia* populi tui: *recordare Abraham, Isaac, & Iacob seruorum tuorum fidelium, quibus iurasti per temetipsum, &c.* His autem precibus victus, & placatus est Deus.

In Genes. 27. refert Suarez in 1 to. 3. p. disp. 10. sect. 6.

In Psal. 50. pœnitent.

Et ad hunc modum quoties peccabant filij Israël seruiendo diis alienis, toties iratus Dominus, & auersus ab illis quasi luctando se excussit vt dimissus abiret; sed perseuerabat fortitudo Iacob luctans, quia multo tempore defuerunt in populo illo iusti aliqui, maximè prophetæ, qui Deum placarent, & abire volentem retinerent, nec dimitterent, donec victus beneciceret Victori, impartiens benedictionem illam, in qua benedicendæ erant omnes gentes. Tunc enim verè Deus benedixit Iacob, quando de semine eius carnem assumpsit, antiquam soluens maledictionem, & gratiæ benedictionem effundens, & quia finita est lucta, mutauit nomen Iacob in Israël, & quòd præualuit aduersus Deum, vt homo fieret, & spiritu vidit eum hominem factum; per quem, vt D. Augustinus notat, aperta est via ad videndu n Deum clarè in gloria. Propter quod tunc ait Iacob. *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea, certusque est ei statim sol postquam transgressus est Phanuel.* Quod interpretatur facies Domini, effusa namque hac benedictione Christi Filij Dei & hominis, ortus est sol iustitiæ, *Ad dandam scientiam salutis plebi eius* (vt ait Zacharias) *in remissionem peccatorum eorum, per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Tunc etiam tetigit nervum femoris, qui propagationem significat carnis, & emarcuit: quia antequam veniret Christus, virebat carnale genus Israel, legitimumque erat singulas tribus per familias, & domos distinguere, donec fructus iste benedictionis coiret, ne incertum foret qua ex tribu, qua de familia prodiret, quem de tribu Iuda, & de domo Dauid nasci debere prænuntiatum erat. At vbi venit hic, qui

Exod. 32. v. 4. & 9. & 11.

Lib. 16. de ciuit. Dei c. 39.

Luc. 1. v. 77

1. Ita Rupertus.

solus generationum texendarum causa erat, genealogias Iudæorum Apostolus tamquam inutiles contemnit; sufficit enim vna, quam texit D. Matthæus.

1.Hom.1. v.4.

3. In qua recenset præcipuos patres, qui cum Filio Dei luctati sunt, eumque tenuerunt, & vicerunt, vt homo fieret, insignesque peccatores, qui obsistebant. Illorum capita fuerunt Abraham, & Dauid, quorum filium specialiter vocat Christum, quia suis meritis & precibus eius in carne adventum præ aliis impetrarunt, saltem ex congruo. Abrahæ enim propter insignem voluntatem immolandi filium suum Isaac, dictum est: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* De Dauid autem dicitur, *propter Dauid seruum tuum ne auertas faciem Christi tui*, id est, propter Dauid merita ne facias quòd Christus nobis promissus auertat à nobis faciem suam, & derelinquat nos. *Iurauit enim Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Abraham ergo & Dauid, Ezechias & Iosias, aliique reges & viri sancti tenebant Christum Filium Dei, nec dimittebant vt ad alios transiret, & si Ioram, Achaz, Amon & alij reges idololatræ cum populo suo eum quasi à se repellerent, & abire cogerent. at præualuerunt iusti in hac lucta, donec tandem peruentum est ad *Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*, per beatissimam enim virginem Mariam synagoga Iudæorum reperit Messiam quem quærebat, & cœpit nouo modo dicere, *inueni quem diligit anima mea, &c.* Sed quomodo inuenerit explicemus.

Noua ratio.

Genes. 22. v.18. Psal. 132. v. 10.

In hac genealogia insinuatur causa, cur primores Iudæorum Christum non receperunt. de quo in exhort. sequenti §. 1.

Quomodo B. Virgo Christum quæsierit, & eius aduentum desiderauerit. §. 3.

1. POSTQVAM ergò venit plenitudo temporis, vt mitteret Deus filium suum factum ex muliere, quæ primò illum inueniret in terris, creauit beatissimam virginem Mariam, quæ in ipso suæ sanctificationis tempore (quod citra dubium fuit primum suæ conceptionis instans, sicut in primo libro probatum est, & in 7. ampliùs confirmabitur) accepit simul cum gratia, sicut de præcursore ex Euangelio constat, fidem & actualem reuelationem Christi venturi in Redemptorem mundi; cuius amore inflammata extunc cœpit eum ardenter quærere dicens: *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* Id est, in ventre matris meæ, qui mihi est instar lectuli, per noctes omnes, quas in eo nouem mensium spatio transegi, (ibi enim continua est nox, & tenebræ) Christum, quem vehementer diligebat anima mea, iugiter quæsiui precibus, suspiriis, & sanctis affectibus, cupiens eum inuenire natum in terra, sed multo magis etiam postquàm nata est, in lectulo cordis sui, (in quo semper tranquillè quiescebat, nihil enim patiebatur quod illam perturbaret) continuò Dei quærebat ampliorem cognitionem, ardentioremque amorem, pluribus fragrantibusque virtutum floribus & ornamentis, vt dilectus suus libenter etiam quiesceret in illo, dicens ei. *Lectulus noster floridus.* Sed quia vlteriùs quærebat Christum, quem nondum inueniebat, ait: *Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos & plateas, &c.* Quoniam è paterna domo in templum deducta non cessabat circuire, & mente reuoluere cuncta quæ de Christo pronuntiabant Scripturæ sacræ, quas legebat, vel sacrificia, quæ

Lib. 1. exhort. 11. Lib. 7. exhort. 21. §. 3. & 4.

Cant. 1. v. 16.

A in templo offerebantur, repræsentabant, tantaque est diuina luce perfusa, ut penetrans scripturarum arcana, ex illis locum, & tempus aduentus Messiæ, Virginem matrem eius, prodigia, persecutiones, & reliqua ad ipsum spectantia probè nosset, & deduceret. Reuolue (ait Augustinus Virgini loquens) propheticam lectionem; neque enim te scientia potest diuinorum præterire librorum; quæ ipsam plenitudinem paritura est veritatis: cùm autem ex Scripturis sciret propinquum valde esse huius aduentus tempus, scire desiderabat an venisset iam, vel nata esset felix illa virgo, quæ hunc florem Iesse germinatura erat?

Serm. 9. de temp. to. 10

2. Interim autem *inuenerunt illam vigiles* cælicolæ, qui custodiebant ciuitatem synagogæ, crebrò enim eam visitabant Angeli (ut D. Ambrosius & patres testantur) nouas ei afferentes reuelationes, & consolationes: à quibus mox sciscitabatur id, B quod ei maximè in votis erat. *Num quem diligit anima mea vidistis.* O vos, qui vidistis in cælo Filium Dei, quem diligit anima mea, (in hebræo enim legitur sine interrogatione) num vidistis eum iam natum in mundo, vel scitis quando eum inueniemus in terris? & quando erit quod scriptum est: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est?* At vigiles nihil determinatum illi respondebant, quia tempus aliud ignorabant, quàm quod prophetis reuelatum erat, exhortabantur tamen ad instanter quærendum, quia eius nouerant eximiam sanctitatem, & procum efficaciam.

Baruch 3. v. 38.

3. Quo stimulata instantiùs orando Deum urgebat; imò etiam modo suprà dicto luctabatur cum eo: dicebat Dominus; *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Quæ signum est appropinquantis solis, ac si diceret, non ita me vrgeas, bono animo esto, C citissimè orietur sol iustitiæ, quia iam ascendit aurora, nata est & crescit virgo, ex qua generandus est, & apparíturus in mundo: adhuc modicum, & videbis illum, at illa ardentiùs orabat dicens: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*, non cessabo te vrgere, donec genti nostræ promissam largiaris benedictionem, & cæli mittant rorem, nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet nobis promissum saluatorem. Adeoque fuit potens Virginis oratio, vt Deum vinceret plusquàm omnes sancti præcedẽtes, merueritque de congruo incarnationis Dominicæ accelerationem, nam, vt inquit D. Ambrosius, illa fecit, quòd Deus inter homines videretur: qui occultus adhuc manebat apud Angelos in cælo, crebrò enim repetebat flammigeram illam precem sponsæ: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te:* ac si D diceret, vtinam Domine, qui in cælis lates, fieres iam homo & frater noster sugens vbera eius, quam elegisti in matrem tuam & nostram, vt omnes, qui te diu quæsiuimus, inueniamus te foris extra cælum conuersantem in terris cum hominibus, & nostri amoris signa tibi exhibere valeamus. Exaudiuit autem Dominus preces eius: & sicut Simeon accepit responsum à Spiritu sancto, non visurum se mortem nisi priùs videret Christum Domini sugentem vbera matris eius; ita piè credi potest beatissimam Virginem ob instantiam & excellentiam precum suarum ab eodem Spiritu sancto responsum accepisse, ante mortem visuram in terris Christum Domini sugentem vbera matris eius, licèt tunc non reuelauerit, quæ esset illa mater.

Vide Suarez to. 2. in 3. p. q. 1. ar. 12. disp. 10. oratione de obitu Theodosii versus finem. Cant. 8. v. 1.

Lucæ 2. v. 26.

Quomodo

Pro Annũtiatione.

Quomodo B. Virgo inuenit Christum per assumptionem carnis ex ipsa. §. 4.

1. HÆc Virgine animo reuoluente, subitò inuenit eam solam vigil de cælo, qui ei nuntiauit in proximo esse vt inueniret quem quærebat, & diligebat anima eius. *Missus est* (enim) *angelus Gabriel à Deo*, qui salutans eam dixit: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Quibus verbis tacitè incarnationis ei mysterium annuntiauit, paulatim illud clariùs explicaturus. Consultò tamen reticet verbum (est) erit, vel sit, quia omnia comprehendit. Dicit igitur, ô Virgo veneranda aue, gaude, lætare, & exulta in Deo salutari tuo; congratulor tibi de tua eximia fœlicitate, & de salute quæ per te eueniet mundo, quia omnia, quæ desiderabas, & quærebas, te inuenisse scias, quærebas tibi insignem gratiam sanctificantem, & vt appareret iam *gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos*; Quæ tu ipsa es, *gratia plena*, inuenisti gratis plenitudinem; nam cæteris hominibus per partes gratia est præstita; tibi verò tota simul se infudit gratiæ plenitudo; per quam facta es ita grata, & accepta Deo, ita ornata & benè disposita, vt autor gratiæ de te carnem assumere decreuerit. ne timeas ô humilis Virgo, quæ de tuis meritis tam sublimem rem non suspicabaris: ea enim non ex humanis procedit meritis, sed ex gratia & benignitate largitoris. Tu autem *inuenisti gratiam apud Deum*: Quam gratiam, nisi quam toti mundo quærebas. Et ita enim placuisti Deo, vt per te voluerit gratiam hypostaticæ vnionis humanæ naturæ communicare.

Luc. 1. v. 26.

Ita interpretantur dictionem Aue, D. Basilius hom. de Christi humana generat. Nicænus orat. de natali Domini. Euthymius & alii. Ad Titum 2. v. 11.

2. Quærebas tibi & vniuerso mundo inuenire Deum protectorem, & liberatorem; gaude & lætare, quia *Dominus*, semper tecum est tamquam auxiliator fortis ad cuncta, quæ agere decreueris; & iam iam fiet, ut Dominus tecum sit ad perficiendum in te, & ex te opus admirabile, & altissimum mysterium, quod desiderabas pro totius mundi redemptione: citissimè Pater altissimus erit tecum, quia virtus eius obumbrabit tibi; Spiritus sanctus etiam, quia mox superueniet in te; Filius autem, quia totius Trinitatis virtute in vtero tuo, & de tua substantia fiet homo: & tunc plenè inuenies, quem diligit anima tua.

3. Gaudere ergò te oportet, quia *benedicta tu in mulieribus.* Benedictionem enim fœcunditatis, quam omnes fœminæ Israëlitæ desiderabant propter spem Messię venturi, tu sola inter illas singulari modò obtinuisti: *Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, &c.* Tu enim es virgo illa benedicta, quam prænuntiauerat Isaias dicens: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus:* Quia ipse Deus homò factus, erit tecum & cum omnibus, vt nobis benefaciat, & salutem tribuat: meritò ergò te voco inter omnes mulieres benedictam, quia *benedictus est fructus ventris tui*, quem iam iam es allatura mundo: reliquæ fœminæ consequuntur benedictionem fœcunditatis cum virginitatis iactura multis maledictionibus admixtam: maledixit enim Deus mulieri dicens: *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos; in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Tu autem benedicta es omnino, quia sine detrimento virginitatis obtine-

Isa. 7. v. 14. Matth. 1. v. 23.

Luc. 1. v. 42.

Genes. 3. v. 16.

A bis benedictionem fœcunditatis, nec pregnantium patieris ærumnas, nec cùm dolore, sed cum gaudio paries filium tuum. Vnde antequam hæc maledictio Euæ indiceretur, mater Messiæ excepta videtur, cùm de illa priùs dictum est: *inimicitias ponam inter te & mulierem, &c.* Et postea subditur maledictio quasi ad alias tantùm extendenda.

Audit Maria nuntium, miratur, lætatur, & Deo humiliter subijcitur; dicens. *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.* Singula verba virtutes indicant, quibus se ad tantum mysterium suscipiendum plenè & perfectè se ornavit. *Ecce* denotat promptitudinem obedientiæ: *ancilla Domini* humilitatem & submissionem tanto Domino iure debitam: *fiat* fidem & credulitatem, ac fiduciam in Dei omnipotentia, cuius B fatetur esse opus istud, & ideo non ait, faciam quod dicis, sed fiat mihi: Denique *secundum verbum tuum*, purissimam eius insinuat castitatem, & omnimodam resignationem circa omnia, quæ Angelus nuntiauit. quæ humilitatis ergò minutim recensere noluit, sed in genere comprehendere sub hac dictione, secundum verbum tuum. 4.

Mox addit Euangelista: *& discessit angelus ab ea*, quo discedente euenit quod inquit sponsa; *Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea*; Ideo enim (inquit D. Athanasius) angeli discessus commemoratur, vt sciremus eo præsente mysterium istud operatum non esse, sed post discessum, cùm iam suo munere functus fuit, & consensum virginis explorauit; ne putaretur angelum, aut eius verbum carnem assumpsisse; cum C tamen non ille, sed Filius Patri consubstantialis, verbumque subsistens, & æternum carnem induerit. Nec tamen post angeli discessum multa temporis mora intercessit, sed statim verbum carnem factum esse testatur D. Augustinus sic dicens: O beata Maria, sæculum omne captiuum tuum deprecatur assensum; te apud Deum mundus suæ fidei obsidem fecit: noli morari virgo, nuntio festinanter responde verbum, & suscipe filium; da fidem, & senti virtutem. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum;* nec mora, reuertitur nuntius, & virginalem thalamum ingreditur Christus. D. Augustino applaudit D. Bernardus sic alloquens Virginem; responde verbum, & suscipe Verbum; emitte transitorium, & amplectere sempiternum; profer tuum, & suscipe diuinum, idemque alij patres testantur. 5.

Serm. de Deipara. Vide Toletum in c. 1. Lucæ annot. 114. D. Athanas. refert hæresim dicentium verbum Angeli salutantis fuisse id quod carnem assumpsit. Serm. 18. de Sanctis.

Hom. 4. in Missus est.

D Paululùm igitur cum B. Virgo pertransiit vigiles ac Gabrielem, in ictu oculi (hoc enim significat hîc vox paululũ) in vtero suo inuenit quem diligebat anima eius, filium Dei factum hominem. Sed quomodò inuenit. Spiritus sanctus, qui superuenerat in eam, vt hanc mirabilem operaretur conceptionem, splendidissima luce illustrauit mentem eius, vt dilectum à se, & in se conceptum, perspicuè agnosceret. Aliæ fœminæ non agnoscunt se concepisse nisi post aliquot menses, idque multis pregnantium ærumnis deducunt; at beatissima Virgo illico agnouit quem in vtero habebat; & insuper cuncta ipsius magnalia, quæ ab angelo fuerant annuntiata, præcipuéque stupendum illud mysterium à sæculis absconditum vnionis Dei cum natura humana. Vnde in dilecti, quem inuenerat, amore exardescens, exultans, & iubilans proclamat; *tenui eum, nec dimittam*, tenui in vtero meo tanquam filium; tenui certissima fide, ardentissima charitate, tenui pinguis- 6.

sima deuotione, ingenti gratitudine, & gratiarum actione; nec vmquam eum dimittam, quoniam in æternùm ego ero illius mater, & ipse erit mihi filius. Ille non dimittet, quod semel assumpsit ex me, nec ego dimittam dignitatem matris, quam accepi ab illo; deinceps fidentiùs dicam: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ille erit mihi in filium, & ego ero illi in matrem: ego intendam illius necessitatibus subueniendis, & ille intendet meis precibus exaudiendis, quoniam ex quo facta sum mater redemptoris, facta sum etiam mater omnium qui redempti sunt ab ipso, pro quibus me orare oportet, sicut & illum decet me exaudire.

Cant.2. v.16.

Pro natiuitate Domini.

Quomodo B. Virgo introduxit Christum in domum huius mundi, & synagogæ. §. 5.

1. SED vlteriùs protenditur Virginis ingenuum propositum dicens: *Tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Ac si diceret, retinebo eum intra meum vterum, nec dimittam, donec tempus sit, vt per natiuitatem temporalem, qua ex vtero meo prodiet, introducam illum in domum huius mundi visibilis à matre mea diuina sapientia fabricatam, & in cubiculum synagogæ, quæ me genuit, ac in domum Bethleem vnde sum oriunda; vt ab omnibus Hebræorum, & gentium nationibus inueniri valeat. Sed asseueranter ait, *donec introducam* quoniam licèt reliquæ fœminæ, & si fœtum concipiant, nesciunt an eum feliciter in lucem emittant, vel aborsum faciant: at virgo hoc certo sciebat ex reuelatione Isaiæ, & Angeli dicentium: *Ecce concipies & paries filium.* Vnde & si reliquæ mulieres non vocentur matres ante partum, tamen beata Elisabeth, hoc nomine Virginem insigniuit paulo post conceptionem, cum dixit: *Vnde mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Luc.1.v.43.

2. Sed cur ait: se tenere eum donec introducat in domum matris suæ, quasi introducendo dimitteret, nec ampliùs teneret? Sed iam supra diximus in scriptura, vocem *donec* tantùm significare id quod futurum est, vnde post partum eum perfectiùs tenebat, & possidebat, & sibi & vniuerso mundo. Fœmina enim secundum communem loquendi modum, non dicitur tenere seu habere filium, quamdiu est in vtero, sed cùm primùm natus est in mundo. Nam de Eua, cùm primogenitum à Deo recepit, scriptum est: *Concepit & peperit Caim dicens; possedi hominem per Deum.* Ante partum enim tantùm habet fœtum in vtero sicut reliqua animantia rationis expertia: post partum verò possidet eum humano modo, nutrit, amplectitur, osculatur, & filium vocat. Vnde sponsa aduentum Christi desiderans, natiuitatem eius expressiùs cupiebat, cùm dixit *quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris:* Foris inquit non tantùm extra cœlum, sed etiam extra vterum maternam, vt corporeis oculis te videre possim, auribus audire, propriis labiis osculari, & brachiis amplecti? Genes.4. v.1. Cant.8.v.1.

3. Cùm igitur beatissimæ Virgini *completi sunt dies vt pareret, peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit:* Tuncque plenius dixit, *inueni quem diligit anima mea, tenui eum.* Inueni eum foris, in vlnis accepi, inuolui pannis, vberibus meis lactaui, possedi hominem per Deum multò feliciùs quam prima Eua, quæ dum primogenitum Luc.2.v.6.

A peperit, hominem possedit per Deum cooperante Adam patre præuaricatore: Vnde primogenitus eius Caim fuit primogenitus diaboli, & primus reprobus inter homines, qui occidit fratrem suum Abel: at ego possedi hominem per Deum solum, nullo viro cooperante, sed virtute altissimi & Spiritus sancti obumbrante mihi; ideoque possedi hominem, qui ex se nascitur sanctus, estque omnis sanctitatis autor, hominum decor & gloria, eorumque redemptor, & caput, primogenitus in multis fratribus quos è morte transferet in vitam.

Tenui igitur eum, nec dimittam; nam & si ad tempus in præsepio, vel cunabulis eum reclinem, ego ipsa tamen vlnis gestabo, & ducam eum mecum quocumque iero, quamdiuque paruulus fuerit: *Fasciculus myrrhæ erit dilectus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Et quamuis omnes eius amaritudines amaricent cor meum, adhuc non dimittam illum, nec à meis auellam vberibus, non tantùm corporis, vt lactem, sed etiam spiritus, quia semper tenebo illum mente & affectu, corde inflammato & prompto obsequio: si persecutus fuerit Herodes Rex, non dimittam illum, sed cum eo fugiam in Ægyptum, & curam illius agam, donec iterum reducam illum in Nazareth, & introducam in domum & cubiculum matris meæ, vt simul mecum commoretur, & ego cum illo, illi inseruiens, & cuncta necessaria præstans, immo nec dimittam illum vsque ad mortem. sed de hoc ad calcem Exhortationis. 12. 4. Cant. 1. v.12. Vbi plura de hoc diximus.

Quomodo B. Virgo introducit Christum spiritualiter in homines, & tenet, nec dimittit irasci nobis. §. 6.

SED aliquid nobis iucundius hæc verba sonant: stabile nimirum Deiparæ propositum non dimittendi filium donec eum spiritualiter introducat in mundum & synagogam, atque in montes & corda hominum per veram fidem & cognitionem, ardentemque amorem. Hæc enim sunt, vt diximus, spirituales domus, templa Dei viui, ac cubicula, in quæ Christus introduci cupit, vt habitet in eis per fidem charitate indicatam. Beatissima autem virgo electa est in matrem eius, non tantùm vt illum corporaliter pareret, synagogæque ac mundo exhiberet visibiliter præsentem; sed etiam vt spiritualiter eum introduceret in eorum mentes, ita quòd eum vt verum Messiam fide reciperent, amarent, colerent, eique seruirent, & propter hoc ait, *non dimittam donec introducam* in fratres meos filios synagogæ, vt eum teneant eo modo, quo ego teneo. 1. 1.Petri 2. v.5. ad Hebr.3. v.6. 1.Cor.6. v.19.

Hoc potissimum eius desiderium & munus à Deo sibi iniunctũ nonnullis præclarissimis exemplis declarant Euangelistæ, dum infantiam narrant Saluatoris. Etenim vix Christum in vtero conceperat, cùm post angeli discessum subdit D. Lucas; *Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ.* Quo abis, ô Virgo purissima in montana? cur exurgis & relinquis quietem domus tuæ? cur ita properas, & intras in domum Zachariæ baiulans in vtero quem diligit anima tua? propero, vt dilectum quem inueni, celeriter *introducam in domum matris meæ*, inter cognatos meos secundum carnem, vt per fidem & gratiam in spiritum prophetiæ introducam eum in Ioannem Baptistam, & nouo modo in parentes 2. Ascensus Virginis in domum Zachariæ. Luc.1.v.39.

tes eius. Charitas enim Christi vrget me; vt non solùm illum mihi velim, sed aliis; quia nec tantùm pro me inueni, & accepi, sed pro reliquis. Vnde tunc virginis ope impleri cœpit vaticinium illud de Christo; *Inuentus sum ex non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant.* Non enim quærebat Baptista Saluatorem, quem tunc inuenit. Zacharias autem & Elizabeth, etsi aduentum eius desiderabant & quærebant nondum tamen inuenerant: inuenerunt autem per Deiparam eum ad eos deferentem, qui tanti mysterij iam peracti mirabilem eis tribuit reuelationem. ad Rom. 10.v.20. ex Isa.65. v.1.

3. Ad hunc modum posteà, cùm Christum peperit in Bethleem, & deduxit in templum, per illam inuenerunt eum non solùm corporaliter, sed spiritualiter Pastores & Magi primitiæ Iudæorum & Gentium; Simeon & Anna prophetissa, de quibus mox dicemus. Persequente item Herode detulit eum, atque introduxit in Ægyptum, illo verò defuncto reduxit in Nazareth, ad significandum eius meritis & precibus Christum per fidem & dilectionem introducendum in omnes gentes, & prope finem mundi in ipsos Iudæos, à quibus repulsus erat, ac denique quotidie in omne genus hominum introduci. Per illam enim (inquit D. Bernardus) angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum; & iterum, omnibus misericordiæ signum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, angelus lætitiam, tota Trinitas gloriã & Filii persona humanæ carnis substãtiam, ut nemo sit qui se abscondat à calore eius. Si ergo Christum cupis dignè quærere, & inuenire, hanc gloriosissimam Virginem habeto ducem, & patronam: filium enim, quem ipsa tenet, in re potenter introducet, veniamque peccatorum impetrabit. Serm.2. de Pente cost. Serm.de verbis Apocalyp. *signum magnum.*

4. Vt autem hoc firmiùs credas, audi aliam iucundissimam horum verborum interpretationem: *Tenui eum, nec dimittam.* Conquerebatur Deus olim per Ezechielem non esse in terra, qui eum teneret & iustam eius cohiberet iram: *Quæsiui* (inquit) *virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me, pro terra, & non inueni.* Et rursus: *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israël.* Isaias autem clariùs inquit: *Non est qui consurgat, & teneat te.* Sciebat enim Deum sanctorum precibus teneri, ne iram suam in peccatores effundat, sicut insinuauit Moysi, cùm ei dixit: *Cerno, quòd populus iste duræ ceruicis sit; dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.* Iam autem suprà explicuimus, quomodò tenuerit illum. E conuerso autem præsciente Hieremia precibus teneri posse, ait illi: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem & non obsistas mihi.* Obsisteret quidem si oraret, monet ne oret, quia populum punire decreuerat. Quid igitur Deipara, quæ omnibus sanctis potior est, atque potentior, quia inueni (inquit) filium meum quem diligit anima mea, nouique eum indignandum fore contra genus hominum, quod propensum est ad malum, & sæpiùs delinquet contra illum: *Tenui eum nec dimittam*, id est, meis precibus tenebo eum, nec dimittam irasci, & vindictam de illis sumere; sed placabo, ne terram dissipet, ne vineam synagogæ funditus euertat; & omnes disperdet mortales. Quod & fecit quamdiu vixit in mundo tenens Deum, ne immane Iudæorum facinus, qui Christum crucifixerunt, mox vindicaret, sed quam- Nota. Ex Cãdin. Hailgrino apud Martinum Delrio. Exech. 20. v.30.& c. 13.v.5. Isai 64.v.7. Exod.32. v.9. Hierem.7. v.7.16. De hoc iterum infrà lib.10. exhort. 17. §.3.in id *ego murus & vbera mea quasi turris.*

A diu ipsa vixit, vindicta dilata est, nec modò cessat tenere Deum ne mundum obruat; & peccatores, quia ipsam confugiunt, in barathrum detrudat; Sicut enim, cùm rex Dauid iratus erat contra Absalom, eo quòd occiderat patrem suum Amnon, mulier Thecuitis valdè prudens placauit eum proposita parabola de duobus filiis suis rixantibus in agro, quorum vnus alterum interfecit; & cum vniuersa cognatio aduersùs interfectorem consurgeret, vt in vindictam patratæ necis occideretur; rogabat regem vt eum eriperet, ac tandem obtinuit, & conuersa parabola iram regis contra Absalonem mitigauit: sic prudentissima virgo Maria iram Dei placat contra genus Iudæorum, vel aliorum peccatorum, qui suum fratrem Christum ex liuore, & malitia crucifixerunt, vel in seipsis spiritualiter crucifigunt: cuius preces furorem Dei sæpe detinent, ne de illis vindictam sumat, sed potiùs indulgentiam præster. 2.Reg 14. v.11.

Sed subdit: *Nec dimittam donec introducam eum in domum matris meæ.* Quoniam hæc eius intercessio, & vis tenendi Deum durabit vsque ad diem iudicij quando Christus plenè in suis membris introducendus est in possessionem regni sui, & domus non manufacta, quæ est cælestis Hierusalem mater nostra. Tunc enim cessabit intercessio pro hominibus, quia in extremo iudicio non est locus intercessioni, & post illud non erit necessaria, cum omnes sint in vltimo termino vel gloriæ vel gehennæ. Modò ergò curare debemus huic beatissimæ matri diligentissimè inseruire, vt iram Dei contra nos teneat, & veniam peccatorum obtineat: Amplectamur (vt ait D. Bernardus,) Mariæ vestigia, sequamur mores, imitemur exempla, & deuotissima supplicatione beatis illius pedibus prouoluamur, teneamus & nos eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis, & precibus suis in cælestem domum nos introducat, vbi regnemus cum ipsa fruentes Dei conspectu in sæcula sæculorum Amen. Serm.in Apoc.12. ante med.

EXHORTATIO X.

De vaticinio Simeonis testantis Christum positum in ruinam Israëlitarum, qui eum malè quæsierunt, nec inuenerunt: & in resurrectionem eorum, qui inuenerunt eum; quorum princeps fuit ipse Simeon. Pro Dominica inf. Octauas Natiuitatis & pro festo Purificationis de Simeone.

In lectulo meo per noctes &c.

ET si beatissima Deipara Christum corporaliter in synagogam introduxerit, vehementerque cupierit spiritualiter etiam eum in omnes introducere Israëlitas, triste tamen audiuit nuntium à Simeone, cùm filium suum deduxit in templum, vt sisteret eum Domino; dixit enim ei Simeon; *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Quo vaticinatus est multos Iudæorum, qui verum Christum antea quærebant, ruinam fidei passuros, non credentes verè eum esse Deum & hominem pro mundi redemptione ex ipsa natum, sed potiùs ei omninò contradicturos: contradixerunt enim eius humilitati, paupertati, mansuetudini, ac vniuersæ eius Luc.2.v.34

vitæ & doctrinæ, donec crudelissima crucis morte eum peremerunt: alios verò credituros in illum, ad melioremque, ac excellentiorem doctrinam & vitam per ipsum resurrecturos. Et licèt hoc secundum ingentem posset virgini conferre lætitiam, primum tamen maximum erat ei illaturum mœrorem, & dolorem, ideoque de hoc subiunxit: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, scilicet doloris: & hic duplex, aut vnus ob duo sibi valde acerba; tum ob ignominias, & tormenta passionis filij sui, quæ propriis oculis conspexit: gladius enim seuerus, quæ corpus Christi transfixit, animam virginis, qui eum ardenter diligebat, penetrauit: tum verò ob ruinam Iudæorum, quorum salutem valde sitiebat. Si enim Paulus asseruit magnam sibi fuisse tristitiam, & continuum cordi suo dolorem ob fratres suos Israëlitas, quantò magis beata Virgo, quę eorum perditionem & rebellionem contra Christum intuebatur, acutissimo transfixa est doloris gladio? Seueritas enim diuini iudicij circa Iudæorum reprobationem ob hanc perfidiam obstinatam, vocatur gladius vt ex parte docet D. Hilarius, licet ipse diuerso modo applicet.

Ad Rom. 9. v. 2.

In psal. 118. litera Gimel.

Quandam Synagogæ partem inuenisse Christum iam natum, aliam verò non. §. 1.

HIVS ergo præclarissimi vatis oraculum egregiè parabolam sponsæ explicat, dum ait eum, quem diligebat, non inuenisse, posteaque inuenisse, & dum subdit: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam in domũ matris meæ.* Insinuat, quòd & si ipsa inuenerit eum, aliqui tamen domestici, & alumni suæ domus, non inuenerunt, nec receperunt, à quibus tamen inueniri desiderabat. Diuisa est enim synagoga in duas partes, quarum vna Christum vera fide inuenit, ac tenuit, altera respicit, quibus aptari potest, quod inquit Dominus per Amos Propheram: *Plui super vnam ciuitatem, & super alteram ciuitatem non plui: pars vna compluta est, & pars super quam non plui aruit.* Notum enim est in Scriptura, Messiæ aduentum per pluuiam designari; sicut Dauid inquit: *Descendit sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram*; Et Isaias: *Rorate cæli desuper & nubes pluant iustum*, idest Christum; quem Deus pluit super eas ciuitates, & partes Iudæorum, qui eum receperunt; super alias verò, qui eum recipere noluerunt, non pluit, quia nihil eis profuit, ac si illis non venisset; & ideò aruerunt, sicut ficus, cui Christus maledixit, quæ eos præfigurabat. Pars autem, quæ non recepit, multò maior fuit tum numero, tum temporali dignitate; complectebatur enim principes sacerdotum, scribas & pharisæos, ac alios populi magnates, superbos & elatos, eorumque sequaces; de quibus dicitur: *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Et ipsimet id testati sunt dicentes: *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex pharisæis? sed turba hæc, quæ non nouit legem; maledicti sunt:* Cùm tamen ipsi potiùs fuerint maledicti propter quod Simeon prius dixit, Iesum positum fuisse in ruinam, deinde in resurrectionem multorum in Israël, significans, notiùs & maiùs fuisse damnum ruinę. Quod etiam præfigurauit Zacharias propheta, cùm recensita Christi passione illis verbis; *Framea suscitare super pastorem, & super virum cohærentem mihi, percute pastorem, & dispergentur oues*, subdit statim: *& erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duę in ea dispergentur, & deficient, & tertia pars relinquetur in ea*, id est in terra Israël duplò plures ruent, & deficient à fide Christi pro eis crucifixi, & pauciores manebunt, qui recipiant eum. Sed cur tot non inuenerunt, nec receperunt? quia nimirum expectabant Christum venturum tamquam regem diuitem & præpotentem plusquam Dauid, & Salomon, qui in eorum regia succederet maiestate; & quia viderunt eum pauperem, humilem, & abiectum, non eum tamquam Messiam agnouerunt. Et hoc insinuat Euangelista, dum refert genealogiam Dauid, & Salomonis à regia claritudine cecidisse post transmigrationem Babylonis, & deuenisse ad Eleazar, Matham, Iacob, & Ioseph, virum Mariæ, homines pauperes, humiles, atque abiectos, vt pote fabros & humilia exercentes, & ideo contemptus causa vocabant Christum fabrum, & fabri filium, & dicebant: *Numquid non hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem, quomodo ergo dicit hic, quia de cælo descendi?*

Amos 4. v. 7.

Psal. 71. v. 6

Isaiæ 45. v. 8.

Matth. 21. v. 19.

Ioan. 1. v. 11.

Ioan 7. v. 48.

Zach. 13. v. 7.

D. Hieron. aliter explicat, sed expositio hîc posita optimè quadrat textui.

Matth. 1. v. 15.

Matth. 13. v. 56.

Marci 6. v. 3.

Ioan. 6. v. 41.

Ioan. 5. v. 39. & 46.

Iosn. 7. v. 34.

Ex Card. Toleto.

2. Cor. 5. v. 14.

Propter hos ergo superbos & rebelles inquit sponsa: *Quæsiui illum, & non inueni.* Quia malè quærebant: si enim eum sincerè & humiliter quærerent in lectulo veræ fidei, & per vicos & plateas scripturarum, & ceremoniarum legis, profectò inuenire possent, & cognoscere certò, Christum venisse, & esse eum, quem præsentem habebant. Nam apud Michæam inuenirent locum, vbi nascituros erat, nempe Bethleem Iudæ, (quod scribæ testati sunt Herodi regi: apud Danielem reperirent tempus aduentus eius fuisse impletum, cùm septuaginta hebdomadas transisse nossent, in vaticinio Iacob scirent translatum esse sceptrum à Iuda in regem alienigenam, & consequenter venisse, qui mittendus erat: in Zacharia aduerterent venturum Messiam non vt regem diuitem, sed tamquam pauperem & humilem sedentem super asinam, apud Isaiam, reliquosque vates inuenirent modum affabilis eius conuersationis, prodigia eximia, prædicationem, & persecutiones atque afflictiones, quas passurus erat, & alia plurima signa, per quæ possent noscere Christum iam venisse; propter quod ipse Dominus dixit eis: *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Et rursus: *si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit.*

Cæterum & si quærere viderentur, non inuenerunt, quoniam excæcauit eos malitia, & inuidia, vt malè quærerent, non in lectulo veræ fidei secundum scripturas sincerè intellectas, sed in lectulo suæ præsumptæ credulitatis, & in cortice litteræ secundum id, quod exteriùs sonabat, regiam redolens magnificentiam temporalem, propter quòd huiusmodi excæcaris Saluator dixit: *Quæretis me, & non inuenietis; & vbi ego sum, vos non potestis venire:* Cuius legitimus sensus est, vos continuò inquiretis me, id est, verum Christum & Messiam vobis promissum; cæterum non inuenietis, nec veram mei assequemini cognitionem, quia præter me, quem inuenire possitis. & ideo ad locum gloriæ, vbi ego sum, numquam peruenietis, quod vsquè hodie verum est in perfidis Iudæis, qui teste D. Paulo, idem velamen retinent super cor in lectione veteris testamenti? hos sequens Iulianus apostata insultabat in Christum quod non ex matre regina natus, nec filius terreni regis

In scripturis inuenire poterant Christum venisse.

Mich. 5. v. 22.

Matth. 2. v. 6.

Dan. 9. v. 23.

Genes. 49. v. 10.

Zach. 9. v. 9.

regis fuerit, nec mundi gloriam habuerit. Respondet D. Cyrillus, hoc ipso Christum testatum esse suam diuinitatem, oportebat (inquit) omnino Iesum existentem Deum, curam habere, ne videretur hominibus gloria minor, & desiderare nobiscũ momentaneas has gloriosas, & appetere dimẽsas prosperitates, pompasque vanas. Etenim qui has tamquàm quid sublime amat, minor videtur illis: qui autem contemnit, est illis maior, sublimioremque virtutum habet gloriam; de qua Ioànes ait: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis.* Insultabat rursus apostata in Christum quod cognatorum non potuerit mutare voluntatem vt in eum crederent, eumque tamquam Christum reciperent. Respondet Cyrillus, potuisse, sed maluisse id eorum relinquere liberæ voluntati, per quam digni fierent laude vel viruperio, præmio vel supplicio? Vnde ipsius Christi auxilio alia pars synagogæ, nempe cœtus iustorum, & humilium, inter quos computantur Apostoli & discipuli, aliique ab Euangelistis relati; in ipsum credidit, eumque recepit; de qua dicitur: *Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea*, id est, postquam percurri cuncta, quæ dicta sunt à veris vigilibus, & prophetis; & omnino reliqui, quæ restabantur falsi vigiles, scribæ & pharisæi, inueni verum Messiam, tenui eum per fidem, & amorem, nec vmquam dimittam, donec, si valeam, in reliquam partem domus matris meæ introducam illum?

Lib. 6. contra Iulian. prope finẽ. Vbi plura de hoc dicit.

Ioan. 1. v. 14.

Confirmatur hoc ex lucta inter Angelum & Iacob, qui ex ea mansit claudicans. §. 2.

ENtibi renouatam Iacobi cum angelo luctam, cuius suprà mentionem fecimus, vt eleganter explicat D. Augustinus, etsi diuerso modo à præcedenti allegoriam tradat. Iacob (inquit) in collactatione cum Angelo Iudæorum populum præfigurabat. Angelus autem, qui cum eo luctabatur, typum Saluatoris nostri præseferebat: luctatus est populus Iudaicus cum Christo, & quodam modò eum vicit, quia non destitit eum persequi, donec morti tradidit, & quia non totus populus Iudæorum fidem Christi repudiauit, sed non pars ua eius multitudo in eum credidit, ideo in eius rei figuram Angelus tetigit femur Iacob, & claudicare cœpit: pes enim ille, in quo claudicabat, Iudæos in Christum non credentes significabat; alter verò pes, qui sanus remanserat, figurabat eos qui Christi fidem receperant, (propter illos dixit; Simeon, Christum positum esse in multorum ruinam, quia velut claudicantes tendebant deorsum: propter hos verò, in resurrectionem multorum; nam velut pes sanus, erecti stabant, & ibant sursum,) sed pergit D. Augustinus: in illa autem collactatione Iacob, & vincebat, & tamen victor benedictionem à victo petebat, dicens: *non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Iacob enim vincens Iudæos persecutores, & occisores Christi futuros præmonstrabat: idem petens benedictionem ab Angelo, Iudæos, qui Christum adoraturi, & veneraturi erant, eiusque cælestibus donis cumulandi, ostendebat. Erat itaque vnus & idem Iacob, & benedictus & claudus, nimirum benedictus in ijs, qui in Christum ex eodem populo crediderunt: claudus verò in ijs, qui in sua infidelitate permanserunt. De quibus propheticè dictum est: *Et claudicauerunt à semitis suis.* Hæc D. Augustinus, supponit autem hîc sanctus Doctor claudicationem istã ex marcidò nervo femoris, qui symbolum est generationis, procedentem, indicare populum à Iacob generandum claudicaturum fore in Christi adoratione, sicut antea claudicauerat; iam verum Deum colendo, iam idola gentium venerando, iuxta id quod Elias eis dixit. *Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.*

1. Genes. 32. v. 31. Serm. 80. de temp. & lib. 16. de Ciuit. Dei. c. 39.

Rupertus victoriã Iacob explicat in bonum. D. Aug. in malũ.

16. de Ciuit. c. 39. habet hoc.

Psal. 17. v. 46.

3. Reg. 18. v. 21.

Hoc ampliùs confirmat, quod subdit scriptura: *Quam ob causam non comedunt nervum filij Israël, quia emarcuit in femore Iacob.* Quod (inquit Rupertus) indicabat multos Israëlitas non credituros in Christum ex eorum semine propagandum, nec per fidem mysterium Dominicæ Incarnationis manducaturos: vtinam (ait D. Ambrosius) manducassent, & credidissent: sed quia non erant facturi voluntatem Dei, ideo non manducauerunt; insinuat autem nervum femoris exciccatum significasse Christum nascendum ex genere Iacob sine opera virili ex matre eiusdem generis, sed virgine; quem non comedunt perfidi; quia hoc proterue negant.

Genes. 32. v. 25. & 32. Lib. 8 in Genes. c. 6. Lib. 2. de Iacob & vita beata, c. 17.

Nos autem alieno periculo edocti ruinam Iudæorum caueamus, quia enim corruerunt in superbiam, auaritiam, hypocrisim, & liuorem; ideo bonam conscientiam repellentes, naufragauerunt circa veram Christi fidem; sicut & modò naufragant hæretici. Satagamus ergò potiùs in fide stare, & per Christum ad meliorem resurgere vitam, eumque in dies perfectiùs inuenire, atque tenere, etsi pauper & humilis aduenerit; iam enim ad tactum angeli nervus femoris Iacob emarcuit, ad significandum etiam carnalem sensum legis, & corticem litteræ, quem Iudæi sequebantur, per luctam Christi cum eis, esse resoluendum & excindendum; quamobrem deinceps veri Israëlitæ non carne, sed spiritu, non comedunt hunc nervum carnalis intelligentiæ, nec carnaliter intelligunt multa, quæ de Messia sunt scripta, sed spiritaliter eo modo quo sunt intelligenda & ideo eum inueniunt, & recipiunt?

1. ad Timoth. 1. v. 19.

Hæc est alia expositio diuersa Thomæ Angelici apud Percitam in Genes. 32.

De modo, quo Simeon quæsiuit, & inuenit Christum. §. 3.

SEd iam felicem partem Iudæorum, in quorum resurrectionem Christus positus est, perpẽdamus ex ipsius Simeonis præclarissimo exemplo, qui anteſignamus fuit eorum, qui Christum Dominum dignè quæsierunt, & inuenerunt. Etenim tamquam verus Israëlita iustus, & timoratus sedulò per vicos & plateas ciuitatis, id est, iuxta dicta, per scripturas, ac responsa vigilum & prophetarum quærebat Messiam, quem diligebat, & cuius aduentum vehementer desiderabat, *erat enim* (vt Euangelista ait) *expectans consolationem Israël*, non quidem tantùm quia credebat, & sperabat Messiam, sicut antiquiores patres, sed quia per scripturas sciebat, propè esse tempus eius, & ideo instantiùs orabat cupiens eum inuenire, & propriis oculis intueri. Propter quod (vt inquit D. Augustinus,) crebrò repetebat illud psalmi: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Et tunc contigit, quod inquit D. Lucas: *Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini.* Verbum autem *responsum acceperat*; cum proprietate est accipiendum, quia verè præcessit interrogatio, siue per verba precum, siue

1. Pro festo Purificationis. Lucæ 2. v. 25.

Serm. 3. de verbis Apostoli. Psal. 84. v. 8.

per desideria, quæ in Dei auribus sunt quasi voces.

Lib. 1. hist. c. 12.

Nicephorus ex aliquorum sententia refert Simeonem qui sacerdos erat, vel doctus scriba legis, dum Christum quæreret per vaticinia prophetarum: incidisse in illud oraculum Isaiæ; *Ecce virgo concipiet, & pariet.* Et cum de illius intelligentia nonnihil dubitasset, astitit Angelus Domini, qui nuntiaret ei non priùs moriturum, quàm videret Christum ex ea virgine natum, quod non esset improbabile, si responsum Spiritus sancti per angelum dicas fuisse datum: affirmat autem vitam illi ad multum senium esse propagatam, vt Christum videre posset, interim autem instantiùs orabat, & ad cælestes vigiles dicebat: *Num quem diligit anima mea vidistis.* Iam natum in mundo, vt ego etiam eum videre valeam?

2. Volens ergo Deus promissum implere, postquàm natus est Christus, ascendente cum eo Deipara in Hierusalem; *Ipse venit in spiritu in templum*, id est ab aliquo Angelo, siue ab ipso Spiritu sancto admonitus, & cum primùm eum vidit, diuina illustratione illius maiestatem agnoscens ait; *Inueni, quem diligit anima mea, tenui eum*, mox enim, *ipse accepit eum in vlnas suas*, id est (sicut D. Athanasius interpretatur) eum, quem virgo gestabat in vlnis suis, inde tamquam sacerdos ex officio oblatum sibi infantem accepit in vlnas suas, brachiis amplexatus est, & firmiter tenuit, Deum benedicens, gratiasque agens pro tam ingenti sibi præstito beneficio.

Lib. de cõmuni Patris & Filij & Spiritus sancti essentia.

Sed quis enarrare sufficiet spiritualem benedictionem, & cælestium donorum copiam, quam Christus largitus est illi, cùm eum ita inuenit, ac tenuit? Hoc solùm scimus, illo solo intuitu Christi Dei & hominis, ac magnalium quæ in ipso latebant, & ei reuelata sunt, tam abundantem recepisse gratiam, & consolationem, vt ita manserit satiatus, ac iucunditate plenus, quòd statim iucundum insonuerit canticum dicens: *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Si mulier (ait Origenes) tangens fimbriam vestimenti Christi, sanata est, quid putandum est de Simeone, qui in suas vlnas accepit infantem, & brachiis tenens lætabatur, videns paruulum à se gestari, qui ad vinctos venerat resoluendos, seque ipsum nodis corporis liberandum?

Hom. 15. in Luc.

In Luc. 2.

Antea (inquit Euthymius) magnum erat intestinum bellum cogitationum in corde Simeonis, dum quærebat Christũ & nondum inueniebat: lucta erat inter desiderium vitæ & mortis, nam senium impellebat ad mortem; desiderium verò videndi priùs Christum, inclinabat ad vitam. Cùm autem vidit illum, facta est pax, & tranquillitas in corde ipsius per impletionem desiderii, & cessauit labor inquisitionis: inuenit quem quærebat, tenuit sine timore amittendi, quia sciebat Christum perfecturum opus, ad quod venerat, & pacem ac reconciliationem effecturum cum Deo; & ideo simul cum sponsa ait: *Tenui eum nec dimittam*, id est, nec desinam spiritualiter eum in corde tenere, donec introducam illum mecum in domum matris meæ cælestis Hierusalem; vt autem id consequatur, petit à corpore separari, & iam se dimitti in pace, dicens illud Psalmistæ: *In pace in idipsum dormiam & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Nam qui Christum tenet singulari spe

Psal. 4. v. 9.

potitur, in qua constitutus, securè in pace moritur. Contestabatur enim Simeon (inquit D. Cyprianus) tunc esse seruis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis & securitatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus, illa enim nostra est pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis & perpetua securitas, ad quam peruenies si dignè Christum quæsieris, inueneris, & in corde tuo retinere studeas. Possumus etiam cum Timotheo Hierosolymitano, hæc Simeonis verba tribuere illi postquam lumine prophetico præuidit Christum positum esse in ruinam multorum à quibus crucifigendus erat sicut paulo post nuntiauit Deiferæ. Ac si diceret: dimitte me obsecro nunc, ne videam audax Iudæorum in te facinus; ne videam coronam de spinis contextam, lanceam intentari tibi, & te clauis configi, ne videam gladium animam matris tuæ pertranseuntem. Sat est mihi vidisse te Saluatorem meum.

Lib. de mortalitate.

Homil. de Simeone, apud Metaphrastē & Surium in festo Purificationis.

3. Sed quid est, quòd Simeon, cùm vlnis Christum tenuerit, & oculis viderit, in cantico tantùm benedicit Deum; *Quia viderunt*, inquit, *oculi mei salutare tuum*: Et non ait, quia tenui, & accepi eum? sed forte attendit ad promissum Spiritus sancti sub hac forma factum, non moriturum donec Christum videret, & insuper, quia inuentio, tentio, & apprehensio Christi potissimè fit videndo eum non tantùm oculis corporis, sed mentis, qui infantis cernebant diuinitatem. Inter opera D. Cypriani est liber referens Simeonem fuisse cæcum, & diuino monitu audisse, ante mortem visurum Christum; cùm autem in templo, quò Dei iussu ierat, accepit puerum in manibus, vidit illum, & veritatem, quam lumine per miraculum accepto viderat, benedicendo palàm Deum populo prædicabat, ad hoc enim viderat, vt referret, & reuelatione sua quòd Christus natus fuisset, ostenderet. Hæc concisiùs retuli, fides sit penes autorem libri, qui incertus est, si aliquid præsagire licet, fieri potuit, vt post primam reuelationem acceptam ingrauescente senectute caligauerint oculi eius, id Deo disponente ad eius fidem probandam, & patientiam, & ad indicandam maiestatem pueri, ad cuius præsentiam visus cæco restitutus est. sed tenenda est nostra & Sanctorum expositio, de visione per oculos mentis mirabiliter illustratos, vt videret quem ardenter quæsierat.

In præfatione ad Vigilium de Iudaica incredulitate seu celsi: habetur tom. 3. ad finem, idem refert Toletus in Luc. 2.

Ecce illustre Simeonis exemplum, quod ante alias historias priores, retuli, vt eo probarem, quàm felices fuerint, qui Christum quæsierunt, & inuenerunt, vidèreque ac tenere meruerunt, sicut ipse testatus est Apostolis dicens: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis; dico enim vobis quod multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt, &c.* Sed felices etiam erimus nos, si perspicacibus fidei, charitate inflammatis oculis eum videamus, & teneamus, numquam illum dimittentes, donec introducamus in cælestem domum, vbi clarè facie ad faciem eum videamus in sæcula sæculorum Amen.

Lucæ 10. v. 24.

EXHOR-

EXHORTATIO XI.

Pro festo Epiphaniæ.

De modo quo Magi primitiæ gentium quæsierũt & inuenerunt Christum, quem noluerunt quærere Iudæi; & de triplici lumine ad eum quærendum requisito.

In lectulo meo, &c.

A Synagoga Iudæorum transeamus ad ecclesiam gentium, cuius typum gesserunt Magi. Etenim nõ solùm Iudæi, sed etiã gentes Christum venturum expectabant quærebant, & inuenire cupiebant; nam & Iacob de eo dixit. *Et ipse erit expectatio gẽtium.* Et Aggæus propheta: *Veniet desideratus cunctis gentibus*: Hoc autem desiderium licèt respectu gentilium, qui nullam Christi habuerunt notitiam, tantùm sit metaphoricum eo loquendi genere quo terra sicca desiderat aquam, & segetes pluuiá, quia earum indigentia id expostulare videtur: tamen non defuerunt, qui aliquam Christi redemptoris notitiam habuerint sicut de Iob constat: quoniam etiam inter gentes aliquos Deus excitauit prophetas; nimirum Sybillas, quibus id ipsum reuelauit.

Gen. 9. v. 10. Aggæi 2. v. 8.

De stella præsignante Christi aduentum. §. 1.

1. Sed celeberrimus inter omnes gentilium vates fuit Balaam, qui ita de Christo Domino vaticinatus est, *Videbo eum, sed non modò; intuebor eum, sed non propè*, quæ verba non tam dicit, (ut Abulensis putat) in propria persona, quæ non erat visura illum oculis corporis vsque ad diem iudicij vniuersalis, quàm nomine gentis suæ, seu generis humani, quasi prædicans Christum, quem annuntiabat, nonnisi post plurimos annos venturum, de quo sic ait: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab &c.* vbi iuxta communem sanctorum Patrum interpretationem ortus futurus Messiæ describitur. Bifariam autem accipi potest stella, Primò ut significet ipsum Christum ex genere Iacob ortum, qui stella dicitur propter splendorẽ diuinitatis, sapientiæ, vitæque cælestis; sicut, & virga de Israël, quia rex futurus erat & sceptrum regium habiturus, non temporale in hoc sæculo, sed spirituale, ad sibi spiritualiter subijciendas omnes nationes. Deinde, vt stella significet quamdam stellam, quæ orietur annuntians eius aduentum & natiuitatem in mundo. Vocatur autem stella ex Iacob vel quia prænuntiabat regem oriundum ex Iacob, vel forte quia stella ista non orta fuit in Oriente sed in terra Israel, & existentes in Oriẽte visuri erant illam existentem super Iudæam, tamquam signum Regis in Iudæa nati: Hæc duo quasi ex traditione conseruabantur apud Magos, seu sapiẽtes illius regionis Orientalis, vbi Balaam deguit; vnde Magi semper erant stellarũ seduli inspectores tamquam periti Astrologi, expectantes ortum illius stellæ quam prædixerat Balaam.

Num. 24. v. 17.

Ita Iansenius & Caietanus. Plura de hoc vide apud Suarẽ to. 2. in 3. p. D. Tho. disp. 14. sect. 5. & 6.

2. Appropinquante igitur natiuitate Christi Domini ex peculiari Dei instinctu sapientes quidam in Oriente curiosiùs huius stellæ ortum expectabant, quæ regis & Messiæ natiuitatem indicaret, quorum nomine spõsa suam texit narrationem dicens: *in lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.* Asserit hoc congregatio illa Magorum; quæ ecclesiam gentium sponsam Christi futuram, repræsentabat. desiderabat autem aduentum eius, & quærebat in lectulo, id est, in sua regione tranquillè manens, (hoc enim nomine Amos propheta has regiones vocat vt iã vidimus) sed inquirebat per noctes plurimas, quærens an oriretur stella illa: quis enim ignorat nocturnum tempus, cùm serenum est cælum, aptum esse syderibus inspiciendis? cùm igitur natus est Christus, subitò orta est etiam stella nouæ claritatis, illustrior ceteris, pulchriorque syderibus, quam videntes Magi, mox cognouerunt natum esse regem Iudæorum, nam (vt inquit D. Leo) dedit aspicientibus intellectum, qui præstitit signum; & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & se inueniendum obtulit requisitus; visa enim stella, dixerunt Magi adinuicem; *Hoc signum magni regis est, eamus & inquiramus.* hactenus quærebamus in lectulo quieto nostræ patriæ, vbi inuenire non possumus; exeamus hinc ad inquirendum illum, hoc autem magnam eorum indicat fidem; sicut enim teste D. Paulo, *Abraham fide obediuit in locum exire, quem accepturus erat & exijt nesciens quò iret.* Quod eius fidem valde commendat: sic Magi fide reliquerunt patriam, & exierunt quærere Christum, nescientes quò irent, nec locum vbi eum inuenire possent.

Math. 2. v. 1.

Amos 3. v. 12.

Serm. 1. de Epiphan. & serm. 3.

Ecclesia in Antiphona.

Ad Hebræ. 11. v. 8.

De egressu Magorum ad quærendum Christum §. 2.

Paruula igitur Magorum congregatio hac fide armata instar sponsæ quæ etiam exijt quærere dilectum, nesciens quo in loco eum inueniret: ait; *surgam, & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas, quærens quem diligit anima mea.* Id est surgam à mea patria, vadamque in terram Israel & circuibo ciuitatem; quam ciuitatem? eam scilicet, quam designat Euangelista dicens: *Cum natus esset Iesus in Bethleem Iudæ, ecce Magi ab Oriente venerũt Ierosolymam dicentes; Vbi est qui natus est rex Iudæorum.* Humano enim sensu ducti (inquit idem D. Leo) significatum sibi regis ortũ æstimauerunt in ciuitate regia esse quærendum: gradiuntur ergo per vicos & plateas inquirentes, & dicentes; *Vbi est qui natus rex Iudæorum?* id est vbi est ille magnus rex diu desideratus & expectatus, qui modo natus est? aut vbi est ille, qui natus est rex Iudeorum, quia non est factus rex ab hominibus, sed & natus rex, regnumque à natiuitate est sibi debitum? maximam enim de rege nato conceperant æstimationem, vt Deus simul esset & homo. Sed vnde tãta audacia Magis, vt in Ierosolyma præsente Herode rege & crudelissimo tyrãno, nouum regem inquirerent? ex magnitudine profectò suæ fidei: nam sicut Moyses fide non timuit animositatem Pharaonis, sic nec isti crudelitatem Herodis; sed maiorem audaciam præbuit dilectionis magnitudo: *quæram* (inquit sponsa) *quem diligit anima mea*, ita enim intensè eum diligo, vt vbicùmque eum inuenire præsumo, postposito omni timore audacter inquiro: nam vis ingentis amoris, vt suprà diximus timorem pellit, & fortitudinem præbet ad aggredienda pericula, vt dilectum quærat, donec inueniat. O beati Magi (inquit D. Chrysostomus) qui ante conspectum crudelissimi regis priusquàm Christum cognoscerẽt (scilicet ex facie) Christi facti sunt confessores, & quare hoc? nisi quia eius facti erant dilectores, & libenter vitam perderent, vt Christum, quem dili-

Math. 2. v. 1.

Ad Hæbr. 11. v. 27.

In exp. 2. super Matheum. Hom. 6. in Math.

gebant, inuenirent? Considera (ait) horum virorum, & admirare virtutem, non modò quia tã longi itineris subiere laborem, sed etiam quia tam simpliciter & liberè egêre cum rege, & neque tumultum populi, atque clamorem, nec potestatem reformidant tyranni?

2. Sed quid subdit sponsa? *Quæsiui illum, & non inueni,* Omnes enim Ierosolymitæ dicebant nullum talem regem ibi natum esse, nec poterant eum inuenire, vbi non dignatus est nasci, nam qui serui susceperat formam, & non venerat iudicare, sed iudicari, paruulam Bethleem prælegit natiuitati; & illustrem Ierosolymam passioni; vt gloria natiuitatis esset occulta, & ignominia passionis manifesta. Vnde cùm rumor iste per vniuersam ciuitatem spargeretur, & ad aures Herodis peruenisset, *Turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo*: Stupenda turbatio, intellexerunt Iudæi Magos inquirere non de quouis rege nato, sed de rege Messia diù ab omnibus expectato, quod magnam illis afferre debuisset lætitiam; Nam *spes, quæ differtur, affligit animum, desiderium veniens lignum vitæ*; Et tamen non attulit nisi in gẽtem turbationem; Quare? quia non diligebant, quem quærebant, sed plus diligebant regem terrenum, quàm cælestem; aut ex timore illius, hunc minus lætè venisse audiebant, applaudentes Herodi & ideo turbati dicuntur, non quomodocumque sed *cum illo*, id est, illius respectu, amore, vel timore: En tibi Iacob claudicantem pede post luctam cum Angelo, vno enim pede recto & sano credebat Messiam venturum & desiderabat illum; altero vero pede terreni affectus hærebat tyrãno, quem in corde suo, legitimo præferebat regi, & de eius aduentu turbabatur, parũ enim prodest fidei pedem rectum habere, si malè claudicat pes affectionis, quamuis iusti etiam in hoc casu potuerunt turbari, non ex passione praua, sed ex admiratione, & nouitate rei; quæ subitò nuntiata est illis, cùm tam ingens esset, & ab alienigenis promulgata.

D. Leo vbi suprà.

Prou. 13. v. 12.

3. Cùm ergò commotio ista in ciuitate orta esset, contigit, quod ait sponsa: *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem, num quem diligit anima mea vidistis?* Vigiles isti & custodes non solùm erant Scribæ & Doctores legis, sed Prætores ac Tribuni, principesque aulici, & Herodes ipse rex, ad quos omnis gubernatio & ciuitatis custodia spectabat, & ratione munetis proprij occurrerunt Magis; qui magna animi simplicitate, simul & fortitudine ac fiducia: (Nam *qui ambulat simpliciter* ait Salomõ) *ambulat confidenter, & iustus sicut leo confidens absque terrore erit*: Existimantes Iudæos omnes maximè de hoc nuntio lætandos, interrogabant eos, num regem Messiam, quem diligit anima nostra, vidistis iam, & adorastis? nos enim vidimus in Oriente stellam eius, stellam propriam in ipsius signum creatam, stellam, quæ illum indicat natum, stellam, quam oriundam fore ex traditione sciebamus, & ideò venimus adorare eum, sed locum, vbi natus sit, nescimus?

Prou. 10. v. 9. & c. 28. v. 1.

Quomodo exierunt quærere Christum in Bethleem manentibus Iudæis, & quid hoc præsiguret. §. 3.

AVdita ergo Magorum interrogatione Herodes: *Congregans omnes principes sacerdotum & scribas populi sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur?* Et cùm responderent in Bethleem Iudæ, idem responsum dedit Magis. Consonãt verba sponsæ insinuantis, vigiles nihil sibi respondisse: sic etiam Scribæ nihil dixerũt Magis, nec auderent, sed Herodi à quo instructi exierunt Ierosolymis, vt cœptum iter prosequerentur, & tunc contigit, quod sponsa ait: *Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.* Nam paulò pòst peruenerunt in Bethleem, stella, quam in Oriente viderant, eos antecedente, & deducente vsque ad stabulum: *Et intrantes domum inuenerunt puerũ cum Maria matre eius*, In infantis autem vultu tantus diuinitatis splẽdor effulsit, vt cum primùm eum viderunt, vnusquisque in corde suo dixit: *Inueni quẽ diligit anima mea.* Hic quamuis puerulus, hic quamuis pauperrimus, in stabulo & præsepio iacens, hic vilibus pannis indutus, hic solus sine comitibus, & famulis, sola matre Virgine comite, inter duo animalia super fœnum reclinatus; hic inquam est, quem diligit anima mea; hic est verus Deus pro nobis homo mortalis factus, rex noster, sumus sacerdos, & Redemptor mundi, & procidentes in terram, adorauerunt eum, muneribus protestãtes exteriùs, quod interna fidei luce confitebantur interiùs: Insinuãt enim sancti Patres, maximè Theodorus[a] Ancyranus in oratione de Natiuitate Christi in Concilio Ephesino habita, Magos distinctè cognouisse mysticas rationes, quas munera oblata præfigurabãt. Magi (inquit D. Leo[b]) officium religione disponunt; & his se instruunt donis, vt adoraturi vnum, tria se simul credidisse demonstrent; auro honorantes personam regiam, myrrha humanam, thure diuinam. Attende (ait D. Fulgentius[c]) quid obtulerunt, & agnosce quid crediderunt.

Refert hos patres Suares vbi suprà sect. 3.

[a] To. 6. appendice 5. c. 2.

[b] Serm. 3. de Epiphan.

[c] Serm. de Epiphania.

2. Sed notat eleganter Rupertus[d] in Magorum adoratione gentium eminentiam super Iudæos præfiguratam. Pastores enim, etsi ab Angelo instructi, non legitur procidentes adorasse puerum, & munera obtulisse; sed tantùm, *venerunt festinantes, & inuenerunt infantem*, &c. *Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.* Magi vero primitiæ gentium, & venerunt, & procidentes adorauerunt, obtuleruntque munera, quibus & pueri maiestatem, & sui cordis deuotionem testati sunt. Sed vlteriùs hic præfiguratur horrenda Iudæorum ruina, & iucunda gentium resurrectio (cuius mentionem fecimus in Exhortatione præcedenti) nullus enim ex principibus sacerdotum, & Scribis, etsi locum indicauerint, vbi Christus nasceretur, exiuit vt quæreret illum, ad significandum quod diximus, primores Iudæorum non recepturos Christum, etsi pauci simplices & humiles, velut pastores Bethleemetici, illum receperint; at ex gentibus quæsierunt, & inuenerunt tres Magi, qui ex traditione Ecclesiæ erant Reges & sapientes, ad indicandum nobiles gentilium, & innumeram multitudinem numero ternario significatam, vt pote congregatam ex tribus mundi partibus, Christum admissuros; iuxta illud Apostoli, *cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret.*

[d] Lib. 2. in Math. prope initium.

Lucæ 2. v. 17.

In exhort. 8.

2. Isai. 11. v. 10.

Placet cum D. Hieronymo huic euentui applicare vaticinium Isaiæ quod suprà retulimus, *Onus Duma*, seu LXX. vertunt, *visio Idumææ*; ad quam regionem pertinebant Magi, & vocatur *Duma*, id est silentium, quia altum fuerat ibi silentium legis Dei, & aduentus Christi: sed ruptum est silentium ex Dei instinctu: *Ad me* (inquit) *clamat ex Seir, custos quid de nocte? dixit custos, venit mane, & nox, si quæritis, quærite conuertimini, & venite*: Clamor (inquit D. Hieronymus,) clamor est gentium (maximè Magorum) dicentium, ô custos, quid absque peccato in carne es peccatrice? qua causa voluisti humanum corpus assumere? quare natus in nocte, adhuc nox ista perseuerat? in tenebris manes, & te nondum inuenire possumus? Respondit custos; scilicet ipse Christus Deus & homo custos hominum: *Venit mane & nox*; id est gentium multitudini ortus eo sol iustitiæ, & Iudæis venerunt tenebræ; iuxta id quod postea dixit: *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videãt; & qui vident cęci fiant.* Quare vos ô gentes, *si quæritis quærite*, id est, si me quæritis, studio fidis quærite, conuertimini ad me, & sanabo contritiones vestras. Venite ad me, & inuenietis requiem animabus vestris. Hæc quasi audiissent Magi, verè & ex corde quæsierunt Christum, Iudæis in sua nocte & tenebris cum Herode permanentibus. Nam vt inquit D. Leo veritas illuminat Magos, infidelitas obcæcat Magistros. Carnalis Israël non intelligit, quod legit, non videt quod ostendit, vbi est Iudææ, gloriatio tua? Ecce maior seruis minori, & alienigenis in sortem hereditatis tuæ intrantibus, eius testamenti, quod in sola litera tenes, recitatione famularis? Quamobrem Iudæorum isti Doctores in illam corruerunt maledictionem; *Tu calcabis oliuam, & non ungeris oleo; & mustum, & non bibes vinum.* Quia notitiam tradiderunt de Christo, qui vnctus interpretatur, oleo gratiæ, & lætitiæ præ consortibus suis; & tamen non sunt hoc oleo vncti, sed Magi se illo vnxerunt; & biberunt mustum, seu vinum nouum doctrinæ quam nouus Rex Christus afferebat, quem illi indicarunt, sed respuerunt: erant enim de numero eorum qui sederunt super cathedram Moysi, de quibus Saluator asserit: *Omnia, quæcumque dixerunt vobis, seruate, & facite, secundum verò opera eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt.* Calcant oliuam & vuam, sed non potiuntur oleo & vino; vos autem vngimini, & inebriamini illo.

Refert hos patres Suares vbi suprà sect. 3.

Ioan. 9. v. 39.

Serm. 3. d Epiph.

Micheæ 6. v. 15.

Matth. 23. v. 2.

4. Propter quod optimè D. Chrysostomus perpendit Dominum adduxisse Magos gentiles, vt infidelitatem Iudæorum, magis, magisque conuinceret, & ingratis prorsus omnem aditum excusationis obstrueret, quoniam illi quidem minoribus crediderunt; isti verò nec maximus: illi vni Prophetæ Balaam, & stellæ, quam futuram annuntiauit; isti nec multis Prophetis, nec plurimis signis ab ipsis præstitis; nec longè maioribus ab ipsomet Christo postea exhibitis, vnde sicut viri Niniuitæ, qui egerunt pœnitentiam ad prædicationem Ionæ, & regina Sabba, quę à finibus terræ venit quærere Salomonem, & audire sapientiam eius, surgent in iudicio contra generationem Iudæorum, & condemnabunt eam; sic etiam surgent contra illam Magi, qui à finibus terræ venerunt Christum quærere, & meruerunt inuenire, vt eos suo exemplo confundant, valdéque reos ostendant: quinimmo etiam surgent contra Christicolas desides, & ignauos, qui horum virorum non profecerunt tam admirabili fide, & constanti fortitudine, vt relicta patria per ingentia pericula Christum quæsierunt, nec à quærendo desiterunt, donec inuenirent; ipsi verò, nec in propria patria illum quærunt, pluris facientes sicut Scribæ, gloriam hominum, quàm gloriam Dei, & terrena commoda quàm cælestia, ibi trepidantes timore, vbi rationabilis non est timor. Infelices profectò, qui aliis ostendunt Christum, sed non sibi quærunt, felices vero qui Christum ostensum sibi ab aliis, quærunt, & inueniunt; sed felicissimi, qui postquam sibi inuenerunt aliis ostendunt, curantes vt etiam quærant, & inueniant.

Matth. 12. v. 41.

Cuiusmodi etiam fuerunt Magi, quibus egregiè quadrat quod subdit sponsa: *Tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & incubiculum genitricis meæ.* Decreuerunt enim firmissimè Christum, quem fide, & amore tenuerãt, numquam dimittere, sed cum admoniti essent in somnis ne redirent ad Herodem, prompta fide, & obedientia sanctè cæca paruerunt diuinæ monitioni, & per aliam viam reuersi sunt in regionem suam, vt Christum, quem in cordibus suis portabant, in suam patriam, & ciuitatem, in qua nati sunt, quæ velut mater eorum erat, introducerent: nam Christum ciuibus prædicando in eorum corda eum introducebant: si enim tam liberè Christum natum Iudęis coram tyranno pronuntiarunt, quid in ciuibus suis magno feruore prędicarent! Inde (inquit D. Chrysostomus) mihi videtur isti etiam in regione propria facti esse posteã fuorum ciuium magistri; qui enim hic nequaquam ista dicere timuerunt, multò hęc ipsa liberiùs patriæ suę hominibus prędicarunt, quippe præter stellæ indicium habebant, & Angeli respõsum, & Prophetę testimonium rursus cum Christo loquens ait; ipse aduentu tuo Magos ab Oriẽte vocasti, & Euangelistas eos ad sua remisisti. Vnde etiam fertur post Christi resurrectionem à beato Thoma Apostolo fuisse baptizatos, eiusque coadiutores fuisse ad gentium conuersionem.

5. Magos introduxisse Christum in conciues suos.

"Hom. 6. "in Matt. "" "" "" "Hom. 16. "ex variis "in Matt. ""

Autor imperfecti in Matthæum Hom. 2. plura de hoc dicit.

Habes igitur hinc, quod suprà dicere cœpimus, eum, qui perfectè Christum quęrit, inuenit & tenet; non sibi soli inuenire, & tenere, sed mox curare, vt inducat illum in domum matris suæ, notitiam & cognitionem eius præbendo fratribus, & domesticis, ac ciuibus suis, sicut de beato Andrea legitur, quòd cumprimùm Christum inuenit, dixit fratri suo Petro: *Inuenimus Messiam; & adduxit illum ad Iesum.* Et similiter Philippus idem nuntiauit Narhanaëli amico suo dicens: *Veni & vide.* Seruandus est tamen ordo Magorum, vt priùs quęras Christum tibi, deinde aliis; exemplumque præcedat verbum, & opus doctrinam.

Ioan. 1. v. 41. & 45.

Triplici nos indigere lumine, sicut Magi, ad inueniendum Christum. §. 4.

1. De hoc tom. 1. lib. 3. exhort. 5.

SED adhuc historia hæc ampliorem nobis præstat lucem ad quærendum & inueniendum Christum; quem cum quæramus *per noctes*, id est per plurimas obscuritates & nebulas, vt iam vidimus, indigemus aliquo lumine has noctes illuminante, quod triplex potissimum est, stellæ, scripturæ, & Magistrorum doctrinæ. quorum in hac historia mentio fit, stella est diuina inspiratio & illustratio cor tangens, mentem illuminans, & accendens, vt ad Christum quærendum afficiatur; quia nisi hæc stella præcedat, nullus ad quærendum excitabitur, & sicut stella bis subitò apparuit Magis; sic Dei inspiratio repente splender in anima, nec mysterio caret dixisse Magos. *Vidimus stellam eius in Oriente*; Sunt enim veræ stellæ eius, id est Christi, à vero Deo, bonoque Angelo efformatę, sicut etiam apparentes stellæ, sathanæ transfigurantis se in Angelum lucis: illæ oriuntur in Oriente, quia tendunt ad lucem, & ad eius incrementum; hæ in Occidente, quia tendunt in tenebras, & perditionem: illæ ducunt ad verum Christum, pauperem, humilem,

Stella est diuina inspiratio.

mitem, in Bethleemitico præsepio recumbẽtem; A hæ ducunt ad pseudo-Christum, id est, carnem & mundum, Christi velo suas delitias & diuitias adumbrantem: sed sicut stella aliquando apparebat Magis, aliquando recedebat in bonum ipsorum; tamẽ in tempore opportuno duxit ad præsepium, vbi Christus erat; sic diuina inspiratio & visitatio vadir, & venit, prout nobis expedit; tunc autem fortiùs immittitur electis, cùm opportunius est, vt eos ducat vbi dilectum inueniant. Hæc igitur stella petenda est nobis à Deo dicentibus cum
Psal. 42.v. Psalmista: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.*

2. Scriptura lumen est ostendens Christum.

Sed sicut stella indicauit Magis Christum natum, non tamen locum, & alias circumstantias, de quibus informari indiguerunt per scripturam dicentem *& tu Bethleem terra Iuda, &c.* Sic diuina inspiratio mouet nos ad Christum quærendum, B ad conuertendum nos in ipsum, non tamen præscribit modum & media in speciali, & ideo necessarium est secundùm lumen sacræ Scripturæ, & Euangelii, quo multa huiusmodi manifestantur: *Nam lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Et iuxta Apostoli sententiam;
Psal. 118. 2. ad Timoth. 3. v. 16. *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, &c. Et ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Sicut autem duplex scriptura instruxit Magos, altera ante ortum stellę, nempe vaticinium Balaam eius ortum prædicentis in genere; altera, postquam cœperunt Christum quærere, nimirum Prophetia Micheæ locum Natiuitatis Christi præsignantis: sic etiam lectio diuinæ Scripturæ multoties præcedit diuinas inspirationes, & in causa est, vt nobis Deus immittat illas, dum loquitur ad cor, id quod in scriptura legimus, cor instruens, & inflãmans, vt non solùm quod legit intelligat, sed ardenter amet, & ad illud sibi quęrendum, & inueniendum properet: dum autem inquisitioni incumbit, etiam lectio diuinæ Scripturæ valde iuuat, vt viam demonstret, dirigat, & ab hostium insidiis ac tentationibus protegat, armaque ad pugnandum administret; nam sicut Magi accepto responso ex scripturis, iterum viderunt stellam cum maiori gaudio, quę duxit eos ad locum, quem scriptura præsignauerat; sic legentibus scripturas clarior Dei illustratio, ac inspiratio oritur, quæ cuncta ardentiùs præstat & ad finem vsque perducit.

3. Denique quoniam non omnibus datur in scripturarum abyssum intrare, earumque penetrare mysteria; imo nec omnes possunt earum lectioni vacare, & verum sensum elicere, cùm difficiles sint D ad intelligendum; necessarium est tertium lumen ex Magistrorum doctrina; quibus dictum est: *Vos estis lux mundi;* & ideo vigiles nuncupantur qui ciuitatem Ecclesiæ sua vigilantia custodiunt, vt suprà fusiùs dictum est: Sicut igitur Magi lumen scripturarum adepti sunt per doctrinam Sacerdotum, & Scribarum, qui in eis versati erant; sic & nos per Ecclesiæ Doctores illud obtinebimus, & per eorum responsa orietur in cordibus nostris stella, fulgorque diuinæ illustrationis, quæ tenebras depellat, & in locum ducat, vbi Christum inueniamus, vt eo fruamur in sæcula sæculorum Amen.

EXHORTATIO XII.

De gestis, cùm B. Virgo puerum Iesum, qui remansit triduo in Ierusalem, quæsiuit, inuenit, & tenuit, nec dimisit vsque ad mortem. Pro Dominica infra Oct. Epiphaniæ.

In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum & non inueni: surgam & circuibo ciuitatem, &c.

INQVISITIO sponsæ aliam Deiparæ egregiè delineat quandò ascendente in templum filio suo, dum rediret domum, remansit puer Iesus in Ierusalem, parentibus eius id nescientibus; & dolentes quærebant eum. Sed oportet priùs huius Christi absentiæ causas exquirere; nimirum vt beatissima eius mater occultas suas virtutes ostenderet, & splendidissimos singularum radios foras emitteret: præclarè enim in hac filii sui absentia enituit eius humilitas tanto filio se indignam putans: profunda resignatio, diuinæ se conformans voluntati: oratio iugis, & instans Dei implorans auxilium in tempore opportuno: fortitudo non despondens animum, sed ad sedulò quærendum illum se accingens; denique amor, spes, solertia & perseuerantia, donec inueniret. Omnes enim istæ virtutes quasi alloquentes Virginem dicebant illi; *Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum, quò declinauit dilectus tuus, & quęremus eum tecum?* C Quæliber enim pia anima, dum cælestem sponsum quęrere cupit, & inuenire, non debet egredi sola, sed insignium virtutum stipata caterua, quæ suis heroicis actibus illam comitentur, & cum ea Christum quærant: quærit enim eum humilitas per humiliationes, misericordia per eleemosynas, obedientia per mandatorum impletionem, & reliquæ similiter virtutes per suos actus ad hunc scopum directos, propter quod inquit Psaltes; *Tibi dixit cor meum exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Quid est facies mea nisi conscientia mea, puræ intentionis decor, pulchritudo virtutis, & fidei speciositas? Quæ omnia maximè te quærunt, & impellunt me, vt per illa te inquiram, donec ad tuam faciem intuendam perueniam?

Luc. 2. v. 42.

Quibus de causis Christus Dominus reliquit matrem.

Caut 5. v. 17.

Psal. 26. v. 8

Absconditergò se Deus, vt anima suas virtutes exerat, & in actus heroicos deducat, per quos dum eum quærit, multò præcellentiùs, quàm antea inuenit, iuxta id quod ex eodem Psalmista supra attulimus: *In die tribulationis Deum exquisiui manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus.* Tribulationem vocat simul diem, & noctem; diem, quoniam non aufert veræ fidei lumen, nec solidum charitatis ardorem; noctem vero, quia mœrorem incutit ob Dei absentiam, & quas, derelictionem, vnde orta est tribulatio: in qua eum exquirit manibus suis, id est, suis virtutibus, quæ manus iusti vocantur; & cùm nulla vrget tribulatio, solent ociosæ esse atque remissæ; tribulatio autem instar stimuli eas vrget ad opus, vt Deum quęrant. dicit autem se non deceptum quia Deus facit cum tentatione prouentum.

In exhort. 1. §. 4. Psal. 76. v. 2 Noua expositio diuersa à suprà posita.

Quomodo Deipara filium quæsiuit in hoc triduo. §. 1.

1. CVM igitur Deipara filij absentiam agnouit, suis virtutibus munita eum mox quærere decreuit; quadrantque in illam sponsæ verba. *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea:* Diligebat ardentissimè, vt superiùs diximus in id Cant. 1. *Indica mihi quem diligit anima mea.* Et ideo quęrebat diligentissimè: nam
Lib. 3. Exhort. 6. iuxta dicta tantò est vehementior inquisitio, quantò intensior est dilectio, quærebat autem per noctes, quia triduum illud multiplicata nox fuit. erat enim ille filius instar solis, cuius absentia tristes efficiebat noctes; vnde & magno mœrore quærebat, sicut ipsa testata est, cùm dixit: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Sed quærit in B lectulo, qui locum significat carnis quieti deputatum, idque innuit quod Euangelista ait; *Requirebant eum inter cognatos, & notos:* Vt quærere in lectulo sit quærere inter carnales cognatos, & notos secundùm carnem, dictabat hoc ipsa, ratio & prudentia, & ideo sapientissima virgo in eo
Hom. 18. & 19. in Lucã. non errauit; cæterum benè subdit *quæsiui illum & non inueni*, quoniam sapientia diuini verbi quid sublimius disposuerat, vt doceret, sicut Origenes notat, humanam cognitionem non posse per se Christum indicare, qui superior est omni scientia, notitiaque mortalium, iuxta illud; *Beatus es*
Matth. 16. v. 17. *Simon Bariona quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cælis est.* Sed vlteriùs instruebat spiritaliter quærendum non esse inter carnales propinquos, & domesticos, quos sanctο odio prosequi iubet, & ab eis prudenter se- C parari. *Veni* (inquit) *separare hominem aduersus patrem, &c. nam inimici hominis domestici eius,* à quibus valdè læditur, si nimio eis affectu inhæreat,
Lib. de fuga sæculi. c. 1. ideoque D. Ambrosius notat Christum Dominum dixisse; *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? qui fecerit voluntatem patris mei; ipse meus*
Matth. 12. v. 48. *frater, soror & mater est*: vt amoris carnalis abdicationem doceret, eum in spiritalem commutando,
De Const. monast. c. 21. & D. Basilius testatur perfectionis sectandæ cupidos à propinquis amicis, & parentibus tantùm affectu separatos esse oportere, quantùm mortuos à viuis, si quod quærunt inuenire cupiunt; non enim inuenitur ab his, qui habitare dicuntur *in*
Amos 3. v. 12. *plaga lectuli, & in grabato Damasci*, quia libenter commorantur inter consanguineos, & amicos secundùm carnem, quibus plùs nimiò adhærent: sicut nec inuenit sponsa in lectulo isto; cui dictum est: *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui & concupiscet rex decorem tuum.* Quomodo autem obliuiscetur, nisi corde & affectu ab
Psal. 44. v. 1. Genes. 12. v. 1. illis elongetur? Vsurpans sibi quod dictum est Abrahæ; *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi.* In hac enim, & non in illa inuenies me, quem diligit anima tua.

1. Cùm ergo Dei genitrix inter cognatos filium non inueniret, inquit velut sponsa; *Surgam & circuibo ciuitatem per vicos & plateas quærens quem diligit anima mea*, hoc autem est quod D. Lucas ait, *& non inuenientes regressi sunt in Ierusalem requirentes eum.* Id est relinquentes cognatos & notos, abierunt in ciuitatem Ierusalem quærentes illum per eos vicos & plateas, quibus rectà pergebatur in templum; sicut mos est quærentibus aliquem, vt quacumque via progrediantur, huc

A & illuc inspiciant an illum videant, & inueniant. Hoc autem sedulam indicat virginis inquisitionem nulli parcẽtis labori vt inueniret quem diligebat, sed subdit *quæsiui illum & non inueni.* Quomodo enim inueniri poterat in vicis & plateis ciuitatis prudentissimus, & mitissimus puer, de quo Matth. 12. v. 18. scriptum est: *Ecce puer meus, quẽ elegi, dilectus meus, in quo benè complacuit anima mea, ponam spiritũ meum* Ex Isai. 42. *super eum, & iudicium gentibus nuntiauit, non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius* seu *nec audietur vox eius foris.* Etenim Christus Dominus multò præcellentiùs quàm To- Tobiæ 1. bias, etsi esset puer ætate, nihil puerile gessit in v. 4. opere; nec vagabatur per vicos & plateas otiosus & vociferans; sed domi vel in templo se continebat, nec egrediebatur nisi rationabili de causa, ea modestia & grauitate, quæ puerum decebat omni- B bus vitis sapientiorem; hoc etiam exemplo nos instruens iuxta supra dicta ex D. Ambrosio, vt quæramus illum non in foris, & plateis, vbi sunt conuentus litigantium, & vociferantium, vbi non est pax, concordia, & tranquillitas, sed extra hæc in templo, vel in loco quieto, ad ea, quæ Dei sunt, apto.

Crescebat dolor virginis, dum iter perageret per vicos & plateas Ierusalem, cui mystičè aptari licet, quod inferiùs in simili circuitione dixit Cant. 3. v. 2 sponsa sibi occurrentes fœminas alloquens: *Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.* Vehemẽtia enim amoris dolorem inferebat, qui languor dicitur, cùm res ardenter desiderata & quæsita non inuenitur, quia spes, quæ differtur affligit animam; sed quærere adhuc perseuerabat, quia spem inueniendi non amiserat. *Inuenerunt me* (inquit) *vigiles qui custodiunt ciuitatem, num quem diligit anima mea vidistis?* Forte ad Angelos hanc dirigit interrogationem, quæ vim habet precis, ac si dicat: si scitis, vbi sit, nuntiate mihi, vt ibi quæram, & inueniam, quamuis credibile etiam sit, aliquos ex primoribus Iudæorum, quos obuios habuit, sicut mos etiam est quærentibus alium, de filio suo interrogasse: Oportet enim quærentem Christum eos interrogare, qui de illo notitiam aliquam possunt præbere, sed quoniam Virgo præsagiebat in templo filium inueniendum fore, quia domum patris sui cælestis diligebat, in eaque libenter com- Psal. 25. v. 8. morabatur, iuxta illud: *Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Ideo relictis custodibus rectà pergebat in templum.

De gestis, cùm Christum inuenit in templo. §. 2.

D TVNC autem contigit, quod subditur. *Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.* Et hoc est quod Euangelista testatur: *Inuenerunt eum in templo sedentem in medio Doctorum.* Exhilarata est supra modum virgo, nam quò maior erat eius dilectio, eò fuit ingetior lætitia, quia nihil iucundius, quàm inuenire quem summè diligis: sicut nihil acerbius, quàm eum amisisse, iuxta illud *secundùm multitudinem dolorum meorum in* Psal. 93. *corde meo, consolationes tuæ lętificauerunt animam meã.* v. 19. Si mulier habens decem drachmas, cùm perdidit Lucæ 15. vnam, quæsiuit diligenter, donec inuenit eam, ma- v. 8. gnoque gaudio affecta inuitabat vicinas, vt congratularẽtur ei, quantò maiori diligẽtia quærerer, si vnicam tantùm drachmam habuisset, & perdidisset? quantóque maiori afficeretur gaudio, cũ inueniret eam. Cum igitur beatissima Virgo vnicum

dumtaxat haberet filium, omnibus drachmis & rebus pretiosissimis infinitè pretiosiorem; qua solicitudine illum quæreret, cùm amisit, & quanto putas gaudio affectam, quando eum inuenit?

Sed quomodo dicitur inuenisse eum inter Doctores, cum tamen sponsa dilectum suum non inueniret inter vigiles ciuitatis, qui Doctores sunt Ecclesiæ, sed paululum cum pertransisset eos? sed hoc potiùs confirmat quæ suprà diximus, nimirum pertranseundos esse Doctores, quà homines tantùm sunt, quia ex seipsis parum nobis prodesse possunt; at quærendum esse Deum, & inueniri inter illos, vt Dei ministri sunt, & eius vices gerunt, per quos nos docet, docens ipse illos. Vnde Christus inuentus est inter Doctores, vt paruulus quidem interrogans, & quasi discens; vt Deus autem & magister sapientissimus suis responsis eos mirabiliter erudiens, ita vt omnes cum admirarentur, admirati sunt & parentes eius, vt Euangelista inquit, rem hactenus Christo insolitam intuentes.

2. Tunc autem dixit ei mater. Fili *quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Respondere quidem posset, iuxta ea quæ à principio diximus: feci sic, vt quærentes me cum dolore, inueniretis cum maiori gaudio, copiosioreque fœnore gratiarum, & prouentu virtutum. At non ita respondit, sed potiùs quasi increpans ait; *Quid est quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse!* Sed quid est Domine quod increpas te quærentes? numquid malum est quærere te? at quomodo potest esse malum, cum tu sis bonus quærentibus te, & in te quærendo sit nostra vita, sicut scriptum est; *Quærite Deum & viuet anima vestra?* Thren. 3. v. 25. Psal. 68. v. 33. Absit etiam à matre te quærente culpa, quam ad te quærendum vrgebat ardens dilectio, & prudens ratio, etsi enim certò sciret eum ignoranter à via non aberrasse vel casu à comitatu recessisse, quem probè nouerat thesauris sapientiæ, & scientiæ Dei plenum, potentemque ad se ab omnibus periculis liberandum; ignorabat tamen causam, cur remanserit & locum quo se receperat, nam ea, qua paruuli erant, ab infantia more aliorum peragebat, ac permittebat: & ideo prudenter filium, cuius sibi erat cura commissa, dolenter, & diligenter quærere oportebat, sicut, cùm quis (inquit Origenes) sensum difficilem scripturæ quærit, non existimat scripturam errasse, sed sensum in ea latere & ex Dei ordinatione absconditum esse, ideoque cum dolore & labore eum quærit, donec inueniat. Hom. 18. in Lucam.

Non ergo increpat Christus parentes suos tamquam culpæ reos, sed magis instruit, & ad sublimiores sensus eleuat, vt in memoriam reuocet non esse quærendum tamquam puerum, qui carnalium parentum tantùm protegatur auxilio; cum vnicum patrem habeat cælestem, in cuius obsequio eum potissimè oporteat versari, & cuius potentia ab omnibus periculis possit eruire; sed nos vlteriùs instruit, vt sciamus non esse quærendum Christum tantùm quà homo est, sed etiam quà simul Deus; nec eius actiones considerandas dumtaxat esse vt humanas, sed vt theandricas, seu Dei viriles, in quibus cum eo, quod humanum est, aliquid semper diuinitatis splendet iuxta illud Apostoli: *Etsi nouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.* 2. Cor. 5. v. 16. Ante conuersionem suam nouerat Paulus Christum secundùm carnem tantùm, quia putabat eum purum hominem, qui carnis seruauit circumcisionem; at post conuersionem non ita eum nouit, sed plusquàm hominem esse credidit, scilicet verum Deum, qui carnales obseruantias ad alias sublimiores euexit, & hoc modo se quæri Christus cupit, quoniam vt homo Deus nostra est salus, resurrectio, gaudium & æterna vita. Cùm ergo inquit: *Nesciebatis quia in ijs quæ patris mei sunt, oportet me esse?* hoc insinuat, vt in iis operibus eum quæramus, quæ ad patris sui beneplacitum & gloriam maximè spectant. Nam ibi quæri debet, vbi iugiter est; semper autem est in huiusmodi operibus, quæ patri sunt grata, nam de se dixit: *Quæ placita sunt ei facio semper; & in viis iustitiæ ambulo, in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* In ijs ergo viis, & semitis quære Christum, & inuenies, per ipsumque ita diues efficieris, vt omnia desideria tua compleantur? Ioan. 8. v. 29. Prou. 8. v. 20.

Deiparam non dimisisse Christum vsque ad mortem. §. 3.

3. INVENTO ergo filio, inquit virgo; *Tenui eum, nec dimittam.* Qui semel rē dilectam perdidit, cùm eam inuenit, cautiùs custodit, ne iterum perdat, sed filius ipse libenter voluit se teneri, nec dimitti; ideoque subdit Euangelista: *Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* Vt numquam ab eorum voluntate & subiectione in ea ætate discesserit; aptè autem D. Lucas hæc addit verba post præcedentia; *Nesciebatis, quia in iis quæ patris mei sunt oportet me esse?* Ne quis existimaret prætextu obediendi Deo, & gerendi ea, quæ Dei sunt, licitum esse non subijci maioribus in ijs quæ non sunt contra Deum; sed potiùs oportere etiam subditum esse parentibus, & prælatis, imò subiectum esse omni humanæ creaturæ propter Deum, non tantùm præcellenti, sed etiam infimæ; sicut Christus Deus omnipotens subiecit se hominibus propter nos. Additur, *non dimittam donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Id est donec veniat tempus, vt introducatur in domum matris meæ, quę est synagoga, per Euangelij prædicationem ab ipso suo tempore præstandam, semper enim Dominus Iesus fuit cum matre eius, nec ab illa recessit vsque ad trigesimum annum; tunc enim reliquit eam non inſciam, & inuitam, sed scientem & consentientem, vt pergeret ad opus sibi à patre iniunctum, prædicans per omnes vrbes Iudeæ & Galilææ, docens suam fidem & legem, per quam spiritualiter introducebatur in corda discipulorum & credentium, quod est introduci in domum & cubiculum genitricis suæ, s. Synagogæ: ait autem B. Virgo *donec introducam* quia ipsa etiam multis modis ad hanc introductionem iuuabat, nimirum continuis precibus, insignibus virtutis exemplis, & aliis mediis, quæ feruor, & charitatis zelus suggerebat, quoniam sciebat hoc sibi etiam iniunctum esse munus, ex quo facta est Christi mater, vt suprà diximus. 1. Petr. 4. v. 13.

Tandem triennio prædicationis Christi magno cum profectu eū crebrò comitabatur, inuictaque fortitudine secuta est illum ipso passionis tēpore vsque ad crucem, iuxta quá viriliter stetit, ibique permāsit, donec à cruce deponeretur, & defunctū tenuit, nec dimisit, donec introduceret in domū, & cubiculum Ioan. 19. v.

& cubiculum matris suæ, id est, in sepulchrum, vbi Christi corpus collocatum est, quod vocatur domus matris nostræ; nempe terræ, vnde sumpti sumus iuxta illud Iobi, *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*, & clariùs Ecclesiasticus ait, *Iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* nam sepulchrum est quasi vterus terræ, quæ omnium defunctorum communis est mater. Admiranda ergo fuit Deiparæ constantia, quæ, etsi ipsius animam iugis & acerbus pertransiit gladius, dum filij sæuissimas intuebatur persecutiones, non fugit, nec se abscondit; sed illi semper astitit, donec iam mortuum introduceret in sepulchrum; non quòd ipsa per se introduxerit (hoc enim Ioseph ab Arimathia, & Nicodemus præstitere) sed quia ipsa vidente & approbante corpus Christi ab ipsis sepultum est. Iob. 1. v. 21. Eccles. 46. v. 1.

Sed vlteriùs citò iterum eum inuenit viuum cùm gloriosus surrexit à mortuis, quem tenuit, & amplexata est, atque cum eo quadraginta diebus sæpiùs familiariter conuersata, non dimittens eum donec in ipso ascensionis die introduxit illum in domum matris suæ cælestis Ierusalem, quæ est mater nostra, ipsa enim inspiciēte & consentiente, spirituque gaudenter comitante, Christus ascendit super omnes cælos. Vt idem sit *donec introducam illum*, quod donec cum sicut desidero, introductum videam? Tandem, quamdiu Deipara in hoc sæculo vixit, modo quodam sublimo ac fere continuo Christum mente tenuit per supereminentem contemplationem, & ardentissimum amorem, ea præcellentia, quæ in exhortationibus præcedentibus explicata est, nec vmquam vllo modo culpabili, vel imperfecto, dimisit, donec tandem inuenit in cælo, quem diligebat anima sua, & beatifica visione ac amore plusquàm omnes beati simul tenuit, ac possedit. Nec ibi etiam dimittit, iuxta dicta ad calcem exhortationis nonæ, donec enim in suis dilectis & electis existentem introducat in eamdem domum cælestis Ierusalem, quo ad vsque tota domus impleatur numero prædestinatorum iam expleto; qui omnes in æternum eum tenebunt, nec eum dimittent, vel vmquam dimittere poterunt. Tam potentissimæ igitur Aduocatæ quære patrocinium, inuictam eius imitare fortitudinem, sectare constantiam, per prospera & aduersa Christum quærens, donec inuenias, & fortiter teneas, numquam dimittens, donec corpus tuum introducatur in domum matris tuæ, quæ est sepulchrum, & anima in cubiculum genitricis tuæ, quæ cælestis est Ierusalem, in quam meritis beatissimæ Virginis nos introducere dignetur Iesus Christus filius eius qui est benedictus in sæcula. Amen. In exhort. 4. & 5. & 7.

Pro feriâ 5. in passione Domini circa Euang. Pro festo S. Mariæ Magdalenę circa Euang. simul & epistolā.

EXHORTATIO XIII.

De bino exemplo B. Mariæ Magdalenæ quærentis Christum in domo Pharisæi, & in sepulchro, ad informationem eorum, qui per pœnitentiam, vel contemplationem Deum quærunt.

In lectulo meo, &c.

EX reliquis, quæ Euangelica narrat historia, solùm bina referamus beatæ Mariæ Magdalenæ illustrissima exempla, dum Christum Dominum ardenter quæsiuit in domo Pharisæi recumbentem, vel iacentem in sepulchro, quorum alterum peccatoribus ad suam quærendam perfectam conuersionem, alterum verò iustis ad suum spiritualem profectum maximè per contemplationem multum proderit & quæ de illis in præcedentibus exhortationibus dicta sunt, illustriora reddentur. Ardebat enim Maria illa charitate, qua flagrasse sponsam diximus in exhortatione quarta, dum dilectum suum quærebat; vnde meritò Ecclesia in festo ipsius epistolam Missæ ex hoc loco Cātici desumit, cōiuncto cum alio ex capite octauo, in quo fortitudo & vehementia amoris depingitur, eo quòd sedula inquisitio Dei igneo amore flagrans, quam Salomon in his parabolis describit præclarè in ea resplenduit, & vtriusque exemplum, quod sequamur nobis reliquit.

Quomodo Magdalena peccatrix Christum quæsiuit. §. 1.

1. ET in primis sicut Christus Dominus Saulum, qui nimio zelo legem veterem propugnabat, & discipulos suos persequebatur, ad se conuertit, vt furibundum illum zelum in alium benè ordinatum ad legem nouam propugnandam transferret; sic Magdalenam, quæ amore carnali saucia turpes quærebat amantes, ad se trahere decreuit, totum illum amorem in spiritualem transferens, vt eo vehementissimè saucia Christum verum amantem quæreret, & hoc est, quod crebrò repetit: *Quæsiui quem diligit anima mea.* Nouum repentè ex Dei gratia experitur diligendi modum. Antea caro turpi ardebat amore, nunc anima spirituali tantùm flagrat dilectione, & eum, quem sic diligit, instanter quærit: antea non quærebat vnum, sed plures, quia carnalis amor in plures diffunditur quos amat, & à quibus amari concupiscit. *Sequetur* (inquit Osias) *amatores suos*: ac modò hos omnes respuit, cunctos execratur, vnum solum quærit, quem diligit non caro carnaliter, sed anima eius spiritualiter. Et ideo ait, quæsiui, non, quos, sed quem diligit anima mea. Act. 9. Osee. 2. v. 7

2. Cum primùm ergò se hoc diuino igne inflammatam sensit, in suum se recipiens cubiculum, vt anteactæ vitæ vitia recogitaret, & languoribus medicinam quæreret, cœpit intra se dicere. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* Antea cùm erat adhuc in ciuitate peccatrix, cogitatione & affectu in lectulo suo, seu in domo sua, per singulas noctes turpes quærebat amatores, innumerosque inuenit dæmones, quorū suggestione in tot tāque enormia corruit peccata, vt in lectulo cordis sui septem cubarent dæmonia, id est (sicut D. Gregorius ac Beda interpretantur) omnia vitia capitalia, vt quadret in illam, quod asserit Isaias: *Erit cubile draconū, & pascua struthionum, & occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum; ibi cubauit lamia, & inuenit sibi requiem.* Per hæc enim monstra, in quibus dæmonia gentilibus apparebant, monstruosa vitia designantur. Sed lamiæ peculiariter dicuntur esse feræ muliebri facie, vberibus totoque pectore valdè speciosæ, quibus detectis homines in fraudem alliciant, captosque deuorent; at secundùm antiquos, dæmonum erant phantasmata, quæ formosarum mulierum specie assumpta pueros pariter & iuuenes blanditiis allectos vorare credebātur. Vtrouis autem modo accipias, rectè lasciuam fœminam repræsentant, quæ suggestione dæmonū Luc. 7. v. 2. Luc. 8. v. 2. Hom. 35. in Euang. Isai. 34. v. 13. Refert Cælepinus.

eam inhabitantium sua pulchritudine decipit, & A
deuorat; aut ipsum libidinis monstruosum vitium, quod sub delectabili & formosa specie animos intuentium rapit, & deglutit. Huiusmodi ergò lamia cubauit, & requiem inuenerat in lectulo cordis huius peccatricis, quo diabolus ad plures homines deuorandos vtebatur. Cùm autem cælesti luce perfusa, cœpit quærere, & inuestigare, quis esset in lectulo cordis sui, & an ibi esset, quem de nouo diligebat anima sua; tunc ait, *Quæsiui illum, & non inueni*: nam quomodo in lectulo inueniret Christum, vbi tot dæmonia, & tam ingentia inuenerat monstra? Quæ enim conuentio Christi ad Belial, aut quæ societas lucis ad tenebras? Adhuc iacebat in tenebris, per noctesque quærebat, nam tot noctibus premebatur, quot libidinibus infecta erat: aberat sol iustitiæ à corde illius, & ideo tot monstra in eius cauerna locum, B
& requiem Domini repererant, quod cum ex Dei illustratione agnosceret, cœpit profluentibus lachrymis stratum suum rigare, sui dilecti plorare absentiam; monstra illa execrari, cupiens ea foras proiicere, vt quem diligebat posset inuenire.

2. Cor. 6. v. 14.

3. Quid ergo ait? *Surgam circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea.* Vrgebat illam amor, vt cuncta, quæ mundi sunt, despiceret, contemneret opprobria, pericula non timeret, dummodò dilectum inueniret. Virili ergò animo ait, *Surgam*, & domum ac lectulum deseram; & quæ antea domo non exibat nisi pretiosis ornata vestibus, & famularum vana stipata caterua, & forte amantium circumdata comitatu, nunc humili veste, sola egreditur, vas pretiosi vnguenti tantùm deferens, non vt se vngat, sed vt C
dilectum medicum, quem quærit, alliciat. Progreditur ergò per vicos & plateas ciuitatis Naim, an in illis inueniret Christum, quem diligebat, & à quo salutem, & indulgentiam expectabat. Antè multoties per fora & plateas gradiebatur cupiens videre, & videri ab iis quos turpiter amabat; nunc oculis dimissis, lugubri facie, & honestè cooperta per viam graditur, in qua tamen (inquit) *quæsiui illum & non inueni*: Si per vicos & plateas ciuitatis intelligas sacrificia & sacramenta synagogæ, nihil mirum quod ibi non inueniret medicum, & medicinam salutis, quam quærebat, quoniam cuncta illa inania erant, & vacua elementa, nec veram animi poterant conferre salutem, & munditiam iuxta illud: *Numquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?* Tantùm enim significabant gratiam & salutem per Christum conferendam, ad quem tantùm quærēdum Mag- D
dalena properat per loca, vbi concionari solebat.

Ad Galat. 4. v. 9. Ierem. 11. v. 15.

4. Dum autem iret, *Inuenerunt me* (ait) *vigiles qui custodiunt ciuitatem, num quem diligit anima mea vidistis?* Si vigiles erant Scribæ & Pharisæi, non est mirandum, quòd nullum ei respōsum dederint; quia dedignabantur cum peccatrice loqui, non ex vero affectu sanctitatis, sed vanitatis & superbiæ, quia sanctos se putabant, & hanc gloriam apud homines ambiebant, ideoque peccatori dicunt, *Recede à me, nō appropinques mihi, quia immundus es.* Quorum mores imbuerat Pharisæus, qui Christum inuitauerat, dum vidit hanc peccatricem pedes eius tangentem. *Hic* (inquit) *si esset propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* A peccatrice autem se tangi permittere nō deberet. Ceterum alii vigiles, nempe aliqui discipuli & Christi alumni, forte eam monuerunt, vbi inueniret quem quærebat. sapientissimus enim medicus, quem nihil futurum latebat in domum cuiusdam Pharisæi inuitatus ab illo, se recepit, vt vtrumque curaret, Phariseī superbiam per peccatricis humilitatē cōfundens, dum hæc humiliter præstitit quod ille superbè omisit.

Audito igitur hoc responso, siue à vigilibus, siue ab ipso Deo intus trahente & inspirante exhibito, *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd accubuisset in domo Pharisei*, ægra currit ad medicum, auolat in Pharisæi domū, non erubescit cōuiuas, non timet despici; nam quæ semetipsam grauiter erubescebat intus, nihil esse credidit, quod verecundaretur foris: & vehemens salutis amor foras expulit humanum timorem. Intrat igitur, vbi Christus accumbebat; *& stans retro secus pedes eius*, erubuit enim coram eius facie (quæ diuinitatem significat) apparere, quia veste gratiæ, & pudicitiæ se nudam consciebat: non tamen se abscondit sicut Eua, quia propriam agnoscens turpitudinem, ab ea mundum desiderabat. Et ideo ad illius pedes (qui eius repræsentabant humanitatem) prosternitur, quos scit non esse gelidos, sed accensos, & similes *aurichalco sicut in camino ardenti*, ad liquefaciendum gelida peccatorū corda; & in lachrymarū pluuias resoluenda.

5. Ex D. Greg. hom. 34. in Euang.

Apoc. 1. v. 15.

6. Cum primùm ergo illis appropinquauit, tota liquefacta est, cœpitque eos lachrymis rigare, tergere capillis, osculari, & vnguento vngere, dicens intra se: *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam* tenebat sine dubio pedes, quos rigabat, tergebat, osculabatur, & vngebat, quia ideo Deus factus est homo, vt peccatores, qui coram eius nō audent diuinitate comparere, mediatoris sui reneant humanitatem, per quam optatam consequantur indulgentiam. Addit verò, *non dimittam*, quia firmiter decreuerat ab illis pedibus non recedere, donec illam obtineret, instar mulieris, quę cucurrit ad Elisæum, vt filium eius mortuum suscitaret: ad eumque accedens, *apprehendit pedes eius*, dicens: *Viuit Dominus, & viuit anima tua, non dimittam te*, scilicet, nisi venias in domum meam & suscites filiū meum. Venit Magdalena ad Christum, accessit, tenuit que pedes eius, & ait intra se, *Non dimittam, donec introducam eum in domum matris meæ & in cubiculum genitricis meæ.* Id est, donec illum per gratiam, & perfectam indulgentiam introducam in mētem & cor meum, vt viuificet illud, atque in eo maneat, & commoretur mecum; mens enim mea domus est & cubiculum increatæ sapiētiæ matris meæ ad hoc mihi præstita, vt ambo simul commoremur in ea, nullū deinceps amatorem in ea admittam; omnes deieci vt illi soli locum præbeam. Scio enim, *coangustatum esse stratum, itaut alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non possit.* Inuenerat Maria Christum Dominum secundùm præsentiam corporalem, desiderabat plenè inuenire eum secundùm præsentiam spiritualem, ideoq; perseuerabat ad pedes eius, vt homo iugiter quærens Deum quem ardēter diligebat, & ideo *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, O potentia diuinæ dilectionis! ô ingens feruor peccatricis, quæ non sicut alii tyrones ab imperfecto gradu timoris, vel amoris pœnitentiam inchoat, & nouam vitam, sed in ipso suo exordio perfectionem obtinet charitatis, siquidem ponderator spirituum Dominus testatur de illa, *quoniam dilexit multùm*, propter quod dixit ei *Vade in pace*, id est, inuenisti, quod quærebas, tenuisti quē diligebat anima tua, introduxisti eum in cubiculum matris tuæ; vade in pace, quia pacata

4. Reg. 4. v. 27. & 30.

Suprà est hæc expositio posita

cata sunt tibi omnia; nōn vadis sola, sed ego vado tecum in corde tuo, nec tu me dimittes, nec ego te dimittā, sed semper manebis mecū, & ego tecum.

7. En tibi primum Magdalenæ quærentis Christum præclarum exemplum, quod si rectè perpendas, ad perfectam pœnitentiam te vehemēter excitabit. Cogitanti mihi (ait Magnus Gregorius) de Mariæ Magdalenæ pœnitentia, flere magis libet, quàm aliquid dicere: cuius enim vel saxeum pectus illæ huius peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitentiæ non emolliant, considerauit namque quid fecit, & noluit moderari quid faceret, super cōuiuantes ingressa est, non iussa venit, inter epulas lachrymas obtulit: discite, quo dolore ardet, quæ flere inter epulas non erubescit, hæc ille, nec solùm intueri debes externa quę operabatur, sed interna etiā, quæ in corde voluebat; nā (vt inquit D. Chrysostomus) ea quæ in secreto mētis agitabat, multò his feruentiora erant, quæ tantūmodò Deus ipse cernebat: cernebat autē amorem & dolorem, vnde illa procedebant, nihil autē (inquit) ita nos conglutinat, atque vnit Deo, vt illæ lachrymæ, quas & peccati dolor, & amor virtutū effundit: & qui talis vitæ cō seruat tenorē, etiamsi in medio vrbis videatur habitare, quasi in eremi vastitate requiescit, & inter solitudines mōtium, & secreta conuallium: sic Maria ita inter conuiuas, & inter disputationem, quem Saluator cum Pharisæo texuerat, tranquilla plorans permanebat, ac si sola esset, illum tantùm quærens, quē desiderabat anima eius, qui si loca corporalia spectes, inueniri potest in foris & in eremis, & vbique si ex toto corde quæratur, quia spiritus est Deus, & in spiritu & veritate desiderat quæri & adorari. Hæc de primo exemplo, de quo plura in primo Tomo à nobis dicta sunt.

Hom. 33. in Euang.

Ioan. 4. v. 23.

Pro feria 5. Paschatis circa Euāg. 1.

De exemplo eiusdem quærentis Christum in sepulchro. §. 2.

IAm alterum Mariæ exemplū intueamur, cùm Christum Dominum, postquàm mortuus, & sepultus est, quæsiuit in sepulchro, vt eius defunctum corpus deuotè vngeret, dicit igitur, *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea?* quæsiuit per noctes, quia venit ad monumētum, cùm adhuc tenebræ essent, sed obscuriores erāt in eius mēte, cùm de resurrectione Domini adhuc dubitaret, quærit in lectulo, id est, in sepulchro, vbi corpus Christi positū erat, sed cur ait, in lectulo meo? quoniam lectulus Christi, lectulus etiā erat Mariæ, & cum magistro sepulto sepulta spiritaliter erat, quia vehemens amor vnum cum illo eam effecerat, vbi enim est thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum; & cùm thesaurus Mariæ esset in sepulchro, ibi erat etiam cor eius. *Sed quæsiui & non inueni, quia venerunt* (inquit D. Lucas) *ad monumentum & ingressæ non inuenerunt corpus Domini Iesu*, qui iam surrexerat à mortuis, & à mortuorum lectulo recesserat.

Foan. 20. v. 1. Beda fusè hoc prosequitur.

Luc. 24. v. 3.

2. Sed quid tunc illa? *Surgam & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quærens, quem diligit anima mea:* non detinetur in monumento, surgit & reuertitur ciuitatem Ierusalem ad cœnaculum Sion, vbi erant discipuli congregati, & dicit illis, *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum.* Tantoque flagrabat amore, vt parata esset, si expediret, circuire per omnes vicos, & plateas Ierusalem quærens quem diligebat anima eius: vnde iterum reuertitur ad monumentum, circuit, respicit, & quærit intus & foris, an forte inueniat; namque *stabat ad monumentum foris plorans.* Flebat (inquit D. Gregorius) inquirendo, & amoris sui igne succensa, eius, quem ablatū credidit, ardebat desiderio: vnde contigit, vt ea sola tunc videret, quæ remanserat vt quæreret; nam virtus boni operis perseuerantia est.

Ioan. 20. v. 2.

Hom 25. in Euang.

Sed cùm adhuc non inuenisset, *inuenerunt me* (ait) *vigiles qui custodiunt ciuitatem*, nōn quidem custodes sepulchri, quia isti terremotu facto exterriti, facti sunt velut mortui: sed vigiles ciuitatis Ierusalem cælestis, qui honoris causa etiam sepulchrum custodiebant: ab iis non tam verbis quàm desideriis & affectibus petebat: *Num quem diligit anima mea vidistis?* percipiūt vigiles murilā amantis interrogationem, quia ex vehementia amoris, vt suprà diximus, non nominat quem quærebat, sed illi probè nouerāt, & respondent; *Quid quæris viuentem cum mortuis, non est hic, sed surrexit.*

1. Matth. 28. v. 4.

In exhort. 3. § 1

Luc. 24. v. 5.

4. At Maria non cessabat quærere, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis: ideoque *paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea*, sed quomodò inuenit? paulatim quidem. Nam *conuersa retrorsum vidit Iesum stātem, & non sciebat quia Iesus est.* Tenebantur enim oculi eius, ne eum agnoscerent; & quia adhuc eius caligabat fides, oportebat per feruētiores actus amoris ampliùs præparari, præparauit autem feruentissimè, cùm ei, quem hortulanum existimabat, dixit, *Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam*, iterum hic quem quærit, non nominat, quasi hortulanus mentem eius penetrasset; vis enim amoris hoc agebat in eius animo, vt quem ipsa iugiter cogitabat, nullum alium ignorare crederet. Virilem tamen fortitudinem ostendit, dum se promptā exhibet ad corpus magistri, vbicumque esset, tollēdum, & asportandū, non timeret ad vicos & plateas ciuitatis reuerti, nec prætorium Pilati ingredi, si hortulanus dixisset, ibi posuisse eum. Sed dum se offert ad portandum Christum mortuum, ipse se ostendit ei viuum; & ineffabili cœpta iucunditate inquit, *Inueni quem diligit anima mea*, moxque vellet eum tenere, & ad pedes eius, vt solebat, se prouoluere, atque illos humiliter osculari dicens, *tenui eum nec dimittā.* Sed prohibita est, quia nondum satis erat præparata; ait enim illi Dominus, *noli me tangere*, id est, noli me tenere, vt desideras, *nondum enim ascendi ad patrem meum* (subaudi) in corde tuo, quia nondum plenè meā attingis diuinitatem, nec me patri meo æqualem esse distinctè credis. Recordare eorū, quæ vos docui, repara perfectam fidem, quam de me habebas, vt digna sis quæ me tangas: prophetauerat (inquit D. Augustinus) nesciens quid diceret, cùm dixit: *Si tu sustulisti eum, dicito mihi.* Simplex femina Christum quærit à Christo, ac deuotione mētis prophetat, & nescit; ipse enim tulit corpus suū, qui illud protulit de sepulchro, ipse tulit corpus, qui illud iacens & dormiens sua aspiratione collegit; ipse tulit corpus suū, qui de illud diuinitatis virtute gestans portauit ad cælos. Hæc quæ nondū plenè sciebat, viso Domino ex parte sciuit, & cum fide certa magistrū nosset, paulatimque omnes mentis tenebras pelleret, iterum cum aliis mulieribus vidit illum, & tenuit. *Ecce Iesus occurrit illis dicens, auete: illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eū.* Tunc potuit dicere, *tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meæ & in cubicum genitricis meæ.* Tenui credendo esse verū Deū, æqualem

Hoc suprà satis pōderatū est, & in lib. 3. in id *inuica mihi quem diligit anima mea.*

Ita D. Augustin. tract. 12. in Ioan. nem & D. Greg. suprà.

Serm. 133. temp.

Ita D. August. lib. 3. de cōsensu Euang. c. 24.

Matth. 28. v. 9.

patri,non dimittã diligendo,& obſequendo omnibus diebus vitæ meæ, donec illum introducam in domũ matris meæ cæleſtis Ieruſalem, vbi perpetuò fruar illo. En ſecundum Magdalenæ ſplendidiſſimum virtutis exemplũ ad quærendũ Chriſtum. Æmulare eius ardentẽ dilectionem, imitare inuictam fortitudinem, promptam ad portãdum Chriſtum volũtatem; ſedulam inquiſitionem, ac conſtantem perſeuerantiam in quærendo, vt particeps fias eius felicitatis, quã obtinuit inueniẽdo.

Quomodo poſtea latens in ſpelunca quæſiuit Chriſtum vſque ad mortem. §. 3.

SEd numquid eſt aliud eiuſdem Mariæ exemplum, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum, & funiculus iſte triplex difficile rumpatur? eſt vtique ceteris diuturnius & ardentiùs, nam felix eius vitæ & cõuerſionis exordium felices peperit progreſſus, & conſummatos fines. inuenit Maria in ſua prima cõuerſione Chriſtum Dominum, dixit, *tenui eum nec dimittam*, ita tenaciter tenebat, vt ſemper illi adhærere curaret ſedens, ad pedes eius, & audiens verbum illius, nec ſoror Martha vllis precibus, aut querimoniis illam inde poterat amouere. Quod animi propoſitum approbauit ipſe Dominus, cùm dixit: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*: Quid eſt, non auferetur ab ea? nec ipſa dimittet quod tenuit, & elegit, nec alius coget vt dimittat, nec ipſe Deus auferet; ſed partem illam ſemper retinebit. Vaticinium probauit euentus; nam poſt Chriſti Domini Aſcẽſionem (vt eius refert hiſtoria) cũ eſſet aſſueta orationi, & pedibus Domini, vt optima parte, quam elegerat, frueretur, in vaſtã altiſſimi montis ſpeluncam ſe cõtulit, vbi triginta annos vixit ab omni hominum conſuetudine diſiuncta, & quæ antea quærebat Chriſtum in ſpelunca ſepulchri, in alia, velut in ſepulchro ſe mundo mortuam ſed Deo viuam ſepeliuit: ipſa verò per ſingulas noctes in eo loco tamquam in lectulo ſuo quærebat quem diligebat anima eius; iam peccata præteritæ vitæ amarè plangens, quia de propitiato peccato noluit eſſe ſine continua amaritudine antiquam magiſtri & dilecti ſui abſentiam plorans; poſteà verò mente ſurgens rapiebatur in ciuitatẽ cæleſtis Ieruſalẽ, circumiens per eius vicos & plateas quærẽs quem diligebat, & ſciebat ad patris dexterã ſedere, cuius pulchritudinem contemplabatur, gaudens quòd millia millium miniſtrabãt ei, & decies centena millium aſſiſtebant ei, ex his autem nonnulli cælicolę vigiles dilecti iuſſu obuiam ei erant in terra, & quotidie ad audiẽdas cæleſtium laudes in altum efferebantur, vt ſponſo ſuo eo modo, quo viatricem decebat, quotidie frueretur: inueniebat quotidie, ſed nõ inueniebat, quia ampliùs inuenire deſiderabat: nec ſatiabatur, donec tandem per mortem rapta eſt ab ipſo, & ad ipſum, vt eum plenè inueniret, teneret, nec in æternum dimitteret. En tertium exemplum, quod etiam tibi proponitur imitandum: quia eſto non omnibus expediat in eremum ſe conferre; tamen etiam regi plurimis negotiis implicito licuit dicere: *Quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Ecce elongaui fugiens & mãſi in ſolitudine.* Elige ergò tibi ſolitudinem aliquam ad tempus, vbi maneas gemẽs tamquam columba peccata tua, & aſſumens orationis & contemplationis alas, ad cæleſtem Ieruſalem aſcendas, quæ ſurſum ſunt quærens, vbi

Luc. 10. v. 38.
Eccleſia in die S. Marthæ in 2. Noctur. refert.
Pſal. 54. v. 7.

Chriſtus eſt in dexterã Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapiens, non quæ ſuper terram, perſeueranter quærens quod concupiſcis, donec tandẽ inuenias, teneas, nec dimittas in ſæcula ſæculorum. Amen.

EXHORTATIO XIV.

De ſtudio Eccleſiæ ad introducendum Chriſtum in gentes, poſtquam reſtiterunt Iudæi, in quos tandem introducendus prope finem ſæculi, & de præcipuis mediis ad hoc conducentibus.

Pro feria 5. hebdomadæ 2. Quadrageſimæ in id auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur genti. Item pro parabola de inuitatis ad cœnam vel ad nuptias.

Nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ.

VLTIMAM iam huius parabolæ interpretiationibus manum imponamus, applicantes eam nouellæ Eccleſiæ ex Apoſtolis & diſcipulis congregatæ: quæ poſtquàm ſibi Chriſtũ inuenit, ac tenuit, nihil habuit antiquius, quàm deinceps modum, & viam quærere ad introducendũ illum in omnes homines tã Iudæos, quàm gentiles, vt in illis per fidem in charitate radicatam habitaret. Triplicem autem ſui depingit ſtatum. Primum circa Iudæos, inter quos nata eſt, & per aliquot annos conuerſata; deinde his relictis inter gentiles vſque ad tempora Conſtantini Magni; & tertium ex tunc vſque ad finem ſæculi, quibus temporibus ingẽti cum labore Chriſtũ quæſiuit, quærit, & quæret, ſed ſemper *per noctes* quoniam, vt peracutè notat D. Bernardus, habet mundus iſte noctes ſuas, & non paucas, imò penè totus ipſe eſt nox, & verſatur in tenebris, nox eſt Iudaica perfidia, nox ignorantia paganorum, nox hæretica prauitas, nox etiam Catholicorum carnalis, animaliſque cõuerſatio. an non nox, vbi non percipiuntur ea quæ ſunt ſpiritus Dei? ſed & apud hæreticos, & reliquos infideles quot ſectæ, tot noctes; per has autem noctes quærit, quoniam inter huiuſmodi hominum ſectas deſiderat per prædicationis ſtudium aditum inuenire, vt Chriſtum introducat.

Serm. 75 in Cant.

Propter reſiſtentiam Iudæorum prædicationem Euangelij tranſiiſſe ad gentes. §. 1.

1. VT autem hæc parabola clariùs intelligatur, ſupponendũ eſt Apoſtolos, vt iam diximus, poſt aduentum Spiritus ſancti totis viribus quæſiiſſe, Chriſtum per fidem & dilectionẽ Iudæorũ cordibus inſerere, eùmque in illis habitantem inuenire, quoniam præcipuè miſſus erat propter oues, quæ perierant domus Iſrael, & illis huius ſalutis repromiſſio facta eſt: ſed quoniam primores Iudæorum, maiòrque populi pars Euangelio reſtiterunt, eis relictis ad prædicãdum gentibus tranſierunt, ſicut D. Paulus & Barnabas teſtati ſunt dicentes illis: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ* (id eſt, ita vos geritis, vt indigni ſitis vitæ æternę, quæ Chriſtus eſt) *Ecce conuertimur ad gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus, poſui te in lucem gentium, vt ſis in ſalutem vſque ad extremũ terræ.* Propter quod hi duo Apoſtoli dicuntur in Apocalypſi, duæ alæ Eccleſiæ, quibus fugiens draconẽ qui eam in Iudæa perſequebatur, volauit ad ſolitudinẽ, id eſt ad gentes, vt inter eas ſedem figeret, vt infrà dicetur. Hoc adhuc expreſſiùs habetur apud eumdem Iſaiam, cùm ait: *Quæſierunt me, qui antea non interrogabant, inuenerunt qui* non

Matth. 15. v. 24.
Act. 2. v. 39.
Act. 13. v. 46.
Apoc. 12. v. 14.
Iſai. 65. v. 1.

non quærebant, & dixi, ecce ego ad gentem, quæ non vocabat nomen meum. Reddens autem rationem, quare gentes vocauerit ad fidem, & inuentus ſit, à non quærentibus, eam ſubdit; *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas*: Ac ſi dicat, quia multo tempore prædicaui legem meam, & expandi manus ad recipiendum populum Iſraël contradicentem, & reſiſtentem mihi, ideo dereliqui eum, & abii ad gentes, vt me reciperent, & fructus ferrent iuſtitiæ, quos illi afferre noluerunt, iuxta illud: *Auferetur à nobis regnum Dei*, id eſt ſacræ Scripturæ, vera fides Chriſti, lex, & cultus, *Et dabitur genti facienti fructus eius*, Vt impleretur, quod eleganter prænuntiauerat etiam idem Iſaias dicens: *Nonne adhuc in modico & in breui* (Nam totum tempus ab Iſaia vſque ad aduentum Chriſti; licèt fuerit ſeptingentorum annorum, quaſi modicum reputatur æternitati comparatum:) *Conuertetur Libanus in Charmel, & Charmel in ſaltum reputabitur; & audient in die illa ſurdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt, & addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in ſancto Iſraël exultabunt, quoniam defecit, qui præualebat, conſummatus eſt illuſor*, &c. Quem locum ferè omnes Patres iuxta prædictum ſenſum interpretantur, non de Libano infructifero, & Charmelo fertili, ſed de gentibus & Iudæis, id eſt, gentiles horridi, inculti & alieni à fide, euadẽt fertiles ac frugiferi ob veram fidem, quam complectentur; è contrà Iudæi, qui quondam erant fertiles, ſterileſcent: illi, qui aliquando erant ſurdi, & cæci, audient verba libri ſacri, ſeu ſcripturæ & Euãgelij, qui obſignatus fuit iſtis, ideoque manebunt cæci illi, qui erant pauperes, & deſpecti, lætabuntur in Domino; ij verò, qui erant illuſores & irriſores eorum, deficient & conſummabuntur?

Lib. 10. exhor. 20. §. 3.
Ad Rom. 10. v. 10.
Math. 21. v. 43.
Iſai. 29. v. 7.
Per libanũ Idololatræ deſignantur, per Charmelum Iudæi.

2. Hoc igitur eſt, quod ſponſa in hac Parabola docet *In lectulo meo*, &c. Lectulum ſuum vocat regionem Iudeæ, in qua nutrita erat, & quieuerat; quã rectè comparat paruulo lectulo, quia minima pars eſt reſpectu totius mundi, qui eſt velut ampliſſima ciuitas continens tamquam vicos & plateas, varias regiones, & prouincias, magnas & paruas. Quæſiui ergo (inquit) dilectum meum in regione Iudæorum, & inuenire non potui, quia ipſi obſtiterunt, & indignos ſe fecerunt illo. Et qui antea lectulus erat floridus, factus eſt ſpinoſus & horridus; ideo ex decreto Dei ſurgam è lectulo Iudeæ, relinquens illum, ſicut ſcriptum eſt, *Reliqui domum meam, dimiſi hereditatem meam: facta eſt mihi hereditas mea quaſi leo in ſilua dedit contra me vocem, ideo odiui eam.* Circuibo ergo ciuitatem mundi per omnes eius prouincias, vt Chriſtum in eis quæram, & introducam: ſicut præceptum eſt mihi: *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*, Et iterùm, cùm vocati ad cœnam magnam & ad nuptias venire noluerunt, dictum eſt ſeruo: *Exi cito in vicos, & plateas ciuitatis, & pauperes ac debiles introduc huc*, & rurſus: *Ite in exitus viarum, & quoſcumque inueneritis vocate ad nuptias*, per quos gentiles intelliguntur. Circuierunt ergo Apoſtoli vicos & plateas totius orbis; quidam profecti ſunt in Aſiam: alij in Ægyptum; alij in alias regiones, quærentes vbique Chriſti fidem prædicare, & eum in cordibus hominum inuenire.

Ierem. 12. v. 7.
Marci 16. v. 15.
Lucæ 14. v. 21.
Math. 22. v. 9.

De reſiſtentia gentiũ, & de eorum tandem cõuerſione. §. 2.

1. SEd quid eſt quod ſponſa ait: *Quæſiui illum, & non inueni?* Numquid non inuenit inter gentes, ſicut nec inter Iudæos? minimè quidem, ſed aduerte diſcrimen. Nam cùm quæſiuit in lectulo, & non inuenit, reliquit illum quaſi ibi ſponſum ampliùs non inuentura, quia tunc deſeruit Iudæos, qui maiori ex parte conſumpti ſunt, & templum eorũ per Titum & Veſpaſianũ penitus deſtructum: at, cùm quærens per vicos, & plateas ciuitatis non inuenit ſponſum, non reliquit ciuitatem, & tetẽdit aliò ad quærendum illum; ſed perſeuerãs in inquiſitione; paulò pòſt dicit ſe inueniſſe intra illam. Cùm igitur ait non inueniſſe, tantùm ſignificat multis annis populum gẽtilem, & principes ac reges eorum reſtitiſſe Euangelii prædicationi: maximè Imperatores Romanos, qui caput erant fere totius orbis.

2. De quibus ait *inuenerunt me vigiles qui cuſtodiunt ciuitatem.* Vigiles vocat idolorum ſacerdotes, Philoſophorum Principes, Imperatores, præſides, iudices & tyrannos; ad quorum notitiam peruenit Apoſtolorum & Doctorum Euangelica prædicatio, & ingens feruor, ac amor, quo annuntiabant hominibus Chriſtum crucifixum, & eius Euangelium; qui illico eos coram ſe ſiſtere fecerunt, ut rationem eius quod prædicabant, redderent, quibus ipſi dicebant: *Num quem diligit anima mea, vidiſtis?* Id eſt, an ſcitis quis & qualis ſit Chriſtus, quẽ ego diligo & prædico? Deus enim verus eſt, per quem omnia facta ſunt, qui factus homo propter nos, etſi ex infirmitate carnis crucifixus ſit, tamen ex virtute Dei tertia die glorioſus ſurrexit à mortuis, & ſedet ad dexteram patris, conſtitutuſque eſt Iudex viuorum atque mortuorum. Nũ vidiſtis hęc? Vtinam videretis, quia ſine dubio Chriſtum quem diligo, diligeretis, & quærere geſtiretis, at quid illi? deridentes & contemnentes Euangelii prædicatores, non dignati ſunt eis aliquid reſpondere; reſponderunt autem non verbis, ſed verberibus, ſicut ipſa ſponſa in capite quinto teſtatur dicens: *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium mihi cuſtodes murorum.* Vehementi enim ira contra chriſticolas exardeſcentes, percuſſerunt eos & vulnerauerunt variis plagis inflictis, abſtulerunt pallium, id eſt, diuitias, & dignitates, cunctaque temporalia bona, nudos eos ignominioſè relinquentes, donec tandem pallium corporis, quo anima operiebatur, violenter auferrent crudeliſſima eos necãtes morte: ſed non per hoc Eccleſia deſtitit ſponſum ſuum quærere, & prædicare; imò quantò magis percutiebatur, tantò fortiùs ipſa ſpiritaliter percutiebat; & quæ videbatur victa, glorioſiùs vincebat: Nam per patientiam in tormentis alacriter toleratis, & per illuſtriſſima ſanctitatis exempla, miraculoſaque prodigia ita tunc ſplendebat; vt firmiùs veritatem fidei quam prædicabat, atteſtaretur, & homines ad eam amplectendam efficaciùs induceret: Nonne Gedeonis milites Madianitas ſuperauerũt portantes in manibus dexteris tubas, in ſiniſtris lagenas lampades accenſas intus continentes? dum autem clangerent tubis, & fregiſſent lagenas, ad ſplendorem lampadum hoſtes corruerunt. In tubis autem, (vt D. Gregorius inquit) deſignatur clamor prædicantium; in lampadibus claritas miraculorum, illuſtriumque exemplorum fulgor: in lagenis verò fragilitas corporum. Apoſtoli igitur, & eorum ſequaces ſonuerunt tubis, dũ prædicabant; confregerunt lagenas, dum corpora ſua hoſtilibus gladiis tradiderunt: reſplenduerunt lãpadibus, dũ præclariſſimis ſanctitatis exẽplis, & magnis miraculis in paſſione ſua & poſt illam coruſcarũt; mox hoſtes in fugam conuerſi ſunt, quoniam multi his tribus armis expugnati, & deuicti, in Chriſtum crediderunt: & ſicut hoſtes ſteterunt ante lagenas

Cant. 5. v. 7.
Ita Theodoretus & Iuſtus Orgelitanus. De hoc fuſiùs in c. 5.
Iudicum 7. v. 2.
Lib. 3. Moral. c. 17.

integras,ipsis vero fractis,ante lampades in fugam versi sunt;ita gentiles prædicatoribus fidei, antequam paterentur & sanguinem suum funderent, valde restiterunt: eosdem verò, postquàm multa pro Christo & fide passi sunt,potius sunt secuti?

2. Et hoc est,quod ait sponsa. *Paululum cum pertrãsissem eos, inueni quem diligit anima mea.* Pertransijt tempus persecutionis ab ethnicis Imperatoribus Romanis illatæ, quæ licèt durauerit ferè per trecentos annos vsque ad initium imperij Constantini Magni,tamẽ totum hoc,iuxta phrasim Scripturę paululum reputatur:quo transacto placuit Deo Constantinum ad se conuertere, cuius auctoritate cœpit fides Christi publicè & sine impedimento in vniuerso orbe prædicari,& recipi, erigi templa, immolari sacrosancta sacrificia,& administrari sacramẽta, tunc autem satis aptè dicit Ecclesia, *inueni quem diligit anima mea*, si quidem per vicos & plateas ciuitatis nomen Christi diuulgabatur,& in illis Christus per fidem & religionem residebat, & sicut Tobias vaticinatus est de mystica Ierusalẽ, per omnes vicos eius Alleluya cantabatur & iuxta prophetiam Malachiæ in omni loco offerebatur Deo oblatio munda: Tunc perfectè impleta sunt vaticinia Isaiæ suprà allegata, quia innumeri populi inuenerunt Christum, quem antea non quærebant;imo persequebantur;& sterilis Libanus gẽtium in fertilem Carmelum mutatus est, florescentę ecclesia insignium virtutum fructibus, & plurimorum sanctorũ cœtibus. Subdit autem, *tenui eum nec dimittam*, quoniam ex tunc ecclesia firmissimè tenuit Christum fide, religione, & cultu, nõ solùm secretò, vt antea, sed etiam manifestò, vt saltem in aliquibus regnis & prouincijs nũquam deficeret publica fidei professio, in quibus facilè potuerit inueniri Christus à quibuscumque quærentibus.

Tobiæ. 13. v.22.
Malach.1. v.11.

Qua ratione quotidie Christus Dominus introducitur in nationes gentium. §. 3.

1. SEd quid est, quod ait. *Donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Animus ecclesiæ,&ministrorum eius hîc describitur, qui vellent Christum introducere in vniuersum mundum,& in omnes nationes hominum, vt ex omnibus fiat vnum ouile Christi, sicut est vnus pastor & quidem hæc domus matris suæ citra dubiũ est domus Dei;siue sit totus iste orbis amplissimus de quo dicitur, *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius*, non solùm enim capit iustos & fideles, sed omnes homines qui diuinæ gratię possunt esse participes; siue sit ipsamet Ecclesia catholica,quæ vehementer desiderat aggregare sibi vniuersos prædestinatos, qui per totum orbem sunt dispersi,pro quibus Christus Dominus mortuus est,vt eos congregaret in vnũ.Sed humilitatis ergo describit se ipsam sub hoc nomine domus,id est in me ipsam, quæ domus sum diuinæ sapientiæ increatæ;quæ omnium est mater& vt inquit idem Salomon, *Ædificauit sibi domum ecclesiæ* per ancillas suas vocans paruulos & incipiẽtes,vt venirent ad illam,& comederent panem, & biberent vinũ,quod miscuit illis, & Christus Dominus,qui sapiẽtia est increata, mittit seruos suos, vt vocent omnes,compellantque intrare, *vt impleatur* (inquit) *domus mea*; quam nolo esse habitatoribus vacuam,sed impleri omnibus, qui præordinati sunt,vt in illam intrent.

Baruch. 3. v.24.
Ioa.11.v.52
Ad Heb.3. v.4.&6.
1.Petr.2.v.5
Prou.9.v.1.

2. Propter quod ecclesia modò etiam eum cupit introducere, si posset, in omnes barbaras, & infideles nationes, quantumcumque sint abditæ & occultæ; nam hoc est introducere non tantùm in domum, & atria manifesta, sed in secreta cubicula, & loca valde abscondita nec parcit distantiæ locorum, nec vilitati nationum, nec magnitudini laboris,vel difficultatis, sed omnia vincit per feruentes ministros, & operarios, quos maximè spontaneos mittit ad Indos, & in nouum orbem,dicens illud Isaiæ: *Ite angeli veloces ad gentem conuulsam, & laceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius; ad gentem expectantem, & conculcatam cuius diripuerunt flumina terrã eius.* Quæ si ad tropologicum sensum attendas,(quem tamen quidam putant esse literalem) verba sunt Christi, vel ecclesiæ mittentis prædicatores, & nuntios Euãgelicos, quos Angelos veloces vocat propter excellentiam ministerii, puritatem vitæ, & celerem promptitudinem obedientiæ;propter quæ de eisdem alibi dicitur, *Qui sunt hi qui vt nubes volant?* Hi ad varias gentes & populos mittuntur, vt in eos introducant Christum, & Euangelium, siue sint gentes conuulsæ,dilaceratæ,& conculcatæ, siue populi terribiles & feroces,etiam post quos nõ sint alij, quia Christus salus est omnium vsque ad extremum terræ. Vocat autem gentem expectantem ea phrasi,qua terra arida dicitur expectare pluuiam, sicut suprà dictum est Christum dici expectationem gentium; quoniam eorum extrema indigentia & miseria expectat à Domino salutem, quę afferenda est per Christum destruendo eorum errores,& peccata. felices Angeli veloces, qui tali pro Christo legatione funguntur.

Isai.18.v.2.
Ita Aloysius Legionẽsis, in Abdiam propè finẽ, & Montanus in Isai. 18.
Isai.60.v.8.
Isai.49 v.6.
in Exhort. 11.

3. Cuiusmodi sunt multi viri religiosi ex varijs ordinibus, plurimique ex nostra Societate Iesu, qui ad remotas Orientis & Occidẽtis regiones,(quas nos generali nomine Indias vocamus) alacriter tendunt,non ad propagandum imperium, vel ad quærendas minas auri, argenti, vel margaritas & lapides pretiosos, sicut alij sæculares,sed ad dilatãdum regnum spiritale Christi, & ecclesiæ, & ad quærẽdas margaritas & thesauros animarum,quæ ibi absconditæ & ignotæ latebant,vt Christo regi accrescãt. Hoc prædixisse videtur idem Propheta cũ pręmisit; *Væ terræ cymbalo alarũ, quæ est trans flumen Æthiopiæ, quæ mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas.* Quæ verba tropologicè saltem applicari possunt Hispaniæ,quæ nauibus abundat ad nauigandum in nouum orbem, & vocantur cymbala alata, quia carina cymbalo, vela alis assimilantur. Vnde LXX.& textus græcus habent *in nauium alis*, vel in nauibus alatis. Eædem dicũtur vasa papyri, quia ex scirpo, vel iunco olim nauigia fiebant. Dicitur autem esse trans flumẽ Æthiopiæ, licèt in Hebræo non habetur verbum, est) subaudiendo esse nauigantem,vel traijcientem naues,in quibus mittit quotannis legatos, id est, viros plures ad remotas noui orbis regiones inquirendas,& etiam ad propagandum imperium,vel diuitias auri & argenti asportandas, & quia hoc fit cum ingenti discrimine vitæ,& cum magnis ærumnis & calamitatibus, mixtis etiam plurimis peccatis, & iniustitijs legatorum contra miseros Indos, præter voluntatem tamen Regum Catholicorum, vt experientia docuit,ideo dicitur illis, Væ:quamuis vox hæbrea *Hoy* non tantum sit lamentantis sicut væ, sed etiam vocantis sicut, heus, vt sensus sit, væ tibi terra, vel ô terra, quæ multis nauium classibus abundans in nouum orbem legatos mittis tot periculis expositos: Audi læta quæ ego iubeo, volẽs hac tua arte & studio vti in illarum nationum bonum;

Isai.18.v.1.
In sensu literali id testatur Legionensis in id Abdiæ *transmigratio Ierusalem quæ est in Bosphoro possidebit terras Austri.* & Montanus Isai.18.

nũ;ite Angeli veloces,id est, viri sancti & religiosi,qui non quæritis aurum,nec argentũ,nec terrenorum dominium,sed iis omnibus denudati estis velut Angeli, vt expeditè pro Christo legatione fungamini: ite velociter in his nauibus alatis, vt sitis mei legati, & nuntij ad gentes quæ sunt in extremis terræ; vocate eos ad fidem,ad meam cœnam magnam, ad nuptias filij mei, vt intrẽt in Ecclesiam, & domus mea habitatoribus repleatur.

Luc.14.v.23.
Matth.22.v.9.

4. Inter hos Angelos & legatos primatum tenet gloriosissimus Pater Frãciscus Xauier nostræ Societatis gloria & decus,quẽ dũ hæc scriberẽ, summus Pontifex Paulus quintus in beatorũ numerum retulit, quemque Paulus tertius suum Apostolicum nuntium & legatum fecit in regionibus Orientis, ad quas Lusitana classis per immensum Oceanum permeabat;easque sua doctrina & exẽplari vita ita illustrauit, vt ab illis Indiæ nouus Apostolus iure vocatus sit. Verè Angelus velox; Angelus quidẽ, propter perpetuã quã coluit castitatẽ, propter immaculatã & irreprehensibilem vitã, propter sublimẽ & cælestẽ contemplationẽ, propter celerẽ & prõptã obedientiã qua omnibus relictis velut alata nauis ad Indos volauit, & tandẽ propter indefessam in laboribus fortitudinẽ, ac inuictã persecutionũ, & tribulationũ tolerantiã, ac si velut Angelus carne nudatus esset. Velox autẽ, quia summa claritate omnes illas regiones & insulas peragrauit annuntiãs Euangeliũ pacis, vbi antea non erat annuntiatũ, vt per illũ multi qui Christũ non quærebãt, eum inuenirẽt,& appareret eis qui de ipso non interrogabãt; ibat autẽ velociter,quia charitas Christi vrgebat eũ, vsurpãs sibi nomen eius quod est, *accelera, spolia detrahe, festina prædicare*, vt citò spolia animarũ à faucibus prædonis eriperet, & Ecclesiæ aggregaret: quare merito cõparatur Angelo forti; cuius pedes erãt vt columnæ ignis, *& sinistrum posuit super terrã, dextrũ verò super mare, clamãs, sicut leo, cùm rugit*, quoniam Christum, quẽ hic Angelus referebat, imitãs, eius virtute omnes affectus & gressus suos incensos habebat illo igne quẽ ipse Dominus misit in terrã & voluit vehemẽter accẽdi, magnaq; fortitudine pedibus suis terrã & mare calcauit, id est, regiones terræ firmæ, & innumeras insulas maris, Iaponias, Malucas,& alias eiusmodi, in quibus posuit pedẽ dexterum, qui felicem in illis habuit successũ. Clamabat autẽ vt leo dũ prædicabat, quia vehemẽter lætabatur cũ tantã præ manibus haberet prædã animarũ, rugitus enim leonis etiã ex hilaritate adeptæ prędæ procedit, sicut testatur Amos dicens: *Numquid leo rugit, nisi habuerit prædã?* vt impleretur in eo quod scriptum est, *lætabuntur in te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda quando diuidunt spolia.* Aliquando tamẽ, cùm opus erat, clamabat, sicut leo cùm rugit, vt timorẽ peccatoribus incuteret: nã hoc etiã rugitus denotat, sicut idẽ propheta ait: *Leo rugit, quis nõ timebit?* Subdit autẽ D. Ioannes, post hunc clamorẽ Angeli locutã fuisse septẽ tonitrua, id est manifestatos esse mirabiles effectus vocis Dei super aquas & cõfringentis cedros, & cõmouentis desertum, & cetera quæ in Psalmo 28. dicuntur, quoniã stupendas per ipsum diuinæ inspirationis vox operata est conuersiones peccatorum, & mutationes iustorum in meliorẽ statum; & deniq; post ipsum locuta sunt septẽ tonitrua, id est cœperunt etiã in eisdẽ regionibus prędicare. Alii eius socii,& concionatores,(qui in Euangelio vocantur filii tonitrui) vt idẽ opus perficerent, qui etiã vocantur fulgura, seu fulmina simul cũ tonitruo à nube procedentia, de quibus dixit Dominus ad Iob. *Numquid mittis fulgura, & ibunt?* (idem hîc est fulgura quòd fulmina) quibus verbis horum virorum celerrima cõmendatur obedientia, nã cumprimùm internam Christi vocẽ audiunt, & externã sui Vicarij & prælati dicentis: *Ite Angeli veloces ad gentẽ conuulsam, &c.* statim relictis omnibus, patria, amicis, & notis, periculosæ tradunt se nauigationi, vt Deo obediant, quare rectè vocãtur Angeli veloces nudi & alati (sic enim Seraphinos pingit scriptura, *potẽtes virtute faciẽtes verbũ Domini ad audiendã vocẽ sermonum eius*, eò quòd zelus domus Dei vrget eos, vt Christum introducant in domũ huius mundi; & in abditissima cubicula illius. Ad sanctorum ergo virorum exemplum, si tu Christũ iam inuenisti tibi, esto velut eius angelus, & præcursor, curans in alios eũ introducere, vt ampliorem habeat domum, in qua dignè possit habitare.

De B. Frãcisco Xauier Patre nostro.
Isai.65.v.1.
Isai.8.v.3.
Apoc.10.v.2.
de hoc infrà lib.8. exhort.26. §.1.
Luc.12.v.49.
Amos 3.v.4
Isai.9.v.3.
Amos 3.v.8
Psal.28.
Marci 3.v.17.
Iob.38.v.35.
Ita D. Greg. lib. 30. moral. c.2.
Isai 6.v.2.
Psal.103.v.20.

Per quæ media Ecclesia mundi vitia euertat, & Christum in eum introducat. §. 4.

HAnc Ecclesiæ Catholicæ circuitionem per vniuersum mundum ad eũ conuertendum, mediaque præcipuè ad id cõducentia egregiè delineat altera Ecclesiæ antiquæ circuitio per muros ciuitatis Iericho ad euertendum illos, tollendumq; impedimenta ingressus. Facta est autem iussu Dei & Iosue ministri eius ab vniuerso cœtu filiorum Israel in hunc modum: sacerdotes portabant arcam federis: septem autem eorum cum septem buccinis ad clangendum, præcedebant eam, simulque omnis exercitus armatus; post arcam verò sequebatur reliquum vulgus: cùm igitur septem diebus semel quotidie circuirent ciuitatem, & in septimo die septies; & sacerdotes clangerent buccinis, vniuersusq; populus vociferaretur; corruerunt statim muri, & cœperunt ciuitatem interfeceruntque habitatores. Hæc autem (vt perpendit D. Augustinus) in figura contingebant illis: nam Iericho, qui luna interpretatur, ciuitatem significat huius mundi mutabilis, qui totus in maligno positus est, cuius habitatores sunt peccatores, & princeps diabolus; muri autem, quibus munitur, vt Euangelij prædicationi resistat, ex illis lateribus & lapidibus cõflantur, de quibus D. Ioannes ait: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscẽtia oculorũ, & superbia vitæ.* Habent autem muri prominentes turres, & propugnacula, nẽpe inanem gloriã, auaritiã, luxuriã & cetera vitia capitalia. Ecclesia autem Christi ex Apostolis, prælatis, doctoribus, & vniuersis iustis potissimè congregata, hanc ciuitatem circumit, sed forinsecus, quoniam ipsa non est intra mundum, seu non est de hoc mundo, sed omnino extra illum, sicut Christus Dominus de se & de Apostolis ac discipulis suis dixit: *Ego non sum de hoc mundo*, & iterum, *quia de mũdo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*, ad quid ergo circuit muros eius? profectò vt eos destruat, & mundum capiat, & eum, qua ratione malignus est, omnino extinguat: Circumeunt sacerdotes, & pastores cũ tubis prædicationis Euangelicæ, de quibus dictũ est: *clama ne cesses, quasi tuba exalta vocẽ tuã, & annũtia populo meo scelera eorũ*, tubæ nõ delectationẽ inferũt, sed terrorẽ; & huiusmodi prædicationes (ait D. Augustinus) necessariæ sunt peccatoribus, per quas terribili sono austerũ Dei iudiciũ nuntiatur, tristis prædicatur gehennæ interitus & quodam comminationis strepitu aures delinquentium verberantur. Sed sacerdotes secum ferunt arcam federis, vbi aureum erat propitiatorium,

Iosue 6.v.1.
Serm.106. de temp.
1 Ioan.5.v.19.
Ioan.12.v.31.
1.Ioan.2.v.14.
Ioan.8.v.23 & c.15.v.19
Isai.58.v.1.
Verba sunt D. Augustini vbi suprà.

id est, Christū Dominum, quem annuntiant, qui propitiatio est pro peccatis nostris. Præcedūt autem arcā cū tubis, quia prædicatores præeunt, munus suum exercentes, & iter Domino parantes: præcedit etiā exercitus armatus reliquorū doctorum ac procerū Ecclesiæ, qui armis etiam nō corporalibus, sed spiritualibus pugnāt, cōtra hęreses, errores, & vitia disputādo, docēdo, exhortādo, & rationibus cōuincēdo. Sequitur autē cœtus iustorū vociferantium, id est feruidas preces ad Deum fundentium pro mūdi conuersione, qui non minùs contra hostes suis orationibus pugnāt, quàm alij doctrinis & prædicationibus; siquidem orāte Moyse populus vincebat Amalechitas, qui tamē vincebatur ipso ab oratione cessante, vt intelligāt prædicatores indigere aliorū iustorum precibus; quibus & non sibi victoriam, quam obtinent, humiliter tribuere debēt; iusti verò etsi illiterati nō cadant animo, siquidē orando impetrare possunt, quod alij efficiunt prædicando. Etenim simul ad sonitum clāgoris & vociferationis muri ciuitatis corruerunt, quia per prædicationes, & orationes, aliaq; Ecclesiæ ministeria omnia obstacula auferuntur, errores cōfunduntur, euertuntur peccata, eradicantur prauæ concupiscentiæ, & peccatores moriuntur mundo, vt viuāt Deo, & aggregentur ipsi Ecclesiæ, translati ex Iericho in cœtum iustorum, vt qui antea stulti erāt, mutabiles sicut luna, iam in sapientia maneant sicut sol.

Exodi 17. v. 11.

Eccles. 27. v. 12.

2. Habes ergo ex hac historia vniuersum iustorū cœtum ad mundi cōcurrere conuersionē, aut prædicando, aut docendo, & disputando, aut orando, & exēplariter viuendo, dum tamen omnes instar populi Israëlitici, suū munus exequantur ex iussu Dei, & directione perlati; quia *vir obediens loquitur victoriam*. Deinde vt omnes tam maiores quàm minores magna cum vnione mutuò se iuuent; *Nā frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Et præterea ingenti cum longanimitate, & perseuerantia, quæ per septem circuitiones bis factas designatur, confidenter opus suum exequātur, sicut scriptum est: *In silentio & spe erit fortitudo vestra.* Et quemadmodū Israëlitæ septem diebus tacuerunt, priùs quàm semel clangerent, vel vociferarentur, ita (inquit D. Pachomius) oportet priùs linguam donare, vt discat benè tacere, antequàm præsumat aliis loqui, ac tandem sicut Israëlitæ hāc adepti sunt victoriam, quia secum portabant arcam fœderis, cui omnem gloriam tribuerunt; sic nos debemus Christum per firmam fidem & ardētem charitatem, in nobismetipsis ferre, vt in alios possimus eum introducere: gratias agentes Deo, qui dat nobis victoriam per Iesum Christum, in quo omnis vincendi fiducia est collocanda, sicut ipse dixit: *Confidete, ego vici mundum.*

Sex media ad conuersionē peccatorum. Prou. 21. v. 28. Prou. 18. v. 19. In eius vita refertur. 1 Cor. 15. v. 57. Ioan. 16. v. 33.

In Iudæos prope finem mundi introducendum Christum. §. 5.

AD vltimum iam deueniamus sensum istorū verborum sponsæ, *donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Allusionem videtur facere ad domum, cubile, & lectulum, in quo antea illū quæsierat. Vnde iuxta sententiam D. Gregorij, Bernardi, Bedæ, & multorum Patrum, matrem hic vocat synagogam, à qua Ecclesia Apostolorum cœpit, quæ perpetuò retinebit Christum, nec dimittet, donec illum iterùm introducat in ipsam nationem Iudæorum, & in reliquias, quæ remanserint ex eis, quod prope finem sæculi implendum esse superiùs affatim ostendimus. Sed celeberrimum & nostro intento congruum vaticinium est illud Oseæ prophetæ: *Dies multos expectabis me: non fornicaberis, & non eris viro, sed & ego expectabo te, quia dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim: & post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suū, & Dauid regem suum, & pauebūt ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum.* En quod oculis nostris modo cernimus, & signū est eius, quod eueniet in nouissimo dierum prope finē mundi. Cernimus quidem nunc populum hunc incredulum per plurimos annos expectasse, & adhuc expectare Messiam venturum, quasi non venisset. Sed vanè illū quærunt in scripturis, & precibus aduentum eius implorant cùm iam venerit, & noluerint, ac nolint eum recipere: vnde eis dicitur toto hoc tempore, *non fornicaberis*, id est, tu ô synagoga non adhærebis dijs alienis, nec adorabis idola gentiū, sicut antea facere consueueras, *Nec tamen eris viro*, id est, non recognosces virum tuum legitimum Christum, nec illi per spirituale connubium copulaberis: ego tamen patienter expectabo te multos annos, vt iterum te recipiant; sed interim non habebis, ex tua natione reges, nec principes, nec altare, vbi sacrificia offeras, nec sacerdotiū, nec etiā Theraphim, id est imagines, & idola gētium, quæ omnia experientia constant. Subdit iam quod futurū est, dicēs, post hæc filii Israël reuertentur, vt per fidem & pœnitentiam quærant ex toto corde Deum suum, quem reliquerant, & Dauid regem suum, id est, verū Christum, quem reiecerant, in quo, vt notat Paulus Burgensis insinuatur Christum iam venisse, quia non ait, veniet Dauid rex, sed quærent inuenire illum, sicut & Deum, & reuerebuntur illum, & admirabuntur de magnitudine bonorum, quæ recipient ab illo: Hoc autem bonū eueniet eis per prædicationem maximè Eliæ & Enoch, qui erunt duo Christi testes præcursores, & prædicatores contra Antichristum; quorum doctrina, & miraculis perfectè conuertentur, sicut prædixit Malachias de Elia dicens: *Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*, id est, faciet quod fides, doctrina & sanctitas, quæ erat in corde Patriarcharum antiquorum & Prophetarum, transeat ad corda huiusmodi filiorum, vt ex toto corde suo recipiant Christum, quem illi prædicauerunt, & vaticinati sunt.

In hunc locum. To. 1. in id, reuertere dilecte mi Osee 3. v. 5. Apoc. 11. v. 3. Malach. 4. v. 6.

2. Et hoc insinuat sponsa, cùm non tantùm ait: *Introducam eum in domum matris meæ*, sed etiam addit, *& in cubiculum genitricis meæ*, ad significādum Christum nō esse introducēdum in illis fictè, sed verè, & cū ingenti perfectione in ipsa cordis penetralia, in domum matris, (inquit D. Gregorius) dilectum introducet, quando in fine Ecclesia per prædicationem in plebem Iudaicam Sacramenta immittet; in cubiculum autem quasi in secretiorem partem domus eum introducet, quia ex eadē plebe ita plurimos conuertet vt omnes mundi sarcinas abiiciāt, & in intimis cogitationibus soli Deo placere concupiscāt: huiuscemodi homines cubiculū facient spōso, quia dū à se omnes sordes cupiditatis abiicient, quasi secretū locū in mente, in quo spōsus delectetur, cōponent. Hæc Gregorius, insinuans per hanc phrasim sponsæ designari Iudæos tūc cōuertendos, futuros esse viros perfectos, & cōsummatos, quod videtur insinuare etiā D. Ioannes, dū loquens de fine mūdi, iuxta multorū interpretationē, ait ex qualibet tribu Israël esse

In hunc locum. Apoc. 7. v. 4.

signatos

signatos in frontibus suis signo Dei viui duodecim mille viros, ad denotandum quòd erunt fortes, & insignes non erubescentes confiteri Christum, sed palam de eius cruce gloriantes.

3. Coronidem iam apponamus innuentes insigne præmium, quod etiam in hac vita elargitur Deus his, qui proximorum saluti incumbunt; quod indicant sequentia verba versus. 5. *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis donec ipsa velit.* Intuens enim Deus sponsæ flagrantē charitatem, qua eū in proximos introducere cupiebat, dulcissimum ei contemplationis somnum, extasim, vel raptum præbuit adiurans filias Ierusalem, ne suscitent eam, donec velit, ait autem *donec velit* quoniam sciebat, eam quæ tam ardenti flagrabat amore, tempore opportuno voliturum à somno surgere, vt proximis benefaciat, quos tandem introducat in domū matris nostræ cælestis Ierusalem, vbi cum illis Deo fruatur in sæcula sæculorum. Amen. Plura de hoc versu suo loco dicta sunt.

In lib. 4. exhort. 43. circa c. 2. Cant. v. 5. & suprà etiā in exhort. 7. ad finem.

PARS SECVNDA LIBRI SEXTI.

De multiplici profectu spirituali per omnigena virtutis opera.

Cant. 3. v. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.*

TRiplici, elegātique similitudine, quæ spōsa gessit, & dixit nūc commendātur: cōparatur enim virgulæ fumi rectà ascēdenti, quia rectè & ardēter dilectū suū quæsiuit: lectulo vero Salomonis à sexaginta fortibus circūdato, quia fortiter eū tenuit, nec dimisit: ferculo denique, in quo ipse Salomon vehebatur, quoniā decreuit eum deducere, & introducere in domū Ecclesiæ matris suæ. Nunc de prima similitudine agendum est, cui aliam ex capite octauo, quæ ampliùs illam explicat, adiungemus; ea autem sic habet. *Quæ est ista quæ ascendit è deserto deliciis affluens innixa super dilectum suum.*

Cant. 8. v. 5

EXHORTATIO XV.

De perfecta forma profectus spiritualis seruanda ab omnibus iustis, in quouis statu, ordine, & gradu vitæ.

Pro feria 5. Pentecostes circa id *ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Versu. 6.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, &c.

TRiplicem interrogationem de eximia spōsæ pulchritudine, & de eius feruido proficiendi studio legimus in hic Cantico. Primam hîc, cùm dicitur; *Quæ est ista quæ ascendit, &c.* Secundā in capite 6. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Tertia denique in capite 8. sub his verbis, *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delicijs affluens innixa super dilectum suum?* Cùm enim tres sint iustorum status, quos Ecclesia comprehendit; incipientium, qui per viam gradiuntur purgatiuam; proficientium, qui per illuminatiuā; & perfectorum, qui per vnitiuam ad culmen perueniunt; omnibus incumbit in suauia proficere quotidie, & semper in meliora tēdere iuxta illud: *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* Primum ad incipientes spectat, qui à peccato recedunt & ampliùs se purgant: Secundum verò ad reliquos, qui in virtutibus & sanctitatis operibus debent proficere; tantoque omnis spiritus feruore, vt admirationem excitent. Vnde prima interrogatio nō ineptè aptatur incipientibus, secunda proficientibus, & perfectis tertia. Prima explicat progressum istum per similitudines desūptas à rebus terrenis, sed odoriferis, quæ tamē sursum tendunt, vt virgula fumi myrrhæ & fumi thuris. Secunda per Metaphoras ex rebus cælestibus, tertia verò nulla vtitur similitudine terræ vel cæli, sed tantùm ait, *delicijs affluens* quoniam ob præcedētes labores affluentia cælestium deliciarū potitur, quæ eam suauiùs ascēdere facit ad præmiū. apta quidē est hæc coaptatio, quā fusiùs in libro de Duce Spirituali prosecuti sumus.

Cant. 6. v. 9. & c. 8. v. 5. Apoc. 22. v. 11. Tract. 4. & 12. & 13.

Varios esse profectus eiusdem iusti. §. 1.

1. CEterum non est cur has similitudines diuersis iustorū statibus alligemus, imò crediderim omnes cuilibet statui, singulis etiam iustis, qui per illos gradatim progrediūtur, aptādas esse. Beda quidem, & alij, qui hæc verba de Ecclesia interpretantur, triplicem fumum odoriferum, cuius hic fit mentio, illis accōmodant, dicentes, eos, qui vitæ actiuæ, operibus pœnitentiæ, ac propriæ abnegationi incumbunt, fumo myrrhæ assimilari; illos verò, qui Dei contēplationi vacant, fumo thuris; eos autē, qui vitæ mixtæ ex actione & contemplatione, è variis virtutū operibus insudant, fumo vniuersi pulueris pigmentarij; idem tamen ignis omnem hunc fumum excitat, quia eadem charitas omnes ad curādum proprium incrementum suo statui aptum vehementer vrget.

D. etiam Gregorius de eisdem ordinibus iustorum secūdam similitudinem interpretatur, vt incipiētes cōparentur auroræ; proficiētes lunæ pulchrę; perfecti vero Soli, & omnes simul castrorum aciei bene ordinatæ, de quo suo loco agendū est. Tandem tertia interrogatio eisdem ordinibus accommodari potest, vt sponsa propter eos, qui vitā nouā inchoant, dicatur ascendere è deserto, deserēs mundana vitia: propter eos verò, qui ampliùs proficiunt, sit *delicijs affluens*, seu dealbata & candida, sicut LXX. transferūt: propter perfectos autē addatur: *Innixa super dilectū suum*, intima illi vnita dilectione. Plurima autem de iis statibus in genere dici possūt, quæ ad modū progrediēdi vniuscuiusque, & ad ordinem progressus spectant, sed vtilius multò hæc explanabuntur in vnaquaque anima cuncta gradatim exequente, quæ per has similitudines designantur.

In Cant. 6.

2. Sicut igitur in tractatu præcedenti perfectam docuimus formā quærendi Deum, vt illum inueniamus; ita nunc eis, qui illū inuenerūt per charitatē & gratiā, perfectā præscribamus formam in virtutibus proficiēdi, quæ in his verbis spōsæ insinuatur, quorū intelligētiam deducemus ex aliis Psalmistæ sine metaphoris hūc profectū edocētis, cùm ait: *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit*

Psal. 83. v. 6.

Tract.4.c. 13. *legislator: ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Et quamuis hunc locum fusè satis explicuerimus in libro Ducis Spiritualis; nunc tamen alia subtiliora, & non minus proficua superaddemus. Tradunt enim verba ista omnes huius progressus causas, quas Philosophi vocant finem, efficientem, formam, & subiectum; insuper locum & tempus, ac crescendi modum: & præterea non sine mysterio bis eadem ferè sententias repetit; nam quod dixerat, *Beatus vir cuius est auxilium abs te*, confirmat dicens: *Etenim benedictionem dabit legislator*: Quod verò ait, *ascensiones in corde suo disposuit*, explicat ampliùs, cùm asserit, *ibunt de virtute in virtutem*; vltimum denique *in loco quem posuit*, seu ad locum quem destinauit, explanauit, cùm dixit, *videbitur Deus Deorum in Sion.* Sed vlteriùs in hac bina repetitione duos cognosco profectus; priorem, qui spectat ad vitam actiuam, qua virtutes ad propriam perfectionem & abnegationem spectantes, in hac lachrymarum valle iugiter increscunt. Posteriorem verò, qui ad vitam pertinet contemplatiuam, cuius est vacare, vt videat Deum Deorum in Sion. iam singula breuiter percurramus.

Deum esse finem, & principium efficiens nostri profectus. §. 1.

Apoc.1.v.8. ILlud in primis ponderandum est, *Deum qui* A *& Ω principium & finis* est omnium creaturarum, vtramque rationem causæ exercere in nostro profectu. Tradunt Philosophi finem esse primum in intentione operantis, vltimum verò in executione, quoniam intentio & amor finis præcogniti vehementer mouet ad præstanda media
1. per quæ ille est obtinendus: & quia noster finis beatitudo, quæ in Dei contemplatione seu visione consistit, ideo Dauid ab hac, & per hanc suam inchoat & concludit exhortationem; inchoat dicendo, *Beatus vir*, quia reuera beatus est in spe, qui ita progreditur, & beatitudinem per efficacia media exquirit; quam consequetur, quia in fine progressus, *videbitur* (subaudi ab illo) *Deus Deorum in Sion*, id est, supremus & maximus Deus, ac Deus beatorum, qui nomine Deorum intelliguntur, quia per Dei visionem ita deificantur & assimilantur Deo, vt Dij vocari possint iuxta illud. *Si-*
1.Ioan.3. v.1. *miles enim ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.*
Psal.81.v.6. Et *ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes.* quod maximè in beatos quadrat. Si igitur strenuè proficere desideras, hunc tibi finem præ oculis constitue, qui valdè stimulabit, vt ad illum præclare consequendũ meliora semper charismata æmuleris; propter quod scriptura exhortans nos ad progrediendum, sæpè adiungit ipsius progressus præmium
Eccles.18. v.22. D sicut Ecclesiasticus cùm diceret: *Non verearis vsque ad mortem iustificari*, addit, *quoniam merces Dei manet in æternum.* Et Christus Dominus cum dixisset: *Qui sanctus est sanctificetur adhuc*, subiungit,
Apoc.22. v.11. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua*, perpende autem vocem illam citò, ne putes præmium longiùs differendum; ne segnior fias: nam si prope est tempus remunerationis, celer debet esse ipse profectus, vt
Hoc ex D. Ambrosio in Psal. 118. Serm.14. vers.5. cuius verba infrà ponentur. copiosior sit remuneratio. Tandem etsi nunc ascensiones disponas in valle lachrymarum, eleua mentis oculos ad locum, quò tendis, qui est paradisus deliciarũ, ad quem in fine ascẽdes è deserto, *delicijs affluens*: Omnes enim lachrymæ & labores progrediendi in hac vita, conuertuntur per hunc ascensum in cælestes delicias, quæ ascendentẽ co-

A mitantur, quarum contemplatio suauem reddit profectus laborem; *contemplantibus nobis*, sicut dixit Apostolus, *non quæ videntur, & temporalia sunt,* 2.Cor.4. v.18. *sed quæ non videntur, & sunt æterna.*

Sed quoniam finis iste valde sublimis est, & 2. progressus ad illũ adipiscendũ nimiũ est arduus, & difficilis, vires autem naturæ humanę omnino debiles, & tanto negotio impares; ipsemet Deus, qui est finis noster, simul est principium efficiens, præstans auxilia, per quæ progrediamur, & ascendamus, perueniamusque vsque ad illum, & ideo præmisit Dauid, *Beatus vir cuius est auxilium abs te*, quoniã sine tuo auxilio nihil efficiet, nec erit beatus, sed miser, nõ ascendet in sublime. sed descendet in abyssum: *Nam perditio tua, Israel tantummodò* Osee. 13. v. *in me auxilium tuum*; peribimus enim, nisi citò an- 19. ticipet nos misericordia Dei, & præueniat nos in bene dictionibus dulcedinis, vt legem eius obser-
B uare, & ad montem Domini ascendere valeamus, & ideo iterum subdit, *etenim benedictionem dabit legislator*, id est, qui præcipit ascendere, largietur benedictionem, virtutem & fortitudinem, vt ascendamus, qua sublata statim corruemus.

Hoc clariùs denotat verbum illud, *quis est ista quæ ascẽdit de deserto, innixa super dilectum suum?* non enim ascenderat, nisi dilecto, & eius virtuti ac auxilio niteretur: ipse vehit illam, & deducit; ipse tenet ascendẽtem, ne cadat, impellit, & auxiliatur, vt ascendat, sed quæ ascendit innixa Deo, simul ascẽdit de deserto, & per desertum, id est, per omnimodam desertionẽ sui, & omniũ hominũ, qua homines, & omnium etiam angelorum, qua creaturæ sunt; quia nec super se, neque super vllam creaturam potest inuiti, sed omnes debet deserere Plura loca scripturæ adducta sunt suprà ad hoc probandum. & pertransire, à soloque Deo auxilium sperare; nec enim brachium proprium vel alicuius creatu- C ræ saluare nos poterit, nec in eo fidere tutũ est, sed in solo brachio Dei, à quo est salus, & à quo ministri eius virtutem recipiunt, vt nos ad ascendendũ adiuuent, & ideo soli Deo tribuẽda est gloria, nã, vt inquit D. Bernardus, super dilectum nitimur, cùm Deo ascribimus quidquid boni operamur. In libro sentent. §. de valle ploratio-nis. 3.

Hinc igitur duo effugere oportet extrema vitiosa, quæ profectum valde impediunt, nimirũ præsumptionis, & pusillanimitatis. Nullus enim ascẽdere poterit, qui de propriis viribus nimis præsumit, quasi auxilio non indigeat alieno; vel qui earum imbecillitatem cõsiderans animum desponDet, nec de diuino auxilo vt par est confidit: ille repelletur à Deo ob suam inflatam præsumptionem; hic se ipsum deprimit, nec inchoare audet, quia nec proprias vires, nec alienas agnoscit, sed mẽtitur pusillanimitas sibi, nam propria infirmitas, licèt gignat diffidẽtiam sui, potiùs augere debet confidentiam Dei, cuius virtus ostenditur in-
firmis auxilium præstando, quò valentiores sint: 2.Cor.12. ideoque dicebat Apostolus: *Cùm infirmor, tunc po-* v.9. *tens sum & libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*, nam per agnitionem propriæ infirmitatis fit anima capax virtutis Christi: qui sicut superbis resistit, ita humilibus dat gratiam. Confide ergo in Domino, & mutabis fortitudinem, assumes pennas sicut aquilæ, volabis, & ascendes vsque in cælũ, atque ibi pones nidum tuum. Cuncta enim hæc promisit nobis Sal- Isai.40. v.31. uator, cùm dixit, *Ego veni vt vitã habeant, & abun-* Ioan.10. *dantiùs habeant*, id est, ego Deus omnipotẽs ad hoc v.10. veni in mundum, vt mea virtute & auxilio, homines vitã gratiæ obtineãt, & abundãtiùs in ea proficiant, & tandem vitam consequantur æternam.

Honestas

Honestas ascensiones fieri in corde: vanas & noxas extra cor. §. 2.

FRetus igitur diuino auxilio disponere satage *ascensiones in corde tuo*, id est, non fictè, vel remissè, aut temerè, sed verè feruenter, & prudenter ac ex toto cordis affectu, & intra ipsum cor, per verosac solidos actus studiosos, qui cordi ipsi virtutes infigant, & scribant eas in tabulis cordis
Prou.3.v.3. & c.7.v.5. tui, easque augeant, & perficiant, ita quòd boni actus externi ab internis progrediantur, vt profectus simul sit coram Deo, qui intuetur cor, & coram hominibus, qui vident ea, quæ parent, vt tuis exemplis proficiant, sicut de Christo Domino le-
Luc.2.v.52. gitur; *Proficiebat sapientia, ætate, & gratia apud Deum & homines.* Si autem opera sint merè externa sicut hypocritarum, quantumuis appareant honesta, non verum efficient profectum, nec augmentum virtutis in corde proprio, sed vt plurimùm in
B alieno; hoc est, in opinione hominum, apud quos pluris aliquando æstimantur, cum tamẽ contemnantur à Deo, cui nihil fictum & futurum placere potest.

2. Vnde sciens Dauid omnes homines ascensionis cupidos esse, explicans de quibus ascensionibus loquatur, inquit, *ibunt de virtute in virtutem.* Etenim peccatores etiam ascendunt. *Nam superbia*
Psal.73.v. 23. *eorum, qui te oderunt ascendit semper, & mali homines,*
2. ad Timoth.3.v.13. *& seductores proficient in peius.* Huiusmodi autem ibunt, & errore in errorem, & de peccato in peccatum, sicut elati eunt de vanitate in vanitatem, carnales de voluptate in voluptatem, cupidi de lucro in lucrum; sed horum profectus noxij sunt, atque execrabiles: & licet videatur ascensus, non sunt, nisi descẽsus, vt in eos quadrare possit, quod
Psal.72.v. 18.& Psal. 106.v.29. ait Psaltes: *Deiecisti eos, dum alleuarentur*: & rursus, *ascendunt vsque ad cælos, descendunt vsque ad abyssos,* C *anima eorum in malis tabescebat.* Nam quantò plùs ascendunt per elationem superbiæ, & incrementum malitiæ, tãtò plùs in gehennam descendunt; & anima, quæ videbatur pinguis in bonis tabescit in malis. Alij autem ascensiones disponunt non in intimo corde, abeuntes tantùm in ea, quæ splendida sunt coram hominibus: sicut literati eunt de scientia in scientiam, artifices de arte in artem; magnates de potestate in potestatem, & Ecclesiastici de dignitate in dignitatem, cupientes ascendere, vt D. Bernardus ait, in hos montes,
Serm. 4. de ascens. semper tendentes in sublimiores, qui si propter se ipsos tantùm appetantur, & non propter Deum, nec ex studio virtutis, inanes sunt, & vani: nam
1 Cor.8.v.1 *scientia inflat, charitas ædificat*; & profectus in sola scientia, aut potestate, vel dignitate, si charitate sit destitutus, inflationis est, non virtutis: cum per D illud non sanctimoniæ augmentum quæratur, sed curiositatis, aut honoris.

2. Solùm ergò iustè, qui charitatem Dei sectantur, ascensiones veras disponunt in corde suo per quas ibunt de virtute in virtutem, de fortitudine in fortitudinem, de misericordia in misericordiã, de vno gradu virtutis in alium sublimiorem, & de vno genere virtutis in aliud diuersum, & præcellentius, iuxta illud Pauli, *in omni opere bono fru-*
ad Col.1.v. 10. *ctificantes, & crescentes in scientia Dei in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius, in omni*
2. Cor.3.v. 18. *patientia & longanimitate, &c.* Et rursus: *Gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem tamquam à Domini spiritu*, claritatem vocat Dei cognitionem, fidem, charitatem, & virtutis splendorem, & ex vna in aliam ascendentes in diuinam imaginem per exi-

A miam similitudinem transformamur; & tunc videbunt Deum Deorum in sublimi Sion, gloriam eius speculantes, nunc per contemplationem, postea per claram Dei visionem.

Et hoc indicat quod subditur, *In loco quem po-* 3. *suit*; cuius duplex est sensus. Prior iuxta vocem Græcam, vt ascensiones disponat in locum, quem Deus illi præscripsit, velut D. Augustinus legit, Hunc se-quitur Ia-nsenius in hunc Psal. *in locum quem disposuit.* Subdit autem non nomina-ri, quis sit iste locus, quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Videmus nunc per speculum in ænigmate, quis sit ille locus, tunc videbimus facie ad faciem: quis explicet, ipse nouit qui disposuit, quò te ducat, lo-
Psal.23.v.3. cus igitur iste est, de quo dicitur: *Quis ascendit in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* Mons gloriæ, locus beatorum, cælestis Sion, vbi Deus Deorum videndus est à sanctis, qui termi-
B nus est omnis veri ascensus: nam qui ad hunc locum non dirigitur, miser est descensus, & nisi reformetur, penitus reiiciendus? sed quoniam locus iste vltimus est omnium, infrà quem alius est in hac lachrymarum valle, de hoc dicitur, *in loco quem posuit*, id est in loco à Deo omnibus ad ascendendum præstituto, qui est Ecclesia Catholica, extra quam nullus est ascensus in cælum, sed descensus in infernum: & præterea in loco peculiari, seu statu, quem Deus vnicuique præfixit, vel ipse ex Dei ordinatione, & inspiratione sibi prælegit, siue sit status matrimonii, siue virginitatis, religionis vel sacerdotij, siue quiuis alius infimus, vel sublimis; ille enim erit tibi aptus vt ascendas, reliqui verò, qui à Diabolo designantur, non sunt nisi vt descendas, & te præcipites: Tẽta enim homines sicut Christum Dominum, vel ducendo, &
C statuendo suprà pinnaculum templi, dicens: *Mitte* Matth.4. *te deorsum*, vel assumendo in montẽ excelsum val- v.5. de, vnde omnis mundi gloria conspiciatur, inquiens: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me:* en vbi ascensum tibi proponit, eo animo, vt præcipiteris deorsum, cadasque in terram, & tandem in infernum.

At locus à Deo præfixus, à lapsu & descensu 4. isto præseruat, & in verum ascensum excitat & iuuat, sed aduertere oportet locum istum non esse in valle deliciarum, sed lachrymarum, nam *beati* Matth.5. *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: & væ vobis, qui* v.5. Luc. 6.v.25 *nunc ridetis, quia flebitis.* Omnes enim ascensus ac De dono & fonte la-chrymarũ. profectus nostri in valle lachymarum fiunt, quia per lachrymas purgantur peccata, & auferuntur ascendendi impedimenta; sunt enim velut exitus aquarum ad irrigandum virgulta & plantas virtutum, vt crescant & copiosiores ferant fructus, quia, nisi rigentur, non solùm non ascendent, sed marcescent, & arefient: fauet D. Hieronymi ver-
D sio: *Transeuntes in vallem fletus, fontem ponent eam*, quoniã ex Dei gratia fontes lachrymarũ excauare satagunt, quibus vallis hæc fontibus scaturiẽs fertilis valde fiat, & cor hominis illis irrigatũ ascensiones crebras & copiosas disponat, ac exequatur. quidam verbum *ponent* vel *posuerunt* ad Deũ refe- Genebrar-dus ibi. runt, mysteriũ diuinæ Trinitatis ibi agnoscentes: nam hac de causa Scriptura aliquoties numero plurali vtitur, cùm de Deo loquitur iuxta phrasim hebræam, quomodo apud Isaiam legitur, *Do-*
Isai.54.v.5. Vulgata legit do-minabitur. *minabuntur tui, qui fecerunt te, Dominus exercituum nomen eius*, tres ergò diuinæ personæ, ponunt fontem in hac valle, infundentes viris iustis lachrymarum donum, varias communicantes pias considerationes, quæ illas excitent. Alij *verterunt*

Refert Genebrardus. Ita Vatablus refert.

in valle ſticuloſa, ſeu aqua carente: alij *in valle morientium arborum*: pro terra arida, quia mori in aridis oriuntur, nam terram aridam Deus facit fontibus abundantem, quo ſignificatur myſticè, terram humani cordis, quæ ex ſe ſicca eſt, inaquoſa, & ſterilis, à Deo irrigari per fontes lachrymarum, vt in ea progredientur, qui aſcenſiones diſponunt; ac ſi petiiſſent, & obtinuiſſent à Deo quod Axa impetrauit à patre ſuo Caleb, cui dixit, *Da mihi benedictionem, terram auſtralem, & arentem dediſti mihi, unge & irriguam: dedit itaque ei Caleb, irriguum ſuperius & inferius*, id eſt, vt D. Gregorius moraliſat lachrymas, quæ ex conſideratione & amore rerum ſupernarum & cæleſtium, & etiam ex timore rerũ infernarum & ſuppliciorum progrediantur. Beatus igitur vir, cui tu Domine auxiliaris, vt aſcenſiones in corde ſuo, & ex vero corde diſponat in hac valle lachrymarum, tendens in locum à te illi præfixum; nam licèt tendat gemens & plorans, perueniet gaudens, & exultans iuxta illud: *Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua; venientes autẽ venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.*

Ioſue 15. v. 19. Iudicum 1. v. 15. Lib. 3. dialog. 34. De hoc plura infrà in id oculi *tui ſicut piſcinæ in Eſebon*. lib. 9. exhort. 14. Pſal. 125. v. 5.

A

Multiplices eſſe honeſtas aſcenſiones in corde. §. 4.

TAndem non ſine cauſa Dauid non ait iuſtum diſpoſuiſſe aſcenſionem, ſed *aſcenſiones in corde*, nam plures ex diuino auxilio diſponit, & peragit, quas virili animo proponit; ideoque beatus vir dicitur, nõ excludens feminas, ſed fortitudinem animi commendans. Has autem aſcenſiones redigere poſſumus ad tres commemoratas in hoc Cantico 1 nam primò anima diſponit aſcendere per deſertum tamquam virgula fumi ex aromatibus incenſis efflati, deinde tamquã aurora cõſurgens, pulchra vt luna & electa, vt ſol; ac tertiò, è deſerto deliciis affluẽs, innixa ſuper dilectũ ſuum, ita vt aſcendere curet in omni genere virtutum, ſiue quæ ad propriam ſpectant abnegationem, & perfectionem, ſiue quæ ad Dei cultum; aut quæ ad proximorum vtilitatem temporalem, vel ſpiritualem, ſiue ad vniuerſalis Eccleſiæ defenſionem ac ædificationem, tantoque ſpiritus feruore in his aſcenſionibus debet progredi, vt etiam ipſis angelis ſponſi ſodalibus admirationem incutiat, vt præ ſtupore dicant: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit?* aut *quæ eſt iſta quæ progreditur?* Stupendus enim eſt aſcenſus iſte, omni admiratione dignus, ſi ea monita obſeruentur, quæ mox trademus, in quo non tam penſanda eſt diuturnitas temporis, quàm feruor ſpiritus, ex quo maximè meritur Deus gradus meriti & aſcenſionis. Nonne qui vocati ſunt ad vineã hora vndecima, adeò ſtrenuè laborarunt, vt labor vnius horæ exæquauerit laborem aliorum, qui per duodecim horas portarunt pondus diei & æſtus? Quantùm putas increuiſſet meritum, & præmium, ſi duodecim horis laborauſſent eo feruore, quo vna: ſed perpendendum eſt valdè, tempus inchoati laboris in iis operariis fuiſſe inæquale; nam quidam cœperunt manè, alij hora tertia, vel ſexta, aut nona, vel vndecima. Ceterum tempus finiendi laborem idem fuit apud omnes, nimirum nox ipſa; *Cùm ſero* (inquit) *factum eſſet, ait Dominus vineæ procuratori ſuo, voca operarios & redde illis mercedem ſuam incipiens à nouiſſimis*: Si aliquis autem eorum faſtidio affectus, ante illud tempus receſſiſſet, denarium non reciperet, quia licèt impares ſint fideles in ſui profectus inchoatione, & quidem priùs quàm alij diuinæ vocationi obſequantur; at omnes perſeuerare debent in ſuo proficiendi ſtudio vſque ad mortem; *Nam qui perſeuerauerit vſque in finem ſaluus erit*. Et ideo Eccleſiaſticus ſuprà citatus dixit: *Ne verearis iuſtificari vſque ad mortem, quoniam merces Domini* (ſubaudi, quæ datur perſeuerantibus in iuſtitia vſque ad mortem, & non aliis;) *manet in æternum*. Nam pro momentaneo labore æternam largietur remunerationem, & hoc intendit Pſalmiſta, cùm ait diſponẽdas eſſe aſcenſiones *in valle lachrymarum, in loco quem poſuit*, id eſt, quamdiu vixerimus in hoc mundo, donec perueniamus ad locum nobis præſignatum, nam fruſtrà laboraret aſcendendo, qui antequã perueniat, in medio itinere vlteriùs progredi renuit.

Matth. 24. v. 13. Eccleſ. 18. v. 22.

Præterea, cùm multiplices ſint iſtæ aſcenſiones, oportet vnam explere, vt trãſeamus ad aliam, donec percurramus omnes, & cirò peruenire ad verticem viæ purgatiuæ, vt aſcendamus in culmen illuminatiuæ vel vnitiuæ: celeriterque aſcendere in perfectionem propriam, vt aſcẽdamus ad procurandam alienam, animarum lucris inhiantes, & cùm tempus aſcendendi breue ſit & incertũ, longaque ſit via vſque ad montem Dei Oreb, oportet inſtanter & celeriter quotidie aſcendere, vt illuc valeamus peruenire.

2.

Denique Pſalmiſta, dum bis modum aſcendendi tradit, innuit etiam duplex nobis præfigendũ eſſe tempus ad aſcenſum, vnum in quo diſponamus & ordinemus aſcenſus faciendos, alterum quo illos opere exequamur. Primùm eſt tempus orationi & contemplationi deputatum: in quo anima magno ſpiritus feruore cõcepto diſponit, & ordinat in corde ſuo aſcenſiones, quas interdiu facere concupiſcit; quamuis etiam in ipſa oratione ac contemplatione variis virtutum actibus internis aſcendat, & creſcat: Peracta verò oratione ſuccedit reliquum tempus aſcendendi, & eundi de virtute in virtutem, obediendo diuinis præceptis & conſiliis, per benedictionem, quam tribuit legiſlator, & de vtroque tempore intelligi poſſunt huiuſmodi admirationes; *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum, vel è deſerto?* Quia vtraque facta dicitur, cùm narratur ſponſam myſticum dormiiſſe contemplationis ſomnum. Nec enim contraria ſunt ſoporari, & aſcendere, nã illud fit cum anima ab exterioribus curis, deſideriiſque carnalibus & prophanis cogitationibus, quarũ poteſt, ſe alienat, & erga illa quaſi dormiens ſe gerit; hoc verò, cùm bonarum cogitationum, & affectuum profectibus ad Dei viſionem appropinquat, vt de poſteà aliis bonis operibus ampliùs appropriare ſtudeat. quæ omnia in ſequentibus exhortationibus vberiùs explanabuntur, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt lumen noſtrum, & Deus benedictus in ſæcula. Amen.

3.

Feruor proficiẽdi.

Matth. 20. v. 1.

Matth. 20. v. 18.

B

C

D

EXHORTATIO XVI.

De aſcenſu per deſertionem rerum terrenarum, ac ſui ipſius, qui ab igne charitatis maximè progreditur, & per humilitatem roboratur, à qua profectus inchoandus eſt.

Pro Enãgelio in feſto vnius martyris Pontificis *ſiquis venit ad me, &c. vel ſi quis vult venire.*

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi.

Connexio literæ.

POſtquam ſponſa inuenit dilectum, & requiẽ in illo per dulcẽ contẽplationis ſomnũ, à quo noluit eã excitari donec ipſa vellet; voluit quidẽ, quando oportuit, & mox ac euigilauit, exiit in rus cum ſponſo

ſponſo comitantibus eius ſodalibus; qui videntes ſponſæ proceram ſtaturam & ſuauem veſtimentorum fragrantiam, ac modum incedendi gracilem iucundum, & modeſtum, præ admiratione dicũt; *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, &c.* Quamuis etiam ipſi ſponſo hæc interrogatio aſcribi poſſit, vt ſub hac phraſi ſpõſæ pulchritudinem commendet. Hæc de literæ connexione, ſpiritum inquiramus, quia ſub pulchris metaphoris, quę diximus de profectu ſpirituali, & alia plurima eleganter proponit. Hoc tamen in ipſa connexione perpendendum eſt, non decere, eum qui Deum quæſuit, & inuenit, iã ampliùs ſedere tamquam otioſum, nihil operando; aut ſtare in eodem gradu virtutis ex ignauia ſemper manendo; nec remiſsè, & pedetentim ambulare per terram, ei inhærendo; ſed potiùs aſcendere, & tendere ſurſum, vt corde, cogitatione, affectu & opere ipſo, quæ ſurſum ſunt appetat, & ſe ad illa quærenda ſtimulet: vt quid enim ait; *Tenui eum nec dimittam*, niſi vt ipſa ſupra dilectum quem tenuit, innixa aſcendat ad ea quæ ſupra ipſa ſunt, ad ſublimioraque ipſius ſponſi obtinenda bona? ſed iam locum, per quem aſcendit, & quem deſerit perpendamus.

A

Quàm mirum ſit degentem inter malos aſcendere ſurſum, & proficere. §. 1.

1.

Lib. 1. erudit. Theolog. c. 110.

QVÆ *eſt iſta* (inquit) *quæ aſcendit per deſertum?* Poteſt deſertum in malum & in bonum vſurpari: nam iure optimo mundus iſte, qui totus in maligno poſitus eſt, deſertum vocatur. Primò quidem, vt dicit Hugo de ſancto Victore, ob copiam malorum, & inopiam bonorum, quod ſic ampliùs explicatur: deſertum non eſt habitatio hominum, ſed ferarum; mali autem inter feras computantur, quibus repletus eſt mundus, vt

Iſai 34. v. 13.

Iſaias teſtatur dicens: *Erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum, & occurrent dæmonia onocentauris, & piloſus clamabit alter ad alterum, &c.* Quid ergò magis nouum eſt & ſtupendum, quàm anima per hoc tranſire deſertum, & aſcendere de virtute in virtutem abſque eo quòd lædatur vel impediatur à malis? mirum valde eſt, quòd lilium creſcat inter ſpinas, nec ſuffocetur ab illis: & quòd iuſtus velut alter Iob

Iob 30. v. 29.

frater ſit draconum; & ſocius ſtruthionum, & tamen quòd vitam ducat angelicam, & inſtar Angeli alta petat: profectò ipſe mundus miratur, mundanique ſtupore quodam capti dicunt: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum?* Nam (vt inquit D. Petrus) *admirantur, non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confuſionem*. Et rectè quidem admirantur, quia illi iacent in terra, per carnis illecebras repentes, ab iræ & ambitionis paſſionibus victi, tamquam ſerui, & vilia mundi mancipia: at vos aſcenditis ſuper hæc vitia tamquam liberi, & Domini, de illis glorioſam victoriam reportantes: illi per carnales voluptates, & mundana deſideria transformantur in beſtias, & feras, & ſunt velut leones & dracones; at vos eleuamini ſuper illos tamquam homines rationis participes

1. Petri 4. v. 4.

Pſal. 90. v. 13.

has beſtias demolientes, ſicut ſcriptum eſt: *Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Vnde & ipſe cæleſtis ſponſus etiam de hoc aſcenſu admiratur, & ſponſam vocat ad coronam, quam promerita eſt per hanc victoriam, cùm inquit; *Veni de libano, veni coronaberis, &c. De cubilibus leonum, & de montibus pardorum.* Aſcendiſti enim ſuper hos montes conculcãs eos, & leones ac pardos, qui morabantur in illis.

Cant. 4. v. 8

B

C

D

Amplificat hoc Richardus nouas rationes addens quare mundus deſertum vocetur, ſic dicens; huius mundi amatores deſertum ſunt, quia deſeruntur à Deo, & Deum deſerunt, dum factis ei dicunt; *Recede à nobis; ſcientiam viarum tuarum nolumus*. Ideo deſeruntur ab eo, & relinquuntur domus eorum deſertæ, vt habitatorem in ſe non habeant Deum; per hos aſcendit ſponſa, quia cum eis conuerſans corpore, mente eos trãſcendit ſuperna appetens, & eorum delectationes infimas reſpuens inter carnales commoratur, ſed eorum peruerſos mores, & vitam non imitatur; & ita ſaluatur à generatione iſta praua, cùm ab ea ſeparatur, & tranſit atque tranſcendit ad generationem quærentium Deum. Iure ergo mirantur cælicolæ inter tot deſertores Dei, animam non eum deſerere, ſed pertrãſeuntem illos, celeriùs ad Deum aſcendere, vt illi inhæreat, & ſuper eum nitatur. Deſertus (inquit D. Ambroſius) hic terræ locus eſt incultus, ſentibus, & ſpinis noſtrorum obſitus delictorum, miranturque quomodo anima, quæ antea in inferno derelinquebatur, inhæreat Dei verbo, *& aſcendat ſicut vitis propago* in ſuperiora ſe ſubrigens, velut fumus natus ex igne alta petens, tunc prætereà bonis operibus fragret. Hæc ille propriam ſequens verſionem.

1.

"Expoſ. in "Cant. in "cap. 9.

"Iob 21. "v. 14.

Lib. de Iſaac cap.

"Loco ſi- "cut vir- "gulæ le- "gis ſicut "vitis pro- pago.

Aſcenſum maximè fieri per deſertionem mundi, ac ſui ipſius. §. 2.

HInc oritur alia huius deſerti interpretatio, quæ præcedentem ampliùs illuſtrat, vſurpando illud in bonum, non pro mundo, ſed pro ipſius mundi, & cunctorum, quæ in eo ſunt, deſertione, vnde inchoatur ſpiritualis profectus; ideoque anima per deſertum dicitur aſcendere, quia aſcendit deſerendo cuncta, quæ ſunt in terra illi noxia, onoroſa, & aſcenſus obſtacula. Hi nimirum (ait D. Gregorius) per deſertum aſcendunt, qui dum omnia viſibilia faſtidiunt, mentem in cæleſtia erigunt, & quia in infimis nihil quod eis dulceſcat conſpiciunt, totum cor ad ſuperna amanda conuertunt, ab omnibus malis moribus ſe exuunt, ſenſum mundi cùm cupiditatibus contemnunt, ſpe ad inuiſibilia tendunt; & quia in hoc mundo inter tentationes viuunt, quò ampliùs, dum hic morantur, deſeri metuunt, eò quidem fortiùs iſta deſerunt, & feruentiùs ad illa graduntur; in quibus cùm fuerint, nihil ampliùs, quod eos amoueat, timebunt. Hæc carptim ex D. Gregorio; cui concinnit Beda affirmans aſcendere per deſertum, eſſe aſcendere per bonam conuerſationem à mundi illecebris ſeparatam, diuinæ legi ſcrutandæ, & cæleſtium præceptorum obſeruationi deditam, & his conſonat, quod D. Gregorius Nicænus aſſerit, deſertum eſſe ipſam animæ continentiam, per quam caro, carnaliaque omnia deſeruntur.

"In Cant. "3.

Hom. 6. in Cant.

2.

Iſte autem aſcenſus per deſertum eſt, quem Chriſtus Dominus ſæpius nobis commendat, cùm ait ſe veniſſe ad mittendam ſeparationem; & quòd oporteat deſerere patrem & matrem, fratres, & domeſticos, & cuncta quæ poſſidemus, vel affectu ſimul & effectu, ſicut deſerunt religioſi, aut ſaltem affectu, ſicut reliqui iuſti, iuxta illud: *Qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et quia non tam nocent res externæ, quàm inordinatæ earum affectiones, iſtæ potiùs ſunt deſerendæ, & à corde omnino euellendæ, quod Chriſtus Dominus vocat odio

Lucæ 12. v. 5. Matth. 10. v. 34. Lucæ 14. v. 33.

habere illa, sed quod laboriosius est, oportet etiam seipsum deserere iuxta illud, *qui vult venire post me, abneget semetipsum:* id est deserat inordinatum sui amorem, propriam voluntatem, ac iudicium, & quod adhuc difficilius est, etiam inutiles, & vanas cogitationes, ita vt ea maneat tamquam desertum, in quo nihil huius sæculi resideat. Desertum, inquit Hugo de sancto Victore, est cor bonum & perfectum, quod longè est à strepitu, & tumultu, & non conculcatur frequentia terrenarum cogitationum, sed virens permanet, & germina virtutum producit.

Matth. 16. v. 24.

Lib. 1. eruditi. Theolog. c. 110.

3. Maior autem difficultas ascendendi in hac re desertione consistit, quoniam impossibile est animam sursum ascendere, si onusta sit rebus terrenis, & carnalibus affectionibus, quæ illam vehementer detinent, & deorsum semper impellunt; quibus tamen per mortificationem & desertionem ablatis facilè ad supernа ascendit: nam, vt inquit D. Augustinus, si vnusquisque nostrûm subigere passiones sibi studeat, ac super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construit, quo possit ad superiora conscendere, eleuabunt nos, si fuerint infra nos: de vitiis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. Conculcatio ergo vitiorum est incrementum virtutum, & passionum subiectio, acabnegatio, cordis est subleuatio & in sublimia erectio; quod Cassianus hac explicat similitudine: quemadmodum pennula, si luto sit linita, terræ inhæret; at si lutum auferatur, quolibet vento facilè in altum sustollitur; sic anima, dum per amorem rebus terrenis inhæret, summo cum labore ascendit in cælestia, cùm autem viriliter illa deserit, suauiter ascendit: & ideo admiratio ista ex eo nascitur, quòd anima ascendat per desertum tot delectabilia bona atque seipsam deserendo. quid enim hoc mirabilius, si humanam attendas fragilitatem, & propensionem, quâ habet ad seipsam, & ad bona sibi vtilia honorifica, & iucunda? sed quid quòd ista deserat, vt ascendat ad vnum summũ bonum, quod eminentissimè continet omnia bona? quid quòd deserat se, si ascendendo inuenit se in ipso Deo, vbi melius est quàm in se? quid quòd deserat creaturarum fulcimenta, quam ipse Deus fulcit, cùm ascendit innixa super dilectum suum?

Serm. 171. de temp. ad finem.

Collat. 9. c. 3. simile.

4. Denique velis nolis, si sponte hæc modò non deseris, illa te deserent, aut deserere illa compellêris, nam vt benè notat Richardus, desertum hic mundus vocatur, vel quia deseritur & contemnitur, vel quia seipsum deserit, & in se deficit, quotidie enim cum tempore gaudia temporis transeunt; & quot dies aliquis accipit ad viuendum, tot ei amputantur viuendo, & gaudendo: & qui gaudio transitorio fruitur, non tam gaudere dicendus est, quàm gaudium deserere, quia gaudium eius transit, & deperit cum tempore, sicut scriptum est; *Gaudium hypocritæ instar puncti.* Vnde, si perfectè illud deseris ad supernum aspiras gaudium, per desertum ascendes abundantiori repletus gaudio, nimirum spiritualibus *delicijs affluens*, quæ replent animam carnalibus vacuam; nam, vt docet D. Gregorius explicans illud Iobi: *Aut poterit in omnipotente delectari?* Esse sine delectatione anima numquam potest, nam aut infimis delectatur, aut summis; & quantò altiori studio exercetur ad summa, tantò maiori fastidio torpescit ad infima; quantóque acriore cura inardescit ad infima, tantò damnabili frigescit à summis; vtraque enim simul, & æqualiter amari non possunt. Meritò ergò dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit è deserto deliciis affluens?* nam, quia terrenas deseruit delicias, ascendit abundans cælestibus; dum enim illæ deseruntur, hæ obtinentur: imò multoties gratis à Deo conceduntur, vt illæ faciliùs deserantur, & ascensus sit suauior, quia pia anima (ait idem sanctus) nisi verborum Dei deliciis affluret, de deserto vitæ præsentis ascendere ad superiora non posset, sed aliud est ascendere per desertum, aliud è deserto. Primùm animæ statum indicat adhuc militantis, & deserentis ea quę mundi sunt, quasi luctantis contra illa, & contra proprias propensiones, vt funditus eas deserat; secundum verò ei competit, qui perfectam sui abnegationem, omniúmque desertionem iam obtinuit, cui adiungitur deliciarum affluentia, nam priùs deliciæ spirituales quasi guttatim degustantur, posteà verò affluenter recipiuntur.

Lib. 16. Moral. c. 9. Quo differant ascendere per desertum, & de deserto.

Ignem amoris efficere ascensum per desertum, sed suauem, velocem, rectum & fortem. §. 3.

1. SED hæc, quæ de deserto diximus, elegantiùs confirmat subiuncta similitudo; *Sicut virgula fumi ex aromatibus, &c.* Id est, ad modum, quo sursum ascendit fumus aromatum, quorum grana etiam contrita grauia sunt, deorsum tendunt, & parum redolent; at cùm in ignem proijciuntur, virtute illius separantur partes subtiliores à terrestribus, & istæ consumuntur ab igne, illæ verò ad modum exhalationum, quas fumum vocamus, sursum tendunt, & miram fragrantiam emittunt. Attenuatur ergo aroma vt ascendat, & exhalatio quasi fugiens à terrestri substantia, alta petit: ad hunc igitur modum ignis charitatis causa est spiritualis ascensionis, eius enim propensio instar ignis est sursum ascendere, & animam, cui inest, in sublimia attolere; atque ita perficere bona opera, vt augmentum virtutum promereantur, vel operentur. Quòd satis insinuat D. Paulus, cùm ait: *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus;* & infrà *secundùm operationem in mensuram vnius cuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate*, id est Christus Dominus per charitatem facit, vt corpus mysticum Ecclesię in suis membris per omnia, seu in omni genere virtutum crescat, & augeatur?

Ad Ephes. 4. v. 15.

2. Hic igitur charitatis ignis ex eo animam, & eius bonos actus ascendere facit sicut aromata, quia separat in illis pretiosum à vili, spirituale à terrestri, bonum à malo, vtile ab inutili, decens ab indecenti, & quidquid terrenum est, malum, aut imperfectum consumit; tunc verò anima ab illa grossitie denudata sursum tendit, & ascendit, incrementaque omnium virtutum operatur: maximamque spiritualem fragrantiam coram Deo emittit: Virgulę fumi (inquit Cassiodorus) comparatur sponsa quia anima Deum amans, gracilis est, & delicata, disciplinis Spiritus sancti attenuata, non habens grossitudinem carnalium desideriorum, sed subtilitatem cælestium.

In Cant. 3.

3. Hinc est, quòd sicut fumus aromatum non ascendit sursum violenter, sicut ascendunt grauia ab alio proiecta, sed spontaneè ex ingenita leuitate ab igne recepta, quæ propensa est ad ascendendum; ita etiam anima, quę diuini amoris igne flagrat, non vi ascendit, sed voluntariè; nam charitas propensionem imprimit ad ascendendum: resistit quidem aliquando caro; & inferiores

feriores appetitus, sed Dei amor vincit illos; & quamuis eis inferat vim, nam ideo regnum cælorum vim patitur; tamen spiritus igneo amore inflammatus magna cum suauitate ascendit: & sicut deficiente igne aromata in terra iacerent; ita, si abest charitas, nullus est spiritualis ascensus, dicente Apostolo; *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, scilicet ad merendum & ascendendum versus cælum & perfectionem.

1. Cor. 13. v. 3.

3. In c. 9. citato ad finẽ.

Præterea non virgæ fumi, sed virgulæ comparatur, vt designetur (inquit Richardus) velocitas ascendendi, quæ spontaneam sequitur voluntatem; nam, quæ sponte agimus, celeriter perficere curamus: Virgulæ, quę crescendo grossantur, non nimis in altum ducuntur; quæ tamen subtiliores sunt & minores, velociùs sursum ascendunt. Ascendamus ergo in modum virgulæ cùm non segnes fumus, sed alacres, & per feruorem mentis ad proficiendum veloces; quia si remissè quis sursum tendit, pondere corporis & humanæ imbecillitatis deprimitur: corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, quæ nisi perficiat, necesse est vt deficiat, & nisi ascendat, descendet: nam arcum frangit intensio, & animum remissio, de quo plura in 1. Tomo.

1.

4. Rursus virgulæ fumi ascensus indicat rectitudinem; quia directè tendit sursum, numquam reflectitur deorsum, nec in dextrum vel in sinistrum latus deuiat, sed versus sublime petit: Quod recta & simplex intentio præstat, per quam anima solùm ascendere satagit ad Deum, & ad cælestia consequenda, nihil terrenum intendens ab ipso Deo deuium, nec humana prosperitas, vel aduersitas ascensum eius distorquent: Virgula (inquit Hugo de sancto Victore) recta est, & gracilis, & in longum porrecta quia tantùm sursum ascendit recta esse debet: quia arcta est via, gracilis: & quia longa, porrecta, id est, extenuata, & nuda ab omnibus terrenis cum affectu perseuerandi in ascensu cum hac rectitudine vsquequò perueniat ad finem. Hanc rectitudinem insinuauit Dauid cum dixit: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, id est ad modum quo thus vel quodliber aliud aroma igni appositum, solet fumum sursum rectà mittere absque obstaculo.

1. Lib. eruditi. Theologicæ. c 110.

Psal. 140. v. 2.

5. Sed numquid fumus ascendens in altum à quolibet vento non dispergitur, & huc illucque mouetur, vt non rectà ascendat? Sed de hoc mirantur Angeli, quòd instar fumi odoratissimi ascendat anima ita à Deo præmunita & fulta, vt nullis tentationum ventis à suo rectò ascensu dimoueatur; quare non sine mysterio vox hæbrea *chgtimeroth*, ambigua est, & etiam palmam significat: Vnde vbi noster interpres vertit *virgula fumi*, & LXX. *truncus fumi incensus*, alii eam vocem interpretantur *sicut palma aut columna fumi*, dicitur autem palma similitudinariè propter rectitudinem, & proceritatem staturæ, sicut infrà dicitur: *Statura tua assimilata est palmæ.* Et etiam propter firmitatem & stabilitatem, quoniam nullis cedit ventorum ac procellarum impulsibus, nullis tentationibus, & persecutionibus deprimitur; sed potius ita ascendit, vt de omnibus palmam & victoriam reporter. O Magna Dei omnipotentis virtus, quę in fumo mobili palmæ & columnæ constituit firmitatem, vt sublimitas sit virtutis ipsius; & non ex nobis! quare meritò admiramur quòd ascensus sit sicut virgula & palma ac columna fumi: qui tamen ab igne charitatis procedat, & ideo fortis, & stabilis, quia fortis est vt mors dilectio, à qua nihil nos poterit separare.

Cant 7. v. 7.

Humilitatem summè conducere ad ascensum, & ab illa profectum inchoandum. §. 4.

1. SED vnde tam stupendus animæ ascensus, nisi à profunda eius humilitate? quam nomina hæc indicant *desertum, virgulæ, fumus, & puluis.* Quòd máius desertum quàm humilitas, quam omnes mundani deserunt, & ipsa cuncta deserit, quæ in mundo splendida reputantur? deinde non virgæ assimilatur, quia propriam ipsa cognoscit paruitatem, & paruula est in oculis suis, atque abiecta; si ad corpus respicias, puluerem se credit; sicut scriptum est: *Puluis es & in puluerem reuerteris*; Si ad animam etiam ex se mobilis est instar pulueris, quem projicit ventus à facie terræ & quid vilius & abiectius fumo? ater est, & atra reddit quæ tangit; sicut Baruch inquit: *Nigræ fiunt facies à fumo, qui in domo fit*; At anima ex se atra est, eiusque facies denigratur super carbones, & suæ nigredinis prauo exemplo denigrat inspicientes; fumus vt diximus leuis est, & à quolibet vento dispergitur vnde & facilè euanescit: at quid leuius, & mobilius anima suæ naturæ relictæ? quæ à qualibet tentationis procella euertitur, & omnis eius virtus euanescit: Nam & *vniuersa vanitas omnis homo viuens.* Cùm cernitur fumus, aliquid esse videtur, cùm manus apponitur & palpatur, nihil inuenitur: sic magnum quid apparet homo, sed substantia eius tamquam nihilum ante Deum. Vidi impium eleuatum, & ascendentem, sed sicut fumum, transiui, & ecce non erat, quæsiui & non est inuentus locus eius; Nam *inimici Domini, mox vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.* Fumus grauiter oculos offendit: *Nam sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his qui miserunt illum.* Sic & peccator fumus est inspicientibus in ipsum, quos suis peccatis offendit, & in scandalum pertrahit?

r. Ex D Bernardo in sententiis moralibus §. de concualle pœnitentiæ.

Psal. 36. v. 36.

Psal. 36. v. 20.

Hæc habet ex se homo, quæ dum perfectè considerat, ex verissima cognitione sui sibi ipsi vilescit, & virtutem humiliratis acquirit, & tunc fumus fit odoratissimus, & fragrantissimus, non ex natura fumi, sed ex gratia Christi, & virtute humilitatis illi superaddita. Nihil enim est in hac vita fragrantius quàm vera humilitas, quæ cum multa & grandia bona habeat, nihil sibi attribuit, honorari respuit, sed potius velut fumus & puluis apperit contemni & vilescieri: hæc humilitas ascensum solidum fundat, ad illum incitat, eum prouehit, & securum & firmum reddit, quia non super se nititur, sed super dilectum; & quidquid mundani oneris est, à se proijcit, vt expeditus animus sursum petat. Nullum enim onus grauius inuenitur quàm superbia, quæ ipsos Angelos è cælo detrusit in infernum, & eum qui dicebat: *Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo*, ita deiecit, vt alii irridentes dicant: *Quomodò cecidisti de cælo lucifer? detracta est ad inferos superbia tua.* At humilitas hoc onus excutiens ascendit super altitudinem nu-

Prou. 10. v. 26.

2.

Isai 14. v. 14.

bium, cælos ipsos penetrat, & coram ipso Deo gratiam inuenit?

Aptè igitur anima ascẽdens fumò odorifero cõparatur, quia agnoscens quid habet ex sua natura, & quid ex diuina gratia, dũ se humiliùs deprimit, tunc sublimiùs ascendit; si igitur ad perfectionis culmen ascendere cupis, necesse est vt altas in humilitate radices iaceas instar arboris, quæ simul versùs ramos, & radices crescit sicut scriptum

Isai 37.v.31. est: *Mittet quod saluatum fuerit de domo Iuda radicem deorsum, & faciet fructum sursum.* Quare magnus Basilius inter magistros vitæ spiritalis facilè princeps, post multa perfectionis documenta sic

Serm. de abdicatione rerum ad finem. concludit: caue ne quod aliquomodo elatè de te
" ipso sentias, in animum inducas tuum, vt de pri-
" stina laborum assiduitate quicquam remittas; animi in virtute progressus, in humilitate progressus

Nota. est. O breuis, sed vera, fecunda & vtilissima sententia: si humilitate proficis, profecisti in omni virtute; in obedientia quidem, quia nec tuo iudicio fides, nec nitetis prudentiæ tuæ: in patientia, quia omnium afflictionum reum te senties, dicens; *Digna factis recipimus*: in oratione, quoniam cùm nihil boni à te habere scias, ad Deum recurres, vt orando impetres: in gratitudine, quia summo benefactori Deo omnia tua accepta referes: in dilectione Dei, sine quo nihil te habere scis, & cuncta tibi bona contulit. Humilitas denique ad profectum semper excitat, quia nihil se profecisse putat, & ideo proficere quotidie ardentiùs satagit, Deique intimam vnionem desiderat, vt super ipsum innitens ascendat; quæ scit mox casuram, si suis viribus relinquatur.

Rectè ergo D. Basilius mensuram profectus
" spiritualis ex perfectione humilitatis desumit, &
" rationem reddit: quoniam pietatis cognitio, hu-
" militatis & mansuetudinis cognitio est: & se ani-
" mo scire submittere, Christum est scire imitari.
" Contrà autem, fastidio & arrogantia efferri, &
" insolentiùs se gerere, est diabolo se similem face-
" re. Christum tu imitare, non aduersarium Chri-
" sti: Deum, non aduersarium Dei: Dominum, non
" seruum fugitiuum, &c. Imitare igitur eum qui

Matth. 11. v. 29. " dixit: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris*, quoniam peruenietis ad locum, ad quem ascendere concupiscitis, & ibi requiem inuenietis.

3. Sed non quæuis humilitas tam ingens bonum præstat, sed quæ perfecta est in suo gradu, & amore sociatur. Nam sicut ex igne progreditur fumus odoriferus, cùm crementur aromata; sic ex charitate procedit virtus humilitatis in ipsis bonis operibus; nam, vt docet D. Bernardus, est humilitas,

Serm. 42. in Cant. quam nobis veritas parit, & non habet calorem; & est humilitas quam charitas format, & inflammat; illa in cogitatione consistit, hæc magis in affectu; per quam meliùs assimilamur Christo Domino, qui cùm non posset habere culpam ex cuius cognitione humiliaretur, voluit tamen ex charitate humiliare semetipsum factus obediens

Ad Philip. 2. v. 8. vsque ad ignominiosam crucis mortem.

Eccl. 3. v. 20. Quantò ergo *magnus es, humilia te in omnibus, & coràm Deo inuenies gratiã*: qua coram ipso maior fias, & quanto plura virtutum aromata congregaueris ne superbia dispergat, ea iunge igni charitatis, vt conuertantur in fragrantem fumum humilitatis. Tandem placet, quod notat Hugo de S.

Lib. 1. erudit. Theolog. c. 110. Vict. dicens in acie virtutum euenire quod in acie vitiorum, quorum regina est superba, duces verò vitia capitalia; exercitus autem vniuersa mala subsequentia; de quibus explicat cùm D. Greg. illud Iob: *Procul odoratur bellum, exhortationes ducum, & vlulatum exercitus.* Sic in acie virtutum regina est humilitas ex charitate, quæ per fumum: duces verò carnis vel suiipsius mortificatio & mentis deuotio quæ per myrrham & thus; exercitus autem, vniuersitas bonorum operum inde subsequentium, quæ per vniuersum puluerem pigmentarii designatur. per hæc securè fiet ascensus vsque ad visionem Dei in sæcula sæculorum Amen.

Iob 39. v. 28.

Lib. 3. moral. c. 17. Vide infrà lib. 7. exhort. 18. vbi fusiùs de hoc.

EXHORTATIO XVII.

De ascensu animæ ad Deum per omnes actus pœnitentiæ internæ, & externæ, ac per mortificationem, orationem, & misericordiæ opera: quàm rarus sit hic ascensus, & quam admirabilem efficiat candorem.

Pro initio Quadrag. & pro conuersione Magdalenæ.

Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, &c.

IN ascensuum gradibus primus est, quo à misero statu peccati in sublimem ascenditur statum gratiæ, & amicitiæ Dei, & à reliquiis peccatorum in omnimodam mũditiem, quæ illas expellit. Huiusmodi autem ascensus fit per desertum, quod est pœnitentiæ via, & exercitium duplicem inuoluens desertionem, alteram necessitatis, supererogationis alteram; illa in eo est sita, vt omnia deserantur peccata lethalia, omniaque reincidendi pericula & occasiones proximæ, cuncta scandala & affectiones inordinatæ ad res vel personas, quæ diuinæ obstant amicitiæ; res denique alienæ, vt suis dominis restituantur; modum autem ascendendi nunc præscribamus.

De tribus actibus pœnitentiæ. §. 1.

1. PER huiusmodi desertum ascendit anima, cùm tres actus exercet pœnitentiæ qui contritio, confessio & satisfactio nuncupantur, nam per illos omnino elongatur & recedit ab infelici statu culpæ, & à dæmonum turpi seruitute; sicuti quondam Hebræi ab Ægypto recedere cupientes viam trium dierum ex Dei iussu ire disponebant

D in desertum, vt ibi Domino sacrificarent. Et quæ Exod. 5. v. 2 est triplex hæc progressio per desertum, seu triplex dies itineris per illud, nisi huiusmodi triplex actus pœnitentiæ, per quem peccator recedit ab Ægypto, & tenebras eius deserit, ac Pharaonem eiusque ministros; id est, diabolum, & omnes eius sectatores penitus derelinquit, vt Deo sacrificium immolet iustitiæ, cordisque contriti & humiliati; quo iustificationis gratiam assequatur? Per hos actus deserit triplicia peccata cordis, oris & operis, quibus coinquinabatur, vt ad perfectam ascendatũ mditiam. Tridui iter (inquit Origenes) pro- Hom. 3. in Exod. ficiscimur de Ægypto, si ita nos ab omni inquinamento animę & corporis ac spiritus conseruemus, vt quemadmodum dixit Apostolus: *Integer* " *spiritus noster, & anima, & corpus sine querela in ad-* " *uentu Domini Iesu Christi seruetur.* Tridui iter de " Ægypto proficiscimur, si purificantes nobis dicta " facta, vel cogitata (tria sunt enim hæc, per quæ " peccare homines possunt) efficiamur mundi cor-
" de, vt possimus Deum videre, & paulò infrà: vult
" te Deus longe facere à Pharaone, eruere te cupit
" de opere luti, & palearum: non vult te in carnis &
" tenebrarum actibus permanere, sed exire ad deser-
" tum, venire ad locum perturbationibus & fluctu-
" bus sæculi vacuum, venire ad quietem silentij: ver-
" ba enim sapientiæ in silentio & quiete discuntur,
" &c. Hæc carptim ex illo.

Sed oportet vlteriùs per aliud desertum super-
2. erogationis ascendere deserẽdo etiam multa, quæ
Hom. 20. in Euang. alioqui retinere possent, si peccare non præcessis-
" sent, nam, vt inquit D. Gregorius, quisquis illicita
" nulla commisit, huic iure cõceditur vt licitis vta-
" tur, sicque pietatis opera faciat, vt tamen si volue-
" rit, ea quæ mundi sunt non relinquat: at si quis in
" grauem culpam lapsus est, tantò à se licita debet B
" abscindere, quantò se meminit & illicita perpe-
trasse, æquum igitur est, vt multa delectabilia aliàs licita, deserat in cibo, potu, somno, diuitiis, & aliis huiusmodi, vt Deo pleniùs satisfaciat.

Hęc explicant ampliùs sequentia verba *sicut*
3. *virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris.* Nam
Hom. 22. in Ezech. per fumum qui excutere lachrymas soler, vt in-
Considerationes hũc odorifesum fumũ excitantes vide in exhort. sequenti §. 3. quit D. Gregorius, affectus compunctionis designatur, qui ex igne amoris procedit, & lachrymas tam affluentes emittit, vt peccatorum maculas lauent: sic Magdalena, quia diligebat multùm, lachrymis rigabat pedes Domini, vt multa illa peccata dimitterentur; & D. Petrus pro trina negatione fleuit amarè, quia magistrum quem negauit vehementer amabat.

Cæterum tres actus pœnitentiæ magis distinctè per ipsa aromata designantur. Myrrha enim amara valde, cordis est contritio, quæ cor amarum

Isai 38. v. 15. reddit iuxta illud Ezechię regis: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Nam verè

Ierem. 2. v. 19. malum & amarum est (ait Ieremias) reliquisse Dominum Deum, & ideo amarè flendum est, vt satisfaciamus illi. Thus autem, quod in Dei cultum offertur, confessio est peccatorum, quæ in magnam cedit Dei gloriam; iuxta id quod Iosiæ dixit ad Acham; *Fili mi da gloriam Domino Deo Israël, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.* Qui enim peccatum suum confitetur, sibi imputat ignominiam, & Deo restituit ablatam gloriam. Vniuersus verò puluis pigmentarij, satisfactio est, quæ diuersarum virtutum congregat opera; nimirum ieiunium, orationem, eleemosynam, & alia huiusmodi: quæ egregiè comparantur aromatibus contritis, quia per illa conteritur

D caro, maceratur corpus, & mortificatur spiritus, extenuantur diuitiæ, dum pauperibus tribuuntur. Pigmentarius autem vel apothecarius rectè confessarius nominatur, qui hæc opera in confes-

Confessarius obit munus pigmentarij. Eccles. 49. v. 1. sione iniungit, & salutaribus monitis ac consiliis ad ea exhortatur, dirigit & iuuat, vt in illum quadret illud Ecclesiastici. *Memoria Iosiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarij*, id est, ad similitudinem est mixturæ ex multis rebus odoriferis, quasi opus à strenuo pigmentario factum. Nec

De nominibus Hebraicis. ineptè confessarium assimilamus Iosiæ, quod teste D. Hieronymo, interpretatur *cuius est sacrificium Domino, vel salus Domino, aut fortitudo Domino*, Alii, *ignis Domini*: Sacerdos autem est, per quem offertur Deo sacrificium non solùm Eucharistiæ, sed iustitiæ, quod à pœnitentibus Deo etiam tribuitur, atque per illum salus nobis à Domino descendit: fortisque debet esse, & igne zeli ac-

A census, vt munus suum præstet; non quidem ex spiritu vindictæ, sed commiserationis tanquam pius medicus, & dexter pigmentarius, qui ad confortandum cor, & sananda vulnera opus suum strenuè perficit.

De ieiunio seu mortificatione, & oratione, ac operibus misericordiæ. §. 2.

1. CETERVM per myrrham, thus & puluerem pigmẽtarium optimè intelligi possunt tria opera satisfactoria, quę communiter dicuntur ieiunium, oratio, & eleemosyna, ad quę multa alia reducuntur; quibus, vt docet D. Augustinus, tres tolluntur peccatorum radices, quas D. Ioannes vocat concupiscentiam carnis, & oculorum, & superbiam vitæ. Prima tollitur per ieiunium & carnis mortificationem: secunda per eleemosynam; tertia verò per orationem; easque coniunxit Angelus Tobiæ dicens: *Bonum est oratio cum ieiunio & eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere.*

Apud D. Thom. 4. d. 15 q 1. ar. 4. 1. Ioan. 2. v. 16. Tobiæ 12 v. 8.

Hanc interpretationem egregiè prosequitur D. Bernardus per virgulam fumi, oris confessionem intelligens: nam, sicut fumus de thuribulo per plura foramina deriuatur; ita ex corde diuini ignis amore flagrante prodit lachrymosa confessio, plures peccatorum species proprio ore sacerdoti manifestans: & sicut fumus numquam habet splendorem, aliquando tamen habet odorem; ita confessio delictorum splendore caret, siquidem ignominiam & confusionem parit, sed habet pietatis odorem ex virtutibus quæ illam comitantur; nimirum myrrha, & thus, id est mortificatio carnis, & oratio cordis: & alterum (inquit) " sine altero, aut parum, aut nihil prodest, nam si " quis carnem mortificet, & orare dissimulet, super- " bus est, & dicetur ei: *Numquid manducabo carnes* Psal. 49. *taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Quod si v. 13. orauerit, & mortificare neglexerit, audiet: *Quid* Lucæ 6. *vocatis me, Domine Domine, & non facitis quæ dico?* v. 46. Prou. 28. *& illud, qui auertit aurem suam ne audiat legem, ora-* v. 9. *tio eius erit execrabilis.* Vtrumque ergo alteri suf- " fragatur, dum constat quòd alterum sine altero " reprobatur.

Serm. 59. ex parvis. Confessio velut virgula fumi aromatici.

Ignis igitur ex myrrha & thure educit fumum,
2. quoniam, vt charitas affectum compunctionis &
confessionem peccatorum pariat, eorumque reliquias penitus consumat, maximè iuuatur mortificatione, & oratione: nam per illam odio habet peccata, eorumque radices & effectus, cunctaque in nihilum conatur redigere: per hanc verò diuinum implorat auxilium, ad cuncta hæc rectè peragenda, mortificatio item ad hoc tendit, vt auferat impedimentum, ne oratio sursum ascendat; illud scilicet, de quo dicitur, *Opposuisti nubem tibi, ne* Thren. 3. *transeat oratio*: Hæc verò vires impetrat mortifi- v. 44. cationi, vt nubem peccatorum tollat, & vitam carnalem adimat. Vnde vtraque simul ab anima expellit dæmonia, & enormia delicta, nam iuxta verbum Saluatoris: *Hoc genus non ejicitur nisi per* Matth. 17. *orationem & ieiunium.* Nomine autem ieiunij (vt v. 20. notat Beda) omnis actus includitur, quo caro ex- Marci 9. tenuatur & maceratur; ne corrumpatur peccato- v. 28. rum fluxu; sicuti myrrha vnguntur corpora mortua, & deficcantur, vt à corruptione præseruentur, sub oratione autem non tantùm petitio intelligitur, sed vehemẽs cordis affectus, qui ad Deum dirigitur, & velut thus ipsi offertur, & cùm hæc duo coniungũtur, potentissima sunt ad expellẽda dæmonia; quantùmis sint ferocia & contumacia.

Tobiæ 6. v.8. & c.8. v.2. Inde colligitur simul partem ieiuni & cordis apposuisse super carbones vt Lyra & omnes interpretantur.

Quare de hoc fumo myrrhæ & thuris potest optimè dici, quod Angelus Raphaël dixerat Tobiæ, de corde & iecore piscis interfecti: *Quod si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum siue à viro, siue à muliere, ita vt vltrà non accedat ad eos.* Cor & iecur super carbones scandentes posita sunt velut thus & myrrha in ignis prunas coniecta: & dum ignis Spiritus sancti ac charitatis prunæ cor per orationis ardentes actus, & iecur per vehementem carnis mortificationem cremant, fumus ex vtroque simul prouenies, id est, bonus affectus mentis, qui inde generatur, & Deo valdè placet, est horribilis dæmonibus, eosque fugat, & extricat: nec vnum tantùm genus dæmoniorum, sed omne genus, quia nullum est vitium, quod non superet, nulla est inordinata passio, quam non vincat, nullus est dæmonum impulsus, quem non reprimat; quia dæmones talem fumum pertimescunt, & horrent. Credite mihi fratres, (dicebat magnus Antonius) pertimescit sathanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, misericordiam, & humilitatem, maximè vero ardentem amorem in Christum Dominum.

In eius vita refertur in breuiario.

Sed quia vitia quædam dicuntur carnalia, quædam vero spiritualia (vt B. Thomas ex D. Gregorij sententia deducit) à quibus oportet nos purificari iuxta illud D. Pauli *emundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus*, myrrha & ieiunium potissimè valet contra carnis peccata, thus verò & oratio contra peccata spiritualia, quæ subtiliora sunt. Vnde D. Hieronymus sententiam Saluatoris explicans ait, medicina cuiusque vulneris adhibenda est ei; non sanat oculum quod calcaneo adhibetur, ieiunio passiones corporis, & oratione pestes sanandæ sunt mentis; non quòd vtraque simul medicina hic miscenda non sit, sed quia caro multò magis indiget myrrha & ieiunio tamquam cauterio; spiritus verò, cùm caro non vrget, multò amplius iuuatur oratione.

3. 12.q.72. art.2. Lib. 31. moral.c.31. 2.Cor.7. v.1. In Marci 9.10.9.

Deinde hæc duo simul valde necessaria sunt, vt effugiamus iram Deo peccatoribus minantem, propter quod ad ea nos Saluator exhortatur dicens: *Attendite, ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa,* & paulò infrà, *Vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.* Etenim sicut myrrha humiditatem exiccat corporis mortui, ita ieiunium & mortificatio exiccat & extenuat superfluas cogitationes & affectiones carnis, ex quo fit oratio magis expedita vt vigorem impetret fugiendi ea, quæ nocent, & persequendi quæ prosunt; quod eleganter sic perpendit D. Chrysostomus: expende quæso; quot, quâtaque bona ex vtrisque iunctis emanent, qui enim orat, & ieiunat vt oportet, is multis rebus non indiget, & ita non fiet auarus, sed pronior ad misericordiam erit: qui ieiunat, leuior est, & vigilanter orat, & cupiditatis incêdia extinguens, ac animam suam humilians facilè Deum placat: qui orans ieiunat, binas possidet alas, quibus ventos ipsos volando præteruehitur, non enim oscitat, nec torpet orando, quæ multi patiuntur; sed igne ardentior, & terra superior est, quare terribilis hostis dæmonibus redditur, nihil est enim homine probè orante potentius: hæc Chrysostomus plura superaddens, vt horum coniunctionem laudibus extollat, sed id valdè perpendendum, quòd ea vocet duas alas spiritus non solùm ad fugiendum

Lucæ 21. v. 34. & 36.

Hom.58. in Matth. à medio, to.2. Oratio & ieiunium sunt duæ alæ spiritus.

ab ira ventura, & peccatorum laqueis, sed etiam ad ascendendum sursum, & volandum ad thronum Dei, & ab illo impetrandum indulgentiam, & gratiam; propter hoc enim asserit Ecclesiasticus. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet non consolabitur, & non discedet donec altissimus aspiciat.* Humilians autem se, dicitur quicumque carnem macerat, & se affligit in conspectu Domini, vt cum placet. Nam cum Rex Achab se operuit cilicio, ieiunauit, dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite, dixit Dominus Eliæ: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Oratio igitur animæ ita se humiliantis ascendit sine obstaculo ad cælos, vt meritò dicatur *quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris?*

Eccles.35. v.21. 3 Reg 19. v.27.

Sed additur, *& vniuersi pulueris pigmentarij* quia post compunctionem & confessionem, post mortificationem & orationem exhibendus est (inquit D. Bernardus) fructus eleemosynarum, qui benè dicuntur puluis, quia sunt de terrena substantia, & simul ascendunt cum oratione; sicut dictum est Cornelio; *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.*

4. De eleemosyna. Serm.59.ex paruis citato. Act.10.v.4.

Aptiùs intelligemus, vt suprà dicere cœpimus, omnigenum misericordiæ & virtutis opus, ad vitæ spectans reformationem, quod tamen mortificationem, & orationem semper comitatur: qui enim dignè orat, & se negat, mox omnibus bonis operibus abundat. Hæc autem comparantur non aromatibus, cùm integra sunt, sed cùm fuerint in puluerem comminuta, piloque contusa; tum quoniam non fiunt sine magna cordis contritione & mortificatione carnis, vel spiritus, ad Deum placandum; tum quia humilitati semper sociantur, quæ per puluerem designatur, tum verò quia sæpiùs miscentur, & connectuntur; & quodlibet bonum opus alia secum affert, & inuoluit; maximè, cùm pluribus affectibus, diuersisque finibus perficitur: tum denique quia, vt notat D. Gregorius, singula quoque opera diligenter retractamus, ne inter virtutes vitium lateat, & ne quid in illis incultum remaneat.

In Cant.3.

Quàm rarus & sublimis sit perfectus ascensus per pœnitentiam. §. 3.

Pro festo Magdalenæ.

SED iam causas perscrutemur huius admirationis, *quæ est ista quæ ascendit?* Admiramur enim cùm cernimus aliquid rarum & insolitum, ideoque apparet quasi nouum; aut quia ita magnum est vt nostrum excedat captum, nec illud comprehendere valeamus. Perfecta enim & feruens alicuius peccatoris pœnitentia admirationem excitat, quia rara est, ac insolita; nam cum nihil sit frequentius quàm peccare, nihil est rarius quam verè & perfectè pœnitere, audi quid Ieremias dicat. *Attendi, & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur, nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo: dicens quid feci?* Ac si diceret; circuibo ciuitates Iuda attendens, & aures porrigens, an fortè aliquem audirem gemitum pœnitentis de peccato, & nullum audiui: nemo enim est quantumuis peccator, qui dicat, quid feci? agnoscens peccatum & retractans illud: sed omnes vel de peccatis gloriantur, prædicantes ea sicut Sodoma, vel ea non aduertunt, aut nihili faciunt, aut excusant, nec sibi, sed aliis imputant; descendit Deus in paradisum attendens, & auscultans, an

2.

Ierem.8. v.6.

Adam

Adam & Eua pœniterent de peccato suo, & dicerent; Quid feci? At nihil minus; sed Adam culpam reiecit in Euam, Eua in Serpentem, ac si ille diceret, Non ego feci, sed mulier quam dedisti mihi: hæc verò, non ego, sed Serpens qui decepit me. Vnde ad omnes filios Adæ hoc vitium ita deriuatur, vt diceret sanctus Iob; *Si abscondi vt homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam:* Quia vt D. Gregorius perpendit, vitatum humani generis est, & latendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & conuictum defendendo multiplicare. Quod si hoc est vitatum, inuitatum erit de peccato verè pœnitere: illud agnoscere, & voce humilis confessionis aperire. Quare huiusmodi Iob pœnitentia & confessio mirabilis valdè fuit, atque in sui admirationem rapiebat eumdem D. Gregorium, qui sic ait: Videatur vir iste cuilibet magnus in virtutibus suis, mihi certè sublimis apparet etiam in peccatis suis. Mirentur in eo qui nolunt castitatis continentiam, mirentur integritatem iustitiæ, mirentur viscera pietatis, ego in eo non minùs admiror confessionem humillimam peccatorum, quàm tot sublimia gesta virtutum.

Genes.3. v. 12. Iob 31.v 33. Lib. 22. Mor.c.v.9. & 10. B

2.

Meritò ergo de pia anima huius sancti viri imitatrice dicitur, *quæ est ista quæ ascendit per desertum?* vitatum vitium hominum deserens, ac inter homines quasi sola pœnitentiam amplectens. Quæ est ista, quæ ascendit sicut virgula fumi, conceptum amoris ignem foris manifestans, & fumum emittens compunctionis, myrrham & thus, ac vniuersum puluerem pigmentarii redolentem? Nonne mirabantur Angeli, imò & ipse Christus peccatricis pœnitentiam, cùm dixit Simoni: *Vides hanc mulierem?* Vtinam videres, & quid agit agnoscere, profectò mirareris, & in illa tuâ ignauiam confusus agnosceres. Hæc enim, ait D. Gregorius, considerabat quid fecerit, & noluit moderari quid faceret; simul erat inter conuiuas, & per desertum ascendebat, quia ita feruentis pœnitentiæ signa præstabat, ac si sola esset. Congessit in cordis sui thuribulo ardentis amoris prunas, omniumque affectuum aromata, atque per illius foramina fragrantem emittebat fumum, internæ pœnitentiæ certissimum testimonium. Quid enim sunt lachrymarum fontes per oculos ad pedes Domini rigandos promanantes? quid terso capillis? quid osculatio pedum, & vnctio vnguento optimo? Quid, nisi virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? Vt virgula, dicam, an sicut palma fumi? Numquid non ascédit vt palma; quæ tot tamque illustres victorias per hunc pœnitentiæ palmiferum fumum reportauit? Vicit diabolum, imò septem dæmonia, quæ eiecit; vicit mundum, quem conculcauit: vicit carnem quam subiecit spiritui; vicit peccata omnia, quæ penitus destruxit, vicit concupiscentias quas compescuit: vicit denique seipsam, dum ad Dei obsequium se totam conuertit. O palmifer fumus, niger sed præpotens, niger, quia mærorem affers, & luctum de peccatis: præpotens verò, quia infinitis penè languoribus & vulneribus medelam confers, & pœnitentiam in salutem stabilem operaris: quæ, si per hominem non stat, in æternum permanebit.

De Magdalena. Lucæ 7.v. 44. Hom.33. in Euang. C Cor.7.v. 10. D

3.

Talem ergo pœnitentiam amplectamur, quæ magnam excitet admirationem ob summam integritatem, & omnimodam in suis partibus perfectionem. Sit myrrha, non quæuis, sed quæ in Scriptura dicitur prima & electa, quam arbor sponte sudat. Sit thus, non quodcumque, sed quod lucidissimum nuncupatur. Nam mortificatio debet esse valdè spontanea, & vndequaque perfecta; oratio verò splendens & deuota. Non desit vniuersus puluis aromaticus, qui omnia etiam minima ad perfectum compunctionis fumum conducentia complectatur. Debes enim de minimis peccatis etiam dolere, minima corruendi pericula effugere, minima seruare legis præcepta, minimas etiam circumstantias pœnitentiæ, ac boni operis non omittere: vniuersaque virtutum aromata vsque ad minutos pulueres cum dilectionis igne intimè coniungere, vt ad Deum cuncta simul ascendant: nam ex minimis profectibus fit maximus ascensus, sicut è contrario qui modica contemnit in magna damna ruit. Olim Deus Serpenti dixerat, *terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ,* & per Isaïam inquit: *Serpenti puluis panis eius*, quia puluere terreno etiam minimo delectatur, & dum puluerem deglutit, spem concipit deuorandi terram, nam ex minimis peccatis maiora deducit. Meritò ergo iustus spiritu feruens quemcumque terrenum puluerem execratur, & quemuis aromaticum amplectitur, nam minima peccata fugit, & minima etiam bona magni facit, & sectatur: ea tamen ampliùs æstimat, quæ pigmentarius colligit, id est, quæ confessarius, aut pater spiritualis præscribit; nam hæc magis ad salutem conducunt, quæ morbo & vulneri curando aptiora iudicauit. Nec tam sunt æstimanda, quia ex se magna, quàm quia à Deo præscripta; nec despicienda, quia ex se parua; nam virtus sanandi ex obedientia ad Deum, siue res sit magna, siue parua, maximè procedit, sicut Naaman mundatus est à lepra, non quia in Iordane se lauit, multi enim leprosi ibi loti sunt, & nõ mundati, sed quia iussu Elisæi, illique obediens se lauit septies, nec si vnam lotionem omittèret, plenè sanaretur, quia obedientia & pœnitentia integritatem amant, & per illam perfectam salutem elargiuntur. Tandem tu ipse etiam debes esse pigmentarius, qui virtutum aromata colligat, molat, misceat, in ignemque conijciat, vnde fumus ascendat, quia ad te ipsum etiam spectat cum Dei auxilio, quod tibi præstò erit, cuncta strenuè perficere, & plura alia supererogare, vt perfectam Dei amicitiam valeas obtinere.

Vide quæ dicuntur de thymiamate in exhort. sequenti. Minima peccata vitanda. Genes.3. v. 14. Isai.65.v. 25. 4.Reg.5.v. 14.

De discreta moderatione in operibus pœnitentiæ. §. 4.

IAm discretam moderationem in hoc ascensu seruandam explicemus, quam ascensus in modum virgulæ fumi satis insinuat. Fumus enim ex aromatibus in ignem proiectis non prodit totus simul, sed paulatim exit, & ascendit, ad significandum affectus pœnitentiæ non impetu temerario prodire, quasi in exordio ipso cuncta volentes perficere, sed gradatim & per partes, magnaque discretione cuncta esse regenda, extrema declinãdo quæ vitiosa sunt. Sit moderata tristitia, ne quis abundantiori absorbeatur, sicut ait Paulus: sit prudens castigatio carnis, vt caro dometur, non vt occidatur, sicut idem Apostolus monet cum obsecrat: *Vt exhibeatis* (inquit) *corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, & rationabile obsequium vestrum.* Quia si rationis metas transgreditur hostia non erit sancta, nec viuens & placens

2. Cor.2. v. 7. Ad Rom. 12.v.1.

Deo, cui nihil irrationabile placere potest, sed & lachrymis etiam pœnitentiæ adhibendus est modus, ne si nimiæ sunt, caput lædant, & in sterilem
Psal.79.v.6 siccitatem desinant, vnde & Psalmista inquit: *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura.* Nam sicut cibus & potus corporis sumendus est cum mensura, vt prosit, sic & cibus ac potus lachrymosæ pœnitentiæ. Fateor in hoc loco psalmi maximam significari mensuram, & affluentiam lachrymarum, vnde D. Hieronymus vertit: *In lachrymis tripliciter*, id est trina mensura, quod est abundanter & copiosè nimis, manè, vespere, & meridie, ac omni tempore: tamen hæc omnia quantumuis sint abundantia, dantur à Deo, & assumenda sunt à nobis cum discretionis mensura: quæ non eadem est in omnibus, sed quibusdam maior, aliis minor: vnde quidam dicunt
Refert Tirelmanus annotationibus ex Hebræo in psal. istum. vocabulum Hebræum hîc positum significare, *salis capacem mensuram*; nam licèt magna sit abundantia lachrymarum, semper tamen est mensura salis, id est discretionis, quæ omnibus rebus modum præfigit.

Apud Gassianum collat. 2. c. 2. Propter quod D. Antonius discretionem alijs virtutibus præferebat, per quam etiá regendi sunt interni affectus: qui si immoderati sint, solent caput, pectus ac cor lædere, & tandem ipsum deuotionis spiritum obruere. Hæc autem omnia indicat ascẽsus tamquam virgula fumi ex aromatibus, vt per virgulam mensura & discretio ascensus denotetur, & progressus per gradus, quia nemo repentè fit summus, sicut nec aromata omnẽ statim fumum proferunt. At sicut fumus in principio est densior, & quo ampliùs ascendit fit subtilior: sic pœnitentes ab ipso suæ conuersionis initio crassiores solent emittere affectus, & opera pœnitentiæ externa maiora facere, & acerbiora; quæ tamen processu temporis ampliùs sunt moderanda, & leniora assumenda: maximè cum dicat D. Hieronymus, omnes penè virtutes corporis præter sapientiam mutari & decrescere in senibus, nimirum ieiunia, vigilias, & alia huiusmodi: nam cuncta, quæ per corpus exercentur, fracto corpore minora fiunt.

Epist. 1. ad Nepotianum to. 1,

2. Ascensus per internos actus potest semper esse maior. Hinc est ascensum & profectum spiritualem non semper augeri in operibus externis, sed tãtùm in actibus internis, nam externa mensuram habent magis limitatam, & corporis viribus, statui & conditioni operantis sunt aptanda; at interni actus & feruor spiritus, intensio amoris, promptitudo obedientiæ, compassio misericordiæ, zelus animarum, patiendi desiderium, & cæteri affectus mentis in dies possunt fieri perfectiores, & per illos ascendi in fastigium sanctitatis; adhibitis externis iuxta cuiusque vires: qua de causa profectus noster non comparatur hîc ipsi myrrhæ vel thuri, aut D pulueri aromatico, sed fumo ex illis deducto; nam illa externos actus, hic internos affectus magis indicare videtur, etsi aromata contusa, & in puluerem redacta actum internum inuoluant quo examinantur, & aptantur, vt melius ascensui deserviant: quod D. Gregorius eleganter deducit explicans quod Dominus præcipiebat, vt in tenuissimum puluerem vniuersa aromata thymiamatis
Lib. 1. mor. c. 39. Exod. 30. v. 36. „ cõtunderentur, cùm proijcienda erant in thuribu-
„ lum: In tenuissimum (inquit) puluerem aromata
„ vniuersa conterimus, cùm bona nostra quasi in pi-
„ lo cordis occulta discussione tundimus, & si vera-
„ citer bona sint, subtiliter retractamus. Hinc Eccle-
„ sia sancta sicut virgula fumi ex aromatibus ascen-
„ dit, quia ex vitæ suæ virtutibus in interni quotidie A incensi rectitudinem proficit, nec sparsa per cogitationes defluit, sed intra arcana cordis in rigoris
" virga constringit, quæ ea quæ agit, dum recogita-
" re semper ac retractare non desinit, myrrham qui-
" dem & thus habet in opere, sed puluerem in cogi-
" tatione. Hæc ille; insinuans profectum quidem constare ex operibus externis, sed intus in puluerem per examen rationis redactos, & tunc aptiores sunt, vt facilè à charitatis igne sursum velut fumus in Deum dirigantur.

Quàm mira dealbatio in hoc ascensu fiat per pœnitentiam. §. 5.

1. Cant. 8. v. 5 COnfirmemus quæ diximus ex altero cantici loco; *Quæ est ista quæ ascendit è deserto delitijs affluens?* &c. Versionem LXX. sequentes quamplurimi patres amplectuntur, quæ sic habet: *Quæ est ista quæ ascendit dealbata innitens super fraternum?* Vbi
D. Ambro. lib. de ijs qui initiantur myst. c. 7. & lib. 4. de sacram. c. 2. patres alborem & candorem gratiæ agnoscunt, quem Ecclesia, & anima recipit in baptismo, vbi eam mundat Christus lauacro aquæ in verbo vitæ. Sed similis dealbatio fit etiam in sacramento pœnitentiæ; in quo post absolutionem à peccatis surgit anima, & ascendit dealbata per gratiam, reiecta nigredine & fœditate, quam habebat ex culpa. Sed quomodo cohærent, Ascẽdit sicut virgula fumi, qui niger est, &, Ascendit dealbata? optimè quidem; nam, & ipsa sponsa etiam de se inquit, *nigra sum, sed formosa*: Nigra quidem propter luctum Cant. 1. v. 4. tom. 1. & plãctum pœnitentiæ ob peccata commissa; speLib. 2. exhort. 21. ciosa verò propter pulchritudinem gratiæ, quæ prouenit ex illa salutari nigredine, sicut fursùs suo C loco diximus. Sicut ergò cohæret nigredo cum pulchritudine, sic ascensus velut virgulæ fumi aromatici pœnitentiæ affectus denotans, parit alborem gratiæ; vnde fit quòd simul anima dealbata ascendat, & suffumigata.

2. Obseruat autem D. Augustinus aliique patres, Lib. de gra. & lib. arbitrio ad Valen. c. 6. to. 7 consulto non dici, quæ est ista quæ ascendit alba, sed *dealbata*, quoniam solus Christus albus est, & candidus per naturam, sanctusque ex vi vnionis Idem D. Greg. 10. Moral. c. 36. Origenes hom. 1. ex duabus in Cant. D. Hieron. epist 21. ad Eustochium prope initium. Isai. 1. v. 18. hypostaticæ, Ecclesia verò & anima tãtùm est dealbata, ab illo enim recipit esse albam, cùm ex se potiùs sit nigra, aut gratiæ candore vacua. Dealbata (inquit) est, quæ per se ipsam alba esse non posset: & à quo dealbata est, nisi ab illo, qui per prophetam dicit, *Si fuerint peccata vestra vt phœnicum, sicut niuem dealbabo?* Nec sine mysterio hæc dealbatio in Scriptura niui comparatur: tum ob veritatem candoris, tum ob magnitudinem, & intentionem, iustificatio enim non tegit peccatorum nigredinem eam occultando, sed verè expellendo; *Si fuerint peccata vestra vt coccinum quasi nix dealbabuntur.* Psal. 50. v. 10. nec paruam sed ingentem præbet animæ albedinem & splendorem. Non dealbata (inquit idem Augustinus) sicut fucata, quemadmodum se dealbant fœminæ, quæ volunt videri quod non sunt; non dealbata sicut paries dealbatus. Destruetur enim, sicut dicit Apostolus, hypocrisis & simulatio, nam paries dealbatus foris tectorium, intus lutum: non ergo illa sic dealbata, sed dealbata illuminata, quia non per se alba; nam fuimus, & nos aliquando natura filij iræ, sicut & cæteri: accedit gratia illuminans & dealbans. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Dicitur ergò de te, quæ est ista, quæ ascendit dealbata, tam mirabilis, iam vix contemplabilis, tam pulchra, tam luminosa, tam sine macula & ruga? Nonne

Concione 1. in psal. 103. Act. 13. v. 3. Percutiet te Deus paries dealbate. Ad Ephes. 2. v. 3. & c. 5. v. 8.

ista

„ ista est, quæ iacebat in cœno iniquitatem, non- A
„ ne ista est, quæ immunda erat in omni cupi-
„ ditate, desiderioque carnali? quæ ergo est ista
" quæ ascendit dealbata? Hęc Augustinus.

3. Sed miro modo, quæ noster interpres duplici vocabulo expressit, cùm dixit, *quæ ascendit de deserto, & delitijs affluens.* LXX. vnico nomine *dealbata* comprehenderunt: Etenim iustificatio peccatoris, dum alborem gratiæ confert, duo potissimè operatur. Nam primò remissionem efficit peccatorum, quæ penitùs ab eo deseruntur, & à corde separantur: & hoc est ascendere de deserto, quod efficit candor gratiæ. Deinde sequitur reconciliatio cum Deo, pax quæ exuperat omnem sensum, tranquillitas conscientię, gaudium in Spiritu sancto, & lætitia de venia obtenta, ac virtutes quæ ipsam gratiam comitantur. Et hoc est ascendere delitiis affluendo, nam veræ delitiæ sunt ipsa animæ mundities, gratia Dei, amicitia, & illius gaudium, quę deserto succedunt, ex quo ascendit; iuxta id quod Isaias promiserat dicens:
Isai. 51. v. 3. *Consolabitur Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius, & ponet desertum eius quasi delitias, & solitudinem eius quasi hortum* (aut paradisum) *Domini: gaudium & lætitia inuenientur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* Dat ergo Deus per
Psal. 50. v. 10. pœnitentiam auditui nostro gaudium & lætiDe his delitiis plura in exhort. sequenti §. 4. tiam, & exultant ossa humiliata; & qui eramus nigri sicut carbones, dealbamur sicut nix; & qui peccatorum nostrorum morsu & amaritudine premebamur, pacis & charitatis delitiis recreamur.

Sed quoniam peccator non dealbatur solùm vt fiat pulcher, sed vt vlteriùs deinceps C per bona opera progrediatur, non suis viribus, sed viribus ab ipsa gratia receptis, ideò dicitur, *quæ est ista quæ ascendit dealbata, innitens super fraternum?* Ante dealbationem, peccator, etsi plurima opera bona faciat, non ascendit, sed adhuc iacet, quia opera illa non sunt condigna vita æterna, nec alicuius cælestis gratiæ & doni meritoria: At cùm primùm dealbatur, iam incipit progredi, & mereri, dum Christo nititur, non sibi. Quando dealbata est, (in-
Lib. de gratia & lib. arbitrio. „ quit Augustinus) nihil merebatur: iam verò
„ alba facta, benè ambulat, sed si super eum, à
„ quo dealbata est, perseueranter incumbat. Vocat autem illum fraternum, quoniam per candorem gratiæ homo fit filius Dei, frater Christi & cohæres illius. Quòd *si frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma*: Quantò magis
Prou. 18. v. 19. iustus, qui adiuuatur à potentissimo fratre suo D Christo primogenito Patris, firmus erit & stabilis in candore gratiæ, quem recepit? cum ipse, qui cœpit opus bonum, cupiat perficere, & pro gratia gloriam præstare in sæcula sæculorum Amen.

EXHORTATIO XVIII.

De ascensu animæ ad Deum per sublimem orationem, & contemplationem: de miro holocausto, quod in ea offertur; de affluentia delitiarum eius.

Pro Euág. Assumptionis in id, Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.

Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi? &c. Quę est ista quæ ascendit è deserto delitiis affluens? &c.

Lib. 3 fidei orthod c. 14. SVBLIMIOREM hæc verba ascensum indicant per contemplationem & orationem, quæ teste B D. Damasceno, est ascensus mentis in Deum. Cùm enim sponsus ante hunc ascensum somnum spõsæ narrasset, de quo ipsa inquit, *ego dormio & cor meum vigilat*: quid tunc cor vigilans faceret, at- Cant. 5. v. 2. tendens, & admirans ait; *Quæ est ista quæ ascendit per desertum? &c.* Vbi de ascensu, qui in ipsa oratione & contemplatione fit, videtur etiam loqui, qualis sit, mirificè depingens.

Duplex esse desertum, per quod mens ascendit in oratione. §. 1.

1. ET in primis ascensus iste duplex amat desertum, per quod vel in quo fit, alterum corporeum, quia locum appetit solitarium, & ab homi-
Exhort. 5. §. 1. num consortio separatum, vt solus soli Deo vacet; sicuti supra tetigimus, cùm de lectulo cordis egimus: quod magis expressit Ieremias, cùm dixit: *Sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit se super se.* Nec Thren. 3. v. 28. enim contraria sunt sedere & leuare se: illud enim quietem indicat in eodem loco, & in ipsa oratione tranquillam permanentiam: hoc verò mentis eleuationem & ascẽsum ad ea, quæ supra se ipsum sunt, & suas natiuas vires transcendunt, sicut Maria Magdalena *secus pedes Domini audiebat verbum* Lucæ 10. *illius*, & tamen dum audiebat, super se leuabatur, v. 39. & mirè doctrina Christi proficiebat. Ita autem sedebat ad eius pedes, ac si solitaria esset: nec enim illam tangebat turbatio & solicitudo Marthę, nec aliorum discipulorum consortium impediebat. Et hoc est alterum desertum spiritale, quod fit tẽpore perfectæ orationis in facultatibus animæ. Per desertionem omnium cogitationum & affectionum ac imaginum internarum, quę non sunt secundùm Deum, nec ad ascensum in ipsum conducunt, etsi alio tempore noxiæ & inutiles non essent. Tam perfecta autem desertio etsi videatur ascensum præcedere, sicut dispositio formam, aut sicut expulsio vnius contrarij introductionem alterius, tamen potiùs est quasi effectus illius. Ex eo enim, quòd Deus animam impellit, aut rapit vt sursum ascendat ad se ipsum fit, quòd externa, & infima libenter deserat, & hoc insinuant verba citata Ieremiæ, *sedebit solitarius & tacebit*, id est, sine strepitu cogitationum, silentibus in corde creaturis, *quia* ex Dei gratia *leuauit se super se*, ac super omnia, quæ ex natura inordinata procedunt, vel quæ natura per se attingere valeret. Ideo etiam Dauid asserùit: *Ecce elongaui fugiens, & man-* Psal. 54. v. 8 *si in solitudine*, quoniam acceperat alas columbæ, vt volaret, & requiesceret in ipso Deo,

Psal.30. v.21. qui ad se ascendentes *abscondit in abscondito faciei suæ à conturbatione hominum*, id est, à conturbatione, quæ homines vexare solet, vel quà ipsi iustos conturbant.

2. Nostra tamen interest hoc desertum iuxta vires inquirere, vt ad Dei contemplationem valeamus ascendere, sicut de Moyse scriptum est: *Cùm minaßet gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb; apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Vt quid autem solitudinis interiora loca penetrauit, nisi vt tutior esset ab hostibus, & tranquilliùs cælestia meditaretur, & pro populo suo captiuo & afflicto, deuotiùs oraret, & feruentiùs? propter quæ diuina visione dignus factus est. Et tu ergo, si greges tuarum cogitationum & affectionum optimis pascuis pascere cupis: recede longissimè à terrenis negotiis & curis; vade ad abditissimam solitudinem cordis tui, vbi ipse Deus commoratur, & orantibus adest; ibi meditationibus, & gemitibus vaca, vt in ipsum montem Dei per contemplationem ascendas, & Deum in flamma ignis de medio rubi contempleris, eius intuens diuinam naturam, & humanam, à cuius diuino igne totus inflammeris. Plura de hac solitudine diximus superiùs in id, *Pulchræ sunt genæ tuę sicut turturis.*

Exodi 3. v.1.

Lib. 3. exhort. 25.

Cur oratio & contemplatio comparetur fumo aromatum ascendenti. §. 2.

2. SED iam ipsum ascensum expendamus, qui est *vt virgula fumi ex aromatibus, &c.* Ascensus iste fit cogitatione, & affectu à Spiritus sancti igne inflammato, qui generali nomine oratio dicitur ex omnium virtutum actibus resultans; quibus ad Deum mens eleuatur; sicut odorifer iste fumus ex vniuersis pulueribus aromaticis procedit, & hac ratione spiritus orationis, sicut & diuinæ sapientiæ, vnicus est, & multiplex; nam etsi multos complectatur actus, omnes tamen tendunt ad vnum illud necessarium, quod Saluator commendauit, & ad vnam rem, quam Dauid à Domino postulabat, & ideo inquit Cassiodorus, non comparatur sparso fumo, sed virgulæ fumi, quæ vnionem indicat, & vnitatem, quoniam ad ipsum Deum omnibus aliis relictis, rectà tendit magna quadam spiritus subtilitate, vt eius arcana perscrutetur: quod sic perpendit D. Gregorius: Fumus ex aromatibus compunctio est orationis ex virtutibus amoris; quæ tamen oratio virgula dicitur, quia dum sola cælestia postulat, sic rectà progreditur vt ad terrena ac temporalia appetenda pro terreno studio minimè reflectatur. Virgula autem & non virga nuncupatur, quia interdum in compunctionis ardore tantæ subtilitatis æstuat vis amoris, vt hanc nec ipse animus possit comprehendere, qui illuminatus meruit habere. Hæc ille.

Sap.7.v.22. Lucæ 10. v.42. Psal 16.v.4. in Cant.3.

Hom.22., in Ezech.

2. Hinc fit hunc contemplationis ascensum aptè comparari fumo, sicut alibi comparatur nebulæ. Primò ad significandum, quòd in ea nihil aliud videtur quàm Deus, qui prope est; veluti si quis vndique esset nebula & fumo circumdatus, non videret eos qui à longè sunt, sed tantùm eos, qui sunt prope ipsum; quod egregiè præfigurabat munus summi Sacerdotis, de quo dicitur: *Assumpto thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum vltra velum intrabit in sancta, vt positis super ignem aromatibus, nebula eorum, & vapor operiat oraculum.* Vt quid hoc, nisi vt Sacerdos intra Sanctum Sanctorum existens etiam mente ascenderet ad Deum, sicut fumus ille? Nec tamen aliud quàm Deum ei liceret intueri, & prætereà, vt illo fumo incomprehensibilis Dei indicaretur maiestas. Tunc autem mens pleniùs ascendit ad cognoscendum illam, cùm in conspectu ipsius nihil se scire fatetur, nec ad eius magnitudinem intuendam posse peruenire: quod denotat Scriptura, cùm introducta arca Dei in locum suum, inquit: *Nebula impleuit domum Domini*: & mox subdit: *Sacerdotes non poterant ministrare propter nebulam: impleuerat enim gloria Domini domum Domini*: Vbi ipsa nebula vocatur gloria Domini, quia illam indicabat, & tunc subdit *Salomon Dominus dixit, vt habitaret in nebula.* Similiter cùm Dominus Isaiæ apparuit super solium excelsum astantibus Seraphinis, *mox domus impleta est fumo*, qui gloriam Domini Prophetæ repræsentaret. Quòd enim Seraphini indicabant alis suis caput & pedes Domini tegendo, incomprehensibilem illum à creatura esse confitentes; hoc confirmauit fumus ille, qui domum Dei repleuit ad eius immensam, & incomprehensibilem maiestatem repræsentandam.

Exodi 30. v.34. Leuit.16. v.12. 1.Reg.8. v.10. Isai.6.v.3. 1.Cor.2. v.10. Apoc.8.v.4 Thobiæ 12.v.12. Psal.72. v.25.

3. Est igitur oratio vel contemplatio Dei, velut fumus qui ab igne Spiritus sancti, & ab ardore charitatis procedit. Et sicut fumus natura est calidus, sic contemplatio non est cognitio Dei frigida, sed calore amoris ardens; & quamuis ignis sit lucidus, & splendidus, tamen fumus ab eo procedens niger est, & obscurus, quia contemplatio, quæ à Deo procedit, fidei obscuræ nititur, & semper caligine incomprehensibilis deitatis nebulosa manet. Prætereà sicut fumus subtilis est & alta petens quasi ad ipsam sphæram ignis cupiens peruenire, & si in ipso ascensu tandem deficit: sic contemplatio subtilia, & arcana Dei perscrutatur, iuxta illud, *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Semperque ad cælestia tendit vt in conspectum Dei, qui ignis consumens est, perueniat, ab eoque illuminetur, & perficiatur, sicut scriptum est: *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Cæterùm affectus isti contemplationis in ipso ascensu quodam modo deficiunt, quia numquam totum obtinent quod desiderant, & præ amoris magnitudine spiritualem hunc languorem & defectum contrahunt, iuxta illud: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum. Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.*

Aromata esse diuina mysteria, quæ materiam præbent contemplationi, & qua sint hæc. §. 3.

SED illud mirabilius in hoc fumo, quòd miros continet odores *ex aromatibus myrrhæ, thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Sunt autem hæc aromata, diuina illa mysteria, quæ materiam præbent contemplationi. Ex eorum enim cogitatione ignis Spiritus sancti & charitatis mirabilem educit fumum affectuum varios illos odores continentem, qui in aromatibus latebant. Et quia sponsus Christus, cùm Deus verus

verus sit, carnem induit mortalem; per myrrham mysteria omnia intelliguntur, quæ ad ipsum attinent, quà homo est vitam agens inter nos vsquequò crucifixus, & mortuus pro nobis est, quæ amarissima quidem illi fuerunt, sed nobis saluberrima: de quibus dixerat sponsa: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Per thus verò ea mysteria repræsentantur, quæ attinent ad diuinitatem, quà vnus Deus est cum Patre, & Spiritu sancto, immensas eius continens virtutes ac perfectiones; aut etiam quæ ad Christum hominem iam glorioſum & sedentem ad dexteram Patris spectant. Vnde & iam propter vtraque mysteria ipse dixit: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, vt infrà vberius dicetur: Vniuersus autem puluis pigmentarij omnia opera refert, quæ à Christo Domino pro nostra redemptione, vel à Deo trino, & vno propter nos homines, & gloriam suam effecta sunt. Dicuntur autem puluis mixtus ex multis aromatibus, quoniam in operibus Christi, quę theandrica dicebantur, multa splendebant, quæ Dei, & hominis erant plurimarum virtutum odoribus fragrantia: in operibus autem Dei maximè eius splendent perfectiones, sed omnes sunt sicut minutus puluis respectu immensæ maiestatis Dei & Christi, qui in infinitum excedit opera sua; sunt tamen puluis odoratissimus supremi pigmentarii arte & sapientia confecti.

Cant.1. v.12. Cant.4. v.6.

2. Cùm igitur anima diuino amore inflammata hæc mysteria contemplatur, fumum fragrantem educit eosdem odores continentem, quia in se ipsam transfert veritates, virtutes & affectus, quos in Deo & Christo Domino intuetur, vt eorum particeps fiat, non per æqualitatem, sed per similitudinem, & perfectam imitationem. Vnde in oratione ascendit redolens Christi obedientiam, & humilitatem, cæteraſque virtutes, internos earum actus exercens, per quos illas in se transfert, vel ipse Christus eas cordi eius imprimit. Ascendit etiam fragrans virtutibus à deitate ipsa participatis, & affectibus, quibus colitur, benedicitur, & exaltatur, quos etiam ipsa diuinitatis contemplatio gignit, vel Deus per illam excitat, & cordi infigit; at sicut aromata, quamdiù integra sunt, non ita redolent, sicut dum conteruntur; & rediguntur in puluerem, & tunc facilius ab igne incenduntur, & suffitus ipse prodit: sic hæc mysteria, cùm confusè creduntur, non ita feruentes affectus excitant, sicut cùm per meditationem, & considerationem tunduntur, & quasi diuiduntur in partes minutas, & singula quæ continent penetrantur. Tunc autem facilius prodeunt affectus, qui in ipsis latebant, & gradu quodam præcellenti intrinsecus imprimuntur.

Fit enim in hoc loco Cantici allusio ad thymiama antiquum, de quo sic scriptum est: *Sume tibi aromata, stacten, & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidißimum, &c. facieſque thymiama compoſitum opere vnguentarij mixtum diligenter & purum, & sanctißicatione digniſſimum*, id est aptissimum vt Dei cultui dicetur; cui pretiosiora, & puriora aromata decet offerre. Stactes est myrrha prima & electa, thus lucidissimum est omnium optimum. Horum tantùm fecit Salomon mentionem in hoc ascensu, quoniam omnes comprehendunt virtutes, quibus Deo & Christo perfectè similes efficimur. Per abnegationis propriæ myrrham imitamur Christum; per thus orationis & diuini cultus Deum. Illa tollit contemplationis impedimenta, hæc contemplandi impetrat auxilia. Cæteri verò affectus sub nomine vniuersi pulueris pigmentarii comprehenduntur: ad significandum perfectam contemplationem omnes post se trahere virtutes; sicut omnes in prototypo quem intuentur, splendescunt. Vt possit dici de illa: *Emißiones tuæ paradiſus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, ſiſtula & cinnamomum cum vniuerſis lignis Libani; myrrha & aloë cum omnibus primis vnguentis.* Quoniam dulcissima, & copiosissima emittit verba & facta in gloriam Dei & proximorum vtilitatem, vt suo loco videbimus.

Cant.4. v.13.

Orationem & contemplationem esse perfectum holocaustum, quod anima de seipsa offert Deo. §. 4.

1. HINC deducere licet orationem mentalem, de qua agimus: seu cõtemplationem quoddam esse perfectum holocaustum, quod anima de seipsa offert summo Deo; cuius meminit Dauid, cùm dixit: *Dirigatur oratio mea sicut incenſum in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Holocaustum vocatur quasi totum incensum: quia nulla pars rei oblatæ manebat offerenti, sed totum cremabatur in cultum & gloriam Dei; oblatio autem thymiamatis, thuris, & aromatum erat in modum holocausti, nam totum cremabatur ab igne, & consumptis terrestribus partibus subtiliores ascendebant sicut fumus. Ad hunc igitur modum perfecta oratio quoddam est spiritale holocaustum, in quo anima diuini amoris igne inflammata quidquid in se terrenum, vitiosum & imperfectum est, penitus absumit, & à se longissimè pellit: tota verò mens, memoria, intellectus & voluntas, Deo se tradit, & per amorem in ipsum ascendit; ipsum solum cogitans, ipsum intuens, ipsum diligens, seque totum & omnia sua, nihil sibi reseruato, in eius obsequium & gloriam referens; nonne præceptum dilectionis Dei holocaustum quoddam est ipsius? siquidem totum cor, tota anima, tota mens, tota virtus & fortitudo, omnes vires diuino igne accensæ Deo in eius amorem offeruntu? Hoc autem holocaustum vbi melius offertur, vel præceptum hoc vbi pleniùs impletur, quàm in ardenti oratione & contemplatione, in qua totus spiritus in Deum rapitur, intra Deum mergitur, & absconditur, atque illius cognitioni, amori, & obsequio totus mancipatur?

Matth. 22. v.37. Præceptũ dilectionis est quasi holocaustum.

2. Fertur (vt suprà retulimus) phœnicem quoddam de se offerre holocaustum, dum adductis lignis aromaticis in nidum versa ad orientem solem, & concitatis alis ignem educens tota comburitur, & in cineres redigitur, vnde oritur vermis, qui in renouatum phœnicem vertitur. Symbolum hoc est perfectæ orationis, quæ ex aromatibus myrrhæ & thuris iuxta præscripta deducitur: nam mens odoriferis virtutibus præparata, dũ Solem iustitiæ per contemplationem intuetur, alis affectuum ignem diuini amoris excitans tota ardere incipit, ac de se perfectum offert holocaustum, quo sibi ipsi ac mundo moritur, nihil se esse agnoscens, nisi cinerem & puluerem, omnia attribuens Deo, vt inde renouata totam se denuò diuino tradat obsequio. Rectè ergo mirantur angeli prodigiosum hunc intuentes ascensum, & ideò dicunt, quæ est ista, &c.

2. Simile. Ex D. Clem. lib. 5. c. 6. Cyrillo Hieroſolym. cateches 18. Tertull. de resurrect. c. 13. Plinio lib. 10 c. 2. Vide to. 1. lib. exhort.

3. Sed audi aliud mirabilius; oblaturus olim
3.Reg.18. v.34. Elias holocaustum Domino, effudit super ligna
copiosam aquam, & facta oratione descendit de
cælo ignis, qui ligna, & aquam effusam, totum-
que holocaustum, consumpsit: ita etiam qui Deo
offert orationis holocaustum, effundit coram il-
lo cor suum sicut aquam, iuxta illud Ieremiæ: *Con-*
Thren.2. v.19. *surge, lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde*
sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini, leua ad
eum manus tuas. Id est, expande coram Deo omnes
miserias, necessitates, tentationes, vexationes, &
afflictiones, quę sunt intra cor tuum, atque quid-
quid in illo latet, illi manifesta, vt ipse remedium
præbeat opportunum; quod etiam consulit Psal-
Psal 61.v.9. & Psal.141. v.3. mista dicens: *Effundite coram illo corda vestra, Deus*
adiutor noster in æternum, id est, ad tollendum ma-
la, quæ coram illo effuderimus, valde potens est,
& iterum ait: *Effundo in conspectu eius orationem* B
meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.
Deus enim misericors respiciens ad orationem
humilium, ignem mittit de cælo, ardentem excitans charitatem, quæ omnia illa effusa coram ipso, absumat, & cor ac animam omnino purget, à malis eripiat, & ad se rapiat, vt in ipsum per modum holocausti ascendat.

Sed si cor effunditur sicut aqua, quomodò ascendit sicut fumus? profectò quia in aduentu Domini, sicut scriptum est, *aquæ arderent igni*; quod si
Isai 64.v.2. ardent, quid quòd fumum emittant qui ad Deum ascendat? præterea si aqua in terram proijcitur, non ascendit, sed perit; at si in angustum vas, non perit, sed ascendit: sic cùm cor effunditur sicut aqua in terram, miserè perit, quia per terrena, &
Genes. 49. v.4. illicita prolabitur; illique rectè dicitur sicut Ru-
bem; *Effusus es sicut aqua, non crescas.* At cùm ef- C
funditur coram Deo, recipitur in angusto vase propriæ abnegationis, vel in vase aureo & capaci diuini amoris, ideoque sursum ascendit; nam &
Apoc.5. v.8. in Apocalypsi legitur viginti quatuor seniores habuisse in manibus *phialas aureas plenas odora-*
mentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Phialæ autem sunt, quæ sermone Hispano vocantur *re-*
domas in quibus proiectum vinum, & aqua sursum ascendit, vsque ad summum foramen. effunde igitur coram Deo cor tuum, iam ipsa effusione crescet, ascendet, & ad eum perueniet.

Quæ sint deliciæ contemplationis. §. 5.

1. Sed lætiora explicemus quę indicat altera de
Cant.8.v 5. contemplatricis animæ ascensu admiratio:
Quæ est ista quæ ascendit è deserto deliciis affluens
innixa super dilectum suum? Et quæ sunt istæ deli- D
ciæ tam affluentes nisi illę quæ vocantur odores virgulæ fumi? nam optatissimæ deliciæ animæ diligentis Deum non sunt sensibiles consolatio-
D. Bernar. in lib. sent. §. de valle plorationis. nes & delectationes, sed ipsęmet virtutes, & actus
Cant.8. v.13. earum, quibus Deo fit gratior; & eius prę cellentiùs explet voluntatem, & ita ferè omnes Patres hunc locum interpretantur, vt idem sit deliciis affluere, quod virtutibus abundare: & quadrat versio LXX. *ascendit dealbata*, nam virtutibus dealbatur vt suprà diximus, actus igitur myrrhæ, thuris & vniuersi pulueris pigmentarii, id est, omnium virtutum studia inter potissimas delicias computãtur. quod si dixeris; quomodo myrrham amaram inter delicias cõputas; dicam & ego cur sponsus myrrham & aloë amarissima inter emissiones paradisi computauit? paradisus enim hortus est deliciarum, anima autem in paradiso con-

templationis constituta prõptissimè emittit actus myrrhæ quantumuis amaræ, quia eius cordi valdè insitum est, quod Apostoli docuerunt: *Gloria-* Ad Rom.5.
mur in tribulationibus: &, *Omne gaudium existimate* v.3.
fratres cùm in tentationes varias incideritis. Ascen- Iacobi 1.
dit ergo anima in his deliciis, quando crescit in v 3.
virtutibus, per quas speciosa valdè redditur, sicut testatur iterum sponsus, cùm ait; *quàm pulchra* Cant.7.v.6
est, & quàm decora charissima in deliciis, id est propter virtutes, quibus affluis.

Notandum tamen est hoc discrimen in vtraque admiratione, quòd aromata per odores delectant odoratum; deliciæ vero per saporem reficiunt gustũ: Vtrumque autem maximè competit contemplationi, quæ arcana diuinitatis, & secreta eius consilia odoratur, & olfactu quodam diuino dignoscit, atque multoties absentia & futura penetrat, & ex diuino instinctu præsagit, sed multò magis ipsum Deum eiusque immensas perfectiones gustu spiritali percipit, iuxta illud; *gustate &* Psal.33.v.9
videte quoniam suauis est Dominus. Quod D. Gre- "
gorius confirmat dicens: anima deliciis affluit, " In Cant.
quia sanctę Scripturæ meditationibus intendens " 8.
cælesti pabulo assiduè mentem pascit; rursus de- " Lib.16.
liciis affluit, & ascendit, quia, dum mysticis in- " mor.c.9.
telligentiis pascitur, ad superna quotidie contem- "
planda subleuatur. Hinc Psalmista ait; *& nox il-* " Psal.38.
luminatio mea in deliciis meis, quia dum per intel- v.11.
lectum mysticum studiosa mens reficitur, iam in "
ea vitæ præsentis obscuritas fulgore diei subsę- "
quentis illuminatur, & verborum deliciis pasta "
præguſtando discat, quid de pabulo veritatis esu- "
riat. hæc ille: sed locus Psalmistæ aliquid etiam subtilius indicat, dum se continuò à Deo videri, & à se etiam ipsum præsentem cerni declarat, ac si dicat, ipsa nox, quæ alios tegit, per Dei præsentiam est illuminatio mea, ad meas spirituales delicias capiendas, quæ deliciæ non sunt aliud quàm ipse Deus; quem meas delicias voco; nam, sicut ipse inquit; *deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, ita Prou.8.
ego dicam: deliciæ meæ esse cum Deo, & cum v.31.
Christo filio hominis; verissimæ enim deliciæ animæ sunt esse cum Deo, & apud Deum, conuersari cum illo & placere illi, iuxta cor Dei suum efformare, ac in eius beneplacito requiescere & delectari, & hoc est, quod crebrò scriptura vocat delectari in Domino, lætari in illo, & gaudere in eo semper: nam purissimum, & porissimum gaudium est, quod in Deo de ipso Deo obtinetur in Christo.

Et hoc etiam indicant sequentia verba, *innixa*
super dilectum suum: Vnde enim tanta deliciarum
affluentia, nisi quia dilecto suo est coniuncta, & D
super ipsum nitens cum ipso graditur? deliciis affluit, quia dilectus, qui est eius deliciæ, eam euehit & portat secum. Sed non ait innixa super delicias, nec super dona dilecti, imo nec super lęuam, aut dexteram eius, sed super dilectum; quia non ascendit quærens delectationes vel dona, sed ipsummet donorũ largitorem; non tam respicit ad opera, & effectus ipsius, quàm ad ipsum autorem, vnde cuncta procedunt: nec requiescit nisi in illo, propter quem cætera amat. Præterea, etsi omnes iusti, qui orantes ascendunt, non virtute propria ascendant, sed virtute Dei, eiusque fulti auxilio: tamen specialem indicat prærogatiuam ascendere innixam super dilectum suum, quia singularem designat adhæsionem & vnionem cum ipso, vt adhuc in via dilectum teneat, & eam teneat dilectus, eique sit semper vnita: Vnde

vbi

Hom.1.ex duabus. in To.3.D. Hieronymi lib.de Isaac c.8. Ioan.14.v. 9. vbi legimus, *innixa super dilectum.* Origenes legit A
super pectus eius recumbens: vbi scilicet principale est cordis nostri ad denotandam intimam amoris vnionem: quod meliùs explicat D. Ambrosius dicens: perfectores suprà Christum recumbunt, sicut & Ioannes in Christi pectore recũbebat; ita " & hæc vel incumbebat in Christum, vel suprà ip- " sum se reclinabat, aut certè, quoniam de nuptiis " loquimur iam quasi tradita in Christi dextera in thalamum ducebatur sponsi.

Nouerunt hoc, qui familiarem habent cum Deo communicationem, qui ad cælestia rapiuntur, ipso sponso comitãte & dicente, & quasi brachiis portante: in cuius pectore recumbere dicuntur, quia in eius intimo amore requiescunt, recipientes manna absconditum deliciis plenum, quod nemo scit nisi qui accipit, nec mirum quòd illa, quæ ascendit sicut fumus plures continens odores, recipiat manna plures continens sapores, imò omnis saporis suauitatem: nam iuxta mensuram virtutum, solent exhiberi affluentiæ consolationum. hoc etiam insinuat versio LXX. *Quæ est ista* Apoc.1.v. 17. *quæ ascendit dealbata?* Albor enim gratię & mundi-
tia cordis disponit animam vt sursum ascendat, vt deliciis affluat, vt dilecto suo per contemplatio-
Matth.5.v. 8. nem vniatur, nam *beati mundo corde, quoniam ipsi*
Deum videbunt.

4. Denique ascendere innixam super dilectum duplex illud bonum includit, quòd sibi elegerat
Psal.71.v. 28. Dauid, cùm dixit: *Mihi autem adhærere Deo bonum*
est, ponere in Domino Deo spem meã. Ac si diceret: alij homines magnum sibi bonum putant, cùm adhærent diuitibus, magnatibus, & principibus, à quibus temporalia expectant bona; at mihi vni- C
cum & summum bonum est per intimam cognitionem, & amorem soli Deo adhærere: nam adhærendo illi fiam iustus, sapiens, & fortis omnibusque virtutibus ac donis cælestibus repletus:
1.Cor.6.v. 17. *Nam qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum ipso.* Si autem vnus, ergo omnia bona Dei sunt illi communia, quorum particeps fit per vnitatem: quid ergo mihi vtilius? quid iucundius, & honestius euenire potest, quàm adhærere Deo meo; vt ipse sit pars mea in æternum, ipse portio, hereditas, & possessio mea, quam nullus auferet à me in secula sæculorum. Amen.

EXHORTATIO XIX.

Pro festo Pentecostes, & pro Cathedrã S. Petri in id Euang. portæ inferi non præualebunt aduersus eã. *De incremento Ecclesiæ, dum seruat & prædicat Christi legem, & crucem, etsi numeris*
persecutionibus sit concussa: & quomodo in
igne tribulationis amplius crescunt virtutes.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula, &c.

POst ascensum in orationis, & contemplationis secreto, oportet viros perfectos instar sponsæ exire in agrũ, & ibi progredi animarum lucra suo sponso perquirendo: de isto autem ascensu admirantur etiam Angeli dicentes: *Quæ est ista, quæ as-*
cendit per desertum sicut virgula fumi, &c. Possunt autem hæc verba referri ad progressum nouellæ Ecclesiæ Apostolorum, postquàm in die Pentecostes Spiritus sancti igne est inflammata, & etiam ad quamuis perfectam animam, cui hoc munus à Spiritu sancto commissum est.

Legem Christi, eiusque crucem assimilari virgulæ fumi
ex aromatibus igne combustis. §. 1.

ERat tunc mundus maximè apud gentes velut desertum, hominibus quidẽ vacuum, quia non secundùm rationem viuebant, plenum autem feris, quia foras colebant & idola, factique sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt, vt iam pertractatum est, tunc nouella Christi Ecclesia cœpit ascendere sicut virgula fumi, vt legem nouã promulgaret, suoque confirmaret insigni sanctitatis exemplo: sed cur comparatur virgulæ fumi? vt Discrimen
discrimen insinuet inter legem veterem & no- inter legẽ
uam, seu inter synagogam Moysis, & Ecclesiam nouam &
Christi. Etenim cùm lex vetus data est Moysi prę- veterem
sente populo ad latera montis Sinai, inquit Scri- Exodi 19.
B v.18.& cap. 20,v.18.
ptura; *Totus mons Sinai fumabat, eo quòd descendisset*
Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo
quasi de fornace, eratque omnis mons terribilis: rursus;
cunctus autem populus videbat voces, & lampades, &
sonitum buccinæ, montemque fumantem, & perterriti, ac
pauore concussi steterunt longè. Hic autem tam den-
sus fumus fornacis, tamque terribilis eius aspe- Lib.1.ex-
ctus indicabat, vt alibi diximus, legem esse timo- hort.7.
ris, & terroris, ac populum illum ascensurum non fore ad eius obseruantiam, nisi terroribus concussum, & tandem recessurum longè à monte, & ab obseruantia legis in eo latæ. At lex nõua à Chri-
sto edita, & ab Apostolis in diebus Pentecostes, Act.2.v.1.
sicut & antiqua, promulgata est instar virgulæ fumi ascendentis ex aromatibus, quia ita maiestatem Dei indicat, vt magnam suauitatem, & fra-
grantiam perferat; non ignem refert, vindictam C
minans & fumum indignationis per nares spirãs, qui terrorem incutit, & pauorem, sed ignem Spiritus sancti, qui charitas est, & amorem affert, ac iugum suaue imponit, & onus leue, quod Chri-
stianus populus libenter, & ex animo amplectitur: *Non enim* (inquit Paulus) *accessistis ad tractabi-* Ad Hebr.
lem montem & accensibilem ignem, & turbinem & ca- 12.v.18.
liginem & procellam, &c. sed accessistis ad Sion mõtem,
& ciuitatem Dei cælestem, &c. & Ecclesiam primitiuo-
rum, qui conscripti sunt in cælis. Ex collatione vtriusque montis & Ecclesiæ (inquit Chrysostomus) Hom.32.in id ad Hebr.
quantùm nostra illam superet, satis ostenditur; dum illa terribilis, nostra suauis & amabilis prædicatur.

Comparatur ergò non virgæ sed virgulæ fumi: nam virga solet instrumentum esse punitionis, & magis timorem quàm amorem indicat: vnde D.
D Paulus Corinthiis dixit: *Quid vultis? in virga ve-* 1.Cor.4.v. 21.
niam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudi-
nis? Non reiicit lex noua nec Apostoli & Prælati vsum virgæ, quando subditorum contumacia id exposcit; at ex propria legis gratiæ propensione charitatem amplectuntur, & mansuetudinis spiritum, & cùm corrigunt ac puniunt, charitate puniunt, & mansuetudine, quia non erga seruos virga ferrea comprimendos, sed erga filios Dei munus obeunt; & ideo non virga vtuntur, sed virgula, eaque odorifera, quæ odore suo confortet & feriendo saner.

2. Præterea, Moyses eduxit Israel ex Ægypto habens in manu virgam qua mira faciebat prodigia, terribiles hostibus infligendo plagas: at Christus Dominus, de quo Isaias ait: *Ascendet sicut virgul-* Isai.53.v.2.
tum coram eo, & sicut radix de terra sitienti, non est ei
species nec decor, &c. Mundum redemit, & à diabolica tyrannide populũ suum eripuit per crucem,

quæ rectè virgulæ fumi ascendenti comparatur; quoniam nihil apparet ea nigrius, vilius, & abiectius, sed per hanc ignominiam, & abiectionem placuit ei omnia sibi subijcere. *Ego enim* (inquit) *si exaltatus fuero à terra*, nimirùm ascendens in crucem, *omnia traham ad me ipsum*. Quare meritò loco virgulæ fumi, vt iam diximus, etiam vertitur, *palmæ fumi*, nam palma etiam est symbolum crucis, in quam Saluator ascendit, vt fructus eius nobis carperet; ascendit autem vt palma fumi, quia per humilem passionem & obscuram ac ignominiosam mortem, palmam & victoriam reportauit, non percutiendo terribilibus plagis inimicos, sed potiùs proprias manus, pedes, & latus, vt eos à lethiferis peccatorum plagis liberaret, & de hostibus inuisibilibus trophæum duceret.

Ioan. 12. v. 32.

Dicetur infrà in Cant. 7. v. 8.

3. Sed vlteriùs aptissimè lex Christi non cuiuis virgulæ fumi comparatur, sed odoriferi, *ex aromatibus myrrhæ, thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij procedēti*: nam fumus iste duplicem habet causam, ignem scilicet comburentem, & aromata tamquam rem combustam. Ille Spiritus sanctus est & charitas eius, in qua lex Euangelica, & doctrina Christi fundatur, quia est lex & doctrina amoris; aromata verò sunt, quæ ex amore facienda præcipit, & consulit. Etenim quidquid lex Euangelica proponit, & Christus Dominus in nostrū exemplum igneo amore ardens gessit, perfectissimam suggerit sui ipsius abnegationem, excellentissimum Dei cultum, ac omnium bonorum operum exactissimam rationem ab ipso Christo cælesti pigmentario præstitutam; qui ascendens in crucem integerrimum & perfectissimum sui ipsius obtulit holocaustum, immenso suæ charitatis igne incensum, sicut inquit Apostolus: *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis*. Sed qualis fuit iste odor? profectò myrrhæ, & thuris, ac vniuersi pulueris pigmentarij: ascendit enim in cruce tamquam fumus myrrhæ, quia acerbissimis fuit affectus amaritudinibus, & ignominiis, ita vt consumptis omnibus temporalibus bonis, nudus penderet in cruce, & vino myrrhato, ac felle mixto potatus sit: Ascendit vt fumus thuris, quia pro persequentibus exorauit, & cum lachrymis & clamore valido preces supplicationesque Deo patri obtulit: ascendit vt fumus vniuersi pulueris pigmentarij, quia omnes virtutum actus ibi magna cordis contritione & humiliatione perfecit. En odor suauitatis, seu odor suauissimus sacrificij Christi, qui iram patris placuit. Sicut enim clauus clauo pellitur, ita fumus fumo. Fumus in naribus iram & furorem significat, sicut cùm Dauid inquit: *Ascendit fumus de naribus eius, & ignis de ore eius vorabit: carbones succensi sunt ab eo*. Et Iob, *De naribus eius procedit fumus sicut ollæ succensæ atque feruentis*. Ad placandam igitur diuinam iram & indignationem, ascendit suauissimus, & odoratissimus fumus holocausti à Christo Domino oblati; quem odoratus Pater æternus fumum iræ à naribus suis pepulit, & mundo gratiam reconciliationis per Christum impertiuit; sicut post diluuium cum Noë obtulisset holocaustum Domino; *Odoratus* (inquit) *est Dominus odorē suauitatis, & ait: Nequaquam vltrà maledicam terræ propter hominem.* Quantò ergo magis odoratus Deus sacrificium Christi ira deposita nequaquam vltrà maledicet terræ propter genus humanum?

Ad Ephes. 5. v. 2.

Ita Arias Montanus in arcano sermone

3. Reg. 2. v. 9.

Iob. 41. v. 11

Genes. 8. v. 21.

Quomodo Ecclesia imitans, & prædicans Christum, & eius crucem creuit, etsi multis persecutionibus sit vexata. §. 2.

Parabola simile est regnū cælorum grano sinapis.

1. AD Christi igitur crucifixi similitudinem se ipsam efformans Ecclesia eius sponsa, & legem eius cordi suo imprimens, vt eam aliorum cordibus imprimeret, ac verbo & exemplo legem & legislatorem annuntiaret, egressa est per vniuersum mundi desertum; ascendens sicut virgula fumi ex prædictis aromatibus procedens. Summā autem sui excitauit admirationem ascensus iste; nam verè stupendus fuit, si consideremus quid fecerit, quid prædicauerit, & quid passa sit: quàm fuerit eius vita mundo dissimilis: quàm eius doctrina sapientibus sæculi aduersa: quot quantasque tribulationes, & persecutiones pertulerit propter illam; & tamen semper creuit, ascendit, & super omnes est exaltata. Iam singula breuiter percurramus, quia vberius in præcedentibus sunt explicata. Et in primis Apostolorum ac iustorum Ecclesia instar ipsius Christi, qui cœpit facere & docere, fecit & docuit ea, quæ ipse; præcedens exemplo vt efficaciùs prodesset verbo. Ascēdit vt virgula fumi, quia paupertatem amplexa est, & humilitatem; & quæ paruula erat in oculis suis, tamquam paruula contemnebatur à mundo, sicut virgula atri fumi, qui nec visu est delectabilis, nec subsistentia permanens, sed citò euanescens. Despiciebat enim quæ mundus magni facit, & amplectebatur quæ ille respuit. Propter quod Apostolus se comparans alijs hominibus, qui in mundo florent, dicebat: *Nos stulti propter Christum; vos autem prudentes in Christo; nos infirmi, vos autem fortes; vos nobiles, nos autem ignobiles; vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur., &c.* Vnde quidquid faciebat, myrrha erat aut thus; quia propriè incumbebat abnegationi, & cultui vnius veri Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, omnia virtutum connectens opera, vt illum coleret, & operibus testaretur se tanti magistri esse discipulam.

1. Cor. 4. v. 10.

Et hoc ipsum prædicabat & annuntiabat mundo: nempe myrrham, & thus, id est, Christum hominem mortalem, & Deum immēsum, Christum crucifixum, mortuum ac sepultum in mundi redemptionem, & tamen per resurrectionem gloriosum & immortalem, ad dexteram Dei sedentem. Prædicabat etiā myrrham, hoc est, amaritudinem pœnitentiæ, & crucis Christi, propriæque abnegationis; relictis carnis illecebris, & mundi vanitatibus: prædicabat thus, id est, cultum vnius tantùm Dei, & redemptoris hominum, contēptis idolis & falsis Diis, quos venerabantur: prædicabat denique vniuersum virtutum genus, quo homo Deo subiicitur, & proximis quod æquum est, redditur. Hanc suæ prædicationis materiam exorsus est mūdus, sicut idem testatur Apostolus dicens: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.*

1. Cor. 1. v. 23.

2. Et hunc ortum habuit quidquid horribile passa est Ecclesia à Iudæis & Gentibus, qui eius prædicationem scandalum & stultitiam putabant. Nullum fuit tyrannorum genus, quod in Christicolas non sæuiret; nullum tormentorum, & persecutionum instrumentum, quod contra illos non assumeretur. Fremebant populi, Præsides, & Imperatores, sacerdotes idolorum ac Iudæorum, sapientes sæculi, & qui se iustos putabant, imò parentes,

rentes, fratres, amici, & omnes domestici; qui arbitrantes se obsequium præstare Deo, fideles persequebantur, & sæuissimis tormentis, crudelissimæque morti tradebant, ita vt Apostolus diceret: *Tamquam purgamenta huius mundi facti sumus omniū peripsema vsque adhuc*. Et: *Propter te mortificamur tota die. Facti sumus sicut oues occisionis*. Nihil enim sic conabatur mundus, & illius princeps diabolus, quàm Ecclesiam demolire, penitus euertere, ac in nihilum redigere, dicens; *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.*

1. Cor. 4. v. 13.

Ad Tim. 8. v. 36.

Ex Psal. 43. v. 23.

Psal. 36. v. 7

Sed ô stupenda Christi potentia! ô admiranda Ecclesiæ virtus suo sponso innixæ! ita crescebat, & ascendebat, ac si nihil pateretur, nec tam amara & inaudita mundo prædicaret; vt meritò Angeli admirantes dicant; *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum vt virgula fumi?* Ascendunt è deserto mundi vehementes persecutionum venti, furibundæque tribulationum procellæ, vt fumi virgulam dissipent, & dispergant; & tamen virgula fumi semper ascendit: non impeditur à ventis, non detinetur à procellis, non spargitur à furibundis impulsibus; sed contra omnes præualet, & rectà tendit, quia Christi virtus seruat eam, vt portæ inferi præualere non possint contra Ecclesiam per ipsum & in ipso fundatam: qui virgulam atri & vilis fumi eligere decreuit, vt mundum confunderet, & suam omnipotentiam patefaceret; sicut scriptum est: *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Tanta enim est potentia Christi, vt potuerit coniungere fortitudinem palmæ cum virgula fumi, & per virgulam fumi mundum prosternere, & vincere, palmamque de eo victo reportare; vt etiam dicamus: *Quæ est ista quæ ascendit vt palma fumi?* Portæ inferi voluerunt eam deprimere vsque ad inferos, sed omnipotens Christi virtus conseruauit eam, & euexit vsque ad cælos, & ex ipsa persecutione ansam sumebat, vt ampliùs cresceret, & ascenderet, & per vniuersum mundum protenderetur.

Matth. 16. v. 18.

1. Cor. 1. v. 27.

Ampliùs hoc confirmatur. §. 3.

VIdere hoc licet in prima Ecclesiæ persecutione post necem D. Stephani exorta, de qua dicitur: *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Ierosolymis, & omnes discipuli dispersi sunt per regiones Iudeæ, & Samariæ, præter Apostolos.* En Apostolorum inuicta virtus, quæ persecutionibus non cedit, sed in suo munere obeundo constans perseuerat. Sed quid de discipulis dispersis? Ausculta inuictam Christi virtutem, quia non dispersi sunt vt perirent, sed sicut disperguntur semina in terram, vt fructificent, & crescant: vnde vocabulum Græcum, quod vertit interpres, *dispersi sunt*, significat, *disseminati sunt*, vt eleganter perpendit D. Athanasius sic dicens: Audis post lapidatum Stephanum discipulos dispersos, & quasi seminatos, non quòd imbecillitate disiecti, sed fidei gratia ita diuersi essent: sed enim ita dispersi sunt, quasi seminantes frumenta effecti sint ad panem supercælestem conficiendum, vniuersumque orbem peragrantes viuificæ doctrinæ virtutes, efficaciasque disseminarunt. Idem obseruat D. Nissenus dicens: Hinc (id est ex hac persecutione) in orbem terrarum discipuli currere cœperunt; hoc omnes in partes sermonis diuulgationis initium est: nam nisi ab illius cæde populus Iudæorum in discipulos sæuiisset, forsitan solummodò Ierosolymis Euangelij gratia inclusa esset, nunc verò agitati à Iudæis, alius aliò gentium per orbem dispersi sunt, vndique per mysteriorum doctrinam diabolum exturbantes.

Act. 8. v. 1.

Hom. de fermento.

Oratione de S. Stephano.

4. Videtur hoc confirmare insignis illa sententia Saluatoris dicentis: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit multum fructum affert.* Quod enim de seipso dicit, etiam de Ecclesia & discipulis intelligi voluit: tunc enim crescunt, ascendunt, & fructum plurimum afferunt, cùm tribulationibus conteruntur à persecutionibus vexantur, & traduntur in mortem: quod optimè explicuit Tertullianus persecutores Gētiles alloquens; Nec tamen (inquit) nihil proficit exquisitior crudelitas vestra; illecebra est magis sectæ: plures efficimur, quoties metimur à vobis: semen est sanguis Christianorum. Et alibi: Nec deficiet hæc secta, quam tunc magis ædificari scias, cum cædi videtur: quisque enim tantam tolerantiam spectans, vt aliquo scrupulo percussus, & inquirere accenditur quod sit in causa, & vbi agnouerit veritatem, & ipse statim sequitur. Ecce vbi patientia in tormentis, quibus sancti opprimebantur, in causa erat, vt videntes eam ad fidem conuerterentur, & Ecclesia tantò plùs cresceret, quantò plùs vexaretur. Quod eleganter prosequitur Lactantius dicens: Cùm videat vulgus dilacerare homines variis tormentorum generibus, & inter fatigatos carnifices inuictam tenere patientiam, existimant id quod res est; nec consensum tam multorum, nec perseuerantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare. Hic fuit cæterorum patrum consensus. D. Hieronymus inquit: Persecutionibus creuit Ecclesia, martyriis coronata est. Ecclesiæ proprium est (ait D. Hilarius, vt tunc vincat, cùm læditur; tunc intelligatur, cùm arguitur; tunc obtineat, cùm d[illegible]tur. Ad multiplicandam Ecclesiam (inquit D. Augustinus) valuit Martyrum sanguis effusus seminatione, multiplicati sunt magis magisque Christiani; & non est impletum, quod Christi inimici de eo dixerunt; *Quando morietur, & peribit nomen eius?* Imo sicut Scriptura refert, quòd mortuo Ioseph, *Filij Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt ac roborati nimis impleuerunt terram*: & tunc vehementer cœperunt eos persequi & affligere Pharaon, & serui eius. *Sed quantò opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & crescebant*: ita etiam (inquit idem Augustinus) mortuo Christo Domino, qui granum fuit frumenti in terra seminatum, cœpit Ecclesia & fidelium populus crescere, & dilatari per vniuersum orbem, & cùm diabolus ac mundi principes & ministri eos acriter vexarent, quantò magis vexabant, tantò ampliùs ipsi crescebant, & grana, quæ cadebant in terram, singula magis multiplicata fructificabant.

Ioan. 12. v. 24.

In Apolog. c. vltimo.

Epist. ad Scapulam in fine.

Lib. 5. c. 13.

In vita Malachiæ epist. 62.

Lib. 7. de Trinit.

In Psal. 40.

Psal. 40. v. 6.

Exodi 1. v. 7. & 12.

Serm. 84. de temp.

De effectibus ignis tribulationis. §. 4.

1. SEd iam hoc confirmemus similitudine fumi aromatici, quam hactenus de igne diuini amoris explicuimus: nunc verò ad ignem tribulationis transferamus. Vtriusque enim symbo-

lum ignis est, quemadmodum enim aromata in ignem coniecta, & purgantur à terrestribus partibus, & resoluta in vaporem fumi ascendunt sursum, multoque ampliùs fragrant : ita Ecclesia & anima iusta, atque virtutes ipsæ, dum in ignem tribulationis coniiciuntur, ampliùs ab omnibus terrenis affectionibus purgantur, sursum ascendunt, & crescunt, maiorem cum Deo similitudinem obtinent, & vnionem; suauiusque fragrant, quia illustriorem pariunt gloriam Deo, & ædificationem in vniuerso mundo, opere ipso dicentes,

1. Cor. 2. v. 15. *Christi bonus odor sumus in omni loco*, in igne tribulationis myrrha fit purior, abnegatio sui sublimior & fragrantior, thus orationis redditur lucidius, ad Deum ascendit velociùs, & fidentiùs appropinquat throno illius; vniuersus puluis pigmentarij suaueolentior fit & pretiosior, quia tunc magis nitent obedientia & patientia, florent humilitas & māsuetudo, vigent spes, magnanimitas, & ceteræ virtutes, quæ instar aromatum, dum conteruntur, & rediguntur in puluerem per afflictiones, maiorem de se emittunt odorem. Tūc deniq; iustus perfectum sui offert holocaustum, nihil reseruans sibi, sed cuncta tradens Deo, propter quem, per ignem persecutionis se consumi libenter sinit; sicut de iustis Scriptura testatur dicens :

Sap. 3. v. 6. *Tamquam aurum in fornace probauit eos, & quasi holocausti hostiam accepit eos.* Sed perpende duplicem quam sapiens adducit similitudinem, quia ignis aurum probat, sed non consumit, imò purius & splendidius reddit : hostiam verò holocausti consumit, sed odorem suauitatis emittere facit: vtrumque agit ignis persecutionis erga iustos, nam spiritum non consumit, sed potiùs in æternum splendidiorem seruat; at corpus ac temporalia consumit, sed consumendo fragrantiores, sanctiores, & illustriores eos reddit.

2. Denique fides & regnum cælorum comparatur à Christo Domino grano sinapis, quod igneæ (Matth. 13. v. 31. Luc. 13. v. 19. & c. 17. v. 6.) naturæ est, & dum conteritur, vim suam acriùs, ostendit, & dum seminatum moritur, cùm sit minimum inter omnia semina, crescit & fit arbor maior omnibus oleribus: qu[illegible] fides, & quælibet virtus tunc maiorem oste[illegible] vim ac efficaciam, cùm tribulationibus atter[illegible]r. Et quamuis minima videatur, cùm mundo & carnalibus desideriis moritur, tunc mirabile recipit incrementum; & Ecclesia, quæ antea in oculis suis & aliorum erat minima, fit arbor magna, adeò vt volucres cæli requiescant in ramis illius, & quæ antea erat paruula, vt virgula fumi, fit procera palma copiosos ac dulces in fastigio suo ferens fructus, quoniam his tribulationibus agitata Dei virtute creuit, & in tantam peruenit sublimitatem, vt sæculi sapientes, & magnates eius exemplo & doctrina ad fidem conuersi in ea requiescant, & fructus dulcissimos omnium virtutum quibus pascantur inueniant, vt iam etiam dicere possimus; *Quæ est ista quæ ascēdit de deserto delitijs affluens, innixa super dilectum suum?* Et quæ sunt eius delitiæ nisi animæ, quas innitens Christo ad Deum conuertit? Cùm quibus ipsa ascendit: quia cum ea simul ascendunt & illæ: & Ecclesiæ profectus, animarum profectus est. Nouit etiam Dominus seruos suos post afflictiones consolationibus replere, & ascensum tamquam virgulam fumi, in ascensum delitiis affluentem commutare, sicut Ecclesiæ ipsi promiserat dicens:

Isai. 54. v. 11 *Paupercula tempestate conuulsa absque vlla consolatione, ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphyris, & po*-A *nam iaspidem propugnacula tua, &c.* Ac si dicat, commutabo paupertatem tuam in diuitias magnas, tempestatem tuam in ingentem tranquillitatem, & consolationis defectum in maximam eius abundantiam ob insignia bona quæ laboribus tuis es lucrata.

Prædicta applicantur Religiosis, qui per quinque abnegationis gradus ascendunt. §. 5.

QVæ hactenus de Ecclesia & pia anima diximus, facilè aptari possunt Cōgregationi religiosæ, quæ legem & perfectionem Euangelicam, Christique sequelam perfectiùs profitetur, & per omnes virtutum gradus ascendere satagit, qui his verbis designantur: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum ? &c.* B Ascendunt enim Religiosi iuxta suprà dicta per desertionem mundi, ac omnium terrenorum, quia sibi vsurpant id quod dictum est Abrahæ: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* (Genes. 12. v. 1.) Egressio autem ista (inquit D. Basilius) perfectissima ascensio est ab omnibus corporis voluptatibus, & fuga à delectatione sensiliū organorum, & à vita criminibus prius obnoxia. (In id Isai. 7. Egredere in occursum Achaz.) Quæ tria per terram, cognatos, & domum patris designantur. Sed proprius per terram intelligitur dulcis patria, in qua teste D. Ambrosio, cognatio & domus patris comprehenduntur, (Lib. 1. de Abraham. c. 2.) cuius desertio fundamentum est religiosæ perfectionis. Nam, vt inquit Hugo de S. Victore: (Lib. 3. didascalicę eruditionis 20.) delicatus ille est adhuc cui patria dulcis est: fortis cui omne solum patria est: perfectus verò cui totus mundus exilium est. Ille mūdo amorem fixit, C iste sparsit, hic extinxit. Sed sigillatim ex his verbis Cantici per modum epilogi deducamus quinque abnegationis gradus, per quos religiosi ascendunt, perfectissimum Deo offerentes holocaustum vehementi Spiritus sancti igne concrematum : singula autem nomina singulos designant gradus. Primus igitur est per paupertatis votum, quo ascendunt *per desertum*, deserendo diuitias, agros & possessiones omnes propter Christum, imò deserendo etiam personas sibi charas, à quibus hæc bona expectabant, videlicet parentes, fratres, domesticos, & sæculi amicos, ac si in deserto degerēt omni humano solatio destituto. Huic annectitur secundus per humilitatem mūdo oppositam, qua ascendunt *sicut virgula fumi* contemnendo mundanam gloriam, famam & magni nominis claritatem, ac quidquid in mundo preciosum est & laude dignum: amplectendo propriam D humiliationem, ignominiam, & contemptum sui, atque tamquam virgulam atri fumi citò disparentis reputari, etsi coram Deo & Angelis eius sit valdè fragrans. (In exhort. 17. hæc fusius explicata sunt.) Vtrumque gradum coniunxit Christus Dominus, cùm dixit: *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cælorum*, (Matth. 5. v. 3.) vbi secundùm varias Sanctorum Patrum interpretationes simul de paupertate voluntaria loquitur, & de cordis humilitate, quibus adiungit præmium regni cælorum, vt quæ est virgula fumi, etiam palma fumi vocari valeat.

3. Tertius gradus est per votum castitatis, ascendendo vt aroma *myrrhæ* contritæ, & in igne crematæ, scilicet mortificādo carnem, & omnes eius cōcupiscentias vt ab omni corruptionis labe pręseruetur. Nam quod myrrha præstat corporibus mortuis, hoc castitas præbet viuis, vt seruet eam incorruptionem, quæ hominē Deo proximū facit. (Sap. 6. v. 20.)

4. Quartus verò & sublimior est per voluntatē obedientiæ

obedientiæ propriam abnegando voluntatem ac iudicium, qui per contritionem & combustionem *thuris*, quod in Dei cultum offertur, optimè designatur. Etenim inobedientia genus quoddam est idololatriæ iuxta illud, (1. Reg 15. v. 13.) *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere*: Inobediens enim idolo proprij iudicij proprięque voluntatis thus offert, contempto vero Deo & præceptis eius: at obediens è contra hoc thus conterit & concremat, vt soli Deo offerat; proprium iudicium, & voluntatem conculcans, diuinæque subijciens. Quintus est abnegatio sensuum & reliquarum affectionum ac cogitationum partis sentientis, veluti qui omnia aromata conterit, & in puluerem redigit : per quem gradum maximè ascenditur in reliquis virtutibus moralibus quæ appetitus subijciunt rationi, vnde omnis ferè pendet obseruantia regularis. Pigmentarius autem est prælatus, qui singulis facienda iniungit: & curam gerit, ne huiusmodi abnegationes deficiant. Nec tamen sine causa mētio fit pulueris, qui minimum quid est, ad denotandum, minima, quæ per se nihil valere videntur, valde conducere ad ascensum. Nā sicut in arithmetica nota o, per se nihil valet, tamen addita numeris magnum affert incremētum, nam si numero ternario 3 addas vnū o, fiunt triginta, si addas aliud, fiunt tercenti; si aliud, tria millia : sic etiam qui ex affectu charitatis & virtutis minima operatur, vel minima propter Deum relinquit, magnum sanctitatis recipit incrementum. Propter quod Saluator dixit: *Hæc*, idest, *magna oportuit facere, & illa*, idest, *minima nō omittere.* (De hoc lib. 9. exhort. 13. §. 1.) Hos quinque ascēsus efficit diuini amoris ignis ad modum quo in præcedentibus exhortationibus explicatum est. Sed numquid ignis etiam tribulationis alium sextum gradum abnegationis excitat? Vtique, & sublimiorem, per heroïcam patientiam vsque ad mortem, de quo tamen agemus infrà circa verba illa, *Ascensus eius purpureus.* (in exhort. 30.) Vtinam per omnes ita gradiamur de virtute in virtutem, vt ascendamus ad videndum Deum in cælesti Sion. Amen.

EXHORTATIO XX.

Pro Defunctis, in id *Beati mortui qui in Domino moriuntur, &c.*

De miro ascensu sanctæ animæ post mortem in tribunal Dei, vt suorum bonorum operum præmium recipiat, & quàm efficaciter ad proficiendum moueat.

Quæ est ista, &c.

Epist. 62. NON desunt, qui cum D. Ambrosio hunc locum cantici vltimo, animæ ad Deum per mortem ascensus aptent. Nec incongruè vterque vitæ & mortis ascensus eisdem verbis describitur, quia nihil ita animam stimulat, & vrget, vt ad Deum ascendat per opera pœnitentiæ, & abnegationis propriæ, aut patientiæ, per aliarumque virtutum actus, quàm memoria mortis, & ascensus, qui in ea fit ad tribunal Christi, vt reddat vnusquisque rationem eorum quæ in corpore gessit, & tandem vltimam in cælis suorum operum remunerationem accipiat, (Vide dicta exhort. 15. §. 2.) propter quod dixit Ecclesiastes: *Quodcumque potest manus tua instanter operare*: (Eccles. 9. v. 10.) En vbi ad progressum excitat; sed rationem reddit; *Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos quò tu properas.*

A *Per aromata in ignem coniecta præfigurari mortem iustorum.* §. 1.

ELEGANTER autem in his verbis mors & ascensus eius depingitur : Nam sicut aromata, dum conijciuntur in ignem, illius vi diuiduntur, & partibus terrestribus in cinerem redactis, fumus sursum ascendit: sic in morte ab igne æstuantis febris & languoris, corpus terrenum consumitur, donec in sepulchrum proiectum in puluerem conuertitur: spiritus verò velut fumus ascendit sursum iuxta illud, *Reuertatur puluis in terram suam vnde erat: & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* (Eccles. 12. v. 7.) At sicut fumus secum fert odores materiæ, vnde eductus est: si ex sulphure, vel pannis aut lignis putridis combustis fit, odorem fert teterrimum & acerbissimum: si ex aromatibus verò, odorem suauem, B & valde gratum: ita etiam spiritus hominis ad tribunal Dei ascendit portās secum odores operum, quæ fecit in vita: spiritus iniquorum odores portat pessimos, quia opera eius pessima fuerunt, & ignis carnalis concupiscentiæ ex terrenis, rebus quas concupiscebat, exhalauit eos, & ideo *mors peccatorum pessima.* (Psal. 33. v. 22) Nam cùm ad Dei tribunal perueniunt, inde mox proijciuntur in puteum abyssi, vbi est perpetuus fumus sicut fornacis magnæ, & cruciabuntur igne & sulphure : *Et fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* (Apoc. 9. v. 2 & c. 14. v. 11.) Ascendet, inquit, quia numquam dissoluetur, nec minuetur, sed in æternum manebit excæcans mentem, sicut manet ignis vrens & torquens animam. At spiritus sanctorum ascendit sicut fumus aromatum, secum ferens odores myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, qui in extremo iudicio valdè grati Deo erunt: Nam ideò dicitur; *Beati mortui, qui* C *in Domino moriuntur:* & quare beati? *Opera enim illorum sequuntur illos.* (Apoc. 14. v. 13.) Secum enim ferunt odores bonorum operum quæ fecerunt, quæ cum ipsis ascendunt ad conspectum Dei, propter quod, *Pretiosa* dicitur *in conspectu Domini mors sanctorum eius.* (Psal. 115. v. 15.) De qua Angeli admirantes dicunt : *Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula f[illegible]?* &c. Quoniā myrrha mortificationum, & [illegible] secum, ac vniuersus puluis aromatic[illegible] operum, quæ fecit in vita, faciunt ill[illegible] Deum ascendere : sed cùm audis vocem [illegible]*ersi pulueris*, memento duo valde proficua insinuari. Primum, neminem in cęlum ascendere nisi qui vniuersam legem seruauerit, & cuncta opera præcepta nullo dempto peregerit: nam teste D. Iacobo : *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno factus est omnium reus.* (Iacobi 2. v. 10.) Alterum verò est quemcumque ascendentem in cæ-D lum secum portare vniuersa opera bona magna & parua, etiam ex consilio tantùm facta, vt pro omnibus etiam minutissimis plenam accipiat remunerationem: & labor susceptus emolendo pulueres istos non carebit mercede sua.

Emole (inquit Ambrosius) & tu fidem tuam, vt (in Epist. 62.) "sis sicut illa anima, quę Christi in se charitatem excitat, quam mirantur ascendentem virtutes cælorum, quòd sine offensione ascendat, & ex hoc mūdo ascendat cum lætitia, & iucunditate, sicut vitis propago, & sicut fumus ad suprema subrigat, fragrans odorem resurrectionis piæ, & suauitatem fidei, sicut habes scriptum: *Quæ est hæc quæ ascendit à deserto sicut vitis propago, fumo incensa, odorificata myrrha & thure ab omnibus pulueribus vnguenti?* (Exod. 30. v. 34.) Pulchrè subtilitatem eius expressit pulueris comparatione, (Psal. 140. v. 2.) & vnguenti commemoratione, quia in Exodo subtile legimus, & ex multis compositum

thymiama illud esse incensum, *Propheticum, quod est sanctorum oratio.* Hæc Ambrosius propriam sequens versionem huius loci ab omnibus alijs diuersam.

Duplicem esse Domum puluueris, terreni, & aromatici §. 2.

1. Feria 4. in cineres. Genes. 3. v. 19. Michææ 1. v. 10.

SED perdendamus ampliùs mysterium puluetris, cuius hîc fit mentio, est enim puluis terrenus, qui non est aliud quàm minutissima terra arida, & symbolum est mortis, iuxta sententiam Dei cõtra hominem, *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Cuius memoria valdè excitat ad pœnitentiam, & bona opera perficienda: ideoque Ecclesia in initio Quadragesimæ his verbis vnctione cinerum adhibita fideles ad illa hortatur, iuxta illud Michææ Prophetæ: *In Domo puluueris puluere vos conspergite.* Domus puluueris corpus est, in puluerem resoluendum, in quo misera commoratur anima; aut sepulchrum in quo reponendum est corpus mortuum; qui autem in huiusmodi domo saltem cogitatione habitat, puluere se conspergit, id est pœnitentiam agit vt veniam peccatorũ obtineat. Hic puluis nõ fragrat sicut aromaticus, sed fætet; non ex arte ab aliquo peritopigmentario cõfectus est, sed ex peccato Adæ, & ex inuidia Diaboli, qui mortem introduxit in orbem terrarum, & homines fecit instabiles, sicut est puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. At si te illo humiliter cõspergas, Dei excitabis misericordiam, sicut testatur Dauid dicens: *Quomodo miseretur pater filiorum misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum; Recordatus est, quoniam puluis sumus.* Memoria enim huius puluueris dum te excitat ad humilitatem, & timorem, Deum ad compassionem & misericordiam prouocat.

2. Apoc. 7. v. 11.

At alius est puluis aromaticus, qui à pigmentario conteritur, vt in ignem coniectus ascẽdat, odorem vehementiorem efflans, & hunc puluerem ex vniuersis aromatibus congregat iustus in domo interna conscientiæ suæ, vt [illegible] eius corpus resoluatur in puluerem terrenu[illegible] huius puluueris odoribus circumfusus [illegible]ndat, & Deo sit gratus. Esto ergo stren[illegible]dens pigmentarius habens apud te dom[illegible] puluueris aromatici, & apothecam omnium aromatibus virtutum refertam, cum maxima animi promptitudine ad singula earum opera perficienda; habet etiam cordis thuribulum seu prunarium igne charitatis plenum, in Dei & proximorum amorem iugiter exardescens: & cùm oportuerit operari, legisque præcepta aut consilia perficere, contere aromata, & redige in puluerem, opera studiosa discute, igni amoris coniunge, vt per illa nunc ascendas, quotidie in meliùs proficiens, in morte verò ascendas vt eorum potiaris præmio, admirantibus Angelis & canentibus, *Quæ est ista quæ ascendit sicut palma fumi?* In vita ascendit vt virgula fumi: quia humilitatem semper & rectitudinem sectabatur; at in morte ascendit vt palma, quia tunc plenam obtinet victoriam de hostibus suis; & quamuis corpus mortuum quasi victum in terra iaceat, spiritus tamen tamquam victor ascendit sicut palma, vt regnet cum cætetis sanctis, qui amicti stolis albis palmas habent in manibus suis.

3. Refert Ghislerius hîc.

Nonnulli hanc versionem explicant de vera palma aromatum odoribus fumicata, sicut D. Ambrosius retulit ad vitis propaginem fumo incẽsam odorificatam myrrha: alij verò de palma similitudinaria, seu de fumo ad modum palmę: vtraque autem expositio nostro cõgruit intento. Nam prima referri potest ad ascensum in palmam gloriæ, quæ perfecta est, & laborum finis; secunda verò ad ascensum huius vitæ, & ad palmas, victoriasque illius, quæ similitudinem referunt eius, quæ obtinetur in cælis. Obseruat hoc eleganter D. Gregorius perpendens verbum illud Ezechielis, *ante frontes picturæ palmarum.* Palma (inquit) in manibus tenere est victorias in operatione tenuisse, cuius operationis palma ibi retribuetur, vbi iam sine certamine gaudebit. Vnde Ezechiel, nõ ait palmæ ante frontes, *sed ante frontes picturæ palmarum.* Nam hîc plerumque sanctos viros aspicimus mira agere, & virtutes multas facere; leprosos mundare &c. Sed cũcta hæc nondum palmæ sunt, sed adhuc pictura palmarum: quia de eis foris ostẽditur, quales apud omnipotentem Dominum intus habeantur: ibi autem eis palma erit, vbi contentio mortis non erit. Hæc carptim ex D. Gregorio: Vnde deducimus quæcumque Deus in hac vita largitur iustis præmia, tantùm esse quasi imagines palmarũ & picturas senis pulcherrimę palmæ, quæ datur in gloria. Hom. 17. in Ezech. Ezech 40. v. 16.

4.

Denique ascensus iste sit ex aromatibus antea contusis instar puluueris, vt scias ex eo iustos in morte in cælum ascendere, quia cuncta opera sua exactè examinarunt, & iudicarunt. Deus enim in iudicio suo iustitias iudicabit, sicut Psaltes inquit: oportet autem priùs eas excussisse & iudicasse, quoniam iuxta sententiam Apostoli, *Si nosipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* Maximè cùm iudicium factum est in confessione sacramentali, & discussio à pigmentario, quem suprà diximus esse confessarium? Psal. 74. v. 3. 1. Cor. 11. v. 31.

De ascensu spiritus dealbati, & delitijs affluentis. §. 3.

1. Serm. 14. in Psal. 118. v. 5.

CLariùs hoc explicat altera interrogatio in vtraque versione, *Quæ est ista quæ ascendit dealbata.* &c. Quem locum D. Ambrosius de ascensu iusti in morte ita interpretatur: Anima cãdida ascendit de terris, quia fulget amicta veste sapiẽtiæ: meritis ascendit albentibus ex isto vitæ huius deserto ad illum florentem semper locum iucunditatis æternæ. Virtutes autem cælestes mirantur, ex isto confragroso, scopulosoque deserto aliquam ascendere animam posse sine magnorum labe vitiorum, & ideo gratulantur repertam, quæ vestimenta innocentiæ naturalis non polluerit atramento sapientiæ sæcularis, sed potiùs sapientiæ spiritalis, & gratiæ candore mundarit. Consonat huic admirationi quòd sponsus eam inuitauit vt veniret & ascenderet ita dealbata, cùm dixit: *Veni de Libano sponsa mea, veni, coronaberis,* Libanus enim dealbationem significat. Sed magis adhuc cõsonat interrogatio vnius senioris in Apocalypsi dicentis Ioanni: *Hi qui amicti sunt stolis albis qui sunt, & vnde venerunt?* Et respondit ipse senior: *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laucrunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni:* Ac si diceret: Hi sunt qui ascenderunt è deserto mundi, vbi à feris, id est, ab hominibus ipsis feris sæuioribus ingentes passi sunt tribulationes. Ascenderunt autem loti, & dealbati gratia Christi per virtutem sanguinis eius, quo redempti sunt, quod sic amplificat idem Ambrosius: Hîc demonstrat non ad electos, qui in hac via laborant, sed ad eos, qui in cælesti vita cùm Domino requiescunt, hæc pertinere: non enim sancti de magna tribulatione, sed Cant. 4. v. 8 de hoc ibi fusius. Apoc. 7. v. 13. In Apocalyp. 7.

sed ad magnas tribulationes perferendas in mundum veniunt, sicut dicit Iob, *Homo nascitur ad laborem.* Et Dominus in Euangelio, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et Paulus, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* Hic enim tempus est tribulationis, illic tempus pacis. Sancti itaque de magna tribulatione veniunt, quia ab hac vita subtracti, vbi tempus tribulationis est, in æterna quiete collocantur. Hæc ille. Iuxta quæ possemus etiam assignare discrimen inter istos ascensus, quia in hac vita propriè fit per desertum; id est, per magnas ærumnas & tribulationes; in morte verò non per desertum, sed è deserto, quasi iam tribulationibus relictis tendat in regnum tolerantibus illas promissum. Iob 5. v. 7. Mat. 5. v. 10. Act. 14. v. 21

Non inficior duplicem hic referri magnam tribulationem. Alteram sponte assumptam per afflictiones pœnitentiæ voluntarias, de qua in Exhortatione 17. dictum est. Alteram verò ab impiis per vim incussam, & per vtramque in deserto huius mundi ascendunt Sancti dealbati, quia vtraque dum vexat, lauat; non propria virtute, sed sanguinis Christi; qui etsi rubeus, est instar saporis efficacissimi omnes abstergens maculas, & super niuem animam dealbans, quæ cum hoc albore cœlum ingreditur, vbi candidissima vestitur gloriæ stola.

2. Sed illud iucundius, quod ascendit *Delitiis affluens, innixa super dilectum suum.* Finita enim tribulatione magna, ascendunt Sancti cœlestibus delitiis affluentes, quas ipso mortis tempore prægustare inchoant; mortem enim tanquam transitum in paradisum gaudenter accipiunt, quia illis viuere Christus fuit, & mori lucrum, ac ingens gaudium. Sed copiosioribus multo delitiis in ipso transitu potiuntur, cùm ipse Christus ad dilectos suos venit, vt eos tunc consoletur, & ad se assumat; iuxta illud, *Si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis.* Illos enim in regnum suum, & in paradisum delitiarum introducit. Quod idem senior in Apocalypsi testatus est, cùm subdit, *Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque vllus æstus, quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum*: id est ipse Christus agnus Dei, in quem crediderunt, tanquã pastor eos reget, brachiis suis portabit, & adducet ad seipsum, & ad fontes viuos delitiarum Dei, & torrente voluptatis suæ potabit eos, maximisque & sempiternis delitiis pascet, reficiet & satiabit. Tunc myrrha & thutis conuertentur in manna dulcissimum visionis ac amoris beatifici, & vniuersus puluis pigmentarij in vniuersum gaudium Spiritus sancti; quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quam immensæ sunt delitiæ, quas præparauit Deus diligentibus se, cùm illis se videndũ exhibet facie ad faciem, postquam ierunt de virtute in virtutem, & vident Deum Deorum in cœlesti Sion. Iob. 14. v. 3. Apoc. 7. v. 16.

In Exhort. sequenti de Deipara plura dicentur. Gen. 28. v. 13.

Ascendamus ergo per virtutum scalam, & per omnes eius gradus; quoniam merces nostra multa est nimis. Deus est innixus scalæ, non vt teneatur ab illa, sed vt teneat, & fulciat illam, & ascendentes per eam ne deficiant, sed potius illi innixi ad ipsum perueniant. Scalæ verò cacumen tangit cœlum, & illud aperit, vt ascendentes ingrediantur; propter illam enim dictum est, *Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli*; nam per gradus virtutum peruenitur ad domum Dei cœlestem non manufactam, & aperitur porta ad ingrediendum in eam, vbi Sancti laudabunt Deum suum in secula seculorum. Amen.

EXHORTATIO XXI.

De singulari ascensu Deiparæ, tam in vita vsque ad supremum verticem sanctitatis, quàm in morte, cùm assumpta est super omnes choros Angelorum.

PRO FESTIS B. MARIÆ, maximè PRO ASSVMPT. EIVS.

Quæ est ista quæ ascendit per desertum, &c.

IAM ad beatissimam Deiparam verba ista conuertamus, cùm ipsi multo præcellentiùs, quàm vlli alteri sponsæ, singularique ratione conuenire constet. Cuius profectum tam rarum, nouum, & prodigiosum, mirati sunt Angelicæ hierarchiæ, imo sponsus ipse, cuius virtute peractus est. Vnde singulari prærogatiua, & per quandam antonomasiam proprium Virginis nomen est, *Quæ ascendit*; sicut nomen filij eius est, *Vir oriens.* Etenim Christus Dominus secundùm internas virtutes nec ascendit, nec potuit ascendere; quia sine mensura spiritum accepit, & ab initio habuit quidquid sanctitatis poterat habere. Cæteri autem homines aliquandiu iacuerunt priusquàm starent, & ascenderent; nec continuò ascendunt, sed multoties descendunt, aut in ipso ascensu lassantur, & remorantur, aut remi[illegible]ascendunt, cum multa sint, quæ illas ascend[illegible]ardent: at beatissima Virgo ab ip[illegible]nis instanti inditum nomen hab[illegible]; nunquam iacuit in originali culp[illegible]ta est ascendens à statu naturæ, in statum gratiæ, per quam tunc natura est sanctificata, & sursum acta. Quod si vsum rationis tunc accepit (vt alibi diximus) ex tunc cœpit ascendere, & crescere; atque omnibus suis actibus vsque ad finem vitæ semper ascendit; nec vnquam ascensum leuiter interrupit, vel detinuit, aut remissè peregit, sed iuxta omnes suæ gratiæ vires se quotidie supra se eleuabat, in sublimiorem se erigens sanctitatis gradum; propter quod summo cum stupore de ipsa dicimus, *Quæ est ista quæ ascendit?* Nomẽ Deiparæ per antonomasiam esse, Quæ ascendit. In l. 1. Exhort. 11.

Ascendisse per solitudinem spiritualem, & desertum virginitatis. §. 1.

HVIVS Virginei prodigiosi ascensus præsagium fuit, quod cum puella trima à parentibus in templum duceretur, magna omnium admiratione gradus quindecim templi alacriter conscendit, vt per omnium virtutum gradus ascensuram crederetur; nam (vt inquit Diuus Ambrosius, incessu, affectuque ita fuit venerabilis, vt non tam vestigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret. Præsentatio in templum. Lib. 2. de virginibus.

2. Ascendit autem primò per singulare, & rarum A desertum spiritale, quoniam intra seipsam, ita cunctas terrenas, ac temporales cogitationes & affectiones deseruit, vt nulla prorsus vana, inutilis, vel otiosa permanserit; imò nec transierit per illam, quod nulli hominum vnquam concessum est: nam quantumuis sancti fuerint, & si has paruulas muscas non admiserint; quæ morientes & commorantes perdunt suauitatem vnguenti, subitos tamen earum morsus, aut ictus aliquoties perpessi sunt. (Eccl. 10. v. 1) At Deipara ita sola soli Deo semper vacabat, vt nec minima muscula eam vnquam perturbaret, nec ad cor eius accedere auderet. Miram ergo & singularem solitudinem internam coluit, quia nulli creaturæ adhæsit, aut confidit, sed soli Deo, in quem omnes suas curas reiecit, vt melius quàm regina Hester dicere posset, *Domine mi, qui Rex noster es solus, adiuua me solitariam, & cuius præter te nullus auxiliator est alius.* (Hester 14. v. 3.) B

3. Sed præterea ascendit per singulare desertum virginitatis. Pulchre enim virginitas desertum appellatur, quia Virgo omne hominis consortium, cunctasque carnis voluptates deserit, & vni viro Christo placere studet. In lege autem veteri apud priscas fœminas etiam sanctas nihil ita erat neglectum ac desertum, sicut virginitas, omnesque filiis procreandis incumbebant, ne maledictioni legis iuxta hominum æstimationem subiacerent. Vnde & filia Iephte in ætate nubili sine filiis moritura, (Iudic. 11. v. 36.) virginitatem suam per duos menses in montibus fleuit; at beatissima Dei genitrix prima tunc per hoc desertum ascendit, dum virginitatis votum etiam paruula Deo obtulit, tantaque animi firmitate retinuit, vt Angelo conceptionem filij Dei C nuntianti, diceret, *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* (Lu. 1. v. 34.) id est, omnem virum deserere decreui, nec illum agnoscere, maloque subiacere maledictionis opprobrio, quam habere filium cum virginitatis detrimento. At in lege noua ex hac parte non est deserta virginitas, nec desertum vocari potest; quia hæc Vir[illegible]num innumeras habet sui voti imitatrices[illegible]us est numerus eorum qui sequun[illegible]cumque ierit, quia virgines sunt; (Apoc. 14 v. 4.) re[illegible]ration[illegible]m deserti, quia non humanam, [illegible]gelicam vitam profitetur; Virgo enim inter homines degit, ac si non esset homo, sed Angelus, cuncta humana deserens, vt Angelorum subeat puritatem.

Hinc est per desertum virginitatis facilius ad verticem perfectionis ascendi: nuptiæ enim vincula D coniiciunt coniugatis, ne liberè faciant quod cupiunt, cor diuidunt, ne totum tradatur Deo; nam *Qui cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est*: (1. Cor. 7. v. 32.) at virginitas vincula hæc disrumpit, vel potius à se longè pellit, & integrum cor Deo seruat; nam, *Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; & mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu.* Vnde & facultatem præbet sine impedimento Dominum obsecrandi; valdè enim solitudinem spiritalem colit, & amat, à corde expellens quidquid non placet vni viro Christo. Per hoc ergo desertum ascendit Regina virginum, nouæ legis sectatoribus iter pandens, vt ascendant post illam; sicut scriptum est, *Adducentur regi virgines post eam.* (Ps. 44. v. 15.)

Ascendisse per profundam humilitatem, & rectitudinem intentionis. §. 2.

1. SED quoniam desertum istud vehementer inflationis vento concuti solet, ascendit, *Tanquam virgula fumi*; id est, cum profunda cordis humilitate, & summa rectitudine intentionis, quæ duo per virgulam fumi supra diximus significari, suntque verissimi comites, & fidissimi virginitatis custodes, decus, gloria, & ornatus illius. Tunc enim Virgo securè & pulchrè per desertum virginitatis ascendit, cum de se humiliter sentit, non suis viribus fidit, soli Deo eam ascribens, cui, & non hominibus per eam placere studet; nec se de illa iactat, sed potius ancillulam inutilem, & vilem æstimat. Quod si hæc non habet, vel ea contemnit, non ascendet per suum desertum, sed in illo descendet, & peribit, velut virgines fatuæ, quibus dictum est, *Nescio vos*; (Mat. 25. v. 12.) id est nescio, nec probo vestram inflatam virginitatem: nam cum sitis virgines corpore, estis corruptæ & adulteræ spiritu, dum non mihi sponso legitimo, sed hominibus placere studuistis; non quæ Dei sunt, sed quæ mundi, in corde vestro reuoluentes. Ego autem solum noui virgines humiles, simplices, & rectas corde, quæ corpore & spiritu integræ mihi adhærere student, & vnum mecum per purum amorem fiunt.

Huiusmodi fuit beatissima Regina virginum, quæ sicut virginitate, ita mira splenduit humilitate, & cordis rectitudine. Pulchra (inquit Diuus Bernardus) permixtio virginitatis & humilitatis, (Hom. 1. in *Missus est.*) nec mediocriter placet Deo anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas; illa consulitur, ista præcipitur: sine humilitate audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset, *Super quem*, inquit, *requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum?* Si Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requieuisset, nec impregnasset, *Quia respexit*, ait, *humilitatem ancillæ suæ*, potius quam virginitatem: & si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Quid dicis, virgo superbe? Maria Virginem se oblita, gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem blandiris tibi de virginitate. (Plura de hoc in to. 3 de perfect. tract. 2. De cõtinẽtia & castitate c. 7. & supra l. 4. Exhort. 9. & 10.) Hæc carptim ex Bernardo, qui plura ad hunc scopum congerit. Rectè ergo mirantur Angeli, quod Maria per desertum tam inuium, & inusitatum ascendat, perpetuam colens virginitatem; & tamen quod simul ascendat vt virgula fumi, paruulam in oculis suis, & abiectam se reputans; de illa prædixerat Isaias secundùm Diui Hieronymi interpretationem, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*: (Isa. 11. v. 1.) at ipsa non virgæ, sed virgulæ nomine gloriatur, quæ viliora sunt sibi, attribuens; sicut cum Angelus eam in Dei matrem dicit electam, ancillæ nomen sibi vsurpat.

2. Sed aliam perpende admirationis causam non minus nouam & illustrem. Insurgunt in hoc virginitatis deserto venti vehementes, & furiosæ procellæ, quæ illud concutiunt, & ascendentes per illud exturbant, ac multoties deiiciunt. Vnde ausus est Diuus Augustinus dicere; Inter omnia Christinianorum certamina sola duriora sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna, & rara victoria: grauem enim castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur, & timetur. (Ser. 150. de temp.) Meritò ergo Angeli de Virgine, quæ per hoc desertum

ascendit hostes contemnens, & de eis victoriam reportans, admirantes dicunt, *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut palma fumi*, &c. Et quidem victoria reliquarum virginum palma est, sed nonnihil retinet nigredinis fumi, quia dum intus concutitur, nonnihil saltem leuiter maculatur. Propter quod (teste Diuo Thoma) Christus Dominus internis tentationibus carnis pulsatus nunquam est: (3. p. q. 1. art. ad 3.) tamen hinc ipsa castitas melius seruatur, dum per pugnam dignoscitur propria fragilitas, radicatur humilitas, & fiducia in Deo roboratur. At Deipara singulari priuilegio, per hoc desertum semper ascendit, sicut palma fumi odoriferi, sine vlla nigredine culpæ, vel internæ pugnæ; quoniam hostes virginitatis non ausi sunt ad illam accedere, sed ante pugnam se testabantur victos, quia certò sciebant esse vincendos. Sed quem inimicum non vinceret? quam voluptatem non contemneret, quæ B ita erat virginitati addicta, vt nec dignitatem supremam matris Dei cum eius detrimento auderet accipere? Quod si omnia diabolus in eam tela coniiceret, nihil eius constantiam læderet, quia humillima erat, & non suis, sed Dei viribus pugnaret, & vinceret.

Sed hanc victoriam maximè adipiscitur humilitas, quam parit charitas, quæ, (vt iam diximus) per ignem vnde fumus prodit, designatur: etsi cor Virginis possideat, contra omnes tentationes præualebit, nec eius ascensum poterunt impedire. Ignis enim iste internam efficit solitudinem, dum omnes carnis cogitationes & affectiones comburit, vt soli dilecto sponso inhæreat; ideoque felix (ait Diuus Hieronymus) illa conscientia, & beata virginitas, in cuius corde præter amorem Christi nullus alius versatur amor, nec ad recordationem hominis aliquando suspirat, nec videre desiderat. (Epist. ad Demetriadem de seruanda virginit. ad finem) Denique Apostolus duplici indiguit exactore humiliante ipsum, interno & externo, *Ne magnitudo*, inquit, *reuelationum extollat me; datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet*: (1. Cor. 12. v. 7.) at Deipara non indiguit stimulo carnis tentante, vel Satana persequente, vt humilis esset, quamuis ingentiores quam Paulus, reuelationes accepisset, quia charitas Christi, & illustratio diuina hoc illi abundè præstabat.

Ascendit per sui abnegationem, orationem, & alias virtutes. §. 3.

PRÆCLARIOR redditur eius ascensus, ex eo quod est tanquam *Virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris.* Cuncta enim Christiparæ vita, myrrha fuit & thus, iugiterque ascendebat in montem myrrhæ, & collem thuris, maximè postquam assumpta est in matrem Dei: nam licet antea spontaneam myrrham propriæ abnegationis elegerit, postea tamen amaras myrrhæ passa est ærumnas, quæ illam sublimiùs ascendere vrgebant, vt benè aptetur ei nomen Mariæ, si iuxta Hebraicam etymologiam amaritudo maris interpretatur, vel mare amaritudinis; de qua dici possit illud Ieremiæ, *Magna est velut mare contritio tua.* (Thren. 2. v. 13.) Cùm enim cruci astitit, licèt corpus staret immotum, spiritus tamen ascendebat sicut fumus myrrhæ, & thuris, & per myrrham doloris manebat cum filio cruci confixa; per thus verò orationis ascendebat in cœlum, vt Patri Filij sui passionem commendaret; vniuersaque eius vita myrrhinis A & thuriferis affectibus fuit perfusa; quia nunquam ei defuit quod affligeret, nec vnquam ab oratione cessauit. His autem duobus exercitiis potissimè ad eum sublimissimum sanctitatis gradum ascendit, quem assecutam confitemur. Sicut ipsa (teste Diuo Bonauentura) sanctæ Elizabethæ viduæ reuelauit. (In medit. vit. Christi c. 3.) Nullam, inquit, gratiam vel virtutem habui à Deo sine magno labore, continua oratione, & ardenti desiderio, profunda deuotione, multis lachrymis, & multa afflictione, dicendo & cogitando semper placita illi, sicut sciebam & poteram, excepta sanctificationis gratia qua sanctificata fui in vtero matris. Et certò scias quod nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem & corporis afflictionem. En vbi myrrhæ & thuri omnem suum ascensum attribuit, cum quo etiam omnium virtutum aromaticum puluerem aggregauit; quarum fragrantia vniuersam confortabat Ecclesiam, B in suique admirationem rapiebat, vt D. Ignatius testatur, dicens; (In ep. 1. Vide supra Exhort. 12.) Et quidam notificauere eandem matrem Dei omnium gratiarum esse abundantem, & omnium virtutum more Virginis, virtutis & gratiæ fœcundam; quæ (vt dicunt) in persecutionibus & afflictionibus est hilaris, in penuriis & indigentiis non quærula, iniuriantibus grata, & modesta in re, læta, &c. Et paulò infrà; vt nobis à fide dignis narratur, in Maria Iesu humanæ naturæ natura sanctitatis angelicæ sociatur, & hæc talia excitauerunt viscera nostra, & cogunt valdè desiderare aspectum huius (si fas sit fari) cœlestis prodigij, & sacratissimi spectaculi. Verè prodigium Maria, quia prodigiosus fuit eius ascensus. Alij enim Sancti, etsi omnes sibi congregauerint virtutes supernaturales secũdùm habitus, tamen quantum ad earum actus, & studia, non omnes pariter in illis ascenderunt; sed quidam magis ascende- C bant sicut fumus myrrhæ, quia operibus pœnitentiæ splendebant; alij sicut fumus thuris, quia eminebant contemplatione, hi præcellebant paupertate spiritus, illi operibus misericordiæ, isti animarum zelo; at D[illegible] ascendit sicut fumus vniuersorum [illegible]gradu præcelso, quia in o[illegible]nibus[illegible]nnibus Sãctis simul creu[illegible] ascen[illegible]t. Quo sensu verissima est D. Hierony[illegible]ia, cæteris per partes præstatur; Mariæ verò se tota infudit gratiæ, & virtutis plenitudo; (Ser. de assump. to. 2.) de eaque dicere possumus, *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas*: (Prou. 31. v. 29.) nam quantum mare superat fluuios, tantum Deipara Sanctos. Quoniam, vt inquit D. Bonauentura, sicut in mari aquarum, ita in Maria sunt congregationes gratiarum. (In speculo Virg. seu opusc. de laud. Virg. c. 7.) Propter quod cum D. Bernardo de illa explicat, quod Ecclesiasticus ait, *In* D *plenitudine sanctorum detentio mea*; (Eccl. 24. v. 16.) quia in mirifica perfectione sua plenitudo perfectionis Sanctorum illi non deficit, nimirum fides patriarcharum, spiritus Prophetarum, Apostolorum zelus, constantia Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, imò nec puritas Angelorum; scriptum enim est, *In plenitudine sancta admirabitur*; (Eccl. 24. v. 3 *Verba sunt diuinæ Sapientiæ de seipsa.*) id est, erit omnibus summæ admirationi, & incentiuum laudis; tot tantaque diuina sapientia operata est in hac Virgine, vt non solùm homines, sed supremi Angeli admirentur, & dicant, *Quæ est ista?* Quod B. Petrus Chrysologus sic eleganter perpendit; (Ser. 40.) Quantus sit Deus, satis ignorat ille qui huius Virginis mentem non stupet, animũ non miratur; pauet cœlum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit, & vna puella sic Deum in sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt

pacem terris, cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cœlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium pro ipsa domus exigat pensione. Sed quid mirum quod quæ ad tam immensam ascendit dignitatem, ad tam supereminentem etiam ascenderit sanctitatem.

De ascensu Virginis post mortem in cœlos.
§. 4.

1. SED iam ad ascensum eius in morte accedamus; cuius illud primum prodigium fuit, quod ita ignis diuini amoris in ea exarsit, vt animam à corpore seperauerit, vt hac etiam ratione ascensus iste rectè virgulæ fumi comparetur; quam ignis à crassioribus aromatum partibus separauit. In aliis sanctis vel ignis febris & languoris, vel ignis iræ persecutorum, vel alia violenta causa spiritum à carne separat (vt iam vidimus,) at nihil horum in Deipara, nisi ardentissimus amoris ignis, & eleuatissimus contemplationis actus, quo Deus animam tanta vi ad se rapuit, vt ipsa corpus desereret. Ascendit autem sicut virgula fumi, omnes secum portans odores aromatum & virtutum, quos in terra collegerat.

Vide Suarez to.1. in 3.p. disput. 21. sect. 1. de quo in 1. to. nos egimus.

3. Reg. 10. v. 2. & 10. 2. Par. 9. v. 1. & 9.

De Regina Sabba inquit Scriptura, *Ingressa est Ierusalem cum comitatu multo, & diuitiis, & camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas, venit ad Regem Salomonem.* Et postea subdit, *Dedit ergo Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosas: non sunt allata vltra aromata tam multa, quàm quæ dedit Regina Sabba Regi Salomoni.* Ad hunc igitur modum meditari possumus ingressum Virginis in cœlestem Ierusalem, ad inuisendum Regem Regum, ac Dominum Dominantium, vt eius infinita potiretur sapientia, & clara visione. Ingressa est autem cum comitatu multo, quia tres Angelorum hierarchiæ eam ascendentem comitabantur, deferebat secum ingentes spiritus diuitias, quas acquisiuit in [redacted] quæ omnem humanum & angelicum c[redacted]t: aurum enim eius erat infinitum [redacted] charit[redacted] omnium etiam Seraphino[redacted] sup[redacted] bat; gemmæ incomparabili[redacted]oris, quoniam virtutes illius nullo pretio potetant æstimari: aromata autem, id est, fragrantissima opera, multa nimis, vt vltra nunquam in cœlestem Ierusalem tam multa allata fuerint; quia nullus nec hominum nec Angelorum talibus resplenduit meritis, & bonis operibus. Hæc autem omnia Deipara dedit Salomoni; id est, obtulit Deo, & filio suo, quæ de manu eius acceperat, reddens illi; nam quæcumque bona Sancti afferunt è terra, è cœlo illa acceperunt; & ideò cùm ingrediuntur cœlum, omnia offerunt ipsi largitori, & grato animo illi accepta referunt, & in eius gloriam penitus conuertunt.

In Paralip. dicitur, *Gemas pretiosissimas.*

2. 2. Par. 9. v. 12. Sed quid tunc Rex Salomon? *Dedit*, inquit, *Reginæ Sabba cuncta quæ voluit, & postulauit, & multo plura quàm attulerat ad eum.* Deus enim dum beatis largitur felicissimum beatitudinis statum, concedit eis quidquid volunt & postulant, quia omnia eorum replet desideria, & petitiones; nihilque tunc ex corde desiderant, quod plenissimè non obtineant. Nam, vt dicit Diuus Augustinus, beatus est, qui habet omnia quæ vult, & nihil malè vult, sed insuper largitur multò plura, quoniam ipsa Dei visio & fruitio quoddam bonum est, omnia continens bona, incomparabiliter excedens quæcumque extra patriam possidentur.

Lib. 13. de Trinit. c. 5. to. 3.

Quis ergo dignè considerare valet quæ Deus dedit Virgini ascendenti in cœlos? nam, vt inquit Diuus Anselmus, immensitatem gratiæ & gloriæ, ac felicitatis tuæ, ô Domina, considerare incipienti, & sensus deficit, & lingua fatiscit. Cum enim beatitudo sit iuxta proportionem meritorum, quæ tot, tamque infinita merita intulit cœlo, quot & quam immensos gradus obtinuit remunerationis pro illis? Quantum enim, inquit Diuus Bernardus, in terris adepta est gratiæ præ cæteris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ singularis. Et sicut est incomparabile, ait Diuus Illephonsus, quod gessit, & inæstimabile quod accepit; ita est incomprehensibile præmium gloriæ, quod promeruit: & Diuus Bonauentura hoc præmium extollens, ait; Quidquid post Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid iucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam; est etenim tam ingens eius gloria, pulchritudo & felicitas, quod illam videre, & illa frui, post Christum sit maior nostra gloria, & maius nostrum gaudium.

« Lib. de excellēt. « Virg. c. 8. « « Ser. 1. de assumpt. Ser. 2. de assumpt. In speculo Virg. c. 6. « « « « « « «

De affluentia delitiarum in suo ascensu. §. 5.

CONFIRMAT hoc amplius altera admiratio, dicentium, *Quæ est ista quæ ascendit è deserto delitiis affluens, innixa super dilectum suum?* Quandiu enim Virgo secum in terris habuit filium suum, eius præsentia delectabatur, propter quam mundus erat illi sicut paradisus, quia in illo omnes paradisi delitias contemplabatur, melius quàm mater Thobiæ, inquiens, *Sufficiebat nobis paupertas nostra, vt diuitias computaremus hoc quod videbamus filium nostrum*: at cùm ille rediit in cœlum, omnino mansit illi mundus tanquam desertum, quod vehementer deserere cupiebat, vt ad filium ascenderet. Ex hoc ergo certo ascendit tanta delitiarum affluentia, vt ipsis Angelis, qui cœlestibus delitiis diu abundauerant, admirationi fuerit. Quæ est ista, inquit Diuus Bernardus, quæ de sub sole, vbi nihil est, nisi labor & dolor, & afflictio spiritus, ascendit delitiis spiritualibus affluens? quidni delitias dixerim virginitatis decus cum munere fœcunditatis? humilitatis insigne, distillantem charitatis fauum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ, & prærogatiuam gloriæ singularis.

Thob. 5. v. 25.

[Ser. 4. de Assumpt. « « « « « « «

Sed causas harum ingentium delitiarum indagemus; desumendæ enim sunt. Primò ex magnitudine myrrhæ, & amaritudinum, quas perpessa est: siquidem teste Psalmographo, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Cum ergo magnæ fuerint, sicut mare, Virginis amaritudines, copiosissimæ citra dubium, sicut mare, fuerunt ipsius consolationes, & delitiæ, cum Dominus pronior sit ad consolandum electos, quàm ad affligendum; imò ideo affligit, vt vberiùs possit consolari. Deinde profunditas humilitatis Virgineæ immensitatem delitiarum eius indicat; nam (sicut inquit Diuus Augustinus) aquæ denatant ad conualles humilitatis; & quanto vallis est profundior, tanto est capacior, & aqua copiosior. Quæ ergo plusquam omnes se demisit, plusquam omnes delitiis affluxit? Præterea vnaquæque virtus propriam habet delectationem: & (vt inquit Diuus Gregorius)

1. Psal. 93. v. 19.

2. Ser. 27. de verbis Do.

3. Lib. 1. Mor. c. 15.

conuiuium opiparum, & dulce præstat animæ; & quo est perfectior, eo delectabilius operatur, & suauius parat conuiuium, ac ingentius gignit gaudium. Cum igitur Deipara omnibus affluueret virtutibus in perfectissimo gradu, omnium delitiis fruebatur, quotidieque illi parabant conuiuium omni spiritualium voluptatum genere refertum. In vltimo autem die, cùm ascendit in cœlos, vberrimum ac suauissimum præstiterunt. Quasi Dominus dixerit illi puriori spiritu, quàm olim Holofernes Iudithæ, *Bibe nunc, & accumbe in iucunditate, quoniam inuenisti gratiam coram me*: cui respondit Iudith, *Biham, Domine, quoniam magnificata est anima mea hodie præ omnibus diebus meis.* Magnificata fuerat beatissima Virgo à Deo pluries in vita sua; maximè autem in ipso die suæ conceptionis, quando primò inuenit gratiam coram ipso; amplius verò in die ipso Incarnationis Dominicæ, quando assumpta est in matrem Dei, & fecit illi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. At hodie, id est, in die vltimo, quo assumpta est in cœlum, magnificata est præ omnibus diebus vitæ suæ; quia super omnes choros Angelorum exaltata ad dexteram filij tanquam mater in sublimi throno sedit, & de torrente voluptatis Domini præ omnibus est potata.

Iudith 12. v. 17.

4. Collat. 12. c. 12. & 13. Etsi autem omnes virtutes huiusmodi dulce conuiuium parent, castitas tamen (vt docet Cassianus) ita dulcissimum præstat, vt vim lætitiæ eius inexpertus mente percipere; expertus verò sermone nequeat explicare; maximè autem cùm castitate coniungitur orationis & contemplationis studium, in quod ipsa ordinatur. Cùm igitur Christipara in vtroque super omnes eminuerit, quis delitias eius mente percipere, aut sermone valebit explanare. Ascendit ergo sicut virgula thuris, sed immensis delitiis affluens, quas ex odorifero thure percepit, & ex fonte perenni diuinitatis in contemplatione hausit; vt possimus dicere de illa, *Quàm pulchra es, & quàm decora, charissima, in delitiis.* Sed quid, rogo, pulchritudini & decori cum delitiis? Nunquid & deformes aliquando etiam illis non affluunt? Sed corporalibus, non spiritalibus, quæ à veris solidisque virtutibus procedunt, & ex fontibus Saluatoris oriuntur. Huiusmodi enim delitiæ non conceduntur nisi animæ pulchræ, & maximo Dei amore flagranti, quia amor diuinus diuinas parit delitias. Vnde Septuaginta vertunt, *Quàm pulchra, & quàm suauis facta es charitas in delitiis tuis.* Tanta enim flagras dilectione, vt ipsa charitas possis nuncupari, per quam ita delitiis affluis, vt valdè pulchra sis & suauis omnibus. Sed quæ ardentius Deum amauit, quàm Deipara; de qua rectè canit Ecclesia, *Speciosa facta es, & suauis in delitiis tuis, sancta Dei genitrix*; id est, pulcherrima es, & suauis coram Deo & Angelis, & etiam nobis propter cælestes delitias, quibus perfrueris, quas & in alios effundis; quoniam, *Sicut lætantium omnium habitatio est in te, sancta Dei genitrix.* Et quæ sunt ista quæ habitant in te, & continuò lætantur nisi virtutes, quæ inhabitant, & replent cor tuum, quarum iugis est & mira lætitia? Diuus Hieronymus vertit, *Cantabunt quasi in choreis omnes fortes mei in te*; aut, *omnes fontes mei in te*; quoniam in corde Virginis virtutes fortes & solidæ, quæ consolationum spiritualium fontes sunt, iugiter cantabant, & lætabantur, & diem festum ei agebant, maximè verò cum cœlos ascendit regnatura cum Christo.

Cāt. 7. v. 6. De hoc loco fusè l. 9. Exhort. 17.

C

D

5. Tanta est autem hæc delitiarum affluentia, vt etiam eam diffundat in eos qui habitant propè illam, & in eius obsequio commorantur; vt meritò eorum habitatio sit sicut lætantium & tripudiantium, ex eo quod matrem, aduocatam, & protectricem, tam immensis delitiis refertam inspiciant, quarum ipsi eius meritis participes esse valeant.

Misericordia Deiparæ.

Hinc est inter delitias Deiparæ nullas nobis dulciores esse, quàm miserationes eius. Laudamus, inquit D. Bernardus, virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur chariùs, recordamur sæpius, crebriùs inuocamus. Hæc est enim quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetrauit. Quod eleganter prosequitur, eius longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profundum commendans. Sicut enim omnibus Sanctis est potior, sic potentior est, & pro nobis solicitior; & quæ in terra solicita fuit ne vinum deesset in nup[redacted] multò solicitior erit in cœlo, ne vinum charit[redacted] desit fidelibus. Magna (inquit D. Bonauentura) erga miseros fuit misericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo; sed multo maior est regnantis in cœlo; pro splendore prioris misericordiæ fuit pulchra vt luna, pro splendore verò posterioris est electa vt sol, & sicut sol lunam superat splendoris magnitudine, sic priorem misericordiam magnitudo superat posterioris, qua oportet lętari, in nostrumque spiritalem profectum crebrò vti.

Ser. 4. de Assumpt. Hoc ex D. Aug. refert D Bonau. in speculo Mariæ c. 5. ibi c. 8. « « « « « « « « «

De ascensu Virginis nitendo super filium suum.
§. 6.

SED iam supremas Virginis delitias enarremus, ex eo quod ascendebat, *Innixa super dilectum suum.* Non ascendit propria virtute, quod solius Christi proprium fuit; sed fulcimento & auxilio indiguit alterius; nec tamen ascendit sicut Elias in curru igneo, ab equis igneis agitato; sed dilectus eius filius fuit illi instar currus ignei, cui innixa ascendit in cœlum; non per turbinem sicut idem Elias, sed magna cum tranquillitate ab ipso deducta, qui descendit è cœlis, vt eam secum honorificentissimè duceret. Cùm enim Apostolis dixerit, *Si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & assumam vos ad meipsum*: multo magis venit, vt matrem ad se assumeret, & qui alias virgines sanctas in morte inuisit (sicut D. Gregorius narrat de Tarsilla) quæ moribunda sursum respiciens, Iesum venientem vidit, & clamauit; recedite, Iesus venit; quanto magis veniret, vt Virginem virginum secum duceret? Venit autem non solus, sed omnis cœlestis exercitus stipatus caterua; illa tamen non portabatur, sicut Lazarus ab Angelis in sinum Abrahæ, sed in brachiis dilecti sui, & innixa super illum, nisi fortè illi etiam tanquam ministratorij spiritus simul eam portarent: tunc impletum est quod mysticè cecinit Psaltes, *Ascende Domine, in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ*; id est, tu & mater tua, quæ velut arca fuit sanctissima & ornatissima, vbi tu ipse propitiator hominum carnem assumens inclusus es: etsi enim tu multò ante in cœlos ascenderis, tamen dimidium cordis tui, quod erat amantissima genitrix tua, adhuc extra requiem illam erat. Veni ergo, Domine, de cælis iterum ad terras, vt ascendas tu & arca hæc sanctificationis tuæ in plenam requiem tuam;

4. Reg. 2. v. 12.

Io. 14. v. 3.

Lib. 4. dial. c. 16.

Psal. 131. v. 8

nam requies matris, requies est filij, sicut requies filij, est etiam & matris; quia mutui amoris plenitudo eos fecit spiritum vnum. Iubilemus, inquit
Ser. 2. de dormit. Deiparæ. „ Diuus Damascenus, in arca Domini Dei toto animo, & muri cadent Iericunthini; Contrariarum, inquam, potestatum infestæ munitiones, cum Dauid exultemus spiritu; arca enim Domini hodie requieuit. Nam quæ diu peregrinata erat per desertum huiusmodi, tam è deserto ascendit in terram promissionis æternæ, vbi cum filio requiescet in secula.

Sed nunquid Angeli splendidissimum Deiparæ
Can. 4. v. 8. alborem admirantes, non dixerunt etiam, *Quæ est ista quæ ascendit dealbata?* Vtiq; nam & filius eius ad coronam eam inuitans, ait, *Veni de Libano, Sponsa mea, veni de Libano, coronaberis.* Libanus autem idem est quod candidus & dealbatus; sed de B
Lib. 7. Exhort. 24. hoc suo loco dicetur. Interim nos mente & spiritu ascendamus ad illam, vt eius delitiis, & perfectissimis pascamur virtutibus, dilecto suo inniten[illegible] filiq, cuius ope illas obtinere valeamus, quotidieq; proficere & ascendere, donec perueniamus ad vtriusque thronum, & regnemus cum ipsis in secula seculorum. Amen.

PARS TERTIA
LIBRI SEXTI.

De iis, qui perfectionem tam propriam quàm aliorum, custodiunt, & Christum deferunt ad alios.

Vers. 7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, ad bella doctissimi; vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani; columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum media charitate constrauit propter filias Ierusalem.

Vers. 8.

Vers. 9.

EXHORTATIO XXII.

PRO FESTIS ANGELORVM. *De indigentia Ecclesiæ, & piæ animæ, quæ Dei D est lectulus, vt custodiatur ab Angelis; & de fortitudine, ac solertia, qua eam in omnibus timoribus & periculis custodiunt.*

En lectulum, &c.

DVABVS similitudinibus explicat Salomon mysteria, quæ de Ecclesia multiplicique eius profectu prædixerat, alteram desumptam à lectulo ipsius Salomonis, alteram à ferculo, vtrumque sine dubio pretiosum, & maximè ornatum, sicut ditissimi & potentissimi regis maiestatem decebat; licet tantùm ferculi pretiositatem narret, lectuli verò reticeat, fortè quia ex illa hæc deduci poterat; aut quia iam lectuli ornatum descripsit, cùm floridum vocauit: vnde etiam ferculum factum dicitur ab ipso, *Ferculum*, inquit, *fecit sibi rex Salomon*; lectuli verò effectio non narratur, sed factus supponitur; solumque de eius custodia fit mentio. Hic locus est manens in cubiculo ad requiem destinatus, vbi totum corpus extenditur, vt melius requiescat: illud verò locus est mobilis instar sedis, in quo corpus quidem quiescit sedendo, sed per varia loca defertur. Vnde duplex genus adumbratur iustorum, alterum eorum qui propriæ dumtaxat perfectioni incumbunt, siue per opera vitæ contemplatiuæ, quæ quieta est & tranquilla, siue per opera vitæ actiuæ, quæ licet circa multa versetur, tamen propriam perfectionem, & quietem respicit, quam acquirere satagit, vt quiescat: alterum verò eorum, qui vltra hoc proximorum perfectioni curandæ incumbunt, ideoque sunt velut vasa electionis, vt Christi nomen portent coram regibus & principibus, & omnibus mundi nationibus: hi ferculum sunt Salomonis, alij verò lectuli. Hi (vt inquit D. Gregor. Nazianzenus) assimilantur stellis fixis in suo firmamento; illi verò soli, lunæ, & planetis, quæ per suos orbes deferuntur, & mundum illuminant. Qui autem vitæ mixtę incumbunt, partim contemplationi vacantes, partim proximorum vtilitatibus deseruientes, & lectulus dicuntur, & ferculum: Ecclesia verò Catholica, qua parte omnes fideles comprehendit, qui id curant, vt Christus per fidem, charitatem, & gratiam in cordibus suis habitet, & requiescat, lectulus hic nominatur, (vt Cassiodorus, Beda, Anselmus, & alij Patres interpretantur) à qua interpretatione modò exordiemur.

Quidā putāt hic sermonē esse de lectulo gestatorio, sed nos cōmuniorem sequimur interpretationem.

Epist. 34. ad Nyssenum.

C *Ecclesiam, & sanctam animam esse Christi lectulum, indigereque custodibus.* §. 1.

QVI præ admiratione sponsæ valdè proficientis dicebant, *Quæ est ista quæ ascendit*, &c. eiusdem laudes & encomia prosequentes, dicunt, *En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt*: ac si dicerent; Ecce ista quæ ascendit, ipsa est lectulus Salomonis floridus, ad cuius custodiam sexaginta sunt fortes designati, in quo rex Salomon, non terrenus, sed cœlestis, verus Salomon, id est pacificus, princeps pacis, author, & elargitor illius, libenter & tranquillè requiescit, *Quia factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* Placuit enim ei in- Psal. 75. v. 3.
tra hunc mundum, quem fecit, domum eligere, cubiculum, & lectulum, scilicet Ecclesiam, in qua noctibus huius seculi requiescens, vsque ad eius consummationem permaneret. Hinc est, huius lectuli ornatum non referri, quia supremus eius ornatus est ipse Salomon, qui in eo recumbit. Nihil enim est sublimius, iucundius, & vtilius, quàm lectulum esse Salomonis; qui suum lectulum assendens, auro, argento, & gemmis eum ornat, mirisque virtutibus & fragrantibus gratiarum floribus sternit. Maximè autem desiderat illum esse pacatum & quietum; ideoque à pace lectulus Salomonis, id est, pacifici est nuncupatus, omnia illa execrantis quæ lectuli pacem infestant, turbant, & demoliuntur; siue sint spinæ peccatorum, aut vepres curarum pungentium, siue duritia cordis lapidei; siue passiones tentationum tumultus excitantes. Vnde hoc est Ecclesiæ Christi primum signum; quo ab aliis cœtibus secernitur, quod illa lectulus est pacifici: hi verò cubile ferarum se infestantium, & pacem odientium: vnde aptè satis si- 1. Pet. 3. v.
gnificata est per Noe arcam, in qua summè viguit 20.

pax non solum inter octo animas hominum, sed A etiam inter volucres & bestias, seraſque quas continebat, etsi inter se secundum naturam valde aduersas, quæ omnia erepta sunt à diluuio, cæteris miserè pereuntibus in illo?

At lectulus iste multis indiget custodibus, non solum ob magnificentiam regis Salomonis quiescentis in illo, sed propter innumerabiles hostes,
2. Propter quæ lectulus iste indigeat custodibus. qui eius quieti insidiantur, & lectulum destruere moliuntur: Primo quidem in ipsius Christi odiū, cum enim dæmones furorem suum in ipsum exerere non valeant, conuertunt cum contra lectulum ipsius, lædentes Ecclesiam, & animas si possent, eo quod lectulus sunt Dei. *Sed portæ inferi non*
Mat. 16. v. 18. *præualebunt aduersus eam*, quia Christus Dominus fundauit illam super petram. Præterea ex rabido liuore ornatum ipsius lectuli vellent omnino destruere, ornatur enim auro & omni lapide precioso, qui olim eorum erat operimentum.
Ezech. 28. v. 13. Nam ex Christi gratia ea recepit dona, quæ ipsi B
Sap. 2. v. 24. respuerunt, & impatienter ferunt hominibus communicari: ideoque *inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum*, & simul etiam horum donorum in Adam, & eius posteris dissipatio. Denique etsi lectuli ornatus pretiosissimus sit, tamen ipse ex materia constat lignea, fragili, & corruptioni expositа, cum cariem & vermes generet, qui eam corrodunt. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & caro concupiscit aduersus spiritum. Vnde nisi diligenter custodiatur, facilè perire posset.

Quamuis autem ipse Salomon tanquam rex omnipotens, facilè sine aliorum iuuamine lectulum suum posset custodire, decreuit tamen custodes designare, per quos hoc munus exerceret. Designauit autem tum Angelos, tūm homines, quos supra sponsa vigiles custodientes ciuitatem appel- C
Exhort. 6. lauit, de quibus ibi plura diximus, nunc autem ea superaddemus, quia in hac metaphora graphicè depingūntur.

De numero Angelorum Ecclesiam custodientium. §. 2.

ET quidem de Angelis hunc lo cum plurimi patres intelligunt, quos constituit Dominus, vt lectulum suum, sc. Ecclesiam, & singulas fidelium animas ambirent, & custodirent. *Vocat autem eos sexaginta fortes*, quia licet sint innumerabiles, iuxta illud: *Numquid est numerus militum eius?*
Iob. 25. v. 3. *& millia millium ministrabant ei, & decies centena*
Dan. 7. v. 10 *millia assistebant ei*: tamen sæpius scriptura numerum determinatum pro indeterminato vsurpat, D
maxime cum numerus perfectus est, sicut sexagenarius ex sex denariis compositus. Habet autem mysterium speciale circa Angelos: quoniam ex nouem ordinibus Angelorum, tres supremi, ex sola assistentia ad Deum nomina desumunt; sex vero alij, vt S. Thomas ex D. Dionysio deducit, per ordinem ad gubernationem hominum & ad ministeria quæ circa ipsos exercent: & quia quili-
2. p. q. 108. a. 6. ex D. Dionysio, c. 6. & 7. de cælesti Hierarchia. bet sex ordinum plurimos Angelos continet, qui per denarium perfectam multitudinem includentem, designantur, recte sexaginta fortes vocantur omnes Angeli ad gubernationem, & custodiam hominum deputati.

Etsi q. 112. ar. 4. dicat quinq; tantum mittі non domi- Vnde fit ad cuiuslibet sanctæ animæ custodiam ex hoc genere sexaginta fortium aliquos deputari: nam quæcumque principatus, potestates, & virtutes, ac dominationes circa Ecclesiam vniuersam, aut singulas prouincias, vel circa mirabilia opera patranda; vel dæmones comprimendos administrant, in bonum cuiuscumque iusti redundant, & insuper sicut nos ad pretiosiores res custodiendas plures & fortiores adhibemus custodes, ita Deus ad custodiam eorum, quos singulari dilectione prosequitur, plures solet Angelos deputare, sicut testatur D. Ambrosius dicens: quo sanctior quisque eo munitior.

nationes, sed quia hoc etiam gubernant homines, inter ministrantes posse computari docet, ibi ad 2. Lib. 1. de Virginibus. 2.

Hinc deduces causam cur de custodia paradisi post peccatum Adæ inquit scriptura: *Et collocauit*
Gen. 3. v. 24. *ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ*: ne scilicet homo vel diabolus illuc ingrederetur ad fructum ligni vitæ carpendum: vbi per Cherubim Angelos intelligit, numero quidem paucos, forte duos, vnicus tamen erat gladius igneus prope illos: cæterum ad custodiendum lectulum suum, ne quis hostis in eum ingrediatur sexaginta constituit fortes; pluresque gladios & enses. Vnusquisque enim gladium in manu, & ensem super femur habebat. Hoc autem indicat vberiorem esse diuinam misericordiam ad bene faciendum electis, quam eius iram & iustitiam ad puniendū peccatores; à Deo enim irato contra homines processit assignatio illa Angelicæ custodiæ circa paradisum, quę satis exprimebatur per vnum vel alterum Angelum custodientem. Vocantur autem Cherubim, quod plenitudo scientiæ interpretatur; non quod essent ex octauo choro, sed ad significandum peccatum hominis ex prauo appetitu scientiæ boni & mali processisse: Deum verò cum magna plenitudine scientiæ pænam statuisse, & collocasse ibi gladium igneum, huc, illucque se agitantem, quasi terribiles minas, & timorem accedere volentibus incutiens: at custodia lectuli & Ecclesiæ à Deo benigno & misericorde procedit ex amore, quo illam C
prosequitur, & ideo plurimos Angelos duplicatis armis munitos ad eius deputat custodiam.

Imò quod amplius est, etsi illos custodes constituerit, ipse etiam simul per se custodit: *Quia nisi*
Ps 126. v. 1. Can. 8. v. 12. *Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Vnde, cum postea in fine Cantici dicat, pacificum tradidisse vineam suam custodibus, mox subdit: *Vinea mea coram me est*, ac si diceret, ita aliis custodiendam tradidi, vt tamen semper sit coram me, & ego curam illius ac custodiam geram, ipsisque custodibus auxilium præbeo, vt munus suum strenuè obire valeant.

De Angelorum fortitudine ad custodiendum Ecclesiam. §. 3.

IAM quales sint hi custodes Angelici inspiciamus. *Sexaginta* (inquit) *fortes ambiunt ex fortissimis Israel*, id est, electi ex fortissimis Israelitici populi; omnes quidem Angeli fortissimi sunt, & vt inquit Dauid: *Potentes virtute ad faciendum ver-* Psal. 102. v. 20.
bum Domini, & eius imperio parendum, si vnus Psal. 33. v. 8. 4. Reg. 19. v. 35. 4. Reg. 6. v. 16. est instar exercitus ambientis vrbem, iuxta illud: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eū*, id est, castrametabitur circa illos, quanto magis sexaginta; vnus dumtaxat Angelus à Deo fortis fuit, vt vna nocte percusserit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia hostium; quantò ergo amplius securi erimus, cum iuxta verbum Eliśæi, *Plures sint nobiscum quam cum illis.* Id est, contra nos? Vocantur autem ex fortissimis Israel, quoniam teste D. Hieronymo, Israel interpretatur princeps Dei, aut fortis cum Deo, aut directus

Traditionibus Heb. in Gen. 32. v. 28 hos refert Pereira in dictum locū Genesis.

in Deum, seu vir videns Deum. Hæc autem omnia recte quadrant in Angelos, qui principes sunt Dei in eius cælesti curia; fortissimi coram ipso, & ex ipso, ad ipsumque semper directi, cuius semper faciem clare vident. Vnde fit quod sint, *Omnes tenentes gladios. Et ad bella doctissimi*, ex clara enim Dei visione maximam hauriunt scientiam, & omnium agendorum notitiam, peculiariter verò verborum Dei, quæ per gladios designantur: quibus vtuntur ad pugnãdum pro nobis, & in nobis; dum vel nobis interius verba Dei suggerunt, vel ex Dei imperio hostes prosternunt, sicut Michael cum diabolo altercans de Moysis corpore, dixit illi: *Imperet tibi Deus.* Id est, suæ potentiæ te compescat imperio. Sunt autem ad bella doctissimi, quia ab antiquo pugnandi habent experientiam, nempe cum in cælo empyreo initum est bellum inter bonos & malos Angelos, & vtrorumque principes; boni autem contra malos prævaluerunt per humilitatem se Deo subiicientes, & eius defendentes honorem. Ad quod bellum alludens D. Ioannes, cum bella narrat, quę gesta sunt in exordio nascentis Ecclesiæ, & consummabuntur tempore Antichristi, ait: *Factum est prælium magnum in cælo, Michael, & Angeli eius præliabantur cum draconе, & draco pugnabat & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cælo.* Præliabatur quidem Michael, & Angeli eius pro fidei & Ecclesiæ dilatatione ad destruendam idololatriam, & eiiciendum foras principem huius mundi, contra quem iuges obtinent victorias, quatenus Euangelij ministros & operarios iuuant, & tuentur, vt vincant.

Iudæ 1. v. 9.

Magister sent. 2. d. 6. ibi scholastici, & D. Tho. 1. p. q. 63. ar. 8.

Apoc. 12. v. 7.

2. Sed quoniam persecutiones malorum, & pugnę dæmonum continuè vrgent, additur. *Vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos*, id est, semper sunt parati, & prompti ensibusque præcincti, vt quoties periculum Ecclesiæ, vel animæ immineat, gladium euaginent ad tuendum illam. Sub hac enim figura apparere solent hominibus. Sicuti Balaam, *Vidit Angelum stantem in via euaginato gladio*, qui dixit ei, *Veni vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, & contraria mihi.* Iosue etiam vidit alium Angelum euaginatum tenentem gladium, qui dixit ei, *Sum princeps exercitus Domini, & nunc venio.* Scilicet, ad auxiliandum tibi, & populo tuo, & pugnandum pro vobis. Gladius autem iste significabat maximam eorum virtutem ad pugnam, spiritualiter autem potentem eorum inspirationem, seu verbum internum, quo nos ad pugnandum excitant, & potentiores reddunt, contra timores nocturnos, ad eum modum, quo expauescens Thobias immanem piscem è fluuio egredientem ad deuorandum illum, clamauit ad Angelum, eius implorans auxilium, cui dixit Angelus: *Apprehende brachium eius, & trahe eum ad te.* Hoc autem verbum tam mirum mox peregit effectum, vt constaret fuisse Angelicum. Omnem enim ab illo pepulit pauorem, tam ingentemque intulit fortitudinem, vt inuadentem inuaderet, apprehenderet, traheret, exenteraret. Vnico ergo verbo Angelus custodiuit Thobiam, à periculo eripuit, ex pusillanimi fortem fecit, & audacem.

Num. 22. v. 31.

Iosue 5. v. 13.

Thobiæ 6. v. 3.

Siue ergo per timores nocturnos intelligas tentationes diaboli, siue hominum persecutiones, siue quascumque tribulationes, & ærumnas huius vitæ, Angeli adsunt parati & præcincti ad custodiendum te, ne lectuli veri Salominis insigne priuilegium perdas. Persequebantur olim Ægyptij Hebræos tendentes versus mare rubrum, cumque in summa angustia & periculo essent constituti, ingentique timore perterriti, Angelus Domini, qui in columna nubis præcedebat eos, retrocessit, & posuit se cum eadem columna inter castra Ægyptiorum, & castra Israël, itaut nubes, qua parte respiciebat Ægyptios, esset tenebrosa valde, ne properarent ad nocendum; qua parte verò respiciebat Israelitas, dilucida erat illuminans noctem velut ignis, vt viam cernerent, & properarent; & ita custodiuit eos, ac tandem interfecit inimicos: sic igitur in quacumque tribulatione clamaueris ad Deum, præsto tibi erit Angelus eius, & qui te præcedebat in prosperis, ostendens viam ne errares, fiet sicut murus inter persecutores tuos & te ipsum, illos excæcans, te illuminans, illos confundens & terrens, te eripiens & lætificans, vt tali patrono munitus non timeas à timore nocturno. In hoc autem loco exodi, & alibi sæpius idem custos vocatur iam Angelus Domini, iam Dominus ipse, ad significandum tantam potestatem ex eo Angelo in esse, quod Dei erat instrumentum ad illam custodiam, & ad cætera mirabilia patranda. Vnde tanquam Dei vices gerens est audiendus, & colendus: atque eius dicta sunt celeriter executioni mandanda, iuxta illud eidem populo iniunctum; *Ecce ego mitto Angelum meum, qui custodiat te, &c. obserua eum, & audi vocem eius.* Sed de hoc iam suprà dictum est.

Exod. 14. v. 19. *Tollens se Angelus Dei, qui præcedebat castra, abijt post eos, &c.*

Exod. 23. v. 20. Exhort. 6.

De discrimine inter sanctos Angelos & dæmones circa timores nocturnos. §. 4.

1. EX his deduci potest discrimen inter bonos & malos spiritus, seu inter sanctos Angelos & dæmones. Horum enim ingenium est iustis timores incutere nocturnos, id est, spiritum pauoris, tristitiæ, accidiæ & pusillanimitatis in virtutum studio, & Dei obsequio, & in tribulationibus ac ærumnis huius vitæ, vt animum despondeant, deficiant, & retrocedant. Sciunt enim quod vehementior animæ tentatio, & tribulatio non tam est ipsa nox, quam timor noctis, id est, non tam est ipsa tribulatio, & aduersitas, quam vehemens metus & timor illius. Vnde Dauid in Psalmo 90. vt D. Bernardus obseruat, non ait; non timebis à nocte, sed *non timebis à timore nocturno.* Prius enim quam afflictio veniat, timor opprimit malos; sicut è contra iusti, quia afflictionibus gaudent, non vincuntur ab illis. At iidem dæmones iniquis & peccatoribus mundanam præbent fortitudinem, & temerariam audaciam, vt concupiscentias suas sectentur, adipiscantur honores, & persequantur iustos: nam hoc in sanctorum damnum & pugnam acriorem vergit: ideoque circa malos suas vires exerunt, vt insurgant contra bonos. Propter quod de diabolo dicitur: *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret, & ipse est rex super vniuersos filios superbiæ.* Id est, super superbos, elatos, audaces & feroces homines, qui in sua fortitudine confidunt, & ab eo ad malum agitantur. At omnis hæc potestas est de terra terrena, & circa terrenas res. Cæterum potestas, quæ de cælo est, super illam eleuatur & illam opprimet, cuiusmodi est potestas Angelorum.

Psal. 90. v. 5. Serm. 6. in eundem Psalmum.

Iob. 41. v. 24.

2. Quorum ingenium è contra est malis & peccatoribus incutere timorem & pauorem ingentem, vt eos comprimant, ne vitia sectentur, vel persequantur bonos, sed gradum sistant & retrocedant: ab ipsis autem iustis timorem abigunt, & magnum

eis incutiunt robur, & fortitudinem ad pugnandum contra vitia, ad resistendum tentationibus, & sectandam viam virtutis, etsi appareat aspera & difficilis. Quod satis insinuat exemplum iam adductum de Angelo, qui per eandem columnam nubis & ignis illuminabat Hebræos in nocte, & relinquebat Ægyptios in tenebris, imò mirabilius est quod addit scriptura; *Et respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum*: cuius sensus est; illammet columnam ignis, qua illuminabat & lętificabat Hebræos, conuertit subito versus Ægyptios, qui illo nimio splendore perterriti sunt, & exanimati, cæperuntque dicere; *Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos*; vt intelligamus eundem gladium & ensem, eundemq; ignem & splendorem, & cætera, quæ Angeli assumunt ad pellendos timores nocturnos à iustis, deseruire etiam ad introducendos illos in peccatores; vt illi fortes, isti fiant pusillanimes? quod clarius in resurrectione Dominica repræsentatur, cum Angelus apparuit resplendens sicut fulgur: *Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui*, at sanctis mulieribus dixit: *Nolite timere vos.* Ac si diceret; terreantur & pertimescant illi, qui non pertinent ad sortem Sanctorum, & Christum insectantur: vos autem non est cur paueatis, sed pauorem pellite; ego enim ad hoc veni vt illos meo splendore terrerem, vos autem roborarem?

Exod. 14. v. 24.

Matth. 28. v. 4.

D. Greg. hom. 21. in Euang.

3. Ex his ergo cognoscere poteris, à quo Spiritu procedant impulsus interni quos experiris. Quicumque enim in timores nocturnos, seu in pusillanimitatem, & desperationem, accidiam ac tędium virtutis propendent, à diabolo sunt: qui verò hæc pellunt, & robur ac fortitudinem animi ad Dei obsequium augent, ab Angelo bono prodeunt. Quod eleganter insinuant verba ipsius Dei, cùm exploratores terræ promissionis maximum populo incusserunt timorem, ne ad illam ascenderent; è contra verò Caleb & Iosue timorem pellebant, & ad ascendendum exhortabantur. De his autem inquit Dominus: *Seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc.* Emphasim enim habet dictio illa: *Plenus alio Spiritu*, insinuans plures, & contrarios fuisse Spiritus, quibus pleni fuerunt exploratores. Quidam enim à Spiritu dæmonis impleti sunt Spiritu pusillanimitatis, timoris, & tædij, existimantes se ab hostibus, qui ingressum in terram illam prohiberent, deuorandos; at verò Caleb & Iosue à Spiritu Angelico & diuino impleti sunt Spiritu fortitudinis, & spei, omni metu seposito, confidentes posse deuorare ipsos hostes sicut frustum panis. Vnde hi iuxta verbum Domini in terram promissionis, quę est terra viuentium, introducentur; illi verò ad eam non peruenient. Contemplare igitur fortissimos hos custodes, qui te ambiunt, & non timebis; sed de hostibus tuis dices, sicut Caleb & Iosue: *Recessit ab eis omne præsidium, Dominus nobiscum est, nolite metuere.*

Num. 14. v. 24.

Num. 14. v. 9.

3. Reg. 19. v. 3.

Respice etiam Eliam à timore nocturno ita oppressum, vt immani Achab & Iezabel persecutione perterritus mortem desideraret, fatigatusque obdormiret: sed ecce Angelus Domini tetigit eum, confortauit, cibumque præbuit, in cuius fortitudine quadraginta diebus & noctibus ieiunus ambulauit vsque ad montem Dei. O mira Angeli vis contra timores nocturnos! sed plus miraberis; si consideres ipsum Regem Salomonem, Christum Dominum in carne assumpta spontaneè propter nos, hos, sine vlla imperfectione assumpsisse timores. *Cępit enim pauere & tædere, ac mœstus esse*: & tamen vt se hominem probaret, Angelico etiam voluit vti suffragio. (*Nam apparuit illi Angelus de cælo confortans eum.*) Dans locum Angelo vt munus suum obiret, pauidum animum confortando; hoc exemplo nos docens, Angelos præsto esse vt nos in omnibus tribulationibus, & timoribus nocturnis contra hostes corroborent, eorumque insidias propellant.

Marci 14. v. 35. Matth. 26. v. 37 Lucæ 23. v. 43.

De pugna Angelorum inter se circa custodiam regni suæ custodiæ commissi. §. 5.

SED nunquid fortes isti, tantum sunt præcincti ad bellum propter hostes; ad inuicem autem ita sunt animo concordes, vt nullum circa custodiam lectuli inter eos intercedat bellum? & quidem si lectulus omnino esset vnus, nulla foret dubitandi ratio: at quamuis Ecclesia sit vna, vnusque mundus in genere, illa tamen plures habet Ecclesias particulares, & hic plura regna & prouincias, quæ tamen diuersis Archangelis & principibus cælestibus sunt in custodiam traditæ. Ipsi autem pro sibi commisso regno tuendo, non solum pugnant cum hostibus illud euertere conantibus, sed aliquando etiam cũ Angelis aliud diuersum regnum custodientibus, dum vnusquisque aliquod bonum proprio regno curat retinere, quod alteri est aduersum. Huiusmodi fuit bellum, quod narrat Daniel cum Angelus custos Hebræorum, qui captiui detinebantur apud Persas, volens eos eripere, dixit ei: *Princeps regni Persarum restitit mihi, & ecce Michael, vnus de principibus primis venit in adiutorium meum.* Et infrà. *Nunc reuertar, vt prælier aduersus principem Persarum; cum ergo egrederer apparuit princeps Græcorum veniens.* Et licet Cassianus ac Rupertus principem Persarum & Græcorum malos Angelos esse putauerint; cæterum D. Gregorius, quem sequitur D. Thomas, reliquique Scholastici, & ante omnes Theodoretus, existimât fuisse bonos Angelos, inter quos nulla potest esse pugna ex voluntate absoluta inter eos discordi; cum potius summa in Deo cõcordia & pace fruantur, iuxta illud, *Qui facit concordiam in sublimibus suis, & concentum cæli quis dormire faciet?* sed dum voluntas Dei non est illis manifesta, populorum quibus præsunt, diuersa merita, vel demerita exponunt coram Deo, diuersos ab ipso effectus postulantes. Et hoc est quasi bellum inter se gerere. Sed cum primum Dei voluntas, & sententia illis manifestatur, in summam concordiam redigun-

Dan. 10. v. 13. & 20.

Collat. 8. c. 12.

Lib. de Victoria verbi Dei.

17. Mor. c 8

1 p. q. 113. ar. 7. Lyra in Dan. 10. Cartusianus.

Iob. 25. v. 2. & c 38. v. 37.

tur.

Quam etiam insinuant verba Cantici; dum docent hos fortes simul Regis pacifici lectulum ambire; ambitus autem iste vnionem designat, & ordinem quem vnusquisque in suo gradu seruat: gladios autem & enses, quos portant, non contra se reflectunt, sed contra hostes, qui timores nocturnos incutiunt, propter quos in custodiam lectuli deputantur.

Denique pugna inter Angelos bonos non modicum nobis affert solamen, dum scimus eos pugnare pro nobis, etsi mali simus; sicut principes Persarum & Græcorum pugnabant, ne populi sibi cõmissi qui idololatræ erant, à consortio bonorum separarentur, vt eorum exemplo boni fierent, aut meliores. Vtinam & nos moribus nostris contra eos non pugnemus, ea peccatis nostris impe-

Psal.90.v. 10. dientes bona, quæ ipsi nobis impetrare satagunt. Quòd si illis te humiliter subieceris, *Non accedet ad te malum (sc. culpæ & pœnæ) & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo! quoniam Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Quorum solerti custodia ab vtroque malo protegeris, & tranquillus eris Salomonis lectulus in secula seculorum. Amen.

Supra hic locus explicatus est exhort. 6.

EXHORTATIO XXIII.

PROPONTIFICIBVS ET DOCTORIBVS.

De Prælatis & Doctoribus Ecclesiæ qui eam & animas sibi commissas custodiunt: & de ijs, quæ ad suum munus perfectè obeundum illis necessaria sunt.

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, &c.

DRÆTER Angelos ambientes Ecclesiam, & piam animam, quæ lectulus est cælestis Salomonis, placuit ei etiam inter homines designare Præsules, Doctores, & insignes viros, qui eandem ambirent, & custodirent; de quibus plures Patres hæc verba interpretantur, ex illis deducentes eorum insignes proprietates ad dignè munus suum obeundum.

Ab ipso Deo eligendos Ecclesiæ custodes, & qui eligantur. §. 1.

1. PRÆSVPPONITVR autem in hac narratione ipsum Regem Salomonem hos fortes elegisse in sui lectuli custodiam quàm maximè ad id munus idoneos: non enim auderent, nec præsumerent ipso inscio vel inuito se ipsos ingerere, ad significandum Prælatos & Pastores Ecclesiæ ab ipso Christo potissimè designari, qui dixit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Præcedere enim debet diuina vocatio iuxta illud, *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Qui autem à Deo vocantur, digni ab ipso effecti sunt: qui idoneos facit ministros noui testamenti. Vnde reiecto Saule dixit ei Samuel, *Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum, & præcepit ei vt esset Dux super populum suum.* Quæ verba sigillatim sic moralizat D. Gregorius. Quæsisse virum „ Deus dicitur, vt eligẽdorum antistitum forma ho„ minibus præbeatur, & vt omnis, qui ad sanctæ Ec„ clesiæ culmen eligitur, discutiendus ab hominibus „ esse doceatur. Ad curam igitur sanctæ Ecclesiæ „ quæratur vir, vt sit conuersatione fortis: quæra„ tur secundum cor Dei, vt per affectum magni amo„ ris, quasi vnitus sit diuinæ voluntati. Præcipiatur „ ei, vt sit dux, quatenus sublimitatis ordinem con„ scendere ex cupiditate non ambiat, sed ex humili„ tate pertimescat; sicq; sibi humilis metuat, vt sub„ di præcepto Dei deuotius agnoscat. Dicitur enim, „ *Præcepit ei vt esset Dux*, quia in honorem præla„ tionis non per ambitionem subiit, sed coactus „ ascendit. Hæc carptim ex D. Gregorio.

Ioan. 15 v. 16. ad Hebr. 5. v 4. 2.Cor 3.v.6 1.Reg.13 v. 14. Lib. 5. in 4. Reg. cap 3. post medium.

2. Cum ergo audis, *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*, ambire non significat honores, magistratus & præfecturas in Ecclesia inordinatè cupere, & precibus, vel muneribus quærere. Hoc enim est execrandum ambitionis vitium, quo multi eumdem Ecclesiæ lectulum ambiunt, vt illum sibi quisque assumat, non ex zelo custodiendi, sed ex desiderio seipsos ditandi, vel magnificandi. Vnde non præcincti sunt ensibus propter timores nocturnos, quia potius ipsis succumbunt, cum eorum princeps ambitio sit. Nam, teste D. Bernardo, ambitio mater est hypocrisis, latebras amat, lucis impatiens est: ambitio spurcum vitium in imo iacet, videt tamen omne sublime, sed videri ipsa refugit. Quo enim gloria plus affectatur, eò minus apprehenditur, vbi deprehenditur affectari: absit ergo à lectulo Salomonis, qui pacis princeps est, huiusmodi ambitio, quæ totius seditionis & discordiæ Ecclesiasticæ turpissima inuenitur origo.

Contra ambitiosos.

in ep. 126.

Humiles ergo, pacifici, & sancti esse debent, qui sanctam Ecclesiam ambiunt, id est, circumeunt, & B vndique cingunt, vt custodiant. Sunt enim ipsius Christi in munere custodiendi coadiutores iuxta illud, *Dei adiutores sumus*; & ideo cupit eos similes sibi esse, vt sancti sint, sicut ipse sanctus est. Quod eleganter obseruat D. Gregorius explicans quod scriptura refert, postquam arca Dei introducta est in domum Aminadab, *Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt, vt custodiret arcam Domini.* Congruit enim cum munere custodiendi sanctam Dei arcam nomen Eleazarus, quod (inquit) interpretatur Dei adiutor: & qui sunt Dei adiutorium, nisi qui cum diuina gratia ministrando conueniunt, & quos omnipotentis Dei dignatio visitat, quam ipsi per exterius ministerium bene viuendo & docendo confirmant! qui nimirum sunt conuersatione fortissimi, scientia eruditi, amore feruidi, constantia robusti: nec solo alieno C non egent auxilio, sed quocumque se conferunt, subuenire aliis possunt. Hic autem Eleazarus dicitur filius Aminadab, quod interpretatur, *Populus meus spontaneus.* Quoniam ad implendum munus suum non necessitas compellit, sed bona voluntas trahit, quam dilectio Dei, & proximi præstat.

1.Cor.3.v.9. Lib. 3. in 1. Reg.c 5. 1.Reg. 7. v.1.

3. Hæc autem omnia egregiè describuntur in eo quod ambientes lectulum vocantur, *Sexaginta fortes ex fortissimis Israel.* Dicuntur enim sexaginta non solum ob perfectã multitudinem, tot enim sunt variis gradibus & officiis distributi, quot oportebat esse ad tam magni ac præclari lectuli custodiam; sed potissime quia etiam sanctitate perfectos esse oportet; numerus enim perfectus ponitur in scriptura ad perfectos viros significandos; sexaginta autem, qui ex sexies decem constat, eos fortes indicat, vt notat D. Gregorius, qui per vniuersæ vitæ tempus, quod sex diebus, in quibus D mundus est creatus, designatur, decem præcepta Decalogi, vniuersaque legis mandata diligenter custodiunt. Sed hoc clarius sequentia verba indicant, dum vocantur, *Fortes ex fortissimis Israel*, ad denotandum non esse ætate pueros, sed viros, non virtute neophytos, sed maturos, non fortes quomodocumque, sed electos inter fortissimos, nec esse alienigenas, sed conciues, veros Israelitas ex propriis & notis desumptos. Hæc enim valde iuuant ad munus regendi, & seruando alios iuxta id, quod Iethro dixit Moysi: *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & c. & Decanos, qui iudicent populum.* Potentes autem vocat fortes, & magnanimos, sed timentes Deum, quoniam timor Dei non est sicut mundanus, qui vires eneruat; quin potius auget. Moyses autem consilium approbans, *Electis viris strenuis*

In hunc locum.

Exod. 18. v. 21. & 25.

To. 4. de perfectione reipublicæ Ecclesiast. tract. 1. c. 3.

de cuncto Israel constituit eos principes populi. De A quo alibi fusè agimus.

De fortitudine necessaria Prælatis & Doctoribus Ecclesiæ. §. 2.

1. SED iam causas reddamus, ob quas Ecclesiæ custodes fortes esse oportet, & strenuos, quoniam nimirum bellum contra fortissimos, & valde strenuos hostes gerunt. *Non enim* (inquit Paulus) *est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* i. Cõtra Spiritus nequam, qui sunt ipsa nequitia, & pugnant pro cælestibus rebus nobis auferendis. Oportet ergo spiritalem & angelicam habere fortitudinem de cælo missam, ad colluctandum cum illis, & superandum eos. Vnde & scriptura sepius eos vocat Angelos, & Malachias Sacerdotem appellat Angelum Domini exercituum, quasi Angelicum militem exercitus ipsius. Nec insolens puto etiam de huiusmodi Euangelij ministris explicare prælium illud, quod D. Ioannes refert in cælo factum: in quo Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & Angelis illius quos vicerunt; vt Michaelis nomen, quod significat, *Quis sicut Deus?* attribuatur supremo Duci huius belli, siue sit ipse Christus homo, siue D. Petrus eius Vicarius, ac Romanus Pontifex eius successor: Angeli verò illius sint reliqui antistites, & doctores, quorum omnium idem est scopus; qui significatur voce illa, *Quis sicut Deus?* docere nimirum & prædicare vnicum esse Deum, vnicum Redemptorem, vnicum nomen, sub quo est salus, vnicam fidem & legem Euangelij: idola vero gentium falsos esse Deos, & quidquid pretiosum est in mundo nihili esse habendum, vt huic vni Deo C verus honor, cultus & obsequium præstetur. Ad hoc autem prædicandum, sicut & faciendum, necessaria est Angelica fortitudo, & qui contra dæmones prævalent, Angeli sunt. Vnde de iis, qui draconem vicerunt, & Angelos vocauit Ioannes, subdit mox: *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni, & propter verbum testimonij sui, & non dilexerunt animas suas vsque ad mortem.*

ad Ephes 6. v.12. Malach 2. v.7. Apoc.12.v. 7.

2. Hinc autem desumuntur aliæ rationes, quæ hãc fortitudinem commendant. Quoniam munus horum custodum est lectulum Salomonis ab omni inquinamẽto seruare immunem, omnẽ malitiam depellere, soluere colligationes impietatis, vincula & funiculos peccatorum disrumpere. Triplex autem funiculus mundi difficillime rumpitur, nempe concupiscentia carnis, & oculorum, & superbia D vitæ, quoniam omnes potentes seculi huic ruptioni obstant. Vnde magna pollere debet fortitudine, qui officium rumpendi illa sibi assumit. Propter quod asserit Ecclesiasticus: *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitatem: ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* Cum ergo custodes Ecclesiæ accincti esse debeant propter timores pellendos, non debent esse timidi, sed fortes, qui nullius quantumuis potentis pertimescant vultum.

Eccl.4.v.12 1.Ioan. 2. v.16. Eccl.7.v.6.

3. Olim duces in castris proclamabant: *Qui formidolosus est, & corde pauido, vadat, & reuertatur in domum suam.* Nullus enim miles timidus aptus est bello. Multo ergo minus duces, quorum est militibus robur addere. Cum igitur Ecclesiæ custodes duces sint in hoc spirituali bello, maximam eos oportet habere fortitudinem, quæ à cæteris cum-

Deut. 20. v 8. Iudic 7. v.3.

ctum abigat timorem. Eo vel maximè quod plures & graues debent perferre labores, & persecutiones, vt munus suum sicut par est, exequantur: siquidem & vitam pro grege sibi commisso, cum opus fuerit, tenentur exponere. Nam *bonus pastor animam dat pro ouibus suis.* Nec fugit lupos vt mercenarius, sed aggreditur, etsi corpore dilacerandus sit. Denique qui accincti semper sunt ense propter timores nocturnos, ambire tenentur lectulum non solum die, sed nocte, quando hi timores maximè premunt custodientes Ecclesiam, siue in prosperis, siue in aduersis, ita vt nec in prosperis cedant elationi, nec in aduersis pigritiæ; sed pascant gregem instar Iacob qui dicebat: *Diu, noctuque æstu vrebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.*

Ioa.10.v.11. 4. Genes.31.v. 40. 5.

Quanta autem & qualis sit horum militum fortitudo, ipsum nomen *Israel* amplius declarat; significat enim, vt iam supra diximus, fortis contra Deum, seu prævalens Deo: illi ergo dicuntur fortissimi Israel, qui fortitudinem tantam habent, vt contra Deum possint prævalere; vnde erit quod etiam prævaleant contra homines impugnantes illos, vel eos, qui sub eorum sunt custodia. Fortitudo autem contra Deum in gemitibus, & feruentibus precibus consistit: quibus prælatus instar Iacob, sicut Oseas inquit, luctatur cum Deo, & prævalet, dum ea impetrat, quæ orando postulat; maximè autem robur, & vires ad suum munus fortiter obeundum. Quod ita confirmat D. Gregorius dicẽs: „ ille ad regimen debet venire, qui orationis vsu, & „ experimento iam didicit quod obtinere à Domino „ quæ popposcerit possit: cui prophetica voce iam „ quasi specialiter dicitur, *Adhuc loquente te, dicam; ecce adsum?*

Oseæ 12 v. 3. 1.p. Pastor. c.10.

6. Contemplatio fortitudinem parit.

Sed adhuc amplius hoc explicat alia interpretatio eiusdem nominis Israel, quæ est, *Vir videns Deum*, eo modo, quo vidit Iacob, nimirum per contemplationem, cum statim dixit: *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea*: qui enim Dei maiestatem vt par est, cõtemplatur, eius- Genes.32.v. que intuetur immensam charitatem & omnipo- 30. tentiam, ex hac ipsius communicatione maximam haurit fortitudinem ad cuncta, quæ ipsius sunt, viriliter præstanda, non suis viribus fidens, sed illius, cuius gloriam & munificentiam contemplatur. Et sicut qui communicat cum Deo summe sapiente, fit sapiens, sic communicans cum summe forti, fit fortis: & quid aliud præ se fert, cornutam fuisse faciem Moysis ex consortio sermonis Domini, cum descenderet de monte Sina, tabulas legis portans? (splendida enim erat & radiis lucis fulgens, qui Exod. 34. cornu figuram præ se ferebant) at cornu in scriptu- v.29. ra fortitudinem designat; eo quod robur animaliũ in cornibus maxime situm sit. Ex contemplatione ergo, & sermocinatione cum Deo facies fit lucida & cornuta, sapiens & fortis ad docendum & operandum, quidquid præscribunt diuinæ legis tabulæ. Nam familiaris communicatio cum Deo maximam parit fiduciam; fiducia vero magnanimitatem, & ingens robur. Nam *qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ*, quæ perspicaci visu pollet, & fortitudine ad volandum vsque ad æthera: qui ergo sperant in Domino, humanam fortitudinem mutant in diuinam, perspicaceque sunt, ac fortes, vt celeriter volent ad exequendum quidquid Deo placet. Isa 40.v.31.

Propter hoc ergo oportet Præsulem, vt dicit D. 2.p.Past.c.5 Gregorius, præ cunctis esse contemplatione suspensum, qui per speculationis altitudinem semet-

ipsum quoque inuisibilia appetendo, transcendat, & cum eius munus sit contemplata aliis tradere, contemplationi vacare debet, per quam in Deo videat quod alios doceat. Deinde cum Salomonis ambiat lectulum, id est animam contemplationis quieti addictam, oportet ipsum huius quietis inexpertem non esse, vt eam proprio experimento noscens pluris faciat, & solicitius in aliis etiam custodiat.

Lectulus Salomonis sacra scriptura.

De studio verbi Dei & eius efficacia in doctoribus. §. 3.

1. VT autem explicemus horum militum arma, præmittamus nouam lectuli Salomonis interpretationem, qui secundum Theodoretum est scriptura sacra, in qua velut in lectulo requiescit anima per contemplationem, recipitque à cælesti sponso semen verbi diuini in ea contenti, vt concipit, ac parit spiritum salutis. Hunc lectulum ambiunt prælati & doctores; tum vt tranquillè perscrutentur ipsum Salomonem Christum, vitam æternam, & cuncta quæ in scriptura latent; tum vt illum custodiant, & defendant ab aduersariis, maximè hæreticis, qui eum infestant, polluunt, & euertere nituntur: dum autem illum ambiunt contemplantes scripturas, ex illis apta ad suum munus desumunt arma, de quibus subditur, *Omnes tenentes gladios, ad bella doctissimi: vniusquisque ensis super femur suum.*

Isa.26.v.18.

2. Sed mirum est, cum multa sint armorum genera, quæ D. Paulus vocat armaturam Dei, loricam iustitiæ, scutum fidei, galeam spei, *Et gladium Spiritus, quod est verbum Dei*; cur in hoc loco dumtaxat dicitur fortes hos tenere gladios? forsitan quia alia arma commemorata potius deseruiunt, vt protegant ab hostium ictibus: gladius verò potius est ad trucidandos, & perimendos hostes, vel procul abigendos; & in hoc magis coniiciunt oculos Ecclesiæ custodes, vt in isto spiritali bello illam defendant; non quod armis se protegentibus careant, quoniam studium suum in bonum vniuersæ Ecclesiæ præcipuè dirigunt.

ad Ephes.6. v.12.

Et præterea gladius verbi Dei ferè alia arma virtute continet, & omnium est potentissimus ad bellum. Nam teste eodem Paulo, *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti; & pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus.* Vnde Christus Dominus hoc potissime armorum genere vsus dicitur ad pugnandum contra hostes: iuxta illud Psalmi: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*, & in Apocalypsi solum ait Ioannes: *De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.* Vt autem sciremus ad quid gladium sic haberet, subdit post contra tenentes doctrinam Balaam: *Pugnabo cum illis in gladio oris mei.* Id est verbis, doctrinaque mea eos conuincens, eorumque errores omnino perimens.

ad Hebr. 4. v.12.
Psal.44.v.4.
Apoc.1.v.16
Ap.2.v.16.

3. Sed cur hic gladius ex ore Christi exire dicitur; sexaginta vero fortes tenere eum in manibus? forte, vt prima phrasis metaphoram referet, ostendens gladium esse verbum quod ex Christi ore procedit. Iuxta illud: *Posui os meum quasi gladium acutum*, cuius tota vis in eo est sita, quod ab eo procedat, qui est verbum æternum à patre genitum, docensque tanquam potestatem habens. Fuit enim vere potens opere & sermone: at secunda phrasis ostendit verbum istud coniungendum esse operibus. Nam hoc est illud tenere in manibus: tunc enim verbum est efficax, quando doctor confirmat

Isa. 49. v.2.
Matth 7.v. 29.
Lucæ 24. v.19.

A opere, quod docet verbo, iuxta illud Ecclesiastici, *Non retineas verbum in tempore salutis, non abscondas sapientiam tuam in decore suo. In lingua enim sapientia dignoscitur, & sensus, & scientia, & doctrina in verba sensati; & firmamentum in operibus iustitiæ*: id est, licet sapientia magis splendeat in verbis, & ideo manifestanda sit in decore suo propter gloriam Dei, & proximorum vtilitatem, tamen fulcimentum eius sunt opera iustitiæ, cum comitatur illam. Et sicut gladius nisi manu moueatur, ictum non facit, nec hostem lædit; sic verbum Dei sola cogitatione apprehensum, nihil efficiet, nisi in opus moueat, donec perficiat. Propter quod Saluator Apostolis suis dixit, *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Nemo à manibus gladium repellat, eo quod solum dicatur Christum illum habuisse in ore, Christus enim sanctus & impeccabilis per naturam erat; & quos elegit, vt spiritale eius os sint, ex quo idem gladius exeat, sanctos esse cupit, ideoque dixit: *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Oportet ergo vt manibus teneant gladium verbi Dei; quo primum in se ipsis separet pretiosum à vili, deinde illum vibrent in alios, vt in eis eandem faciant separationem: potens enim est ad hoc sermo Dei, viuus & efficax, *Pertingens vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum ac intentionum cordis.* Separans nimirum & secernens pretiosas cogitationes à vilibus, has foras proiiciens, illas retinens.

Eccl.4.v. 27.
B
Ierem.15. v.19.
ad Heb.4. v.12.

Vnde doctores hanc vim non à se, sed ab ipso Dei verbo recipiunt, idq; denotat Hebræa phrasis, quæ non ait, tenentes gladios, sed potius, *Omnes tenti & cõprehensi à gladiis.* Cum enim verbũ Dei, viuum sit, & efficax, non tam tenetur, quam tenet
C Doctorem, & possidet illum, & per eum operatur quæcumque Deus vult, qui præcipuus est magister, à quo verbum vim suam sortitur, iuxta illud. *Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis, & ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.* Teneat ergo doctor gladiũ verbi Dei, & teneatur ab illo, vtens eo ad consequendum finem, propter quem est à Deo traditum; & simul se illi submittens, vt quod verbum docet, ipse operetur; illique se conformet, non distorquens illud in alios sensus iuxta proprias phantasias, sed iuxta id, quod à supremo doctore est præscriptum, & à patribus Ecclesiæ receptum; sicut monet Ecclesiastes, dicens: *Verba sapientium sicut stimuli & claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno.* Nec similitudo stimuli & claui dissimilis est omnino gladio, qui deseruit non solum ad scindendum, sed etiam ad penetrandum, instar claui vsque ad profundum cordis. Quemadmodum igitur ad custodiendum paradisum constituti sunt Cherubini (quod interpretatur plenitudo scientiæ) flammeum habentes gladium: sic ad custodiendam Ecclesiam constituuntur doctores scientia, & doctrina pleni, habentes gladium verbi Dei qui flammeus est. Siquidem Dei verbum simul est gladius & ignis, & consequenter gladius igneus; vnde & Apostolis datæ sunt linguæ igneæ ad Dei verbum prædicandum, & corda hominum inflammanda, eorumque comburenda peccata?

Matth.10. v.20.
Lucæ 21. v.15.
Eccles. 12. v.11.
Gen.3.v.24.
Ierem.23.v. 29.
Act.2.v.2.

De experientia, & promptitudine ad bellandum. §. 4.

1. EX his patefit subiuncta sententia, *Ad bella doctissimi*: potest enim ars bellandi per hunc gladium bifariam sciri, aut per solam speculationem, aut etiam per praxim & experientiam. Et qui hanc habent, dicuntur doctissimi ad bella; reliqui verò non nisi docti; iuuat quidem per scientiam & speculationes nosse spiritualia bella, tentationum proprietates, origines, & effectus, mediaque ad eas superandas, sed si præliandi experientia desit, diminuta erit scientia, minusque sufficiens iuxta illud Ecclesiastici: *Qui non est tentatus, quid scit? vir in multis expertus cogitabit multa; & qui multa didicit, enarrabit intellectum. Qui non est expertus, pauca recognoscit*: vnde Christus Dominus, etsi omnia infinita sua scientia comprehẽderet, voluit tamen, vt inquit Apostolus, ex his quæ passus est discere obedientiam; *Per omnia fratribus similari, vt misericors fieret.* Scilicet experiendo nostras miserias, vt noua ratione compateretur nobis, auxiliumque præstaret ac remedium; *In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari*: & iterum id confirmat, dicens: *Non habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato!* Voluit enim experiri tentationum & tribulationum bella, vt doctissimus & potentissimus esset ad bellandum pro nobis; vel, potius ne nos horreremus hanc experientiam, vt possemus melius aliis auxiliari: & denique quoniam, vt inquit D. Gregorius, si dux militiæ temporalis non
C eligitur nisi qui miles extiterit, multo magis dux spiritualis militiæ diu iam debet esse expertus.

Ecclef.34. v.9.
Ad Heb. 2. v. 17.
Heb 4. v.15.
Lib.4.regist.epist 51. & 53.

2. Hoc confirmat amplius subiuncta similitudo; *Vniusquisque ensis super femur suum.* In quo plura latent mysteria: Primo enim denotatur Prælatos & Doctores semper debere ad bella esse promptos, & paratos, vt munus suum obeant, & Ecclesiæ auxilientur: hoc enim significat gladio esse præcinctum: sicut de Christo Domino dicitur: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Vnde prouerbium erat apud antiquos Hebræos, *Neglorietur accinctus æquè vt discinctus.* Id est ne glorietur qui adhuc est in prælio, & armis indiget, sicut qui parta victoria se discinxit, & arma reiecit. Cũ igitur militia & tentatio sit vita hominis super terram, & vndique Ecclesiam bella premant, fideles- D que variis tentationibus ac persecutionibus vexentur, oportet semper pastores paratos esse, armisque munitos ad resistendum hostibus.

Psal.44.v 4. 3. Reg.20. v.11.
Iob.7.v.1.

3. Sed si gladium habent in manu, ad quid ensis super femur. Numquid non sat est vnus gladius? vel in vtraque manu habendus est duplex? vtique quia præsules & doctores oportet sicut Aod, esse ambidextros, & vtraque manu pro dextra strenuè vti. Gladius in dextera est verbum Dei, quo regnum cælorum, virtutis præmia, fauores, mysteriaque Christi læta, & quæcumque amorem excitant, annunciantur. Gladius verò in sinistra est verbum, quo prædicantur minæ, supplicia, ignis æternus, & cætera quæ timorem incutiunt: hic ensis retinendus est in vagina super femur, educẽdus cùm opus fuerit, nimirum, cum ea, quę spem & amorem excitant, non sufficiunt ad cor emolliendum, & strenuè expugnandum. Tunc enim superaddenda sunt quæ timorem incutiunt, & terrent, imo aliquando vterque simul est vibrandus ad facilius vincẽdum.

Iudic.3.v.15.

A Nec abs re erit etiam dicere Ecclesiæ prælatos duos habere gladios (de quibus Apostoli in nocte passionis ipsi Domino dixerunt: *Ecce duo gladij hic.* Et ille eis: *satis est*:) nempe gladium prædicationis verbi Dei propter omnes fideles, & gladium potestatis spiritualis ad puniendum rebelles, qui; vt Tridentinum docet, potissime est gladius excommunicationis, & neruus vocatur Ecclesiasticæ disciplinæ ad continendos in officio populos valde salutaris. Hunc tamen oportet esse in vagina, nec educendum nisi magna ex causa, & prudenti cautela, ne potius perniciem pariat, quàm saluté. Sed hoc satis attigisse sufficiat, cæpta prosequamur.

Lucæ 22. v 38.
Sess.25.c.3. de reform.

Habent ergo huiusmodi fortes, præter gladium, quem manu portant, ensem super femur, quoniam (vt interpretantur Cassiodorus, & Beda) ita aliorum saluti custodiendæ, & verbi diuini prædicationi inuigilant, vt tamen sui etiam curam gerant, & propriæ abnegationi solerter incumbant, gladio mortificationis, omnes carnis motus succindẽtes; memores illius Apostolicæ sententiæ: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Et quidem ex duplici capite hoc valde necessarium est prælatis & doctoribus. Primò, vt expediti sint ad bellum, demptis per abnegationem cunctis impedimentis. Valde enim vim prædicationis & doctrinæ eneruant inordinatæ animi affectiones, maximè libido, cupiditas, & ambitio, ira, inanis gloria, & aliæ huiusmodi, quas resecare oportet, vt cum libertate spiritus verbum Dei docere valeant. Cum enim potissimè prælientur, vt eas à lectulo Salomonis, & à qualibet pia anima procul pellant, quia maximè pacem exturbant, oportet primò à seipsis expulisse. Quomodo enim eas vincet in aliis, qui in se turpiter est victus ab illis? dicetur vtique illi, *Medice cura teipsum*; miles, vince proprios hostes, antequam aggrediaris alienos.

4. Aliam subtilitatem femoris expositionem habes infrà in exhort. 26.§.1.
1.Cor.9.v. 27.
Lucæ 4. v. 23.

Per Dei verbum vinci hostium insidias, & timores nocturnos. §. 5.

HOc multò magis declarat ratio afferendi ensem super femur, sc. *Propter timores nocturnos.* Quamuis verba ista rationem etiam reddant omnium quæ præcesserunt, ac si diceret; adhibuit tot custodes ita fortes & armatos propter timores nocturnos; non ait timorem, sed timores, quia plurimi sunt: sicut antea non dixerat, doctissimi ad bellum, sed ad bella, quia etiam sunt innumera, nam tot bella, quot timores nocturni, quos tamen in duas classes redigemus. Primò quidem hoc nomine significantur occultæ inimicorum insidiæ in peccatum, & errorem pertrahentes, ideoque maximè sunt timendæ, nam vehementius lædunt, & incautos occidunt; eo quod in nocte & tenebris nobis ignorantibus fiunt. Huiusmodi autem sunt tentationes prouenientes ex illusione dæmonum, cùm Sathanas transfigurat se in Angelum lucis, vt decipiat, & vocatur dæmonium meridianum; quoniam foris apparet lux, sed intus est nox; & malum suadet sub specie boni; falsum sub forma veri: habet autem idoneos ministros ad has deceptiones similiter se transfigurantes, nimirum hypocritas, simulatores & callidos, sed maximè hæreticos, nullus tamen pernicios ior Sathanæ minister, quam iudicium propriũ, cũctorum errorum & deceptionũ seminariũ, lucẽ vocãs tenebras & tenebras lucem.

1.

2.Cor.11. v 14.

Abhis autem insidiis nequiret communis cœtus fidelium se tueri, nisi ab his sexaginta fortibus

seruaretur, hostes enim facilè simplices, & proprio iudicio fidentes decepit, sicut decepit Euam. At fortes isti per gladium verbi Dei tenebras pellunt, insidias manifestant, excutiunt timorem, & vires addunt, apta vnicuique timori nocturno verba applicantes, vt tentationes dissipent. Propter quod Psal. 90. v. 5. Psalmista dixit: *Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno.* Veritas Dei est Dei verbum, quod omnem eius veritatem ad salutem necessariam continet. Habet autem rationem scuti, simul & gladij: scutum est, quãdo per illud tantum contra tentationem munimur, ne nos lædat; gladius verò, quando etiam hostem fugamus, & ferimus, vt victus lõgius recedat. Quemadmodum diabolus ter aggressus est Christum Dominum, & insidias ei parauit in deserto, cum dixit: *Si filius* Matth. 4. v. 3. *Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*, sc. ne fame hic pereas. Deinde: *Si filius Dei es, mitte te deorsum,* B nimirum vt Deus in te glorificetur, quia non læderis, *Scriptum est enim, quia Angelis suis mandauit de te, &c.* Saluator verbo Dei vt scuto vtens, has duas tentationes superauit, dicens; *Non in solo pane viuit homo, &c.* &, *non tentabis Dominum Deum tuum.* At cum diabolus tertio dixit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*, gladio verbi diuini vtens, ait: *Vade Sathana, quia scriptũ est Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Quo exemplo docemur singulis tentationibus diuina aptare verba, iam vt scutum, iam vt gladium. At sexaginta fortes gladiis vtuntur, quia, vt diximus, non se tueri, sed hostes longe à fidelibus profligare intendunt; sed quid proderit hos fortes nos ambientes gladios præcinctos habere, si nos illos deseramus, nec ad ipsorum confugiamus præsidium? nocturni enim timores nos oppriment, & deijcient, si nec propriũ C gladium habemus, nec ad habentes accedimus, vt In exhor. 6. 2. protegamur ab illis, sed de hoc iam supra dictũ est.

Alij tandem sunt timores nocturni, seu timores noctium, qui etiam Ecclesiam & singulas animas valde vexant, nempe tribulationes & persecutiones hominum, quæ, etsi manifestæ sint, noctes vocantur, quoniam tristitiam magnam ingerũt, mentemque aliquando conturbant, & quibusdam internis nebulis obscurant. Ad hos etiam timores pellendos præsules gladios habent paratos, vt per Dei verba causas tristitiæ præscindant, & magnam afferant consolationem. Proprium enim eorum munus est consolari mæstos, erigere pusillanimes, afflictis succurrere, & mederi contritis corde. Propter quod diuina prouidentia duo mira circa Gen. 32. v. 25. eos operatur, propter quæ vocantur, *Ex fortissimis Israel*, ensem gerentibus circa femur. Sicut enim Angelus cum Iacob luctans, vt eius corroboraret D fortitudinem prius tetigit neruum femoris eius, qui statim emarcuit, & cæpit claudicare, quod infirmitatis & afflictionis symbolum est; postea vero benedixit, & nomen hilare Israel ei imposuit; ad hunc modum, Deus hos fortes viros Ecclesiæ, femoris & carnis permittit tentationibus vexari; tum vt propriam agnoscant infirmitatem, semperque ad præliandum cõtra eas ensem suum super femur gerant, tum vero vt ex se ipsis cognoscant quæ sunt proximi sui, & proprio experimento discant aliis compati, condolereq; possint, sicut Apostolus ait, Ad Hebræ. v. 2. *Iis qui ignorant, & errant, quoniam ipsi circumdati sunt infirmitate*; & eos, quos in aliquo delicto præoccupatos inuenerint, instruant in spiritu lenitatis, Ad Gal. 6. v. 1. considerantes seipsos ne & ipsis tententur. Deinde vero eos valde consolatur, cœlestibus replens benedictionibus, vt suauius possint alios consolari, suoque exemplo exhortari ad expectandam consolationem post desolationis tormentum: quod idem Apostolus testatur, cum ait: *Benedictus Deus, &* 2. Cor. 1. v. 3. *Pater Domini nostri Iesu Christi, &c. qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur & ipsi à Deo, quoniã sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Et simili ratione abundabit consolatio vestra, si patientes fueritis in tribulationibus vestris pro Christo, cui sit honor & gloria in secula. Amen.

EXHORTATIO XXIV.

De duplici requie, contemplationis scilicet & felicitatis æternæ; de modo custodiendi illam, & appetendi hanc, atque spirituales nuptias cum Christo?

En lectulum Salomonis, &c.

Connexio litteræ.

NTVENS sponsus dilectam suam dulcem contemplationis dormire somnum, adiurauit filias Ierusalem, ne eam excitarent, huiusmodi somni zelatorem se exhibens & custodem; at nunc ostendere aggreditur locum, vbi dormit, & quiescit, & custodes, quos apposuit, vt eumdem somnum vel dormientem custodirent, dicens illi: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*: ac si diceret, en tibi stratus est & præparatus lectulus, in quo cum ipso cælesti Salomone requiescas tanquam eius spiritualis sponsa, eiusque cælestibus fruaris delitiis; nec erit qui se perturbet, quia sexaginta adhibui fortes, qui lectulum istum ambiant, & custodiant. Exhortatur itaque animam ad orationis & contemplationis quietem, quam adepta erat, seruandam, & custodiendam, quoniam vt inquit Poëta, non minor est virtus, quam quærere, parta tueri; & plus est, aut saltem non minus est seruare repertum, quem quæsiisse nouum. Ouidius 2. de remedio amoris. Claudianus 2. Stilicon ipse ait plus est. 1.

Cum igitur lectulus, vt sæpius diximus, quietem denotet, aut locum quieti deputatum, hic vtrumque apte significat, nimirum, vel ipsam contemplationis internam quietem; qua contẽplatrix anima tranquille manet in abscondito vultus Dei à conturbatione hominum; vel (quod in idem fere recidit) ipsum cor mundum, quietum, & tranquillum, in quo Deus & anima contemplationi vacans simul quiescunt. Vtrumq; autem insinuat D. Gregorius, dicens: *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*, quia sancti quique sine vlla debilitate desiderij, internam requiem contemplantur. Rursus Salomoni lectulum facimus, quando à mundi solicitudinibus omnino cessamus, dũ in solo desiderio Christi libẽter pausamus, eiq; vt nobiscum pauset, cor ab omni terrena cupiditate mundamus. Fauet quod ait Beda, lectulũ Salomonis esse conuersationem quietam sanctorum à mundi tumultibus segregatam, quæ compressis vitiorum conflictibus felicitatem æternæ pacis imitatur. « L. 7. mor. c. 8. « « « « In hunc locum. « «

Sexaginta autem fortes hunc lectulum ambientes eadem proportione seruata bifariam assignantur; sunt etenim, vel ipsæ animæ contemplationis 2.

auidæ fortissimis munitæ virtutibus; vel ipsæmet A virtutes in suum contrarium vitium armatæ, illæ maximè, quæ ad cordis tranquillitatem conciliandam magis conducunt; vt modestia, castitas, patientia, & aliæ eiusmodi; vel illæ generosæ cogitationes, & affectiones; quæ ex contemplatione intus permanent, de quibus Psalmista ait: *Et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi*: per quas magnam concipimus Dei æstimationem & amorem. Quæ autem maxime æstimamus, valde etiam custodimus: dicuntur autem sexaginta iuxta id, quod legitur in Euangelio, semen Dei fructificare vel triginta, vel sexaginta, vel centum. Triginta autem aptantur coniugatis & sæcularibus, qui teste Apostolo, diuisi sunt, seu cogitationes habent diuisas. Ita enim Deo inseruiunt per obseruantiam decalogi, mortificando trinas concupiscentias, carnis, oculorum & superbiæ in iis, quæ sunt prohibita, quod multa retinent temporalia, circa quæ cogitationes eorum dispertiuntur. Sexaginta vero referuntur ad virtutes, affectus, & cogitationes integras, & indiuisas eorum, qui vltra Decalogi obseruantiam, virginitatem, paupertatem spiritus, & Euangelicam integre colunt perfectionem; cunctaque temporalia contemnunt, vt Deo vacent. Omitto centum, quod ad martyres pertinet, quia licet in martyrio consummetur perfectio, etiam finitur vita.

Psal. 75. v. 11. Matth. 13. v. 2. Marc. 4. v. 20.

Quomodo virtutes custodiant lectulum cordis, & contemplationis. §. 1.

QVOMODO autem hi sexaginta fortes hunc lectulum custodiant, explicemus per id, quod idem Salomon dixerat in prouerbiis, *Omni custo-* Prou. 4. v. 23. *dia serua cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit.* Id est, omnigena, & summa custodia serua illud. Quod potissime intelligendum est de corde mundo, tranquillo, & ad visionem Dei per contemplationem idoneo; de quo dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Huiusmodi cor vocatur hic lectulus Salomonis, & omnis eius custodia complectitur sexaginta fortes ex fortissimis Israel, id est, omnes virtutes non in quouis gradu, sed in heroïco, quibus nulla est vigilantior & potentior custodia. Quamuis enim nobis Deus plures, fortissimosque tribuerit custodes, tum ex Angelis, tum ex hominibus, nihil tamen eorum custodiæ proderit, si homo se ipsum negligat custodire: tunc autem omni possibili sibi custodia, seipsum ac cor suum custodit, cum cordi suo inhærentes habet heroïcas virtutes, ambientes vndique illud, & omnes eius portas, nimirum sensus, & appetitus D inferiores.

Plura de hoc in libro Ducis Spiritualis, tract. 4. c. 14. 1. Matth. 5. v. 8. De illo dicitur infrà Vallatus liliis. Vide explicationem ibi datam de eisdem virtutibus.

Habent autem ad hanc custodiam gladium in manibus, & ensem supra femur; id est, arma vnicuique proportionata, ad trucidandum & destruendum vitia sibi contraria, concupiscentias carnis, & omnes tentationes dæmonum, vel hominum ad malum impellentium. Vnde sicut duplex est hostium genus, externum, & internum; de quo Paulus ait: *Foris pugnæ, intus timores*; ita duplicem habent gladium, vnum in manus ad profligandos externos hostes, alterum super femur propter timores nocturnos, ad reprimendum hostes qui grassantur intus. Vocatur autem gladius ipsa virtutis vehemens propensio ad destruendum quidquid sibi vel Deo, aut legi eius est aduersum; eum autem vehementer acuit ipsa contemplatio, per verba Dei, quæ administrat ex iis, quæ de diuinis mysteriis in scriptura contentis meditatur, 2. Cor. 7. v. 5.

Humilitatis enim acies acuitur amplius contra superbiam per verbum illud: *Omnis qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur. Et, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*, & ad hunc modum aliæ virtutes contra opposita acuminantur vitia. Gladius autem tenetur in manibus, quoniam acuta hæc virtutis propensio operibus est iungenda, & manifestanda, vt iam diximus, sed quia nihil ita cordis quietem perturbat, ac carnis concupiscentiæ, ensis super femur ponitur, aciem eius ad eius mortificationem dirigendo.

Fortes igitur virtutes ita armatæ, quæ custodiunt atrium cordis, in pace illud possident, & simul reddunt animam pulchram, Deo & Angelis charam, hostibus & dæmonibus terribilem, sicut castrorum aciem ordinatam, ad imitationem sponsi, de quo prius dicitur: *Accingere gla-* B *dio tuo super femur tuum potentissime*; & posteà subditur: *Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna.* Explicat hoc eleganter D. Gregorius Nyssenus, afferens sponsum sub hac lectuli metaphora dilectæ animæ laudes protendere, laudatur autem ab eo, quod terribile apparet, quoniam eam ambiunt fortes cuaginatos habentes gladios in manibus, & super femora enses, ad insinuandum discrimen inter pulchritudinem carnis, & mentis. Diuina, inquit, pulchritudo in terrore habet aliquid amabile ex iis quæ sunt contraria corporeæ pulchritudini. Nam hæc quidem « attrahit ad cupiditatem per id, quod est visui iu- « cundum, & blandum, ac ab omni terribili, irati- « que animi affectione separatum. Pulchritudo au- « tem illa est magni, & excelsi animi virtus, & quæ « non potest conturbari, aut stupore affici; cum enim « ira fortis, ac virilis insidiantes voluptatis turmas « perterruerit, & in fugam verterit, tunc existit pura « animæ pulchritudo, nullo motu maculata corpora- « lis cupiditatis. Necessario igitur nuptialis regis « lectulus ab armatis circundatur, quorum belli « peritia, eo quod super femur paratum habeant en- « sem, terrorem affert, & stuporem iis, qui noctu, & « tenebris insidiantur, & sagittis appetunt rectos « corde. Hæc ille, egregiè docens spiritalem animæ « pulchritudinem diuinos attrahere oculos, non per « ea quæ sunt mollia, & carni iucunda, sed potius per terribilia & aspera, ac per virtutes, quæ carnem domant, & perturbationes cordis fugant, & ipsos hostes terrent. 2. Psal. 44. v. 4. Homil 6. in Cant. *Sponsa vocatur lectulus Salomonis secundum Nyssenum.*

Explicat autem postea idem Nyssenus mysterium latens in numero sexaginta ex fortissimis Israel, quia ex singulis duodecim tribuum, quæ D vnum Israel constituebant, eliguntur quinque ad custodiam lectuli Salomonis, armati, & ad bella satis instructi: (quinque enim duodecies multiplicata efficiunt sexaginta) quoniam ex omni natione, quam vna Ecclesia complectitur, elegit sibi Deus fortissimos milites, quinque sensus habentes armatos cõtra omnia voluptuosa; & delectabilia mũdi. Gladius (inquit) oculi est iugiter Deum aspicere, recta intueri, & nullo turpi spectaculo inquinari: auditus ensis est diuinorum documentorum auditio, & nunquam vanum in se admittere sermonem. Ita etiam licet armare gustum & tactum, & odoratum gladio continentiæ; vnumquemque sensum tegendo congruenti lorica, per quæ tenebrosis hostibus stupor sit, & terror. Hæc Nyssenus.

Ex his constat quàm apte laus ista interrogationi 3. precedenti respondeat, *Quæ est ista quæ ascẽdit, &c.* *Alia cõ-* eadem enim anima, quę non virgasęd virgula fumi *xio litterę.*

dicitur propter humilitatem, per quam sursum ascendit: vocatur etiam non lectus, sed lectulus; quoniam per eandem humilitatem apta redditur Isa.66.v.2. iuxta 70. vt in ea Christus requiescat, virtutes autem, quæ aromata igne incensa, & fumigantia dicuntur, quatenus animam sursum ad Deum eleuant, vocantur sexaginta fortes gladiis armati; prout eandem spiritalem quietem seruant, & contra intèr nos, & externos hostes eam perturbantes militant.

In c. super Cantica. Richardus Quoniam autem ad hoc omnium potentissima est charitas, hunc locum interpretatur de gladio diuini amoris, cui attribuitur vulnerare cor, & pertransire, seu transfigere animam; charitatis enim propensio est instar acutissimi gladij hostes Dei perimere, destruere peccata, mortificare passiones, & femur carnalium concupiscentiarum comprimere; *Quoniam fortis est vt mors dilectio.* Nihilque ea est efficacius contra *timores nocturnos*, carnales, & mundanos, qui montem ex- 1.Ioan.4.v. 18. turbant & excæcant; quos perfecta charitas foras B pellit, quia vehementer odit, & contemnit quæ caro concupiscit; & mundus magni facit; amplectitur vero quæ ille reiicit, nec timet despici, vel torqueri, dum lectulum Salomonis ambiat, & suo dilecto frui valeat.

PRO FESTO TRANSFIGVRATIONIS.

De appetitione requiei æternæ felicitatis.
§. 2.

1. IAM ad altiora ascendamus, nam lectulus Salomonis etiam hic significat (vt Nyssænus insinuat) æternam requiem gloriæ, vbi beati cum Deo requiescunt: de qua intelligendum putat, Hom. 6. in Cant. quod Dominus respondit ei, qui noctu ostium im- Idem Richardus. portune pulsabat, tres panes postulans: *Iam* (inquit) *ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in* Luc.11.v.7 *cubili.* Pueros vocat ipsos beatos, qui simul cum C ipso Deo in eodem lectulo requiescunt, eius clara visione, & æterna felicitate fruentes, & nominantur pueri propter innocentiam, & immunitatem ab omni labe, & propter omnimodam, quam habent ad Deum, subiectionem. Huiusmodi autem cubile est intra cælum Empyreum, cuius ostium clausum est viatoribus, sed orationibus, & sanctis operibus suo tempore aperiendum. Hunc igitur pulcherrimum, deliciosissimum, & pretiosissimum cælestis Salomonis lectulum, in quo summa pax est, & tranquillitas, nec quicquam potest illum exturbare, ambiunt sexaginta fortes ex fortissimis Ricard. in Cant. c.10. Israel, nempe viri sancti, & electi; non vt eum custodiant, vel in eo plene conquiescant (nam hoc alteri sæculo reseruatur) sed ambire dicuntur, quia vehementer appetunt ad illum ascendere, & con- D templatione, ac amore iugiter prope ipsum versantur.

2. Dixerat paulo ante sponsus: *Quæ est ista quæ ascēdit per desertū sicut virgula fumi, &c.* non explicuit quò ascendebat, & quis locus esset ascensionis terminus; nunc ostendit illum dicens: *En lectulum Salomonis*, ac si diceret: en ista ascendit mente & spiritu ad lectum Salomonis, vt in eo cum ipso requiescat; post mortem quidem illuc sperat ascendere, vt in æternum maneat; interim ascendit desiderio, vt quæ ibi geruntur contempletur, eorumque fruendi spe aliquantulum quiescat. Propter vtrumque Apoc.14.v. 13. enim dicitur: *Beati mortui qui in Domino moriuntur; à modo iam dicit Spiritus vt requiescant à laboribus suis.* Quod ad duplicis generis mortuos extenditur, qui iure beati dicuntur; nam qui vitam in gratia finiunt, in cælesti patria requiescent plene à laboribus suis, quia *Ibi* (inquit Iob) Iob.3.v.17. *impij cessauerunt à tumultu, & ibi requieuerunt fessi robore, & quondam vincti pariter sine molestia*: in cælo enim nec erunt impij, qui tumultu suo beatos perturbēt, nec vlla fatigatio & molestia, nec vllum onerosum & graue vinculum, sed omnia mala, & perturbantia cessabunt: at qui virtutem sectantur, & per omnimodam sui abnegationem moriuntur sibi ipsis in Domino, sunt etiam ex parte beati; & requiescunt, non à laboribus studiosis, qui quietem non turbant. Imò pariunt & augent, sed à laboribus vitiorum, & concupiscentiarum præmentium animam, de quibus Saluator ait, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego* Matth. 11. v.28. *reficiam vos*, auferendo labores & omnia onera, quæ vos vexant.

3. Sed ad hanc mortem oppetendam necessaria est maxima fortitudo, quam præbet, *Fortis vt mors dilectio*; & ideo lectulum pacifici Salomonis, ad quem perueniunt omnes mortui, non ambiunt nisi *Sexaginta fortes ex fortissimis Israel*; non ambiūt Ex Ricardo vbi supra. peccatores, qui terrena vehementèr concupiscunt, nihilque faciunt cælestia, & æterna, non ambiunt pigri, qui segniter præcepta Dei implent, & molliter ac dissolute viuunt. Non ambiunt Neophyti, qui adhuc pro peccatis ante actis gemunt, & opus habent pœnitentiæ lachrymis stratum suum rigare; nam dum turbat intus remorsus conscientiæ, & peccatorum tristis memoria, non tam possunt desiderare superna præmia, quam timere adhuc supplicia. Illi ergo tantum ambiunt lectulum fælicitatis æternæ, qui deuictis vitiis, & contemptis terrenis, fortes sunt ex fortissimis Israel, magis selecti & deuoti, mortificationi, & orationi instantes, & Dei vacantes contemplationi. Dicuntur autem sexaginta ea phrasi, qua infrà dicitur, *Sexaginta sunt reginæ*, vbi per reginas com- Cant.6.v.7. muniter patres intelligunt animas perfectas, quæ aliis sanctitate præcellunt: ille (inquit D. Hieronymus) quæ supergressæ sunt sex dies mundi, & futura regna suspirant, reginæ appellantur. Vbi ra- Epist. 140. ad princi- tionem tangit cur dicantur sexaginta, quia mente pium. & affectu cuncta temporalia in sex diebus creata transcendunt, & in solo creatore plenè requiescūt.

Non negamus patere accessum ad hunc lectulum reliquis iustis, nam in regia Salomonis domo præter sexaginta Reginas, *Sunt etiam octoginta concubi-* Cant.6.v.7 *næ, & adolescentularum non est numerus.* Omnesque admittuntur ad lectulum; sed Reginæ, hoc est, animæ perfectæ, crebro & magna cum familiaritate ipsum ambiunt, & contemplantur, & in eo prout viatores decet, requiescunt; concubinæ verò, id est, minus perfectæ, rarius, sed propius, quam reliquus adolescentulū numerus, id est, fidelium communis cœtus, qui à longe hæc contemplantur. Sed tandem post mortem omnes admittentur ad lectulum, & in eodem cubili cum Christo requiescent; sicut & in eodem throno cum illo sessuros pollicetur. Vnus ergo thronus, & vnum cubile Ap.3.v.21. omnes capiet, etsi non omnes eodem gradu.

4. Sed si tam capax est cubile, vt pene infinitos capiat, cur non vocatur lectus, sed lectulus, maximè cum magnificentissimus sit, & honore summo dignissimus! sed hoc teneritudinem amoris indicat, quia amantiū propriū est diminutiuis vti: lectulus autem ille est nimiū amabilis, vtpote nuptiis spiritualibus destinatus: vnde & Psaltes de ipso dicebat: Psal.83.v.2. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum; concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Præterea lectulus dicitur, quia tantum de sexaginta reginis & fortissimis Israel agitur, qui pauci sunt A respectu aliorum; vel forte, quoniam ēsto in se sit maximus, tamen nostræ paruitati est commensuratus; & omnis gloria beatorum finita est, & limitata, & parua, si infinitæ comprehensioni, & gloriæ ipsius Dei in seipso comparetur. Quæcumque tamen sit, superabundanter replet & satiat beatos, & ideo vtrumque coniunxit Dominus, cum dixit, *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, &* Luc.6 v.36. *superefluentem dabunt in sinum vestrum.* Si mensura est, limitata est, quia solus Christus sine mensura habet de quo Ioannes dixit: *Non ad mensuram dat* Ioan.3 v.34 *Deus Spiritum.* Subaudi, filio, quem misit in mundum, & qui ab æterno est in immenso sinu ipsius: reliquis verò dat ad mensuram iuxta capacitatem sinus ipsorum, quæ per diuersos meritorum gradus constituitur; est tamen mensura bona, plena, *Transfiguratio Christi symbolum esse gloriæ.* coagitata, & superefluens, vt cuiusque sinum su- B perabundantius, quam intelligere potuit, omnino expleat.

5. Huius autem pulchrum symbolum in Domini Matth.17. v.1. transfiguratione resplendet, quam gloriosum lectulum Salomonis Christi vocare possumus: ambierunt autem hunc lectulum quinq; viri Moyses & Elias, Petrus, Iacobus, & Ioannes, omnes electi ex *Humanitas vel corpus Christi, vt dicetur infra vocatur lectulus Salomonis.* fortissimis Israel, qui in vtroque testamento inuenti sunt; & bene quinque, qui sexaginta fortes repræsentabant, quoniam, vt supra diximus cum Niceno, ex qualibet duodecim tribuum quinque electi denotantur, qui exercitatos habeant sensus, & mortificatos mundo. Moyses quidem & Elias, qui propè ambiebant lectulum (erant enim prope Iesum, & cum eo familiariter confabulabantur) repræsentabant beatos; vnde in eadem maiestate C Luc.9.v.30. visi dicuntur; reliqui tres alios iustos; quia tantum 2. Petri 1.v. 17. speculatores erant illius magnitudinis, vt ipse D. In soliloq. c 22. Petrus testatur, qui tanta repletus est ex hac speculatione lætitia, vt ibi semper permanere vellet, dicens: Domine bonum est nos hic esse, & teipsum hic semper ambire; nam, vt inquit D. Augustinus, vnam stillam dulcedinis gustauit, & cætera fastidiuit; quid si ex torrente voluptatis Domini potatus esset? quid erit, cum in ipso lectulo cubet delitiis beatorum affluens; quando sola speculatio tam ingentibus eum cumulauit delitiis? oportet ergo, quantum fas fuerit, lectulum hunc ambire, & pulchritudinem ac iucunditatem eius contemplari, vt ex desiderio ascendendi in illum, ad omnes labores præcingamur; vt si delectat magnitudo præ- D. Greg. hom.37. in Euang. 6. miorum, non deterreat certamen laborum, quia ad magna præmia non peruenitur nisi per magnos labores.

Hinc est huiusmodi fortes, qui hunc lectulum ambiunt, verbi Dei tenere gladios, ensibusque præcinctos esse debere propter timores nocturnos, id est, propter ingentes persecutiones, & tribulationes, quæ eos vexare solent. Verbum enim Dei Act.14.v.22 2.ad Tim. 3.v.12. ad Rom. 8. v.18. est: *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei: &, omnes, qui piè viuere volunt in Christo persecutiones patientur. Et, non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Hos gladios ostendebant Apostolis Moyses & Elias, cum ipsis audientibus dicebant Luc. 9. v.31. Christo *excessum, quem completurus erat in Ierusalem.* Id est, mortem crucis & passiones quas ibi perpessurus erat. Dicebant autem, non vt Christum docerent, vel confortarent, sed Apostolos, Lucę 22. v. 36. quos gladio verbo Dei tunc armatos esse oportebat, sicut ipse Dominus postea in nocte passionis eos monuit, vt mox dicemus.

De nuptiis Spiritalibus, quæ hic designantur.
§. 3.

SED dulciorem adhuc insinuemus quietis modum in his verbis latitantem. Intelligitur enim de lectulo Salomonis nuptiali, in quem sponsa deducenda erat, vt spiritalibus frueretur amplexibus & delitiis per omnimodam cum suo dilecto vnitionem, & reciprocum amorem. Vnde fit eundem lectulum vtrique esse communem; aut vtriusque cor nempe Dei, & animæ respectu alterius vocari lectulū, in quo ad inuicem per dilectionem quiescunt. De quo D. Ioannes ait: *Qui manet in charita-* 1 Ioan.4.v.1. *te, in Deo manet, & Deus in eo.* In Deo manet tan- 16. quam in domo & lectulo, vbi desideratam inuenit quietem; & Deus etiam in eo tanquam in suo lectulo, vbi cum illo requiescit: tūc autem celebrantur spirituales nuptiæ, quæ inchoantur in hac vita per desponsationem in fide & dilectione; consummantur autem in altera per claram Dei visionem & fruitionem. Dictio verò *en*, hunc lectulū ostendit piæ animæ, vt illum appetat, & per progressum bonorum operum in illum ascendere curet, memor illius, quod ait Paulus, *Despondi vos vni viro,* 2. Cor.11. *Virginem castam exhibere Christo.* Virgo casta vo- v.2. catur anima integra, pura, soli Christo placere desiderans, quæ non sequitur amentiam quinq; Virginum fatuarum; sed vna est de numero prudentum, oleo bonorum operum, & igne charitatis suam ornans lampadem, vt adueniente sponso intret cum eo ad nuptias, & spiritali ipsius fruatur lectulo. Quem à longè viderant, & concupiuerant animæ, de quibus sub typo mulierum ait Isaias: Et apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa dicentes: *Panem nostrum comedemus, &* Isa. 4. v.1. *vestimentis nostris operiemur, tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* Spiritale appetunt connubium cū vno viro Christo, & ne putetur propriis inhiare lucris, aut ocium & voluptatem quærere, ad labores se paratas exhibent, vt in sudore vultus sui vescantur pane suo, & operiantur vestimento proprio labore acquisito. Nunc autem dicitur illis: *En lectulum Salomonis.* En virum vnum, quem desiderabatis, en lectulum paratum ad nuptias; laborate, & satagite per bona opera certam vestram vocationem facere; ornate vos vestibus iustitiæ & sanctitatis, quas ipse vobis, etsi non sine vestro labore, impertietur; hūc vnum virum apprehendite fide & dilectione, illique soli adhærere curate, *Nam qui adhæret Deo vnus Spiri-* D *tus est cū eo*: & tunc lectulo ipsius pacificè fruemini, nunc & in æternum, dummodo fidem seruetis illi?

Vt autem nullus hostis has dissipet nuptias, magnum apparatum bellicum lectulum ambire describitur. Ex libro enim Machabæorum constat an- 1. Mach. 9. tiquos ad nuptias processisse non solum cum tym- v.39. panis, & mulcis, sed cum armis multis. Et hoc denotant sexaginta fortes ex fortissimis Israel, quoniā tam Angeli custodes, quam Ecclesiæ Prælati & Doctores hoc potissimè munus obeunt, vt Christi sponsas securè ad nuptias spiritales deducant, eas custodiant, & hostibus insultantibus viriliter resistant, eorumque nocturnas insidias detegant & dissipent. Timent enim quod timebat Paulus post- quam Ecclesiam Corinthij desponsauit vni viro 2.Cor.11. Christo, *Ne sicut serpens* (inquit) *Heuam seduxit* v.3. *astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Iesu.* Propter quod vox *en*, peculiariter ostendit fortissimos lectuli custodes, vt anima spem concipiat;

quod tam sublime bonum obtinebit, & pacificè A possidere poterit in virtute ipsius Christi ad laudem & gloriam ipsius in secula seculorum. Amen.

EXHORTATIO XXV.

PRO FESTO S. MATHIÆ, vel MARTYRIS, circa EVANG. *Tollite iugum meum super vos & inuenietis requiem, &c.*

De requie legis Euangelicæ, & religiosi instituti; de fortibus, qui illam ambiunt, & custodiunt; & de laudibus Christianæ fortitudinis.

En lectulum Salomonis, &c.

NATVRALE est homini, præcipuè graui aliqua miseria vel tyrannide oppressо, libenter quosuis subire B labores propter requiem; & periculosa aggredi bella propter pacem, quãdo alia via eas assequi non valet: tanta enim est optatæ pacis & requiei suauitas & dulcedo, quod graues labores reddat suaues, & dulcia bella. Cum igitur lex diuina, & Euangelica, non sine magno labore, & iugi pugna obseruari queat, adiuncta illi est ingens requies, & pax maxima, quæ eius obseruantiam suauem faciat, & amabilem. Ad quam exhortatur Matth. 11. v.28. Dominus dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, tollite iugũ meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Ac si diceret, ô vos omnes qui laboratis in via iniquitatis, & onere peccatorum vestrorum, atque diabolicæ seruitutis grauati estis: venite ad me, vt à vobis auferam onera, quæ vos opprimunt, & vexant. Tollite super vos iugum legis meæ, humilitatem & mansuetudinem meam imitantes, & sic inuenietis requiem & pacem, quam concupiscitis. *Iugum enim meum suaue est, onus leue.* Lex enim mea iugum est, sed suaue propter requiem, quam efficit, onus quidem est, sed leue propter pacem, quam ablato bello confert, quod Salomon aliis verbis dixerat: *Fili mi, ne obliuiscaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custodiat, longitudinem enim dierum & annos vitæ, & pacem apponent tibi*: & per Prou.3. v.1. Isaiam clarius, *Vtinam attendisses mandata mea, facta esset sicut fluuius pax tua, & iustitia tua sicut* Isa. 48. v. 18. *gurgites maris.*

Hoc ipsum innuit hæc parabola. *En lectulum Salomonis, &c.* Diuina enim & Euangelica lex aptè vocatur lectulus propter requiem; & Salomonis, propter pacem, quam custodientibus elargitur, & quam eius obseruatores in illa inueniunt. Est autem lectulus à Deo floridus, pulcher, & pretiosus, vt fortissimi quique ex Israel libenter ambiant illum, id est, circumcingant, & circumspiciant, vt eum custodiant, illiusque requiei & pacis possint esse participes: propter quam ad omnes labores perferendos parati sunt, ad modum quo de Isachar dicitur, *Accubans inter terminos vidit requiem quod esset bona, & terram, quod optima, &* Genes. 49. v. 15. *supposuit humerum suum ad portandum.* Id est, consideravit duas sortes bonorum, & malorum, tum in hoc seculo, tum in futuro, & vidit requiem iustis promissam, & terram viuentium esse bonam & optimam, quo illectus supposuit humerum suum ad portandum quoduis onus, & ferendum quoduis iugum, vt consequeretur illam. Sed quoniam multa sunt ingruentia bella, etiam tanquam bellatores fortes, semper sunt in procinctu, sciunt enim. *Quoniam regnum cælorum vim patitur, & violenti* Matth. 11. *rapiunt illud*; regnum autem cælorum teste D. v.12. Paulo est *iustitia*, quam lex Euangelica præscribit, *Et pax & gaudium in Spiritu sancto*: quod ad Rom. 14. v.17. elargitur seruantibus illam. Vt autem hęc rapiant, violentos esse oportet, id est, fortes & potentes ad inferendam vim diabolo, mundo & carni, vel repellendo, vel comprimendo, aut iugulando eos.

De duplici gladio abnegationis propriæ, & tolerantiæ passionis, seu Martyrij. §. 1.

INDIGENT autem huiusmodi fortes aptis armis, vt hæc præstent, de quibus dicitur, *Omnes tenentes gladios, & vniusciuiusque ensis super femur, &c.* Vbi duplex spiritualis gladius insinuatur. Alter spontaneæ abnegationis sui ipsius; alter vero tolerantiæ passionis seu martyrij. Prior debet esse in manibus, quia ex propria electione pendet, & nostris operibus miscetur: posterior accinctus circa renes propter timores nocturnos, id est, in præparatione animi, vt dolores & passiones etiam vsque ad mortem à persecutoribus iniunctas pro Christo toleremus. Vtrumque eleganter docet D. Ambrosius, moralizans id, quod Saluator in nocte passionis suis discipulis dixit: *Qui non habet, vendat tu-* Lucæ 22. *nicam suam, & emat gladium. Dico enim vobis, quo-* v.36. *niam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me, & cum iniquis deputatus est, &c. at illi dixerunt, Domine, ecce duo gladij hic; at ille dixit eis, satis est.* Est (inquit) gladius spiritalis, vt vendas patrimonium & emas verbum, quo nuda mentis penetralia vestiuntur. Est etiam gladius passionis, vt exuas corpus, & immolatæ carnis exuuiis ematur tibi sacra corona martyrij; quod ex benedictionibus Do- C Matth. 5. mini colligere potes, qui summam omnium coro- v.10. narum, si quis persecutionem patiatur propter iustitiam, prædicauit. Hæc Ambrosius duos assignans supradictos gladios. Per gladium propriæ abnegationis reliquit homo omnia quæ possidet, inordinatas cupiditates, & personas quascumque nos in malum pertrahentes. Propter hæc enim dixit Saluator: *Non veni pacem mittere, sed gladium. Veni* Matth.10. *enim separare hominem aduersus patrem suum, &c.* v.34. Quo gladio præscindendum est quidquid nobis scandalum ingerit; etsi tam charum sit sicut oculus & pes, vel dextera manus. Per gladium autem passionis exuit homo propriæ salutis & vitæ affectum, & paratum se præbet ad ferendam crucem ab aliis impositam, & dolores inflictos; quomodo Simeon D Deiparæ dixit: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Sc. passionis & doloris: vtrumque autem Saluator coniunxit illis verbis; *Qui vult venire* Luc.2 v.35. *post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam &* Matth. 16. *sequatur me.* v.24.

Fortes igitur, qui lectulum Salomonis ambiunt, & legem Euangelicam custodiunt, vtrumque habent gladiũ, quia sine vtroq; perfecte lex custodiri nequit, vel hostes superari: & sicut de ædificatibus murũ Ierusalem, eo quod prope erant hostes ædificium impedire conantes, inquit scriptura: *Vna* 2. Esdræ 4. *manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladiũ, ædi-* v.17. *ficantium enim vnusquisque gladio erat accinctus renes*: sic etiam qui turrim Euangelicæ perfectionis per legis obseruantiam ædificant, simul debẽt quasi vna manu opus virtutis perficere, & altera manu gladium abnegationis tenere ad præscindendum,

& mortificandum quidquid virtuti opponitur; et- A si autem non semper sit actu pugna, semper tamen sit gladius circa renes, vt cùm opus fuerit, vtamur illo.

Hac metaphora vsus est idem Salomon, cùm in- 2. Prou.23.v.1 quit, *Quando sederis vt comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo.* Ac si diceret; non mox ac sedes, assumas cultrum ad scindendum panem, & cibos appositos, sed prius illum gutturi infige. Ibidem. Quod ad gladium discretionis separantis bonum à malo refert Beda; sed etiam referendum est ad gladium mortificationis, seu discretæ abnegationis, vt prudenter quis consideret, quos cibos sumit, & viriliter se abneget, dum noxios, etsi suaues, reiicit, & nimiam appetentiam, aut immoderatam loquelam cohibet. Qui gladius non solùm in gutture, sed in femore, & in oculis ac manibus, imo & in corde ipso statuendus est, vt dignoB scatur, & secernatur amor sui ab amore Dei, affectus carnalis à spirituali, delectatio terrestris à cœlesti, & alia eiusdem farinæ vitia, quæ affinitatem habere videtur cum quibusdam virtutibus; quam dignoscere oportet, vt amor sui omnisque carnalis affectus, & vitiosa delectatio detruncetur. Propter hoc de huiusmodi fortibus tenentibus gladios subditur, *Et ad bella doctissimi.* Tenent enim gladium discretionis simul cum aliis, & ipso experimento belligerandi, ac vincendi sunt valdè docti, maximè cum in hoc bello ab ipso Deo dirigantur, & adiuuentur; sicut testatur Dauid in Psalmo cuius inscriptio est, *Aduersus Goliath*, inquiens, *Be-* Ps.143. v.1. *nedictus Deus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Per doctrinam enim à Deo opportunè inspiratam, quæ magnam cordi inserit fortitudinem, Goliath vincimus, diabolum superamus, & cuncta iugulamus vitia, nec vni parcimus, si verè fortes sumus. Nam (vt inquit D. Ambrosius) fortitudo defendit ornamenta virtutum omnium, & iudicia custodit, quæ inexpiabili prælio aduersus omnia vitia decertat; inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduersus voluptates, dura aduersus illecebras, quibus aurem deferre nesciat; nec (vt dicitur) aue dicat; pecuniam negligat, auaritiam fugiat tanquam labem quandam, quæ virtutem effæminet. Rursus ait; Reuera iure fortitudo vocatur, quando vnusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur, non aduersis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione. Quid autem excelsius & magnificentius, quàm exercere mentem, affligere carnem, & in seruitutem redigere, vt obediat imperio, consiliis obtemperet, vt D in adeundis laboribus impigrè exequatur propositum animi ac voluntatem? En quos Salomon vocat, *Sexaginta fortes ex fortissimis Israel.* Fortes quidem seculi potentes sunt ad expugnandas vrbes, ad opprimendos innocentes, audaces, præcipites, & temerarij, qui pacem, quam mundus dat, quærunt; sed pacem Christi perturbare conantur: at fortes qui lectulum Salomonis ambiunt, fortitudine illa pollent longè excellentiori. Propter quam dicitur, *Melior est patiens viro forti, &* 3. Prou. 16. v. 32. *qui dominatur animo suo expugnatore vrbium.* Quæ duæ sententiæ duplici gladio supra commemorato respondent: nam patiens est qui cohibet iram, tristitiam, odium, & cæteras prauas affectiones ex iniuriis & tormentis illatis prouenientes, qui promptè bibit calicem passionis, & persecutorum gladio, cùm opus est, collum subiicit. Dominator verò animi sui dicitur, qui reliquas passiones & concupiscentias reprimit, & gladio abnegationis resecat. Huiusmodi autem multo melior, illustrior, & omni laude dignior est, quàm fortes seculi, qui alios vincunt, & sibi violenter subiiciunt, iuxta illud Poëtæ, Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit oppida, nec virtus altius ire potest.

Propter quod Isaias inquit, *Qui confidunt in Do-* Isa 40.v.31. *mino mutabunt fortitudinem*; insinuans (vt Diuus Gregorius notat) aliam esse fortitudinem, quam relinquunt, & aliam nouam, quam assumunt. Iustorum quippe fortitudo (ait ille) est carnem vince- " Lib. 7. re, propriis voluntatibus contraire, delectatio- " Mo. c.8. nem vitæ præsentis extinguere, huius mundi aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis " blandimenta contemnere, aduersitatis metum in " corde superare. Reproborum verò fortitudo est " transitoria sine cessatione diligere, contra flagella " conditoris insensibiliter perdurare, ab amore re- " rum temporalium nec ex aduersitate quiescere, ad " inanem gloriam etiam cum vitæ detrimento peruenire, malitiæ augmenta exquirere, bonorum vitam non solùm verbis ac moribus, sed etiam gladiis impugnare, in semetipsis spem ponere, iniquitatem quotidie sine vllo desiderij defectu perpetrare. "

Qui ergo confidunt in Domino, hanc pessimam Lib.19.Mo. fortitudinem in illam gloriosam mutant; & fortes c.16. studeant esse in spiritali opere, qui dudum fuerant fortes in carne; & hi vocantur, *Fortes ex fortissimis Israel*; quia ad modum ipsius Israel qui ex lucta cum Deo claudus mansit pede, sed fortior spiritu.

De requie & pace instituti religiosi, & de eius custodia. §. 2.

QVÆ dicta sunt in genere de lege euangelica, amplius patebunt si aptemus ea instituto, seu statui religioso, qui in magna Ecclesiæ domo eminentia quadam singulari vocari potest, *Lectulus Salomonis*, ab ipso principe pacis Christo erectus tanquam peculiaris locus suæ quieti destinatus, quem ambiũt sexaginta fortes ex fortissimis Israel; id est; omnes euangelicæ perfectionis otiosi, qui commemorata fortitudine præditi temporalia cuncta transcendunt, vt Christum sequantur; omnesque acutissimos in manibus tenent gladios, quos ipsum institutum, & gratia vocationis religiosæ illis præbet, vt insultantes hostes longè propellant, & lectulum suum pacificum & tranquillum custodiant. Proprium enim est instituti religiosi, (vt Diuus Thomas testatur) per tria vota D paupertatis, castitatis & obedientiæ, tanquam 2.2.q.186: per tres acutos gladios cunctas discordiæ radi- art. 7. ces resecare; omnia amputare perfectæ charitatis impedimenta, & intimæ vnionis ac concordiæ obstacula, tam foris quam intus occurrentia, vt status pacatissimus maneat, dignus pacifici Salomonis lectulus. Propensiones enim harum virtutum gladij sunt, (vt iam diximus) ad opposita sibi Exhor.præ- trucidanda vitia. cedenti §.1.

Vnde per votum paupertatis aufert diuitiarum cupiditatem, & relegat frigidum illud verbum, *meum & tuum*, quod multarum est discordiarum seminarium, iuxta illud Diui Iacobi, *Vnde lites &* Iac.4.v.1. *bella inter vos? non ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Propter quod de hoc lectulo Salomonis nihil hic pretiosum narratur, sicut de

Ad Philip. 3.v.8. ferculo, quia religiosa paupertas aurum contemnit, & argentum ac purpuram, & quidquid est in
Mat.19.v.21 mundo pretiosum, omnia propter Christum arbitrans vt stercora; cuius amore cuncta relinquit, vendit, & dat pauperibus, vt pretiosiorem rerum inuisibilium thesaurum habeat in cœlis; imò nullas diuitias cupit præter virtutes; nec alium thesaurum, quam ipsum Christum, cui dicit, *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* Denique hoc gladio cuncta resecat superflua in victu
Ps.72.v.25. & vestitu, aliisque ad proprium spectantibus vsum, iuxta illud, *Habentes alimenta, & quibus*
1. ad Tim. 6.v.8. *tegamur his contenti simus.*

2. Sed pax ista valdè perficitur per secundum votum castitatis, cuius est intestinum cohibere bellum carnis contra spiritum insurgens, & diuisionem illam relegare, quam efficit vxoris, & filiorum familiæquæ solicitudo, & amor; non enim
B solum carnis illecebris, sed licitis nuptiis renunciat, despondens se vni viro virginem castam exhibere Christo, vt lectulus vnico Salomoni quietus & tranquillus seruetur. Ideoque non vocatur lectus, sed lectulus, quia valdè est arctus, & perIsa.28.v.20 angustus, nec duos capit eiusdem sponsæ amantes, sicut per Isaiam testatur, dicens, *Coangustatum est*
2.Cor. 6.v. 14. *stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest; quæ enim societas luci ad tenebras? aut quæ conuentio Christi ad Belial?* Propter quod votum istud est velut ensis super femur perpetuò appositus, omnes carnis voluptates scindens, etiam quæ per connubium licitæ esse possent. Ad cuius etiam perfectionem spectat, vt omnis carnalis amor expellatur, relinquere parentes, consanguineos, & affines; & iuxta Psalmistam,
Ps.44.v.21. obliuisci etiam domum patris sui. Qua de causa
C de lectulo Salomonis non refertur, quis fecerit illum, vel ex qua materia, sicut de ferculo, ad significandum, religiosum, qui eum ambit, debere esse,
In speculo Monachorum. sicut notat Diuus Bernardus, instar Melchisedech,
Ad Heb. 7. v.3. *Sine patre, sine matre, sine genealogia, nec initium dierum habens, nec finem.* Non quod iis caruerit, sed quia in Scriptura non narrantur; & ideò perpetuæ sunt obliuioni traditæ: ita religiosus, etsi parentes habeat, & nobilem genealogiam, omnium debet penitus obliuisci, hoc solo contentus, quod lectulum ambiat Salomonis, eiusque contemplationi, amori, & obsequio mancipetur.

3. Tandem consummatur pax per tertium votum obedientiæ, quo tanquam potenti gladio excellentius, quam in victimis, propria voluntas mactatur, & iugulatur propter proprium iudicium, superbusque propriæ excellentiæ appetitus. Vnde
D maximè oriuntur discordiæ & dissensiones domesticæ; nam, *Inter superbos semper sunt iurgia.* Pax autem promissa est hominibus bonæ voluntatis. Illa verò est bona voluntas, quæ diuinæ per obedientiam subiicitur. Hanc pacem extollit Isaias, cùm ait lupum, pardum & leonem pacificè commoraturos cum agno, hœdo, & oue; id est, homines ex natiua propensione discordes, in eodem lectulo vnanimiter permansuros; statimq; addit, *Et puer paruulus minabit eos*; quia omnes humiliter subiicientur imperio vnius pueri paruuli; nam ipsi etiam per humilitatem se paruulos & minimos reputabunt. Vnde & religio non vocatur lectus, sed lectulus Salomonis, quia paruitatem in oculis suis, & submissionem profitetur.

Per hæc igitur vota vniuersa religiosorum familia, & eorum, quilibet constituitur floridus lectulus Salomonis; quia iam desinit esse suus, & incipit
A totus esse ipsius Christi, & pacificè ab eo possideri, quia sponte se totum illi tradit, *Vt sequatur pacem cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*: in cuius corde nec vulpes inueniant foueas, nec aues cœli nidos, sed solus filius hominis, cuius simplicitatem, humilitatem, & purissimam vitam imitatur. Ad Heb.12. v.14.

Ex his deducitur ipsum religiosum institutum, si rectè obseruetur, suos alūnos sufficienter cum Dei gratia custodire. Habet quidem custodes *Sexaginta fortes ambientes lectulum*; id est, Angelos & Prælatos, iuxta supradicta; quibus addendum est plures Angelos religiosum lectulum custodire, vtporè magis dilectum, & pluris habitum à Christo. Archangeli etiam & principatus, qui vniuersam religionem, vel prouinciam, aut conuentum custodiunt, etiam singulos ambiunt. Et sicut omnes
B religiosi vnicum efficiunt corpus mysticum, & vnius bonum aut malum in alterum redundat; ita Angeli custodes omnium, sunt quasi custodes singulorum: & præterea in religione plures sunt prælati maiores & minores, qui paterna prouidentia & solicitudine vnumquemque custodiunt; imò crediderim sexaginta fortes comprehendere cunctos religiosos, maximè seniores, qui magno zelo atque ingenti fortitudine sui instituti ambiunt lectulum; & illius obseruantiam æmulantur, seque ipsos vrgent, & prouocant ad illius custodiam, alter alterius curam gerentes, & ab eo iuxta vires, remouentes quæ sunt noxia. Sibi enim peculiariter vsurpant illud Ecclesiastici, *Et mandauit illis, vnicuique de proximo suo*; nec vllus inter eos sicut Caim qui dicebat, *Nunquid custos fratris mei sum ego?* Imo, vt inquit Diuus Bernardus, vnusquisque est custos alterius, & boni communis ac
C regulæ suæ, nec æquanimiter fert, cùm videt ordinem deperire, minui disciplinam, sed illam indemnem seruare satagit. In Exhort. 22. & 23. Eccl.17.v. 12. Ser. de sancto Ioanne Baptista.

Cæterum præter hos custodes ipsa religiosæ vocationis gratia, & regula votis & virtutibus, quas docet, fulta est, velut exercitus fortissimorum militū, qui custodit custodientes illam; iuxta illud Salomonis, *Si intrauerit sapientia cor tuum, & scientia animæ tuæ placuerit, consilium custodiet te, & prudentia seruabit te.* Et iterum. *Ne dimittas eam, & custodiet te, dilige eam, & conseruabit te.* Propter hoc enim dicitur, *Vir obediens loquetur victorias*; quoniam lex, cui obedit, præstat illi vires ad seruandum illam, & resistendum hostibus qui contra eam militāt; sicut testatur Ecclesiasticus, inquiens, *Homo sensatus credit legi Dei, & lex illi fidelis*; id est, totum se tradit legi, vt faciat quæ præscribit; lex autem fidelis est ipsi, implens quæcumque ei promittit. Omnipotens enim est legislator, qui benedictionem tribuit, auxilium & præmium custodientibus legem suam. Propter quod Mathatias Machabæorum pater, filiis suis dicebat, *Confortamini, & viriliter agite in lege, quia in ipsa glorioſi eritis*; id est, per obseruantiam eius triumphum, & gloriam de inimicis reportabitis. Hæc autem maximè de lege euangelica verum habent, quæ lex est gratiæ, & gratiam confert ad seruandum illam. Prou. 2.v. 10. & c.4.v. 6. Prou. 21. v. 28. Eccl.33.v.3. 1.Mac. 2.v. 64.

Denique eadem lex & regula, quæ lectulus Salomonis vocatur, quatenus eam ambientibus, & custodientibus quietem præbet; dicitur etiam turris Dauid, ex qua pendet omnis armatura fortium, quatenus suos alumnos circundat, protegit, armisque plurimis munit. Continet enim plura monita, consilia, & exhortationes, quæ ferè sunt verba Dei Cant.4.v.4

In l.4. Exhor.16. & 17.

ex euangeliis deprompta, quibus tanquam gladiis armati, tam prælati, quam singuli religiosi, viriliter pugnant, & cuncta legi aduersantia trucidant. Appellantur autem *Ad bella doctissimi*, quoniam doctor eorum est ipse Christus, qui eos ita instruit, vt simul corroboret ad vincēdum in bello, & obtinendam pacem, quam pacifici lectulus exigere vi-
Isa.54.v.31. detur; iuxta illud, *Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filiis tuis*; qua fruentur religiosi in suo lectulo Ecclesiæ adhuc militantis, dummodo illum non dimittant (quia inuiti inde nequeunt expelli) sed firmiter ambiant, suam exercentes militiam, donec perueniant ad lectulum Ecclesiæ triumphantis, vt cum ipso rege Salomone Christo optata potiantur felicitate, & pace in secula seculorum. Amen.

EXHORTATIO XXVI.

PRO MYSTERIO INCARNAT. ET NATIVITATIS CHRISTI, AC PASSIONIS.

De lectulis Salomonis, qui sunt humanitas Christi, Virginis vterus, præsepe, crux, & sepulchrum; & de miris modis quibus iusti vnumquemque ambiunt.

En lectulum Salomonis, &c.

Lib. 4. Exhort. 14. Mat.8.v.20

NOVAS lectuli Salomonis interpretationes aggrediamur, quas suprà tetigimus circaverba illa, *Lectulus noster floridus.* Verus enim Salomon Christus; etsi in terris pauperem
C degens vitam, dixerit, *Vulpes foueas habeant, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet?* id est, proprio domicilio & lectulo careat, vbi homines reclinare caput, & quiescere solent, sicut vulpes in foueis, & aues in suis nidis; tamen mysticos & spiritales lectulos habuit plures, quos fideles animæ ambire cupiunt, & ex iis non modicam voluptatem & vtilitatem capient. Sex autem potissimè referemus, quæ glorioſiora sunt in singulis attingentes.

Humanitatem Christi fuisse eius lectulum, quem Patres antiqui ambierunt. §. 1.

1. Ad Col.2. v.9. & c.1.v. 20.

ET in primis lectulus Salomonis dicitur ipsa
D Christi sacratissima humanitas, in qua inhabitauit plenitudo diuinitatis corporaliter, & vnigenitus Dei filius pacificauit omnia, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Cùm enim qui ab æterno in amplissimo & glorioſissimo lecto, vel potius sinu Patris per æternam quiescret generationem, paruulum lectulum elegit, dum carnem assumpsit, in qua perpetuò per vnionem hypostaticam quiescceret, & nobis veram spiritualem & æternam requiem mereretur, & præberet, vt illemet qui qua Deus lectus est beatorum, qua homo esset lectulus viatorum, in quo nunc per fidem & contemplationem; postea verò per claram visionem quiescceremus. Quod Diuus Ambrosius testatur, dicens,
Lib. de Isaac & anima. " Lectus Sanctorum Christus est, in quo vniuersorum fessa secularibus præliis corda requiescunt; in hoc lecto, inquit, requieuisse antiquos Patres; nam in Christi fide & expectatione suam requiem collocabant; ideoque Iacob iam morti proximus, dum filiis benedicit, ait, *Salutare tuum expectabo Domine*; & Dauid dicebat, *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.* Gen. 49.v. 18. Psal.4. v.9.

Huncigitur *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel*; non ambiunt vt custodiant, quia custodia non indiget, qui est custos hominum; sed Angeli, velut ministri & milites regem suum ambiunt, vt eum venerentur, eiq; obsequantur; iuxta illud, *Et adorent eum omnes Angeli eius.* Homines autem præcipuè antiqui Patriarchæ & Prophetæ, illustresque iusti ex Israel, cum fide, & amore ambiebant, vt eum tanquam Deum & hominem adorarent, à quo salutem & vitam æternam expectabant. Vnde de eodem Isræl iam moribundo ait Scriptura, *Adorauit Israel Deum conuersus ad lectuli caput*; quoniam (vt notat Diuus Hieronymus) caput lectuli habebat versus Orientem, ad quem respiciens adorabat Christum
B venturum; de quo dicitur, *Vir oriens nomen eius.* Quod etiam conuersio ad lectuli caput mysticè repræsentat; nam si lectulus significat Christi humanitatem, caput eius est diuinitas, *Caput enim Christi Deus.* Conuersus ergo ad lectuli caput, in quo Deum hominem factum fide agnoscebat; ipsum Deum adorauit per quem paulò ante adiurauerat filium suum Ioseph, iubēs eum manum sub femore ponere. Quod idem mysterium repræsentat, insinuaturque in eo, quod de huiusmodi fortibus dicitur, omnes tenere gladios, *Et vniuscuiusque ensis super femur suum.* Vbi eleganti metaphora innuitur gladios verbi Dei esse ad prædicandum & pugnandum pro Messia ex progenie Israel generando, vt ipse verbo prædicationis suæ plures spirituales filios per gratiam adoptionis Deo generaret. Constat enim ex sacra Scriptura idem Dei verbum
C simul vocari gladium, & semen; quia vtriusq; fortitur virtutem; & rursus per femur, filiorum designari propagationem, vel carnalem, vel spiritualem. Vnde antiqui Patres, postquam Deus promisit Abrahæ in semine suo benedicendas omnes gentes, nonnullam diuinitatem agnoscebant in femore suo, quia credebant inde nasciturum Christum qui verus esset Deus & homo; ideoque ad adiurandum aliquem, manum sub femore suo illum ponere iubebant. Quomodo [a] Diuus Hieronymus, [b] Ambrosius, [c] Augustinus, [d] Gregorius & alij interpretantur verba Iacobi ad Ioseph, & Abraham ad seruum suum, *Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cœli & terræ.* Manum, inquit D. Gregorius, sub femore iubet ponere, quia per membrum illud desD censura fuerat caro eius, qui filius Abrahæ esset ex humanitate, & Dominus eius ex diuinitate; quasi dicat, tange filium meum, & iura per Deum meum: Hinc etiam est de ipso Christo Domino dictum esse in Apocalypsi, in vestimento suo, & femore suo habere scriptum, *Rex Regum, Dominus Dominantium*: ad significandam propagationem spiritualem multorum filiorum, quos habiturus erat propter ea quæ gessit in carne; iuxta illud, *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Et quia nouo quodam modo huiusmodi spiritales filij procreandi erant, destruendo in eis peccata omnia, aptum instrumentum huius generationis est verum ipsius Verbum, quod ex ore eius procedere ibi dicitur. Quod quidem simul est semen, vnde vita gratiæ oritur, & gladius quo peccatum perimitur, & omnes animæ hostes trucidantur, & ad vtrumque significāndum antiqui Patres desiderabant aduentum Christi sub hac Hoc statim explicatur. Gen. 47. v. 31. Traditionibus Hebraicis in Gen. Lyranus & Tostatus.

a In trad. Heb. in Genes. 34.
b Lib. 1. de Abraham c 9. Gen. 24. v.2. &c. 47. v.29.
c qq in Genes. q. 62. & l. 16. de ciuit. c 31. fusiùs ser. 71. de temp.
d Gregor. apud Lypomanum. Apoc.29.v. 16. Isa.53.v.10.

Ps.44.v.3. metaphora, cùm dicebant, *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis; accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*; quia per gratiam labiorum victoriam erat adepturus, & per gladium verbi quo cingendus erat.

3. Ad hunc igitur modum fortissimi ex Israel ex vtroq; testamento pretiosum humanitatis Christi lectulum ambientes, gladium ferunt super femur non carnale, sed spiritale; illum nimirum, de quo 1.Pet 1.v.13. dixit D. Petrus, *Succincti lumbos mentis vestræ*; ad significandum verbum Dei quod prædicant, non solùm esse gladium ad destruenda peccata, & debellandos Christi hostes, sed etiam semen ad procreandos filios spirituales in virtute ipsius Christi, sed diuerso modo; nam antiqui Patres gestabant super femora gladios suos spiritales, quia omne ferè verbum quod Prophetæ loquebantur, & scribebant, erat de Messia, ex eorum progenie, & femore generando; sed præterea gladios etiam portabant corporales, vt notat Rupertus, ad defendendum ab hostibus semen Israel, vnde procreanda erat Virgo, ex qua erat nasciturus Christus. At Matt. 26.v.52. postquam iam natus est, & venit in mundum potius interdicitur Apostolis vsus materialis gladij, solumque iniungitur spiritualis contra hostes, qui mysticam natiuitatem Christi in animis hominum impediunt. Ad cuius vsum ipsemet Christus strenuam suis militibus confert fortitudinem: non enim est sicut Salomon terrenus, qui fortissimos eligebat, sed non faciebat; quin potius quos nouerat iam fortes, ad custodiam sui lectuli deputabat: at Christus nullum inuenisset fortem, nisi ipse fecisset. Elegit ergo ad munus istud fortissimos quos ipse fecit, præbens vires, quæ ad iniunctum opus etiam superabundantes essent.

Deiparam fuisse lectulum Salomonis. §. 2.

1. SED reuertamur ad lectulos diuini Salomonis, qui vt humanam naturam assumeret, & cum ea nuptias quasdam mysticas celebraret, aliquantulumque requiesceret, Virginis vterum tanquam lectulum & thalamum elegit; nam, *Qui creauit* Eccl. 24. v. 11. *me*, inquit illa, *requieuit in tabernaculo meo*; & ipse, Psal.18. v.3 *Tanquam sponsus*, ait Dauid, *procedens de thalamo suo*, quæ per antonomasiam inter sanctas animas lectulus Salomonis appellatur, quia præ omnibus singularem pacem ab eo recipit, in qua neque primam similem visa est, nec habere sequentem. Nam cum reliqui mortales intestinum patiantur bellum, quod rebellis caro excitat aduersus spiritum; illa tamen vtpotè sine peccato originis concepta, perpetua intus pace gaudebat. De quo alibi dictum est.

Hunc igitur lectulum ambiunt, *Sexaginta fortes ex fortissimis Israel*; id est, secundùm interpretationem Diui Gregorij Nysseni iam allatam, eius insignes virtutes. Supra vocauimus eam lectulum Lib. 4. Exhort.14. floridum, ob pulcherrimos & fragrantissimos virtutum flores, quibus intus ornata est, vt florem Iesse Christum in suo vtero germinaret, & recipe- Cant.7.v.2. ret; infra etiam dicemus ventrem eius vallatum liliis, ob easdem virtutes, omnibus liliis candidiores & fragrantiores, quibus foris etiam erat circũsepta; at modo subllimiori & solidiori vallo lectulus dicitur à fortibus ex fortissimis Israel vndique circundatus; quoniam virtutes illi exhibitæ, vt eius animam & virginitatem seruarent, proculdubiò fuerunt omnium fortissimæ, nec aliæ inuenientur inter viros Israëlitas, quæ ipsis possint compa-

A rari. Habent autem gladios non tam ad bellandum, quàm ad terrendum inimicos, ne accedere auderent, & bellum inferre. Virtutes enim eius longè pellebant omnes timores nocturnos; quo sensu vocata est, *Terribilis vt castrorum acies ordinata*. His tamen gladiis aliorum trucidat errores & peccata; siquidem de ea canit Ecclesia, *Gaude Maria Virgo, quia tu sola cunctas hæreses interemisti in vniuerso mundo.*

2. At per hos sexaginta fortes crediderim etiam perfectos Ecclesiæ viros designari, qui virgineum lectulum ambiunt, non custodiæ gratia, sed ex deuotione & amore, vt eius virtutes contemplentur, & patrocinio fruantur, magno stupore considerantes eum, quem cœli & terra capere non possunt, in tam arcto lectulo esse inclusum. Hinc enim mirus virtutum eius processit ornatus; & quis vnquam fuit in Ecclesia fortis, nisi qui bene ad Deiparam B fuit affectus? Postquam enim dixit, *Qui creauit me* Eccl. 24 v. 13. & 16. *requieuit in tabernaculo meo*, subdit, *Et dixit mihi, in Iacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices*. Et paulò post. *Et radicaui in* De hoc Exhortat. 30. circa id, *Media charitate constrauit.* *populo honorificato, & in plenitudine sanctorum detentio mea*. Ex Dei igitur decreto lectulus iste, qui mater sua est, in medio iustorum detinetur, vt fortissimi Israel, & electi quique eum ambiant, vndique circundent, ad eumque confugiant, vt salutem, requiem, & pacem quam Christus attulit, reperire valeant.

Propter quod Diuus Anselmus ait; Eum, cui Lib. de excellẽt Virginis c. 4. ad finem. concessum fuerit sæpe dulci studio posse cogitare de Virgine, magnum promerendæ salutis habere indicium. Cum enim Deus aliquem ad insignem eligit sanctitatem, mox ei erga matrem suam specialem deuotionis infundit affectum, propter quam etiam ab hæreticis defendendam, hi fortes C gladios in manu gestant; circa femur verò, vt ad ipsius imitationem armati contra vitia dimicent, & carnem spiritui subiiciant; castissimum enim Salomonis lectulum ambientes castos esse oportet.

Præsepium Bethleemiticum fuisse lectulum Salomonis. §. 3.

POSTQVAM Christus Dominus infans nouem mensibus requieuit in Virgineo thalamo, egressus inde tanquam sponsus, stupendum elegit lectulum, in quo reclinaretur, nempe præsepium, 1. quia non fuit ei locus in diuersorio. Requieuit ibi Lu.2.v.7. Salomon Rex gloriæ, ostendens gloriam suam in contemptu gloriæ mundanæ, & omnium quæ carnis sunt blanda. En igitur lectulum Salomonis, etsi vilem & abiectum, *Sexaginta fortes ambiunt ex* D *fortissimis Israel*. Ambierunt primò animalia, quia scriptum est, *In medio duorum animalium cognosceris*. Abacuc 3.v.3 Iuxta Septuaginta. Sed mox accurrunt fortissimi Israël Deum clarè videntes; nempè *Multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, & dicentium, gloria in altissimis* Lu.2.v.13. *Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Cantabant hæc Angeli coram pastoribus; sed quidni, cum eis vel ante eos, irent ad præsepium, vt regem natum, & primogenitum Patris in orbem terræ denuò introductum, sicut Apostolus testatur, Ad Heb.11. v.6. adorarent: ibi pacem annunciant hominibus, quia pacificus Salomon natus est, & in lectulo collocatus, pacem secum ferens, summa reconcilians imis, cuius meritis auferendum erat omne bellum à terra; sicut scriptum est, *Et conflabunt gladios suos in* Isa.2 v.4. *vomeres, & lanceas suas in falces; non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad*

prælium: id est, tam plena erit pax, vt non sit necessarius gladius, vel lancea, aut arma bellica, nec ad prælia gerenda se exercere, vel artem & industriam bellandi acquirere. Sed si hoc ita est, cur dicitur sexaginta fortes ambientes lectulum omnes tenere gladios, & esse ad bella doctissimos?

At ex Euangelio constat, Christum Dominum simul annunciasse pacem & bellum: bellum quidem contra vitia carnis, mundique concupiscentias, vnde lites & rixæ inter homines oriuntur. Per hoc autem bellum adducit pacem perfectã sublata omnis dissensionis radice: à suis igitur seruis fortissimis Israel gladios abstulit ad bella mundana, nec ad ista prælia exerceri voluit; quin potius pacem suadet, concordiam commendat, & vnionem: ideoque gladios in aratra conuertit, vt omnis armatura fortium & bellandi ratio contra alios, conuertatur ab vnoquoque in seipsum, & in terram proprij cordis colendam, vt aratro mortificationis eius duritie proscissa & sulcata, semen Dei recipiat, & fructus iustitiæ ferat. Ad hoc autem ritè præstandum fortes isti gladios habent, & ad spiritualia hæc bella doctissimi esse curant, vt strenuè belligerando internam pacem adquirant.

Hoc clariùs inspicies, si fortes Israel attendas, qui lectulum præsepis ambierunt. Venerunt qui- Mat. 2.v.1. dem ex Israel carnali pastores, qui erant in regione Bethleem; ex Oriente verò Magi, veri Israëlitæ non circuncisione, sed fide; fortes valdè ex fortissimis Israël, qui ausi sunt Ierosolymam ingredi, & de Rege nato palam interrogare, nihil veriti Herodis tyranni sæuitiam, qui, etsi turbatus sit, & omnis Ierosolyma cum illo, qui Christi pacem odio habebant. At non turbantur Magi, qui propriam patriam, cunctaque temporalia reliquerant, vt pacis principem quærerent: quem in lectulo præsepis inuenientes, adorauerunt eum, & munera tanquam Regi, & vero Deo, hominique obtulerunt. En lectulum Salomonis tres fortes circumeunt, sed primitiæ sunt sexaginta fortium, qui Vide lib. 4 Exhort. 14. §.2. postea ambient. Modò quia paruulus est Salomon tres tantùm fortes trahit, vt illum ambiant; cùm autem creuerit, plures adducet. Vtinam & nos magna ipsum fide & fortitudine ambiamus, tanti Regis in tam vili lectulo admirantes accubitum, vt eius paupertatem & humilitatem gestiamus imitari.

De lectulo crucis Christi; & quomodo sit lectulus fortium Sanctorum. §. 4.

1. SED magis stupendus est lectulus crucis, quem Christus elegit ad quiescendum per somnum mortis; hoc enim nomine mortem suam nuncupat, Psal.3.v.6. cùm ait, *Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi*. Et rectè aptatur cruci nomen lectuli Salomonis, quia nullibi Christus magis fuit Salomon, quàm in ea: siquidem (vt dicit Apostolus) *Per san-* Ad Col.1. v.20. *guinem crucis eius*; id est in cruce effusum, *Pacificauit omnia quæ in terris sunt, & in cœlis*. Hunc lectulum ambierunt fortes mundi, potentes ad malum, diri Christi persecutores; nempe principes Sacerdotum, & Pharisæi, ac milites Pilati; quibus Christus crucifixus scandalum fuit, & stultitia; & ideò per irrisionem dicebant, en lectulum Salomonis, id est, en qualem lectulum sortitus est Rex Iudæorum; qualis fuit corona spinea, & sceptrum arundineum, talis est & regius crucis lectulus. Quid quod hæc dicerent, qui exprobrabant ei dicentes, *Vah qui destruis templum Dei, & in triduo readifi-*

A *cas; & multis aliis modis deridebant eum*. At nos, quibus Christus crucifixus virtus Dei est, & salus, cum admiratione & stupore dicimus, *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel*. Durissimum lectum crucis elegit ad moriendum; sed tanto Rege non ineptè electus, quia nullus aptior ad opus redemptionis mundi peragẽdum: & ex quo ipse in eo requieuit, factus est lectulus suauis, & floridus iustis, qui magna animi fortitudine eius crucem amplectũtur, & in lectulo tribulationum requiescunt; dicentes cum Apostolo, *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis,* 2.Cor. 12. v. 10. *in necessitatibus, in angustiis pro Christo*; &, *absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Ad Gal. 6. v.14. Sed hic lectulus non nisi perfectis viris paratur, postquam diu in aliis virtutum exercitiis valdè profecerunt. Vnde postquam de sponsa dictum est, *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgu-* B *la fumi?* &c. tũc dicitur illi, *En lectulum Salomonis*. Ac si diceretur; tibi, quæ iam ascendisti per tot gradus virtutum, totque aromatum fragras odoribus, en paratus est lectulus crucis, in quo Salomon requieuit, vt tu etiam illum ambias, ibique tuorum profectuum consummationem accipias.

2. Vnde hunc lectulum tantùm ambiunt sexaginta fortes, quia non omnibus datur propè lectulum crucis commorari: Dei enim gratia est, & donum speciale, sicut ait Paulus, *Vobis donatum est pro* Ad Philip. 1. v. 29. *Christo non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini: idem certamen habentes quale vidistis in me, & nunc audistis de me*: se in exemplum adducit, de quo dictum est, *Ego ostendam illi quan-* Act.9. v.16. *ta oporteat eum pro nomine meo pati.* Vnde Apostolis ante aduentum Spiritus sancti non datum est lectulum crucis ambire, & concupiscere, quin potius horrebant; & fugientes ipse Christus protexit dicens, *Sinite hos abire*: quia tunc teneri & imper- Io.18.v.8. C fecti adhuc erant: at post Spiritus sancti aduentum eum ambierunt ingenti cum gaudio: nam, *Ibant*, inquit, *Apostoli gaudentes à conspectu conci-* Act. 3. v.41. *lij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*

Huiusmodi ergo fortes instar Deiparæ stant iuxta lectulum crucis Iesu, contemplantes inæstimabiles crucis diuitias, æternam requiem & regnum, quod obtinetur per illam; & immensam charitatem regis cubantis, & quiescentis in ea, gladios habent in manibus, vt inimicos crucis fu- Ad Gal. 2. v.19. gent, operibus comprobantes nihil melius sibi esse quàm Christo esse confixos: enses supra femora tenent, quia per spontaneam carnis mortificationem se ad crucem præparant, vt Christo crucifixo conformes fiant, patiendo libenter tribulationes ab D aliis pro nomine ipsius inflictas. Quemadmodum beatus Andræas videns lectulum crucis sibi præparatum, non solùm non timuit, aut contristatus est, sed gaudens & exultans salutauit illam tanquam diu quæsitam, solicitè amatam, & iam concupiscenti animo præparatam. Nouit eum Dominus tot consolationes in lectulo crucis conferre, vt illum floridum, & amabilem reddant; nam iuxta mensuram dolorum miscere solet iuuamen consolationum, sicut expertus est Apostolus qui dicebat, *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita &* 2. Cor. 1. v. 4. & 8. *per Christum abundat consolatio nostra*. Et qui dixit, *Supra modum grauati sumus, supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere.* Paulò post in eadem epistola, ait, *Repletus sum consolatione, superabun-* 2.Cor. 7.v. 4. *do gaudio in omni tribulatione nostra:* nam ad modicum tempus in lectulo duro, & diro eum iacere

Psal.40.v.4 permittit ad probationem: sed mox *Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius*. Moliens lectum, vt suauis fiat infirmitatis dolor; &, *Ad punctum*, inquit, *in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te.* A

Isa. 54.v.7. Plura de hoc lib.9. Exhort.14. §.3 & 4.

De lectulo sepulchri Christi, & gloria ipsius. §. 5.

TANDEM ex lectulo crucis depositus est Dominus, & in sepulchro collocatus: quod etiam lectulus Salomonis dicitur, quia in eo corpus Christi Domini triduo requieuit. Ambiebant illum ad instantiam Iudæorum fortes, non ex Israël, sed milites à Pilato ad custodiam deputati, quos angelicus aspectus perterruit, auaritia postea corrupit, & veræ fortitudinis inexpertes esse probauit, ac iussu Patris ambiebant illum sexaginta ex fortissimis Israel; nempè cœlestis exercitus, vt sacratissimum corpus, quod anima, non diuinitas, deseruerat, angelica militia veneraretur. B

Mat.28.v. 4.& 12.

Et quamuis tunc ex hominibus pauci ambierint illud; tamen si respicias ad id quod postea successit, & ferè vsque in hunc diem contingit: verissimè illi aptatur prophetia ista, *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*: id est, multi fideles religionis ergo ad inuisendum sanctum Christi sepulchrum peregrinantur, deuotissimè ambiunt, custodiunt, & venerantur: crediderimque nunquam illi etiam modò angelicam deesse custodiam, vt omni ex parte impleatur quod vaticinatus est Isaias, dicens, *In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum*: vbi de Christo sine dubio est sermo, quem radicem Iesse nominat, vt denotet non tantùm esse hominem, qui tanquam virga de radice Iesse ortus est, sicut in principio capitis dixerat, sed etiam esse Deum, qui radix est & origo ipsius Iesse, quo nomine in Apocalypsi bis nuncupatur. Positus autem est in signum populorum, cum in crucem eleuatus est, in signum quidem, cui contradicerent Iudæi, sed venerarentur gentes; ad quem accurrerent, vt illum ambirent, & circumcingerent tanquam omnium salutis authorem, pro illa ipsum deprecantes. Propter quod sepulchrum eius erit gloriosum, in summa veneratione à Gentibus habitum, quæ pro summa gloria ducent illud inuisere, ambire, circa ipsum stare, & excubare; & quia vox Hebræa non solùm significat sepulturam, sed ipsam requiem, quæ post mortem sequitur, cum in ea finiantur iustorum labores: Septuaginta vertunt, *Et erit requies eius honor*: quia quidquid in morte Christi ignominiosum visum est hominibus, gloriosum & honorificum fuit Deo & Angelis; & modò etiam cunctis fidelibus; quam gloriam & honorem miracula testantur, quæ in ipsius Christi morte contigerunt. Propter quod mors & passio Christi in Scriptura vocatur glorificatio; de qua illud quod Diuus Ioannes ait, *Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*, interpretantur Diuus Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & Diuus Hieronymus, ac alij doctores; sicut & illud Apostoli, *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum*: Gloriam (inquit Oecumenius) & honorem vocat crucem, neque enim tantùm Deo dignum erat, tamq; gloriosum fecisse cœlum & terram, ac hominem, supernasque virtutes, sicut quod propter nos dignatus fuerit crucifigi.

Isa.11.v.10. Apoc. 5.v. 5.& c.22.v. 16. Lu.2.v.34. Io.7.v.39. Hom 50.in Ioan. Epist. ad Hedib. 49. Ad Heb.2. v.9.

Sed eloquentius & vberius id prosequitur Diuus Chrysostomus interpretans citatum locum Isaiæ, *Et erit requies eius honor*: quia hoc (inquit) " mortis genus diademate quouis gloriosius est; nam " reges positis diadematibus crucis suscipiunt mortis symbolum. Locus quidem, quo corpus hoc positum, breuis erat, & valdè angustus; angustior tamen, & venerabilior mille regum palatiis, imò etiam regibus ipsis; cùm hi, qui in magna gloria hîc, rebusq; florentibus agunt, moriuntur, pereunt cum eis simul alia omnia; quod & in regibus ipsis quis non videt? nam leges eorum irritantur, statuæ obscurantur, memoria extinguitur, &c. at secus in cruce euenit: ante crucem in luctu erant omnia: cæterum vbi Christus occisus est, & mortuus, non solùm res eius non interciderunt, sed multo clariores, illustrioresque & sublimiores sunt redditæ: pluraque ad hoc eleganter colligit. Propter hæc ergo optimè nunc ostendendo crucem & sepulchrum Christi dicimus, *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*, quia gloriosus est, & omni honore dignus, requies eius summus est honor. Ambire est ingens lucrum, & quid lucri (ait Chrysostomus) à cruce & morte illa? Bona, quibus nunc gaudemus, peccati interitus, vulnerum animæ emendatio, cura, ac medicina mirabilis ac rara. Vtinam ita hos omnes lectulos diuini Salomonis ambiamus, & veneremur, quod copiosos fructus ex hoc ambitu carpamus ad laudem ipsius Regis Christi in secula seculorum. Amen.

Ho.contra Gentiles, quod Christus sit Deus. post mediũ to. 5.

EXHORTATIO XXVII.

C *De lectulo Salomonis, qui est Eucharistia, de triplici modo illum ambiendi per communionem sacramentalem, spiritualem, & cultum externum in processionibus.*

Pro Festo Corporis Christi.

En lectulum Salomonis, &c.

VLTIMVM iam contemplemur lectulum Salomonis, quem ante ascensum in cœlos elegit, vt apud homines requiesceret, & permaneret in terris, iuxta verbum ipsius, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*. Est autem iugiter in hoc lectulo, quia sub accidentibus panis & vini latet, & in sacrario noctu diuque seruatur. Vilis quidem lectulus foris apparet, sed intus infinitè pretiosus, quia ipsum regem Salomonem cum omni sua cœlesti gloria in se continet. Liceat autem mihi ei applicare illud Isaiæ ad calcem præcedentis Exhortationis adductum, *Et erit sepulchrum eius gloriosum, seu requies eius honor*: nam sicut sepulchrum abscondit corpus mortuum, quod in eo requiescit; ita species sacramentales abscondunt corpus Christi, qui suam mortem repræsentans requiescit in illis, in quo summa eius resplendet gloria, & honor. Aptè autem vocatur lectulus Salomonis pacifici, quoniam pacem, quam in cruce per sanguinem suum nobis promeruit, per hoc sacramentum & sacrificium vberrimè nobis applicat; & ideò (vt notat magnus Dionysius) per quandam antonomasiam vocatur communio, siue societas, vel synaxis, quoniam miram efficit vnionem, pacem, & concordiam (sicut alibi diximus) & maximè circa illud, *Lectulus noster floridus; vel* D

Matt.20.v. 20. Isa.11.v.10 c.3. de Ecclesiastica hierarchia. Lib. 4. Exhort.15.

vmbrosus. Nunc plura superaddemus, quæ in hoc loco pulchrè insinuantur, nimirum, qui sint isti sexaginta fortes ambientes illum; quibus modis ambiant, qua ratione dignè ambire debeant; & quæ bona inde recipiant. A

Angelos & Sacerdotes, ac iustos, esse fortes ambientes hoc sacramentum. §. 1.

1. NOVAM & stupendam rem signant sponsi sodales, dicentes, *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*, &c. quod referri potest vel ad ipsum lectulum ambientem, & continentem in se regem Salomonem, vel ad fortes ambientes lectulum non vacuum, sed cum ipso rege in eo contento. Vtrumque autem nouum est & stupendum. Quid enim ita nouum sicut Christum Deum & hominem in tam stricto lectulo contineri? *Pollicitus est Dominus, vt habitaret in caligine, & in nebula*; at quæ densior caligo, & obscurior nebula, quam accidentia panis & vini, in quibus Deus dicitur habitare? Quid tam stupendum quàm viros fortissimos Israel gladiis præcinctos, ad bella doctissimos, contra suos sensus, propriumque iudicium gladios conuertere, & in captiuitatem redigere, vt fide Christum in hoc lectulo latitantem agnoscant, & ambire concupiscant? Licet hic applicare quod Diuus Bernardus inquit, mirabiles factas esse mixturas, & omni miraculo mirabiliores, quando coniunctæ sunt res tam diuersæ, & ab inuicem diuisæ, sicut Deus & homo, mater & virgo, Christus & accidẽtia panis & vini, atque fides & cor humanum, quod mirum est his fidem accommodasse. B

2 Par 6.v.1. 3.Reg 8.v. 12 Ser 3.de vigilia Natiuit.

2. Fateor hac voce, *en*, etiam nos excitari ad credendum, fortissimos ex Israel cœlicolas, qui diuinum Salomonem in hoc suo lectulo, non per speculum in ænigmate, sed clara luce intuentur, summa cum reuerentia eum ambire propter ipsius immensam maiestatem. Quis fidelium (inquit D. Gregorius) habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad " sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Iesu Christi " mysterio Angelorum choros adesse, summis ima " sociari, terrena cœlestibus iungi, vnumque ex visi- " bilibus atque inuisibilibus fieri? Cùm etiam fideles ad hanc sacram synaxim vnanimiter conueniant, vt Christo assistant, & coram ipso orent, diuinasq; laudes canant libenter, Angeli accurrunt ensibus præcincti propter timores nocturnos; i. insidias Sathanæ eos terrere, & inde arcere molientis. Imò sicut olim cùm filij & filiæ Iob vnanimi corde comedebant panem, & bibebant vinum in domo fratris sui primogeniti, subitò euertit illam; ita vellet euertere domum fratris nostri primogeniti Christi, in qua nos pane & vino sui pretiosi corporis & sanguinis pascit; adsunt tamen Angeli vt eius furorem cohibeant, locum sanctum vbi Christus in suo lectulo seruatur custodiant, & ab illius insidiis iustos tueantur. C D

Lib.4. dial. c.58. Iob 1.v.18.

3. At aptius per sexaginta fortes intelligimus homines, propter quos hoc diuinum sacramentum institutum est, videlicet Sacerdotes, qui eius sunt ministri, ad quos pertinet illud cõficere, & cautè custodire, vt laïcis illud administrent; sed potissimè ad Episcopos & doctores, quorum est illud ab hæreticis impugnantibus defendere: deinde reliquos fideles, qui deuotè ambiunt, vt eo fruantur, vel per communionem sacramentalem, vel spiritualem, vel in templis & solemnibus processionibus comitantes. Quales autem esse oporteat, qui iis tribus modis ambiunt, ex hac ipsa parabola deducemus.

De cõmunione sacramẽtali, & dispositionibus ad illã. §.2.

3. ALium adhuc nouum & stupẽdum ambiendi modum hæc verba insinuant, *En lectulũ Salomonis sexaginta fortes ambiunt*; maximè si metaphoræ istę ex conuiuali apparatu desumantur; cùm ex Scriptura, vt alibi diximus, constet vsum lectuli apud antiquos non solùm fuisse ad dormiẽdum, & quiescendum, sed ad recũbendum in conuiuiis; cui consonat vsurpatio ferculi, de quo mox fit mentio, pro vale, in quo deferuntur dapes. Parum ergo erat fideles extrinsecus tantùm sacram ambire mẽsam, & altare, in quo mysterium hoc celebratur, sicut scriptum est, *Filij tui sicut nouellæ oliuarũ in circuitu mensæ tuæ*. Pabulum spiritale à te accipientes; quomodo Apostoli circundabant mensam Christi, cùm ipse è medio mensæ accipiens panem dixit, *Hoc est corpus meum*: sed illud mirabilius, quod cibum illum comedentes, verè ambiunt, & circumcingũt intra se totum Christum Deum & hominem cum lectulo suo; id est, cum accidentibus sacramenti; quemadmodũ fœmina ambit in vtero filium quem concepit: quare non impropriè de hoc ambitu explicuimus alibi quod Ieremias ait, *Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circundabit virum*; id est, Ecclesia & anima circundabit integrum virum Christum, cum recipit eum in Eucharistia. Vnde miro modo ipsa anima fit quasi nouus lectulus Christi, & ipse Christus (vt D. Ambrosius dixerat) fit lectulus animæ, in quo mutuò spiritaliter requiescent. Quamobrem meritò Eucharistia lectulus est Salomonis nuptialis, nuptialeq; conuiuium, ad quod rex nuptias faciens filio suo, animas inuitat, vt cum eo reciprocam adipiscantur vnionem, quam indicant illa verba, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*: vt loco citato fusiùs explicuimus.

Hester 1.v. 5. Lib. 4. Exhor.32.§ 3. Inf. in Exhor.32 §.3. Ps.127.v.3. Ier.31.v.22. Li. de [illegible] & ani[illegible] Mat [illegible] Io 6.v.57. Supra Exhort.[illegible] & lib. 4 Exhor.15.

2. Sed iam quales esse debeant, qui hoc modo Christum ambiunt, inspiciamus. Non enim omnes fortes admittuntur, sed solùm *Ex fortissimis Israel*; id est ex verè Israelitis, non ex alienigenis, vel extraneis, vel qui ab illis vllo modo segregati sunt, sicut scriptum est de Agno paschali, *Omnis alienigena non comedet ex eo; omnis autem seruus emptitius circuncidetur, & sic comedet; in vna domo comedetur aduena, & mercenarius non edent ex eo, omnis cœtus filiorum Israel faciet illud.* Alienigena dicitur qui nondum sacro baptismate est renatus, cui nullo modo sacramentum hoc tribuendum est; quia sicut extra Ecclesiæ domum est professione, sic debet esse & communione; seruus emptitius admittitur, quia nullus quantumuis abiectus & vilis reiicitur, dum tamen non seruilem & abiectum retineat animum, sed prius circumcidatur circumcisione spiritali, non carnis, sed cordis, quæ cuncta superflua ab eo rescindat, ita vt ex seruo fiat filius, qualem oportet esse seruum Christi ipsius sanguinis pretio ab ipso emptum. Sacramentum enim istud panis filiorum vocatur, non mittendus canibus. Aduenam vocat eum, qui non est in fide stabilis, & intra Ecclesiam est, non meritò, sed numero, qui dicit se nosse Deum, factis autem negat. Mercenarium autem appellat, qui pro solis terrenis lucris laborat, nec æternam mercedem requirit; vnde sola cohabitatione est in cœtu iustorum, à quibus longè moribus distat. Hi ergo omnes inter cœtum fortium Israel, qui fide & charitate Deum colunt, & diuina mysteria oculis contemplationis penetrant, non computantur, & indigni sunt qui hoc diuinum

Exod.12 v. 43. Ita ferè Rabbanus apud Lipomanũ in catena.

Christi pascha immolent, & comedant, pretio- A arma donat, & gladios, quibus dimicent contra
sumque Salomonis lectulum digne ambiant.

Oportet igitur fortes esse, vt qui iam diabolum vicerint, & cuncta lethalia scelera per veram pœnitentiam interemerint, qui vitam exuerint veterem, & suam renouantes iuuentutem virilem induerint fortitudinem ad nouam vitam inchoandam. Horum fortium proprius cibus est panis iste cœlestis; de quo dicitur, *Quid bonum eius est? & quid pulchrum, nisi frumentum electorum*, seu, *iuuenum*, vt Septuaginta vertunt, *& vinum germinans virgines*? In virginibus puritas denotatur, in electis & iuuenibus fortitudo & vigor animi, qui maximè necessarius est iis qui hoc vescuntur frumento. Hunc panem (inquit D. Hieronymus) qui cor hominis confirmat, robusti comedunt; ad quos Ioannes Euangelista loquitur, *Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.*

Zach. 9.v. 17.
Ibidem.
Psl.103 v.15.
1.Io.2 v.14

Hinc est de his fortibus dici, omnes tenere gladios & enses super femur suum, non quia inter ipsos vlB dixit, *Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis viri Israelitæ, tradit enim Dominus in manus eius Madian, & omnia castra eius.* Panis enim Eucharisticus gladius est potentissimus ad euertenda hostium nostrorum castra; & cui Deus tradit hunc panem, cum eo simul tradit gladium, virtutem, & robur ad hostes debellandos & prosternendos.

Iud.7.v.13.

Vbi sup. „ „ „ „ „ lum ad inuicem bellum sit; nam ambientes pacifici lectulum pacificos esse oportet: in cuius signum, (ait Diuus Dionysius) olim recipientes Eucharistiam priùs se inuicem osculari solitos, quod fas, inquit, non sit eos ad vnum colligi, atque illius vnius pacifica coniunctione frui, eiusque participes fieri, qui aduersus seipsos dissident, & diuisi sunt. Propter timores ergo nocturnos armati accedunt ad sacram communionem diuersis gladiis, id est, omnibus virtutibus moralibus, quæ tanquam gladij contraria resecant vitia, & omnia vana & inutilia, quæ fructum communionis impedire possunt. Maximè autem carnalia vitia trucidant, quia lectulo isto purissimo valdè sunt adProu.23 v.1 uersa; ideoque ensem apponunt super femur, carnis impudicos motus fortiter cohibentes, qui ad sacram communionem minus aptos reddunt: & C præterea iuxta consilium eius Salomonis, vt dignè in hac mensa cum principe sedeant, cultrum in gutture suo statuunt, omnes gulæ & ebrietatis voluntates viriliter iugulantes; temperatum enim & castum esse oportet, qui castissimum agnum ambire, & in se recipere debet.

Sed peculiariter ensem ponit super femur tribuens baltheum castitatis quo sit præcinctus, quia singularem tribuit virtutem ad mortificandas carnis concupiscentias, fœdans (vt docet Diuus Cyrillus) fœuientem membrorum nostrorum legem, omnes vanos timores, perturbationesque animi extinguens; sicut scriptum est, *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me.* Et quis non miretur hanc phrasim? Mensa ad comedendum paratur, non ad bellandum; cibi non sunt contra hostes, sed arma: hæc illos terrent, illi potius alliceret: at mensa Eucharistica simul paratur ad reficiendum, & præliandum, horroremque incutit aduersariis, dum vires præbet bellatoribus: nam (teste Diuo Chrysostomo) quasi leones flammam spirantes ab illa mensa discedimus, terribiles effecti diabolo.

Lib. 4. in Ioan. c. 17. “ “ Psl. 22. v. 5. “ Ho. 62. ad populum.

Sicut igitur Salomon arma præbebat fortibus ambientibus suum lectulum, sic Christus in hoc sacramẽto existens ambientibus ipsum vires ad militandum præbet. Est enim mensa & cibus militum in castris adhuc commorantium, vt eo confortẽtur. Propter quod de Manna dicitur in libro Numerorum, *Cumque descenderet nocte super castra ros, descẽdebat pariter & man.* Ideo autem super castra descendisse memoratur, vt sciremus, panem illũ cœlestem, qui hunc nostrum repræsentabat, ad eos, qui adhuc erant in militia, destinatum; sed obseruandum est in Exodo, aliter hoc referri, *Factum est*, inD quit, *vespere, & ascendens coturnix cooperuit castra; manè quoque ros iacuit per circuitum castrorum*, &c. Vbi Rupertus notat, coturnices cooperuisse castra; quia sacrificia carnalia ex auium & animalium carnibus oblata vniuersam occupabant Synagogam: ros verò & manna descendebant è cœlo extra castra, sed in circuitu eorum (quod in Numeris dicitur super castra, id est, iuxta illa, vt est Scripturę phrasis) quoniam Spiritus sanctus, & Eucharisticus panis non ad Synagogam, sed ad legis nouæ cultores pertinet, qui tamen adhuc in militia sunt. Vnde coturnices datæ sunt vespere ad finem diei, quia lex illa finienda erat: ros verò & manna data sunt manè in initio diei, & nouæ legis, quæ procedit vsque ad diem perfectum æternitatis. Cùm autem in Numeris dicitur ros

Num. 11.v. 9. Exod. 16.v. 13. Apud Lippoman. in catena. Lu.4.v.39. Isa. 6. v.1.

Per ipsam Eucharistiam hanc fortitudinem præberi. §. 3.

1. Sed ne cadas animo, scito per hoc ipsum sacramentum vniuersa hæc præstari: etenim Eucharistia reddit homines fortes in periculis, constantes in laboribus, in tribulationibus patientes, pellit timores humanos, & cor vehementer cõfirmat; vt etiam si timidus sis & desolatus, sicut Elias, cõfortatus tamen hoc cibo in fortitudine illius ambules sine fatigatione vsque ad montem Dei Oreb.

Nec fortes quomodocumque reddit, sed ex fortissimis Israël, qui est præualens contra Deum. Nũquid Sacerdos non est quodámodo fortis cõtra Deum, cum verba consecrationis proferens super panem, eius destructa substantia, Christum trahit è cœlis, & accidentibus ligat? Quid ergo mirũ quod iustus ita sit fortis cõtra ipsum, vt quidquid per hoc diuinũ sacrificium postulat mox obtineat; & quid quod etiam fortis sit contra dæmones, & aduersus homines, qui ita est fortis in Deũ. Cũcta hęc inipsius
3 Reg. 19. v.8. Gen. 32.v. 28. Dei gloriam redũdant, qui talem in hoc conuiuio electis suis præbet fortitudinẽ, vt in vasis fictilibus sublimitas diuinæ virtutis amplius resplendeat.

2. Sed adhuc vlterius vis Eucharistiæ progreditur, cùm non tantùm fortes facit, sed potentissima eis

descendisse nocte super castra; ideò est, quoniam A rat à Zacharia propheta, qui cùm dixisset, *Venient*
aurora ante ortum solis nocti adiudicatur, quia adhuc noctis tenebræ non sunt expulsæ. Meritò autem antiquorum fides comparatur vesperi, qui in noctem vergit; nostra verò manè, quod tendit in lucem meridianam, quoniam clarior est quam antiqua. Sed id nobis iucundius & vtilius, quod semper descendebãt simul ros & manna, quia Spiritus sanctus, & eius gratia datur simul cum nostro cœlesti manna, & gratia quidem præcedere debet tanquam dispositio (vt iam diximus) sed secum affert nouum gratiæ incrementum, & speciale auxilium, quod velut ros carnis ardores & concupiscentias extinguat, aut saltem minuat.

populi multi, & gentes robustæ ad quærendũ Dominum exercituum in Ierusalem, & deprecandam faciem Domini. Paulò post ait, *Apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudei*: id est, Christi ex Iudæis orti, quem fortes ambient, & fide apprehendent, colent, & amplectentur, non solùm magnalia ipsius, sed quæ infima videntur & extrema: & bis dicitur quod apprehendent, quia non sola fide & cognitione apprehenditur Christus perfectè, sed etiam affectu & dilectione.

Referamus tandem hæc verba ad diuinissimam 2. Eucharistiam, cùm per vicos & plateas Ecclesiæ solemni pompa in processionibus defertur omnium fidelium sequente caterua; tunc enim licet eam ostendere, dicentes, *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiũt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, &c.* Ambiunt Sacerdotes, ambiunt & seculares; & quamuis nonnulli ambiant ambitione mundana; tamen iusti, tanquam fortissimi Israëlitæ, humiliter, deuotè, & reuerenter ambiunt, & comitantur secum ferentes arma, & gladios ad repellendos hostes, atque omnia terrena & carnalia impedimenta, quæ in ipso ambitu occurrere solent. Olim arca testamenti, in qua erat aureũm propitiatorium, vrna habens manna, virga Aaron, & legis tabulæ, deferebatur comitantibus Sacer- Iosue 6.v.8. dotibus cum tubis præcedente exercitu armato, & reliquo vulgo sequente; ita vt omnis ille cœtus arcam ambiret, & vndique circundaret: ad cuius præsentiã muri Iericuntini corruerunt; sic & modò viua arca noui Testamenti, nempe Eucharistia, in qua continetur Christus, qui est propitiatio pro Ad Heb. 9. peccatis nostris, manna omnis saporis habens suauitatem, virga rectitudinis, flores, & fructus omV.4. nium virtutum nobis parturiens, ac lex viua, quæ se cordibus nostris imprimit, sicut sigillum ceræ. Hæc, inquam, arca defertur per plateas mundi, vt eius vanas pompas, tartareasque destruat potestates, quam iusti virtutum armis muniti ambiunt, & comitantur, vt bonorum quę continet, possint esse participes. Non solùm enim arca domui Obededon, id est, vbi diutius manet benedictionem impertitur, sed cuicumque qui eam veneratur, & adorat in spiritu & veritate. Nam si Oza, qui in 2 Reg. 6.v. ipso itinere eam ambiens indignè tangere ausus 7. est, percussus corruit; multo magis qui eam, vt par est, veneratur, benedictionibus replebitur; cùm pronior sit Deus ad benedicendum, quàm ad puniendum, etsi timorem non paruum incutiat quod eadem arca Obededon benedixit, & Ozam extinxit, & ad præsentiam eiusdem arcæ Hebræi occi- 1. Reg. 4.v. derunt ciues Iericho, & ipsi propter peccata sua 5. occisi sunt à Philistæis; quia hoc sacramẽtum mors est malis, vita bonis, indignos occidit, & remunerat dignos. Propter quod totis viribus hanc viuam Dei arcam, licet vilibus tegumentis inclusam, veneremur; & velut Dauid, iubilemus, & saltemus ante ipsam, nihil nos in conspectu eius reputantes. Adhuc enim verum est, quod Christus in Eucha- Act. 10.v.38 ristia latens pertransit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus verè est in illo, imò ipse est Deus, fons benedictionis cœlestis; cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen. De hoc puncto plura dicentur in sequenti similitudine de ferculo Salomonis, quæ magis hoc ipsum exprimit.

4. 1.Reg.14 v. 27. Mar 6.v.56 Zach.8.v. 22.

1. Hinc deducere possumus secundum modum C ambiendi lectulum Salomonis, cùm fortes
Psal.25.v.6 omnes Ecclesiæ lotis manibus, ac mundo & tranquillo corde cum Sacerdote circundant altare Domini, & astant sacrosancto sacrificio Missæ, in quo mors Christi repræsentatur, & modus passionis eius. Ambiunt autem cogitatione & affectu, cuncta quæ in illo sunt apprehendentes, & perscrutantes, sibique propria facere cupientes; nec ita filij huius seculi ambiunt honores, ac perfecti filij Ecclesiæ Christi ignominias, & præclaras virtutes, sacrificio cruento crucis astabant Iudęi exprobrantes: deuotæ verò mulieres gementes & compatientes: at huic incruento assistunt fideles hilares, & læti, infinitam Christi mirantes charitatem, quia per illud cruenti sacrificij fructus nobis impartiri dignatur: vnde etsi sacramentum non recipiant, fructus eius per spiritalem communionem sibi arripiunt: qui enim Christum ambit ingenti fide, attenta meditatione, & feruenti amore, desiderans illius particeps fieri, spiritaliter eum recipit, & fructus ex illo carpit. Non enim solùm sanatus est Zachæus, qui Christum hospitio in domo sua recepit, sed omnes quotquot tangebant simriam vestimenti eius. Sicut autem vestimentum Christi est eius humanitas, quia tegebat Dei verbum; ita Eucharistia est fimbria eius, quia tegit Christum Deum & hominem, & est vltimum ac extremum eius tegumentum. Quotquot autem fide & deuotione tangunt hanc fimbriam, salutem ex ea haurient, auxilium & consolationem; ideoq; fideles certatim currũt ad ambiendum Christum, & tangendum fimbriam eius, sicut prędictum fuit.

EXHORTATIO XXVIII.

Pro Dedicatione Eccleſiæ, vel pro Cathedra S. Petri, in id, *Ædificabo Eccleſiã meam.* Verſ. 9.

De Eccleſiæ excellentiis, vt eſt ferculum Chriſti, & currus triumphalis charitatis ipſius; de gradibus iuſtorum, quos continet; & quantum aliis ſectis & cœtibus præcellat.

Ferculum fecit ſibi rex Salomon ex lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum; media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem.

Lxx. Lectum fecit ſibi rex Salomon ex lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, & acclinatorium eius aureum, aſcenſus eius purpura, intimum eius lapidibus conſtructum, charitatem à filiabus Ieruſalem.

EGIMVS hactenus de lectulo Salomonis, quem fixum domi habebat ad quieſcendum: iam agamus de ferculo quod eſt quaſi lectus, aut ſedes geſtatoria, vel lectica, in qua cum magna pompa deferebatur per Ieruſalem ſimul quieſcens, & iter faciens, ne à ſua quiete dimoueretur. Nam lectica, qua diuites & potentes olim vtebantur, puluinar & lectum ſtratum habebat. Alij per ferculum intelligũt palatium, & regiam domum; ſed hoc non quadrat literæ, licèt alluſio fiat ad tabernaculum, in quo erat arca fœderis, quod Leuitæ aſportabant; aut ad id, quod idem Salomon dixerat in Prouerbiis, *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem*, &c. Eſt autem hoc ferculum Eccleſia Catholica, ex omnibus fidelibus baptiſmi ſacramento intinctis congregata, in quibus Chriſtus habitat ſaltem per fidem, & verum religionis cultum; per quem etiam exterius manifeſtatur gentibus, & in totius mundi notitiam nomen eius defertur, & diuulgatur. Continet autem duas præcipuas partes: prior eſt cœtus inſignium iuſtorum, qui heroïcis ſanctitatis exemplis Chriſtum mundo annunciant, & vbique ſunt bonus eius odor: poſterior eſt cœtus præſulum, doctorum, & concionatorum, qui non ſolùm exemplo, ſed etiam doctrina & prædicatione eum manifeſtant, & per vniuerſum orbem nomen eius deferunt: & de vtriſque hunc locum interpretabimur; ſed priùs de vniuerſa Eccleſia, quæ omnibus ſunt communia, proponemus, vt cætera facilius intelligantur.

Ita Calepinus.
Num. 4.
Prou. 9. v. 1.

Chriſtum magnificentiſſimum ad gloriam ſuam feciſſe Eccleſiæ ferculum. §. 1.

1. FERCVLVM ergo *fecit ſibi rex Salomon*, magnificum eſſe opus inſinuatur, in eo quod Salomon vocatur hic rex; cùm tamen in præcedenti ſententia tãtùm dictum ſit, *En lectulum Salomonis*. Opus enim aſtruebat regia magnificẽtia dignum. Lectulus ad delitias caſti amoris, quæ in ſecreto habẽtur, deſtinatur; & ideò nomen regis reticetur; quia amor cùm eſt vehemens, quaſi regiæ obliuiſcitur dignitatis. Ferculum verò in publicum defertur, vt Salomon ipſe ab omnibus conſpiciatur, quod magna reuerentia, & cultu externo fieri decebat; ideoque rex vocatur, vt dignitas eius regia non ſolùm amorem, ſed etiam excitet reuerentiam, licèt magis amorem, vt ex ipſo fine fabricæ deducetur. Fecit ergo Salomon hoc ferculum, quia ipſe Chriſtus fecit Eccleſiam, omnemque facit cœtum fidelium ac doctorum, & omnes ſunt opera manuum eius, quia *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos*. Eſt enim ſapientia, quæ ſimul ædificauit domum in qua perpetuò habitaret; & etiam fecit ferculum, in quo per mũdum deferretur, vt plures ad domum ſuam traheret. Ipſe etiam perfecit omnes & ſingulas ferculi partes, columnas, reclinatorium, aſcenſum, & pauimentum, quia ipſe fecit & inſtituit omnes ordines & gradus Eccleſiæ, omnia munia, & miniſteria, ſacramenta & ſacrificia, virtutes, dona, & gratias, quibus completur, fulcitur, & ornatur, in quo mirè omnes ſuperat artifices: qui cùm ædificant domum, vel quidpiam aliud, non materiam faciunt, ſed aliunde factam aſportant, expoliunt, & exornant: at Deus etiam ipſam materiam facit, nempè ipſa ligna Libani, ipſum aurum, argẽtum & purpurã, quia ipſe creat animas, & omnes earũ facultates, perficitque quidquid ad hoc opus aliquo modo cõducit, & quamuis homines etiam ex diuina prouidentia per ſuum liberum arbitrium cooperatores ſint illius; tamen hoc ipſum ipſe efficit; nam omnia opera noſtra operatur in nobis, & ipſe facit, vt in præceptis eius ambulemus, & cooperemur gratiæ ipſius.

Iſa. 26. v. 12
Ezech. 6. v. 29.

2. Hinc eſt ad hoc ferculũ cõſtruendum omnia pretioſa elegiſſe, relictis vilibus & deſpectis: non enim elegit ligna ſyluarum, ſed Libani, & cedros eius ſublimes; non ferrum vel æs, ſed aurum & argentum, quæ inter metalla obtinent principatum. Aſcenſum pretioſiſſima tela texit, nempe purpura, & pauimẽtum ſtrauit lapidibus pretioſis, gemmis, & maximè carbunculis, vt quid hæc: niſi vt ſciremus omnia pretioſa cõgregaſſe intra Eccleſiã ſuam, extra quam nihil eſt pretio dignum; eiſdem etiam ornaſſe electos ſuos, vt oſtenderet magnificentiam ſuam, & quanti faceret illos? vt etiam ipſi diſcerent ſemper oculos coniicere in ea quæ pretioſa ſunt, vt ea illi offerrent, in eiuſq; conuerterent obſequium, æmulantes ſemper chariſmata meliora, probantes potiora, & quæcumque ſunt tanto rege digna.

1. Cor. 12. v. 3.
Ad Phil. 1. v. 10.

3. Hæc maximè cõfirmat pronomen illud, *ſibi*, nam ſicut ſapientia ædificauit ſibi domum, ita fecit ferculum ſibi; id eſt, ad ſui nominis gloriam & honorem, vt eius diuina maieſtas, omnipotentia & charitas vbique fieret manifeſta; & ſibi debitus honor, cultus, adoratio, & obſequium ab omnibus exhiberetur, vt ipſe ſolus in eo ferculo ſederet, & veheretur; non diabolus, non princeps huius mundi, neq; quiſpiam alius; vt omnes deniq; ſciant, non eſſe factos, nec tot bona à Deo recepiſſe, vt ſibi ipſis viuant, ſed ei, qui fecit illos, dicentes, *Anima mea illi viuet, & ſemen meum ſeruiet ipſi*. Impium enim eſt factum eſſe, vt ſis Dei ferculum, & aurum, & argentum, pretioſaque dona ab illo recepiſſe; & tamen non ea illi deferre, nec per illa gloriam ipſius manifeſtare; ſed vel tuam quærere gloriam, aut proprium lucrum, & idolis vitiorum bona iſta impudenter dedicare; ſicut illi de quibus conqueritur, dicens, *Argentum multiplicaui, & aurum quæ fecerũt Baal*; id eſt ſacrificauerunt, & obtulerũt idolis.

Prou. 9. v. 1.
Pſal. 21. v. 31
Oſeæ 2. v. 8.

4. Vnde in ferculo tremenda quædam mutatio inſinuatur; nam qui in eo defertur, vnum locum deſerit, & in alium tranſit; ſic & Eccleſia Chriſti, vel Chriſtus in illa tranſiit à gente in gentem; reliquit

Iudæos, tranſiit ad Gentiles; reliquit magnam Aſiæ & Africæ partem, & delatus eſt in Europam: deſeruit modò plures regiones Septentrionales, & defertur ad Indos, & nationes incognitas: ſicut mulier viſa in cœlo ferens ſecum ſolem, lunam & ſtellas, fugit in deſertum, vt illuminaret Gentiles, in tenebris relinquens Hebræos. Nam quamuis Chriſtus nunquam deſerat ſuum ferculum, nec vnquam deſeret; iuxta illud, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi*: & Eccleſia etiam ſit domus Dei firmiter ædificata ab ipſo ſupra firmam petram, quam nec pluuiæ, nec venti, vel flumina poterunt euertere, nec portæ inferi præualebunt aduerſus eam; tamen domum hanc, & ferculum iſtud transfert ex vna regione in aliam propter peccata hominum, qui bonis Eccleſiæ malè vtuntur, & illis contemptis ſuis voluptatibus, lucris, & honoribus adipiſcendis vehementer inhiant. Sed plus adhuc timoris incutit quod Epiſcopo Epheſi, qui primam charitatem reliquerat, minatur Chriſtus, dicens, *Mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris*. Conſtat autem ex eodem Apocalypſi candelabra ſignificare Eccleſias. Minatur ergo Dominus propter ignauiam paſtoris, quæ in damnum vergit ſui gregis, quia grex paſtorem ſequi ſolet, permiſſurum Eccleſiam Epheſi tot perturbationibus concuti, vt è ſuo loco transferatur in alium; quomodo cœtus iuſtorum ex vna ciuitate, vbi perſecutiones patiebatur, fugiebat in aliam. Hæc dixerim, vt peccata publica horreamus, expaueſcamuſque tremenda Dei iudicia circa ferculi commotionem. Sed iam ad lætiora tranſeamus.

Apoc. 12.
Mat. 28. v. 20.
Matt. 7. v. 25.
Matt. 16. v. 18.
Apoc. 2. v. 3

De variis gradibus, & miniſteriis, quæ comprehendit Eccleſia. §. 2.

1. MIRA ferculi fabrica varios deſignat Eccleſiæ ordines, gradus, & ſtatus, in quibus omnipotens ſplendet Chriſti maieſtas: & in primis ferculum factum dicitur, *Ex lignis Libani*; quia Eccleſia aggregatur ex plurimis fidelibus ſacro baptiſmatis fonte dealbatis; Libanus enim candidus interpretatur, aut dealbatus. Sicut autem in monte Libano varia erant ligna, & arbores, inter quas præeminebant cedri, vtpotè ſublimes, fortes, imputribiles, & odorati; ita in Eccleſia plures ſunt fidelium ſtatus, qui ad ipſam pertinent; ſed iuſti, qui, teſte Dauid, ſicut cedri Libani creſcunt, & multiplicantur, omnibus præeminent; ſunt enim ſanctitate ſublimes, vita incorrupti, & fortes ac boni exempli odore fragrantiſſimi; de quibus ſupra dictum eſt, *Ligna domorum noſtrarum cedrina*, vbi fuſiùs de iis cedris egimus. Cæterum D. Nyſſenus non vſurpat hic cedros Libani in bonum, ſed in malum, intelligens per hos cedros gentes idololatras ſuperbia & elatione inflatas, aliiſque vitiis irretitas; de quibus dicitur, *Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani, & comminuet eas tanquam vitulum Libani*, videlicet eum, quem Moyſes in deſerto contriuit. Homines ergo ligna dicuntur Libani, quandiu huic monti per radices inhærent, id eſt, per vitam flagitioſam, ſuperbam, & vitiorum idololatriæ deditam; at cùm Deus eos è Libano præſcidit per ſpiritualem regenerationem, tranſmutauit eos in aurum, argentum & lapides pretioſos, ſicut docuit Paulus, varia eis chariſmatum tribuens dona. Hęc ille; aut fortè congruentius ſub eadem metaphora poſſemus dicere; eadem ligna, quæ Libano inhærentia ſuperbos ſignificant, præſcindi à Deo ſapientiſſimo architecto, qui ea velut aſcia expoliens, fecit eſſe ligna ſui ferculi; cùm Gentiles idololatras, & ſuperbos voce prædicationis confregit, ad ſe conuertit, & ex illis Eccleſiam ſuam ædificauit, & ferculum ſuum fecit.

Pſ. 91. v. 13.
Cant. 1. v. 6. Hom. 7. in Cant.
Pſ. 28. v. 5.
Exod. 32. v. 20.
1. Cor. 3. v. 12.

2. Sed ornatum eius perpende, *Columnas*, inquit, *fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum*. Columnæ argenteæ ferculi, ſunt Apoſtoli, doctores, & concionatores, qui Apoſtolicam vitam ſectantur; & tanquam columnę fulciunt, & ſuſtinent Eccleſiam. Sic Diuus Paulus Iacobum, Cepham, & Ioannem columnas vocat. Dicuntur tamen argenteæ ob candorem vitæ, & ſonorem prædicationis: annunciant enim verbum Dei, quod eſt *Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum*. Has columnas fecit Chriſtus Dominus, & confirmauit, ac variis expoliuit gratiis, & donis; vt Eccleſiam ſimul fulcirent, & ornarent: cuiuſmodi ſunt ſeptem, quæ D. Paulus enumerat, cùm ait, *Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem*, &c. videlicet ſermo ſapientiæ, & ſcientiæ, gratia ſanitatum, & operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituum, genera linguarum, & interpretatio ſermonum.

Ad Gal. 2. v. 9.
Pſ. 11. v. 7.
Pſ. 74. v. 4.
1. Cor. 12. v. 9.

3. Reclinatorium aureum in hoc ferculo, viri ſunt contemplationi dediti, qui partem Mariæ elegerunt, & cum tranquillitate Deo vacare ſtudent, aureo diuinæ ſapientiæ, & dilectionis fulgore nitentes, in quibus Deus reclinatur, quieſcit, & maximè delectatur. Sed conſultò columnæ vocãtur plures, reclinatorium vnum, quoniam plura ſunt doctorum munia & miniſteria, per quæ proximis lucrandis incumbunt: contemplatiui autem tantùm appetunt vnum neceſſarium, in quo cum Deo conuerſantes quieſcunt: ſed prius nominantur columnæ, quam reclinatorium, quia ad deferẽdum Chriſtum in alios, quod eſt ferculi ſcopus, proximiùs accedit miniſterium doctorũ. Et licèt aurum prætioſius ſit quam argentum, tamen huiuſmodi myſticæ columnæ denominantur argenteæ ab ſtudio prædicandi verbum Dei, quod exterius ſplendet, quo potiſſimè fulciuntur fideles, & confirmantur in bono; intus verò ſeruant contemplationis aurum, veluti habentes, *Pennas columbæ deargentatas, & poſteriora dorſi in pallore auri*; id eſt, dorſum procumbens in reclinatorio aureo.

Reclinatorium Hiſpanè eſt *El reſpaldar de la ſilla, o el aſiento con ſu reſpaldar.*
Pſ. 67. v. 14.

4. Aſcenſus autem purpureus, ſi gradus ſignificet, quibus aſcendebatur ad ſedile, in quo intra lecticam ſedebat rex, complectitur incipiẽtium ſtatus, & proficientium, qui per varios virtutum gradus progrediuntur de virtute in virtutem, donec ad perfectionem aſcendant diuini amoris, & vnionis, cum ipſo Deo: aſcenſus autem iſte vocatur purpureus, quia maximè fit per ſui ipſius mortificationem; etiam vſque ad ſanguinis effuſionem, ferendo Chriſti crucem, & patienter cuncta aduerſa tolerando. Quod ſi aſcenſus ſignificet, vt aliis placet, pretioſum aulæum, & opertorium, quod ſuper ſedile aureum, & ſuper columnas aſcendebat, quaſi ferculi tectum, quod columnæ ſuſtinebant, conuenienter hoc tribuitur Martyribus proprio ſanguine purpuratis. Plurimi enim (vt inquit D. Gregorius) in exordio Eccleſiæ per martyrij ſanguinem obtinebant regnum, quorum charitas etiam ſuper contemplatiuos aſcendit; nam, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

Aſcenſus, id eſt, quod deſuper eſt,
Hom. 15. in Ezech.
Io. 15. v. 13.

De ornatu charitatis, maximè propter debiles & infirmos. §. 3.

1. ILLVD autem præclarius in hoc ferculo, quod *Media charitate constrauit propter filias Ierusalem.* Media vocantur partes intermediæ ipsius ferculi inter reclinatorium & ascensum, vel sedile, in quo rex sedet, aut etiam ipsum pauimentum; sicut insinuat versio Septuag. quæ dicit, *Intimum eius lapidibus constructum*, nimirum lapidibus pretiosis, & gemmis variis, pulchris & fulgentibus. Quomodo de Ierusalem noua dicitur apud Thobiam, *Ex lapide candido, & mundo omnes plateæ eius sternentur*: quoniam interiora, seu intima Ecclesiæ variis gemmis virtutum fulgent, *Omnis enim gloria eius ab intus*, quia pretiosissima sunt quæ intus eam ornant; sed inter virtutes maximè constrata est charitate, quæ omnibus illis est pretiosior, & omnium virtutum est forma, ornamentum & decor; vnde sat fuit dixisse, *Media charitate constrauit*; quia in charitate omnes virtutum gemmæ continentur: charitas enim *Patiens est, benigna est, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Charitas omnibus virtutibus imperat, & post se trahit: & præterea solius charitatis meminit, quia hæc suauior est, & dulcior omnibus, quæ iugum Domini suaue reddit, & onus leue.

Thob. 13. v. 22. Psal. 44. v. 14. 2. Cor 13. v. 4.

B

2. In hunc locum, & ho. 15. in Ezec.

Vnde maximam emphasim habet, hunc charitatis ornatum appositum esse, *Propter filias Ierusalem.* Non ait propter filios, aut viros Ierosolymitas, sed propter filias, id est animas debiles, & infirmas, quæ ad fortiora exercitia, & sublimiora studia ascendere non valent. Quod eleganter perpendit Diuus Gregorius his verbis; Sed nos miseri quid agimus, qui in hoc ferculo columnæ argenteæ non sumus, quia sanctam Ecclesiam nec exemplo sustentamus, nec prædicatione docemus? In ea reclinatorium aureum non habemus, quia terrenis cogitationibus inuoluti, ad splendorem sapientiæ per contemplationem non assurgimus: ascensum purpureum nec etiam cognoscimus, quia voluptatibus vacantes, labores & persecutiones pro æterna beatitudine ferre recusamus. Consolatur nos aliquantulum quod de hoc ferculo subditur, *Media charitate constrauit propter filias Ierusalem.* Quid per filias Ierusalem intelligimus nisi nos debiles, quia in Ecclesia non viri, sed fœminæ sumus, quia contra vitia fortiter non reluctamur, viriliter non resistimus, muliebriter subiacemus? Si ergo nos in ferculo regis columnæ argenteæ non sumus, reclinatorium aureum non habemus, per ascensum purpureum ascendere non valemus, saltem charitatem, quæ communis omnibus electis quasi in medio posita est, teneamus. Per hanc quippe rex Salomon nos in ferculo suo esse cognoscit, & cum aliis Ecclesiæ membris ad eandem sponsi beatitudinem peruenimus, si charitatem indefessam obseruamus. Hæc ille.

C

D

Cùm igitur in Ecclesia multi sint iustorum gradus, sicuti multa membra in vno corpore quæ diuersa munia habent, nec omnes ad docendum vel contemplandum sint idonei, nec ad perferendos labores robusti, teneamus mediam charitatem, iuxta vires Deum, & proximum amantes; & erimus saltem sicut filiæ Ierusalem, quæ tandem ad æternam Dei visionem, & pacis requiem perueniunt; quia sicut scriptum est, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Summa autem felicitas est, vel minimam in ea obtinere mansiunculam, quia mi-

Ioan. 14. v. 2.

A nima est maxima, omnia minimi beati plenissimè satians desideria.

Addit autem Rupertus, in medio ferculi (quod ipse putat esse sacram Scripturam) collocatam esse charitatem tanquam præcipuum, & maximum eius mandatum, à quo alia pendent, impositum propter filias Ierusalem, vt scilicet animæ imbecilles, quæ ad virilem virtutem, & perfectionem adhuc non peruenerunt, per hanc charitatem suum faciant, quod est virorum & perfectorum diligendo bonum, quod in eis viderint. Itaque si non es columna argentea, quia non habes donum scientiæ & doctrinæ ad lucrandas animas, nec es reclinatorium aureum, quia gratia cares contemplationis: dilige hæc bona in aliis, gaude quod illi habeant; gratias agito Deo, qui ea illis tribuit, ex amore complace in illis; & hoc modo eris etiam columna, & reclinatorium, dum hæc bona tibi propria per vnionem charitatis facis: quomodo amor inter beatos omnium beatitudines facit quasi proprias singulorum. Charitas ergo videtur speciali quadam ratione commendata in Ecclesia, propter pauperes, vt per illam ex bonis aliorum ditescant; propter infirmos, vt ex aliorum fortitudine roborentur; propter imperfectos, vt de aliorum perfectionibus lucrum hauriant.

3.

Denique Diuus Bernardus, qui nomen, *media*, tanquam adiectiuum iungit charitati, dicit eam vocari mediam propter filias Ierusalem; id est, propter animas proficientes, quæ medium locum tenent inter incipientes, seu pœnitentes, quæ adhuc spiritu timoris aguntur, ob recordationem suorum peccatorum, manducantes panem doloris, & bibentes vinum compunctionis; & inter perfectos & contemplatiuos, qui solidiori vescuntur cibo, & adipe sapientiæ, ac feruentissimo amoris vino in contemplatione potantur: at proficientes, qui medij sunt, nec illo timoris spiritu anguntur, nec tamen ad sublimia admittuntur contemplationis studia, sed media charitate reficiuntur, melleas quasdam sorbitiunculas charitatis, & guttas dulcedinis illius experientes, quibus contenti sunt, & ad vlteriorem perfectionem progredi festinant.

Tract. de 12. gradib. humilitatis.

Sumit D. Ber. ferculũ pro vase, quo deferunt dapes in cõuiuiis; de quo inf.

Christum, vt charitas est, esse in medio Ecclesiæ. §. 4.

1. SED adhuc multo sublimior & iucundior est vsurpatio charitatis pro ipso rege Salomone dilecto, & diligente; hoc est pro ipsomet Christo: nam, *Deus charitas est*; qui dicitur esse in medio Ecclesiæ ornans & implens illam: crebrò enim Saluator hac voce vtebatur, ad significandam suam præsentiam cum Discipulis, sicut cùm ait, *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* Et iterum. *Vbicumque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Post resurrectionem etiam in cœnaculo, quod Ecclesiam repræsentabat, bis dicitur stetisse in medio discipulorum suorum. Nec mirum, quia ipse mediator est Dei & hominum, vt homines Deo reconciliet: estque quasi centrum orbis, in quod omnes lineæ à circumferentia deducuntur; quia omnes creaturæ vtriusque orbis terreni & cœlestis ad ipsum tanquam ad centrum diriguntur, in quo pacem & quietem inuenire possunt. Consultò etiam non dicitur in singulari, medium, sed media constrauit, ad signi-

1. Io. 4. v. 8.

Lu. 22. v. 27 Matt. 18. v. 20.

Io. 20. v. 19. & 26. 1. ad Tim. 2. v. 5.

ficandum, quod replet & ornat omnes & singulas partes Ecclesiæ, nullam relinquens inanem, & inordinatam, si per ipsam nõ steterit: nam magnos ipse & paruos, omnesque cupit cõsternere charitate, id est, seipso, præbens se omnibus, quia pro omnibus factus est homo.

A

2. Insigniuit autem se hîc isto nomine, quoniam vniuersum hoc opus Ecclesiæ eximmensa eius charitate processit, & ad ostendẽdam eius charitatem destinatur: nec ita eius resplenduit charitas in creatione cæli & terræ, & eorum quæ cæli ambitu continentur, & ad naturæ spectant ornatum, sicut in erectione ferculi Ecclesiæ, & eorum quæ in ipsa sunt; ac in eo maximè quod ipse speciali præsentia dignatur esse in medio illius, quasi eius ornamentum & gloria, vt nos in suam traheret dilectionem, quod indicant sequentia verba. *Propter filias Ierusalem*, quæ referri possunt vel ad immeditatè præcedentia, vel ad totam sententiam, & ferculi fabricam, vt ipse Christus per illam ostẽderet infinitam charitatem suam erga filias Ierusalem: & etiam vt eas pelliceret, & attraheret, vt vicem rependerent eximia ipsum prosequentes charitate: Vtrumque enim pertinet ad integrum salutis nostræ finem, quem saluator noster sibi præfixit, vt qualem ipse erga nos ostendit charitatem, talem ostendamus & nos erga ipsum, diligentes eum, sicut dilecti sumus ab eo, siquidem *ipse prior dilexit nos.*

Sic in præcedẽti versũ illa verba, *propter timores nostros*, ad totam sententiam diximus posse referri.

1. Ioan. 4. v. 10.

B

3. Sed notandum est valde, non asseruisse, *Media charitate constrauit*, propter suam dilectam, vel sponsam, sed *propter filias Ierusalem*: quoniam licet charitas ista primò referatur ad vniuersam Ecclesiam, quæ vnica est Christi sponsa; tamen etiam refertur ad singulas animas, & ad seipsum, vt dicere possis cum Apostolo, *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*: quia tu es vna ex filiabus Ierusalem, propter quam hæc facta sunt, vt ardenter diligas charitatem te ita diligentem; & ab igne amoris ipsius totus inflammeris, par (prout licet) pari reddens, sed hoc amplius confirmat, & amplificat vox Hæbrea *Ratsuph*, quæ ambigua est, pro qua interpres vertit, *constrauit*, alij vero sumunt pro combusto vel incenso. Pro pruna, aut carbone ignito, vt sensus sit, medium eius combustum, vel accensum, aut ardens charitate: id est, medium ferculi tenebat, & occupabat ipse Salomon combustus, & ardens charitate propter filias Ierusalem; quia Christus Dominus infinito ardet amore nostri, & nos cupit ardere vehementi amore sui. Vnde in hoc ferculo existens clamat: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?*

Ad Gal. 2. v. 20.

C

Luc. 12. v. 49. de hoc in exh. 30.

Ecclesiam esse currum triumphalem Christi. §. 5.

DESCRIPSIMVS ferculum Salomonis, vt sedes gestatoria regis est. Sed D. Gregorius Nyssenus, aliique Patres ferculum esse putant currum triumphalem, quo, in triumphis Imperatores vti solebant, vel gestamen pompaticum, in quo ipsa pompa deferebatur, siue essent spolia, siue Deorum simulachra, siue tituli, qualis ille Cæsaris, qui inter pompæ fercula trium verborum prætulit titulum; *Veni, vidi, vici.* Ecclesia igitur est quasi currus triumphalis Christi; quia quidquid in ea splendet, effectus est victoriæ ipsius, quam acquisiuit sanguine suo, & spolia, quæ à dæmonibus abstulit, in Ecclesia collocauit: spolia sunt reges, imperatores, & omnes idololatræ, qui diabolo militabant, & conuersi ad fidem Christi, aggregati sunt eius

Calepinus refert ex Suetonio in Cæsare de Pontico triumpho. 1.

D

Ecclesiæ. Spolia item sunt pretiosa quæque mundi, quæ antea in Deorum cultum & regum ornatum destinabantur, & modo in Ecclesiæ ornatum, & Christi cultum cedunt, atque in hoc curru ac gestamine ad ipsius gloriam deferunt, cui ob passionis suæ merita Pater inquit. *Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia.* Acquisiuit enim sibi innumeros subditos, ex quibus conflata est Ecclesia; & fortium (id est principatuum & potestatum, quos vt ait Paulus, expoliauit de eis triumphans, diuisit spolia, dum eos diuersis statibus, & ministeriis Ecclesiæ suæ applicuit. Vnde ex lignis & cedris Libani, quos superbos, & idololatras esse diximus cum Nysseno, ædificauit hoc triumphale ferculum; & aurum, argentum, purpura, & gemmæ, quæ antea mundi principibus seruiebant, in Ecclesiæ cultum vertuntur, sicut D. Augustinus notauit citatum locum Isaiæ interpretans: iam (inquit) Christus in hæreditate possidet multos, & fortium partitur spolia, cum ea, quæ diabolus & dæmones possidebant, per Ecclesiarum suarum fabricas, & quoslibet necessarios vsus, illis expulsis, perditisque distribuit. Hunc autem triumphum continuò agit, plurimas acquirẽs victorias, & spolia, per Ecclesiæ doctores & prædicatores, vt de illis agentes mox fusius dicemus.

Isa 53. v. 12.

ad Coloss 2. v. 15.

Lib. 1. De consensu Euang. c. 3. in fin. to. 4. " " "

2. Sed quid est quod in hoc ferculo, siue lectica sit, siue currus, nulla fit mentio eorum qui portabant illud? Lectica enim manibus seruorum portabatur; currus vero agebatur ab equis phaleratis, aut elephantibus: imo si respicias currum Ezechielis, ad quem hic nonnulla fit allusio, à quatuor animalibus agebatur. Ecclesiasticus enim vocat illum currum cherubim, & conspectum gloriæ Dei, quia in illo Dei gloria manifestabatur, in medio autem currus erat similitudo throni, & super illum similitudo hominis, & species electri, velut aspectus ignis, qui Christum repræsentabat, ex diuina & humana natura constantem, sicut electrum ex auro, & argento, igne amoris maxime ardentem; & hic idem est, qui in medio ferculi dicitur esse combustus & ardens charitate. In eo curru repræsentabatur Christus deferendus per vniuersum orbem, à quatuor Euangelistis, & cæteris doctoribus, & operariis Euangelicis super quatuor nitentibus Euangelia, sicut currus super quatuor rotas: cæterum quoniam tam animalia quam rotæ non mouebantur à seipsis, sed à diuino spiritu impellente, *Vbi* (inquit) *erat impetus spiritus, illuc gradiebantur: item, quocumque ibat spiritus illuc eunte spiritu & rotæ pariter eleuabantur sequentes eum, spiritus enim vitæ erat in rotis*: hinc est, reticeri etiam hoc ferculum deferentes, ad significandum, quod manus inuisibilis Dei & virtus ipsius Regis Christi, qui in ipso erat, ferebat illud, & impellebat quocumque vellet: vnde Ecclesiæ prædicatores, & Apostoli nubibus comparantur. Cum dicitur: *Qui sunt hi qui vt nubes volant?* nubes autem à vento mouentur & feruntur per aëra in diuersa loca, sicut D. Paulus à spiritu mouebatur, aut prohibebatur, vt huc vel illuc tenderet, aut non tenderet ad verbum Dei prædicandum, & Christi notitiam hominibus conferendam.

Ezech. 1. v. 5

Ecc. 49. v. 10.

Ezech. 1. v. 12. & 20.

Isa. 60. v. 8. Act. 16. v. 6. & 9.

Ex his deduci potest quantum Ecclesia Christi præcellat aliis sectis & cætibus Hæreticorum, Idæorum, Maurorum, cæterorumque infidelium, quæ fercula sunt, & currus Sathanæ, & Antichristi. Etenim non fiunt ex pretiosis lignis & cedris Libani; sed ex lignis putridis & putidis hominum flagitiosorum, quos nunquam dealbat sanctitas, sed

3. *Excellentia Ecclesiæ super alias sectas & cætus hominum.*

denigrat, & deturpat omnis malitia, etsi enim multi etiam sint in Ecclesia peccatores, eis tamen aduersatur, & à peccatis remouere satagit; at aliæ sectæ potius in ipsa peccata impellunt. Vnde Ecclesia nigra est, sed formosa, quia licet aliquos habeat malos, plurimos continet iustos; aliæ vero sectæ sunt omnino nigræ, & nullos habent, à quibus formosæ nuncupari valeant.

Præterea columnæ aliarum sectarum non sunt argenteæ, sed plumbeę, aut æreæ, quia doctores earum non vera & solida nitent rerum diuinarum, & sacrarum Scripturarum scientia, sed quadam subtili & inani eloquentia verborum, velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, pruriunt auribus, à veritate auertunt, & ad fabulas conuertuntur. Vnde nec nomen columnæ merentur, quia nihil solidum & firmum habent, & magis ex pertinacia iudicij, quàm ex ratione & virtute subsistũt; ideoque neque verum habent reclinatorium, *Quia non*
Iudæ 1. v. 13 *est pax impiis dicit Dominus*, sed cor eorum est velut mare feruens, quos D. Thadæus vocat, *Fluctus*
Iac. 3. v. 15 *feri maris despumantes suas confusiones*. Nec verum habent aurum, sed fictum, quia eorum sapientia non est desursum descẽdens, sed terrena, animalis, & diabolica; fulgorem sanctitatis foris ostendens, sed intus ignorantiis, & erroribus pluribus est permixta. Vnde etiam fit, quod apud illos, non sit verus ascensus, sed descensus, nullus virtutis profectus, sed defectus; nec purpura Christi sanguine decorata, sed vita sanguine multiplicium peccatorum fædissime infecta. Nam iustitiæ eorum sunt velut pannus menstruatæ. Nec media eorum constrata sunt charitate, sed discordia, quia nec sibi errores consentiunt, nec voluntates possunt esse perfectè concordes, vbi deest Christi charitas, & viget amor proprius quærens quæ sua sunt non quæ aliorum. Tandem istæ sectæ non sunt fercula, nec currus in quo resideat, & vehatur Christus, qui charitas est; sed aduersarius noster diabolus, & deceptor Sathanas fingens se Deum, vel Angelum lucis, aut Dei prophetam, vt homines decipiat. Quare meritò illas comparaueris curribus Pharaonis Israelem
Ita Hugo de sancto Vict. lib. 1. de erudit. Theolog. ex miscellaneis, ti 61. licet aliter applicet. persequẽtibus, in quibus terni erant statores, nempe concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ; quoniam hæc tria militãt in omnibus diaboli curribus, vt homines sibi subiiciant, & Dei Ecclesiam persequantur. De quibus plura diximus circa illa verba, *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te*, &c. sed miseri isti demergendi sunt in abyssum tanquam lapis, quoniam Deus dissipauit eos, & Christus in suæ Ecclesiæ curru existens vincet illos, & de omnibus triumphabit?

4. *Charitas currus triumphalis Christi.*

Vnde tandem concludimus currum istum triumphalem esse ipsius virtutis charitatis, per quam Christus in suis mysticis membris hostes sibi subiecit, concupiscentias extinxit, & à mundo fidem, & cultum quasi extorsit: ideoque orabat patrem, vt omnes discipuli essent vnum per dilectionem, *Vt* (inquit) *cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti*. Nam per huius charitatis manifestationem deuenit mundus in notitiam & fidem Saluatoris: quare in curru isto ferebatur charitas propter filias Ierusalem, vt animę electorum ipsi Christo, & amori eius manus darent, sicut enim in triumphis antiquorum erant
Ioan. 17. v. 21. & 23.
Ad modum quo Hispani vocamus *Andas*, gestamina pompatica, ferentia simulachra alicuius oppidi, vel Deorum; ita hic depingitur gestamen pomparicum charitatis, vbi ipsius effigies portatur, aut in specie rei ignitæ, vel gemmæ ignis splendorem continentis, velut carbunculus, quæ chara erat filiabus Ierusalem; & ideo charitas vocatur, propriumque est insigne Ecclesiæ Christi, quæ ait. *Vexillum eius super me charitas*, vt suo loco explicuimus. Gratias igitur agamus Christo Domino, qui secundum magnam misericordiam suam partes nos fecit Ecclesię suę, vt eius charitatis, & triumphi participes etiam esse possimus in secula seculorum. Amen.

stamina ferentia imagines sanctorum.
In id Cãt. 2. *Ordinauit in me charitatem.*

EXHORTATIO XXIX.

De virtutibus insignium iustorum, maxime prælatorum & doctorum, qui Christi sunt ferculum, eum per prædicationem in vniuersum orbem deferentes?

PRO APOSTOLIS ET DOCTORIBVS, ET PRO CONVERSIONE D. PAVLI, in id, *vas electionis est mihi iste.*

Ferculum fecit sibi, &c.

QVæ summatim diximus de vniuersa Ecclesia, vberius applicemus insignioribus iustis, maxime Prælatis, Doctoribus, & concionatoribus. Vt autem D. Gregorius Nyssenus obseruat, multipliciter in scriptura iustus fieri dicitur locus Dei, velut domus, aut sedes, vel scabellum, aut currus, & equus, qui habenis facile regitur: Hic autem vocatur ferculum, quia in se fert Deum qui illi insidet; nec amplius viuit ipse, sed in se viuentem habet Christum, dicens cum Apostolo: *Viuo non ego, viuit in me Christus*. Vnde hac ratione omnibus iustis competit ferculum esse Christi, ideoq; vocantur Christiferi, sicut D. Ignatius martyr appellabatur Christophorus, id est ferens Christum, quia vita sua illum hominibus manifestant iuxta illud Apostoli: *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris*. Sed præter hoc, Apostoli, & qui Apostolicum prædicãdi munus obeunt, ferculum Christi dicuntur, quasi sedes gestatoria, aut currus triumphalis, & pompaticus regia Christi maiestate dignus: qui per ipsos triumphat, & conuertit animas, dum eum deferunt per vniuersum mundum, fidem & Euangelicam perfectionem illis annunciantes. Qualis fuit ipse Paulus de quo dixit Dominus; *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel*. Vas autem in scriptura quodcumque instrumentum significat, vnde & de sole, qui enarrat gloriam Dei, ait Ecclesiasticus; *Sol in aspectu annuncians in exitu, vas admirabile, opus excelsi*: id est, sol, cum primum aspicitur exire ab oriente, annunciat nobis gloriam & magnificentiam Dei, ideoque est vas & instrumentum admirabile, quod à solo excelso Deo potuit fieri: & factum est ad suam potentiam manifestandam, dum gyrans ab Oriente in Occidẽs vniuersum orbem illuminat, calefacit & gaudio replet, sic Paulus vas fuit, & instrumentum à Christo electum, vt instar ferculi portaret eius nomen, & Euangelium per vniuersum mundum, in quo huius diuini ferculi fabrica, quæ etiam aliis doctoribus, & prædicatoribus conuenit, eleganter est depicta.

Homil. 7. in Cant.
ad Gal. 2. v. 20.
2 Cor. 4. v. 20.
Act. 9. v. 15.
Eccl. 43. v. 2

Ex magnis peccatoribus aliquando fieri insignes doctores, qui sunt Christi ferculum.
§. 1.

FERCVLVM *igitur fecit sibi Rex Salomon*, quia omnes dignos Euangelij ministros ipse sibi elegit & perficit, vt munus ferculi ad ipsius gloriam gerant. Quod probe agnoscens Apostolus dicebat, se non quærere quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, sicut non viuebat sibi, sed Christo: & quia lucra animarũ lucra Christi sunt, cùm hoc ferculum factum sit ad lucrandas animas, recte factum dicitur à Christo sibi, vt nos eas lucrari conemur, non nobis, sed Christo, vt ipse glorificetur in illis, propter hoc enim omnia quæ ferculum istud magnificentissimè ornant nobis elargitur, & in primis fecit illud, *Ex*
1. Hoc iuxta Nysseni interpretationem. *lignis Libani*: id est, ex iis, qui prius erant superbi & elati, sicut cedri Libani, quos tamen præscidit, dolauit, ac ad se conuertit, vt magnanimitatem illam naturæ assumeret in instrumentum diuinæ gratiæ, dealbans eos, & fortes ac sublimes constituens alia fortitudine & sublimitate, non terrena, sed cælesti; non humana sed diuina. Nonne superbus cedrus Libani erat Saulus, cum, teste D. Luca, *Spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad principem Sacerdotũ, & petiit ab eo Epistolas*
Act. 9. v 1. *in Damascum, vt si quos inuenisset huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem?* & tamen mirabili modo illum transmutauit; furorem eius contra Christum conuertit in zelum gloriæ ipsius; temerariam audaciam ad persequendum; in audacem feruorem ad prædicandum; vt qui antea
Ad Gal. 1. v. 13. supra modum persequebatur Ecclesiam Dei (sicut ipse ait) supra modum eam defenderet, & propagaret, & qui velox ferculum erat principis Sacerdotum deferens litteras ad vinciendos Christi discipulos, fieret velocissimum ferculum, & currus ipsius Christi deferens Euangelium per vniuersum orbem; sicut enim Deus omnipotentiam suam ostendit in eo quòd transmutat aquas maris amaras, ex eis educens nubes ferentes aquas dulces, quę in altum subleuatæ, terram vbique rigent; iuxta illud Amos Prophetæ, *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen est eius*:
Amos 5. v. 8. ita etiam ex peccatoribus superbis, ferocibus, & flagitiosis, facit homines humiles, clementes, & sanctos, sapientia, & gratia plenos, quos velut nubes velociter per varias regiones defert, vt Euangelica doctrina eas rigent. De quibus Isaias interrogat; *Qui sunt hi, qui vt nubes volant?* cui respon-
Isa. 60. v. 8. dere possumus, qui sunt hi, nisi Matthæus & Saulus, qui paulo ante mare feruens & amarum erant? qui sunt hi, nisi homines terrestres, qui in mare huius mundi retia tendebant, sicut Petrus & An-
Mat. 4. v. 18 dræas, Iacobus & Ioannes filij Zebedæi? qui sunt hi, nisi qui prius fuerũt cedri Libani per superbiam elati; facti tamen sunt materia ferculi Christi incorrupti; fortes & fragrantissimi? nam etsi tacerent verbo, clamabant exemplo, & vbique bonus Christi odor erãt. Sicut eleganter docet Apostolus,
2. Cor. 2. v. 14. dicens: *Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo in iis, qui saluifiunt*: id est, gratias Deo, qui semper triumphum ducit de hominibus, quos ad se conuertit, faciens nos instrumentum & currum esse triumphi ipsius, quatenus per nos vbique suum Euangelium manifestat: & vita immaculata, qua illud confirmamus, est odor ipsius, quo eius virtus, gratia, diuinitasque mundo in salutem electorum innotescit.

At sicut in Libano varia erant lignorum genera; ita ferculum variis cedris dealbatis & perfectis constat, quia varios complectitur gradus ministrorum Christi; qui, vt ait D. Paulus, *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in aedificationem corpus Christi?* Hi omnes ferculum Christi sunt variis ministeriis vtentes, ad corpus eius, quod est Ecclesia, propagandum. Quos ipse, veluti qui cedros expolit, variis gratiis ornauit, vt qui antea erant diuersis peccatorum generibus maculati veluti Pardi, modo essent variis Dei donis candidi, & pulchri, mirificeque condecorati: in quo magis splendet gloria Christi; & maior præ-
B betur peccatoribus fiducia, vt si adipsum conuertantur, ingentia ab illo possint expectare dona. Quod de seipso testificatur Apostolus gratias agẽs Deo, quia (inquit) *fidelem me existimauit, ponens in*
1. ad Tim. 1. v. 11 & 16. *ministerio, qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus; sed misericordiam consecutus sum, &c.* vt quid autem misericordiam consecutus est? *vt in me* (ait) *primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum; qui crediturí sunt illi in vitam æternam.*

2.

Doctores Ecclesiæ, & viros sanctos esse eius columnas argenteas. §. 2.

SED hoc amplius explicatur, si gratias & dona, quæ hic commemorantur sub metaphora columnæ, reclinatorij, & ascensus, enodemus. Columnæ ad vires animi virtutibus ornatas, reclinatorium ad cor, & apicem mentis, ascensus vero ad corpus referri possunt. *Columnas*, inquit, *fecit argenteas*. Non dicit quot: sed forte septem, de quibus alibi inquit: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem*, nam cum Apostolos, Pastores, & Doctores suæ Ecclesiæ vellet facere columnas, decreuit etiam eis conferre gratias, per quas essent columnæ fortes & potentes ad fulciendum illam, impartiens eis septem dona Spiritus sancti quæ Isaias commemorat. Quæ cum in gradu heroïco habentur, columnæ sunt animæ, quæ eam fulciunt; & argenteæ quia eam candidam & puram reddunt, & ad ea quæ Dei sunt annuncianda etiam expeditam, maxime cùm perficiũtur septem gratiis gratis datis, quæ in ministerium docendi & prædicandi destinantur, vt ex Apostolo supra retulimus. Propter quas dicitur, *Argentum electum*
Prou. 10. v. 20. *labia iusti*. Sed insuper septem columnæ sunt septem præcipuæ virtutes, quæ Cardinales, & Theologales vocantur; quibus simul vnitis nihil fortius, nihil pulchrius, & splendidius inueniri potest, & vtilius nihil est in vita hominibus. Sed repetit Salomon verbum *fecit*, vt intelligamus neminem sanctorum ex se fuisse argenteam columnam, sed à Deo factum esse, qui prædictas gratias tribuit, dans linguam eruditam, & verbum Euangelizantibus virtute multa; præbensque fortitudinem, vt nullis persecutionibus mundi, aut tentationibus diaboli à loco suo dimoueri valeant; nec loquendi libertatem admittant, instar Apostolorum, qui persecutoribus audacter responderunt: *Si iustum est*
Act. 4. v. 19 *in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, iudicate. Non enim possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.*

Isai. 11. v 1.
Sap. 8 v 7.
Ps. 67. v. 12.

Sed quamuis Dei sit has efficere columnas,

homini etiam incumbit cooperari Deo, vincendo A ignauiam, & torporem, ad virtutem fortem, & robustam aspirando; quam ipse Deus præbebit illi secundùm illud Christi Domini promissum: *Qui* Apoc.3.v. 12. *vicerit faciam eum columnam in templo Dei mei, &* Ibidem. Et D. Gregor. lib.17. moral. c.17. *foras non egredietur amplius*, quod Beda, D. Anselmus, D. Thomas, Ricardus, & alij cum D. Gregorio de columnis Ecclesiæ militantis interpretantur. Quisquis (inquit Gregorius) in Dei opere recta intentione firmatur, columna in structura fabricæ spiritalis erigitur, vt in hoc templo, quod est Ecclesia, positus, & vtilitati sit, & decori. Promittit igitur Christus Dominus ei, qui se vincere satagit, effecturum eum columnam Ecclesiæ, eleuando illum ad Apostolicam perfectionem robustam, & constantem, ita vt foras non egrediatur amplius, sed facile possit in munere suo immobilis perseuerare instar columnæ, quæ à loco templi non B dimouetur, quamuis etiam verum sit pro arbitrij libertate posse deficere: nam ideo dicitur apud Iob.26.v.11. Iob: *Columnæ cæli cõtremiscunt, & pauent ad nutum eius*, quia inscrutabilia sunt Dei iudicia. Sed tremor, & pauor iste eos firmiores reddit, eo quod, Eccles.34. v.19. *Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani: deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam & benedictionem.* Vbi duodecim bona recensetur quæ Deus confert timentibus eum, Duodecim bona quæ dantur timentibus Deum. vt eos stabiles in suo obsequio columnas faciat. Et Prou. 15. v. 28. præterea sicut columna firmitatem sortitur à propria materia, & ab onere quod sustinet, atque ex eo Isai. 11. v.1. quod ad amussim sit erecta; ita firmitas iusti ex virtutibus procedit, & ex onere legis ac perfectionis Euangelicæ, quod sustinet, ac tandem ex rectitudine intentionis in operibus suis, non declinando in dextrum vel sinistrum latus. Tunc autem rectè vocatur columna argentea valde expolita, & idonea ad Dei verbum prædicandum, quia iuxta sententiam Salomonis, *Aurum & multitudo gemmarum,* Prou. 20. v. 15. *& vas pretiosum labia scientiæ*, id est, labia viri sapientis & sancti sunt velut vas pretiosum, auro & gemmis ornatum, multis videlicet plena sententiis, vtilibus & iucundis.

Doctrinam & virtutes iungendas esse contemplationi. §. 3.

1. COLVMNIS adiunxit Salomon, *reclinatorium aureum*, quod est studium contemplationis D diuina sapientia & dilectione fulgens, seu ipsum cor & pars animæ superior, quæ mens dicitur, Dei contemplationi dedita, vt in eo aliquantulum requiescat, spe ad æternam requiem aspirans, conuersationem habens in cælis, vbi est beatorum consummata requies. Quæ omnia valde necessaria sunt doctoribus, qui ferculum Christi sunt, vt simul in eis liberter requiescat, & ad alios deferatur. Nam contemplatio sanctorũ non illis solis prodest, sed etiam proximis, quos contemplata docent: Reclinatorium aureum (inquit D. Gregorius) Deus In hunc locum. » fecit, quia dum in corde perfectorum resplenduit, » eis diuinitatis suæ potentiam per contẽplationem » ostendit, in qua contemplatione dum eis pulchri- » tudinem cælestium gaudiorum monstrauit, quasi » reclinatorium ex auro eis composuit; quia locum » in quo se refocillantes requiescant, appositi; & au- Prou. 8. » reum dicitur, quia melior est sapientia cunctis v. 11. » opibus, & omnia quæ desiderantur ei non valent » comparari: sic ille. Hoc reclinatorium accepit Paulus, cum raptus est vsque ad tertium cælum, & 2. Cor. 12. vsque ad paradisum, vbi audiuit arcana verba, & v. 2. recondita mysteria, quæ doctorem gentium scire oportebat vt eas doceret, & vt sapientiam, sicut 1. Cor. 2. v. 6 ipse inquit, loqueretur inter perfectos, *Non sapientiam huius sæculi, sed Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram, & reuelauit nobis per spiritum suum.*

Hinc deducere licet contemplationem sanctorum, qui alios docent, ex triplici capite vocari reclinatorium aureum: Primò quia per illam ipse Deus requiescit in corde illorum; deinde quia ipsi etiam requiescunt & refocillantur, vireque refumunt ad docendum: & tertio quia etiam fideles, quos docent, requiem in illis inueniunt. Quod sic explicat D. Gregorius; est cum columnis argenteis reclinatorium aureum, quia per hoc, quod à sanctis prædicatoribus lucidè dicitur, mentes audientium fulgorem charitatis intimæ, in qua reclinentur, inueniunt; per hoc enim quod luculentè, & aperte audiunt, in illud quod clarescit in corde, requiescunt, & per lucem sermonis inuenitur apud animum claritas quietis.

2. *Contemplatio cur dicatur reclinatorium.*

Hom. 15 in Ezech.

Vnde etiam est, quod sicut ferculum sedili & reclinatorio carens, molestum esset ei, qui vehitur, cùm stans vehendus esset, nec haberet vbi corpus, & dorsum reclinaret, & quiesceret; ita qui prædicationi verbi diuini incumbunt, si studio contemplationis non vacant, requiem plenam non inuenient, nec Christus in illis plene requiescet; quoniam opus eorum interno gustu & affectu destitutum, insipidum erit Deo, & molestum spiritui. Cælestis enim sapientia, quæ in oratione & contemplatione percipitur, sapidum reddit & suauem laborem docendi, & lucrandi proximos: propter Mat. 5. v. 13. quod Apostoli simul vocati sunt sal terræ, & lumen mundi, spiritalem saporem & lucem aliis impertiẽtes, sed quomodo impertient, nisi vtrumque in se habuerint.

Coniungant igitur Ecclesiæ Doctores in suo ferculo aurum, & argentum, contemplationem, & prædicationem, amorem, & doctrinam: simul sint columnæ & reclinatorium, vt alios fulciant, & ipsi quiescant: simul sint ferculum & vehiculum Christi, & sedile ac lectus ipsius. Omnia enim tempus habent, tempus est tacendi, vacandique Deo, tempus etiam loquendi, & docendi alios. Vt autem inquit Salomon, *Mala aurea in lectis argenteis,* Prou. 25. v. *qui loquitur verbum in tempore suo*, nam fructus af- 11. fert veræ dilectionis, & requiem præstat audientibus, ac doctrinę fulgorem, qui mentem reficiat, delectet, illuminet, & pacatam reddat: qui autem ita Matth. 5. v. fecerit, & docuerit, proculdubiò magnus vocabi- 19. tur in regno cælorum.

Per patientiam & mortificationem fieri ascensum ad hanc perfectionem. §. 4.

SED ad hæc quis idoneus. Qui habuerit quod 1. sequentia verba indicant: *Fecit ascensum pur-* De carmes. *pureum*, id est, locus per quem ascendebatur erat purpureis tapetibus, aut carmesinis holosericis instratus; quia nemo peruenire potest ad hoc, vt sit Christi ferculum in quo ipse quiescat, nisi per ascensum purpureum, & per varias afflictiones, & tribulationes, vel sponte acceptas, ad mortificationem carnis, vel ab aliis illatas, patienter eas tolerando; siquidem, *Omnes qui piè viuere volunt in* 2. ad Tim. *Christo, persecutiones patiuntur*: sed multò gra- 3. v. 12.

uiores & molestiores, qui eum ad alios deferunt: A contra quos infernus & mundus, omnesque vtriusque potestates insurgunt: sicut de Saulo testatur Dominus dicens, *Ego ostendam illi quanta* Act 9. v. 13. *oporteat eum pro nomine meo pati*; ac si diceret, quia elegi eum in ferculum, vt portet Euangelium meum per vniuersum orbem, ego faciam illi ascensum purpureum innumeris tribulationibus excultum: quot autem, & quam magnæ fuerint, 2. Cor 11. v. ipse Apostolus narrat, cum ait: *Ministri Chri-* 23. *sti sunt (vt minus sapiens dico) plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter*; aliaque innumera recenset quæ passus est. Suoque exemplo alios ad idem exhortatur dicens: *In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, &c.* Vtrobique autem tribulationibus & doloribus ab aliis inflictis iungit ieiunia, vigilias, & alias afflictiones sponte assumptas ad impetrandum diuinum auxilium, vt aliis B prodesset, & sibi non abesset, castigans corpus suum; ne dum aliis prædicat, ipse reprobus fiat.

2. Iac. 1. v. 4. Merito autem patientia & tolerantia huiusmodi comparatur purpuræ qua olim reges, & magistratus induebantur, quoniam patientia opus perfectum habet, animum præbet regium, & præcelsum, suique ipsius & omnium Dominum facit, & Christo crucifixo valde similem, à cuius sanguine (vt notat Beda) ascensus vocatur purpureus, quia per sacramentum passionis Christi & imitationem illius fit omnis ascensus in Euangelicam perfectionem. Qua etiam de causa de Cant. 7. v. 5. De hoc in l. 9. Exh. 16. sponsa dicitur infra: *Coma capitis tui sicut purpura regis*, quoniam mentis cogitationes & affectus sunt velut purpura regis Christi ad illius passionem, & patientiam imitandam anhelantes: & C Lucæ 24. v. 26. sicut ille per hanc purpuram nomen Regis promeruit, quod in titulo crucis est appositum: *Nam oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*: ita per patientiam, & imitationem passionis Christi regiam ipsius obtinemus dignitatem. Quare non displicet, quod nomen *ascensus*, hic etiam integumentum significet, quod super columnas ascendebat, & ferculum desuper operiebat, quasi cælum, nam tam illustris pars ferculi non videbatur prætermittenda. Dei autem instinctu interpres ambiguo vsus est vocabulo, vt per purpuram, vtramque patientiæ præcellentiam designaret; quæ simul via est ad summam perfectionem, vertex illius & conseruatio, nam ea sublata Serm. de bono patientiæ. corruet. Charitas (inquit D. Cyprianus) fraternitatis vinculum est, fundamentum pacis, opera & D » martyria præcedet, ac nobiscum semper in regnis » cælestibus permanebit, tolle illi patientiam, & » desolata non durat. Tolle sustinendi tolerandique » substantiam, & nullis radicibus ac viribus perse- » uerat. Ideoque Apostolus ait, [a] *Charitas patiens* a 1. Cor. » *est*: & Saluator, [b] *in patientia vestra possidebitis* 13. v. 4. » *animas vestras*. sc. vt viuant in æternum. b Lucæ 21. v. 19. »

De charitate creata, & increata, replente iustos, vt eas deferant ad alios. §. 5.

1. VLTIMVS ferculi ornatus, videlicet *media charitate constrauit propter filias Ierusalem*, de triplici charitate potest intelligi iuxta supradicta: vel iuxta phrasim scripturæ,, quæ abstractum sæpe ponit pro concreto, sumendo eam pro rebus charis, & plurimi habitis, nimirum gemmis, & lapidibus pretiosis, qui symbolum sunt ignearum, & splendentium virtutum: aut pro ipsa virtute charitatis, quæ super omnia eminet; aut pro ipso Deo, & Christo, qui charitas est. His tribus modis insignes iusti, & Præsules charitate constrata habent omnia sua media, id est, omnem animæ capacitatem, omnes eius sinus, & cuncta quæ intra corpus sunt Dei capacia, multo felicius, quam primus Angelus, de quo dixit Ezechiel: *Omnis lapis pre-* Ezech. 28. *tiosus operimentum tuum, & in medio lapidum igni-* v. 13. *torum ambulasti*: sed multo fulgentius, & ardentius ornantur ipsa virtute charitatis, cui quadrat significatio vocis Hebreæ *Ratsuph*, pro carbone ignito, vel lapide pretioso splendenti vt carbunculo, quoniam non tantùm ipsa splendet, & ardet præaliis virtutibus, sed eis etiam splendorem tribuit, & ardorem, quo carerent, si charitas abest, iuxta illud: *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam,* 1. Cor. 13. v. 3 *charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ardebit quidem corpus, sed non ardebit animus; quin potius frigidus manet & gelidus. Propter quod etiam media ferculi dicuntur constrata charitate, ad insinuandum quod Apostolus ait: *Omnia* 1. Cor. 16. v. *vestra in charitate fiant*, media enim vocantur cun- 14. cta studiosa opera, quibus peruenitur in vitam æternam, & media sunt ad consequendum illam. Quæ nisi charitate consternantur, quantumcumque sint ex obiecto suo præcellentia, non erunt Cap. 12. in æterno præmio digna. Sed subtilius Ricardus de Cant. sancto Victore hoc explicat, tria operum genera insinuans, quædam omnino mala & noxia, vt vitia; quædam omnino bona & vtilia, vt actiones virtutum internæ: quædam communia, quæ bono & malo fine fieri possunt; vt comedere, bibere, ambulare. Ad quæ etiam pertinent quædam actiones externæ, quę mala, vel bona intentione fieri solent, vt ieiunia, eleemosynæ, & alia huiusmodi: & hæc (inquit) hic vocantur media, suntque charitate consternenda, vt ex amore Dei fiant: & cum charitate fraterna, ita vt alij non scãdalizentur, propter quod dixit idem D. Paulus, *Siue manducatis, siue* 1. Cor. 10. v. *bibitis, siue quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei* 31. *facite.*

Cum charitatis virtute iungitur supremum ferculi ornamentum, quod est charitas increata Deus, replens omnia media, seu viscera cuiuscumque insignis iusti & doctoris, non solum ad perfectè sanctificandum, & inflammandum illum, sed etiam *propter filias Ierusalem*, id est, vt per illum tanquam per suum instrumentum, & ministrum, charitatem transferat in alias animas, vt illas similiter sanctificet, & inflammet, omnibusque virtutibus ex- 2. Cor. 5. v. 13. ornet, Christi enim charitas eos vrget vt eam aliis communicare satagant.

2. *Quinque talenta Doctorum.* En per has quinque ferculi partes designata quinque talenta, quæ Deus Pontificibus tribuit, vt cum eis plures lucrẽtur animas, nimirum ingenuæ naturæ dotes per cedros Libani; dona scientiæ & eloquentiæ per columnas argenteas: gratia contemplationis & amoris per reclinatorium aureum; donum patientiæ & tolerantiæ per ascensum purpureum: & charitas quæ omnibus etiam infirmis se accommodat cum ardenti zelo salutis animarum, quæ media viscera replet. Mat. 25. v. 8

Quæ amplius patefient, si huius viùs ferculi ornatum cum summi Sacerdotis antiqui ornatu conferas, qui nostros præsules, & doctores repræsentabat, nam loco reclinatorij aurei erat in eius fronte lamina aurea, in qua sculptum erat *sanctum Domino*, siue *sanctitas Domini*, aut ipsum nomen Iehoua, Exod. 28. v. 36

vt Ruperto, & aliis placet, ad significandum quod A
publicè profiteri debebat nomen Domini, & sanctitatem, quæ propria est illius, vt ab omnibus coleretur, vnde subdit, *Erit autem lamina semper in fronte eius, vt placatus sit eis Dominus*: insinuans laminam portare in fronte, non solum propter se, sed etiam propter alios, vt eos Deo reddat gratos, seu Deum placatum illis. Sic igitur modo Christus
Apoc.3.v.12. & c.14.v.1. Dominus inscribit super suos dilectos nomen Dei sui, & nomen suum Iesus, quod in frõtibus portẽt, vt illud aliis manifestent; quoniam tam vita, quam prædicatio eorum nihil aliud sonat nisi Deum & Christum, vel Christum Deum & hominem, de quo gloriantur, & ideo palam in frontibus portãt. Præterea vice columnarum argenteárum gestabat
Exod.28.v. 30. in rationali inscriptum in textura ipsius *doctrinam, & veritatem*. Doctrina autem & veritas sunt quasi duæ argenteæ columnæ, quia continent cuncta Dei verba, quibus sulcitur Ecclesia, & quæ docẽda sunt & prædicanda populo, propter quod etiam in ora vestimenti plurima ferebat tintinnabula, quæ sonitum ederent, vt symbolum essent prædicationis, qua doctrinam fidei, & veritatem, quæ Christus est, hominibus nunciarent. Cui consonat quod
Apoc.5.v.12 D. Ioannes in iis, quos columnas Ecclesiæ vocat, inscribenda dicit nomina Dei Iesu, & ciuitatis cælestis, nam in his nominibus omne nostrum stat fulcimentum; & hęc prædicãda erant cunctis gentibus. Ascensus autem purpureus non incongruè denotatur per superhumerale, quod erat ex purpura, coccoque bis tincto, byssо & hyacintho, per quæ significantur quatuor virtutes, quæ potissimè ornant ferculi tegumẽtum, quod ascensus dicitur, nimirũ patiẽtia, amor Dei, & proximi, puritas animi, & intentio in cælestia erecta. Deniq; ad media constra-
Exod.28.v. 17. & 29. C ta charitate, seu lapidibus pretiosis, & ignitis allusionem habent duodecim lapides pretiosi, quos summus sacerdos gerebat in rationali super pectus, quod est quasi medium hominis, & sedes cordis; &
Tom. 4. de perfectione Christiana, tract. virtutes, quibus splendere debet sacerdos, repræsentabant, vt alibi fusius explicuimus. Erant autem in eis sculpta nomina duodecim tribuum Israel, vt sciret, cuncta hęc data sibi propter filias Ierusalem, vt earum memoriam & curam gereret, ac Deo lucrari conaretur.

Lib.1. de erudit. Theolog. ex Miscellaneorum titulo 60. Dei igitur auxilio nitens te ipsum dignum Christi ferculum facere cura, in quo cuncta supradicta
„ contineantur, quæ in epilogum sic redigit Hugo de
„ sancto Victore: ferculũ de lignis Libani esse debet
„ per puritatem, & incorruptionem veritatis: de ar-
„ gento, in præceptis & promissis: in candore argen-
„ ti munda conuersatio; in sonoritate dulcis promis- D
„ sio. Habet aurum per sapientiam cælestem, quod
„ non æruginat in æternitate, sed rubet in charitate;
„ habet purpurã, quando prædicat passionem, ascen-
„ sum ad glorificationem, in medio charitas sternitur
„ propter filias Ierusalem, quæ teneris, & infirmis
„ proposita est ad obtinẽdam salutem. Quis tam
„ tener vt amare non possit? nam si cætera non potes,
„ amare tamen potes, vt ad ferculum Salomonis per-
„ tineas, & tandem ad vitam peruenias æternam &
„ triumphum gloriæ, quam Deus nobis præstare di-
„ gnetur. Amen.

EXHORTATIO XXX.

De quinque insignibus religiosi instituti ad salutem animarum etiam destinati; & de munere confessarij; quæ per ferculum Salomonis designantur.

Ferculum fecit, &c.

VÆ hactenus de ferculo diximus, facile applicari possunt instituto religioso, cuius duæ sunt præcipuæ partes; vna eorum, qui propriæ dumtaxat student perfectioni, & cõtemplationi, vel diuinis laudibus in choro decantandis incumbunt, quæ per lectulum Salomonis fixum designatur, de quo iam supra actum est; altera vero eorum, qui etiam proximorum saluti procurandę insistũt; cuiusmodi sunt religiones mendicantes, sicut nostra Societas IESV, & hæ ferculo Salomonis aptè In exhort. 25.§.3. assimilantur, quia Christum principem pacis in sepsis ferunt, & deferunt etiam vsque ad extrema terræ, verbo & exemplo, doctrina & vita illum hominibus annunciantes. In fabrica autem ferculi, cuncta, quæ religiosum institutum comprehendit, egregiè designantur, quæ breuiter percurremus, quia sæpius de eis sermonem fecimus.

Christum per fundatorem à se electum, erigere religiones. §. 1.

ET imprimis, *Ferculum fecit Rex Salomon.* Quia ipse Christus instituit religionis statum, & cuncta quæ ad eius substantiam pertinent. Nam quamuis ad singulas religiones erigendas singulos constituerit fundatores, socios vnicuique aptos adiungens; tamen ipse illis inspirauit, & docuit viuendi formam, & institutum, quod non ex humano consilio, sed ex Spiritus sancti illustratione posset prouenire. Quemadmodum enim volens Deus arcam fœderis construerẽ, quæ propitiatorij esset vehiculum, idoneos elegit artifices: *Ecce* (inquit) Exod.31 v. 2. *Vocaui ex nomine Beseleel filium Vri, filij Hur, de tribu Iuda, & impleui eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest, ex auro & argento, &c. dedique ei socium Ooliab filium Achisamech de tribu Dan; & in corde omnis eruditi posui sapientiam, vt faciant cuncta quæ præcepi tibi.* Vbi tres artificum ordines designat; præcipuum architectum, ex nobiliori tribu Iuda, vnde oriundus erat Messias: socium ex fere infima tribu Dan; ne acceptor videretur personarum; & alios plures artifices ex omnibus aliis tribubus. Primum impleuit diuino spiritu & omni sapientia ad omne genus operis: vt ipse architectaretur arcam; socio verò, & reliquis tantam infudit scientiam, quanta vnicuique ad suum munus recte obeundum satis erat, sic etiam cum religionem erigit, dignissimum eligit fundatorem, & sapientissimum sui ferculi architectum: & multoties ex nobili prosapia, quamuis non contemnat minus nobilem; replet tamen illum Spiritu sancto, sapientia & gratia, scientia, fortitudine, & industria ad excogitandum, & opere exequendum vniuersa, quæ ad suum pertinent institutum;

in quo

in quo reliquos socios, & alumnos superat; quibus A
tamen Deus præbet iuxta propriam vniuscuiusq; vocationem quidquid ad digne exequendum munus sibi iniunctum opus fuerit, & quia cuncta hæc dona à Christo Domino procedunt, ideo ipse ferculum istud fecisse dicitur.

2. Fecit autem de lignis Libani, quoniam ex monte Libano, qui est Ecclesia sacro Baptismate dealbata, vocat & eligit insignes viros ad religionem saltem in principio stabiliendum, qui velut Libani cedri, sint sublimes, fortes & imputribiles, & fragrantes, sublimes animo. Vt cuncta temporalia magnanimiter contemnentes solum anhelent ad cælestia; fortes, vt labores ferant, & vincant hostes, contra ipsos acriter militantes; incorrupti per immaculatam vitam, quæ non tantum omnem labem, sed imperfectionem contra regulam omnino fugiat; fragrantes denique per exemplarem vitam, qua tanquã bonus Christi odor alios ad sui sequelam trahant: trahunt autem plures, quia ipse Chri- B
stus autor ferculi ex eodem monte Libano paruas eligit cedros: id est, magnæ spei iuuenes, qui per exercitia religiosa ad sublimem, fortem, incorruptam & fragrantem perueniant sanctitatem.

Ne autem animum despondeãt, asserit ferculum fecisse *sibi*; vt nouerint religiosi vocatos esse, non vt sibi ipsis viuant, nec mundo, cui mortui esse debent, sed ei, qui elegit illos, eius gloriam & beneplacitum iugiter in omnibus quærentes. Vnde magnam concipiant fiduciam, quod nec ferculum deficiet, nec ipsis vires deerunt, vt partes suas agant. Potens enim est, qui hoc insigne opus cæpit, & fecit sibi indemne seruare, atque perficere, cuncta ingenue præstans quæ ad id maxime conducunt: quod ferculi ornatus apposite declarat.

Quinque insignia Religiosæ perfectionis in hoc ferculo designari. §. 2. C

ETenim quinque potissime commendant huiusmodi regulare institutum, quæ eius professores ad summam euehunt sanctitatis perfectionem, à quibus etiam illius stabilitas & felix pendet prosperitas, vt Pater noster Sanctus Ignatius testatus est; nimirum obseruantia votorum, studium orationis & contemplationis erga Deum; P.10.c.i. exercitium iugis abnegationis erga seipsum; vnio & charitas fraterna inter domesticos; & tandem zelus sincerus salutis animarum erga omnes proximos. Hæc autem quinque religionis insignia per totidem ferculum ornantia designantur.

1. *Vota Religionis.* *Columnæ argenteæ* sunt tria vota substantialia, vel si quæ alia superadduntur ad eorum complementum; sicut societas nostra addit quartum obe- D
dientię summo Põtifici circa missiones inter fideles vel infideles, & alia tria minora, quæ sunt veluti septem eius columnæ. Regulæ autem, quæ votorum obseruantiam amplius declarant, & muniunt, ad sculpturam & ornatum pertinẽt columnarum, quibus fulcitur religio, nititur institutum, & ministeria eius. Dicuntur autem argenteæ, tum quia à Christi Verbis omnem suam fortitudinem habent, & decorem: tum vero quia magnum præ se ferunt candorem, & splendorem, dum vitiorum rũbiginem à corde expellunt, sicut scriptum est,
Prou.25.v. 4. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.* Quia autem ex Dei gratia pendet non tantum vota emittere, sed etiam obseruare; ideo de ipso dicit: *Columnas fecit argenteas*, non liberi nostri arbitrij industriam excludens, sed diuinæ gratiæ efficaciam commendans: qua ratione per Eze-

chielem ait, *Faciam vt in præceptis meis ambuletis* Ezech.36. v.27. *& iudicia mea custodiatis & operemini.*

2. *Studium orationis & contemplationis.* Ad firmitudinem columnarum, & ornatum ferculi maxime conducit *reclinatorium aureum*, quod est orationis & meditationis, seu contemplationis studium à Dei amore, quod per aurum significatur, procedens, in quo religiosi à laboribus & defatigationibus quiescunt, & promisso sibi præmio fruuntur. Peculiare enim eorum reclinatorium aureum, est duplex illud bonum, quod Christus Matth. 19. v.29. Dominus relinquentibus omnia promisit: centu- Marc.10.v. 29. plum videlicet, in hoc tempore, & postea vitam Luc.18.v. æternam; quoniam in spiritali gustu illius boni, 30. quod per centuplum significatur, & omnem carnis voluptatem incomparabiliter excedit, atque in spe vitæ æternæ sibi speciali titulo promissæ, reclinantur & quietem capiunt; quod teste Climaco in Scala 18. oratione sæpius contingit, vbi Dominus eos visitat, & gaudium illud confert, quod nemo tollet ab eis. Datur enim centuplum, vt ait D. Marcus, *Cum persecutionibus*, quia tribulationibus non mi- Ioa.6. v.22 nuitur, sed roboratur & augetur. Abeat sæcularium reclinatorium in suorum temporalium bonorum pacifica possessione; quia luteum est, vile, & fragile, sicut baculus arundineus quod solidam requiem præstare nequit: subito enim frangitur, aut finitur vita, & perit requies, quam prębebat: sicut contigit diuiti, qui tunc repente periit, cum requiem sibi in longos annos promittebat; at re- Luc 12.v. 19. ligiosorum reclinatorium aureum est, solidum, & pretiosum, quod nulla ærugine corrumpetur, nec vnquam peribit, quia diuinæ nititur promissioni; ideoque confidenter dicunt. *In pace in idip-* Psal 4.v.9. *sum dormiam, & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.*

3. *Exercitium abnegationis.* Ad hoc autem reclinatorium perueniunt per *ascensum purpureum*, qui est perfectæ & omnimodæ propriæ abnegationis exercitium, in quo omnis ascensus & profectus spiritalis consistit, vt fuse explicatum est circa illud, *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi*, &c. vbi quinque gradus mortificationis religiosorum proprios recensuimus; quibus addamus nunc sextum, qui per antonomasiam dicitur *ascensus purpureus*. De quo Reg. 8. ex D. Basilius ait, perfecta renunciatio est, vt id assefusis. quamur, ne ad ipsius vitæ affectionem propensi si- “ mus, & si responsum mortis habeamus, vt non si- “ mus fidentes in nobismetipsis. Huiusmodi autem “2 Cor.1. renunciatio initium sumit ab alienatione rerum “v. 9. externarum, veluti à possessionibus, ab inani glo- “ ria, à viuendi consuetudine, à rerum inutiliũ amo- “ re. Hæc ille, plures gradus abnegationis referens, sed supremum esse dicit propriæ vitæ renunciationem, paratum se exhibendo, cum oportuerit, ad perdendum illam propter Christum, qui dixit, *Si* Luc. 14. v. *quis venit ad me, & non odit patrem, &c. insuper &* 26. *animam suam, non potest meus esse discipulus.* Bene autem ascensus dicitur purpureus, quia proprium sanguinem offert ad imitationem Christi: eius cupiens martyrium imitari: quod si ascensus hic vsurpetur pro tecto, quod desuper ferculũ tegit, optime quadrat huic abnegationi, quæ ex supremo gradu charitatis ascẽdit, *maiorem enim hac dilectionẽ nemo* Ioa.15.v.13. *habet, quã vt animã suam ponat quis pro amicis suis.*

4. *Charitas fraterna.* Sed ne animum despondeamus, huius religiosi ferculi, *Media charitate constrauit propter filias Ierusalem*, quia in medio eius maxime viget vnio, & charitas fraterna, vt animæ debiles ac fragiles ex hac charitatis vnione robur, & vires accipiant ad cuncta præstãda, quę institutum exigit religiosum;

L

omnes enim adiuuant vnum, & vires omnium sunt quasi vires vnius; & quod debilis per se præstare nequit, per auxilium fortioris facile exequitur; & exemplum multorum idem alacriter peragentium animum addit ad idem peragendum, iuxta illud;

Ad Galat.6. v.2. Prou.18.v. 19. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, adimplebitis, inquam, facilè & suauiter, dum alter alterum iuuat, vt onus portet, &

Matth 28. v.20. hostem aggredientem vincat. His accedit quod in medio huius ferculi adest charitas, id est ipse Christus ardens & combustus, quia in medio est eorum qui congregati sunt in nomine illius, vt eos inflammet, & mutua inter se, & erga Deum charitate ardere faciat?

5. Tandem media huius ferculi insigni & ardenti charitate constrauit, *Propter filias Ierusalem*, id est, animas fidelium omnium, quarum salutem ardenter sitiunt, & ingenti zelo per ministeria ad B id destinata curant. Sciunt enim suum institutum, & cuncta quæ commemorata sunt, ad hunc finem destinari, vt Christum filiabus Ierusalem annuncient, eisque suadeant vt fide & dilectione illi inhæreant; illa enim est ardentissima Christi dilectio, quæ magno zelo animum vrget, & omnes similiter ardere cupit & satagit; nam sic maior dilecto suo increscit gloria: qui ferculum feciſſe dicitur, *sibi* id est, ad sui gloriam mundo propalandam; ingens enim Christi gloria est plures in terra habere discipulos his quinque donis insignitos: propter quod

Religio currus triumphalis Christi. apte etiam religio ferculum Christi dicitur, vt est currus triumphalis, & pompaticus ipsius. Nam reuera in religiosis, & per illos Christus vincit mundum & conculcat cuncta pretiosa, quæ in eo

In exh.28. §.5. ad finē. sunt, de iisque triumphum ducit. In hoc autem C curru pompatico simul cum charitate defertur effigies specialis virtutis, per quam religio quæuis mundum singulariter conculcat. Quædam enim triumphant per insignem paupertatem; aliæ per promptissimam obedientiam in rebus arduis, aliæ vero per solitariam contemplationem; aliæ autem per ardentem zelum salutis animarum. Sed cum his omnibus triumphat charitas, quæ ad ea impellit: ea autem est præcellentior religio, in qua nobiliori modo vterque charitatis actus erga Deum, & proximum simul vexillum erigit.

De peculiari ministerio adiuuandi proximos, audiendo eorum confessiones. §. 3.

SED quoniam religiosi magna ex parte ferculi D munus erga fideles obeunt, dum confessiones peccatorum audiunt, de hoc ministerio nonnihil dicamus, sequentes D. Anselmi interpretationem, qui ferculum Salomonis esse dicit tribunal, aut sedem iudicum, vel iudices ipsos, in quibus & per quos Christus iudicat. Quod tamen non tam de iudicibus sæcularibus, aut Ecclesiasticis in foro externo, quam de confessariis, qui iudices sunt in foro conscientiæ, intelligendum puto: quoniam non tantum pacem externã & ciuium concordiam efficiunt, sicut illi, sed etiam pacem internam, cum ipso Deo, cui animas per peccatorum remissionem conciliant. Et ideo vere Christum ad alios deferũt, cum eum in cordibus pœnitentium per gratiam & charitatem habitare faciunt.

Huiusmodi autem ferculum fecit Salomon *sibi*, quia solus Christus potuit hoc tribunal in Ecclesia constituere, & talem potestatem Sacerdotibus impertiri, quibus dixit: *Accipite Spiritum sanctum,*

Ioan.20.v. 23. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quod D. Petro promiserat, dicens: *Tibi dabo claues regni cælorum, &c. & quodcunque ligaueris super terram, erit solutum & in cælo.* Quæ verba non tantum Matth.16. Petro dicta sunt, sed successoribus eius Pontifici- v.19. bus Romanis, à quibus hæc potestas in alios Sacerdotes deriuatur: & vnicuique proprius designatur locus, vbi eam exerceat. Merito tamen vocantur ferculum, quod mobile est, quia à Christo non habent determinatam sedem, aut locum ad iudicandum, sed moueri possunt & deferre ipsum Christum quocumque voluntas ipsius, & summi Pontificis eos destinauerit. Ibi autem non tantum in templo, sed in cubiculo, vel in agro iudicium ferre valent.

Hos autem elegit Christus, *De lignis Libani*, vt Eccl.10.v 1. iudices sint incorrupti, & fortes sicut cedri, nullo- que respectu humano à iustitia deflectant, sed virtute valeant irrumpere iniquitatem. *Columnas eos fecit argenteas*, candore vitæ, scientia, & prudentia fulgentes, vt sine errore munus obeant, & fulcire pœnitentes queant. *Reclinatorium vero aureum,* Marc 2.v.7 quoniam cum potestas eorum sit à Deo, quis enim potest dimittere peccata nisi solus Deus, aut vice Sap 12.v.18. illius? oportet eos instar Deo cum tranquillitate & pace iudicare, conscientiasque pœnitentium tranquillas & pacatas reddere, in quibus ipse Deus reclinari valeat, & quiescere. *Sed ascensum purpureum fecit*, tribuens eis feruentem zelum iustitiæ, tum in satisfactionibus iniungendis, vt Dei refarciatur iniuria, tum in vitiis increpandis, vt sequatur emendatio morum, & renouatio vitæ. *Cæterum media charitate constrauit propter filias Ierusalem*, vt rigorem iustitiæ temperent, spiritu mansuetudinis & charitatis propter infirmos, ne nimio timore perculsi desperent, & pereant; iudicium enim hoc ex charitate procedit, & in charitatem tendit, quæ peccatum expellit, & foras mittit nimium timorem, Christumque habitatorem introducit, cui sit honor & gloria in secula seculorum. Amen.

EXHORTATIO XXXI.

De excellentiis Deiparæ, vt ferculum fuit Christi, quem gestauit in vtero, & propter nos etiam sunt illi tributæ. PRO FESTIS B. MARIÆ, maximè PRO FESTO VISITATIONIS.

Ferculum fecit sibi, &c.

VM cælestis Salomon Rex regum decreuisset hominem, & infantilis etiam ætatis, fieri propter nos, statuit etiam sibi ferculum facere, in quo infantulus veheretur. Quis enim dubitat matrem quasi ferculum esse, & vehiculum filij, quem in vtero gestat? matrem ergo elegit beatissimam Virginem Mariam, quæ nouem mensibus eius esset ferculum, sed diuerso modo quam alij infantes. Qui cum puri sint homines, nec eligunt, nec faciunt ferculum suum, quin potius ab illo fiunt, & à parentibus generantur, cum antea non essent. Et præterea, cum sint rationis expertes, nesciunt vbi sint, & quò ducantur à ferculo, nec illud dirigere, aut mouere valẽt, at Christus Dominus, quia Deus est æternus, elegit & fecit suam matrem, à qua conciperetur vt homo, & quoniam tũc etiam vir erat omni sapiẽtia plenus, iuxta illud: *Nouum creauit Dominus super* Ier.31.v.22. *terram, femina circundabit virum*, ferculum matris dirigebat, & mouebat, vt eum deferret iam

Luc. I.v 39. in domum Zachariæ, quia præcursori suo & pa- A rentibus eius se volebat primum manifestare, iam in Bethleem, quia ibi nasci decreuerat.

Quomodo Christus elegit sibi matrem ex antiquis patribus ortam. §. 1.

1. HOc igitur est primum & stupendum prodigium, quod indicant hæc verba, *Ferculum fecit sibi Rex Salomon ex lignis Libani*: ipsemet Salomon, non terrenus, sed cælestis, singulare fecit sibi ferculum, matrem nimirum, in qua conciperetur, & ferretur nouem mensibus, quæ tanti Regis digna esset mater. Quam ingens autem sit hoc prodigium, ostendit vaticinium illud Psalmistæ;

Psal.86.v.5. *Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus*; quod iuxta literam de Ecclesia intelligitur, sed ratione Deiparæ potissime impletum, cuius sensus est: nunquid homo B

Nomen Sion est in datiuo casu. poterit ipsi Sion & Ecclesiæ, hominumque cœtui

Titelmanus optime. dicere, aut persuadere rem tam nouam, prodigiosam, & inauditam, nempe vt homo quidam nascatur in ea, & tamen idem ipse sit Altissimus Deus fundator illius? quatenus homo posterior est illa, siquidem in ea natus est; at quatenus Deus altissimus, prior est, & ideo potuit eam fundare. Sic

In hunc Psalm. (inquit D. Augustinus) fundauit ciuitatem in qua nasceretur; quomodo creauit matrem de qua nasceretur, sed hoc quod tam nouum, & prodigiosum apparet, nec homo homini persuadere posset, reuelabit nobis Deus; & ideo subdit Dauid: *Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum horum qui fuerint in ea*, id est Dominus manifestauit in scripturis sanctis, quæ datæ sunt Ecclesiæ ad institutionem populorum, & principum, qui deguerint in illa; ex quorum numero multi principes C Dei inspiratione eas scripserunt, vt hanc rem manifestarent. Hæc autem omnia maxime quadrant in Deiparam, quia etiam Christus Dominus dicitur natus in ea, sicut ex ea, iuxta verbum Angeli,

Mat.1.v.20 Luc.1.v.35. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*, & iterum: *quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei*, aliorum enim hominum conceptio non tam proprie vocatur natiuitas, quoniam fœtus valde imperfecte formatur, & multoties antequam nascatur perit: at conceptio Iesu potuit etiam natiuitas nuncupari, quia perfectissime efformatus est de Spiritu sancto, & certissime nasciturus

2. erat.

Mat.1.v.1. Luc.3.v.23. Sed ex quo fecit? *Ex lignis Libani*, id est, ex progenitoribus & parentibus, qui nobili celsitudine, regiaque dignitate præeminerent sicut cedri Libani: cuiusmodi sunt quos D. Matthæus & Lucas commemorant, inter quos præeminent Abraham, D & Dauid, qui dicuntur ligna, & cedri Libani, qui mons est extra sortem Israel, licet illi finitimus; ad significandum Abraham, & posteros eius præscissos fuisse à Libano, id est, vt supra diximus, à populo

Gen.12.v.1. idololatra. Eduxit enim Deus Abrahã de Vr Chaldæorum, & dixit illi, *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Quem imitatura

Ps.44.v.11. erat sponsa Messiæ, cui dictum est: *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* Hos autem cedros è Libano pretiosos dolauit, & expoliuit per circuncisionem, & reliqua sacramenta & sacrificia, legisque præcepta;

Orat. 2. de Natiuitate Deiparæ. quorum obseruantia plures ad sublimem sanctitatem euexit, inter quos sublimissimi fuerunt (vt D. Damascenus testatur) Ioachim, & Anna, dignissimi Virginis Mariæ parentes, tanquam duo pretiosissima, & candidissima ligna Libani, ex quibus cælestis Salomon hoc sibi ferculum fecit.

3. Sed cum diuersa sint Libani ligna, id est, Christi progenitores, quos referunt Matthæus & Lucas, ille per Salomonem, hic per Natham duos filios Dauidis, crediderim B. Virginem, & consequenter filium eius ab ea sine viri opera genitum, per lineam paternam fuisse ex progenie Dauid per Natham iuxta D. Lucæ genealogiam, quæ secundum multos Doctores tota est de Virgine, nam cum dicit Iesus, *Vt putabatur filius Ioseph qui fuit Heli*, relatiuum *qui* non refert Ioseph, sed Heli, qui est idem cum Ioachim Virginis patre. Aut si refert Ioseph, cuius pater legalis fuit Heli, & proauus Leui, iste tamen Leui teste D. Damasceno, præter Mathat relatum à D. Luca, habuit alium filium, cuius nepos fuit Ioachim pater Deiparæ. Negãdum tamen non est, vt optime D. Thomas cum aliis patribus affirmat, B. Virginem per aliquam lineam maternam, vel alio modo originem etiam duxisse ex Salomone, & regibus Iuda, quoniam ex illis insinuat scriptura nasciturum Messiam. Ideoque D. Matthæus hanc præcipue texit Genealogiam vsque ad Iacob patrem naturalem Ioseph, vt propaleret Christum esse filium Dauid. Deipara enim, quæ vnica filia fuit patris sui, & in hæreditatem succedebat paternam, nubere non potuit nisi viro eiusdem tribus & familiæ, sed, vt stupenda Dei iudicia timeamus & horreamus peccata, addẽdum est propter enormia Nota. scelera Iechoniæ, & aliorum regum Iuda, factum Isa.9.v 7. esse, vt genitrix Messiæ (qui vt Isaias prædixit, & Luc.1.v.32. Gabriel Angelus confirmauit, sessurus erat perpetuo super sedem, & solium Dauid patris sui) secundum paternam lineam, quæ nobilior est quam materna, non desedẽderet ex illis, & iuxta hunc sensum intelligendum puto vaticinium Ieremiæ, in quo de Iechonia dicitur, *Non erit de semine eius vir* Ier.22.v.30 *qui sedeat super solium Dauid.* Habuit quidem filios, sed ex illis per lineam paternam non est ortus vir vllus, qui regnum Dauid temporale obtineret; nec Christus, qui obtinuit spiritale: imò ideo noluit ex eo nasci per paternam lineam, vt indicaret non venisse ad sedẽdum super sedem regiam temporalem Dauid, sicut alij reges, quin potius eam respuit, vitam ad nostram institutionem eligens pauperri- Lib 3.c.10. mam. Quid vero hinc deducat D. Irenæus, in sequenti exhortatione dicetur.

Qualem matrem fecerit sibi Christus. §. 2.

HInc facile est deducere qualem diuinũ Verbum eligerit matrem, quamque pretiosum fecerit hoc ferculum, & lectulum istũ gestatorium; quis enim filius si posset matrem eligere non eam omnium nobilissimam omnibusque numeris consummatam faceret? quoniam nobilitas parentũ in filios deriuatur iuxta illud, *Gloria filiorum patres eorũ, & gloria hominis ex honore patris sui.* Sicut igitur Dei filius patrem habebat in cælis æternum, & Prou. 17.v. infinitũ, quo nullus maior nec melior esse, nec co- 16. gitari potest; ita decreuit matrem facere in terris Eccl.3.v.13. tantæ sanctitatis, & gratiæ decore præstantem, vt Vide lib. 1. nulla inter puras creaturas ei posset compararii exh. 11. §.2. quare nullam aliis contulit excellentiam, quam eminentiori modo non contulerit matri, vt omnibus gratiis, quarum iuxta suum statum capax erat, inueniretur plena, & superplena. Has autem in huius ferculi ornatu egregiè depingit.

Columnas (inquit) eius fecit argenteas. Duas 1. quidem in ea posuit columnas omni argento pu-

riores, candidiores, & splendidiores, nimirũ omnimodam innocentiam, purissimamque corporis & mentis virginitatem, atque summam sapientiam & rerum cælestium ac diuinarum scripturarum intelligentiam. Vtrasque autem tanta semper fortitudine ac firmitate retinuit, vt vsque ad mortem nihil passiæ sint detrimenti, sed potius mirabile acceperint incrementum. Fecit idem Salomon duas ex ære insignes columnas, easque in porticu templi collocauit, quarum capitella erant in modum lilij, cum plurimis malo-granatis in circuitu eorũ: quas non immerito dixeris repræsentare perfectissimam sanctitatem, & sapientiam, quæ columnæ sunt, & firmamentum cuiusque piæ animæ, sed in Deipara fuerunt argenteæ, pulcherrimæ, & eminentissimæ, à Christo Domino in materno ferculo collocatæ; quia non decebat matrem eius aliqua labe fuisse vnquam infectam, sed semper sanctam, puram, & immaculatam in anima, & virginem intactam in corpore: Virginem autem non fatuam, sed prudentem, & sapientem sapientia, quæ de cælo est. Vnde tantum his columnis profecit, vt capita earum innumeris malo-granatis, id est, plurimis sanctis operibus charitate fulgentibus essent ornata. Erat autem opus totum in modum lilij, quia quidquid in Virgine fuit, redolebat virginitatem, candorem, pulchritudinem & fragrantiam, magnamque pariebat admirationem. Denique credibile est illas columnas, quæ nullum templi ædificium sustinebant, à Salomone erectas fuisse tanquam trophæa Deo victori, in signum victoriarum, quas reportauit, educendo populum Israeliticum ex Ægypto, submersis eorum hostibus in mare rubrum, & introducendo eum in terram promissionis, deiectis inimicis, qui occupabant eam. Nec hoc à proposita dissidet similitudine ferculi; quod etiam significare diximus currum, in quo victores triumphum agebant. Deipara autem præcipuus fuit currus triumphalis Christi; & gratiæ ipsius, in quo nouas & præclaras gratiæ reportauit victorias, aliasque plurimas reportaturus erat. Propter quod has in ea erexit columnas, in signũ quod iam inchoabat triumphum agere de peccato, & ignorantia; nec possibile erat victoriam eius impediri.

De innocentia & integritate animæ & corporis atque sapientia Deiparæ.

De hoc in lib. 1 exhor. 21.

3. Reg. 7. v. 15. & 21.

2. Fecit prætereà in hoc ferculo, *Reclinatorium aureum*, quod si ad Christum infantulum referas, vterus fuit virgineus, qui paulò ante lectulus Salomonis vocatus est, in quo nouem mensibus reclinatus quieuit. *Nam qui creauit me* (inquit illa) *requieuit in tabernaculo meo.* Aureum autem dicitur propter eius eximium splendorem, & incorruptionem, quam non amisit, sed auxit, ex eo quod filiũ, cuius *caput est aurum optimum*, concepit, ab auro enim diuinitatis filij deaurata est amplius dignitas matris. Post Natiuitatem quidem asseruit de se Christus, *Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet*, eo quod pauperem elegit vitam, & rerum temporalium dominium respuit; at ante natiuitatem reclinatorium habere voluit: quoniam ad abnegationem carnis pertinebat tot mensibus in angustissimo vtero contineri, vbi interim eius quiescebat spiritus, dum cælestibus rebus intentus redemptionis opus patri commendabat, & quasi ad illud feliciter inchoandum se disponebat. Quod si reclinatorium istud ad Christum vt Deum referas, virgineum fuit cor, tranquillum omnino, & diuinæ contemplationi iugiter sine vllo obstaculo vacans. In cæteris humanis reclinatoriis semper est aliquid quietem perturbans. Nimirum, aut culpa aliqua mordens, aut nonnulla cura pungens, aut sensus aliquo egens, aut phantasiæ cogitatio vagans, & omnia hæc procul omnino erant à reclinatorio virgineo; & ideo semper vsque ad mortem Deus gaudenter requiescebat in illo: aureum autem dicitur propter sapientiam mysticam, & amorem, quo præcellentissime refulgebat; nam sicut arca fœderis, super quam requiescebat propitiatorium, vt illi assimilaretur, quia totum erat aureum, deaurata etiam erat foris & intus auro mundissimo; sic hoc viuum Christi propitiatoris nostri reclinatorium mente, & corpore deauratum fuit, vt quidquid interius in spiritu, & exterius in corpore appareret, mundissimo auro charitatis & sapientiæ deauratum fulgeret.

Exod. 25. v. 11.

Ecclesi. 24. v. 12.

Mat. 8. v. 20 Luc. 9. v. 58.

Fecit autem *ascensum purpureum*, quoniam eam ad magnas tribulationes perferendas præparauit: oportebat enim matrem ad filij sui imitationem, qui sanguinem suum pro nobis fusurus erat, per omnes patientiæ gradus ascendere, iuxta illud Simeonis, *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Vix Christi reclinatorium fuit, cum sponsus eius sanctus Ioseph ignorans quis in eius vtero reclinabatur, voluit eam dimittere, quia forte existimabat adulteram. Vix Christum edidit, cum compulsa est noctu in Ægyptum fugere, & continuo vsque ad crucem opprobria exprobrantium filio acciderunt super matrem quæ cum illo totum sanguinem libentissime profunderet, si id sibi permissum esset; ideoque merito comæ eius, id est cogitationes, & affectus dicuntur, *Sicut purpura Regis vincta canalibus*, id est, similes Regi Christo, cum vinctus erat cruci, & per suas venas tanquam per canales, suum purpureum sanguinem profundebat; quem gestiebat imitari. Vtinam nos matrem & filium imitemur, ascensiones in corde nostro disponentes, non quascumque sed purpureas, quæ nos Regi Christo facient similiores.

3.

Luc. 2. v. 35

Deiparam factam esse ferculum Christi propter nos. §. 3.

SED audi vltimum ac iucundum huius ferculi ornamentum cætera complectens; *Media charitate constrauit propter filias Ierusalem*: omitto expositiones in præcedenti exhortatione appositas, quæ in virginem maxime quadrant. Charitas enim omnia eius media, & viscera repleuit, non mobiliter, sicut in pluribus iustis, quos aliquando deserit, quia ab illis deseritur; sed immobiliter, sicut scriptum est, *In medio eius non commouebit ur*, quoniam meum, quod semel repleuit, nunquam deseret: solum ergo perpendamus, quomodo Rex noster pacificus, qui charitas est, & charitate ardens, in medio est huius ferculi, id est, in vtero virgineo, in quo homo factus est, & eximiam erga homines charitatem suam ostendit. In hoc medio cepit munus redemptoris obire, & voluntate, qua se obtulit patri, mundi sanctificationem promeruit. Christus (inquit D. Bernardus) ibi primum medicinam apposuit, vbi primus vulneri patebat locus, & substantialiter vtero virginis illapsus de Spiritu sancto conceptus est, vt conceptionem mundaret, quam spiritus malus si non fecerat, tamen infecerat; vt non esset etiam in vtero vita ipsius otiosa. Dum nouem mensibus purgat vulnus antiquum, & tunc iam operabatur salutem nostram in medio terræ, in vtero videlicet Virginis Mariæ, qui mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam omnes respiciunt, &c. Et

Psal. 45. v. 5.

1.

« Serm. 2. de Pentecost.

« Psal. 73. v. 12.

» paulò infra Virgini loquens ait, in te enim Angeli
» lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi omnis creaturæ, quia in te, & per te, & de te manus
» omnipotentis quidquid creauerat, recreauit. Hæc
» Bernardus.

2. » Sed pleniùs quamuis breuius cuncta hæc Salomon ipse expressit, dum ait, *Propter filias Ierusalem.* Ac si diceret, non solũ Christus hoc ferculum sibi fecit, & tam mirabiliter ornauit propter se, sed etiam propter filias Ierusalem, tam terrenæ quam cælestis, vt omnes in charitatem, quæ medium illius occupat, respicerent, indeque magnum emolumentum reciperent; sed maxime propter filias Ierusalem terrenæ quæ est Ecclesia militans, Deipara hanc sortita est dignitatem. Propter nos ô Virgo beata, facta es ferculum Christi, sicut ipse propter nos in te factus est homo: propter nos dedit tibi columnas argenteas, fecit reclinatorium aureum, & ascensum purpureum; propter nos lapidibus pretiosissimis omnium virtutum te constrauit, & ipsa charitas increata requieuit in vtero tuo, vt ex plenitudine donorum tuorum nos etiam ditares; omnia denique tua media summa charitate constrauit, vt ipse mediator Dei & hominum ad seipsum te nostram faceret mediatricem. Opus (inquit Bernardus) erat mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis vtilior quam Maria.

Serm. de verbis Apocalypsis, *Ecce signum magnum.*

» Hæc omnibus omnia facta est, sapientibus, & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit; omnibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angeli lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filij persona carnis humanæ substantiam, vt non sit qui se abscondat à calore eius.

Gaudeamus igitur, & gratias agamus Deo, qui talem nobis mediatricem benignissima miseratione prouidet, taleque sibi propter filias Ierusalem elegit ferculum, quod eum celeriter deferret ad fidelium animas, vt sanctificaret illas, introducens eum, quem tenuit, vt supra diximus, in domum matris suæ, vt filias eius sua præsentia charitate inflammaret, in cuius signum mox eùm detulit, vt suum Spiritu sancto repleret præcursorem: & præterea, vt filiæ Ierusalem, animæ nimirum fragiles & infirmæ, quæ ad Christum Deum & hominem, & omnium iudicem timerent accedere, confidenter (vt inquit D. Anselmus) ad matrem confugerent, & per illam admitterentur in conspectum filij, à quo precibus matris suæ misericordiam impetrarent, & gratiam.

Exhort. 9. §. 5. & 6. Luc. 1. v. 39.

Lib. de excellentia Virg. c. 6.

Tandem facta est propter filias Ierusalem ferculum Christi, vt ab ornatu illius omnes ediscerent quomodo se ornare deberent, vt ipsum etiam Christum in se digne ferre valerent. Cuncta enim quæ de ipsa retulimus, exempla sunt sanctitatis, quæ filiabus Ecclesiæ imitanda proponuntur. Hinc (ait D. Ambrosius) sumatis licet exempla viuendi: vbi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Discè à Virgine columnas in te argenteas maiori, qua potueris, puritate erigere: discè intra cor tuum tranquillum Christo reclinatorium aureum præparare: discè etiam disponere in corde tuo ascẽsum purpureum per omnes patientiæ gradus, vt dignus habearis, in quo charitas, qui Christus est, libenter quiescat in secula seculorum. Amen.

Lib. 2. de Virginibus.

» »

EXHORTATIO XXXII.

De præcellentissimo ferculo Verbi diuini, quod est eius humanitas immensis ornata gratijs, & etiam crux, cui Christus affixus est.

PRO FESTO INCARNATIONIS.

Ferculum fecit sibi Rex Salomon, ex lignis Libani, &c.

PRÆCLARISSIMVM & ornatissimum omnium Salomonis ferculum explicare aggredimur, quando filius Dei volens à sede patris in terras descendere, vt pacem hominibus afferret, mirabile iniit consilium assumendi naturam humanam in vnitatem suæ diuinæ personæ, quam assumptionem mira hac similitudine depingit.

Christum vt Deum fecisse sibi naturam, quam assumpsit. §. 1.

FERCVLVM, inquit, *Fecit sibi Rex Salomon*, non Rex ab hominibus electus, sed Rex per naturam, & iure proprio sibi regnum vendicans; Rex ab æterno patre cuius est naturalis filius, constitutus super Sion montem sanctum eius, vt mundo prædicaret præceptum eius; regnaretque in domo Iacob in æternum. Hic, inquam, Rex Salomon princeps pacis fecit sibi ferculum quod in æternum duraret: nam quod semel assumpsit, numquam dimisit, nec in æternum dimittet: ipse fecit humanitatem anima & corpore constantem, quæ suum esset ferculum, & vehiculum per vniuersum mundum, illi conferens pacem: nam *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*: ipse fecit suum corpus, ipse creauit suam animam, ipse vtrumque diuinæ coniunxit personæ, & fecit esse vnum Christum, in hoc cæteros superans homines, qui dicere tenentur; *Ipse fecit nos & non ipsi nos*, id est, non fecimus nostrum corpus, non creamus nostras animas, quia *manus eius fecerunt nos, & plasmauerunt nos totos in circuitu.* Neti-

B

Psal. 2. v. 6.

Luc. 1. v. 32.

Isa. 9. v. 6.

2. Cor. 5. v. 19.

Psal. 99. v. 3. Iob. 10. v. 8. Luc. 1. v. 35.

D

meas Maria (ait Angelus) etsi virum non sis cognitura, nullus enim vir faciet ferculum istud, sed solus ipse Salomon: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*, virtus altissimi est altissimi filius, qui vnus Deus est cum Spiritu sancto, ipse operabitur conceptionem istam, & ex te faciet ferculum sibi.

Et hoc est quod ait, *Ex lignis Libani*; non creauit illud ex nihilo, licet posset facere, nec de limo terræ formauit corpus, sicut formauerat corpus primi Adam terreni, qui puluis erat; & in puluerem ob peccatum reuertendus: sed fecit de lignis Libani, id est, de purissimis sanguinibus Virginis ipsa niue candidioribus, qui cedris Libani corruptionis inexpertibus, comparantur; tum quia materiam præstabant sublimissimo corpori filij Dei, quod nunquam visurum erat corruptionem; nam etsi triduo mortuum fuerit, semper tamen sicut cedrus mansit incorruptum; tum potissime eo quod sine vlla ipsius Virginis corruptione assumpti sunt ad talis cor-

Psal. 15. v. 10.

Virginitas Mariæ.

poris efformationem, quod in nulla alia fœmina vnquam cõtigit. Vnde miro modo Virginitas Mariæ indicatur his verbis, *Ferculum fecit sibi Rex Salomon*, id est, nullus alius vir fuit huius ferculi artifex, sed ipse solus effecit in matre, & ex matre ad generationem cooperante. Fecit quidem *ex lignis Libani*, id est, ex sublimibus progenitoribus patriarchis & regibus, sicut supra de Deipara dictum est; tamen isti solum materiam carni generandæ & assumendæ à filio Dei administrarunt, ipse autem solus eam sibi fecit & assumpsit. Hoc deducit D. Irenæus ex eo quod D. Matthæus Genealogiam Saluatoris texit per Salomonem & Iechoniam vsque ad Ioseph; vt significaret (inquit) Ioseph non fuisse verum patrem naturalem Iesu, siquidem de Iechonia vaticinatum erat, non futurum de semine eius filium qui sederet super solium Dauid: quod verum non esset, si Ioseph genuisset Christum, qui sedit super solium Dauid patris sui, quod intelligendum est commode ratione posita in exhortatione præcedenti.

Mat. 1. v. 1. Lib. 3. cõtra hæreses c. 30. Card. Toletus in c. 3. Lucæ annot. 58. Ier. 22. v. 30. In §. 1. affatim de hoc.

Sed nunquid omnes isti Christi progenitores fuerunt sicut cedri Libani sublimes? profectò D. Matthæus multos refert grauissimis sceleribus infectos, quod D. Hieronymus ait diuina prouidentia factum, vt qui pro redimendis peccatoribus nascebatur, ex quibus clam peccatoribus oriretur, qui aliquo modo ad ædificium ferculi pertinere debuerunt; sicut de fabrica mystici templi, quod eius fuit etiam symbolum, inquit Isaias: *Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus simul ad ornandum locum sanctificationis tuæ, & locum pedum meorum glorificabo.* Gloria Libani vocatur Patriarchæ & Reges sanctitate sublimes; abies & cætera ligna sunt reliqui etiam peccatores, apti tamen huic ædificio, quoniam valde glorificatur Deus ex peccatoribus sine peccato gloriosam & immaculatam carnem assumendo, quos etiam cupit ad magnam gloriam sublimare.

Isa. 60. v. 13.

De gratiis, quibus ornauit naturam suam, & fulsit Ecclesiam. §. 2.

1. Sed quomodo hoc ferculum Salomon ornauit? *Columnas*, inquit, *eius fecit argenteas*, quia *vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.* Ecce columnas argenteas, plenitudo omnis gratiæ, & virtutis, atque plenitudo sapientiæ, & scientiæ Dei, cuius omnes thesauri sunt repositi in ipso. Columnæ tamen istæ non fuerunt Christo ad suum fulcimentum necessarię, sicut supra diximus de duabus templi columnis. Christus enim per diuinitatem suam impeccabilis erat; eiusque sacratissima humanitas, vt nunquam peccaret, nec deficeret, nullo alio indigebat fulcimento, quam vnione ad personam verbi: reliquæ vero gratiæ, & dona creata data sunt illi, non vt fulcirent, sed vt ornarent, & vires naturæ humanæ magis aptas & proportionatas diuinis operibus constituerent, sic etiam septem spiritus, quos Isaias illi tribuit, quos diximus septem esse columnas, quas excidit sapientia in domo quam ædificauit sibi in alijs iustis requiescunt tenentes, & sustinentes illos, ne corruant; quomodo Deus erat innixus scalæ Iacob, non sustentatus ab illa, sed potius tenens & sustinens illam: at in Christo requiescebant ad ipsius decorem tantum, vt per illos aptè operaretur quæ propria erant hominis sancti. Hinc est in aliis iustis hæc septem potius vocari dona, quoniam data gratis sunt illis, & cum

Io. 1. v. 14. Isa. 11. v. 2. *Triplex differentia inter Christum & alios iustos.* Gen. 28. v. 13.

A limitatione; at in Christo appellantur spiritus, quia sibi erant connaturalia, vt Deus & homo, & quia sine limitatione data sunt illi; *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum* filio suo, sed cum summa & infinita plenitudine. Vnde aliis dantur pro sepsis dumtaxat; at Christo Domino etiam pro omnibus data est omnis gratia tanquam capiti, vt de plenitudine eius omnes accipiant gratiam pro gratia, id est omnis generis gratiam. Et hinc etiam est has gratias obiisse vere munus columnæ, respectu Ecclesiæ, quam suffulsit opere, & sermone, sanctitate & doctrina. Dicuntur vero argenteæ ob nimium splẽdorem & septuplam purgationem, quia in eis nihil terrenum, nihil malum, aut falsum, nihil inutile aut imperfectum fuit, sed omnibus numeris absolutum.

Io. 3. v. 34. Io. 1. v. 16. Lu. 24. v. 19.

Sed altiora mysteria latent in eo, quod dicitur, *Reclinatorium aureum, ascensum purpureum*, solent Theologi distinguere in quolibet homine duas partes seu portiones, superiorem, & inferiorem, mentem seu spiritum, & carnem animam sentiente informatam. Vtramque assumpsit verbum diuinum; sed prior vocatur reclinatorium aureum, quoniam in illa maximè requiescebat, & delectabatur, & gloriosiora dona illi communicabat, nimirum visionem Dei claram, amorem & fruitionem beatificam. Fuit enim Christus secundum illam partem superiorem beatus, & summo gaudio ex Dei visione repletus, de qua intelligi potest quod sponsa ait: *Caput eius aurum optimum.* Vt suo loco dicetur.

2. Cant. 5. v. 5.

Posterior verò pars, seu portio inferior, vocatur, *Ascensus purpureus*, cooperiens ferculum: pars autem inferior operimentum erat portionis superioris, & corpus tegumentum quoddam est animę: appellatur autem purpureus, quoniam ex speciali prouidentia, licet deberet etiam esse aureum & corpus gloriosum, sicut & anima; assumptum tamen est mortale & passibile, vt posset in ara crucis pro nobis immolari, iuxta illud, *Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*, sc. vt sacrificaretur effuso proprio sanguine, quo tinctum fieret, & purpureum, sicut Isaias vaticinatus est cum dixit: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra!* & in Apocalypsi dicitur, *Vestitus veste aspersa sanguine.* Et quoniam tinctio illa sanguinis nõ fædam reddebat vestem, sed pulcherrimam, Isaias subiungit: *Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ.* Ideoque ad gloriam ferculi pertinet ascensum eius fuisse purpureum tam pretioso cruore tinctum; maxime quia per passionem ascendit in summam exaltationem & gloriam, quam dignissime promeruit secundum illud, *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod Deus exaltauit illum.* Vnde & in passione sua ignominiæ causa veste purpurea indutus est, vt per eam mereretur corpori suo pretiosissimam corporis gloriam, imo purpura illa maxima gloria illius fuit. Nec mysterio caret reclinatorium comparari auro, quod solidum est, nullaque ærugine consumitur, ad denotandam animæ immortalitatem, & virtutem inuictam, quæ nullis passionibus & tormentis concuti potuit, aut inficì; sed potius sicut aurum, quod per ignem probatur, euasit splendidior, & gloriosior, corpus autem comparatur purpuræ, quæ, etsi pretiosa, tamen fragilior est & facilius disrumpi potest, ad denotandum in passione dilaceratum fuisse, & perforatum, vt per vulnera sanguis efflueret, quo

3. Ad Heb. 10. v. 5. Ex Ps. 39. v. 7. Isa. 63. v. 1. Apoc. 19. v. 13. Infra amplius explicatur §. 5. Ad Phil. 2. v. 8. Io. 19. v. 8.

tingeretur, & nos lauaremur, & dealbaremur. Sed illud mirabilius, quod interrogatus Saluator, *Quare rubrum est vestimentum tuum?* respondit, *Aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* Non ait, sanguis meus, qui pretiosus est, sed sanguis eorum, qui fœdus erat, quo inquinata dicit vestimenta sua. At vtroque sanguine tinctam esse purpuream Christi vestem non repugnat; imò mysticus sensus vtrumque simul amplectitur: etenim victoria Christi per proprium sanguinem, describitur ad modum victoriæ temporalis, cùm dux prælians contra hostes, occidit eos, eorumque sanguine aspergitur, qui licèt videatur inquinare illum; tamen non fœdum, sed gloriosum reddit: sic Christus Dominus in cruce proprium sanguinem fundens per illum peccatores spiritaliter occidit, & quasi sanguinem peccatorum suorum vertere fecit, quo coinquinatus videtur; nam, *Deus posuit super eum iniquitates omnium nostrum*, vt pro illis satisfaceret, *Et cum sceleratis reputatus est*: tamen reuera gloriosior euasit, ex hac victoria, purpura eius digna est summa gloria, quem vtinam imitemur; quoniam si compatimur, & conregnabimus, reclinatorij aurei ipsius facti participes.

Isa. 63. v. 3. Isa. 53. v. 6. & 12.

Verbum diuinum esse charitatem omnia sua humanitatis media replentem. §. 3.

1. Sed iam supremam ferculi gloriam audiamus, *Media charitate constrauit propter filias Ierusalem*: ac si diceret; cuncta gloriosa, quæ de hoc ferculo audistis in columnis, reclinatorio, & ascensu, ad hoc ordinabantur, vt media ipsius ferculi ipsa charitas impleret, ornaret, & in ea resideret. Charitas hic vocatur, ipsum Dei Verbum, quod propter nimiam charitatem suam naturam assumpsit humanam; incarnatio enim summum opus fuit diuinæ charitatis, iuxta illud, *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Et iterum. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum.* Hac charitate constrata erant, & ornata media ferculi; id est, omnia interiora Christi; imò totum corpus, & anima; nam caro & ossa, venæ, & arteriæ, sanguis, & omnes partes corporis & animæ vnitæ erant diuinitati: nulloque pretiosiori ornamento consterni poterãt, & ornari, quam eo, qui charitas infinita est, & meritò dicitur, *Ascensus, & combustus*; quia incomprehensibilis est amor, quo Christus ardebat erga Patrem, & erga homines, vt ex ipsis operibus satis comprobatum est, & dulcissimè testatur vox illa, *Propter filias Ierusalem.*

Io. 3. v. 16. 1. Ioan. 4. v. 9.

Etenim Deus, nec ferculum carnis, nec reclinatorium aureum, vel ascensum purpureum faceret, nisi propter nos homines, & propter nostram salutem: ipse enim non indigebat ferculo, qui in seipso requiescit, & ascendit super Cherubim, & volat super pennas ventorum, qui etiam variis modis se potest manifestare hominibus sicut & Angelis, & suam gloriam & gratiam illis impertiri; tamen infinita eius & incomprehensa charitas eum impulit, vt homo fieret propter homines, & inter illos versaretur, ferculumque erigeret, in quo visibiliter deferretur, vel potius ipse se deferret. Nam in hoc ferculo consultò reticentur portitores, quia non indigebat illis, sed ipse rex charitas increata seipsum ferebat, & quo volebat, in suo progrediebatur ferculo.

2.

Sed si propter omnes homines factus est Deus homo, cur tantùm ait, *Propter filias Ierusalem*? Fortè quia propter ipsas maximè venit, ex quibus secundùm carnem natus est, iuxta illud, *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* Aut melius, quia cùm Ierusalem sit visio pacis: filiæ Ierusalem vocantur animæ, quæ ad cœlestem Ierusalem sunt prædestinatæ, & in terrena Ierusalem Ecclesiæ erant congregandæ: propter quas potissimè venit Christus, iuxta id quod Diuus Ioannes ait Christum moriturum, *Vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Quos autem vocat filios Dei in mente diuina eos eligente, appellat Salomon filias Ierusalem, quia hæc nuncupatio magis metaphoræ congruebat. Gratias igitur agamus Deo, qui tam magnificum & stupendum opus fecit pro nobis, & propter nos, & non propter Angelos, & in hoc nos Angelis præferens, quia *Non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit.*

Matt. 15. v. 24. Io. 11. v. 51. Ad Heb. 2. v. 12.

Sed iuxta Septuaginta versionem, quæ dicit, *Intimum eius lapidibus constructum, charitatem à filiabus Ierusalem*, dicendum est ex charitate increata, qui Deus est, emanasse, vt omnia interiora humanitatis constrata essent, virtutum pretiosissimis & fulgentissimis, ac valdè ignitis lapidibus, à quibus mirabilis promanabat splendor, & ardor operum externorum quæ ab infantia vsque ad mortem operatus est; quæ omnia *Charitatem à filiabus Ierusalem* exigebant, & extorquebant, vehementer eas vrgendo, vt Christum diligerent, qui ita eas diligebat, & ipsam charitatem tam ardenter eas amantem, etiam ardenter redamarent: & simile ei præpararent ferculum virtutibus, & heroicis operibus ornatum. Amanter ergo ad hoc accede ferculum, in quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, vt de plenitudine eius ipse gratia & sapientia replearis: Vtinam, Domine, sic te diligamus, sicut nos diligis, vt in cordibus nostris te semper continuo amore feramus.

3.

Crucem, cui Christus affixus est, ferculum esse Verbi diuini. §. 4.

Pro Festis Crucis. 1.

Quæ diximus de Christo Domino, cruci, cui affixus est, aptemus, quæ ferculum est diuini Verbi, & currus triumphalis eius: nam etsi crux illa in vno loco Caluarij montis fixa permanserit, quandiu Christus pependit in illa, in eius tamen imagine Christus crucifixus per vniuersam fertur Ecclesiam. Ipse autem fecit sibi hoc ferculum, quia elegit hoc genus mortis, & cruci affigi: nam, *Oblatus est quia ipse voluit*; ideoque, *Baiulans sibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum*: & quamuis exiret tunc vt reus, tamen reuera exibat vt vinceret portans secum currum, in quo triumphum duceret de inimicis suis.

Isa. 53. v. 7. Io. 19. v. 17.

Fecit autem ferculum istud *Ex lignis Libani*, quia crux instar cedri fuit apud Deum, sicut Ecclesia cănit, *Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior, in qua mundi vita pependit, in qua Christus triumphauit, & mors mortem superauit in æternum.* Quatuor autem columnæ argenteæ, quatuor sunt claui Christi corpus sustinentes (quatuor enim fuisse affirmat [a] Gregorius Turonensis,

In Festo Crucis. Antiph. ad Benedictus

a Lib. de gloria martyrum c. 6.

b Dial. cõt. Tryphonẽ. c Lib. 5 aduerſ. hereſes Valentini.

& inſinuant Diuus [b] Iuſtinus, & [c] Irenæus, dum dicunt non vnum pedem ſuper alterum ſtetiſſe, ſed ambos ſuper ſcabellum ligno crucis affixum; in quo ipſi confixi ſunt, quod & antiquæ picturæ teſtantur. Hi ergo claui licet ferrei fuerint, vocantur argentei ob ſplendorem, & decorem eius, qui cõfixus erat illis; ſicut & vocãtur dulces abeccleſia, cùm inquit, *Dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus ſuſtinet.* Aſcenſus autem purpureus, quis niſi ſanguis, quem Chriſtus in crucem aſcendens fudit, qui crucis inſtar aulæi pretioſum fuit operimentum, iuxta illud, *Arbor decora & fulgida, ornata regis purpura*; id eſt, ſacro Chriſti cruore. Sed quod eſt *Reclinatorium aureum*? nunquid ſpinea corona? At quomodo ſuper terebrantes ſpinas ſacrum reclinaret caput? Certè in cruce filius hominis non habet vbi caput ſuum reclinet. Sed fortè aureus ille titulus in vertice crucis appoſitus cum hac inſcriptione, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*; myſticum indicabat reclinatorium: nam diuinitas Ieſu, & regia Saluatoris poteſtas in cauſa fuit quod libenter ſe reclinaret, & quieſceret in cruce vſque ad mortem. Dicebant eius hoſtes, *Si filius Dei eſt*, aut, *ſi rex Iſrael, deſcendat de cruce.* At ille quia verus erat filius Dei, & rex Iſraël, deſcendere noluit, vt nos ſaluaret, & hoc eſt quod ſubditur, *Media charitate conſtrauit*; id eſt, medium crucis occupauit ipſe Chriſtus ardentiſſima flagrans charitate, offerens ſe in holocauſtum diuini amoris igne combuſtum, *Propter filias Ieruſalem*, vt eas ad ſe traheret, in ſuique amorem & imitationem pelliceret, exemplum eis præbens, vt ſequantur veſtigia eius.

In Hymno ad Laudes.

In Hymno ad Veſp.

Lu.9.v.58.

Mat.27.v.41.

1.Pet.2.v.21.

2.

En tibi glorioſiſſimum currum triumphi, quem Chriſtus duxit de inimicis ſuis, ſicut egregiè teſtatur Diuus Paulus, cùm ait, *Delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Nam quomodo olim Imperatores in ipſo curru triumphi affigebant titulos, & ſigna ſuæ victoriæ, & de captiuis triumphabant; ita Chriſtus Dominus affixiſſe dicitur cruci chirographum illud, in quo ſententia mortis æternæ propter peccatum contra hominem decreta erat; nam in ipſa cruce pro peccatis ſuperabundanter ſatisfecit; & traduxit palam & confidenter omnes principes tenebrarum, ante currum quaſi victos ire cogens, triumphans de illis, ſicut ſcriptum eſt, *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors, egredietur diabolus ante pedes eius.* Quæ verba Diuus [a] Cyprianus, [b] Auguſtinus, [c] Theophylactus, [d] Euſebius, & multi alij de paſſione Chriſti in cruce interpretantur: Non ait, manus eius in cornibus crucis, ſed cornua crucis in manibus, ad ſignificandum, ſponte aſcendiſſe in crucem, tantamque habuiſſe fortitudinem, vt poſſet ex ea ſi vellet deſcendere; ſed maluit per eam pugnare, & moriendo inimicos vincere, & triumphum agere de morte, & diabolo, ac omnibus miniſtris eius. Abſcondita autem dicitur ibi fortitudo eius, quia latenter & inuiſibiliter operabatur: at quoniam triumphus iſte ex dilectione oriebatur, & charitas in hoc triumphabat curru. Hoc indicat Septuaginta verſio, quæ vbi nos legimus, *Ibi abſcondita eſt fortitudo eius*; ſic habet, *Et poſuit dilectionem robuſtam fortitudinis ſuæ*; quia tam Deus Pater tradendo pro nobis Filium in mortem, quam filius ipſe tradendo ſe pro nobis vt cruci affigeretur, oſtendit ſe ſupra modum homines dilexiſſe, & omnes amoris neruos contendiſſe, vt nobis benefaceret, & in ſuum amorem etiam attraheret. Poſuit (inquit Diuus Hieronymus) dilectionem fortem virtutis ſuæ, quia idcirco Deus Pater regnum poſuit in manu Filij, ſeu cornua in manibus eius, vt faceret dilectum ſuum ab hominibus diligi, non leuiter, ſed vehementer & fortiter; vt qui eum fortiter dilexiſſent, & hærent in dilectione eius, nemo tolleret eos de manu illius. *Abſit* deinceps *à me gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*; quæ meus triumphalis currus eſt, ſicut & ipſius: *per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*; quoniam ſpolia mundi & carnis, & cuncta quæ ipſis ſunt pretioſa & delectabilia, Chriſti cruci affixi tanquam ipſius trophæa, ea conculcans & deſpiciens, vt ego ipſe Chriſto mortuus & cruci eius confixus Deo viuam in ſecula ſeculorum. Amen.

Abacuc 3. v.4.

a Lib.2.cõtra Iudæos cap.21. & ſer. de paſſione Do. b 12. de ciuit. Dei c. 32. c In Abacuc 3. d Lib.6. de demõſtrat. c.15.

Ad Gal. 6. v.14.

EXHORTATIO XXXIII.

De Euchariſtia, vt eſt Chriſti ſedes geſtatoria, currus triumphalis, conuiuale ferculum, & regium, in quo eius maximè ardet & ſplendet charitas.

PRO FESTO CORPORIS CHRISTI.

Ferculum fecit ſibi, &c. media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem.

DEO Saluatoris noſtri charitas exarſit, vt cuncta, quæ de ipſius natura humana diximus, in ſacratiſſima repoſuerit Euchariſtia panis & vini accidentibus cooperta, nouum & ſtupendum ferculum ſibi erigens, cuius, *Media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem.* Conſtituens ſeipſum in medio ferculi ardentem charitate propter illas. Tripliciter autem Euchariſtiæ aptari poteſt ratio ferculi, vſurpando illud, vel pro ſede geſtatoria, vel pro curru pompatico, vel tãdem iuxta D. Gregorij, Bernardi, Ricardi, Ruperti, & aliorum ſententiam pro ferculo, in quo dapes deferuntur in conuiuiis, aut ſimul pro ipſis dapibus, quomodo continens ſumitur pro contento, vt calix pro vino, vel ſanguine Chriſti. De ſingulis autem agemus ſupponentes quæ ſupra de ea diximus, vt lectulus Salomonis appellata eſt.

Euchariſtiam eſſe ferculum Chriſtum deferens.
§. 1.

ET in primis cùm Rex noſter Chriſtus vellet iam diſcipulos relinquere, & ad Patrem in cœlum, vnde venerat redire, ob nimium quo eos proſequebatur amorem, ferculum ſibi fecit, in quo apud nos ſimul eſſet quieſcens, & per omnia orbis loca deferretur. Nam ſicut rex, qui in ſede regia defertur, quieſcit in ſe, & mouetur ad motum ſedis, quo eam deferunt portores: ſic ipſe quieſcit ſub accidentibus panis & vini, illis alligatus, ſolúmque mouetur ad motum ſacramenti, quod manibus Sacerdotum de-

Ioan.13.v.2.

fertur; ſed totũ hoc fit occultè, vt locus detur fidei. Nam quemadmodum arca fœderis, quæ pulcherrima erat, & auro mundiſſimo deaurata, cùm aſportanda erat ex vno in alium locum, operiebatur lanthinarium pellium velamine; ita voluit Chriſtus Dominus pulcherrimum corpus & ſanguinem in hac peregrinatione vbique deferenda, velamine accidentium panis, & vini operire, ne clarè videretur à fidelibus, ſed tantùm per fidei obſcurum lumen. Latent enim ibi cuncta ad Chriſti corpus, animam & diuinitatem ſpectantia, quæ in Exhortatione præcedenti ſignificari diximus per ligna Libani, columnas argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, & media charitate conſtrata, quæ tamen peculiariter Euchariſtiæ indicant maieſtatem.

Nu.4.v.6. Id eſt coloris violacei.

A

1.

Etenim aptè dicitur *De lignis Libani*, ſeu ſublimibus & incorruptis cedris; nam de hoc ſacramento vaticinatus eſt Pſaltes, vt ſupra vberiùs explicuimus, *Erit firmamentum in terra, in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper Libanum fructus eius.* Firmamentum vocatur iuxta phraſim Scripturæ, quia eſt cibus robuſtus & fortis cor hominis confirmans, ſed ſublimior Libano; quia hic tandem corrumpetur: at Chriſtus, qui ſub accidentibus panis latet, etiam ipſis corruptis integer & incorruptus in æternum perſeuerat. Vnde ſubdit Pſalmiſta, *Ante ſolem permanet nomen eius*, quia in conſpectu ſolis, ſeu quandiu fuerit ſol, permanebit Chriſtus, & gloria ipſius; & quia etiam eſt Deus æternus, antequam eſſet ſol, erat iam nomen eius. Obſeruat Paulus Burgenſis loco verbi, *permanet*, haberi in Hebræo יהון, quæ dictio ſignificat filiationem: ac ſi ſenſus ſit, ante ſolem filiabitur nomen eius, vt ſignificetur quod rex Meſſias ab æterno erit filius: vnde alij vertunt, *Ante ſolem filius nomen eius*: iuxta illud alterius Pſalmi, *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quid ergo ſublimius Chriſto? quid præcellentius hoc diuino ferculo? quid firmius hoc firmamento panis ſuperſubſtantialis? & quid dulcius hoc cœleſti conuiuio, quod in ſummis montium, id eſt, viris Apoſtolicis, & ſanctitate ſublimibus eſt potiſſimè præparatum? Vtinam vita ſublimes montes ſimus ſicut Apoſtoli, ſiquidem inſtitutum eſt hoc firmamentum in medio ſummorum montium, id Apoſtolorum, qui ſummi montes ſunt Eccleſiæ; quia ſublimem debent agere vitam, qui tam ſublimibus veſcuntur dapibus.

Refert Titelmanus in annot. ſuper hunc verſum ad finem commentarium. Pſal.2.v.7.

B

C

2.

Vt autem hoc ſacramentum ſubſiſteret, *Columnas eius fecit argenteas*, nimirum duas; quia inſtituit formas conſecrationis, ſeu duplicia verba, quibus duæ partes ſacramenti conficiuntur, videlicet verbum illud, *Hoc eſt corpus meum*, quo panis tranſſubſtantiatur in corpus Chriſti; & verbum, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, &c. quo vinum in ſanguinem eius conuertitur. Et meritò appellantur columnæ fidei, quia tota fides huius myſterij præcipuè his verbis nititur. Propter quorum veritatem credimus corpus & ſanguinem Chriſti re vera, & non in ſola imagine ſub accidentibus panis & vini contineri. Sunt autem argenteæ, quia verba iſta tanquam argentum igne examinatum ſunt millies ab Eccleſia, & inuenta veriſſima: de quibus ipſe Saluator dixerat, *Verba quæ loquutus ſum vobis ſpiritus & vita ſunt.* Et Diuus Petrus id confirmans, ait, *Verba vitæ æternæ habes.* Et nos dicamus cum Angelico Doctore, in hymno quodam de hoc myſterio, credo quidquid dicit Dei Filius, nihil eſt hoc verbo veritatis verius.

Ioan. 6.v. 64. & 69.

D

Reclinatorium autem aureum: diuinitas Chriſti eſt hic latens, & omnipotens eius virtus, per quam ſe alligat accidentibus panis & vini, & intra illa quieſcit, ſummè gaudens in hoc opere propter nos, quia ſi lætatur Dominus in operibus ſuis, quanto magis in hoc ſummæ dilectionis opere lætabitur lætitia inenarrabili? Delectatio autem quies eſt animæ reclinantis ſe in re dilecta & poſſeſſa. Dixit olim Ieremias, *Quare colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum*? quæ aptè Chriſto Domino in Euchariſtia tribui poſſunt. Etenim in cœlo manet perpetuò quieſcens in reclinatorio aureo vnionis hypoſtaticæ naturæ humanæ cum Verbo diuino, quam nunquam deſeret: at modò in terra manet vnitus accidentibus ad modum peregrini, & viatoris qui declinat in hoſpitium, vt aliquo breui tempore maneat, & poſtea viam cœptam perficiat; ſic Chriſtus paruo tempore quieſcet in vnione hac ſacramentali quandiu ſpecies ſacramenti durant, & nobis refectionem præbet, vt viam huius peregrinationis fortiter peragamus; vnde & viaticum etiam nuncupatur.

3.

Ier.14.v.8.

Sed vehementiam perpende charitatis Chriſti, de quo dicitur, *Media charitate* (id eſt) *ſeipſo conſtrauit propter filias Ieruſalem.* Etenim etſi Chriſtus in hoc mundo degens, maxima flagraret charitate erga homines, continuit tamen ſe intra regionem Iudææ rum; & ſimul non erat in pluribus locis, ſed in vno, & ex eo ad alium ſe mouens: at in hoc Euchariſtiæ ferculo, ſimul eſt propè infinitis in locis totius orbis, per ea quæ tanquam colonus peregrinatur, commoratur in omnibus templis, & per manus Sacerdotum: ad ipſas etiam portatur ædes infirmorum, atque per vicos & plateas ciuitatum ſolemni pompa defertur in proceſſionibus, ſemper charitatem extorquens à filiabus Ieruſalem. Vehementiſſimi enim amoris indicium eſt in tot locis, & tam crebrò dilectis ſe exhibere præſentem.

4.

Præterea qui medium ferculi occupat charitas vocatur, quia in eo omnia charitatis officia erga omnes animas obire decreuit. Eſt enim non tantùm rex potentiſſimus, ſed ſapientiſſimus magiſter, medicus, conſiliarius, paſtor, Redemptor, & glorificator, tam igneaque ardet charitate, vt nolit vno tantùm loco conſiſtere, ad quem alij fluant, ſed potius ferculo vult deferri ad illos, vt eos tanquam Rex ditet, tanquam magiſter doceat, tanquam medicus curet, tanquam conſiliarius dirigat, tanquam paſtor reficiat, tanquam Redemptor à peccatis & miſeriis liberet; & tanquam glorificator per hoc ferculum nos in ſuam gloriam deducat. In his autem omnibus præſtandis charitas ignea eſt, igneos radios amoris in corda exſufflans, vt ea ſimili igne ardere faciat: nam hunc ignem venit mittere in terram, & intra hoc ferculum conſtituit focum, vnde in alios diſpergatur, & accendatur.

Lu.12.v.49

5.

Vidit Ioannes Angelum habentem thuribulum aureum, quod impleuit de igne altaris, & miſit in terram. Repræſentabat autem (vt multi Patres interpretantur) Chriſtum, quem Prophetæ Angelum ſæpe vocant; thuribulum autem aureum ſacratiſſimum eſt eius corpus, animæ &

Apoc.8.v.5.

Malach. 3. v.1.

deitati vnitum, in quo munus obiit Sacerdotis; A quasi noua victoria à singulis per ipsum acquiritur, & de hostibus triumphatur. Congruit enim Eucharistiæ quod supra attulimus ex Abacuch,

Isa.9.v.6. (thuribulum enim Sacerdotis erat insigne) illud autem impleuit ex igne altaris, cùm animam suam ex infinito diuinitatis igne impleuit charitate, sapientia, & gratia, ex qua ignis plenitudine prunas misit in terram, vt homines eodem igne ardere faceret. Quod eleganter sic explicat Diuus Augustinus interpretans verba illa,

Nu 16.v 46 Serm.98.de temp.& desumpsit ex Orig.ho.9 in Num. *Dixit Moyses ad Aaron, tolle thuribulum, & hausto igne de altari mitte incensum desuper, pergens citò ad populum, vt roges pro eis,* &c. *& stans inter mortuos ac viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* Verus (inquit) Pontifex Iesus Christus, assumpto thuribulo carnis humanæ, & superposito igne altaris, anima sine dubio illa magnifica, cum qua natus est in carne, adiecto etiam incenso, qui est spiritus immaculatus, medius inter viuos & mortuos stetit, & mortem non permisit vltra grassari, sed B

Ad Heb. 2.v.14. destruxit eum, qui mortis habebat imperium; id est, diabolum, vt qui in ipsum Christum Pontificem credit, iam non moriatur, sed viuat in æternum. Hæc ille; magnificam animam Christi vocans, quæ igne diuinitatis & charitatis mirabiliter ardebat. Hæc autem omnia intra hoc ferculum Eucharisticum contemplari licet: continet enim hunc magni consilij Angelum, summumque Sacerdotem cum suo aureo thuribulo igne pleno, vt prunas amoris dispergat in eos, qui eum recipiunt, vel sacrificio Missæ astant, vel eum venerantur, & adorant.

Eucharistiam currum esse triumphalem Christi.

§. 2.

HOc amplius explicatur, si Eucharistiam consideres vt ferculum pompaticum, seu C currum triumphalem Christi Domini, qui in cruce fundens suum sanguinem, præclarissimam, vt iam diximus, de diabolo & morte obtinuit victoriam; ad quam celebrandam pridie quàm pateretur hoc ferculum erexit pompaticum. Neque enim indecens erat ante victoriam partam celebrare triumphum: sicut etiam in die Palmarum triumphans ingressus est in Ierosolymam,

Mat.21.v.7 Io.12 v.12. Io.16.v. 33. quia certissime futura erat victoria: vnde & ante mortem timidis discipulis dixit, *Confidite, ego vici mundum*: non ait vincam, sed vici; quoniam victoriam quam cœperat obtinere, confestim plenè adepturus erat. Sicut autem antiqui triumphatores in ferculis (vt diximus) deferebant simulachra deorum, vel victoriæ insignia, quibus suum triumphum celebrabant; ita Christus Dominus duo instituit diuina fercula, D nempe duas partes Eucharistiæ, in quibus deferrentur, non simulachra, & imagines corporis & sanguinis sui, per quæ inimicos deuicit; sed in vno deferretur ipsummet corpus, quod in cruce pependit ex angue, & in altero ipsemet sanguis, qui à venis extractus, & fusus est propter nos, etsi se inuicem & anima ac diuinitas vtrumque concomitentur. Sunt autem separatim instituta in memoriam mortis eius, in qua à corpore separatus est sanguis, per quem adepta est victoria, vt nunquam in Ecclesia illius irreperet obliuio, sed magna pompa iugis illius trophæi fieret recordatio festiua, iuxta illud, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Nec tamen in hoc ferculo præteritæ tantùm victoriæ recolitur memoria, sed continuò

Abacuch 3. v.4. *Ibi abscondita est fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors, egredietur diabolus ante pedes eius.* Sub illis enim accidentibus latet inuicta Christi fortitudo, qui victoriam quam in cruce adeptus Apoc.6. est, quotidie per hoc innouat sacramentum, ante cuius faciem fugit victa ipsa mors, *Nam hic* Ioan 6.v. 50.&59. *est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.* Proprium enim est huius panis cœlestis mortem fugare perpetuò: non enim est sicut manna, quam qui manducauerunt, mortui sunt, at *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*: nam per ipsum non solùm anima vitam consequetur æternam, sed etiam in nouissimo die corpus resurget ad vitam immortalem, & gloriosam. Vnde & diabolus etiam egreditur victus ante pedes eius; nam victoriam, quam acquisiuit per esum vnius cibi, per esum huius perdidit, & spoliatus aufugit.

Eucharistiam esse ferculum cœlestis conuiuij.

§. 3.

Horat.ser. 2. Satyr.6. *Multaque de magnæ superessent fercula cœnæ.* I.

IAM ad tertiam acceptionem ferculi accedamus pro eo, in quo deferuntur dapes, vel simul pro ipsis dapibus, quæ in conuiuiis apponuntur, quo nomine etiam Ecclesia vtitur in hymnis, dicens, *Dedit fragilibus corporis ferculum.* Item. *Prius in vitæ ferculo se tradidit discipulis.* Volens enim Christus ad ostensionem gloriæ suæ opiparum nobis conuiuium præparare, Eucharistiæ ferculum instituit, quod vnum cum sit, omnes supernas continet dapes, & earum largitorem, qui simul factus est conuiua, & conuiuium, cibus & potus eorum, quos inuitauit. In magnis quidem conuiuiis plurima inferuntur pretiosa fercula in vasis aureis, & argenteis, gemmis pretiosis exornatis: at conuiuium hoc diuinitatem præ se fert, quæ vna cum sit, omnium rerum eminentissimè continet perfectiones. Si ferculum externum respicias, panis triticeus apparet, & vinum vitis; nam destructis substantiis accidentia eorum tanquam vehicula cibi, & potus interni manent; at si hunc respicias, caro

Io.6.v.56. est & sanguis Christi; nam, *Caro mea*, inquit, *verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Talem enim cibum & potum apponi decebat à rege regum, Salomonem, & Assuerum, & omnes Hester 1.v. reges terræ infinitè superante; qui, *Vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, ac* 4. *iactantiam potentiæ suæ*: non iactantiam mundanam, quæ inanis est, & eam despicit cœlorum rex. Ideoque simplicem panem & vinum ex terra tantùm assumpsit, sed iactantiam, seu magnificentiam cœlestium diuitiarum è cœlo adduxit quidquid pretiosum ibi erat, *Ego*, inquit, *sum pa-* Io.6.v.51. *nis viuus qui de cœlo descendi*: solent in pretio haberi, quæ de longè adducuntur, ad modum quo de muliere forti dicitur, *Procul & de vlti-* Prou. 31. v. *mis finibus pretium eius*; id est, chara est, & inæ- 10.&14. stimabilis, sicut gemmæ, & res raræ, quæ de vltimis terræ finibus adducuntur. Vnde modò Ecclesia, *Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum*: nam de cœlo portat hunc panem viuum, & illum adducit in terram, etsi Nauclerus, & huius nauis archigubernus sit ipse Christus.

2. *Eucharistia conuiuium regale.* Lu.22.v.29 Cum autem adeò sit potens Rex, vt amicos A suos spiritales etiam reges faciat, regale eis parat conuiuium, vt cum ipso tanquam reges manducent eosdem cibos, quibus ipse vescitur; iuxta illud, quod Apostolis dixit in postrema cœna, *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Ex iis quæ sunt apud nos honorabilia (vt ait Diuus Cyrillus) spiritualia deducit. Cùm autem prærogatiua magna potiantur apud reges terrenos, qui eis quasi conuiuæ confident, hunc maximum honorem Christus nobis præbet: vt cum sit Rex omnipotens, nos reges faciat, & secum in mensa sua sedere, vt regiis & diuinis dapibus alamur. Quod vaticinari videtur Iacob benedicens filiis suis, cùm de

Gen 49.v. 20. Ita paraphrasis Chaldaica. Li.de bened. Patriarcharum c. 9 Aser ait, *Aser, pinguis panis eius, & præbebit delitias regibus*; alij legunt, *& ipse fruetur deliciis regum.* B Aser (inquit Diuus Ambrosius) diuitias significat, quis dies nisi vbi altitudo diuitiarum est sapientiæ, & scientiæ Dei? quis dies nisi Dominus Iesus, qui abundat semper, & nunquam deficit? Pauper venit in hunc mundum, & omnibus abundauit, vniuersos repleuit. Quantus est in diuitiis, qui in paupertate sua omnes

2.Cor.8.v. 9. diuites fecit? vt Apostolus docuit, eius inopia nos ditat, sanat fimbria, fames satiat, mors viuificat, sepultura resuscitat. Huius panis pinguis, & benè pinguis, quem qui manducauerit, esurire non poterit. Hunc panem dedit Apostolis, vt diuiderent populo credentium: hodieque dat nobis eum, quem Sacerdos quotidie consecrat suis verbis, de quo dicit, *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi*, &c. Hæc Ambrosius.

Io.6.v.51. Dicitur autem præbere delitias regibus, id est, cibum regium, delicatum, & pretiosum, quem reges possint appetere. Præbet (inquit Eucherius) C

Apud Lipomanū in cat. Genes. idem interlinearis. delitias sapientiæ, & gratiæ regibus, id est, iis qui sensus proprios benè regunt, qui dominantur vitiis, qui castigant corpora sua, & spiritui subiiciunt: denique delitias præbet iis, qui per Christum facti sunt regale sacerdotium, gens sancta; delitias autem non carnales, sed spiritales, quibus reges cœlicolæ, & Angelici fruuntur principatus; quæ animam à morte præseruant, & vitam spiritus semper innouant, ne veteresçat & pereat. Vnde benedicens Moysi eidem Aser di-

Deut. 33. v. 25. xit, *Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua*; quia panis hic pinguis senectutem renouat, & ad pristinam reducit iuuentutem.

3. 2.Reg. 6.v. 18. Postquam Dauid Rex deuictis iam Philistæis, & pace obtenta arcam fœderis in suam domum deduxit cum ingenti totius populi concursu & D gaudio; postquam etiam immolauit holocausta, & pacifica, conuiuium regium fecit omni populo, *Benedixit* (inquit Scriptura) *populo in nomine Domini exercituum, & partitus est vniuersa multitudini Israel tam viro quàm mulieri, singulis collyridam panis vnam, & assaturam bubulæ carnis vnam, & similam frixam oleo.* Quæ symbolum sunt huius cœlestis conuiuij, quod tam viris quàm fœminis præstatur, & integrum singulis. Eucharistia enim vna est collyrida panis ex flore farinæ facta, & parua, quæ tamen innumeris comedentibus sufficiat. Et quamuis inter illos diuidatur, vna semper & integra perseuerat; nam diuisio fit in accidentibus, tamen substantia ipsa panis viui tota simul omnibus exhibetur. Eadem est vna assatura carnis bubulæ, id

Exod.12.v. 9: Pſ. 21.v.16. est carnis Christi, qui vitulus saginatus est, & Agnus paschalis, qui non comedebatur coctus aqua, sed assus igne, quia ipse passionis igne ita assatus est pro nobis, & exiccatus, vt diceret, *Aruit tanquam testa virtus mea.* Est etiam mirabili modo vna carnis assatura, quæ non laceratur à comedentibus, vt carnales & crassi discipuli putarunt, cùm Christum audierunt dicentem, *Caro mea verè est cibus*; & tamen verba eius spiritus & vita erant, quia caro illa ad modum spiritus indiuisibiliter erat manducanda, & traiicienda, viua semper manens, & impartita. Deinde simila dicitur oleo frixa, quoniam abundantissimo gratiæ, misericordiæ, & lætitiæ spiritualis est mixta oleo, quod in cruce vbi tanquam in frixorio est frixus, nobis promeruit: & per hoc sacramentum vberrimè distribuit. Huiusmodi autem cibi distributio vocatur in hoc loco benedictio. Vnde & statim subditur, *Reuersusque est Dauid vt benediceret domui suæ*; id est, vt domesticis suis etiam conuiuium faceret. Reges enim magnifici non tam verbis, quàm factis benedicunt, & Rex cœlestis tunc maximè nobis benedicit, cùm hoc conuiuium præbet, in quo summo nos afficit beneficio.

4. Sed quid est quod dicitur, *Ferculum fecit sibi Rex Salomon*? nunquid non etiam alij modo hoc ferculum faciunt? & non potius aliis quam sibi facit, quibus has dapes largitur? Sed hoc my-

Ex D. Th. 3.p q 81.ar. 1. de quo supra dictũ est. steria magna insinuat: etsi enim Christus Dominus in postrema cœna per seipsum hoc ferculum sibi fecerit, ex illoque comederit, & mox porrexerit discipulis suis; at etiam illis potestatem dedit illud efficiendi, cùm dixit, *Hoc facite in* Lu.22.v.19. *meam commemorationem*: ita tamen, vt quod ipsi faciunt, nonnisi vice illius faciant, aut potius ipse per illos. Quare Sacerdos consecrans personam ipsius Christi, induit, cùm ait, *Hoc est corpus meum*, vnde non solùm sibi facit, sed etiam nobis: ad quod insinuandum addidit, *Media charitate constrauit propter filias Ierusalem*, vt seipsum, qui charitas est, in ferculum cibi & potus eis præberet. Ex hac autem charitate manauit, vt diceret hoc ferculum fecisse sibi; nam ita nos diligit, vt quod nobis tribuit, sibi tribuere putet, & pascendo nos, seipsum pascat.

Sed cur non dixit propter filios, sed propter filias Ierusalem? Nunquid non est factum etiam propter principes & magnates Ecclesiæ, imò potissimè propter hos? Sicut enim rex Assuerus in Hester 1.v. suo illo celebri conuiuio, primò inuitauit prin- 3.& 5. cipes fortissimos Persarum & Medorum, ac præfectos prouinciarum coram se: deinde inuitauit omnem populum, qui inuentus est in Susam à maximo vsque ad minimum; sic Christus Dominus primò fecit hoc conuiuium Apostolis, & eorum successoribus Episcopis & Sacerdotibus, qui sunt Ecclesiæ principes & præfecti, quibus quotidie duo ista largitur pretiosissima fercula corporis & sanguinis sui sub diuersis speciebus: vtraque enim necessaria est ad oblationem sacrificij, & ad integram rationem sacramenti, & spiritalis conuiuij, cuius Sacerdotes oportet esse participes. At secundo loco parat hoc conuiuium reliquo populo Christiano, à maximo vsque ad minimum (vt iam etiam diximus de conuiuio Dauid) nullum excludens, quantumuis abiectus, & vilis videatur, dummodò dignè accedere curet; quibus præbet ferculum corporis sui; intra quod tamen continetur & sanguis, & hi potissimè indi-

cantur per filias Ieruſalem. Sacerdotes verò, qui tanquam vnum facti cum Chriſto celebrantes, dicunt, *Hoc eſt corpus meum*, præcipuè ſub pronomine, *ſibi*, comprehenduntur.

5. Omnes ergo Chriſti & perfectionis euangelicæ amantes, venite ad hoc ferculum, cuius *Media charitate conſtruxit*, quæ omnium ſpiritalium dapum eſt pretioſiſſima. Bonus cibus (inquit Tract. de decē grad. humilitatis Diuus Bernardus) eſt charitas, quæ media in ferculo Salomonis conſiſtens, diuerſarum odore virtutum, veluti diuerſi generis fragrantia pigmentorum, eſurientes reficit, iucundat reficientes, ibi ſiquidem apponitur pax, patientia, benignitas, gaudium in Spiritu ſancto, etſi quæ ſunt aliæ virtutes, ſeu ſapientiæ generationes apponuntur in illa. Habet & humilitas in eodem ferculo ſuas epulas, panem ſcilicet doloris. Habet ibidem contemplatio ex adipe frumenti ſolidum cibum ſapientiæ cum vino, quod lætificat cor hominis; ad quæ veritas inuitat, dicens, Cāt.5. v.1. *Comedite amici, bibite, & inebriamini chariſſimi.* Omnes denique ſpiritales virtutum dapes in Euchariſtia inuenietis, ſi dignè acceditis ad illam.

Eſt autem *Aſcenſus eius purpureus*, non tantùm quia memoriam recolit paſſionis, & etiam virtutum obedientiæ, humilitatis, & patientiæ, quæ in ea ſplenduerunt, dum Chriſtus libenter tolerat ab iniquis Sacerdotibus conſecratī, à peccatoribus recipi, & ab hæreticis iniuriis affici; ſed etiam quoniam aſcenſus noſter ad eius fructum percipiendum, potiſſimè fit per eiuſdem paſſionis meditationem ſimul & imitationem, progrediendo per earumdem virtutum gradus, maximè patientiæ & charitatis, inſtar purpuræ, quæ, vt inquit Ricardus, rubore quaſi diſperſo & diuerſo rubeſcit, vt ſi rubes ex conuitiorum iaculatione, rubeas etiam ex charitate erga eos qui conuitiantur. Tandem ſicut Chriſtus eſt ferculum tui, ſuo te corpore & ſanguine paſcens; ita tu eſſe curato (ait ille) ferculum Chriſti, & membrorum eius, paſcens ſicut paſceris, & reficiens, ſicut reficeris. Chriſtum enim paſcis tuis bonis operibus, & ſtudiis, quia eis delectatur; proximos verò reficis exemplo, oratione, conſilio & prædicatione, vel pio colloquio. *Cùm enim ſe-* Prou.23.v.1 iuxta Lxx. *des* (inquit Salomon) *Cœnare ad menſam potentis, conſiderans intellige quæ apponuntur tibi, & ſic mitte manum tuam ſciens quiate talia oportet præparare*, talia fercula apponens Chriſto, qualia ille appoſuit tibi, donec apponat vltimum fœlicitatis æternæ, quam nobis præſtare dignetur. Amen.

Ex D. Ambroſ. 1. off c 13. D. Auguſt. tract. 47. & 84. in Ioan.

Vide infra Exhor. 37.

PARS QVARTA
LIBRI SEXTI.

De contemplatione inſignium myſteriorum Chriſti, quæ per eius diadema repræſentantur.

TEXTVS. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius. Cant.3.v.11

EXHORTATIO XXXIV.

De modo contemplandi Chriſtum regem natum in Bethleem noſtræ humanitatis diademate coronatum, & pannis inuolutum. PRO FESTO NAT. DOMINI, & etiam EPIPHANIÆ.

MVLTA præclaraque ſponſi ſodales prædicauerunt encomia de ferculo regis Salomonis, in quo per vicos & plateas ciuitatis, magna cum pompa ferebatur propter filias Ieruſalem; nunc eaſdem exhortantur, vt è cubiculis & domibus, vbi variis erant occupationibus diſtentæ, ad illum intuendum ingrediantur, *Egredimini*, inquiunt, *filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate*, &c. Diadema autem etſi proprium ſit ornamentum capitis, quo maximè coronabantur Imperatores & Reges, victoreſq; triumphum agentes, ac ſponſi, cùm gradiebantur ad nuptias; tamen per ſynecdochem etiam vſurpari poteſt pro vniuerſo regio ornatu, & omni corporis cultu concinno, & eleganti, vt ex Iſaia mox deducemus. Per hoc autem diadema inſigniora Chriſti myſteria deſignantur; nec refert in numero ſingulari poni; quoniam diuerſis temporibus diuerſum geſſit diadema, vel vnum, in quo plura continebantur: ſicut modò thiara pontificia, vel tegumentum, quod multiplici gyro, ordine quodam capiti obuoluitur, & quilibet gyrus, ſiue ambitus, quaſi vnum diadema reputatur; quo ſenſu etiam de Chriſto Domino in Apocalypſi dicitur, *Et in capite eius diademata multa*. Poſſumus autem myſteria, quorum in hoc loco iuxta Patrum intelligentiam mētio fit, ad quinq; potiſſima reducere, vt primùm diadema ſit humanitas, qua coronatus eſt in die incarnationis; ſecundum ſpinea corona, qua in paſſione ſua caput eius potius pūctum, & tortum, quàm ornatum apparuit: tertium corona gloriæ, quam adeptus eſt in reſurrectione, & qua modò potitur ad dexteram Patris ſedens: quartum ſacroſancta Euchariſtia, in qua coronatus incedit per Eccleſiam militantem: quintum denique ipſa Eccleſia & cœtus fidelium, qui corona ſunt regis noſtri, & gloria ipſius; de quibus ſigillatim aliquid dicemus; ſuppoſitis quæ iam de ſingulis dicta ſunt in præcedentibus: nam diuerſis metaphoris eadem myſteria proponuntur, quia nulla per ſe ſufficeret cuncta quæ in eis latent enucleare.

Iſa.61.v.1.

Apoc 19. v. 12.

De perfecto

De perfecto modo contemplandi hæc myſteria in genere. §. 1.

1. SED quoniam hæc myſteria contemplanda nobis proponuntur in duobus primis verbis huius ſententiæ, in eiſdem etiam modus contemplandi docetur, quem oportebit prius explicare. Continet autem duplicem actum, ſcilicet *egredi* & *videre*, ſeu egreſſio & viſio; de quo Dauid alia phraſi dixit, *Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus*; cui æquiualet iſta, *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem.* Perpende igitur qui ſint egreſſuri, vnde, quò, & ad quid. Ad filias Sion fit allocutio, ſed nunquid illæ ſolæ egredi debent? imò omnes tamviri, quàm fœminæ, magni & parui: nam & regina Sabba venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & videre gloriam eius, *Et ecce pluſquam Salomon hic*; id eſt, Chriſtus per Salomonem repræſentatus, qui digniſſimus eſt, vt omnes etiam à finibus terræ veniant ad videndum eum. Fit autem peculiaris allocutio ad filias Sion, vt proportio ſeruetur ad id quod ſupra dictum eſt, quod ferebatur in ferculo propter filias Ieruſalem. Sion autem interpretatur ſpeculatio, Ieruſalem viſio pacis, quarum filiæ eas potiſſimè animas deſignāt, quæ diuinis rebus ſpeculandis & intuendis per meditationem, & contemplationem vacant, aut ratione ſuæ profeſſionis vacare tenentur. Ad quas hæc exhortatio dirigitur, licèt vniuerſim ad omnes filios & filias Eccleſiæ, imo ad omnes homines totius orbis referri poterit.

Pſ.45.v.11. Matt.12. v. 42. Ex 3 Reg. 10.v.1.

2. Quibus primùm dicitur, *egredimini*, id eſt exite, & deſerite quæcumque vobis obſtant, ne in cœleſtem regem credere, & myſteria eius contemplari poſſitis; egredimini, Iudæi, ab vmbris legis veſtræ: Gentiles de idololatriæ tenebris, hæretici de latebris errorum; peccatores Chriſticolæ de cubiculis ſcelerum; egredimini pigri à lecto pigritiæ, voluptuoſi à lectulo delitiarum veſtrarum; ambitioſi, auari, & negotiatores à multitudine implexa negotiorum veſtrorum; & vos, ô iuſti Dei amantes, egredimini de ſolicitudinibus, & cogitationibus ſeculi; exite de vobiſmetipſis, vt ſupra vos eleuati, intueamini Regem Chriſtum in gloria ſua. Perpende igitur quæ obſtacula intus vel foris habeas, quo minus quietè pacificum regem contempleris, & cuncta hæc præſcinde, ab illiſque longè recede; Pſal.73. v.3. nam hoc eſt egredi, non impedimentis onuſtum, ſed ab illis expeditum, quia *Factus eſt in pace locus* huius Regis pacifici; & ideò ad locum pacis te oportet egredi, vt illum ibi intuearis: propter quod filiæ Sion inuitantur, quia *Habitatio eius in Sion* expulſis hoſtibus, qui exturbabant eam.

Sed quid eſt quod Chriſtus Dominus ſe vocans Io.10.v.9 Tract.45.in Ioan. & D. Baſil.l.de Spiritu ſancto c.8. oſtium, ait, *Ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet*? vbi non tantùm egredi, ſed prius ingredi iubet. Quod D. Auguſtinus de ingreſſu ad opera interna, & egreſſu ad externa interpretatur. Sed liceat etiam hæc explicare de duplici modo contemplationis, qui per ingreſſum & egreſſum deſcribitur. Ingreſſus eſt cùm anima intrat in interiora Chriſti, & contemplatur diuinitatis arcana, quæ ſunt illi propria & coæterna; egreſſus verò cùm meditatur ea quæ extra Deum ſunt, & ab illo procedunt, ſed potiſſimè myſteria quæ operatus eſt propter nos, naturam aſſumens humanam, quæ ſignificantur per diadema quo Salomon coronatus eſt: ideoque cùm de horum contemplatione agitur, *egredimini*, dicitur, non ingredimini.

3. Licet quidem viris perfectis, qui non ſiliæ, ſed filij Sion dicuntur ingredi, vt videant regem Salomonem, non in diademate quo coronauit eum mater ſua in die deſpōſationis eius, ſed in diademate (ſi ita fas eſt fari) quod ante omnem diem dedit ei Pater ſuus, cùm ex vtero ante luciferum genuit eum, & communicauit illi ſuam propriam deitatem, per quam ab æterno eſt rex vnus cum Patre & cum Spiritu ſancto, ſicut vnus eſt Deus. At nunc non de hoc agimus, ſed de egreſſu ad cōſplandum quod *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*: Io.1.v.14. licèt illud etiam non ſit omnino omittendum, cùm Io.17.v.2. Saluator dixerit, *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, qui verus Deus eſt ſimul & homo. Vnde quotieſcumque myſteria eius contemplamur, in diuinam eius perſonam oculos cōiicere debemus. Qua de cauſa hic non dicitur, egredimini filiæ Sion, & videte ferculum Salomonis; intuemini columnas argēteas, reclinatorium aureum, & aſcenſum purpureum; ſed *Videte ipſummet regem Salomonem, & diuinam eius perſonam*, diademate humanitatis coronatam: at in quocumque diademate eum contemplemini, ſcitote Deum eſſe immenſæ maieſtatis. Quod egregiè inſinuauit D. Ioannes, qui cùm dixiſſet, *In capite eius diademata multa*, ſubdit, Apoc.19.v. 12. *Habens nomen ſcriptum quod nemo nouit niſi ipſe*; Et quod eſt hoc nomē in diadematibus ſcriptū, quod ſolus ipſe poteſt comprehendere niſi ſanctiſſimum nomen Dei, *Iehoua*, quod ſummus Sacerdos gerebat in lamina fronti appoſita; aut fortè nomen iſtud eſt, quod paulò poſt ſubiicit idem Ioannes, dicens, *Et vocatur nomen eius verbum Dei*, quod impreſſum eſt in omnibus diadematibus, vt quotieſcumq; redemptionis noſtræ myſteria cogitaueris, contempleris etiam hoc diuinum nomen in illis, vt pluris ea facias, & amplius inde proficias.

Ita Guilelmus apud Martinum del Rio. Pſal.2.v.7.

4. Sed ſeruandus eſt ordo quem hæc verba præſcribunt; nam prius debes egredi ſi cupis videre; ſicut etiam prius quàm Dominus diceret, *Videte quod ego ſum Deus*, dixerat, *vacate*, id eſt, ceſſate ab operibus prauis, à concupiſcentiis, & tumultibus, ſuperfluiſque rerum terrenarum curis; & tunc tranquillè me videre poteritis. Hoc autem ipſum eſt à ſe egredi; quia (vt notat Ricardus) multi gradiuntur, ſed non egrediuntur. Nam ita opera ſua bona faciunt, vt tamen in ſuis concupiſcentiis, pigritiis, & aliis imperfectionibus permaneant; quas tamen mortificare oportet, & penitus deſerere, quod eſt à ſe egredi, & idoneum ſe ad diuina myſteria intuenda reddere. Nam etſi Moyſes egreſſus ab Ægypto eſſet in deſerto, cùm dixit, *Vadam, &* Exod.3 v.3. *videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus?* Dominus tamen illum cohibuit, dicens, *Solue calceamenta de pedibus tuis*; ac ſi diceret, prius exue morticinos carnis affectus, & tunc dignè appropiare poteris, vt me videas, *Beati enim* Mat. 5. v.8. *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Denique cùm audis, *Egredimini filiæ Sion*, internam Dei potiſſimè agnoſce vocem, & inſpirationem, quæ te inuitat, excitat, auxiliatur, & dirigit, vt dignè egrediaris, & contempleris, ſine qua nihil poſſes agere: præſto tamen eſt opportuno tempore, ſi ei velis conſentire, & licèt vox ſit exhortantis; aliquando tamen etiam eſt præcipiens, cùm mandata aliqua vrgent, quæ ſinè his egreſſibus, & conſiderationibus impleri nequeunt. Hæc pro cunctis myſteriis in genere dicta ſint; iam ad ſingula progrediamur.

In c 13. in Cant.

Vide pondērationē optimam lib. ſequēti Exhor.1. §. 4.

Diuini Verbi diadema esse sacram eius humanitatem. §. 2.

VIDETE (inquit) *regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua*; si ad rem significatam attendas, confirmatio est præcedentis similitudinis; ac si diceretur, videte regem Salomonem in ferculo, quod ipse fecit sibi de lignis Libani, &c. Nam (vt diximus) humanitas assumpta à Verbo ferculum eius fuit, eadem autem est diadema, quod ei mater imposuit (vt Diuus[a] Athanasius, [b] Ambrosius, [c] Gregorius, Beda, & plures Patres interpretantur: nam caput Christi est Deus; Dei ergo filius natura humana vestitus, est Deus diademate coronatus. Qualis autem sit hæc corona depingitur à Diuo Ioanne, cùm ait, *Vidi alium Angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, & Iris in capite eius, & facies eius* B *erat vt sol*, &c. Quod interpretantur Beda, Ricardus, & alij de Christo magni consilij Angelo, qui descendit è cœlo cùm homo factus est: amictus verò nubis humanitatem denotat, quatenus Verbum ipsum diuinum vestiebat, & tegebat; iuxta illud, *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* De qua nube dixerat Isaias, *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem.* Iris autem nubes etiam est rosida soli opposita prope Oriens vel Occidens; & quia post transactam tempestatem imbris fieri solet, symbolum est pacis & tranquillitatis, & ab ipso Deo vocatur signum fœderis inter ipsum & homines. Hæc autem Iris erat in capite Angeli instar diadematis seu cydaris, quoniam eadem Christi humanitas, quæ amictus dicitur, etiam est Verbi diuini diadema, ac signum fœderis & pacis, quam Christus afferebat mundo: nam, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Quod facilè intelligetur, C si ponamus eandem nubem amicientem Angelum, circumdedisse partem superiorem capitis in modum arcus, cuius extremæ partes essent super humeros eius, manente facie discooperta, quæ cum esset sicut sol efficiebat Iridem, quæ caput coronabat; sol enim est qui in nube facit cœlestem arcum. Dicitur autem facies sicut sol propter infinitum splendorem diuinitatis Christi, qui non ita tegebatur humanitatis nube, quin se proderet, & manifestaret esse verum Deum.

a In synop. cum agit de Cãt. Cant. b Li. de instit. virg. c. 16. 1. Cor. 11. v. 3. Apoc. 10. v. 1. Isa. 9. v. 6. iuxta Lxx Ad Phil. 2. v 7. Isa. 19 v. 1. Gen 9. v. 12 2. Cor. 5. v. 19.

2. Hic est sol de quo Dauid inquit, *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*: id est, cum sole diuinitatis coniunxit tabernaculum carnis; in qua ortus est tanquam sponsus corona redimitus. Videmus solem in ortu suo si inuenit nubem vniformem secundùm raritatem, efficere coronam, quæ Græcè D vocatur, *Halon*, & eius refert figuram, facitque vt speciosior appareat; ita Christus Dominus sol iustitiæ, cui vir oriens nomen est, volens apparere in mundo, ex humanitate assumpta fecit sibi coronam, in qua speciosus forma apparuit præ filiis hominũ, & de thalamo suo exiit hac corona ornatus, sicut de se testatur, cùm ait, *Induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, & quasi sponsum decoratum corona.* Quem locum de Christo Domino interpretantur [a] Origenes, [b] Tertullianus, & Diuus [c] Augustinus. Sacratissima enim Christi humanitas fuit velut vestimentum nuptiale, magnam nobis afferens salutem, & iustitiam; & veluti corona seu mitra, vt legit Augu-

Psal. 18. v. 6. Isa. 61. v. 10. a In c. 26. Gen. b Lib. 4. cõtra Marcionem c. 11. c Lib. 3. de doct. Chri. cap. 31. & ep. 120. ad

A stinus, quia sponsus est rex, & summus Sacerdos multiplici corona dignus: nam si de primo Adam dicitur, *Minuisti eum paulò minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum*, multo magis de secundo Adam Christo; de quo Diuus Paulus expressè hunc locum intelligit. Maximè autem fauet versio Diui Hieronymi ex Hebræo, *Minues eum paulò minus à Deo, gloria & honore coronabis eum.* Gratias ergo agamus immenso Deo, qui tali diademate coronari non est dedignatus, per quam exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, & paulò minus à Deo est minoratus; eam tamen coronam seu gloriæ & honoris vocat, tum quia in opere isto plusquam in omnibus aliis gloriosus apparuit; tum verò quia per illam verè nos gloria & honore coronati sumus, & gloriam nostram ipse vocat suam, atque (vt notat Diuus Gregorius) quoniam membra eius sumus, propter communionem corporis diadema membrorum, etiam capitis diadema nuncupatur.

Honoratũ, & ser. 234. de tẽpore. Psal. 8. v. 7. Ad Heb. 2. v. 6. In hunc locum.

Quis, & quo die coronauerit Christum hoc diademate. §. 3.

1. HINC deducere possumus quis hoc diadema Christo imposuerit: textus sacer inquit, *Quo coronauit eum mater sua*; nempe sanctissima Virgo Maria, quæ eum in vtero suo concepit, & materiam ex suis sanguinibus præbuit, vt corpus Christi efformaretur; at non illa sola potuit hanc coronam efficere; nec tamen decebat alium virum ad illam efficiendam concurrere, vt simul esset mater & Virgo intacta. Ipse ergo filius qui ferculum sibi fecit cum Patre & Spiritu sancto, quorum opera sunt indiuisa, coronauit seipsum, & naturam humanam suæ vniuit personæ. Sicut enim Iridem & halonem facit sol per lucem, & terra per nubem, quæ ex vaporibus à se emissis resultat; sic sol iustitiæ hanc sacratissimam humanitatis coronam ex sanguinibus maternis sibi oblatis perfecit. Quare ergo impositio coronæ non Deo, nec ipsi Christo tribuitur, sed matri eius, quoniam causam homogeneam & eiusdem generis oportebat assignare; & cum Christus patrem non habuerit in terris; matri, à qua tantùm genitus est sine patre terreno, attribuenda erat. In quo etiam virginitas Deiparæ insinuatur, vt constet esse illam vnicam matrem, de qua vaticinatur Isaias, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*: & præterea allusio fit ad Bethsabee, quæ diadema regni obtinuit filio suo Salomoni, à Dauide illud expostulans. Propter quod hoc loco Salomon à matre dicitur diademate coronatus; ita etiam per matrem ex genere Dauid ortam hoc diadema Christo impositum est; atque à Deo suis precibus, & Sanctorum operum meritis celerem incarnationem filij Dei iam promissam, & dignitatem matris eum coronantis obtinuit: in quo etiam nobis eximius erga Deiparam amor commendatur, cui hanc gratiam acceptam ferre debemus, quod nostra humanitate ipsum Deum coronauerit, & nobis tantam gloriam, & honorem attulerit, cuius meritis speramus eius diuinitatis fore participes, qui per eam nostræ humanitatis factus est particeps.

Ita D. Tho. 3. p. q. 2. art. 21. ad 3. vide ibi Suarez disput. 10. sect. 6. & 7.

Confirmat hoc quod subditur, diadema positum fuisse *In die desponsationis illius*, quia sponsis olim parentes imponebant coronas in die nuptiarum; vbi autem non est pater terrenus, ma-

tri imponere incumbebat. Texebatur autem corona (vt inquit Tertullianus) ex variis floribus, & frondibus: at diadema Christi factum est ex roseis sanguinibus virginis, omnium rosarum florumque pulchritudinem excedentibus. Positum autem est in die desponsationis, quoniam in ipso momento Incarnationis facta est Verbi diuini desponsatio cum natura humana, quam sibi in vnitatem eiusdem hypostasis coniunxit, & simul cum Ecclesia, quam tunc assumpsit in sponsam, vt fusiùs in primo libro tractatum est circa illud, *Osculetur me osculo oris sui.* Vt autem intelligeremus desponsationem hanc factam non esse ipso inuito, aut repugnante, vel minus prompto animo & affectu, eo quod sponsa inferioris longè esset conditionis quam ipse addit, *Et in die lætitiæ cordis sui.* Ac si diceret; dies desponsationis fuit illi dies lætitiæ, non superficie tenus, & in apparentia faciei, sed in corde, & ex corde, quia maximè amauit sponsam, etsi Æthyopissam, & summo gaudio se illi desponsauit, vestimentaque nuptialia induit, *Gaudens* (inquit) *gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo*: id est, summo gaudio, & exultatione replebor, *Quia fecit me tanquam sponsum decoratum corona*: vnde egressus ab vtero, *Tanquam sponsus de thalamo suo, exultauit vt gygas ad currendam viam*: etsi enim infantulus erat corpore, gigantis habebat animum, & fortitudinem, ideoque exultauit vehementer vt cursum suum inchoaret & perficeret.

Lib. de corona militis. Isa 61. v. 10. Ps. 18. v. 7.

De contemplatione huius mysterij. §. 4.

EGREDIMINI igitur *filiæ Sion, & videte regem Salomonem*, &c. Nunquid vox hæc est Ecclesiæ militantis, quæ exultans animo de tanta gloria Christi in carne nostra concepti, & nati cœlestes hierarchias inuitat, vt illum videant, & congratulentur nobis; Egredimini (inquit Diuus Bernardus) virtutes angelicæ, incolæ ciuitatis supernæ; ecce rex vester, sed in corona nostra, in diademate quo coronauit eum mater sua. Sed his delitiis vsque modo caruistis, hanc hactenus dulcedinem non gustastis; habetis sublimitatem eius, sed humilitatem eius non vidistis. Egredimini igitur, &c. Cæterum quoniam Angeli non indigent nostra exhortatione, cùm potius in ipsum semper desiderent prospicere, & illis quanto sublimitas notior, tanto humilitas pretiosior & amabilior est. Potius dicemus hanc vocem ipsorum
1. Angelorum esse exhortantium & inuitantium Ecclesiæ animas, vt regem Christum intueantur, postquam natus est in Bethleem, & ab hominibus videri potuit. Tunc enim venerunt Angeli de cœlo exhortantes pastores, vt egrederentur ex caulis, gregesque desererent, vt ab omnibus expediti, festinè ad videndum illum irent, *Ecce*, inquit Angelus, *euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.* Hoc ipsum vaticinatur Salomon dicendum ab Angelis omni populo, cùm inquit, *Egredimini filiæ Sion.* Vobis (ait idem Bernardus) dicimus, filiæ Sion, animæ sæculares, debiles, delicatæ filiæ, non filij, in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi: egredimini de sensu carnis ad intellectum mentis, de seruitute carnalis concupiscentiæ ad libertatem spiritualis intelligen-

Serm. 2. de Epiphania. Lu 2. v. 11. Vbi supra.

A tiæ. Egredimini de terra vestra, & de cognatione vestra, & de domo patris vestri, & videte regem Salomonem: nam vbique rex est; licèt enim regnum eius non sit de hoc mundo, tamen rex est etiam in hoc mundo: sed si rex est, vbi regis purpura? vbi eius diadema? Egredimini, & videte regem Salomonem in diademate paupertatis & miseriæ, quo coronauit eum mater sua. Apud antiquos regium diadema erat fascia candida capiti circumuoluta, quamuis non multum referret; qua parte corporis gestaretur. Duplici ergo diademate possumus contemplari Christum à matre redimitum, dupliciq; fascia candida circumligatum, nimirum infantili carne diuinitatem, [illegible] caput est Christi circumuoluente, & fasciis [illegible] pannis inuolutum alligabat, sicut Eccle[illegible] *Vagit infans inter arcta conditus præsepia,* [illegible] *pannis inuoluta Virgo mater alligat, & man*[illegible] *pedesque, & crura stricta cingit fascia.*

Io. 18. v. 37. Ita refert Alex ab Alex. l. 1. suorum Gen. c. 28. [illegible] hymno passionis ad Matut.

B O vos igitur, filiæ Sion, nolite putare regem vestrum cum magna venturum pompa & maiestate, bysso, & purpura indutum, aureo diademate coronatum, & magna militum stipatum caterua. Audite quid vobis dicat Propheta, *Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus; exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem, ecce rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator, & ipse pauper.* Paupertas, humilitas, & mansuetudo insignia sunt huius regis, per quæ debetis illum agnoscere; quod clariùs testatur Angelus, cùm dixit pastoribus, *Et hoc vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio*, id est, accipite prodigiosum signum, quo hunc infantem distinguatis ab aliis, eumque agnoscatis Regem esse, & Messiam promissum. Infantilis caro diadema est, Verbi diuini tanto splendore fulgens, vt ipsa C se manifestet carnem esse filij Dei. Viles panni sunt loco purpuræ, quia elegit esse pauper cùm diues esset, & hoc magnum est tanti regis prodigium, omnes diuitias, quarum Dominus erat, contempsisse: fascia loco est coronæ infantis recenter nati, præsepe verò thronus regni eius, vel sicut Salomonis ferculum, cuius media sunt charitate constrata, quia medium præsepis infantulus, qui charitas est, occupabat, & quidquid exercebat spirabat charitatem. Charitas est quod vagit, & lachrymulas fundit: charitas, quod frigore tremit, pannis inuoluitur, fascia cingitur; charitas denique, quod in præsepio inter animalia iacet; nam qui foris frigore tremit, intus charitate ardet, *Ipse accensus & combustus ob filias Ierusalem*, vt illæ à conspectu tantæ charitatis accensæ reddantur, & cõbustæ. Egredimini igitur filię Sion; animæ Christi amãtes contemplamini illum in regio ornatu, & D diademate, quod in infantili ætate dedit ei mater sua, preparãs illum ad nuptias vobiscũ suo tẽpore celebrandas. Considerate letitiam cordis eius; nam licèt foris videatur vagire & lachrymari, tamen maxima perfunditur cordis lætitia; cuius vos participes faciet, si cum eo esse volueritis, *Nunquid*, inquit, *filij sponsi possunt lugere quandiu cum illis est sponsus?* & Ioannes ait, *Qui habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Vox sponsi in præsepio vagitus est & singultus, vos quæ amicæ estis sponsi, & statis ad contemplandum illum, gaudete gaudio magno, hanc eius vocem audientes, quia signum est vestræ salutis, & mundi redemptionis, propter quam infans natus est.

Mat. 21. v. 5. Ex Isa 62. 11 & Zach. 9 v. 9 Lu. 2. v. 11. *Præsepe ferculũ regis Salomonis.* Mat. 9. v. 15. Io. 3. v. 29.

3. Sophoniæ 3. v. 14. & 17

Ad hoc nos Sophonias Propheta exhortatur, A dicens, *Lauda filia Sion, iubila Israel, lætare, & exulta in omni corde filia Ierusalem.* Et quare hoc? *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit, gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude.* Quomodo fortis in medio tui, si infantulus est iacens in præsepio? Vtique, quia licet paruulus natus sit nobis, tamen tunc principatus eius factus est

Isa 9. v. 6. super humerum eius, *Et vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis.* Sed quid est, *Silebit in dilectione sua?* Nam ingens eius dilectio erga te, faciet illum infantem silentem, & nescientem loqui: silebit etiam, & quiescet abtra & indignatione quam ob tua scelera merebaris: silebitque ac permanebit in hac sua dilectione, vt te ad redamandum prouocet, in suique sponsam sibi asciscat. Vnde Septuaginta legunt, *Innouabit te in charitate sua, quia* B *te in nouam transferet creaturam* noui huius Adam imitatricem; ita vt ipse rex tuus exultet super te, laudans Deum Patrem suum propter bona quæ tibi largitus est. Lauda ergo & tu Regem paruulum & fortem, qui in medio tui est, vt te saluet, & quiescat in dilectione tua, renouans te charitate sua.

O stupenda & prodigiosa natiuitas! in qua tanti regis facta est vel manifestata coronatio; inter homines quidem corona solùm imponitur ei, qui iam antea erat, ideoque nullus homo purus dicitur sua natura coronari, sed solus Christus, qui prius erat quàm homo fieret, & humanitatis diadema sibi assumeret. Vnde etiam nulla mater coronat filium suum cùm eum concipit, & parit; quinimo ipsa pretiosam virginitatis tunc C amittit coronam. At Deipara sola filium suum concipiendo coronauit, & virginitatis coronam non amisit, sed amplius illustrauit: per partum autem eum coronatum mundo ostendit, non cum dolore & gemitu, sicut aliæ matres pariunt filios suos, sed cum lætitia & gaudio, vt ortus noui regis non tantùm esset *Dies lætitiæ cordis illius*, sed etiam matris eius, & Angelorum ac hominum, qui cum venerant adorare.

PRO EPIPHANIA DOMINI.

De vocatione Magorum, vt egrederentur ad adorandum Christum.

§. 5.

1. Mat. 2. v. 1.

TANDEM hæc vox dirigi potest ad tres reges Magos in Oriente positos, qui rectè filiæ Sion, id est speculæ, vocantur, quia speculandis & inspiciendis syderibus intenti erant: vnde nouam stellam videntes, quæ regem Christum natum indicabat, intus audierunt vocem

Zach 5. v. 12 Dei, vel Angeli, dicentis illis, *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate,* &c. Egredimini ab Oriente vestro, vt videatis Regem cuius nomen est, *Vir oriens*, & nunquam deficiens: egredimini à regione vestra, vt inquiratis nouum Regem Salomonem nouo diademate redimitum. Egressi igitur Magi perueniunt Ierosolymam, & de Rege nato diligenter scisciantur; vbi iterum illis dicitur, egredimini filiæ Sion etiam à Ierusalem, à consortio Herodis astuti tyranni, à commercio Iudæorum, qui tyranno blandiuntur; quia Rex iste, qui elegit ciuitatem regiam, ad mortem, respicit illam

Michææ 5. v. 12. ad natiuitatem, & in Bethleem, quæ paruula est in millibus Iuda, nasci voluit, vt se absconderet à sapientibus, & potentibus sæculi, manifestaret tamen paruulis & humilibus corde: quod si Reges sint & sapientes, illis tamen dicitur, egredimini à superbia vestra, à fastu & pompa mundana, à sapientia huius sæculi, quæ stultitia est apud Deum, vt possitis videre & contemplari Regem Salomonem humili diademate coronatum, *Nec enim audebunt eum contemplari omnes qui sibi videntur esse sapientes.* Ideoque non vocantur ad egrediendum filij, sed filiæ, quæ non vires suas iactant, sed propriam infirmitatem agnoscunt; non pugnant armis, sed lachrymis; non gladiis, sed precibus, vt ad tanti regis admittantur conspectum.

Iob 37. v. 24.

Ingressi igitur Magi domum, *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius*, moxque fidei oculis viderunt, & cognouerunt puerum illum regem esse Salomonem, principem pacis, Deum verum, diademate humanitatis à sola Virgine matre coronatum. Ideò enim nulla fit mentio Ioseph, quia ad illum non attinebat diadematis impositio. Sed nunquid cùm dicitur, *Videte Regem Salomonem*; ad visionem sterilem inuitamur? minimè, quia scriptum est, *Non apparebis in* Exod. 23. v. *conspectu meo vacuus.* Ideoque Magi a Deo in- 15. structi quod mente viderant, muneribus testantur; videlicet pueri naturam diuinam & humanam, ac regiam dignitatem, dum aurum offerunt tanquam regi, thus tanquam Deo, myrrham tanquam homini mortali. Olim regina Sabba egressa fuit à finibus terræ videre Salomonem, 3. Reg. 10. v. 1. cui obtulit centum viginti talenta auri, & aroma- 2. Par. 9. v. 9. ta multa nimis, ac gemmas pretiosissimas, quia Regem venerabatur terrenum, temporalibus florentem diuitiis, & illis gaudentem. Sed nulla ibi specialis thuris mentio, quia Salomon ille purus homo erat, & non Deus, cui soli debetur oblatio thuris; nulla etiam memoria myrrhæ, quia licèt mortalis esset, tamen mortales, & maximè reges horrent videre mortis signa, *Cuius memoria amara est homini habenti pacem in sub-* Eccl. 41. v. 1. *stantiis suis.* Non ergo mirum quod Regi Salomoni, qui tanta pace fruebatur, & diuitias possidebat, amara esset myrrha, nec ei esset signatim oblata. At Magi, de quibus dicitur, *Reges Thar-* Ps. 71. v. 10. *sis & Insulæ munera offerent, reges Arabum & Sabba dona adducent.* Et iterum. *Omnes de Sabba* Isa. 60. v. 6. *venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes*: Aurum offerunt, sed non multum, quia non regi terreno, sed cœlesti, nec ad locupletandum illum, sed ad regiam eius testandam dignitatem obtulerunt; nec aromata multa nimis adducunt, sed tantùm thus & myrrham, vt simul Deum & hominem mortalem fateantur; nec enim rex iste mortem horret, sed potius amat, quia moriendo non regnum amittit, sicut alij reges, sed potius à ligno crucis regnare gloriosius cœpit: ideoque etiam infantulus myrrhæ oblatione gaudet, nam mortem in votis habet.

Sed quid est quod Isaias tantùm ait, *Omnes de Sabba venient, aurum & thus deferentes*, nullamque mentionem myrrhæ facit: nisi dicas loco myrrhæ addidisse, *& laudem Domino annuntiantes*; ea loquendi phrasi qua homines non tam laudantur propter bona quæ habent ex natura, quam propter illa quæ liberè agunt, cùm possint non agere: at regia dignitas, & diuina maiestas con-

uenit Christo per naturam deitatis; sponte tamen A fieri voluit homo mortalis, mortemque subiit, ac cætera redemptionis nostræ opera perfecit. Sicut ergo propter primum aurum & thus ei offerimus, ita propter secundum laudes eius canimus, & gratias agimus.

3. Denique in hoc die apparuit Christus tanquam Angelus pacis Iride coronatus, quia inter vtrumque populum Hebræum & Gentilicum pacem constituit, dum vtriusque primitias pastores & Magos ad præsepe traxit, vt eumdem regem pacis principem viderent, & adorarent; qui ad

Ad Ephes. 2. v. 15. hoc venerat (sicut inquit Apostolus) vt duos populos in semetipso in vnum nouum hominem conderet, & in vno corpore reconciliaret, sed peculiariter dies iste fuit illi desponsationis & lætitiæ, quoniam aduentus Magorum dies primus fuit mutui conspectus inter sponsum Christum recenter natum, & nouam sponsam ex Gentibus B aggregatam. Hæc magna cum lætitia offert suo sponso munera & dona mystica, quibus eius magnitudinem testatur; ille vicissim largitur sine dubio sponsæ noua, & multo maiora dona, quibus suum erga eam amorem manifestat. Nam si multa dedit regina Sabba regi Salomoni, tamen, vt Scriptura testatur, rex Salomon dedit

2 Paral 9. c. 12. illi multo plura quam attulerat ad eum; ita etiam rex noster Christus centies & millies plura dedit Magis, quam ei obtulerant, cœlestibus bonis ita replens corda eorum, vt nunquam ita reges, nunquam ita sapientes, nunquam ita diuites & potentes, quàm tunc exiterint. Dies enim lætitiæ cordis Christi est animas sibi per amorem vnitas sui visione satiare, *Satiabor*, ait Dauid, *cùm apparuerit gloria tua.* Gloria Dei est rex Salomon car-

Ps. 16. v. 15. nis diademate redimitus, qui tunc apparuit nobis

Ad Tit. 3. v. 4. cùm apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, & tunc visus fuit à filiabus Sion, cùm C

Baruch 3 v. 38. Deus in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, cui sit honor & gloria in secula seculorum. Amen.

EXHORTATIO XXXV.

PRO PARASCEVE.

De spinea corona, qua Christus in passione sua à Synagoga coronatus est; & de modo contemplandi hoc mysterium.

Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem, &c.

PRO DOMINICA PALMARVM.

D IAM ad passionem Christi Domini hæc verba referamus; quod si diadema non solùm ornatum capitis, sed totius corporis regium ornamentum significet, vt prædiximus, multos egressus hic contemplari possumus. Et quidem primò placuit Christo Domino quinto die ante passionem Ierosolymam ingredi cum regia pompa & apparatu, sed qualis talem regem decebat, qui ea quæ mundi sunt non sectabatur, vt impleretur vaticinium supra

Mat. 21. v. 5. relatum, *Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.* Vnde diuino instinctu illo die omnibus Ierosolymitis dictum est, *Egredimini filiæ Sion, & videte Salomonem*; non in fercu-

lo ex lignis Libani cum columnis argenteis, & reclinatorio aureo, purpura contecto, sed loco ferculi, vehiculum eius est pullus asinæ, reclinatorium aureum, dorsum pulli constratum vice purpuræ vilibus discipulorum vestibus: loco autem columnarum argentearum erant rami pal- Mat. 21. v. 7 marum & arborum, & sonoræ voces clamantium, *Benedictus qui venit rex in nomine Domini; pax in cœlo, & gloria in excelsis, benedictum quod venit regnum patris nostri Dauid.* Sed me- Lu. 19. v. 38. dia charitate constrauit propter filias Ierusalem, Marci 11. v. quoniam dum iret sedens super pullum, charitatis suæ radios effundebat in omnes; & videns ciuitatem Ierusalem, ex eadem charitate miseri- Lu. 19. v. 41. cordia motus fleuit super illam, dicens, *Quia si cognouisses & tu, quæ ad pacem tibi*; id est, Salomonem pacificum esse qui venit ad te, vt perpetuam tibi largiatur pacem. Sed vbi est diadema regis triumphantis, quo coronauit eum mater sua? an fortè non coronauit eum in die triumphi, sed tantùm in die desponsationis? Iste autem dies lætitiæ fuit cordis illius; sed non desponsationis dies videtur fuisse. Quando ergo impositum est diadema? At si cuncta hoc tempore gesta perpendas, perspicies Christum triumphantem Ierosolymam tendere, vt ibi regni diadema accipiat, quinto post die sibi imponendum. Contemplemur ergo quale fuerit hoc diadema, à quo & propter quid, tanto Regi sit impositum.

Quas ob causas voluerit Christus spineo diademate coronari. §. 1.

EXPLETO igitur quinto die, quando immolandus erat Agnus, qui quinque dies antè Exod 12. v. 2. & 6. seruabatur domi, cœpit Agnus Dei immolari, magna contra eum tormentorum, ignominiarum, & dolorum excitata tempestate, *Et tunc milites* Matt. 27. v. *plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius,* 28. *& veste purpurea circundederunt eum, & arundinem in dextera eius, & genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes, aue Rex Iudæorum.* En regium ornamentum, regiamque coronam, & sceptrum irrisionis causa, à militibus impositum, sed à Spiritu sancto ob ingentia permissum mysteria. Proiectus est Ionas in mare maxima tempestate feruens, vbi à pisce grandi deuoratus est; in cuius ventre triduo mansit: sed quid antea ei contigerit narrans, sic ait, *Circundederunt me aquæ* Ionæ 2. v 6. *vsque ad animam, abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum.* Vox Hebræa quam Vulgata vertit *pelagus*, significat etiam algam, caricem, iuncumque, quo abundat mare, tum in littoribus suis, tum fortè in parte inferiori profundi, maximè in aliquibus rupibus, quæ abysso conteguntur. Credibile autem est, quando Ionas proiectus est in mare, non solùm pelagus aquarum operuisse caput eius; nam de hoc iam dictum erat, *Abyssus vallauit me*; sed etiam carices & iuncos in modum coronæ cinxisse, & operuisse caput eius, quasi corpus ex impetu in profundum deiectum caput inter algas & iuncos immitteret, vnde illis quasi cinctum exiret, & coronatum, vt in Iona tota Christi passio repræsentaretur, quem, vt Psalmista testatur, circundederunt aquæ vsque ad animam, infixus fuit in limbo profundi, & non erat substantia. Sed cùm infixus dicitur in limo profundi, quod etiam caricibus & algis solet esse permixtum, pelagus ope-

Hoc modo fit valdè probabile hoc, licèt Ribera dicat se non intelligere quomodo id fieret. Psal. 68. v. 1.

ruit caput eius, & iuncorum corona circunde-
Matt. 12. v. 40. dit illud: nam corona ex iuncis marinis, qui duriores sunt terrestribus, dicitur confecta: & tandem deuoratus à cete, id est à morte in corde terræ, quod est limbus, fuit anima eius triduo, sicut corpus triduo mansit in sepulchro.

D. Tho 3 p. q 52. a. 4. Ita Toletus in Ioan. 19.

Sed iam arcanas huius coronationis causas propalemus. Prima & notissima est, quam optimè
1. Lib. de corona militis paulo ante finem. perpendit Tertullianus, sic dicens; Quale oro te, Christus Iesus sertum pro vtroque sexu subiit? ex spinis opinor, & tribulis in figuram delictorum quæ nobis protulit terra carnis: abstulit autem virtus crucis, omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantia obtudens. Quæ verba magna digna sunt ponderatione, cùm spinea Christi corona non solùm abstulerit spinas peccatorum, sed aculeos tentationum acutissimos, qui ad peccata prouocant, obtuderit, ne acriter feriant, & configantur. Memoria enim crucis, ac spinarum Christi maximas vires præbet
2. ad hos aculeos confringendos. Vnde huic causæ accedit alia, vt scilicet tribulationes, & miserias huius vitæ ob peccata nostra inflictas, & introductas mitigaret, & aculeos earum auferret.
Orat. de pass. & cruce Domini. Quod egregiè ponderat Diuus Athanasius, dicens, per spineam Christi coronam ablatam esse
Gen. 3. v. 17 maledictionem terræ inflictam, cùm dixit Deus, *Maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos*
In hymno passionis. *germinabit tibi*. Quemadmodum ergo quando primi parentes fructum comedentes ligni prohibiti corruerunt, Deus ipse (sicut Ecclesia canit) lignum tunc notauit, damna ligni vt solueret, volens ligno crucis affigi, vt destrueret peccatum propter alterius ligni esum perpetratum; ita etiam possumus dicere, cùm terræ maledixit, vt spinas in supplicium peccatorum germinaret, spinas tunc notauit, vt damna spinarum, id est, culparum, solueret: volens spinis configi, vt tam culpas, quam pœnas nostras tolleret: nam, *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*. Primùm ad culpas, secundum ad pœnas referendum est. Iis autem ablatis, terra cordis nostri irrigata sanguine Christi per vulnera spinarum, & clauorum effuso, non iam spinas germinaret, sed sancta opera & condigna illis præmia: tunc enim impletum est
Ioel. 3. v. 18 Ita D. Hier. apolog. ad Pamachiū. illud Ioëlis, *Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum*; quoniam à Christi vulneribus fons sanguinis exiuit, qui animas fœdas & aridas lauaret, & rigaret, pulchrasque & fœcundas redderet. Vnde paulo post subdit, *Et mundabo sanguinem eorum quem non mundaueram*. Vox item Hebræa, *settim*, quam interpres vertit spinarum (vt notat Diuus Hieronymus) significat spinam albam, quia per sanguinem Christi rubor sanguinis peccatorum, sicut
Isa 1. v. 18. etiam Isaias ait, in alborem conuersus est.

Confirmat hoc Diuus Athanasius, dicens, Christum spinis voluisse coronari, vt pungentes curas quæ homines, maximè voluptuosos, auaros, & superbos vexant, extirparet. Scimus enim semen diuini verbi à Deo iactum in terra cordis humani à spinis suffocari, *Quod in spinis*
Luc. 8. v. 14. *cecidit* (inquit Dominus) *hi sunt qui audierunt, & à solicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum* Vbi triplex spinarum genus enumerat, quod Diuus
1. Io. 2. v. 16. Ioannes vocat concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. Superbia autem & ambitio honorum per solicitudines denotantur, quia magis solicitos reddunt filios huius seculi: sicut ergo clauus clauum pellit, ita spinæ assumptæ à Christo, à cordibus nostris pellunt spineas solicitudines, quæ conscientias pungunt, & cruentant.

Et quoniam contraria contrariis curantur, voluit Christus per spineam coronam, & regis insignia ex ludibrio imposita, sed sponte ab ipso assumpta, mundi curare superbiam, & carnis lasciuiam, quarum sectatores seipsos iugiter exhortantur, dicentes, *Non pertranseat nos flos temporis, coronemus nos rosis antequam marcescant; nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra*. O infœlices! qui spinas amant peccatorum, quæ mentem vulnerant, & cruentant: fugiunt verò spinas dolorum & tribulationum, quæ illarum mederentur vulneribus; maluntque rosis coronari, quæ dum caput ornant, & carnem recreant, animam vehementer lædunt, & inficiunt, tandemque marcescent, & ignis æterni nutrimentum erunt: *Væ* (inquit Isaias) *coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis eius*: nam corona superbiæ verteretur in coronam ignominiæ, ebrietas in æternam sitim, flos in pungentem spinam, & gloria exultationis in mœroris opprobrium sempiternum. Sed eo magis infœlices, & vecordes; quia, teste Iob, *Esse sub sentibus delitias computant*. Pudeat ergo nos sub spinato Christi capite militantes coronas rosæas portare, delitias concupiscere, ambire honores, & splendida mundi sectari, quæ instar rosæ ab arbusto præcissæ, citò arefiunt, aut simul cum morte nobis pereunt; at spinea Christi corona, quæ non solùm capiti imposita est, sed infixa; (nam aculei eius sacratissimum cerebrum terebrarunt) regnum eius indicabat mutabile non esse, sicut huius mundi regna, sed fixum & æternum, nunquam finem habiturum. Spinæ etiam sacro rubentes cruore omnibus rosis pulchriores factæ sunt, vt sciremus spinas tribulationum eodem sanguine tinctas, conuertendas fore in pulcherrimas rosas, per easque obtinendam coronam non corruptibilem, sed incorruptam, & hæreditatem incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in cœlis, vbi perpetuò cum ipso regnemus, qui coronat nos in misericordia, & miserationibus.

4. Sap. 2. v. 8. Isa. 28 v. 1. Iob 30. v. 7. 1. Cor. 9. v. 25. 1. Pet. 1. v. 4.

Hinc est spineum istud diadema, vt Diuus
5. Vbi supra. Athanasius docet, miraculosum & stupendum signum esse victoriæ Christi, eiusque triumphi, & regni, quod sibi acquisiuit, & nobis promeruit: vnde cùm ascendit in crucem illud in capite portans, propè caput in vertice crucis affixus est titulus iste, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*; & benè Nazarenus, id est, floridus dicitur, quia per spineam coronam, cùm de diabolo triumphat, spinas culpæ & pœnæ in flores vertit virtutis & gloriæ: spinis misceri solent flores & rosæ; qui ergo vocatur *Flos campi*, in campo Caluariæ coronatur spinis, eas proprio purpurans cruore, vt similes essent rosis. *Egredimini*, igitur, *filiæ Sion, & videte regem Salomonem*. Egredimini ab hoc mundo, qui totus in maligno positus est, egredimini à mundana & carnali conuersatione hominum, qui Christum crucifixum, & spinis coronatum stultitiam & scandalum putant: intuemini illum in cruce triumphum agentem, & ita pacis
Isa. 53. v. 7. Psal. 119. v. 6. amantem, vt tam diro serto vlceratus non irascatur, nec vlciscatur, cum posset; sed tanquam agnus

innocens obmutuit, nec aperuit os suum; & cum his qui oderunt pacem erat pacificus, & pro pace illis impertienda suum fundebat cruorem.

Quæ mater spineum diadema Christo imposuerit. §. 2.

1. SED multo magis stupendum est quod subditur de imponente diadema, *Quo* (inquit) *coronauit eum mater sua*. Matrem suam vocat synagogam, & gentem Hebræam, ex qua natus est secundum carnem, & est ipsa Sion, cuius filias alloquitur, iuxta illud Psalmi supra allegatum. *Nunquid Sion*, (velut legunt D. [a] Augustinus, D. [b] Ambrosius, & [c] Tertullianus.) *Mater Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus*. Etsi ergo spiritus diuinus dicere posset, videte, ô filiæ Sion, diadema, quod mater vestra Sion imposuit Regi Salomoni; noluit tamen, ne eas confundere, & exprobrare videretur: sed ait *mater sua*: vt potius admirationem & compassionem excitet, etsi tacitè sæuitiam matris, aut potius nouercæ insinuet: *Quæ expectata est, vt faceret vuas, fecit autem labruscas, & spinas*. Et cum teneretur Christum tam diu à se expectatum recipere, vt regem venerari, & ei fideliter inseruire, insurrexit contra illū, negauit, contempsit, irrisit regnum eius, & spinis coronauit: nam vt notat Tertullianus: certe præter figuram, contumelia in promptu est, & turpitudo, & decoratio, & his implexa sæuitia, quæ tunc Domini tempora, & fædauerunt, & lancinauerūt. Si Christi maxima fuit iniuria quod à discipulo venderetur, vnde & conquerebatur dicens: *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique; tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, subaudi*, maledicis secreto mihi, & fraudulenter me vendis, ac morti tradis; quanto ergo magis conqueri posset de tota synagoga? ac si diceret, & tu mater, ac genitrix mea, quæ me diu expectasti; nunc spinis me coronas. Sed cum diadema hoc non tam synagoga quam ethnici Pilati milites imposuerint, cur matri hoc attribuit? recte quidem, quia nisi ipsa Christū verum regem suum esse negasset, falsumque regem ac prophetam diceret, milites facinus illud non attentassent: ex suasu autem Iudæorum, vel ex diaboli suggestione in eorum gratiam attentarunt: & quia sciebant apud suos imperatores magni haberi sceptrum aureum, vestem purpuream, & coronam gramineam, vt Plinius refert, ideo irridēdo Christi regnum, arundineum sceptrum, purpuream vestem, & spineam coronam imposuerunt illi, forte etiam irridentes non tantum regiam dignitatem, sed diuinam, quam sibi vsurpare putabant, tanquam Deum fictum, & idolum gentium iuncis coronarunt.

In Psal 86. v. 5. in exh. 30. §. 1. [a] in Psal. 86. [b] In oratione de obitu fratris post initium. [c] Lib. aduersus Praxeam, c. 17. Isa. 5. v. 4. In libello de corona militis. Psal. 54. v. 14. Ioa. 19. v. 4. & 14. Lib. 22. c. 24 & Aulus Gellius lib. 5. c. 6. Ioa. 14. v. 30. In Cant. 2. v. 2. plura de hoc. Ioa. 19. v. 6. & 15.

2. Pilatus autem non sine Dei instinctu Christum Dominum regio isto ornatu circumamictum adduxit foras in conspectu totius populi, vt cognoscerent, *Quia nullam inueniret in eo causam. (Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam & vestimentum purpureum) & dicit eis, Ecce homo*. Et cum iterum postea illum educeret foras, dicit Iudæis: *Ecce Rex vester*. Sed quid inquit æternus Pater, & diuinus eius Spiritus? *Egredimini filiæ Sion, & videte* hunc Salomonem, qui verus homo, & Rex vester est; sed plusquam homo, quia est Deus verus, & plusquam Rex vester, quia Rex est cæli & terræ, Rex Regum, & Dominus omnium nationum. Videte eum tali ornatu, & diademate circundatum à matre sua. Non pro peccatis propriis, quia nec Pilatus vllum A inuenit, nec diabolus inuenire potuit. *Venit* (inquit) *ad me princeps huius mundi, & in me non habuit quicquam*. At ex parte nostra causam huius ornatus Deus inuenit, omnium scilicet peccata, & concupiscentias, quæ tam stupendo indigebant medicamine, vt iam perpensum est. Intuemini ergo ista, vt istis compatientes cum patiente, flentes cum flente, propria plorantes peccata quæ spinas illius coronæ texuerunt: illum æmulantes, vt sicut ipse fuit tunc lilium inter spinas, ita inter easdem spinas lilia esse curetis, vt suo loco vberius dictum est. Caue autem ne æmuleris nouercam, quæ hanc coronā ei imposuit, Pilatoq, respondit, *Tolle, tolle, crucifige, crucifige eum*. Non enim dignata est illum videre, nisi extremo addictum supplicio, sed væ miseris Iudæis, quia in die iudicij velint, nolint, *Videbunt eum quem pupugerunt*, in ipsorum tamen perniciem, & condemnationem. Væ etiam tibi, si B nolueris mysterium huius coronationis, & passionis videre, & meditari, eoque proficere, quin imò factis dicas: tolle, crucifige; iterum, intra te Christum crucifigens, & spinis coronans; quoniam acutissimis & æternis pungeris spinis, & coronam gloriæ in æternum perdes. Æmulare potius veras filias Sion, Virginem Deiparam, discipulum dilectum, & deuotas mulieres, quæ stabant iuxta crucem Iesu videntes, & contemplantes regem Salomonem cum suo regio nouoque ornatu, cuius purpura erat corpus proprio sanguine tinctum, sceptrum, claui perforantes manus, thronus, claui terebrantes pedes, spinea corona circuncingens caput; & gratias agito tanto regi, qui talibus insignibus pro te ornari voluit, cupiens ad eius similitudinem eis semper indutus incedere.

De alia matre, à qua hęc corona posita dici potest cum D. Ambrosio dicetur in exh 36.

Qualis fuerit dies huius coronationis. §. 3.

1. SED magis adhuc stupendum est quod dicitur hanc coronationem factam esse, *In die desponsationis illius, & in die letitiæ cordis eius*. O ineffabilis Christi charitas, qui in ferculo crucis sponsam sibi asciuit, cum ibi somnum mortis dormiens è latere suo lancea perforato eduxit, & formauit Ecclesiam, cum qua nuptias celebrauit, sicut primus Adam cum Eua, quæ ex eius latere dum dormiens esset, fabricata fuit. *Sacramentum hoc* (ait D. Paulus) *magnum est. Ego autem dico in Christo & Ecclesia*. Verè Sacramentum magnum; quia inter homines per mortem dissoluitur matrimonium & desponsatio; nam, teste eodem Apostolo, *Quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri*: at Christus in morte desponsationem C iniit, nuptias contraxit: cur hoc? forte quia per mortem dissolutum est connubium cum veteri synagoga, quatenus abrogata est eius lex in monte Sina data, & testamentum vetus irritum factum est. Vnde noua tunc Ecclesia est erecta, noua desponsatio per legem gratiæ, nouumque testamentum institutum, quod morte Christi interceden-
te confirmatum est in æternum duraturum. Quamobrem melius ei Ecclesia, quam olim Sephora Moysi dicere posset: *Sponsus sanguinum tu mihi es*, quoniam sponsatio ista totius sponsi sanguinis effusione est perfecta; imò sicut per sanguinem filij ipsius Moysis tunc effusi seruatus est ipse Moyses à morte, quam minitabatur ei Angelus; ita per sanguinem Christi Domini, qui filius fuit legis veteris per Moysem significatę, mors (vt inquit

Gen. 2. v. 23. ad Ephes. 5. v. 32. ad Rom. 7 v. 2. 1. Cor. 7. v. 39. ad Hebr. 9. v. 16. Exod. 4. v. 25.

Apud Lipomanum in catena.

D. Cyrillus) superata est, ipsaque sanctorum patrum multitudo seruata; imò, & vniuersum hominum genus, quod Christum Dominum ætate
„ præcessit: pro omnibus namque est mortuus, omniumque in ipso mors soluta est.

2. Præterea dies mortis Christi vocatur desponsationis eius, vt significetur has nuptias, non esse carnales, sed spirituales, nec ordinari ad propagãdam vitam corporum, sed animarum, quæ tunc vere viuunt, cum per mortem Christi peccato moriuntur, vt cum ipso ad nouam, & spiritalem vitam resurgant: ideoque immersio in aquam baptismatis, vbi hæc Christi, & animæ desponsatio perficitur, symbolum est mortis, & sepulturæ ipsius, sicut testatur Apostolus dicens: *Consepulti sumus per Baptismum in mortem cum illo: vt quemadmodum Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.*

ad Rom. 6. v. 4.

B

3. Sed id adhuc mirabilius est quod hunc diem vocat lætitiæ cordis sui, cum tamen constet eum dixisse: *Tristis est anima mea vsque ad mortem?* sed anima, inquit, est tristis, quæ partem inferiorem indicat; at lætitia est cordis, quod partem superiorem designat; quæ maximè lætabatur de morte, de corona spinea, & de ipsa tristitia sponte assumpta; adeò vt molesta ei esset horum dilatio, sicut testatus est dicens: *Baptismo habeo Baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur?* nam spes quæ differtur affligit animam, desiderium veniens est velut lignum vitæ, lætificans illam. Vnde lignum crucis Christo, qui mori desiderabat, non fuit lignum mortis, sed vitæ, magnique solatij causa. Hunc igitur diem peculiariter contemplare, gratias agens ei qui tanta cum lætitia, tot tantasque pro te miserias perpessus est. Nam ad hoc intuendum nos exhortatur Apostolus cum ait; *Aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum; qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta*, id est, proposito sibi gaudio terreno ab eis, qui eum regem facere volebant, illud contempsit; proposito etiam sibi gaudio gloriæ eius corpori debito, quatenus beatus erat, illud reliquit; magno tamen proposito ante se gaudio & lætitia sustinuit crucem, pro nihilo ducens confusionem, quam in ea passus est. Aspicientes igitur Christum tanto gaudio crucem, & spineam coronam amplectentem, eodem gaudio amplectimini vos illam; omne gaudium existimantes cum in varias tribulationes propter ipsum inciderit is. *Et communicantes Christi passionibus, gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.* Nam sicut ipse propter passionem mortis gloria, & honore est coronatus; ita & nos si patimur cum illo, gloria etiam, & honore coronabimur: nam patiendo æmulabimur (inquit Tertullianus) illam Christi coronam, quæ postea ei euenit; quia, & fauos post fella gustauit; nec ante Rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quam Rex Iudæorum præscriptus in crucem, moderatus à patre modicum quid citra Angelos, & ita gloria & honore coronatus.

Triplex explicatio gaudij.

Iacob. 1. v. 1 1. Petr 4. v. 13. ad Hebr. 1. v. 8.

Libello de corona militis:

4. Denique hic dies lætitiæ est de quo Christus Dominus dixit; *Abraham exultauit vt videret diem meum, vidit, & gauisus est.* Licet autem vniuersa vitæ Christi periodus dies eius vocari possit, triplex tamen in eo dies insignior inuenitur. Primus fuit dies incarnationis, cum pro nobis factus est homo, vel dies natiuitatis, cum in carne apparuit mundo. Secundus dies passionis cum in cruce immolatus obiit; tertius vero dies resurrectionis & ascensionis cum viuus triumphauit. In primo

Ioa. 8. v. 56.

C

cæpta est desponsatio cum Ecclesia: in secundo ratificata: in tertio consummatæ sunt nuptiæ, & sponsa ducta est ab sponso in domum suam. Hos tres dies, qui vnus sunt Christi, vidit Abraham in spiritu & gauisus est. At mirum est gauisum esse non de primo & tertio, sed de secundo, sed in hoc, vt alibi fusius diximus, duo valde diuersa vidit. Videlicet Isaac à morte erutum, & arietem cornibus inter vepres hærentem, occisum & immolatum: quia Christus vt Deus occidi non potuit, sed viuus permansit tan quam Isaac, vt risus sit & gaudium omnium; idem vero vt homo immolatus est sicut aries: sed prius visus est cornibus, qui in capite sunt, vepribus hærens, ad significandum, vt inquit D. Augustinus, prius quam morti traderetur, spinis Iudaicis fuisse coronatum; & quia hoc medium erat ad cœlestis regni coronam obtinendam, sub hac ratione Abraham de hoc gauisus est. Gaudeamus & nos de tanto beneficio per Christum nobis collato, & ita vitam instituamus, vt fructuum eius possimus esse participes in secula seculorum. Amen.

In lib 4 exhort 4 §. 4.

Genes. 22. v. 13.

Lib. 16. de Ciuit. Dei, c. 32.

D

EXHORTATIO XXXVI.

De diademate gloriæ, quo coronatus est Christus Dominus in die resurrectionis, & ascensionis; de modo contemplandi hæc mysteria, & secundum aduentum ad iudicium cum eadem gloria.

PRO RESVRRECTIONE ET ASCENSIONE DOMINI.

Egredimini filiæ Sion, &c.

POST contemplationem spineæ coronæ, vt ex proximè dictis constat, inuitamur ad contemplandum gloriosum diadema, quod Christus per passionem promeruit. De quo Apostolus ait, *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Sicut autem humanitas diadema fuit Christi caput diuinitatis tegens; ita corpus iam glorificatum diadema est summæ gloriæ, & exultationis, regiam & Sacerdotalem eius dignitatem valde illustrans. Ad hanc enim coronam, pertinent quatuor dotes gloriæ, quæ à Theologis appellantur claritas & subtilitas, agilitas, & immortalitas, seu impassibilitas: maximè autem prima, quæ Solis & Lunæ, ac stellarum splendorem & pulchritudinem longe superat: in qua corona, quinque maiora vulnerum stigmata, pedum, scilicet manuum, & lateris, erant velut quinque carbunculi, vel lapides pretiosissimi illam ornantes: & forte foramina spinarum, quæ sacrum caput terebrarunt, etiam formam coronæ gloriæ multis gemmis splendentis efficiebat, vt de Christo etiam dicere possimus, *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso, gloriam, & magnum decorem imposuisti super eum.* Hæc igitur est corona, quam Christus in passione sua paulominus ab Angelis minoratus, meruit, & obtinuit, reiecta altera spinea, quam ei imposuerat synagoga.

Ad Hebr. 2. v. 9.

Psal. 20 v. 4.

A

Confirmatur hoc ex vaticinio Zachariæ Prophetæ. §. 1.

PRÆCLARVM huius symbolum refert Zacharias Propheta, dicens: *Et ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum, stantem coram Angelo Domini: & Sathan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei: & Iesus erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem Angeli: qui respondit, & ait ad eos, qui stabant coram se, dicens: auferte vestimenta sordida ab eo, & dixit ad eum. Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & induite mutatoriis, & dixit; ponite cidarim mundam super caput eius, & posuerunt cidarem mundam super caput eius, &c.* Quem locum sancti patres saltem in sensu allegorico de Christo Domino interpretantur, qui in passione sua stetit inter Angelum Domini Michaelem, Ecclesiæ principem & custodem, qui partes illius agebat; & Sathan principem huius mundi, qui à dextris stare dicitur; quia vera hominum peccata, quę Christus Dominus super se ferebat, coram Deo accusabat, eorum redemptionem impedire gestiens; vel stabat à dextris, quia prævalere videbatur contra Christi corpus, quod tot subiiciebat tormentis. Iesus autem indutus dicitur sordidis vestimentis, quia carnem ex peccatorum genere assumpsit, vt dicit D. [a] Chrysostomus; vel quia venit in similitudinem carnis peccati; vt ait D. [b] Gregorius; vel quoniam peccata nostra suscepit, pro quibus dolore, & ignominia affectus est, vt [c] Origenes, D. [d] Ambrosius, & D. [e] Hieronymus indicant. Cæterum Michael Angelis inferioribus astantibus dixit: *Auferte vestimenta sordida ab eo.* Quia post tempus passionis transactum, Angelos conuocauit ad gloriam resurrectionis, & ascensionis in cælum, celebrandam. Christus vero propria virtute, sed iussu & voluntate patris (quam hic Angelus quasi annunciare & manifestare introducitur) resurrexit à mortuis, carne gloriosa indutus, quæ vestis erat mutatoria, id est, pretiosa, & festiua, qua in solemnioribus diebus vti homines solent, ablatis sordibus, id est, miseriis & ærumnis mortalitatis nostræ; & iniquitatibus nostris, pro quibus fideiussor fuerat, sufficienter deleris per superabundantem pretij solutionem: tunc imposita est cidaris munda super caput eius. Cidaris, mitra erat summi Sacerdotis, quæ in Exodo tiara byssina vocatur, seu tiaræ in gloriam, & decorem, vbi Septuaginta cidares vertunt. Super cidarem autem erat lamina de auro purissimo, in qua sculptum erat: *Sanctum Domino*, seu nomen Dei Iehoua. De quo Ecclesiasticus ait: *Et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat.* Hæc corona posita est Christo in die resurrectionis & ascensionis in cælum, quia tunc non solum gloriam corporis accepit, sed, vt inquit Lactantius, quasi diademate diuinitatis & splendidissimo paterni luminis fulgore indutus est, dum eius diuinitas innotuit; & quod esset Dei filius; est manifestatum: sicut autem dicitur vestis sordida, & iniquitas ablata à Christo, quatenus à corpore mystico eius, quod nos sumus, ablatæ sunt sordes & iniquitates per passionem ipsius; ita redditа est splendida vestis & cidaris mũda, quoniam per eius resurrectiõnem, corpus ipsius, quod est Ecclesia, mundatum est, & gratia vestitũ, ac gloria coronatũ, sed de hoc postea. Hoc autem indicabat per sordes & spinas passionis perueniendum esse ad gloriosũ diadema resurrectionis, & glorificationis.

Zach. 3. v. 1.

Vide Riberam ibi.

[a] Hom. 5. ex variis in Matth. idẽ Ambr lib. 3. de fide, c. 4 Orig. hom. 9. in Leuit. Tertul. lib. contra Iudæos, c vltimo, Lactant. lib. 4. c. 14. [b] l 10. mor. c. 20. [c] Hom. 14. in Luc. [d] Serm. 5. in Psal. 118. [e] In Zach. 3. & lib. 2. contra Iouin.

Exod. 28 v. 39. & 40. & 36.

Eccles. 18. v. 24.

Vbi supra, l. 4. c 14.

Ex D. Aug. lib. 12. contra Faustum c 36.

B

C

D

De coronatione in resurrectione, & gestis in ea. §. 2.

AD hoc igitur diadema intuendum inuitantur omnes filiæ Sion, id est, omne genus creaturarum cælestium, terrestrium & infernorum, quæ teste D. Paulo, genu flectunt ante Iesum in gloria Dei patris existentem. Sed, vt ordinem seruemus, quo res gestæ sunt, inchoemus ab animabus antiquorum patrum, quæ in inferno, seu limbo erant, quando Christus Dominus mortuus est; ad quas inuisendas descendit eius anima diuinitati vnita; & postquam eas sui clara visione satiauit, tertio die egressa est cum illis vt suum resumeret corpus gloria, & honore coronatum. Ad has ergo animas hoc dirigimus eloquium, *Egredimini filiæ Sion.* Egredimini à tenebroso carcere, vbi diu captiuæ detentæ estis; egredimini comitantes regem vestrum, qui in sanguine testamenti emittit vinctos suos de lacu, in quo non est aqua: videte Regem Salomonem, qui pacem fecit inter vos & Deum, ac per sanguinem suum vos Deo reconciliauit; & transtulit iam in regnum filij dilectionis suæ: Videte illum nouo diademate glorioſi cõporis coronatum, & gratias ei agite quod vos suæ gloriæ fecit esse participes.

1. Ad Philip. 2 v. 9.

Zach. 9. v. 11

2. Sed id difficile quod subditur, *in diademate quo coronauit eum mater sua.* Nam corona hæc à patre potius imposita videtur, vt loca supra citata testantur. Sed quamuis hoc ita sit; tamen, vt notat Ricardus, synagoga, quæ dicitur mater Christi; quando ei intulit martyrium, spinis redimiuit, & cruci vsque ad mortem affixit, tunc etiam & coronam gloriæ fabricauit. Sed melius cælestis Ierusalem, quæ teste D. Paulo, est mater nostra, potest etiam dici mater Christi, quatenus nos cum illo vnum efficimur corpus mysticum, hæc autem sicut omnes suos filios quę huius corporis sunt membra, beatitudinis glorioso diademate coronat, ita & Christum qui eorum est caput, etsi autem præcipuè illum pater coronauerit, à quo est omne præmium, & retributio beatorum, & quidquid habet filius à patre est. In hoc tamen loco hæc coronatio defertur matri, vt comprobetur hunc Regem, etsi cælestem, hominem esse eiusdem rationis nobiscum, qui non dedignatur etiam post resurrectionem suam nos fratres suos nuncupare, eiusdem patris & matris cælestis nos faciens esse consortes, ab ea per ipsum diademate gloriæ in cælis coronandos.

In c. 3. in Cant.

Ad Gal. 4. v. 26.

Matth. 28. v. 10 Ioan. 20. v. 17. ad Hebr. 2. v. 11.

Vide quæ dicuntur de Transfiguratione exhort. 38. §. 4. 3.

Sed quid est quod additur, *In die desponsationis & lætitiæ cordis eius?* magnum hoc indicat mysterium, nam sicut verbum diuinum naturam sibi despõdit humanam, quãdo eam in vnitatem personę assumpsit, ita desponsationem hãc plene perfeciſſe, & nuptias solenniter celebrasse dicetur in die resurrectionis, quando dissoluta ad breue tempus vnione corporis & animæ, inter se iterum vniuit & integre glorioſam reddidit in æternum, nullo diuisionis modo dissoluẽdam. Hæc per antonomasiam est dies lætitiæ Christi, sicut ipse testatur, dicens: *Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia, conuertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia.* Vesperam vocat tempus passionis, quando dixit: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*: & in cruce teste Paulo lachrymas fudit. Matutinũ vero diem resurrectionis, quando mane summo repletus gaudio surrexit à mortuis. Explicans autem modum, quo pater suus hæc perfecit; ait: plãctum passionis

Psal. 26. v. 12.

Ad Hebr. 5. v. 7.

meæ conuertisti mihi in gaudium : mei corporis mortalis conscidisti saccum, ab illo mortalitatem, omnemque auferens miseriam : & circundedisti me tanquam veste & corona corpore glorioso, & immortali, quo totus circundatus sum lætitia, & immenso gaudio. *Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar, Domine Deus meus in æternum confitebor tibi*, id est vt hæc mea gloria tuas in æternum cantet laudes, nec amplius iam compunctionis & mœroris capax ero. Quadrat autem huic intelligentiæ titulus Psalmi, qui est, *Psalmus Cantici in dedicatione domus Dauid*, quæ dedicatio cum ad literam nusquam inueniatur in sacra Historia, ad mysticam intelligentiam recurrendum est, de domo, & templo corporis Christi, quod in passione
Ioa. 2. v. 19 dirutum videbatur, & in resurrectione iterum suscitatum & renouatum, magnaque gloria & lętitia dedicatum est, vt esset æterna domus illius regia maiestate digna: in qua etiam nos tanquam domus ipsius reædificati, & renouati sumus. Vtinam in æternum eius gloriæ dedicati maneamus: manebimus autem, si ad vesperam huius vitæ demoretur in nobis fletus pro peccatis nostris, & planctus pro Christi passione compassurus; si pœnitentiis, & mortificationibus conscidamus saccum nostrum: vt cum conscisus, & ruptus sit in morte, oriatur nobis mane summæ gloriæ, & circundemur lætitia inenarrabili?

4. Ad celebrandam autem hanc nouam Christi coronationem, & desponsationem etiam inuitantur cælestes Angelorum Hierarchiæ quibus dicitur.
Luc.2. v.13. *Egredimini filiæ Sion*, &c. Si enim, nato Domino in carne mortali, & infirma, egressa est è cælo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum; quantò magis egressa creditur, quando iterum per resurrectionem quasi renatus est nouus homo in C mundo, vt adorarent eum, sicut Paulus ait, omnes
Ad Hebr. 1. v. 6. Angeli Dei. Egredimini igitur filiæ Sion, quæ in cælo empyreo diuinitatem Verbi speculamini, venite & videte è propenso regem nostrum Salomonem in diademate gloriæ & honoris, quo mater sua & vestra coronauit illum, vt cum digno & decoro ornatu in regnum suum posset introduci.

5. Egressos autem fuisse Angelos è cælo constat ex Euangelica historia: siquidem lapidem sepulchri reuoluerunt, vbi astantes mulieribus Dominicam annunciarunt resurrectionem, per quas exhortati
Matth. 28. v. 7. sunt Apostolos vt irent in Galilæam, *Quia ibi* (inquiunt) *eum videbitis*, ac si dicerent ad illos: *Egre-*
Luc. 24. v. 4. *dimini filiæ Sion*, quæ adhuc timidæ estis & infirmę, egredimini ô Apostoli, à ciuitate Ierusalem, quæ turbata est, & tumultus contra Magistrum vestrum excitare non cessat, vt in Galilæa, quæ tranquillior est, quiete, & sine timore videatis Regem Salomo- D nem Christum, nouo glorię diademate coronatum.
Matth 28. v. 16. Egressi autem Apostoli in montem sibi assignatum dum irent per Galilæam, conuocarunt quingentos fratres, à quibus teste D. Paulo Christus visus est ante ascensionem. Dicebant enim illis:
1. Cor. 15. v. 16. *Egredimini filiæ Sion*, exite à vestris domibus, & venite in montem, vt videatis Regem Christum diademate gloriæ suæ pulcherrime coronatum. Credibile autem est eos in illo monte cum Apostolis Christum vidisse, etsi D. Matthæus tantum referat Apostolos, quibus promissio videndi ibi illum
Is. 33. v. 17. facta est. Egrediamur ergo & nos mente, & Spiritu, vt videamus regem nostrum in decore suo. Contemplemur virtutes passionis eius, propter
1. Cor. 15. v. 42. quas quatuor gloriæ dotibus in resurrectione est coronatus. Propter humilem enim in opprobriis A submissionem, splendidissimam adeptus est corporis claritatem: agilitatem vero velocissimam propter celerem obedientiæ promptitudinem; spiritalem autem subtilitatem propter omnimodam sui abnegationem, & omnium renunciationem rerum temporalium: immortalitatem denique impatibilem propter inuictam in tormentis patientiam, & charitatem ipsa morte fortiorem, quam sibi & nobis penitus superauit: si enim has virtutes passionis eius æmulati fuerimus, similes glorię dotes cõsequemur in resurrectione, in qua, *Fulgebunt* Matth. 13. v. 43. *iusti vt sol, & sicut scintillæ in arundineto discurrent, & mortem non gustabunt in æternum.* Sap. 3. v. 7.

De gestis in ascensione Domini. §. 3.

POSTQVAM autem aduenit dies à Domino præfinitus, vt in cælos ascenderet, his tribus
B creaturarum sortibus cælestium, terrestrium, & infernorum, denuo dictum est; *Egredimini filiæ* I. *Sion, & videte Regem Salomonem*, &c. Apostolis Luc. 24. v. quidem præceptum est exire Ierosolymis, & abire 50. in Bethaniam quæ est in pede montis Oliueti; quia & Actor. 1. inde in cælum erat ascensurus. Angelis autem in- v. 12. iunctum est à cælis descendere, vt Christum ascendentem comitarentur, eiusque triumphum magnifice celebrarent, sicut scriptum est: *Currus Dei* Psal. 67. v. *decem millibus multiplex, millia lætantium. Domi-* 18. *nus in eis in Sina in sancto: ascendisti in altum, cepisti captiuitatem*, id est, curtus Dei, quo non ex necessitate quasi vectoribus indigens, sed ob magnificentiam gloriæ suæ vehitur, constat ex multiplicatis decem millibus vehentium, id est, ex innumerabili Angelorum multitudine, super quos ascendere, & equitare dicitur: qui maxima exultatione eum comitantur, & vehunt quocumque pergere voluerit, in his omnibus velut in curru apparuit in monte Sinai in loco sancto, quo olim descenderat magno cum terrore & ostensione potentiæ suæ legem ferre populo. Atque hoc ipso curru tu Domine vectus post passionem & resurrectionem tuam ascendisti in cælum, vnde veneras omnium Angelorum glorioso stipatus exercitu. Tunc autem cæpisti simul captiuitatem, seu (vt legit D. Paulus) *Captiuam duxisti captiuitatem.* Animas enim san- Ad Ephes. ctorum patrum, quas diabolus in limbo captiuas 4 v. 8. tenebat, ab hac seruitutis captiuitate ereptas, tecum ascendere fecisti, & captiuas ducebas nobilissima quadam captiuitate, quæ summa est libertas, nempe captiuitate amoris: quomodo sponsa captiua est sui sponsi, eius amori & obsequio penitus mancipata. Vniuersa enim illa animarum congregatio iam tibi vni viro Christo desponsata erat, & quia limbi carcer, & terræ exilium sponsam tuam dedecebat, in tuam cælestem domum eam traduxisti; vt in solio gloriæ tuæ collocares.

Cum hoc ergo triumpho ingressus est Saluator 2. in cælum, & in throno sibi præparato sedit à dextris Dei, triplici diademate coronatus; quorum primum est corporis beatitudo quatuor dotibus gloriæ fulgentissima, alterum beatitudo animæ, quæ tribus fulget præclarioribus gloriæ dotibus. Tertium vero ipsa diuinitas cui corpus & anima vnita sunt, & per illam immensa gloria & honore digna. Vnde Christus Dominus quatenus Deus sedet in eodem throno Patris cui est coæqualis; sed quatenus homo sedet à dextris eius, id est, in præcelsioribus bonis gratiæ & gloriæ, quæ hominibus vel Angelis possunt cõmunicari. Postquam autem ipse sedit, fecit etiam sedere congregationem

sanctarum animarum in thronis vnicuique pro diuersitate meritorum præparatis. Illis imponens diademata & coronas aureas secundum diuersos gradus gloriæ eis exhibitos: sicut scriptum est:
Apoc. 3 v. 21 *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum patre meo in throno eius.* Quæ verba non æqualitatem, sed similitudinem, & proportionem indicant in gloria, quam ab ipso recipiunt, & non sibi, sed ipsi attribuunt; & ideo instar viginti quatuor seniorum à thronis suis surgentes procidunt, & mittũt coronas suas aureas ante thronum Dei, ipsi acceptam referentes gloriam, qua potiuntur, & merita, per quæ illam adepti sunt.

Egredimini igitur filiæ Sion. O animæ fideles, quæ in militanti degitis Ecclesia, egredimini à mundo isto visibili, & corde sursum ascendite in
Ad Col. 3. v. 1. cælum. *Si enim consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextra Dei sedes, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Auertite oculos à terrenis, contemplamini cælestia; *Vi-*
B *dete Regem Salomonem*, pacifice iam in suo throno regnantem, & corona pretiosissima redimitum: videte eum diuidentem sedes regni sui, suosque milites honoris diademate coronantem: videte eum celebrantem nuptias cum sponsa Æthiopissa, quam è carcere eduxerat, quamque suo sanguine dealbauit, & pretiosis ornauit monilibus: Videte lætitiam cordis illius, & vniuersæ ciuitatis Ierusalem, in qua magno cum iubilo iuge alleluya ab
Apoc. 19. v. 6. omnibus decantatur, *Quoniam* (inquiunt) *regnauit Dominus Deus noster omnipotens, gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni; & vxor eius præparauit se.* Sed quo ornamento se præparauit? mox explicatur cum dicitur, *Da-*
C *tum est illi vt cooperiat se byssino splendenti, & candido. Byssinum enim iustificationes sunt sanctorum*, qui magnis laboribus, & ærumnis splendorem iustitiæ obtinuerunt, & candorem. Venerunt, inquit, nuptiæ agni, quia tunc cæperunt venire, non enim in vno die veniunt simul, sed per multorum seculorum curricula gradatim proueniunt, & quotidie celebrantur cum sanctorum animabus, quæ ex hoc sæculo migrant, postquam byssino cãdido & splendenti indutæ sunt, maculis, si quæ erant, per purgatorij ignem deletis. Hoc byssinum est vestis nuptialis, quam qui non habet, ligatis manibus & pedibus mittitur in tenebras exteriores, vbi perpe-
Matth. 22. v. 12. tuus erit fletus, & stridor dentium, quia nudus inuenitur veste, quæ à frigore æterno illum protegeret; qui autem habet illam, admittitur ad nuptias, D non tantum vt conuiua, sed tanquam sponsa ornata, & parata viro suo; ideoque Angelus dixit Ioan-
Apoc. 19. v. 9. ni, *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*: si tamen veste nuptiali induti veniant. Hæc igitur deuote contemplare in hac Regis nostri gloriosa coronatione, satagens, hac veste nuptiali te indue-
Is. 33. v. 17. re, vt cum eo etiam coroneris; *Et oculi tui videant* regem in decore suo non iam obscure, sed facie ad faciem.

De gerendis in Christi aduentu ad iudicium cum eadem maiestate. §. 4.

Act 1 v. 11. CVM Apostoli, postquam nubes suscepit Christum ab oculis eorum, adhuc mente diuinitus illustrata, quæ in cælis gerebantur, conspicerent, dixerunt eis Angeli: *Viri Galilæi, quid hic statis aspicientes in cælum? hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis euntem*
1. *in cælum.* Quæ verba ad nouam nos vocant huius A loci interpretationem, vt tanquam viri Galilæi *Hoc signi-* transmigrantes & volubiles, qui non habemus hic *ficat nomen* ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus, *Galilæi.* egrediamur ad contemplandum Regem Salomonem Christũ cum eadem gloriæ corona venientem ad iudicandum mundum. Vox autem hæc, *Egredimini*, ad omnia corpora & animas defunctorum referri potest; nam sicut ipse Dominus testatur, *Om-* Ioa 5. v. 28. *nes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei*: & corporibus defunctorum dicetur: Egredimini à sepulchris, & à cauernis vestris, vt animabus reuniamini, & viuatis; animabus vero, quę sunt siue in cælo, siue in inferno, vel in puerorum limbo, & si quæ tunc fuerint in purgatorio, Dei iussu voce Archangeli præcipietur: *Egredimini filiæ Sion*, egredimini ô animæ à locis, vbi hactenus degistis, descendite, vel ascendite in terram, assumite corpora vestra, resurgite à mortuis, & venite ad iudicium, comparete coram vestro rege; *Videte regem Salo-* Apoc. 1. v. 7. *monem in diademate, quo coronauit eum mater sua*, quia scriptum est: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Omnis oculus corporeus, siue bonorum, siue malorum, videbit eum in diademate carnis, quo coronauit eum mater sua Virgo Maria; & illi, qui eum spinis, clauis, & lancea pupugerunt, qui eius faciem velabant ne eum viderent, qui cum regem suum esse negauerunt, etiam videbunt cum in corona gloriæ & maiestatis suæ, vt impleatur quod ipsis dixit coram Caïpha. *A modo videbitis filium hominis sedentem* Matth. 26. *à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cæli:* v. 64. ac si diceret: modo me videtis stantem tanquam reum coram vobis sedentibus vt iudices; paulò C post (quia totum tempus huius seculi est tanquam dies vna coram Deo) videbitis me sedentem cum maiestate magna tanquam iudicem, & vos stabitis ante tribunal meum tãquam rei: modo videtis me venientem cum ignominia, baiulãtem crucem cum spinea corona, à modo videbitis venientem in curru nubium tanquam triumphatorem, & signum fi- Matth 24. lij hominis apparebit splendens in cælo, & forte v. 30. spinea corona in vertice eius, nimio splendore refulgens, vt vos terreat, & iustos lætificet: videbitis cicatrices, & stigmata vulnerum quæ intulistis mihi, quæ vobis erunt in ruinam & cõdemnationem; non tamen videbitis me in diademate diuinitatis & glorię quo mea anima coronatur: *Nã qui in terra* Is 26. v. 10. *sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini.*

Sed cur vocatur nunc rex Salomon & pacificus, cum veniat acĕre peccatoribus indicere bellum, & eos expugnare? sed nũquid Salomon, cum primum regnum, & sapientiam à Deo accepit, munus iudicis mirabiliter non exercuit inter duas meretrices de puero contendentes, cuius earum esset filius, & euaginato gladio iussit infantem diuidi in duas par- 3 Reg. 3 v. tes, vnamque dari vni, & aliam alteri; & quia vera 16. mater, cuius viscera sunt commota, intercessit ne diuideretur, iudicauit illi infantem viuum dari, *Audiuit autem omnis populus iudicium quod iudicauit rex, & timuerunt regem videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.* Ecce Regem Salo- Serm. 2. de monem iudicium exercentem, & tremorem incu- Epiphan. tientem populo. Idem (inquit D. Bernardus) qui " Salomon, id est pacificus in exilio est, Ecclesiastes, " id est, concionator erit in iudicio; Idida, id est, dile- " ctus Domini in regno, in exilio mansuetus, & amabilis; in iudicio iustus & terribilis, in regno gloriosus & admirabilis. In exilio iudicat iuste, sed placari potest, & licet præcipiat infantem diuidi, intercedente matre sententiam reuocat; at in iudicio Dan. 13. v. 55

extremo nullius interceſſio admittetur, ſed, vt inquit Daniel: *Angelus Dei accepta ſententia ab eo* Matth. 13. v.49. *ſcindet te medium, & in conſummatione ſæculi Angeli ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis.*

At rex, qui terribilis eſt iudex peccatoribus, concionemque horribilem habebit ad illos dicens; *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius: eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare, &c.* Erit verus Salomon pacificus, & amabilis bonis, qui videbunt eum omni ſuo diademate in hac die redimitum: cùm conſummata iam deſponſatione cum vniuerſa Eccleſia, eam in regnum ſuum introducet, & táquam reginam gloria & honore coronatam à dextris ſuis in ſuo throno ſedere faciet, vt cum ipſo regnet in æternum. Hic eſt dies lætitiæ cordis eius, quando omnia ſunt ei ſubiecta, & de regno ſuo ablata omnia ſcandala, ſummaque pace & gaudio potitur cum electis ſuis, & qui lætatus eſt valde in operibus miſericordiæ, etiam iucundatur in operibus iuſtitiæ ſuæ, quæ Pſal. 103. v.31. non minor eſt quam miſericordia, lætatur enim in omnibus operibus ſuis. Nos autem ita vitam inſtruere oportet, vt in hora mortis noſtræ lætanter, & fidenter audiamus vocem iſtam: *Egredimini filiæ Sion*, à mortali corpore veſtro, & ab hoc exilio, & valle lachrymarum, & quæ per fidem vidiſtis hic regem veſtrum, videte eundem vt ſponſum facie ad faciem, vt gaudeatis cum illo in ſecula ſeculorum. Amen.

EXHORTATIO XXXVII.

PROFESTO CORPORIS CHRISTI, ET DOMINICA INFRA OCTAVAS EIVS.

De charitate, quæ coronat Chriſtum, & eſt etiam eius corona in Euchariſtiæ nuptiali conuiuio.

Egredimini filiæ Sion, &c.

ASSERVIMVS ſupra diuiniſſimam Euchariſtiam ferculum eſſe Chriſti, in quo defertur vt rex & triumphator magnificus, & vt cõuiua regium conuiuium & cæleſtes dapes ſuis præbens electis; ſed quia difficillimum creditu eſt hoc myſterium, cum nihil exterius ſenſibus appareat niſi panis & vinum, durum etiam & horrendum videatur carnem hominis manducare, & eius ſanguinem bibere. *Durus eſt hic ſermo.* Ioa.6. v.61. (dixerunt quidam diſcipuli) *& quis poteſt eum audire?* & fidem ei adhibere? propter hoc animabus D fidelibus dicitur: *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem, &c.* quibus verbis eis præcipitur, vt tanquam filiæ Sion, aſcendant in ſpeculam fidei diuinæ, vt contemplentur ſicut Abachuc Prophe- Abacuc c.2. v.1. ta, & videant quid dicatur ſibi: non quidem vt videant quid oculis appareat, nam hoc accidentia ſunt panis, & vini, ſed quid dicatur auditui ſuo, nam fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti dicentis: *Hoc eſt corpus meum, & hic eſt calix ſanguinis mei:* non fefellit auditus Iſaac, ſed ta- Ad Rom.10 v.17. Gen.27. v. 22. ctus, vt Iacob putaret eſſe ſuum filium primogenitum Eſau. Falleris à ſenſu, ſi illum tantum ſequaris, non tamen ab auditu fidei, ſi videas & contempleris quid dicatur tibi: egredimini igitur filiæ Sion, à duritia cordis veſtri, à proteruia iudicij proprij, à finibus ſenſuum, à diſcurſu rationis ex ſolis ſenſibus deducto; & videte oculis fidei, quę inuiſibilem A tanquam videns veneratur, regem Salomonem ſub illo velo panis, & vini latitantem, propter hoc enim cum aſcendit in cęlos, manere voluit etſi abſconditus in terris, vt eum videre prope poſſetis; tamen, niſi egrediamini à finibus ſenſitiuæ cognitionis, illum videre non poteritis. Sicut hæretici, qui ſenſibus ſuis hærent, nec ab illis egredi volunt, non eum vident, ſed purum panem, & vinum putant. Quod apparet, quia cæci ſunt, & tenebrarum filij, tenebraſque vocant lucem & lucem tenebras, omnia Marc. 8. v. 22. inuertentes quia proprio niti untur iudicio. Cum cæcus quidam adductus eſſet ad Ieſum languida & infirma laborans fide, ad eam indicandam, cum primo impoſuit manum ſuper oculos eius, dixit cæcus, *Video homines ſicut arbores ambulantes.* Cæcutiebat adhuc, nec diſtinguebat inter arbores & homines, & cum homo dicatur arbor inuerſa, homines putabat eſſe ſicut arbores, ſed cum Chriſtus ſecundo ei impoſuiſſet manus, ablata omni infide- B litate clarè vidit omnia: ita etiam quando infirma eſt fides, cuncta in confuſo apparent, & qui verus eſt Chriſtus intra hoc velum incluſus, putatur purus panis; ſed cum ex Dei gratia fidei oculi clareſcunt, diſtincte videntur omnia, & quid intra velum lateat, penetratur.

Chriſtum in Euchariſtia charitatis diademate ab ipſa charitate coronari. §. 1.

VIDETE igitur *Regem Salomonem in diademate* 1. *quo coronauit eum mater ſua*, &c. ſuppoſitis quæ in exhortatione 33. de hoc myſterio diximus, circa regem Salomonem Chriſtum in eo latitantem, nunc inuitamur ad contemplandum peculiare diadema, quo ibi eſt coronatus à matre ſua. Omnia quidem diademata, quæ teſte D. Ioanne caput Apoc.19. v. 12. Chriſti ornant, ibi etiam latent. Nimirum diade- C ma ſacratiſſimæ humanitatis quo coronatus eſt à Virgine matre ſua: diadema etiam gloriæ & honoris, quo coronat eũ mater Ieruſalem cæleſtis: nam corpus eius ibi continetur omni ſua gloria & ſplendore coruſcum, & tandem diadema quod ei mater ſynagoga impoſuit, quatenus in illo corpore adhuc manent veſtigia vulnerum quæ in paſſione recepit, & ipſa conſecratio repræſentat. Sed vltra hoc, diadema vocare poſſumus id quod Chriſtum, & caput eius circundat, nempe formam illam panis, quæ in modum coronæ illum cingit, quo etiam coronauit eum mater ſua. Sed quę mater? nunquid aliqua ex tribus prędictis? minimè, ſed alia quæ cæteras coronas ei etiam impoſuit, & ſicut eleganter perpendit D. Ambroſius, eſt mater charitas tam creata, Lib. de Iſaac & anima, c.5. quam increata.

Diximus ſuprà, ferculum, quod fecit Salomon, geſtamen pompaticum fuiſſe charitatis omnium virtutum reginę, & currum triumphalem ferẽtem Chriſtum, qui eſt ipſa charitas, totus amore ardens ob filias Ieruſalem. Nunc inuitamur ad videndum regem Salomonem in diademate, quo coronauit Ad Epheſ. 2.v.4. eum charitas ipſa tanquam eius mater. Nam charitas peperit & dedit nobis Chriſtũ, ſiquidem Deus *Eccleſia in Antipho-na octauæ Natiuit.* pater propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos miſit filium ſuum in mũdum in ſimilitudinem carnis peccati. Angeli (inquit Ambroſius) canunt « epithalamium, & vocant cæteras poteſtates cælo- « rum, vel animas, vt videant charitatem quam circa « filias Ieruſalem habet Chriſtus. Vnde & meruit co- « ronari à matre filius charitatis, ſicut Paulus oſten- « dit, dicens, *Quia Deus eripuit nos de poteſtate tene-* « Ad Col. *brarum, & tranſtulit in regnum filij charitatis ſuæ.* « 1.v.13. Charitatis itaq; filius, & ipſe charitas eſt, non ex accidentibus

" cidentibus habens charitatem, ſed ſubſtantia ſua, A cui ſuperius attribuimus vbera, in Deo amorem
Ioa 16.v.27. " ſicut & regnum, de quo dicit, *Ego in hoc natus ſum,* maternum agnoſcentes; per charitatem etiam iuſ-
" & paulò poſt: videte ergo quam rex pacificus in tos aliorum fieri matres affirmauimus, quod con-
" die ſponſalium ſuorum habeat charitatem, quam firmat ſententia D. Bernardi dicentis; ô bona ma- In id Cãt. c. Meliora ſunt vbera tua vino.
" glorioſus ſit, quia corporibus reſurrectionem de- ter, charitas, quæ diuerſis diuerſa exhibens ſicut fi-
" dit, & animas ſibi iunxit. Hæc magni eſt corona lios diligit vniuerſos, ipſa eſt quæ hominum mater
" certaminis, hoc præclarum munus ſponſaliũ Chri- & Angelorum, non ſolum quæ in terris, ſed quæ in « Ep. 1 ad
" ſti, ſanguis eius & paſſio. Quid enim plus potuit cælo ſunt, pacificauit, quibus addere poſſumus; ip- « Fulconẽ.
" dare, qui ſibi etiam non pepercit, & pro nobis mor- ſa eſt quæ homines in hoc exilio innumeris illuſtrat «
" tem ſuam obtulit? Hæc Ambroſius idem cõfirmat, victoriis, & in patria diademate gloriæ victores co-
Hom.7. in Cant. & amplius explicat Nyſſenus dicens, in naturæ di- ronabit.
uinæ indicatione, in qua non eſt maſculus, nec fœ-
mineus ſexus, quamuis vocem, ſiue patris, ſiue ma- *De Euchariſtia, vt eſt conuiuium nuptiale.* §. 2.
tris parem vim obtinere; & Deus vocatur pater,
qui nuptias fecit filio ſuo, & charitas ſeu dilectio, NOVVM myſterium indicat ſequens verbum,
quæ Deus eſt, poteſt vocari mater, ſicut Chriſtus *In die deſponſationis eius*, nam cum nuptiis
dicitur filius dilectionis ſuæ. Sed expendamus & coniunctum ſolet eſſe conuiuium ſolenne, quod
extendamus quæ hi patres docent? Sicut enim cha- Matth.22. v.2. nuptiale dicitur, vt conſtat ex parabola regis, qui
ritas coronauit Chriſtum in paſſione, quia ipſa eum B fecit nuptias filio ſuo, & parauit prãdium, occiden-
compulit, & fecit paſſionis cuncta ſubire ludibria, do tauros, & altilia, & clarius in Apocalypſi dictum
& tormenta: charitas fecit vt amplecteretur arun- eſt Ioanni, *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vo-* Apoc.19.
dineum ſceptrum, ſpineam coronam, purpureum *cati ſunt.* Singula verba magna continent myſteria, v.9.
veſtimentum, vt baiularet crucem, & in ea ſe cla- quæ de nuptiis in hoc exilio à Chriſto cum Eccle- I.
uis configi ſineret, donec mortem obiret; ita etiam ſia, & animabus ſanctis celebratis, intelligẽda ſunt;
charitas fecit eum ſpeciebus panis & vini in Sacra- maxime autem de conuiuio Euchariſtico: quod eas
Ioan.13.v.1. mento coronari, & circumdari, *Nam cum dilexiſ-* præcedit vel comitatur. Dicitur autem cœna, ſi- Lucæ 14.
ſet ſuos, qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos. cut etiam vocatur in altera parabola, de homine v.16.
Vtrumq; & omnium ſupremum charitatis ſignum qui fecit cœnam magnam; tum quoniam à Chriſto
præbens, dum carnem & ſanguinem tribuit in pre- Domino celebratum eſt in poſtrema cœna, & in
tium, & in cibum, in ſacrificium cruentum, & in- qua nocte tradebatur, tum verò ad ſignificandum
cruentum; vtrumque, vt diximus, eſt triumphus quod eſt conuiuium pro nocte huius vitæ, quod ſu-
charitatis Chriſti, in quo ab ipſa charitate ſplendi- mine obſcuro fidei videtur, & guſtatur. Cœna enim
diſſimo eſt diademate coronatus. noctu fit, & ideo non tam aptè quadrat conuiuio
2. Sed ſubtilius adhuc & dulcius contemplemur, C gloriæ, quod fit in meridie; tum etiam ad denotan-
quod inſinuat idem D. Ambroſius ipſammet chari- dum, hoc eſſe poſtremum conuiuium quod Deus
tatem vocari etiam diadema Chriſti, quod ſupre- parat electis ſuis poſt agnum typicum, non inſtitu-
mum fuit eius ornamentum. Ipſa itaque carnis aſ- turus amplius aliud: tum deniq; quia derelinquen-
ſumptio, & paſſio, corona ſpinea, & accidẽtium ſa- da & contemnenda ſunt prandia opipara mundi,
cramentalium tegumentum, quæ ſuprema ſunt in- & carnis, vt tãdem ad hanc guſtandam cœnam de-
finitę charitatis Chriſti opera, ſunt etiam eius dia- ueniamus, ſed vocatur cœna nuptiarum, id eſt, pro
dema, quod charitas vocatur: quod ſic perpendit nuptiis inſtituta, ad eius indicandam affluentiam
Lib. 2. in Cant. Theodoretus de coronatione ſpinea loquens. Ma- ſpiritualem: conuiuia enim nuptialia, opiparą eſſe
trem, ait, appellat Iudæam, quantum pertinet ad ſolent, varietate ciborum & deliciarum referta;
" Chriſti humanitatem, quæ charitatis coronam illi ſed potiſſime quia hoc conuiuium ſignum eſt etiam
" inuita impoſuit. Spinis enim illum cõtemptus cau- practicum & efficax ſpiritalis deſponſationis Dei
" ſa coronauit; ipſe vero per ſpinas ſuſcepit diadema cum anima; quam Chriſtus in paſſione ſua promere-
" charitatis; ſponte enim ignominiam pertulit, atq; uit, & per ſacramenta efficit; ſed per hoc præcel-
" vltro ad mortis cruciatus acceſſit. Quamobrem de- lentius, dum paſcens animam, erga eam omnes
" ſponſationis diem illum vocauit. Tunc quippe nu- exerceat nuptiales actus per ſpiritales amplexus, &
" ptiarum communio facta eſt: nam poſt cœnam acci- D oſcula, vniendo eam ſibi intima dilectionis vnio-
" piens panem, & gratias agens fregit, deditq; diſci- ne, adeo vt dicat; *Qui manducat meam carnem &* Ioa.6. v. 57.
Lucæ 22. " pulis ſuis, dicens, *Accipite*, &c. edẽtes igitur ſpon- *bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Vt Lib.2. Ge-
v.19. " ſi membra & bibentes eius ſanguinem, nuptialem ſicut antiquæ gentes, teſte Alexandro ab Alexãdro, nal.dier.c.5.
" eius communicationem aſſequuntur. Idcirco ſpõſi per communionem panis & aquæ, matrimonij fœ-
" miniſtri filias Sion cohortãtes, *Egredimini* inquiũt, dus inibant: ita Chriſtus Dominus per exhibitio-
" & videte charitatis eius diadema, quo decorauit nem huius panis & vini aqua mixti, qui cibus eſt &
" eum præter ſententiam ſuam Iudæa. Ita ille? potus ſuperſubſtantialis, ſpiritalium nuptiarum
Ordinabit in me charitatem. Sicut ergo ſupra charitatem vocauit vexillum, fœdus ineat, ſtupendo quodam modo dum intra
dicens: *Vexillum eius ſuper me charitas*, vt ſuo loco ipſa accidentia panis abſconditum ſe ſponſæ con-
vidimus: ita nunc charitatem vocat diadema, quiã iungit, ac in ea manet, in eoque ſimul manet
ſuper omnia eminet, ſpiritum valde ornat, omnes ipſa.
alias coronas meretur, aut inducit, & de omnibus Sed rurſus non ſine myſterio in Apocalypſi hæ 2.
hoſtibus triumphat. Contemplamini igitur hoc nuptiæ vocantur agni; & quoties de ſponſa, aut *Cur Chriſtus vocetur Agnus, cũ agitur de eius nuptiis.*
Chriſti eximium diadema charitatis glorioſiſſimis vxore myſtica Chriſti agitur, vocatur agnus, ad de-
exornatum operibus, quo coronauit eum vt homi- notandum has nuptias non eſſe carnales ſed ſpiri-
nem charitas, increata mater ſua, dum hæc in ipſo tales, ſponſumque eſſe innocentem, manſuetum, &
opera efficit; vt vos etiam eodem charitatis diade- virginem impollutũ: cuius ſponſę etiam debẽt eſſe
mate coronari ſtudeatis, amantes charitatem in- ſanctæ & incorruptæ virgines, ſi nõ corpore, (quia
creatam vt matrem, à qua hãc coronam accipiatis. non omnibus datur hoc) ſaltẽ ſpiritu & mẽte, quo-
Nec mirum quod charitatem matrem vocemus, modo Apoſtolus Corinthiis, inter quos multi erant

2.Cor.11. v 2. coniugati, dicit *Desponsi vos vni viro Virginem castam exhibere Christo.* Vocatur etiã agnus ad significandum per immolationem sui ipsius tum in ara crucis cruento sacrificio, tum in altari per manus Sacerdotum; has nuptias perfecisse, miriſque sponsas donis ornasse. Vnde Angelus beatos prædicat, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt, si tamen venire consentiant; nam si renuant, sicut illi, Luc 14. v. 24. qui vocati se excusarunt, infelices erunt, vocatioq; ipsa erit eis in maiorem ruinam ob eorum resistentiam, perpetuò enim excludentur à cœna & nuptiis, iuxta illud, *Dico autem vobis quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* Emphasim autem habet nomen, *virorum*, & *qui vocati sunt*, viri dicuntur, vt constet non ex ignorantia, nec ex defectu virium, vel ex timore aliquo humano, sed quia aliis negotiis & voluptatibus distenti erant, noluisse ad cœnam venire, & cum tam insigne recepissent beneficium, vt ad tam lautam B cœnam, & ad nuptias tam præclaras vocati essent, paruipenderunt illud, non aduertentes, beatos esse qui vocantur; quoniam vocatio signum est, & initium beatitudinis, quam Deus illis præstitisset Ad Rom. 8. v.30. si venirent, nam *quos prædestinauit, hos & vocauit, quos vocauit hos & iustificauit, quos autem iustificauit, hos & glorificauit.* Vbi autem est beatitudo, ibi est summum gaudium & lætitia, ad quam etiam vocantur qui inuitantur ad nuptias.

3. Nam dies desponsationis etiam dicitur, *Dies lætitiæ cordis illius*, quoniam huiusmodi nuptiæ, & conuiuia cum ingenti lætitia celebrari solent, nec tãtum sponsus & sponsa, sed omnes domestici maximo perfunduntur gaudio: sicuti Pater filij prodigi maxima affectus lætitia de aduentu ipsius fe- Luc.15.v.23. cit conuiuium ex vitulo saginato cum symphonia, & choro; quæ lætitiam maximam indicabant. Fuit C autem & hoc conuiuium etiam ex parte nuptiale, siquidem iussus est indui stola prima & annulum accepit in manu sua, qui spiritalis symbolum est desponsationis. Quare qui ad hanc vocantur cœnam, ad lætitiam & gaudium in Spiritu sancto inuitantur, quod affluenter hic, velut in suo fonte gustatur. Si autem teste Salomone, *Melior est* Prouer. 17 v.1. *buccella sicca cum gaudio.* (Lxx. addunt & pace) *quam domus plena victimis cum iurgio?* quantò magis melior erit cibus iste, qui foris videtur buccella sicca, sine obsoniis, intus vero est quasi domus plena victimis, & delicatissimis cibis, qui Deo ipsi immolantur, & sumitur non cum iurgio, sed extinguendo iurgia, magno cum gaudio & pace, quam præbet vescentibus illo? væ miseris, qui vocati ad cœnam pacifici Salomonis vt eos reddat concordes, & gaudentes, vocanti resistunt, sua iurgia præponentes conuiuio pacis; nam dum carnalibus suis D delitiis & diuitiis frui volunt, spiritalibus priuantur & æternis.

De præparatione ad nuptias, quæ fiunt in hoc conuiuio. §. 3.

1. Luc.14.v.18 EGredimini igitur, *ô filiæ Sion*, egredimini, ô viri, quos Deus vocat, à negotiis quæ vos detinent, sinite modo probare quinque iuga boum, quæ emistis, vel villam, quam possedistis, videre; vel frui vxore quam duxistis: nam omnia tempus habent; nec ista temporalia tam vehementi sunt amore diligenda, vt propter illa contemnatis æterna. Egredimini igitur ab his laqueis, & cõpedibus, renunciate huiusmodi voluptatibus, quia centupliciter maiores in ipsa cœna recipietis. Venite ergo, & videte regem Salomonem nuptias celebrantem in die desponsationis suę; qui vos etiam vocat & harum nuptiarum vult esse participes, venite, Matth.22. v.10. sed parati: nam solum Virgines prudentes, quæ paratæ erant, intrauerunt cum sponso ad nuptias, & clausa est ianua reliquis, quia imparatæ illud intrare nequeunt. Oportet ergo ad has nuptias te præparare, vt digne huic nuptiali conuiuio adesse possis, & tot bonorum particeps fieri: nam in eadem Apocalypsi, sicut supra retulimus, cum diceretur magnum gaudium factum esse in cælo, *Quia* Apoc.19. *venerunt nuptiæ agni*, additur, *& vxor illius præpa-* v.6. *rauit se*: nimirum ornando se byssino candido & Exhor.præcedenti § 3. splendenti, quod iustificationes sanctorum indicat. Et hic ornatus byssini necessarius est vt huic conuiuio digne assistas. Vnde cum Ecclesiastes dixisset: *Comede in lætitia panem tuum, & bibe cum* Eccl.9.v.7. *gaudio vinum tuũ, quia Deo placent opera tua*, quod de Eucharistia in primo tomo explicuimus, mox præparationem explicans subdit; *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* Qui enim ad hoc conuiuium accedit, ornatus esse debet candore gratiæ, & iustitiæ, splendoreque olei charitatis, & misericordiæ: & tunc vngetur vberrimo oleo lætitiæ.

2. Sed non sine mysterio dicitur, *Vxor illius præparauit se*, quoniam licet variis nominibus vocentur, qui inuitantur ad nuptiale hoc conuiuium, siquidem iam dicuntur amici, & charissimi, iam filij & domestici, at præcellentior præparatio includitur in nomine sponsæ & vxoris, quæ intimam cũ Christo per amorem habet vnionem. Ad quam tamen alia præcedere debet, qua expellantur omnia quæ tanti regis sponsæ sunt indigna, cuius symbolũ præcessit in eo quod Dominus iussit filiis Israel, cum Deut. 21. hostibus deuictis, inter captiuos vidissent aliquam v.11. mulierem pulchram, quam vellent in vxorem ducere, *Illa* (inquit) *radet cæsariem, & circuncidet vngues, & deponet vestem in qua capta est, sedensque in domo tua flebit patrem & matrem suam vno mense, & postea intrabis ad eam*, &c.

Ad hunc modum Christo Domino multoties complacet ex magnis peccatoribus insignes efficere sanctos, & quos fortius diabolus tenebat captiuos, illos sibi assumere in singulares amicos, & animã insigniter peccatricem quam redemit, sibi ascisere in sponsam: quæ tamen prius deponere debet vestem in qua capta est, id est, pristinos mores exuere, quos sub diaboli captiuitate retinebat, quod D. Ad Col. 3. Paulus vocat exuere veterem hominem cũ actibus v.10. suis ad induendum nouum, qui secundum Deum Ad Eph. 4. creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Nam v.24. noua vestis gratiæ non superadditur vesti culpæ, sed hæc prius deponitur, vt illa induatur. Oportet D etiam nouacula verbi Dei & abnegationis propriæ radere cæsariem, id est, omnes terrenas & superfluas curas, ac cogitationes, omnemq; mundanam & vanam pulchritudinem, ac iactantiam contemnere: circuncidere etiam vngues, tollendo omnem affectum rapacitatis, & sæuitiæ, deniq; sedere vno mense, id est, quiete & tranquille, sufficientique tempore pristinam vitam recogitare, perpendẽdo quem patrem habuerit nempe diabolum, *Quia vos* Ioa.8.v.44. *ex patre diabolo estis*; & quam matrem, nempe congregationem malignantium; & pro his omnibus plorare, lachrymisque diluere præteritæ vitæ scelera. Fleat etiã patrem & matrem carnales, ac si mortui essent, quia sancto odio eos prosequi debet propter Christũ in iis, qui ei aduersantur, & ita se gere- Matth.10. v.33. re erga illos, ac si mortui essent. *Nã qui amat patrẽ,* Lucæ 14. *aut matrem plusquã me, non est me dignus. Et qui non* v.26. *odit patrem suum & matrem, &c. non potest meus* A *esse discipulus.*

Hoc igitur modo implens quod Dominus suæ Ps. 44. v.11. sponsæ iubet: *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum*, his etiam nuptialibus vestibus præparata, digne intrat in nuptias, sedet ad mensam, gustat cœnã hanc magnam, & nuptiale conuiuium, atque omnium bonorum, quæ per hoc Sacramentum communicantur, particeps efficitur.

Egredimini igitur filiæ Sion, à captiuitate antiqua, à pristinis moribus, à superfluis curis, ab affectibus deprauatis, & videte per contemplationem regem Salomonem in hoc conuiuio sedentem, quia non est minus admirabilis, cum sedet ad mensam quam cùm sedet in regni throno; & regina Sabba 3.Reg.10. stupore etiam affecta est, cum vidit, *Cibos mensæ* v.5. *eius.* Quid si vidisset hunc cibum mensæ nostri Salomonis? profectò non haberet vltra spiritum, cum in eo ipse Salomon cum omni gloria sua contineatur. Videte igitur illum quanta cordis sui lętitia cibum hunc distribuat in die desponsationis suæ, quia multo amplius desiderat se dare aliis, quam alij velint recipere. *Desiderio* (inquit) *desideraui hoc Pas-* Luc.22.v.15 *cha manducare vobiscum antequam patiar.* Nec hoc desidero, propter me, sed propter vos; manducans illud vobiscum, vt vos manducetis illud mecum. Vtinam etiam nos desiderio desideremus hoc Pascha manducare tecum; vt perfectè desponsationem spiritalem assequentes, lætemur etiam in te magna lætitia cordis nostri in secula seculorum. Amen.

EXHORTATIO XXXVIII.

PRO FESTO OMNIVM SANCTORVM. PRO FESTO PENTECOSTES ET TRANSFIGVRATIONIS.

De diademate sanctorum, quo coronatur Christus ab Ecclesia militante, & triumphante; maximè de ea, quæ facta est in die Pentecostes, & in die Transfigurationis.

Egredimini filiæ Sion, &c.

NOvi Christi diadematis, illi valde pretiosi contemplationem aggredimur, quod vnum est, & multiplex. Vnum quidem, quia vniuersa iustorum congregatio vna est Ecclesia, quæ in modũ diadematis Christum coronat, quod vnica victoria per sui sanguinis effusionem obtinuit; multiplex autem est, quoniam singuli iusti sunt corona ipsius, & quot iusti, tot coronæ, & tot victoriæ, dum in vno quoque diabolum vicit, & de eo triumphauit. Vnde in Apocalypsi modo vnius coronæ fit mentio, modò plu- Apoc.6.v 2 tium. Primò enim Ioannes vidit illum sedentem super equum album, *Et data est ei corona, & exiuit* In id, Equitauit meo in curribus Pharaonis assimilaui te. *vincens vt vinceret.* Siue autem per equum album intelligas corpus ipsius Christi, siue Apostolos & ministros Euangelij, de quo alibi dictum est, tunc corona est data Christo, cũ cæpit prædicatio Euangelica, quia ex tunc cæperunt homines vinci, & illi subiici: vnde exiuit vincens per seipsum, vt deinceps vsq; ad finem sæculi prosequeretur victoriam vincens per alios; ideoque idem Ioannes iterum vidit eum super equum etiã album, *Et in capite eius* Apoc. 19. v.12. *diademata multa*, propter multas victorias, quas subiiciendo sibi homines acquirebat. Imo singulæ sanctorum virtutes, sunt etiã coronæ Christi: quia ipse in illis vincit, dum vitia vincũtur, & acquiruntur virtutes. In quorum signum dictum est Zachariæ, *Sumes* (à quibusdam viris qui ex transmigratione Babylonis venerant) *aurum & argentum, &* Zach.6.v.11 *facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedech.* Qui repræsentabat Christum Dominum, de quo mox subdit: *Ecce vir Oriens nomen eius, & ædificabis templum Domino, & ipse portabit gloriam*, id est, coronas gloriæ, ex eo quod ædificauit templum spirituale quod est Ecclesia. Vnde coronæ eius fiunt ex auro & argento, id est, ex virtutibus electorum, quibus Christus coronatur.

Est autem hæc phrasis frequẽs in scriptura. Nam D. Paulus quos de idololatria ad fidem cõuerterat, coronam suam vocat: *Fratres mei* (inquit) *charissimi &* Ad Phil.4. v.1. *desideratissimi, gaudium meum, & corona mea.* B Et iterum, *quæ est nostra spes, aut gaudium, aut coro-* 1. ad Thess. 2.v.19. *na gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum* Prou.12.v.4 *Christum estis in aduentu eius?* hinc etiam à Salomone mulier diligens vocatur corona viri sui. Filij Prou.17.v.6 etiã sunt corona patrum, *Et corona senum sunt filij filiorum*, & iudex ex bene gestis accipit coronã à subditis. *Vt lætetis* (inquit) *propter illos, & ornamentũ* Eccl.32.v.3. *gratiæ accipias coronã.* Propter hęc igitur fideles dicuntur corona Ecclesię, quia eos suo labore Christo lucrata est. Vnde apud Isaiam dicitur: *Omnibus his* Is.49.v.18. *velut ornamento vestieris, & circundabis tibi eos sicut sponsa.* Et cum Christus caput sit Ecclesię, ornamentum autem capitis sit corona, hinc iidem fideles co- Ad Ephes. 4.v.16. rona sunt Christi, qua coronatur à matre sua.

Qua ratione quidam sancti dicantur Christi mater, coronans eum diademate reliquorum iustorum, §. 1.

C

1. AD cuius intelligentiam, vt omnis tollatur amphibologia, aduertendum est eandem Ecclesiã diuersis rationibus, ob multiplicia eius membra, & munia eorum, dici simul Christi Domini filiam, amicam, sponsam, sororem, ferculum vehẽs, & coronã, ac etiam matrem ipsius per prædicationem, sicut Saluator testatur, dicens; eum qui facit volũtatem patris sui non solum esse ipsius fratrem, & sororem, sed etiam & matrem. Dum ergo Ec- Matth.12. v.50. clesia fideles, & iustos generat, mater dicitur Chri- Ad Gal.4. v.19. sti; quatenus Christus viuit, & formatur in illis; mater vero ipsorũ iustorũ, quatenus vt Dei instrumen- Apoc.12. tum per semen prædicationis vitam eis præstat. Ex v.5. illis autem coronã texit qua Christũ coronat; & ipsa etiam vt omnes illos aggregat sibi, fit vnum diade- D ma ipsius; iuxta illud, *Et eris corona gloriæ in manu* Is.62.v.3. *Domini, & diadema regni in manu Dei tui.*

2. Sed cùm corona & diadema non sit idoneum ornamentum manus, sed capitis, cur dicitur Ecclesia, corona & diadema non in capite Domini, sed in manu eius? Respondit D. Hieronymus: Ecclesiam coronatam turba credentium, & diademate martyrum, quæ gemmarum, seu virtutum suarum mira sunt varietate distincta, esse quasi coronam in manu Dei patris, vt filium suum eorum coronet victoriis. Aut corona iuxta suprà dicta pro omni pretioso ornamento vsurpatur. Vnde Ecclesia est corona in manu, id est, annulus & armilla, quibus ornantur manus, & signum sunt desponsationis, & intimæ coniunctionis cum ipso. Vel tertiò corona in manu dicitur, quia sub protectione, & tutela Christi est. De cuius manu nullus rapiet Ecclesiam ab ipso coronatam, & qua ipse coronatur; aut denique manus Dei est eius Ioa.10.v.28.

Quadruplex acceptio coronæ in manu. Ibidem.

omnipotens virtus, quia Ecclesia non propriis meritis, nec suis viribus, sed ex Dei auxilio, & gratia coronata est, & coronat Christum: estque quasi instrumentum ipsius ad faciendum plures sanctos, quibus in dies coronetur.

Egredimini igitur *filiæ Sion*, id est, filiæ paruulæ, & adhuc imbecilles, aut animæ contemplatrices, & videre regem Salomonem in glorioſiſſimo diademate Sanctorum martyrum, Virginum, Confeſſorum, & omnis generis iuſtorũ, quo coronauit eum mater ſua Eccleſia, quæ ſummo labore illos ei peperit; gratiaſque agite illi, qui cum in cælis coronaretur à nouem Angelorum choris, voluit etiam in terris ex omni hominum natione ſertum ſibi texere, & ſecum in cælum deducere: videte etiam coronam iſtam multiformem, nimirũ laureolas purpureas martyrum, candidas Virginum, violaceas Confeſſorum, aureas & argenteas Sacerdotum & Doctorum, vt æmulantes bonos in bono, coronemini ſicut illi, & corona ſitis eius qui gratia ſua pręuenit vos. Inſpicite etiam Eccleſiam militãtem
Apoc.12.v. 3. duodecim ſtellis à ſuo ſponſo coronatã, id eſt, duo-
Dan.12.v. 3. decim Apoſtolis, & Doctoribus, qui ſicut ſtellæ
Ioan.17. v.10. fulgent in perpetuas æternitates, aliiſque pręclariſſimis iuſtis; quibus tamen ipſa tanquam mater coronat ipſum Chriſtum, qui glorificatur in illis: vos autem ſatagite ſtellas eſſe ſanctitate fulgentes, quibus Chriſtus & Eccleſia poſſint coronari. Egredimini tandem ab hoc mundo inferiori, & mente in cælum empyreum aſcendite. Videte ibi regem Salomonem glorioſo redimitum diademate tot beatorum & ſanctorum, innumeris & præclariſſimis virtutibus fulgentium, vt magna ſpe concepta, de eorum beatitudine, & de Chriſti gloria gaudentes, eorum imitãtes virtutes, ſimiles recipiatis coronas, & regem veſtrum etiam in ſua gloria coronetis.

Serm. 15. in Pſal. 118. ante verſum 1. Vnde non incongruè D. Ambroſius hæc verba C Angelis attribuit, exhortantibus eos qui in terris degimus, vt Chriſtum ſurſum cum hac corona inſpiciamus. Ad animas (inquit) dicitur, è gurguſtiis, » & clauſtris exeant corporalibus, extra corporis co- » gitationes exeant, egrediantur à cupiditatibus, & » à curis, & cæteris carnis iſtius, & affectus lubrici » paſſionibus, ſupra mũdum aſcendant, de hoc mun- » do exeant, Chriſto occurrant, paratæ adſint facibus » ardentibus relucentes; quaſi Angeli Chriſti hoc lo- » quuntur: non poteſtis videre claritatem & gloriam » eius, niſi egrediamini humanæ fragilitatis curas, fi- » liæ Ieruſalem. Quaſi dicant, quid viuentem inter » mortuos quæritis? non intra hunc mundum quæri- » tur Chriſtus, qui ſupra mundum ſuos voluit eſſe » diſcipulos. Quæ eſt corona, qua coronatur Chri- » ſtus, niſi corona gloriæ? Ioſeph coronam habuit ca- D » ſtitatis, Paulus iuſtitiæ, Petrus fidei: ſingularum » virtutũ coronæ ſunt: ſolus Chriſtus habet coronam » gloriæ, qua eum Eccleſia coronauit. In hac corona » omnes coronæ ſunt, quia gloria non portio vnius » coronæ, ſed præmium omnium coronarũ eſt. Hæc ille, inſinuans ſingulos ſanctos ſingulas habere coronas ſuis meritis proportionatas, in quibus alij vna virtute magis fulgent, alij vero alia: Chriſtus vero Dominus coronatus eſt corona glorię antonomaſticè: in qua omnes virtutes, præmia, & coronæ ſanctorum continentur, & qui dicuntur lapides vi-
Hebdoma- da 3. poſt Paſcha, fe- ria 3. ui ex quibus ędificatur Eccleſia, iidem ſunt lapides
Mutatum tamen eſt iam in Bre- uiario nu- per correcto pretioſi, ornantes Chriſti diadema: ad modum quo Aaronis corona pretioſis gemmulis, & lapillis creditur ornata; ſicut innuebat Eccleſia in quodam reſponſorio dicens: *In diademate capitis Aaron lapides precioſi fulgebant.* Vtinam vitam noſtram ita componamus, quod tanti Regis pretioſum mereamur eſſe diadema.

iuxta id quod habe- tur Sap. 13.

De deſponſatione, & coronatione in die Pentecoſtes facta, & vſque in finem ſeculi protendenda. §.2. *v.24.*

1.

VT autem hoc deuotius explicemus, coniiciamus oculos in primitiuam Chriſti Eccleſiam ipſo die Pentecoſtes ex Apoſtolis, & aliis viris ac mulieribus ſanctis congregatam, fere centũ viginti, vt ait D. Lucas, ſuper quos deſcendit Spiritus Act.1.v.15. & c.2.v 3. ſanctus in formam linguæ quaſi ignis, qui ſedit ſupra ſingulos eorũ, id eſt, ſuper eorum capita, vt ſanctorum habet traditio. Cum autem ornamentum capitis ſit corona, non incongruum erit illam formam ignis ſuper caput coronam capitis appellare, ſicut appellat D. Cyrillus dicens, in ſpecie linguarum ignearum ſedit ſuper Apoſtolos, vt nouę coro- Catecheſi 17.
næ ſpirituales per linguas igneas imponantur capi-
B ti illorum: aut ſaltem ſymbolum erant ignei dia- In exhort. prędecedenti, §.2.
dematis, quod ſuprà diximus eſſe virtutem charitatis; charitatem autem increatam, quæ eſt Spiritus ſanctus, matrem appellauimus, quæ in illo die Eccleſiam primitiuam charitatis creatæ diademate per formam ignis repreſentatæ, redimere voluit. Eadem autem Eccleſia ſic ornata diadema eſt Chriſti, quo eum coronauit mater ſua, nempe dilectio ſua, vt D. Nyſſenus interpretatur. Fit igitur allo- Homil.7. in Cant. Cuius verba mox re- feremus.
cutio ad filias Sion, id eſt, ad animas Hebræorum, qui acceperunt legem ſuam in monte Sina, & expectabant nouam, quæ iuxta vaticinium Iſaiæ prodi- Iſ.2 v 3.
tura erat è Sion, vbi etiam venit Spiritus ſanctus, qui legem gratiæ mentibus fidelium impreſſit, & mundo promulgauit. Huiuſmodi igitur Iudæis, qui Chriſto & prædicationi eius increduli fuerant, nunc dicitur, *Egredimini, ô filiæ Sion*, à lege vm-
C broſa, à terrore quem vobis incutit, ab onere in- cõportabili, quod imponit; videte regem veſtrum Salomonem in monte Sion, coronatum diademate plurium ſanctorum, qui ex vobis ipſis deſumpti ſunt; quo diademate coronauit eum mater ſua, nępe ſynagoga, quæ ei hos filios peperit ſecundum carnem, ſicut & ipſum; aut mater ſua charitas & dilectio, qua vos proſequitur, quæ eum cõpulit fieri filium hominis, & pro vobis mori, in cęlos aſcendere, & inde emittere Spiritum ſanctum ſuum. Videte etiam coronam plurimorum fidelium, quos ei in iſto die ſpiritaliter peperit mater ſua Apoſtolica Eccleſia, dum eleuans Petrus cum vndecim Act.2 v.14. & 41.
vocem ſuam prædicauit populo fidem, & circiter tria millia hominum receperunt illam, pœnitẽtiam agentes de peccatis ſuis: ex quibus glorioſiſſimum
D Chriſto Domino eſt appoſitum diadema, quoniam vicit & ſubiecit ſibi eos, qui paucis ante diebus crucifixerunt eum: quorum exemplum aliis proponitur Iudæis, vt eos æmulentur, & diademati Chriſti velint aggregari. Hoc (inquit Nyſſenus) ſponſa Hom.7. in Cant.
innuit ad iuuẽculas inquiens, egredimini & eſtote “
filiæ Sion, vt de ſublimi ſpecula ſpectaculum ad- “
mirandum videre poſſitis, videlicet ſponſum co- “
rona redimitum. Eſt autem corona huius Eccleſia, “
quæ ſponſi caput viuis & animatis lapidibus vndi- “
que circundat; atque hanc coronam dilectio con- “
nexuit, ex qua voluptatem eum capere ait ſponſa, “
mirifice gaudentem illo ornatu ſponſalitio. “

2.

Amplificat hoc quod ſubditur, coronationem iſtam factam eſſe, *In die deſponſationis eius, & in die lętitiæ cordis illius.* Dies enim Pentecoſtes, quando Chriſtus Dominus hac corona eſt redimitus, fuit dies deſponſationis eius cum Eccleſia: nam deſponſatio facta eſt per exhibitionem legis gratiæ & cha-
A ritatis cordibus fidelium impreſſæ, multò præcellentius quam per collationem legis veteris; de qua tamen dicit per Ieremiam ad Ieruſalem; *Recordatus ſum tui miſerans adoleſcentiam tuam & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto.* Ier.2.v.2. Nam quamuis hęc lex eſſet timoris, procedebat tamen à charitate Dei, & per illum timorem intendebat introducere charitatem, & dilectionem ipſius, per quam efficitur deſponſatio. Hoc quidem lex ſignificabat, ſed non conferebat, quia ſacramenta eius & ſacrificia inania erant & vacua gratia; at lex noua & ſignificat & efficit charitatem ac deſponſationem per vnionem gratiæ; cum autem in die Pentecoſtes maxime ſit promulgata, egregie dies iſte dies deſponſationis Chriſti cum Eccleſia nuncupatur. Vnde mirum incrementum tunc temporis hæc deſponſatio accepit, ſed multo ma-
Act.2.v.17. & 18. Ex Ioel.2. v.18.
B ius promiſit, cum vniuerſim dicat: *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & quidem ſuper ſeruos meos, & ancillas meas effundam de Spiritu meo, & prophetabunt.* Duplicem deſignat hominum ſortem: populum gentilicum vocat omnem carnem, quia totus caro erat, in qua ſpiritus Domini
Gen.6.v.3. permanere non poterat; Hebræum autem vocat
1.Cor.6.v. 17. ſeruos ſuos & ancillas, quia ſpiritu ſeruitutis ei inſeruiebat. At Spiritus ſanctus in illos effuſus, carnales conuertit in ſpirituales, ſeruos & ancillas, in filios, & ſponſas; ita tamen vt ſimul eſſent ſerui & ancillæ per humilem obedientiam, & omnimodam ſubiectionem, atque filij & ſponſæ per plenitudinem dilectionis, & vnionis ad ipſum. Hæc autem aptiſſime præſtat Spiritus ſanctus, qui eſt nexus Patris & Filij: nexuſque ſit inter Deum & animam, inter Chriſtum & Eccleſiam; de qua ve-
Prou.12.v. 4.
C rificatur optime quod dicitur in Prouerbiis, *Mulier diligens, ſeu fortis*, (vt ſonat vox Hebræa) *corona eſt viro ſuo, & putredo in oſſibus eius, quæ confuſione res dignas gerit*; Eccleſia enim Spiritu ſancto roborata, & effecta fortis, & diligens in Chriſti obſequio, eſt eius corona, & diadema, & de ea valde gloriatur, & iucundatur; ſicut è contrà ſynagoga, quæ res turpiſſimas operata eſt, fuit ei quaſi putredo oſſium, magnam ei inferens moleſtiam & triſtitiam.

3.

Hinc eſt, hanc coronationem, & deſponſationem alligatam non fuiſſe diebus Pentecoſtes, in quibus tantum ex populo Hebræo deſumpta eſt corona, ſed extendenda eſt dies iſta ad ſequentia tempora, cum lex Euangelica prædicari cæpit po-
Act.10.v.11. pulo gentilico ex Dei iuſſu, D. Petro id oſtendentis
B ſub figura vaſis lintei, in quo erant omnia quadrupedia & ſerpentes terræ, ac volucres cæli, quod receptum eſt in cælum, quoniam voluntas Dei erat
D vt gentes ferinis moribus prædite conuerterentur ad fidem, & vnirentur Eccleſiæ quæ ex illis coronam ſibi texeret, ad quam accipiendam inuitatur
Cant.4.v.8. in hoc Cantico, cum ei dicitur: *Veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum*, id eſt, de gentibus, quæ antea erant dæmonum & ferarum antra,
In exhort. 21.§.4. vt ſuo loco videbimus. Ex eiſdem autem non dedignatus eſt Chriſtus coronari in die deſponſationis ſuæ, cum noua Eccleſia ex illis collecta, mittens etiam in eam Spiritum ſanctum, ſub eadem forma
Act.10.v.34. & 45. ignis, ſicut & in Hebręos, admirantibus iſtis, *Quoniam & in nationes gentium gratia Spiritus ſancti effuſa eſt.* Non eſt enim perſonarum acceptor Deus; vnde vſque ad finem mundi non ceſſat hoc diadema augere, hanc deſponſationem perficere, quam,

lætitiam cordis ſui vocat, quia de hoc opere maxime delectatur, ſicut ſcriptum eſt, *Gaudebit Sponſus ſuper Sponſa, & gaudebit ſuper te Deus tuus.* Id Iſ.62.v.5. eſt, eo genere gaudij & lætitiæ gaudebit ſuper te, quo ſponſus gaudet contrahens nuptias cum ſponſa; quia te elegit in ſponſam chariſſimam, & eius delitiæ ſunt eſſe cum filiis hominum.

Nobis autem maximè incumbit has coronas intueri, vt primitiuos Chriſtianos imitemur, & inſtar 4.
illorum Chriſti eſſe diadema ſatagamus. Propter hunc enim finem nobis proponuntur, vt conſtat ex eo, quod Zachariæ Prophetæ, poſtquam fecit coronas ex auro, & argento, & poſuit eas in capite Ieſu filij Ioſedech Sacerdotis magni, dictum eſt: *Co-* Zach.6.v. 14.
ronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hem filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini: & qui procul ſunt venient, & ædificabunt in templo Domini? cuius ſenſus myſticus eſt, vt coronæ illæ, quibus Ieſus coronatus eſt, ex virtutibus fidelium primitiuorum, maneant tanquam memoriale perpetuum in templo, & Eccleſia Domini, vt omnes virtutis ſtudioſi in eas reſpiciant, & inde diſcant, quomodo pugnent & vincant, ac coronas ſibi, & Chriſto acquirant. Nec myſterio carent nomina virorum, qui hic narrantur. Nam *Helem* interpretatur impinguatio, *Tobias* bonus Domini, *Idaiæ* cognoſcens Dominum, *Hem* gratia. Iuſtis enim dumtaxat, qui magnam deuotionis pinguedinem, ingentem gratiæ, ſanctitatis, & luminis copiam habent, potiſſime conuenit has coronas intueri, & illis proficere; tamen etiam multi qui procul ſunt veniunt, & accedunt ad Dominum, ac in eius ſortem computantur, diſſimilitudinem morum, per quam longè erant, relinquentes, vt reliquis iuſtis aſſimilentur.

Cæterum vlterius progrediendum eſt, vt ſimul Chriſti ſimus corona & mater coronans in die deſponſationis eius. Primum per propriam ſanctitatem, ſecundum per zelum ſalutis proximorum. Quod facile perſpicies ſi aduertas diſcrimen inter ſpiritalem & carnalem deſponſationem; quod iſta filios non præſupponit, ſed ad illos legitime habendos ordinatur; illa autem præſupponit animam filiam Dei fieri per ipſius gratiam, quæ illam facit diuinæ conſortem naturæ, & cæleſtis hæreditatis participem: inde vero eleuatur vt ſit etiam mater ſpiritualis filiorum, quos in Chriſto per prædicationem gignit, vt eis illum ornet, & coronet. Vnde cum Chriſtus Dominus dixit, *Qui fecerit voluntatem patris mei, ipſe meus* Matth. 12. v 50.
frater, & ſoror & mater eſt, hunc etiam ordinem præſcripſit iuxta diuerſos gradus efficiendi voluntatem Dei, quos D. Paulus inſinuat, dicens:
D *Vt probetis quæ ſit voluntas Dei, bona, beneplacens, & perfecta.* Qui enim facit voluntatem Dei Ad Rom 12. v.2.
bonam & beneplacentem, ſeipſum à peccatis purificans, & per bonorum operum exercitia in meliora tendens, frater & ſoror Chriſti nominatur, & Dei filius ad Chriſti ſimilitudinem efficitur; at, qui vlterius facit voluntatem Dei perfectam, ſatagens alios etiam ad Dei obſequium trahere, & perfectionem quam ſibi elegit, eis communicare, mater Chriſti vocatur: ſed prius debet eſſe frater vel ſoror quam mater, vt debitus ordo ſeruetur à Chriſto deſignatus.

De coronatione in die Transfigurationis.
§. 3.

1. TANDEM huic coronationi & desponsationi coronidem apponamus per illustre illius signum, quod contigit in solenni die Dominicæ Transfigurationis, in quo Christus duplici est diademate coronatus. Primum fuit diadema gloriæ & honoris, quo coronatum est corpus eius ad modum quo in die resurrectionis in perpetuum erat coronãdum. Quæ corona significatur per hoc quod dicit Euangelista: *Et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix*: hic est enim nuptialis ornatus cælestis sponsi quo ad breue tẽpus vsus est ad suam gloriam manifestandam: &, vt corpus quod spinis erat coronandum, & ignominiosa induendum purpura, liuoribus & sputis maxime fœdandum, gloriæ coronam, quam per hæc perpetuo erat adepturus, breuiter prægustaret, & ad omnia illa tormenta perferenda se alacriter accingeret, vel potius nos ad portandam crucem, & ferendas passiones, & ærumnas spe huiusmodi gloriæ exhortaretur. Vnde sicut per splendorem faciei instar solis, gloria ipsius corporis Christi repræsentabatur: ita (inquit D. Gregorius) per candorem vestimentorum eius instar niuis, denotatur gloria & corona sanctorum, qui sunt eius vestimenta, iuxta illud: *Omnibus his velut ornamento vestieris.*

D.Tho.3.p. q.45.ar.2 Matth.17. v.2.

Lib 31.mor c.5.

Is.49.v.18.

2. Cum igitur sponsus & rex gloriæ Christus tanta in hoc monte fulgeret claritate, Deus Pater, vel eius Angeli alios conuocant, qui eum intueantur, dicentes: egredimini filiæ Sion, exite ab habitaculis vestris, ab ergastulis & cauernis, & abditissimis locis, vbi inclusæ estis, venite in hunc montem, *Et videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.* In diademate humanitatis, quo coronatus est à beatissima Deipara, & in diademate gloriæ, quod superaddidit modo ei cælestis Ierusalem, quę sursum est, vt aliquid splẽdoris eius mundo etiam appareret. Peruenit hæc vox vsq; ad limbum vbi anima Moysis detinebatur, quæ obediens voci Dei per Angelos insinuatæ, assumpto corpore statim venit in montem. Ascendit etiam vox in cælum, ad quod Helias curru igneo raptus fuerat, & ex abditissimo loco, vbi tunc erat, in ictu oculi descendit in montem; & hi duo filij Sion viderunt, & contemplabantur regem Christum, colloquebãtur cum eo, & mire lætati sunt. Desiderauerat aliquando Moyses videre gloriam Domini dicẽs ei: *Ostende mihi gloriam tuam*; cui Dominus ait: *Cum transierit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam, tollamque manum meam, & videbis posteriora mea; faciem autem meam videre non poteris.* At tunc non in foramine petræ, sed in vertice montis collocatur; & Christus Dominus clare ostẽdit illi suam gloriosam faciem; quem in carne assumpserat, protegẽdo eum vt tantam claritatem posset intueri: non enim sola visione intellectuali, sed oculis etiam corporeis Christi faciem intuitus est, quia satis est credibile, in suo proprio & vero corpore animę reunito, tunc apparuisse, vt multi patres testãtur, & hoc modo Christum vidisse, vt verus testis esset Christi gloriæ, sicut & Elias, qui tunc non operuit vultum suum, sicut cum Deum transeuntem vidit in monte Oreb; sed apertis oculis illum intuitus est; tres etiam Apostoli, Petrus, Iacobus & Ioannes, quos Christus Dominus secum in montem adduxerat, egressi sunt à

Vide supra exh. 36.§.2.

4.Reg.2 v. 11.

Exod. 33. v. 18.

3. Ita Toler. in Lucæ 9. annot. 61 & Suarez to. 2. in 3.p. disput. 12. sect. 2. qui citant D. Hieronymũ. Mat. 17. D. Aug. lib. de mirabilibus sacræ Scrip.

A corporis sui imbecillitate, vt ab ipso Domino confortati faciem eius ita splendentem intueri possent, quod vt D. Damascenus perpendit, discrimen inter vetus & nouum testamentum indicat. Hebræi enim olim in faciem Moysi splendentem intendere non poterant, vt Apostolus inquit, propter gloriam vultus eius quæ euacuatur, sed velamen ante faciem ponebat Moyses, vt loqueretur illis, obscuritatem mentis eorum circa Christi mysteria significans: at Apostoli, sine vllo velamine reuelata facie Christi Domini gloriam speculati sunt: quia eius mysteria distinctè perceperunt, & tradiderunt nobis, quod etiam significatum esse dicit in nube lucida quæ in transfiguratione apparuit. Moyses enim caliginem intrabat, vmbram & opacitatem legis subindicans, Christum autem, & Apostolos nubes lucida obumbrauit, quia iam mysterium à B sæculis absconditum propalatum erat, & sempiterna Dei gloria manifestabatur. Verosimile autem est splendorem nubis à splendore corporis Christi processisse, sicut & alborem vestimentorum; quoniam Christus fons est totius luminis, & claritatis, qua eius mysteria penetramus. *Egredimini* igitur *filiæ Sion*, ô animæ contemplatrices, exite à vobismetipsis, & spiritu in montem istum ascendite; videte regem Salomonem in hoc diademate gloriæ coronatum, vt firmior fiat vestra fides de gloria, ad quam per crucem peruenitur, vt increscat spes, & augeantur vires ad laborandum, tanta laboris vestri remuneratione conspecta: videte etiam regem Salomonem hoc diadema sibi ab initio conceptionis debitum (quia gloriosæ animæ gloriosum debebatur corpus) libenter reliquisse propter vos, vt in certamen passionis descenderet, & quod ei iure C debebatur, per acrem pugnam, & tormentum crucis consequeretur. Propter primum igitur gratias agite, & propter secũdum æmulationem eius assumite; nam si cõpatimini, etiam conglorificabimini.

Damasceni oratione de transfigurat.

Tertullianum, Origenem, & alios.

3.Reg 19. v 17.

Orat. de transfigurat.

2. Cor.3.v. 13. & 18.

Ad Col. 2. v.26.

Ad Rom.8. v.17.

4. Sed secundam coronam intueamur ex sanctis vtriusque Ecclesiæ triumphantis & militantis contextam. Videmus enim hic regem nostrum, quinq; sanctorum diadematibus coronatum. Duo erant ex lege veteri, & tres ex noua, quia ex vtraq; sanctos elegit, quibus se ornari voluit; plures tamen ex noua, quia nunc abundantior est Christi gratia. Cæterum Moyses & Elias beatos repræsentabant, quatenus (vt testatur D. Lucas) *Visi sunt in maiestate*, id est, in corporibus refulgẽtibus, cum splendidisque vestimentis, qualis tunc erat Christus, vt serui Domino conformarentur, sed notat Origenes, quando Moyses de monte, in quo legem acceperat, descendit, solum vultum, seu faciem resplendentem habuisse: at cum ascendit in hũc montem, totus ipse refulsit, vt constaret gloriam & splendorem noui testamenti ex Christi consortio multo esse maiorem. Præterea Christus Dominus splendorem habebat à se, ex gloria nimirum suæ animæ & diuinitate redundantem; at Moyses, & Elias à Christo suam gloriam receperunt, quia ab illo omnis lex & prophetia, vniuersaque sanctitas & sapientia perfectionem accipit, & in eo ac per eum completur: nec vllus eorum qui præcesserunt vel sequentur, gratiam & gloriam habuit vel habere poterit nisi per ipsum; cuius post peccatum Adæ omnium hominum virtutes & victoriæ sunt splententes coronæ.

Luc.9. v.31. Ita Tertul. lib. contra Marcionem c.22. Epiph. hæres 42. Homil. 12. in Exod.

Petrus autem, Iacobus, & Ioannes viatores repræsentabant, qui adhuc sunt in militia, quibus non solùm ostensa est gloria Christi; sed gloria etiam Moysis & Eliæ, quos in magna viderunt

Orat. de transfig. „ maiestate; Quoniam ipsis discipulis (inquit Damascenus) expediebat conseruorum suorum, ac „ Dei famulorum gloria, animique fiducia conspecta, Domini benignitatem atq; indulgentiam admirari; atque zelum inde maiorem concipere, & „ ad suscipienda certamina confirmari; & rationem reddens, ait; quia spirituales Domini propugnatores non terrenorum quæstuum cupidi, nec fluxorum bonorum desiderio flagrantes, cùm ea quæ in „ spe posita sunt, ipsis etiam oculis contuentur, eosq; „ qui priùs labores pertulerunt, bonorum in spe positorum delitiis fruentes conspiciunt, maioribus animis ad certamina se comparant. Cæterum etsi Petrus (& idem est de aliis condiscipulis) adhuc viator esset, nec illam in se haberet gloriam, ex solo tamen eius conspectu, tanta est animi dulcedine repletus, vt sibi beatus & satiatus videretur; vnde reliqua omnia contemnens, ait, *Domine, bonum est nos hic esse, si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* His (inquit Serm. de transfigurat „ D.Leo) sacramentorum reuelationibus Petrus incitatus, mundana spernens, & terrena fastidiens, in Idem D. Ambr. in „ æternorum desiderium quodam mentis rapiebatur excessu, & gaudio totius visionis impletus, ibi Luc.9. & „ cum Iesu optabat habitare, vbi manifesta eius gloria lætabatur; vnde & ait, *Domine, bonum est nos* D. Hier. in Matt. „ *hic esse.*

Sed attende miram inter vtriusque Ecclesiæ Sanctos communionem: Petrus enim & Apostoli cognouerunt Moysem & Eliam, Dei lumine desuper infuso id manifestante, (quod multoties modò A euenit, cùm Sancti vel Angeli apparere solent iis qui nullam eorum notitiam ante habebant:) vellent autem cum eis semper esse, quia amabilis est eorum conspectus, & confabulatio: at Moyses & Elias loquentes cum Christo, *Dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Dicebant autem, vel ipsis Apostolis (vt inquit D. Cyrillus Ierosolymitanus) vel, quod verius est, ipsi Christo, audientibus tamen discipulis, & quasi ad ipsos etiam sermonem dirigerent, vt eos ad crucis passionem firmiter credendam, & perferendam animarent, per quam intratur in gloriam. Proprium enim est beatorum, viatores, qui adhuc sunt in militia, ita consolari, vt eos ad pugnandum excitent, & animum addant ne deficiant. *Egredimini* igitur, *filiæ Sion*, animæ contemplatrices, & videte regem Salomonem, tam illustri Sanctorum diademate B coronatum; admiramini eius gloriam, laudate virturem & omnipotentiam; gaudete de Sanctorum cœtu illam circundante; conuersamini cum beatis, & eorum sermones ac consilia accipite. Non enim egredimini ad videndum regem Christum in hoc monte, vt cum illo nunc iugiter commoremini, eius dulci tantùm fruentes præsentia; nec in hoc imitemini Petrum, quia *Nesciebat quid diceret*: sed postquam videritis illum suis diadematibus coronatum, descendite è monte, arripite pugnam, certate pro fide, amplectimini crucem, vt tandem facie ad faciem eum videatis omnium beatorum diademate coronatum in secula seculorum. Amen.

Lu. 9. v. 32. Catech. 12. Ita Orig tract. 3. in Mat. Diuus Chrysost. hom. 53. in Matth.

EXPOSITIONIS MORALIS IN CANTICVM CANTICORVM LIBER SEPTIMVS,

circa caput quartum.

DE EXCELLENTIIS CORPORIS mystici Ecclesiæ, in omnibus eius statibus & officiis, atque de mediis ad singulorum perfectionem.

CAPVT IV. CANTICI.

Encomia sponsæ, & singulariũ eius partiũ.

1 ECCE tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es! oculi tui columbarum, absq; eo quod intrinsecus
2 latet. Capilli tui sicut greges capratum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de
3 lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Sicut
4 fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea,
5 omnis armatura fortium. Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli qui pascunt in liliis, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Vadam ad montem myr-
Inuitatio sponsæ, vt vadat ad sublimiora, & gloriosorem coronam accipiat.
6 rhæ, & ad collem thuris. Tota pulchra es,
7 amica mea, & macula non est in te. Veni de
8 Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum,
9 de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor
10 meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa; pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Fauus distillans labia tua sponsa, mel, & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum sicut odor
12 thuris. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emis-
13 siones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Cypri cum nar-
14 do, nardus & crocus, fistula, & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha, & aloë, cum omnibus primis vnguentis.
15 Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Surge
16 Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata eius.

Cõmendatio pulchritudinis sponsæ, à similitudine horti amœni, & fontis copiosi.

ERE totum caput quartum insumit sponsus in commemorandis laudibus dilectæ sponsæ suæ, quæ est Ecclesia, singulorum membrorum eius delineans pulchritudinem. Quod etiam in capite sexto & septimo iterum atque iterum prosequitur, vel dicta repetens, vt sui amoris vim, & in dilectæ suæ decore complacentiam magis exprimat, & confirmet; vel eadem nouis similitudinibus amplificans, quoniam vnica similitudo non satis poterat eam declarare; quorum aliqua in hunc librum septimum reducemus, quia melius & facilius si-

mul posita intelligentur. Consultò autem in huiusmodi encomiis non apponitur determinatè verbum, *est*; hac fortè de causa, vt non solùm possint intelligi per modum affirmantis, sed etiam per modum optantis, aut præcipientis, vt sensus esse possit, oculi tui vel capilli tui sicut columbæ, vel sicut greges tonsarum, subaudi, sunt, aut vtinam sint, aut cura vt ita sint. Primum propter perfectos, & consummatos viros, in quos omnino hæc quadrant encomia: secundum vero propter minus perfectos, quasi eos ad hanc perfectionem acquirendam exhortans; & licèt prior sensus sine dubio sit magis proprius, tamen posterior non est contemnendus, maximè vbi expositio est moralis, & ad excitandos animos in ea quæ perfectiora sunt, potissimè ordinatur.

Diuidimus autem caput hoc in tres partes; prima septem particularium membrorum Ecclesiæ laudes continet; etsi in textu ipso non omnes simul, sed cum interruptione quadam proponantur; secunda verò laudes narrat ipsius Ecclesiæ in genere, quæ singulis eius membris conuenire possunt, & debent; quæ incipit ab illo versu, *V adam ad montem myrrhæ*, &c. Et quoniam Dei scopus est his laudibus sponsam ad se allicere, & ad ampliorem perfectionem excitare, simul tangit media, quibus id valeat obtinere; quia tamen ad finem capitis singulares Ecclesiæ, & sanctæ animæ prærogatiuas fusiùs prosequitur sub eadem metaphora horti & fontis, de his erit tertia libri pars.

PRIMA PARS LIBRI SEPTIMI.

De excellentiis insignium iustorum Ecclesiæ, qui in ea amplius splendent.

PRO FERIA 5. CINERVM, ET 6. POST CINERES, *contra eos qui externa bona opera sine internis agunt.*

EXHORTATIO I.

De iustorum sanctitate occulta, quæ superat manifestam; de duplici contemplatione per modum columbæ gementis, vel silentij; atque de iis quæ ad eam conducunt.

Cant. 4. v. 1. TEXTVS. Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es; oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.

LXX. Oculi tui columbæ extra taciturnitatem tuam.

Cãt. 1. v. 14. XIMIAM sponsæ pulchritudinem laudaturus sponsus in singulis eius partibus, à generali commendatione illius per admirationem inchoat, dicens, *Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra*

Lib. 2. Exhort 9. *es*; quod in capite primo per aduerbium, *ecce*, iam exaggerauerat, dicens, *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es*; vbi de bina hac pulchritudine septem combinationibus reduplicata diximus, quibus nihil addendum modò superest. Deinde descendens ad singula membra, sumpta metaphora à pulchritudine corporali, septem

Alia cõbinatio habetur inf. l. 10. §. 1. n. 8.

A partes valdè commendat: nempè oculos, capillos, dentes, labia, genas, collum, & vbera, quorum laudes aptari possunt bifariam, vel Ecclesiæ vniuersæ, quæ ad similitudinem corporis naturalis (teste Diuo Paulo) est corpus quoddam mystícum plura continens membra; id est, plures 1. Cor. 12. v. 14. fideles & iustos in varios status, gradus, & officia distributos, vt quidam sint sicut oculi, alij sicut capilli, &c. vt fusè suo loco explicuimus; vel accommodari valent vnicuiq; piæ animæ, quæ ad similitudinem partium corporis plures intra se continet facultates, aut virtutes supernaturales, vel actus & exercitia earum, quæ per oculos, capillos, &c. designãtur, quæ tanto sunt pulchriores in singulis animabus, quanto ipsę sunt sanctiores. Vnde in beatissima Virgine omnes istæ laudes eminentissimè copulantur: O pulchritudo admirabilis (ait Ru- De Deipara. pertus Abbas) quam sic admiratur & collaudat pulcherrimus author ipse pulchritudinis præco- " coniis septem; qui septem istis modulis laudatur in te, Virgo virginum! Laudatur in oculis " simplicitas, hæc tua prudentia est; in capillis cogitationum munditia, hæc tua supernorum desi- " derium est; in dentibus innocentia, quæ religio- " sitas est; in labiis doctrina, in genis verecundia, " in collo humilitas, quæ fortitudo tua contra dia- " bolum est, in vberibus tuis spectanda & admiran- " da cum virginitate fœcunditas, virginum & matronarum pariter decus. Sic ille. Sed singula postea " discutienda sunt diligentius, quæ tamen prælibare libuit, vt modum has similitudines interpretandi in tam præclaro intueremur speculo, quod etiam ad ea quæ dicenda sunt, nobis sit lumen & adiutorium.

Arcana Dei, & virtutis internæ maiora esse quàm quod similitudines corporeæ, vel opera externa manifestant. §. 1.

ANTEQVAM singula explanemus encomia, operæpretium duxi spiritum propalare in illis verbis inclusum, *Absque eo quod intrinsecus latet*; quæ in prima laude apponuntur, vt intelligamus in reliquis etiam subintelligenda, si ad rem significatam attendas. Triplicem autem habent sensum omnibus ferè quæ in hoc Cantico dicũtur, congruentem. Etenim, cùm inuisibilia Dei, cœlestiumque ac spiritualium bonorum arcana intelligere non valeamus, nisi per visibilia mundi, & sensibilia, quoniam omnis nostra cognitio incipit à sensibus; ideò tam in hoc Cantico, quàm in Euangelio, explanantur nobis per parabolas, metaphoras, & similitudines à rebus sensibilibus desumptas; quæ tamen adeò sunt limitatæ & crassæ, vt rei spiritalis ac diuinæ pulchritudinem & magnitudinem, nunquam integrè manifestent. I.

Sed semper multò est præcellentius quod adhuc abditum & inexplicatum manet; & hoc denotat illud verbum, *Præter id quod intrinsecus latet*: nam sicut Deus incomparabiliter maior est omni laEccl. 43. v. 33. de; ita spiritualia & inuisibilia ad ipsum spectantia, omnem superant laudem, quæ ex corporalibus desumatur: qua posita debes addere, præter id quod adhuc intrinsecus latet in ipsa re, quod hac similitudine non satis explicatur, & incomparabiliter est multo maius & laudabilius, plusque magnificiendum & amandum. Fauet versio LXX. quæ sic habet, *Oculi tui columbæ extra taciturnitatem* Cãt. 6. v. 6. *tuam*, vel *extra silentium tuum*, aut, *absque occultis tuis*, vt infra dicetur de genis; id est, præter occulta

tua, quæ tacent & silent, nec se foris produnt, & A manifestant, & multo sunt pulchriora quàm columbæ. Nam cum res per aliqua externa signa manifestatur, quasi loquitur per illa; cùm autem adhuc manet occulta & inuisibilis; quasi tacet & silet, dum non se prodit; & in idem recidit si dicas: extra taciturnitatem tuam, id est, extra id quod ego de te taceo, & de oculis tuis sileo, quod maius est quam id quod explico. Propter quod etiam vocatur spōsa bis pulchra; semel à pulchritudine quę per similitudines manifestatur, sed iterum ampliùs à pulchritudine latente, quæ silетur.

Virgilius 2. Æneidos, *Tacita per amica silentia lunæ*, dicit de luna cum non apparet.

2.

Hinc deducitur secundus sensus iuxta mentem sponsi, qui has laudes inchoans insinuat, ita velle se laudare veram sponsæ pulchritudinem foris conspicuā, vt tamen reticeat intus latentem, quę provt in se est, omnem superat prædicationem, vt nos illam perpendamus. Insignis enim iustorum virtus per opera externa manifestatur; nam, *Bona arbor* B
Mat. 7.v.16 *bonos fructus facit, & à fructibus eorum cognoscetis eos*: at in præclaris viris multò maius est quod intrinsecus latet, & occultum manet; quoniam multo plura & maiora efficere gestiunt pro Dei amore, & obsequio quam effectu ipso præstent: & quamuis multa patiantur pro Christo, grauiora pati sitiunt, vnde sitis, zelus, & ardor intrinsecus superat flammas, quæ foras erumpunt, & hic est legitiPſ.44.v.14. mus sensus eius quod ait Psaltes, *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbriis aureis, circumamictа varietatibus.*

Solent nobiles fœminæ in secreto domus suæ cōmunibus vti vestibus, pretiosissimis verò, cū egrediuntur in publicum; non sic filia regis, Christi sponsa, cuius ornatus exterior, & publicus etsi pulcher sit, & pretiosus; tamen vniuersa eius gloria & pulchritudo est intrinsecus in secreto cubiculo cordis sui; tum quia ab hac pendet externa, quæ sine illa nihil esset; tum quia vehementiùs internæ C
gloriæ, & pulchritudini acquirendæ insistit, quæ soli Deo est nota, & magis grata, nullisque limitibus circumscribitur, eo modo quo externa; nam desiderare possumus quantum volumus, at multa operari exterius volumus, quæ non possumus.

Præclarè igitur sponsus laudans Ecclesiæ oculos, id est iustos, qui sunt filij lucis, & velut oculi in hoc corpore mystico valdè splendent, ait, *Oculi tui colũbarum*; quia verè coram hominibus appares simplex, recta, innocens, mitis, & decora: idque est laMat 5.v.16. de dignum, sicut omnibus præcepi, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Cæterum hæc tua oculorum laus est *Absque eo quod intrinsecus latet.* Vniuersa enim tua simplicitas, rectitudo, innocentia, & mānsuetudo, ac decor non prodit foD
ras, sed intus adhuc aliquid illius homines latet, at non me qui scrutor corda & renes, & hoc mihi magis placet, & pulchrius videtur. Valdè honestum
In Cant. 4. est (inquit D. Gregorius) quidquid in exterioribus
" operatur, quod simpliciter conuersatur inter ho-
" mines, quod ea quę videt temporaliter cōcupisce-
" re dedignatur; & si aliquid tamen in hoc mundo
" placet, post concupiscentias suas ire detestatur; sed
" vehementer pulchrius, & honestius est; quod cor-
" dis desiderium illibatum retinere conatur, quod
" æternæ beatitudinis claritatem in mente retinet,
" recta contemplatur, quod in iis quę interius videt,
" suauiter requiescit, & mundatur.

Hoc autem maximè verum est, si hæc verba referas ad ea quæ Spiritus sanctus per colũbam significatus secretò & latenter operatur in electis: maximè cùm orationi & contēplationi vacant, vt sunt reuelationes, actus anagogici, affectus ardentissimi amoris, & spei, puritas quędam eleuatissimę intentionis, & altissima quædam resignatio, ac alij huiusmodi effectus, qui nulla oratione explicari valent: & ideò sub taciturnitate & silentio prætermittuntur. Et hoc magis insinuat quod mox subiicitur, *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet.* Nam sicut intra corticem mali punici latent plurima & pulcherrima grana; ita intra corticem operis externi latent plures & pulchriores affectus, & interni actus. Per hæc autem intendit diuinus Spiritus, vt ita sanctitatem curemus externam qua hominibus ad Dei gloriam placeamus, vel potius prosimus, vt tamen multo maiori conatu internam inquiramus; & ea quæ intrinsecus latent, & soli Deo sunt nota, magnificientes, auidius ab eo expostulemus.

Plures actus huiusmodi refert Ricardus de S. Victore c. 15.

Hinc est spōsum his verbis tacitè redarguere hy- 3.
pocritas, qui simulatam tantùm habent sanctitatem; nam quātumcumq; iusti hominibus foris appareant, quod intus latet fœdum est; & ideò penitus coram Deo sunt deformes, iuxta illud, *Væ vobis* Matt. 23.v.
Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod de 25.
foris est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia: Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat id quod de foris est, mũdum. Ac si dicat; id quod intrinsecus latet, veram munditiā præstat ei quod foris apparet; si illud non mundes, totum immundum & fœdum erit. Rursus. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia; sic & vos à foris paretis hominibus iusti, intus autē pleni estis hypocrisi, & iniquitate.* Huiusmodi ergo hypocritæ, foris oculos habent columbarum, sed quod intus latet nigrum est instar coruorum, quia ab hominibus laudari quærunt, à Deo autem reprobantur.

Tandem verba ista extendi possunt ad id, quod 4.
latet non tantùm homines, sed ipsam etiam sponsam quæ laudatur. Quod explanari potest per id
Mat. 6. v.3. quod Christus Dominus ait, *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Ac si diceret; cùm facis eleemosynas, stude quantum potueris homines latere; imò & teipsum, vt nec aliis nec tibi placere quæras, nec in tua eleemosyna vanè complaceas. Hoc enim quod intrinsecus etiam te ex humilitate latet, est quod Deo pulchrius & laudabilius appareat, vt in Exhortatatione 10. fusiùs prosequemur.

Sanctitatem patriæ superare eam quæ habetur in via. §. 2.

SED adhuc subtilius hæc verba referri possunt, (vt D. Gregorius insinuare videtur) ad ea quæ Lib.9.Moin cœlis latent, siue præmia ipsa, vt ipse dicit, siue ral.c.6. etiam sanctitatis genus quod in cœlis obtinetur, vt 1.
quantumcumq; aliquis iustus in hac vita laudetur, intelligamus multo maius esse id quod in cœlo latet, & à Sanctis desideratur, quia omnis sanctitas huius vitæ qua parte est in vasis fictilibus, & fragilibus, magnis tentationibus concussis, corporisque Mat.11.v.11
mole valdè compressis, longè inferior est quàm ea Lu.7.v.28.
quę à beatis possidetur, & à viatoribus expectatur. Hieron. in
Quo sensu asseruit Christus Dominus, *Inter natos* Matth.11.
mulierũ non surrexit maior Ioanne Baptista: qui au- August.l.2.
tem minor est in regno cœlorum, maior est illo: id est, si- contra adcut D. Hieron. ac D. August. interpretantur, minor uersarium legis c. 5.

inter beatos, qui in regno cœlorum Deum vident, A maior est illo, & quocumque alio portante corpus quod corrumpitur, & aggrauat animam. Sic igitur sponsus laudans Ecclesiam, ait; oculi tui & iusti tui, qui in mundo apparent, sunt vtique pulchri sicut columbæ: at quod intrinsecus, & intra regnum Dei latet, & quod ipsi sperant, pulchrius, splendidius, & excellentius est illis. Pulchram (inquit D. Gre" gorius) narrat, & pulchram replicat, quia alia est ei
" pulchritudo morum in quo nunc cernitur, atque
" alia pulchritudo præmiorum in qua tunc per con" ditoris sui speciem subleuabitur; cuius membra,
" videlicet omnes electi, quia ad cuncta simpliciter
" incedunt, eius oculi columbarum vocantur, quia
" magna luce irradiant, quia & signorum miraculis
" coruscant. Sed quantum est omne miraculum
" quod videri nũc potest? illud de internis miraculis
" est mirabilius, quod nunc videri non potest; de quo
" aptè subditur, *Absque eo quod intrinsecus latet*; ma- B
" gna est quippe gloria aperti operis, sed longè in" comparabilis occultæ retributionis. Hoc autem
" dicit sponsus, vt iustos viatores in humilitate con" tineat, etsi præeminentes sint velut oculi, & vt ve" hementius cœlestem beatorum sanctitatem & so" cietatem appetant, & ea quæ non vident; sed ad" huc eos latent, vehementius inquirant.

Duplex modus contēplationis. 1. Isa.58.v.14.

Confirmat hoc celebris sententia D. Ioannis ad
1.Io. 3.v.2. eumdem scopum directa, *Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus sicuti est.* Quod Salomon ait, *Oculi tui columbarum.* Ioannes dicit, *Nunc filij Dei sumus*: quod ille inquit, *Absque eo quod intrinsecus latet*, iste exponit, *Nondum apparuit quod erimus*: nam iusti sunt nunc splendidi filij Dei per gratiam, & dona Spiritus sancti, quæ per columbas significanC
tur; at quanta sit hæc dignitas, adhuc latet, & non apparet; apparebit autem in gloria, quando per visionem Dei similes ei erimus.

3. Tandem hoc amplius explicat ipsa phrasis, *Oculi columbarum*; vtrumque enim tam oculi quam columbæ symbolum sunt vnionis; illi quidem, quia duo cum sint, semper simul suos actus exerCan. 4.v.9. cent; propter quod dicitur infra, *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*; de quo ibi. Columbæ etiam aues sunt gregales, & sociales, quæ etiam vnionem & concordiam repræsentant. Iusti igitur & electi filij Ecclesiæ, oculi sunt columbarum, quoniam, omnes per Spiritus sancti dona vnanimiter conueniunt in eadem fide & lege ac cultu vnius Dei, in eademque fraternæ charitatis dileD
ctione, quæ admirabilis est, & laude dignissima; sed *Absque eo quod intrinsecus latet*; quia in ea vnione tanquam in semine latet alia incomparabiliter præcellentior, quæ erit in gloria, vbi omnes beati eminentiori modo erunt oculi columbarum, dum suis columbinis oculis Deum videbunt sicuti est, in quo summa & æterna pace gaudebunt.

De contemplatione per modum columbæ gementis. §. 3.

IAM ad peculiare oculorum encomium amplius declarandum deueniamus, quod maximam indicat Ecclesiæ & piæ animæ pulchritudinem, & fusè in libro quarto, vbi eadem habentur verba, explicatum est de fide, simplici intentione, & aliis
Exhort. 11. & 12. donis quæ ad contemplationem conducunt. Sed nunc ad ipsos contemplatiuos ea applicemus, qui maximè mystici oculi Ecclesiæ dicuntur, quoniam per illos inuisibilia Dei mysteriaque nostræ fidei clariùs videt. Insinuatur autem in iis verbis duplex contemplationis modus, alter communis & ordinarius, alter singularis & extraordinarius. Prior est quem significant illa verba, *Meditabor vt columba*, scilicet gemendo vt illa. Etenim anima contemplatrix duplici vtitur lumine, quasi duplici oculo interno: alterum est lumen rationis, seu intellectus ratiocinantis, qui ex vno in aliud discurrit, & ex visibilibus inuisibilia Dei, & spiritalia dignoscit. Alterũ est lumen fidei diuina illustratione fultum, quo ea quæ sunt à Deo reuelata credit, agnoscit, atque perscrutatur. Ab vtroque procedit deuota mysteriorum fidei meditatio, quæ columbæ assimilatur; quia non emanat ex curioso affectu sciendi & scrutandi occulta Dei, sed ex simplici & sincero desiderio cognoscendi veritatem; quæ cognitio vehementes parturiat gemitus cum intimo cordis dolore, siue de propriis peccatis & miseriis, siue de delictis, & ærumnis proximorum, siue de absentia Dei, & dilatione gloriæ cœlestis; iuxta illud Isaiæ, *Quasi columbæ meditantes gememus*; nam, *qui addit* Isa.59.v.11. *scientiam, addit & dolorem, seu laborem.* Quod Eccl.1.v.18. de hac spiritali scientia explicat Diuus Gregorius, Hom.10.in quæ ad modum iam explicatum dolorem parit. Ezech. & l. Cæterum quia gemitus columbarum, etsi dolo- 18.Mo.c.24 rem, planctum, & singultum repræsentent, tamen non ex tristitia & dolore procedunt, cùm loco cantus illis sint, & magnitudo amoris seu zeli in columba masculo eos excitet; hinc est meditari vt columbam, generalius accipiendum esse pro meditatione, quæ ex intimo corde parit affectus ipsi meditationi, aut rei meditatæ congruentes: vnde nonnulli, vt Cyrillus, & Eusebius apud C
Theodoretum, hæc verba Ezechiæ illi tribuunt, cùm iam in gratiarum actionem pro accepta salute beneficium istud meditabatur, & recolebat, laudes canens Deo; & ideò præmisit, *Sicut pullus hirundinis* (quæ valdè canora est) *sic clamabo, meditabor vt columba.* Meditatio igitur & contemplatio ab oculis columbinis procedens, multiplices parit gemitus & affectus amoris Dei & proximi, gratiarum actionis & laudis; nam & sæpius ipsi gemitus & lachrymæ ex amore & gaudio procedunt.

& D. Hier. in Eccl.1.

Hoc autem eleganter explicant verba sponsi, si eorum causam perpendas, dixerat sponsa, *Egredimini, filiæ Sion, & videte regem Salomonem*, &c. quibus verbis duo insinuauit, quæ sunt vehementis amoris indicia. Primò enim ipsa oculos mentis suæ coniecit in speciosissimum regem sponsum suum tam pretioso diademate coronatum, & viD
dens ac contemplans eum, maximè sibi in illo complacuit, in eiusque exarsit amore; quia verò ardenter Deum amans vellet similiter eum ab omnibus videri & amari, vt Dei gloria increscat, & alij eo bono fruantur; ideò exhortatur filias Sion, vt oculos suos attollant, & videant eumdem regem suo diademate coronatum, vt in ipsius etiam amore vehementer exardescant.

Vtrumque adeò placuit cœlesti sponso, vt mox diceret, *O quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es; oculi tui columbarum.* Pulchra, quia me vidisti & amasti; pulchra item, quia exhortata es sodales tuas, vt me viderent & amarēt; & ob vtrumque videntur mihi oculi tui pulchri, sicut columbę simplices, fœcundæ, ac amoris & concordiæ symbolum præ se ferentes, quoniam simplici & puro corde, magnoque amoris affectu me intuiti, &

contemplati sunt; ac insuper fœcundi, ardentes pepererunt affectus & desideria, vt ab aliis etiam viderer, & diligerer sicut à te, *Absque hoc quod intrinsecus latet*; id est, præter affluentiam cœlestium delectationum, ac gratiarum, quas intus recipis ob hanc simplicitatem, & affectum columbinum, quo me conspicis & diligis, quod nunc taceo, quia tuipsa experieris. Est enim manna absconditum, & nomen nouum, quod nemo scit nisi qui accipit.

Vide Ricardum vbi supra.

3. Sed aliquid amplius insinuat alia versio Lxx. *Extra taciturnitatem tuam*, vbi commendatur oratio, quæ mente fit; & cum Deo ipso, tacente lingua, loquitur corde, & clamat affectu, desiderio & gemitu. Perbellè autem taciturnitas ista coniungitur cum oculis columbarum, quoniam proprium est Spiritus sancti tacente lingua hunc clamorem & gemitum efficere in corde; iuxta id quod D. Paulus ait, *Quoniam estis filij, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra clamantem, abba Pater*: & rursus, *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus; qui autem scrutatur corda scit quid desideret spiritus, quia secundùm Deum postulat pro sanctis.* Et ideò etsi lingua sileat, audit desideria & gemitus, qui aliquando vehementius clamant intus in mente, cùm nihil proditur voce. Vt autem scias oculos columbæ clamare; etsi lingua taceat, audi quid dicat Ieremias, *Deduc quasi torrentem lachrymas per diem & noctem; non des requiem tibi, nec taceat pupilla oculi tui.* Quid est, inquit D. Hieronymus, non taceat pupilla oculi tui? num pupilla oculi aliquando clamat ad Deum? Vtiq; si clamat, lingua clamat, non pupilla oculi: sed quomodo clamamus in cordibus nostris, quando cum gemitu Dominum deprecamur; sic quando lachrymas ad Deum fundimus, eo tempore pupilla oculi nostri clamat ad Dominum. Vnde cùm Scriptura ait de Moysi, *Quid clamas ad me?* cùm penitus vox nulla eius præcesserit; ideò est, quia compunctum cor, & pro populo lachrymabiliter ingemiscens clamorem vocauit. Plura de hoc infra in id, *Oculi tui sicut piscinæ in Esebon.*

Ad Gal. 4. v. 6.
Ad Rom. 8. 26.
Thren. 2. v. 18.
In illud Psalmi 5. *Intellige clamorem meum.*
Hoc habet in ep. ad Gal. 4.
Exod. 14. v. 15.
Lib. 9. Exhort. 14.

De silentio contemplationis, & iis quæ conducunt ad illam. §. 4.

1. Hinc eleuatur anima ad posteriorem modum contemplationis, qui eisdem insinuatur verbis, *Extra taciturnitatem tuam*, vel *extra silentium tuum*: de quo Ieremias ait, *Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit se super se.* Est enim eleuatissima quædam contemplatio superans omnes humanas vires, quas de lege ordinaria præstat ipsa gratia, in qua anima tacet & silet, quia tacent discursus, cogitationes variæ silent, & propriæ industriæ quasi cessant, solúmque anima patitur diuina, & recipit ea quæ Deus intra ipsam operari dignatur; sicut de diuino Ierotheo testatur magnus Dionysius. Ait ergo sponsus, placent mihi valdè oculi tui, contemplantes me ad modum columbarum gementium, *Extra taciturnitatem tuam.* Nam quando in te est taciturnitas, & silentium interius, maius quid est quàm hac laude comprehendatur. Hæc autem taciturnitas prouenit vel ex maxima admiratione, & stupore diuinæ maiestatis, quæ animam tacentem reddit, vel ex cogni one incomprehensibilis sapientiæ, & bonitatis i, quæ omnem superat laudem; & ideò silenti olitur, adoratur, & laudatur, iuxta illud Psa i secundum versionem B. Hieroymi ex Hebræo, *ibi silentium laus Deus in Sion*; vel ex profundissima humilitate & reuerentia immensæ Dei maiestatis, coram qua

Thren. 3. v. 28.
Psal. 64. v. 1.

A loqui non audet; vel denique ex efficacia diuini raptus, qui potentias silere facit, vt attentè audiant arcana verba, quæ non licet homini loqui. Quo sensu mysticè dicitur, *Factum esse silentium in cælo quasi media hora*; id est, in anima ad cœlum rapta, cuius conuersatio in cœlis est, factum est Dei virtute silentium internum, quo attentius & subtilius audiret Deum loquentem in illa, quæ ad pacem sunt, mirabilia de seipso, aut de sua lege, operibus, vel iudiciis reuelantem. Silentium (inquit Diuus Gregorius) fit in cœlo, cùm terrenorum actuum strepitus quiescit à cogitatione, vt ad secretum intimum aures animus apponat. Hoc autem silentium durat tantùm media hora; nam integra hora, quæ plenitudinem cognitionis & durationis significat, alteri vitæ reseruatur; in hac verò pars aliqua tantùm prælibatur, breuior aut longior, maior aut minor, pro beneplacito Dei qui hoc silentium indicit.

2. Cor 12. v. 4.
Apoc. 8. v. 1.
" Ho. 14. in Ezec.

Sed non sine mysterio laudans sponsus oculos contemplantes vt columbæ, taciturnitate & silentio tegit id quod intus latet ex triplici causa. Primò quia interna hæc secreta esse oportet, vt sola anima, cui communicantur, eis fruatur; iuxta illud Isaiæ, *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Et hoc (inquit Diuus Ambrosius) significat dicere, *Extra taciturnitatem tuam*; eo quod tota spiritalis & simplex sicut columba spiritalia videat, & nouerit ea quæ viderit, tacere mysteria. Deinde, quia sæpe tam sublimia sunt quæ videntur, vt verbis explicari nequeant. Sicut Paulus ait audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui, nisi quando ex Dei iussu & beneplacito expediat ea alicui dicere; nam, *Gloria Dei est celare verbum.* Tandem, vt nos appetamus quidem contemplationem quæ per oculos columbinos designatur, eosque habere curemus; alios tamen relinquamus extraordinarios modos exstasis, silentij, vel suspensionis, aut raptus, qui non sunt appetendi, nec procurandi, ne superbi aut curiosi, vel temerarij videamur, sed potius humiliter sunt euitandi, & tantùm cum timore & tremore, si à Deo communicentur, recipiendi.

Isa 24. v. 16.
Lib. de instit. virg c. 1.
2. Cor. 12. v. 4.
Prou. 25. v. 2.

Oportet tamen ne nos his singularibus Dei gratiis indignos reddamus, ea diligenter præstare, quæ ad communem contemplationem perfectè exercendam valdè conducunt: quæ ipso nomine columbæ, eiusque proprietatibus satis insinuantur; de quibus iam in quarto libro actum est. Sed non minus proderit quod Diuus Ambrosius deducit ex iis verbis, *Extra taciturnitatem tuam, vel silentium tuum*; vbi ait laudabilem etiam prædicari taciturnitatem & silentium, quod comes est oculi columbini & contemplatiui; non solùm tacendo secreta quæ vidit iuxta iam dicta, sed valdè etiam amplexando generale silentium, quod omnia verba non solùm noxia, sed inutilia, & quomodocumque superflua, vel non necessaria præscindit; nam hoc valdè cõducit vt mens se intra se colligat, imò & se supra se eleuet, vt ad Deum contemplandum ascendat. Nam humana mens (inquit D. Gregorius) aquæ more & circunclusa ad superiora colligitur, quia illuc repetit vnde descendit, & relaxata deperit, quia se per infima inutiliter spargit. Quot enim super vacuis verbis à silentij sui censura dissipatur, quasi tot riuis extra se deducitur. Quæ igitur anima solitaria sedens tacet, & viriliter verba inutilia mortificat, facilè super se ascendit ad supera, & authori suo coniungitur, cum quo tamen libenter loquitur.

3.
Lib. 4. Exhort. 11. §. 4.
Serm. 16. in Psal. 118. v. 3. & de instit. virg. c. 1.
De hoc lib. 4. Exhort. 12 § 3.
" Lib. 7. " Mo. c. 18. & 3. p. pastor. ad " monit. 15.

Hinc

Hinc etiam deduces, cur prima laus in hoc encomio sponsæ fuerit, *oculi tui columbæ.* Nimirum ad denotandum cuncta quæ de mysticis oculis dicta sunt, à Spiritu sancto & eius donis prouenire; qui vt D. Cyprianus eleganter perpendit, in specie colũbæ apparuit, vt ex illa specie intelligeremus gemitus pœnitentiæ, & desideria contemplationis diuinæ ex simplicitate cordis, & innocẽtia vitæ immaculatæ incessanter prodire: & neminẽ nisi suspiriis huiusmodi præcedentibus, & inspiratione diuina monente posse ad cælestia aspirare, vt suspiratio, & inspiratio, & aspiratio à sancto Spiritu & causam habeant, & effectum, & materiam & prouentum. Addit verò in eadem laude ab sponso, *extra taciturnitatem tuam*, vt doceret perfectionis studiosos, & contemplationis auidos debere à silentio externo inchoare, & ab interno orandi clamore cum gemitu, vt gratiam Dei implorẽt ea meditantes, quæ hunc affectum, & desiderium cordis pariant: nam, vt inquit Cassianus, silentium est primus actualis disciplinæ ingressus. Oratio autem & gemitus cordis initium est, & fons omnium bonorum, quæ de cælo impetrare cupimus.

Ioan. 1. v. 32.
Matth. 3. v. 16.
Serm. de sancto Spiritu.
Collat. 14. c. 9.

Sed vltra hoc oculi columbini aliquo indigent operimento, vt munus contemplandi, & orandi tranquillè præstare possint: quod insinuatur in illis verbis, *Absque eo quod intrinsecus latet*, seu, *intra velum tuum*; scilicet est absconditum, siue illud velum esset ex ipsis capillis, quos solutos & fluentes gestare solebant sponsæ in nuptiis, & tegebant non nihil oculos & faciem; quem morem commemorat Optatus Mileuitanus contra Donatistas, qui virgines Christi sponsas carnalibus nuptiis adigebant. Quæ (inquit) spiritali sponso iam soluerant crinem, iam cælestes celebrauerant nuptias. Quid est quòd eas iterum crinem soluere coëgistis? siue hoc velum esset fascia, aut vitta, qua honestatis, & pudoris causa facies ex parte tegeretur. At verò Spiritus sanctus non tam loquitur de velo corporeo, quàm mystico: quod duplex est: alterum ad tegendum oculos corporis per modestiam, quæ claudit ostium sensuum, vt anima in cubiculo cordis, quietè oret ad patrem suum; alterum verò ad tegendum oculos mentis curiosæ & vagæ per proprij iudicij abnegationem, intra velum fidei illud continendo. De vtroque egimus iam in loco citato.

Lib. 6. post medium.
De hoc infrà exhort. 10.
Matt. 6. v. 6

Sed quid est quòd Apostolus velum aufert à contemplantibus, cùm inquit: *Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem tamquam à Domini spiritu?* Sed reuelatam faciem vocat fidem legis nouæ, quæ clarior est quàm antiqua, ablato velamine, quo Moyses operiebat vultum suum, & modò cæcutiunt Iudæi: semper tamen retinendum est velum intellectum nostrum tegens per fidem obscuram, & proprij iudicij abnegationem. Et hoc indicat postremum verbum Apostoli, *Tamquam à Domini spiritu*, à quo scilicet excitamur ad speculandum gloriam Dei, non verò à spiritu proprio, qui est spiritus superbiæ, præsumptionis & curiositatis, & nititur proprio iudicio cæco & cõtumaci; quod dum circa diuina versatur, non transformatur à claritate in claritatem, sed ab ignorantia in ignorantiam, ab errore in errorem, deceptum ab Angelo sathanæ transfigurante se in Angelum lucis, ideoque non reuelata facie Dei gloriam speculatur, sed potiùs crassissimo velamine operta: nullum enim oculorũ men-

De primo lib. 4. in exhort. 12. §. 3. de secundo in exhort. 11 §. 5. 2. Cor. 3. v. 15. Exod. 34. v. 37.

tis crassius velamẽ est quàm iudicium proprium, & inordinatus sui amor ac superba præsumptio, de qua D. Bernardus explicat illud: *Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* Trabes (inquit) in oculo grandis & grossa, superbia in mente est, quæ quadam corpulentia sui vana, non sana, tumida, non solida, oculum mentis obscurat, veritatem obumbrat, &c. Et D. Gregorius ait esse velut caliginem seu nubem in oculo, quæ quo se magis dilatat, eo vehementiùs lumen angustat; de qua potest intelligi quod in Threnis dicitur, *Opposuisti nubem tibi ne transeat oratio.* Superbia enim nubes est densissima apposita inter Deum & animam ne eius preces ad Deum perueniant. Apponitur autem ab anima vt culpa est propriæ voluntatis; à Deo autem permissiuè, vt impedimentum est & pœna; quoniam propter illam nec respicere superbos, nec eorum preces audire decreuit. Hoc ergo peruersum auferamus velum, vt reuelata facie, sed humili, valeamus gloriam Domini speculari, & in eius transformari imaginem, nunc & in æternum. Amen.

Matth. 7. v. 3.
Tract. de gradibus humilitatis & superbiæ ad medũ.
Lib. 14. mor. c. 13.
Thren. 3. v. 44.
De hoc iterum in lib. 9. exhort. 2. §. 4. in id *auerte oculos tuos à me.*

EXHORTATIO II.

De peccatoribus pœnitentibus, atque de perfectis, & Religiosis, qui per capillos Ecclesiæ designantur, eorumque proprietatibus.

In Euang. Ego sum vitis, vos palmites.

Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.

Versu. 1.

Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de monte Galaad.

Cant. 6. v. 4

Postest encomium istud, vel ad Ecclesiam, vel ad animam referri: & vtroque modo duplex insinuatur comparatio; vna implicita, explicita altera. Nam quamuis nulla fiat hîc mentio capitis, tamen ex allata similitudine satis constat caput comparari monti Galaad; capillos verò caprarum gregibus descendentibus ab illo. Si ad Ecclesiam hæc verba referas, cùm caput eius, sicut ait D. Paulus, Christus sit, rectè comparatur monti Galaad, omnium, quæ in regione illa sunt, altissimo, optimis abundanti pascuis, in quo teste D. Ambrosio, nascuntur stactes, resina, & varij thymiamatis odores, vt colligitur ex illo Ieremiæ: *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi?* Christus autem est mons eleuatus in vertice montium, in quo omnes spiritales greges aptissima sibi & vberrima pascua inueniunt, cunctaque gratiarum, & donorum cælestium aromata salubria, & odorata ab eo procedunt; indeque à negotiatoribus asportantur in Ægyptum, id est, à ministris Euangelicis desumuntur, vt peccatoribus applicentur. Congruit & nomen Galaad, quod interpretatur, *Acervus testimonij*: in Christo enim totius legis veteris figuræ, & testimonia coaceruantur, & teste D. Petro, *Ei omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.* Quia ipse medicus est, & medicina nostrorum vulnerum, & resina ad sanandas cicatrices eorum, eisdem ferè rationibus. D. Ambrosius, ac Gregorius Nissenus montem Galaad Ecclesiam esse dicunt, in qua cuncta hæc

Ad Ephes. 1. v. 22.
Serm. 16. in Psal. 118. Versu 3.
Ierem. 8. v. 22.
Isai. 2. v. 2.
Genes. 37. v. 25.
Act. 10. v. 43.

inueniuntur, sed per Christum, qui omnium bonorum caput est & radix.

De peccatoribus pœnitentibus §. 1.

1. CApilli igitur Ecclesiæ, qui eius capiti inhærent, & ab eo pendẽt iuxta sententiam Gregorij Magni, Cassiodori & Bedæ, populi sunt fidelium, qui Christo per fidem saltem inhærent. Et quia capilli imperfectissimæ sunt corporis partes, aptè repræsentant peccatores pœnitẽtes, quos Ecclesia non reiicit, & assimilantur gregibus caprarum, quæ etiam symbolum sunt peccatorum, non qui fugiunt à Christo, sed qui confugiunt ad ipsum vt medelam recipiant, & veniam, & ideo dicuntur ascendere de monte Galaad, qui vt diximus Christum significat: ascendere autem idem est quod ibi apparere, vnde infrà eadem sententia repetitur sub his verbis: *Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.* Sed cur hîc dicuntur ascendere? nam capræ non apparent quamdiu sunt in imo montis, aut supra verticem, ibi pascentes, sed cùm vel incipiunt ascendere ad pastum, vel cùm redeunt vnde ascenderant. Sicut ergo mons Galaad capras recipit, pastum illis præbet, ac eis ornatur; ita Christus Dominus (vt etiam hostes eius testabantur) peccatores recipit & manducat cum illis, pastumque pœnitentiæ salutaris illis præstat, & se ab illis circumdari gloriatur, imò & super humeros portat; & cùm interrogarent cur cum peccatoribus versaretur, respondit: *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus*: ac si diceret, Numquid resina & medicus est in Galaad tantùm propter sanos, & non potiùs propter ægrotos? Ideo ego, qui sum vt mons Galaad, languidos recipio vt sanem eos.

Ex Cassiod. ex Beda.

Cant. 6. v. 4

Lucæ 15. v. 2.

Matth. 9. v. 12.

2. Fauet & similitudo capillorum, qui licet capiti inhæreant, tamen ab eo secundum probabiliorem philosophorum sententiam non recipiunt vitam, nedùm sensum; sed sunt velut res mortuæ, inanimatæ & insensibiles, nihilominùs tamẽ cõparatur capris, quæ viuẽtia animalia sunt: nã licèt quidam dixerint potiùs comparari pilis caprarum de monte Galaad, quæ ob pinguedinem pastus pingues sunt, pilosque gignunt copiosos, longos, & nitidos; tamen si textum sacrum inspicias, assimilatio non fit ad pilos, sed ad capras ipsas: ad hûc igitur modum peccatores fideles licèt Christo capiti inhæreant per fidem, tamen ab eo non recipiunt vitam gratiæ, nec charitatis nitorem, sed inter mortuos computantur: nam, *Fides sine operibus mortua est.* Ceterum per pœnitentiam viuificantur à Christo, & fiunt velut capræ apparentes de monte Galaad, in quo pastum vitæ recipiunt, & charitatis nitorem; & qui antea non apparebant, quia iacebant in limo profundi, & erant filij tenebrarum, obscuri, nigri, & fœdi, iam per Christum apparent; fiunt enim filii lucis, splendentes, & nitidi per gratiã, quia lauantur à sordibus peccatorum in fontibus, & riuulis istius montis, id est, in sacramentis, & remediis à Christo Domino institutis: nam mons pastum confert, & aquam ad potandum, & lauandum: iuxta illud, *In loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit.*

Iacobi 2. v. 12.

Psal. 22. v. 2.

3. Hinc deduci potest causa, cur sponsus postquàm laudauit sponsæ oculos assimilans eos columbis, mox laudet capillos comparans eos capris, nimirum vt sciamus quòd licèt magni æstimet iustos innocentes, non despicit peccatores pœnitentes; & ita laudat illorum innocentiam, quòd etiam approbat istorum pœnitentiam; & qui reminiscitur magnorum, non obliuiscitur paruulorum: Quoniam, *Pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.* Vnde si in corpore mystico Ecclesiæ non possumus esse oculi columbarum, simus saltem capilli sicut greges caprarum: si nequimus ascendere ad splendidam sanctitatem, quam pauci assequuntur, sicut pauci sunt corporis oculi, curemus saltem per pœnitentiam ad eum sanctitatis gradum ascendere, quem adipiscuntur plurimi, sicut sunt plurimi capilli, qui multis caprarum gregibus assimilantur: nam & capilli etsi vile quid appareant, caput tamen ornant; & ad gloriam Christi maximè spectat non solùm habere iustos splendentes sicut oculos, sed etiam pœnitentes, qui sibi inhæreant tamquam capilli assimilati capris.

Sap. 6. v. 12.

Sed nec mysterio caret hanc laudem ferè eisdem verbis repeti iterum in sexto capite, vt indicetur magni esse apud Deum delinquentium conuersionem, quam duplicatis, & triplicatis parabolis commendauit: nec tamen sine causa in hoc capite capilli comparantur gregibus, infrà verò gregi, cuius rationem quidam reddunt, quia hic sermo est de conuersione omnium peccatorum tam ex Iudæis quàm ex gentibus, quæ plures efficiunt greges: infrà verò de conuersione tantùm reliquiarum Israel, quæ vnus est grex. Sed meliùs dicetur eos, qui plures dicuntur greges, quia diuersos habent status & officia, vocari posteà vnum gregem, quia vnam constituunt Ecclesiam, & per iustificationem adipiscuntur charitatem, quæ omnium corda reducit ad vnum, & præterea vt sciremus ita Deum singulos curare pœnitentes, etsi plurimi sint, ac si vnus esset: qua de causa in parabolis centum ouium, & decem drachmarum, vnam tantùm dicit esse perditam, quam tanta solertia quæsiuit, ac si deperditæ essent multæ: quod magnam nobis parit fiduciam, valdéque nos stimulat, vt immortales Deo agamus gratias, qui cuiusuis vel minimi peccatoris sedulam curam agit, nec capillum de capite suo perire vellet: nos autem oportet summoperè adhæsionem cum ipso conseruare, nam si euellamur à capite peribimus, vt mox dicemus.

Cant. 6. v. 4

Lucæ 15.

In §. 4.

De proprietatibus Religiosorum, & eorum qui perfectionem profitentur. §. 2.

In multis proportionem habẽt similitudo vitis & palmitis, atque capitis & capillorũ, de quo inferiùs.

D Sed quamuis capilli partes sint imperfectæ humani corporis, aliquas tamen habent proprietates, ob quas iuxta D. Ambrosium & Nissenum, aliosque patres, repræsentare possunt fideles perfectiores, & insigniores, maximè verò Monachos, & Religiosos, quorũ symbolũ erant antiqui Nazaræi, ita dicti quia à cæteris erant segregati & consecrati Domino. Signum autem, quo à cæteris secernebantur, erat cæsaries: *Omni tempore*, inquit Scriptura) *separationis suæ nouacula non transibit super caput eius vsque ad completum diem quo Domino consecratur. Sanctus erit crescente cæsarie capitis sui*: Per cuius rasuram cessabat consecratio, & auferebatur donum Dei, si quod erat illi annexum, vt de Samsonis fortitudine constat, quæ ablata est illi cùm rasum est caput eius. Cùm igitur Ecclesiæ cæsaries laudatur, illi laudari videntur qui per eam diuino obsequio mancipantur, & consecrati

Num. 6. v. 5

Iudic. 16. v. 17.

secrati sunt: magna enim inter capillos & huiusmodi perfectos ac religiosos viros est similitudo.

Primò, quoniam sicut capilli immediatè inhærent capiti, à quo pendent, ita singulari quadam ratione religiosi Christo Domino per amorem, & vnionem affectuam inhærent, cui soli nituntur, & ab eo se dependere gloriantur dicentes cum Psalmista: *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Etsi autem omnes iusti Christo inhæreant, religiosi tamen multò vehementiùs, & strictiùs propter triplex votum quo ei cõiunguntur, & ab eo solo se pendere testantur. Per paupertatem enim cuncta renunciant, vt à solo Deo, eiusque prouidentia quæ sibi necessaria sunt ad victum & vestitum fidenter expectent. Per castitatem reiiciunt nuptias, quia solum Christum in sponsum eligunt, cui se totos tradunt. Per obedientiam autem propriam relinquunt voluntatem, vt diuinam sequantur, à qua in omnibus suis operibus, & ministeriis pendere studeant.

1.

Psal. 72. v. 28.

B

Hinc autem alia prouenit excellentia: nam sicut capilli ex capite continuum recipiunt incrementum, iugiter enim crescunt, & longiores fiunt, numquam tamen à capite separantur: ita religiosi ex vnione ad Christum continuò in virtutibus proficiunt, & in dies noua gratiæ recipiunt incrementa, maioremque animi submissionem: etenim licet capilli à capite ascendant, & aliquantulùm eleuentur, vt patet in iis qui crispi sunt, quorum capilli dicuntur infrà, *vt elatæ palmarum*, tamen quantò ampliùs crescunt, & fiunt longiores, tantò profundiùs dimittuntur per humeros versus terram: quoniam quò iusti plùs in virtutibus crescunt, eò profundiùs se submittunt, & humiliant, & quasi ipso virtutis pondere se in terram inclinant, quomodo arborum rami fructibus onusti in terram deflectuntur: cùm verò quasi reflectuntur super caput vt ipsum ornent, virtutem gratitudinis indicant, quæ omnia in Christi gloriam & ornatum refert.

2.

Cant 5. v. 11

C

Peculiariter autem longiores habere capillos decet feminas in signum pudicitiæ, & verecundiæ, vt D. Nissenus colligit ex illo Pauli: *Mulier si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt*, nimirum ad ornandum, & velandum caput, faciem, & oculos, cùm opus sit, honestatis & decentiæ causa iuxta suprà dicta; vt hoc naturale velamen præstet quod modò præstat artificiale. Vnde postquàm sponsus laudauit oculos columbinos sponsæ intra velum suum aptissimè laudauit capillos, qui loco velaminis erant, laudans in hoc eius pudicitiam, & fidem quam ipsi soli seruabat, cui vt sponso firmiter adhærebat: huiusmodi autem coma gloria est Ecclesiæ, quoniam virgines pudicæ & modestæ decus sunt illius, magnum Christo deferentes honorem.

3.

Hom 7. in Cant. 1. Cor. 11. v 15. Ad finem exhort. præcedentis.

Capilli sunt symbolum insignis mortificationis

D

Sed hoc præclarius in isto symbolo, quòd, vt notat D. Gregorius Nissenus, capilli voluptatis, molestiæ, & sensus omnis experres sunt: Carere autẽ (inquit) sensu mortuis est peculiare. Quamobrem quicumque nihil eorum, quæ in hoc mundo magni æstimãtur, sentit, nec propter gloriam & honorem fastu quodam elatus, neque ob iniurias, & ignominias dolens, sed in vtroque horum aduersantium sibi pari quadam ratione semet gerens, is est hæc sponsæ coma tantoperè laudata, planè mortui hominis, & immobilis ad mundi negotia speciem præseferens, quocumque tandem pacto res ipsius comparatæ sint. Idem sanctus interpretans hæc eadem verba capitis sexti, eleganter amplificat hanc similitudinem ex eo quòd capilli nullo doloris sensu moueantur, etiã si torũ corpus secetur, aut vratur: perfecti autem ita se gerunt ac si sensibus carerent: Qui (inquit) non ex aspectu de bono iudicant, non gustatu bonum metiuntur, non olfactu, non tactu, non alio sensus organo, sed omni sensu domito, per solum animum oblata menti bona expetunt, & amplectuntur, qui neque honoribus intumescũt, nec per abiectionem animi rebus tristibus in angustum coguntur; sed in aduersis casibus capillorum instar se doloris expertes declarantes, etiamsi vel sectio propter fidem in Christum, vel ad bestias, vel in ignẽ abiectio perferenda sit. Hæc ille.

4. Hom 7. in Cant.

Hom. 15. in Cant.

En præcellentissimam mortificationem monasticæ vitæ propriam, sub metaphora capillorum depictam, per quam extinguntur omnes carnales voluptates, sensuum delectationes, & iudicia; atque immobilis redditur spiritus inter prospera & aduersa, ac si mortuus esset; sicut verè mortuus est mundo & amori proprio propter Christum: dicente Apostolo; *Mortui estis, & abscondita est vita vestra cum Christo in Deo.*

Ad Col. 3. v. 3.

Denique sicut vnus capillus facilè ex capite euellitur, plures simul difficillimè, nisi cùm acuto ferro præscinduntur; sic qui solus degit facilè à diabolo vincitur, & à Christo separatur. At religiosi qui gregatim plures simul eodẽ genere vitæ Christo inhærere profitentur, firmius ei agglutinantur, difficiliusque euelluntur, quia funiculus triplex difficilè rumpitur, ipseque Christus, qui se diligentes diligit, eos tuetur, & tamquam bonus pastor gregem suum à lupis defendi. Caueat tamen vnusquisque, ne se ab aliis dilectione separet, ne dum diabolus eum inuenit solum, à Christo cui hærebat, facilè seiungat.

5.

Eccles. 4.

C

Confirmantur hæc amplius ex similitudine gregum caprarum. §. 3.

HÆc splendidiora redduntur ex similitudine adducta: *Sicut greges caprarum quæ ascenderũt de Galaad.* Nec sine mysterio mentio hîc fit mõtis Galaad, vbi degunt Elias monachorum primus pater. Talis (inquit Nissenus) Elias fuit, qui de Galaad syderis instar exortus est, in horrido, squalidoq; corpore, caprinis pellibus tectus, ad omnes tyrãni minas numquam non intertritus: quicumque igitur ad imitationem generosi in hoc vate animi se ipsos supra mundũ hunc vniuersum attollunt, egentes, pressi, afflicti, in mõtibus, antris, cauernis terræ, quibus denique mundus non est dignus, ornamẽtum Ecclesiæ fiunt, gregatim (qui philosophandi mos hoc tempore esse cœpit) virtutem in conuersatione mutua colentes: & auget (inquit) miraculum, quòd Galaad exteri montis nomen est, quoniam ex ethnica vita, & valdè profana ad hanc cælestem vitam multi traducuntur: multis autẽ prosequitur quomodò Elias fuerit Monachorum dux, qui capræ Galaad hîc dicuntur. Vnde quod ait Salomon, inter quatuor, quæ benè, & feliciter gradiuntur, tertium esse arietem: & LXX. vertunt, *Hircus dux gregis*, Eliam repræsentare dicit, qui dux fuit gregis prophetarum, hoc enim nomine eos vocat Scriptura, qui monachalẽ vitã tũc agebãt: obseruat autẽ Rupertus Eliam de habitatoribus Galaad sic repentè in tertio libro regũ introduci, vt antea numquã Scriptura meminerit quis vel vnde fuerit progenitus:

1. Hom. 15. in Cant.

Ad Hebr. 13. v. 37.

Hoc habet Hom. 7. Exteri, id est, extra terrã promissionis.

In Hom. 15.

Prou. 30. v. 29.

1. Reg. 10. v. 6.

3. Reg. 17. v. 1.

in quo ego obseruãdum iudico quod de Melchisedech dicitur esse sine patre, sine matre, & sine genealogia, vt indicetur monachos nihil curaturos de carnalibus parentibus & genealogiis, sed ita victuros ac si his carerent. Proposito ergo Elię exemplo, metaphoram enodemus.

Adbr. Heb. 7. v. 3.

1.

Capilli tui sicut greges caprarum. Non capris tantùm; sed gregibus caprarum assimilãtur, ad significandum id quod proprium est religiosi instituti, plures continere Religiosos ordine quodam sub aliquo pastore gubernante benè dispositos, in varios gradus ac ministeria tamquam in varios greges distributos: vnde plures desumuntur ordines, qui dicuntur, vel monachales, vel mendicantes, variis ministeriis addicti. Eremiticam enim, & solitariam vitam olim à pluribus cultam in cœnobiticam tamquam in seciuriorem commutauit in Oriente D. Basilius, vt eius frater Gregorius Nissenus insinuauit, quę ab vniuersa Ecclesia iam approbata est. Et præterea in qualibet religione vel conuentu etiam plures cogitari possunt greges, vt alius sit grex conuersorum, alius eorum qui choro assistũt: alius sacerdotum, alius confessariorum, vel prædicatorum, aut magistrorum. Ceterum capilli, qui nunc assimilantur gregibus caprarum, postea assimilantur gregi, quia omnes ordines ad vnam Ecclesiam pertinent, sub obedientia vnius supremi pastoris Pontificis Romani Christi Vicarij, & omnes etiam gradus in eadem religione ad vnum pertinent institutum, eidem Prælato generali per obedientiam subiecti. Seruatur autẽ proportio inter capillos & greges, quoniam licèt omnes capilli ab vno capite procedant, & illud ornent; tamen olim tã feminæ quàm Nazaræi, qui copiosiores & prolixiores eos portabant, partiebantur in plures crines aliqua vitta colligatos: quo sẽsu infrà dicitur: *Vulnerasti cor meum in vno crine colli tui.* Vbi vnus crinis non est vnus capillus, sed multitudo artificiosè colligata in vnum: & de Samson qui Nazaræus erat dicitur, *Tonsorem rasisse septem crines eius*: nimia enim multitudo eorum qui Christo inseruiunt, tunc est splendidior, cùm in plures ordines redigitur; sicut multitudo Angelorum in nouem est reducta choros.

Vide Cassianũ collat. 18.

Cant. 4. v. 9 de hoc infrà exhort. 26.

Iudic. 6. v. 19.

2.

Deinde assimilatio fit gregibus caprarum, quæ insignes habẽt proprietates ad Religiosos repræsentandos idoneas. Capra enim mundum est animal in lege, cornibus & barba insigne, etiam in femineo sexu. Cornua fortitudinem, barba virilem grauitatem & prudentiam significant: ita sancti viri munditiam habent in moribus, & fortitudinem ad impetendum, fugandumque malignum hostem, qui tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui tamen resistunt fortes in fide, & statim fugit ab illis: & insuper virili pollent grauitate & prudentia, euacuantes omnia quæ sunt paruuli; non enim sunt pueri sensibus, sed barbati viri: & hæc vtrique sexui sunt communia, cùm apud Deum non sit discrimen masculi, & feminæ: & virginibus monialibus hanc tribuit fortitudinem & prudentiam, vt in femineo corpore virilem ac fortem gestent animum: & nihilominùs assimilatio non fit gregibus caprorum, sed caprarum, quia naturalis eis inest mollities, contra quam assiduè dimicant pugnante spiritu contra carnem, sicut caro contra spiritum.

Ex Guillelmo apud Martin. Delrio.

1. Petri 5. v. 8

Iacobi. 4. v. 7.

1. Cor. 13. v. 11.

1. Cor. 14. v. 20.

Ad Gal. 5. v. 17.

Præterea, capræ (inquit Nissenus) per saxa sine vlla pedum offensione tendunt, & per loca transitu difficilia, præruptaque fideliter incedunt, & circa vertices montium versantur; quod aptè accommodatur iis qui præclarè asperam virtutis viam conficiunt. Nam cùm iugem sui exerceant abnegationem, facilè per Dei gratiam sine offensione currunt per vias duras, & graues superant difficultates, semper ad altiora virtutis ascendere contendentes. Vnde hoc etiam est singulare capris inter pecudes, vt quasi herbam terræ hærentem fastidientes, toto corpore erigantur, vt ex arboribus cibum carpant; sic & perfecti viri terrena contemnentes cælestia appetunt, & semper se ad sublimiora erigunt, vt noua gratiarum à Christo recipiant incrementa.

3. Hom. 15. in Cant.

Hinc capilli cõparantur capris, non stantibus, sed ascendentibus de monte Galaad, quia Sanctorum propensio est instar caprarum pascendo ascendere & proficere, vtrumque sumendo de monte Galaad, quem diximus esse Christum: Et hoc innuit phrasis illa, Ascendere de monte. Non enim dicuntur ascendere in montem, nec descendere de monte, sed, ascendere de monte, quæ contraria videbantur; quoniam simul ascendunt & ascendendi vim, & propensionem sumunt de monte, à cuius vberrimis, & pulcherrimis pascuis trahuntur, vt ascendant, & in eo libenter versentur: ex Christi enim verbis, exemplis, mysteriis, miraculis, beneficiis & donis, pascuntur, & eis mirè ascendunt, & proficiunt, vt quasi in se ipsos Christi transferant virtutem, & sanctitatem per illius iugem imitationem. Quare consultò prolixi & pulchri capilli sponsæ, qui mortuo modo tamquam propria vita carentes, in magnam crescunt longitudinem, comparantur capris ascendentibus de monte Galaad, vt constet maiorem esse perfectionem huius incrementi, quàm quæ per capillos significabatur; nam qui in se ipsis mortui sunt mundo, viuunt Christo, & de Christo, à quo viuunt & iuge accipiunt incrementum per plurium virtutum exercitium; ipsi quidem ascendunt, quia liberè gratiæ Dei cooperantur; tamen non ascendunt de sua virtute propria, sed de monte Christo, vnde prodit eorum virtus, & ascensus.

4.

5.

Fertur ex pinguedine huius pastus capras Galaad pilos prolixos gignere, certumque est ex Scriptura adeò eos crescere, vt tonderentur, ex illisque fierent vestes: vnde de pilis caprarum facta sunt saga vndecim ad operiendum tectum tabernaculi, & cilicium, seu cilicina vestis ex pilis caprinis texta erat: quoniam in Cilicia, teste Plinio, capræ pilos habent tonsiles, vbi primùm factæ dicuntur hæ vestes, quibus pœnitentiæ gratia iusti induuntur; sicut olim circuierunt in melotis & pellibus caprinis; vt intelligant religionis professores debere etiam vestis asperitatem amare ad carnis mollitiem comprimendam. Vnde & de Elia dicitur quòd erat vir *pilosus & zona pellicea accinctus renibus.* Vocatur autem pilosus non tantùm quòd pilis abundaret (si fortè ex Nazaræis erat) sed quia habitum gestabat hirsutum ex pilis confectum; sicut & de Ioanne Baptista dicitur quòd habebat *vestimentum de pilis camelorum, & zonam pellicem circa lumbos suos.* De quo laudatur à Christo Domino, cùm dixit: *Quid existis in desertum videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt:* Non in domibus religiosis, quæ Christi imitationem, & perfectionem profitentur.

Exod. 36. v. 14. & c.

35. v. 6. populus obtulit pilos caprarum

Ad Hebr. 11. v. 37.

4. Reg. 1. v. 8.

Matth. 3. v. 4.

Matth. 11. v. 8.

Hos

Hos sanctos viros proponit nobis Dominus in exemplum, vt eos imitemur: quare licèt ipsi præ humilitate se velint abscondere, in lucẽ prodire compellit vt ab omnibus videantur: & fortè hoc est quod innuit versio LXX. *Capillamẽtum tuum sicut gregas caprarum, quæ reuelatæ sunt de Galaad*; licèt nostra versio dicat, *quæ ascenderunt*, ipsi non legunt, quæ se reuelant, sed quæ reuelatæ sunt, & manifestatæ: quoniam sanctis incumbit ascendere & virtutibus proficere, ac Christi imitatione splendescere, tamen ad ipsum Christum spectat eos reuelare, & hunc eorum profectum, & splendorem, quem occultum esse vellent, aliis manifestare, vt illorum exemplo alij proficiant, & hoc

Psal. 36. v. 5

est quod dixit Psaltes: *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo & ipse facier*, id est, viam iustitiæ, abnegationis, & perfectionis, per quam ambulas, nõ reueles hominibus, sed Domino, in quo spem tuam collocas; & ipse faciet quidquid tibi magis expediens fuerit: & cùm oportuerit, ipse reuelabit viam tuam, quam tu abscondis. Nam *educet* (inquit) *quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tamquã meridiem*: id est, faciet vt iustitia tua splendeat in mundo, & coram hominibus, sicut lumen solis, & iudicium tuum, quo te repressisti, & abnegasti, sicut meridies: quoniam exaltat eum, qui se

Pro Euang. de comm. Marty. temp. Paschali, Ego sum vitis, vos palmites.

humiliat, & reuelat ac manifestat eum, qui se abscondit, quod vel ipsa experientia apud perfectos Religiosos satis compertum est.

Quàm tremendum sit hos spirituales capillos à suo capite separari. §. 4.

1.

EX dictis satis constat omnem hanc capillorum Ecclesiæ laudem de iis intelligendam, quamdiu capiti suo inhærent. At, cùm ab eo separantur, non ampliùs crescunt, nec æstimantur, sed nihili fiunt: & omnis eorum laus vertitur in contrariam ignominiam, nam quo altiorem habebãt locum in corpore mystico, si quidem capiti inhærebant, & super ipsum erant, tamquam eius ornamentum, & corona; tantò viliorem postea sortiuntur, cùm mittuntur foras in sterquilinium, & conculcantur ab hominibus: & qui in religione vehementer splendebant quia Christo per imitationem inhærebant, cùm ab ea deficiunt, terrenam & ignominiosam vitam agunt, ab omnibusque despiciuntur, & conculcantur: sicut enim Deus se honorantes honorat, & honorari ab aliis facit: ita qui ipsum contemnunt despicit, & apud omnes ignobiles, & contemptibiles reddit.

2.

Sed hoc magis stupendum, quòd cùm capilli euelluntur, ipsi non sentiunt, tamen euulsio dolorẽ, tum capiti, tum corpori ingerit vehementẽ; sic multoties Apostatæ, qui à Christo recedere decreuerunt, & Religionem vel fidem deserere, suam non sentiunt Apostasiam: imò lætantur cùm male fecerint, & exultant in rebus pessimis, qua carnalem libertatem vehementer amant, & voluptatum carnis, amorisque proprij vino inebriati instar ebriorum dicunt: *Vulnerauerunt me, & non doluj; traxerunt me, & non sensi*: At Ecclesia & Religio à qua præscinduntur, maximum sentit dolorem; & Christus ipse, si capax modò esset doloris, illum vehementissimum sentiret: sensit autẽ, cùm tempore passionis suæ has & alias Apostasias, & hominum à Deo separationes, præsentes habuit, nam in eorum vergunt perditionẽ, sicut scriptum

Prou. 13. v. 35.

Psal. 72. v. 27.

Ierem. 17. v. 13.

est: *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te*: & iterùm, *Omnes qui te derelinquunt confundentur: recedentes à te in terra scribentur*: quoniam *Dereliquerunt venam*

aquarum viuentium Dominum: & quæ maior confessio quàm qui erãt cælis ascripti, deleri de libro viuentium, & scribi in terra, vt à cælo excluſi in æternum maneant, perpetuam, & molestissimam patientes sitim, quoniam dereliquerunt Deum fontem aquæ viuæ, quæ sola potest eos satiare, à qua separati æterna ariditate tabescent?

3.

Horum autem miseriam optimè depingit Samsonis lapsus, qui quamdiu cæsariem capitis per quam consecratus erat Deo tamquam Nazaræus, firmiter retinuit, inuictam habuit fortitudinem, Philisthæos sæpiùs vicit, glorioſaque de eis duxit trophæa; at postquàm cæsaries rasa est, & à capite separata, simul cum cæsarie ablata est ab eo fortitudo, & captus à Philisthæis, qui eruerũt oculos eius, & vinctum catenis miserunt in carcerem, & molere fecerunt. Quid hoc ignominiosius, & infelicius? Sic qui à Deo recedit, à dæmonibus capitur, qui à suo separatur capite, verum lumen amittit & cœcus efficitur: qui Christo ligatus esse noluit, catenis ferreis à diabolo ligatur; & qui sponteneũ religionis carcerẽ fastidiuit, æternũ carcerẽ patietur; vnde non egredietur, sed cogetur molere ex vno labore & dolore in alium circumuolutus.

Iudic. 16. v. 21.

4.

Confirmat hoc stupendum Ieremiæ gestũ, cùm iussu Dei lumbare linteum & mundum accepit, quo se præcinxit, & postea discinxit; & separatũ iã à lumbis portauit illud trans Euphratem fluuiũ Assyriæ, absconditque in foramine petræ, vbi cõputruit, ita vt nulli vsui aptum esset. Explicans autem Dominus gesti mysterium ait: *Sicut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnẽ domum Israel, & omnem domum Iuda, vt essent mihi in populũ, & in nomen, & in laudem, & in gloriam.* Sed quia illi reiecerunt me, reieci eos, & à me separaui, ibuntque post concupiscentias suas, donec cõputrescãt in peccatis suis. Caueat ergo (inquit D. Hieronymus) qui potest dicere, *mihi adhærere Deo bonum est*; ne fortè per negligentiam ab illius renibus separetur, & trãseat Euphratem, & detur in potestatẽ Regis Assyrij, & nequaquã in solidissima petra, sed in foramine petræ corruptæ, atque vitiatæ, hoc est, hæreticorũ sordibus, & vitiis occupetur, & in tãtam veniat putredinẽ, vt in vsum & in cinerium vltrà redire non possit.

Ierem. 13. v. 1. & 11.

Ibidem.

5.

Hoc etiam ampliùs & fortiùs corroborat parabola Christi Domini, in qua se vitẽ, nos palmites vocat: qui sicut D. Augustinus perpẽdit, quantò sunt gloriosiores si mãserint in vite, tantò sunt cõtemptibiliores, si ab ea separentur: vnde Saluator subiungit: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & colligent eum, & in ignem mittẽt, & ardet.* Eadem ferè proportio est inter vitem & palmites, quæ inter caput & capillos. Et apud Ezechielem vtraque similitudine ad hoc explicandum vtitur de capillis à capite rasis, quos igne comburere iussit, & de lignis præcisit à vite, quæ inutilia sunt, nisi vt sint ignis esca.

Ioan. 15. v. 1. & 6.

Tract. 8. in Ioan.

Vide lib. 9. exhort. 19. §. 2.

Ezech. 5. & 7. & c. 15.

6.

Cererũm, ne quis desperet & despondeat animum, sciat hæc damna resarciri posse, si tẽpestiuè resipiscat; nam licèt capilli semel à capite præcisi, iterum illi vniri nequeant; tamen in spiritualibus non ita est, quia in hac vita semper datur locus pœnitentiæ, per quã qui à Deo est separatus, iterũ potest si velit, adhærere illi, cuius nobis testis esse

Iudic. 16. 23. & 28.

potest idẽ Samson, de quo inquit Scriptura, quòd cùm capilli eius renasci cœpissent, orauit ad Dominũ petẽs, vt pristinã ei redderet fortitudinẽ, & restituta est illi, per quã glorioſiorẽ de Philistæis reportauit triumphũ; nam cũ apprehẽdisset duas

colũnas quibus innitebatur dom⁹, in qua erãt circiter tria millia Philisthinorũ, & omnes principes eorũ, concussis fortiter columnis. Euertit domum, quæ corruens interfecit omnes, vnde multò plures occidit moriens, quàm antè viuens occiderat. Ex Dei enim misericordia, renasci incipiunt cogitationes & affectus in quibus sanctitas, & consecratio præcedens consistebat, & tunc precibus & fletibus amissam recuperat fortitudinem, per quam euertere nititur duas columnas, quibus domus terrena, carnalis, & diabolica nititur, nimirum voluptas & vanitas; quia nec animus satiatur vanitate, nec caro voluptate, & inde cætera proueniunt vitia. Ipsis autẽ columnis euersis, corruit tota diaboli fabrica, & dum homo peccatis funditus moritur, de omnibus hostibus triumphat per Christum, cui est honor & gloria in sæcula. Amen.

Ex D. Bernardo.

EXHORTATIO III.

De malis cogitationibus resecandis, bonis verò nutriendis: atque de prouidentia Dei circa capillos, & ea quæ per ipsos repræsentantur.

Capilli tui, &c.

NONAM aggredimur interpretationem capillorum, respectu cuiuscumque fidelis, cuius caput est pars superior, quæ vocatur spiritus, aut mens, vel cor, à quo procedunt cogitationes, & affectiones tam malæ, & inutiles, quàm bonæ & proficuæ. Vtrasque autem capilli sub diuersa ratione repræsentant: illas, vt sunt quasi corporis superflua & inanimata, has vt decens sunt capitis ornamentum. Istæ nutriendæ, quia Nazaræos constituũt cãdidiores niue, & sapphyro pulchriores, cùm omnes generent virtutes, & earum externos actus; vnde quater in hoc Cantico magnis extolluntur laudibus: illæ verò amputandæ sunt, quia facies eorum denigrant super carbones, quatenus omnia parturiunt vitia. De vtrisque aliquid attingemus, vt sciamus simul reprobare malum, & eligere bonum.

Matth. 15. v. 19.

Thren. 4. v. 7.

1. *De abnegatione malarum cogitationum.* §. 1.

ET quidem mirum est olim Nazaræos toto suæ consecrationis tẽpore cęsariem nutrisse, quo transacto eam radebant; è contra verò Ecclesia Sacerdotes & Religiosos consecrans (vt D. Dionysius etiam refert) capillos capitis in modũ coronæ radit, & monialibus comam, quæ gloria est mulierum abscindit: sed fortè hæc ad eumdem tendunt scopum. Primum enim indicat, vel imperfectionem antiquorum, qui etiam cùm Deo consecrabantur, rerum temporalium possessiones retinebant, vnde plures, & anxiæ cogitationes oriri solent: aut imperfectionem fragilis naturæ, quæ in viris etiam iustis nonnullas germinat inanes cogitationes. Nazaræi (inquit D. Gregorius) capillos nutriunt, quia per vitã magnæ continentiæ præsumptionum cogitationes crescunt: completa verò deuotione eos radunt, quia tunc ad perfectionis summam pertingimus, cùm sic exteriora vincimus vitia, vt etiam cogitationes superfluas à mente resecemus: iubentur verò capillos concremare, id est, flamma diuini amoris eas incendere, vt totum cor amore Dei ardeat, & cogitationes superfluas cõsumat. Hæc carptim ex illo: cùm ergo Euangelica perfectio omnimodam sui exigat abnegationem, & rerum temporalium renunciationem ad sequendum Christum, hoc insinuatur per rasuram capillorum. Nam caput radere, vt tradit D. Augustinus, est cogitationes terrenas, & superfluas à mente resecare.

Num. 6. v. 5. de Ecclesiast. Ierar. c. 5. c. 6. p. 2.

Lib. 2. moral. c. 26.

Lib. de cõtemptu mundi c. 3. to. 9.

2. Præterea dæmonũ suggestiones non sunt aliud quàm huiusmodi cogitationes, quas in corda immittunt vt nos in malum pertrahant, velut locustæ similes equis, quæ exierunt de puteo abyssi, habentes capillos sicut capillos mulierum, scilicet cogitationes lasciuas, molles & effeminatas, à diabolo principe abyssi, viris etiam fortibus ingenitas; quæ nisi tempestiuè resecentur, in eamdem abyssum nos præcipitabunt. Texit enim ex illis funes & laqueos, quibus nos præfocet; sicut Absalon capillis suis, quos magni faciebat, hærentibus quercui, suspensus est, & à Ioab lanceis transfixus. Tondebat ille quotannis cæsariem, at capillos non cremabat velut Nazaræi, sed multis siclis põderabat, quia aliqui temporalia & superflua renunciant, non ex Dei amore, sed ex inani iactantia; nec minùs vani sunt cũ sua relinquunt, quàm cùm possident, nam ex vtroque laudari gestiunt.

Apoc. 9. v. 8.

2. Reg. 18. v. 9. & c. 14. v. 26.

3. Deinde cogitationes prauæ adhæsionem cum Deo rumpunt, & dissoluunt, iuxta illud: *Peruersæ cogitationes separant à Deo, & Spiritus sanctus separat se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* Ne ergo nos à Deo separent, mox vt oriuntur à corde repellendæ sunt, & acuta mortificationis nouacula radendæ, sicut antiquis Leuitis: ne assumptionem suam, quã nomen præsefert, polluerent, præcipiebatur radere *omnes pilos carnis suæ*; quia, is (inquit D. Gregorius) qui in diuinis obsequiis assumitur, debet ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere, ne illicitas cogitationes mens proferat, & pulchram animæ speciem quasi pilis fructificantibus deformem reddat. Et Iob (inquit) auditis tot aduersis, caput totondit, quia omnes cogitationes superfluas, & noxias quærimonias amputauit.

Sap. 1. v. 3. & 5.

Leuita est idem quod assumptus.

Lib. 5. mor. c. 24.

Lib. 2. mor. c. 26.

4. Licèt autem capilli tantùm radantur, quia semper radices manent, quæ similes cogitationes generent, sicut suprà dictum est in id, *tempus putationis aduenit*, tamẽ pro viribus eradicandæ sunt carnales, terrestres, & mundanæ concupiscentiæ, vnde huiusmodi cogitationes pullulare solẽt, quod ex ipsa capillorum natura deduci potest. Generãtur enim capilli ex fumis calidis, & humidis, qui è capite ascendunt: quibus deficientibus fit caluitium: fumi autem isti affectus amoris, & concupiscentias indicant, à quibus cogitationes excitantur: nam licèt prima cogitatio amorem præcedat, (nihil enim volitum quin præcognitum) tamen postea amor plures gignit cogitationes, iuxta qualitatẽ rei amatæ, vel ipsius amoris. Superbi namque & ambitiosi euanescunt in cogitationibus suis; carnales, & cupidi super vinum & triticum ruminant, quia nihil aliud nisi voluptuosa, & lucra propria cogitant, liuidi autem & iracundi semper amara meditantur. Et denique *cogitatio stulti peccatum est*, vt inquit Salomon. Horũ autem cogitationes multiplicantur, sicut capilli capitis, sed sine ordine vllo secundũ rationem, velut cogitationes phrænitici, vel febricitãtis & infirmi, vt in eos quadret quod dicebat Iob, *Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meũ*, quia cõtrariis sępè motibus & affectibus quatiuntur, in variasq; curas ac negotia dissipantur; & ipsum cor vnde

Lib. 5. exhort. 19. §. 4.

Ad Rom. 1. v. 21.

Osee 7. v. 14.

Prou. 24. v. 9.

Iob 17. v. 11.

proueniunt, valdè torquent, quia pungunt, dilacerant, nec tranquillum esse permittunt. In quo eorum apparet imprudentia, cùm spontè tot molestias patiantur. Propter quod de illis inquit Ecclesiasticus, *qui minoratur corde* (.i. prudentia & charitate) *cogitat inania, & vir imprudens & errans cogitat stulta.*

Eccles. 16. v. 23.

De nutriendis bonis cogitationibus. §. 2.

IVstus autem has omnes cogitationes præscindit, hos fœdos capillos tondet, & ne iterum pullulent, eorum fumos dissipare contendit, vt amor Dei in corde suo alias generet, de quibus sponsus dicat: *Capilli tui sicut greges caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad*: id est, sunt quidem plurimi in te sanctarum cogitationum greges, quas parit diuinus amor. Aliæ sunt de nouissimis tuis, vt timorem Dei concipias; aliæ de virtutibus & præmiis, vt spem erigas; aliæ de innumeris Dei beneficiis, vt exerceas gratitudinem; aliæ denique de diuinis attributis, Christique mysteriis, vt amorem vehementiorem accendas. Omnes istæ cogitationes ordinatè procedunt, & prudenter, *nam cogitationes iustorum iudicia.* Vnde omnes simul vnum gregem constituunt, *vt grex* (inquit) *caprarum*, quia ad vnum finem gloriæ Dei ordinantur, & vni diuinæ voluntati subijciuntur; nihil enim iustis cogitare libet, nisi quod Deo placet, in eiusque gloriã cedit. Quamobrem benè comparantur capris, quæ vt diximus, non tam à terra quam à ramis arborum erectæ cibum carpunt, quia iusti terrena cogitare fastidiunt, solùmque considerare gestiunt cælestia, nam & eorum conuersatio in cælis est. Maximè autem versantur circa montem Galaad, quem diximus repræsentare Christum. Nam sicut mons capris, ita Christus mirum nostris cogitationibus pastum præbet. Etenim in hoc monte aliquid est imum, nempè humanitas eius, quà minor est patre, aliquid verò summũ, videlicet diuinitas, quà æqualis est illi. Ab illa ascendunt, in eaque pascuntur, & perueniunt ad verticem, vbi est pinguior pastus, vnde reuertuntur ad imum; & circa vtriusque mysteria auidę cogitationes versantur, ascendunt & descendunt, ingrediuntur & egrediuntur, & pascua inueniunt; vt iusti sint quasi Angeli ascendentes & descendentes super filium hominis. Sed capræ dicuntur ascendere de monte, quia in vertice diuinitatis cogitationes fixè stare nequeunt, ne fortè scrutator maiestatis opprimatur à gloria, & dum admirantes cogitant, quòd in principio erat verbum, & verbum erat apud Deũ, illico à vertice descendunt vt cogitent quòd verbum caro factum est & habitauit in nobis, & iterum de monte etiam ascendunt vt cum humanis diuina coniungant.

1.

Prou. 12. v. 5.

Cant. 6. v. 4.

Ad Philip. 3. v. 20.

Ioan. 10. v. 9.

Ioan. 1. v. 51.

Ioan. 1. v. 1. & 14.

2. Explicatur ampliùs hoc, si per montem Galaad, qui interpretatur aceruus testimonij, intelligas sacram Scripturam, in qua omnia coaceruantur testimonia de Christo vt Deus est & homo, à prophetis tradita, circa quæ cogitationes iustorum iugiter versantur; quasi sibi dictum existimantes: *Scrutamini scripturas, ipsæ enim sunt quæ testimonium perhibent de me*; & cum Psalmista dicunt: *Testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum iustificationes tuæ.* Hinc sibi saluberrima, & vberrima carpunt pascua, & dum ascendunt in earum meditatione, non parum proficiunt in Christi imitatione. Et ex vtraque, vt inquit Richardus, testimonium in se habent quòd Christus in eis maneat, & spiritus eius testimonium illis perhibet, quòd filii Dei sunt. Et quis præterea sublimior testimonii aceruus quàm ille, de quo Ioannes ait: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt: & tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua & sanguis, & hi tres vnum sunt.* En montem Galaad perringentem vsque ad verticem cæli, vbi est aceruus testimonii trium diuinarum personarum testificantium Christi diuinitatem. Sed in imo eius aceruus est testimonii spiritus, aquę, & sanguinis, scilicet spiritus, quem Christus in cruce patri commendauit, & aquæ ac sanguinis, quæ de latere eius fluxerunt, & testantur eius veram humanitatem. Ad illum verticem ascendunt spiritales capræ, & inde descendunt, vt ex ijs testimoniis pascantur, & pinguescant.

Ioan. 5. v. 36.

Psal. 118. v. 24.

Ad Rom. 8. v. 16.

1. Ioan. 5. v. 7.

3. Denique D. Gregorius per montem Galaad gloriosos martyres intelligit, qui testimonium reddiderunt de Christo per proprium sanguinem propter ipsum effusum. Grex caprarum (inquit) de Galaad ascendit, quia populus Ecclesiæ eò magis fide se ad æterna suspendit, quò fortiùs sanctos Martyres eidem fidei testimonium perhibuisse sciuit. Idem autem dicendum est de Apostolis & sanctis omnibus, qui testimonium perhibuerunt de Christo, quorum exemplis, dum ea cogitatione & affectu reuoluimus, vbertim pascimur, & proficimus. In hoc ergo testimoniorum aceruo nostras nutriamus cogitationes vt crescant sicut pulchræ comæ suum ornantes caput ad Christi gloriam.

In hunc locum.

Confirmantur dicta ex prouidentia Dei circa capillos naturales & mysticos. §. 3.

SED confirmemus quæ dicta sunt triplici de nostris capillis elogio, quod in Euangelio habetur ad Dei erga nos extollendam prouidentiam. Primò inquit Saluator, *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Quos enim nullus hominum numerare potest, nec curat, Deus numeratos habet, & singulorum curam gerit propter amorem quo vos prosequitur. Deinde, *capillus de capite vestro non peribit*, quoniam omnes restituentur vobis in resurrectione, non secundum omnem longitudinem superfluam & grauantem, quæ detonsa est & pręcisa, quia nihil in resurrectione superfluum & indecorum reuiresceт, sed secundũ eam quæ ad decens spectat capitis ornamentum; nec istorum vllus peribit. Tandem, *non potes vnum capillum album facere, aut nigrum.* Nigredo capillorum, vt deducemus ex illo, *comæ capitis eius nigræ quasi coruus*, virilem denotat fortitudinem, & longiorem vitam; albor verò venerabilem canitiem, & senescentem ætatem. Hoc autem non ex nostra industria, sed ex diuina oritur prouidentia. Si ergo Deus tantam curam gerit capillorum corporis nostri, quantò maiorem geret capillorum sui corporis mystici, id est, iustorum, qui Christo capiti adhærent, vel cogitatuum, & affectuum, qui eorum mentem ornant? De his hæc interpretatur Origenes, Nazaręorum capillis ea accommodans; sed mystica tantùm est interpretatio super prędictam, quæ literalis est, fundanda. Quomodo D. Ambrosius intelligibiles hic etiam agnoscẽs capillos, ait; Quid mihi prodest, si Deus omnes meos nouit capillos? Illic mihi redundat, &

Lucæ 12. v. 7.

Luc. 21. v. 18.

Ex D. Tho. 4. d. 44. q. 1. ar. 1. q. 2. cum D. Aug. lib. 22. de Ciuit. c. 12. & 19.

Cant. 5. v. 11.

Hom. 1. in Numeros.

In Prolog. ad 2. lib. de Spiritu sancto.

proficit, si bonorum operum peruigil testis remunerationem gloriæ donet æternæ.

1. Primò igitur Deus singulari prouidentia omnes suos numerauit electos, & singulos nouit ex nomine. Qui enim *numerat multitudinem stellarum,* Psal.146. v.4. *& omnibus eis nomina vocat*; multò magis iustos suos, qui stellis & sole splendidiores erunt, numeratos habet: & si à nullo alio possint numerari, iuxta illud: *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.* Et rursus: *Numquid est numerus* Apoc 7. v.9. *militum eius?* Sed illud singularis prouidentiæ iucundius signum, quòd etiam singulorum numerat capillos, cogitatus & affectus, vt nullus eum latere possit, vel eius vigilantem curam præterear: est autem argumentum à minori ad maius. Nam qui numerat capillos, multò magis ossa, & arterias, ac alia illustriora membra quæ vitæ corporis sunt magis necessaria: ac consequenter multò solertiùs Deus cuncta ad electos spectantia curat, etiam vsque ad minimas eorum cogitationes bonas, vt eas excitet, foueat, dirigat, & remuneret; solicitudinem etiam gerens, vt noxias, vanas, superfluas resecent. Nam cùm sit iustus iudex, renes scrutatur & corda, & tam bonas quàm malas numerat cogitationes, vt de vtrisque, quia aliorum operum radices sunt, ratione exigat. Erunt etenim Ad Rom.2. v.25. primi testes in iudicio iuxta illud Pauli: *Inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die cùm iudicabit Deus occulta hominum.* Sed quoniam malæ ac futiles à diabolo sunt, & à prauo spiritu, quas electi reijcere curant: bonæ autem & vtiles à Deo procedunt, quas auidè nu- Matth. 10. v.30. triunt, de ijs præcipuè inquit: *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Non enim sine causa cùm apud Matthæum tantùm dixerit: *Vestri autem capilli omnes numerati sunt*, apud D. tamen Lucam addit, *capilli capitis vestri*, ad denotandum singulariter capillos esse numeratos, qui in ipso permanent capite, illud ornantes, & Christo præcipuo capiti inhærentes, à quo fluxerunt, & adhuc pendent.

2. Hoc autem ampliùs explicat alterum elogium: *Non potes vnum capillum album facere, aut nigrum.* Sub hoc duplici colore extremo, rubeum, flauum & alios colores comprehendit; indicatque à diuina prouidentia prouenire electorum suorum breuiorem, aut longiorem vitam, fortitudinem & sapientiam, maiorem vel minorem, cæterasque gratias ipsos ornantes: peculiariter verò cogitationes & affectus, siue sint circa candida, placida & cælestia præmia; siue circa nigra, mœsta & horribilia peccatorum supplicia. Prima enim circa hæc bona cogitatio non est à nobis, sed à Deo, & si nos eamdem liberè prosequamur, non tamen sine ipso Deo, cùm dicat Paulus: *Non sumus sufficientes* 2 Cor.3.v.5. Ex textu constat sermonem esse de capillis capitis. *cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Nemo ergo potest à se ipso vnum capillum capitis sui album facere, aut nigrum, flauum aut rubicundum, sed à Deo recipit hanc potestatem, & gratiam, per quam conari deberet, vt nec vna minima sua cogitatio vel affectio aliù spiritaliter habeat colorem quàm secundum Dei gratiam, quæ eam præuenit, & inchoauit, vel secundum voluntatem Dei, quæ omnis est origo pulchritudinis; cætera verò, quę ab hac deuiant, tamquam noxia & inutilia confestim computanda sunt.

3. Ad hoc autem valde nos animat elogium tertium, *capillus de capite vestro non peribit.* Si ad electos hæc referas, nullus eorum qui Christo capiti nostro fide & dilectione hęret, in æternum peribit, sicut ipse de suis ouibus testatur dicens: *Ego vi-* Ioan.10. *tam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non* v.28. *rapiet eas quisquam de manu mea.* Quòd si ad tempus rapiat, non perpetuò sibi ascribet; sed ego iterum ad me reducam eas, ne in æternum pereant. At sicut solùm resurgent decętes capilli relictis superfluitatibus; sic resurgent iusti relictis omnibus huius vitæ miseriis, veluti Ioseph eductum de car- Gen.41. v.14. cere totonderunt, vt appareret coram Pharaone. At si ad iustorum cogitationes hæc referas, quæ Christo hærent, nec vna peribit, sed æternam consequetur remunerationem. Secus de filiis hominum, & maximè de impiis inquit Psalmista: *Exi-* Psal.145. *bit spiritus eius, & reuertetur in terram suã: in illa die* v.4. *peribunt omnes cogitationes eorum.* De morte hominis loquitur, in qua tantùm secundum corpus reuertitur in terram, de qua sumptus est: at spiritus Genes.3. v.19. immortalis reuertitur *in terram suam*; id est, in locum iuxta merita à Deo sibi deputatum, qui pro iniquis subtus terram est, nempe infernus. Nam *sepulchra eorum domus illorum in æternum*: In ea au- Psal.48. tem die mortis omnes cogitationes principum & v.12. magnatum, omnia earum decreta, & consilia penitus peribunt; nec quæ cogitauerunt, obtinere, vel perficere poterunt: *Dominus enim scit cogita-* Psal. 93. *tiones hominum, quoniam vanæ sunt*, ac futiles, suo- v.11. que frustrantur fine. At cogitationes iustorum, quæ Deo inhærere studeant, in æternum magno cum fructu permanebunt, nec vna earum peribit. Hæc autem dixit Saluator, vt discipulos hortaretur ad patienter toleranda tormenta eis à tyrannis infligenda, quorum cogitationes & decreta contra ipsos tandem in nihilum redigentur. At nec vnus capillus capitis ipsorum detrimentum patietur. Quoniam ex Dei gratia in medio tormentorum & flammarum nulla in eis prævalebit noxia, aut iracunda, vel futilis cogitatio, sed solùm quæ Deo sit grata, splendida, & in æternum accepta. Quod Scriptura innuit, cùm tres pueri à tyranno Nabuchodonosor in fornacem ignis missi sunt, admirantibus cunctis quòd nihil potestatis habuisset in eos ignis, *ita vt capillus capitis* Dan.3. *eorum non esset adustus.* Quo stupendo miraculo & v.94. diuinæ virtutis testimonio conuictus Nabuchodonosor illi se humiliter subiecit. Cæterùm non minùs præclarum diuinæ omnipotentiæ & eximiæ sanctitatis testimonium est inuicta patientia in tormentis & ignominiis pro Christo, quæ omnes illæsas cogitationes seruat, vt nec vnam tribulationis ignis absumat.

Ecce depinxi cogitationum capillos similes capris ascendentibus de monte Galaad, seu de aceruo testimonii. Vtinam per eas tam præclarum reddamus testimonium de Christo ad gloriam ipsius, vt eas remuneret in sæcula sæculorum Amen. Lib.9.ex. hort.16.5.

Plura de his capillis dicemus in id cap. 7. *Comæ* 4. *capitis tui sicut purpura regis*: & circa id cap. 5. *Comæ* Lib.8.ex. hort.23. *eius sicut elatæ palmarum.* §.3.& 5.

EXHOR-

EXHORTATIO IV.

Pro Doctoribus in id, Qui fecerit & docuerit: & in Euang. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Vers. 2. Cant. 6. v.5.

De Doctoribus, & Prædicatoribus Ecclesiæ, qui dentes eius dicuntur; & de insignibus eorum.

Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro. Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas. Dentes tui sicut grex ouium, quæ ascenderunt de lauacro. Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.

PASTORIS personam gerit sponsus ruralibus vtens similitudinibus ad sponsæ pulchritudinem commendandam. Comparauerat capillos gregibus caprarum; nunc dentes assimilat gregibus ouium. Nam licèt per tonsas D. Ambrosius, & alij intelligant capras; tamen reliqui Patres non nisi oues, quod expressiùs habetur in cap. 6. vbi eadem laus repetitur. Hac autem similitudine lucidantur dentes, quia candidi sunt, & mundi, politi, & valde contigui, omnesque munus suum exactè peragentes, quæ aptari possunt vel Ecclesiæ, vel singulis animabus, sicut & præcedentia.

Serm.16. in Psal.118. v.3.& lib. de vnit. myst. c.7.

Multiplex Doctorum munus. §. 1.

1. COMMVNIS autem Patrum sententia est, Ecclesię dentes esse Doctores & Prædicatores, qui omnium dętium munia laudabiliter exercent, vt testantur D. Augustinus [a], Hieronymus [b], Gregorius magnus [c], & Nissenus [d], & alii multi. Primò quidem, quia panem ac cibum spiritalem Scripturæ sacræ atque doctrinæ fidei frangunt, & in partes minimas per meditationem molunt, tum vt se nutriant, tum vt in corpus Ecclesiæ ad cæterorum fidelium nutritionem traijciant. Per primum rectè sibi viuunt, per secundum rectè docent, & aliis prosunt; & vtroque magni sunt. Nam *qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Sed præterea tamquam matres & nutrices cibum paruulis præmandunt, & in os eorum ingerunt, vt comedentes nutriantur, & conualescant. Deinde infideles & peccatores molunt, & discerpunt, non consumentes personas, sed errores, & vitia, vt eos Ecclesiæ corpori adiungant: quomodo dictum est Petro: *Occide & manducа.* Contumaces autem etiam vt dentes mordent, arguunt, increpant, & à bonis separare satagunt. Denique vt dentes seruiunt locutioni, doctrinamque salubrem vnicuique congruentem iuxta eius indigentiam impartiuntur, iuxta illud Pauli; *Solicitè curate ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis.* Seu, vt sonat verbum Græcum, rectè scindentem, velut qui panem frangit in partes, & distribuit aliis.

a In Psal.3. & lib.2. de doct. Christiana c.6.
b Lib.2.in c.3.lament.
c In hunc locum & lib.33.moral.c.23.
d Hom.7.in Cant.
Matth.5. v.19.
Act. 10. v.13.
Ita D. Aug. suprà.
2.ad Tim. 4.v.2.
2.ad Tim. 2.v.15.

2. Hæc prædicatorum munia instar dentium egregiè delineat quod Dominus præcepit Ezechieli Prophetæ, ac Ioanni Euangelistæ, vt ille volumen comederet in quo erant scriptæ lamentationes, carmen, & væ: iste verò apertum librum deuoraret. Vtrique in ore dulcis fuit liber tamquam mel, sed fecit amaricari ventrem, vt expressè de se dicit Ioannes: Ezechiel verò insinuat dicens, *& abij* Ezech.3. *amarus in indignatione mea*; deuorato autem libro, v.14. illis iniunctum est vt loquerentur & prophetarent populis, & gentibus. Liber autem iste in sensu mystico sacra Scriptura est, in qua continentur quęcumque sunt lamentatione vel laude digna, & supplicia ac præmia, quę omnia Doctores dętibus mandunt, & comedunt, cùm spiritaliter ruminãt, & penetrant; suntque in ore eorũ dulcia sicut mel, quia dulcia sunt meditantibus & loquętibus de illis, iuxta illud Psalmi, *quàm dulcia faucibus meis elo-* Psal.108. *quia tua super mel ori meo*: Sed in vętre sũt amara, vel v.103. quia carni amarescunt quæ dulcescunt spiritui: vel quia internos excitant affectus doloris, compassionis, & tristitiæ ob peccata & miserias hominum. Sicut autem liber non est datus Prophetæ, nec Apostolo, tantùm vt se cibaret, sed vt ea quæ comederat prædicaret; sic officium dentium Ecclesiæ non est tantùm doctrinam sibi in cibum assumere, sed eam etiam docere, vt in hoc etiam munus dentium obeant; quòd distinctè & articulatè conceptus suos exprimant, & cum mellis dulcedine, vt suauis sit proponendi modus ex charitate erga peccatores, etsi acris ac penetratiuus cordium & zelo & indignatione contra peccata. Propter quod de Iuda, qui Christum repræsentabat, dictum est, *dentes eius lacte candidiores*: non Gen.49. ait, candidiores niue, quia hæc frigida est & insipida, & ipsis etiam dętibus nocet; sed lacte, quod nitidum est, blandum, & dulce paruulorum nutrimentum, vt sciant Doctores dutitiam dentium, lactis suauitate & dulcedine pro paruulis mollificare.

De Doctorum mansuetudine & munditia. §. 2.

CVNCTA hæc eleganter explicat sponsus in allata similitudine; *Dentes tui sicut greges ton-* v. *sarum, &c.* Et imprimis suos mysticos dentes assimilat pluribus ouium gregibus, quoniam plures sunt Doctorum gradus, pluresque docendi modi, dum alii verbo docent, alii scripto, alii omnem populum, vt concionatores, alii singulos priuatim, vt confessarii, alii scripturam interpretantur, alii scholasticam Theologiam docent, & cõtrouersias contra hæreticos disputant. At in cap. 6. vni gregi omnes comparãtur, quia omnes eumdem finem diuinæ gloriæ quærunt, eamdem fidem catholicam profitentur, eiusdem Ecclesiæ sunt operarij, & magno charitatis vinculo coniuncti.

2. Comparantur autem gregibus ouium, quę ad ouile Christi pertinent, & vocem eius audiunt. Quibus ipse dixit; *Ecce ego mitto vos sicut oues in me-* Matth.10. *dio luporum.* Non assimilantur ouium dentibus, sed v.16. ouibus ipsis, quia ouium induunt proprietates, nimirum simplicitatem, innocentiam, & humilitatem, suoque Pastori promptam subiectionem. Per has enim virtutes rectè suum munus obeunt: secus diaboli dentes, id est, falsi Doctores, & potiùs detractores, iracundi, & contumelioli, quos dentes Behemoth Scriptura vocat, de quibus dicit: *Per gyrum dentium eius formido*, id est, dentes Iob 41.v.5. per gyrum oris eius dispositi formidabiles sunt, quia semper minas intentant; mordent, & dilacerant innocentes. Sicut & Salomon ait: *generatio,* Psal.56.v.5. *quæ pro dentibus gladios habet, vt comedat inopem de terra, & pauperem ex hominibus.* Et Dauid: *Dentes eorum arma, & sagittæ.* Vnde potiùs comparandi

sunt leonibus, vel lupis, qui Christi oues insequuntur, & dilacerant, & terroribus à veritate homines auertunt. At Christi & Ecclesiæ spirituales dentes, similes sunt ouibus, & per mansuetudinem & patientiam, doctrinam fidei, tradentes homines à peccatis, & erroribus retrahunt, ipsaque peccata consumũt. Quòd si terribiles aliquando dentes ostendunt, dum arguunt, & increpant, tamen ouis internam mansuetudinem non amittunt; quia non ex ira vel odio in homines mouentur, sed potiùs ex charitate in animas, & zelo contra vitia, in omnibusque sui Pastoris Christi mandatum seruant, ex cuius præscripto cuncta disponunt.

3. Perbellè autem assimilantur non quibuscũque gregibus ouium, sed *tonsarum quæ ascenderunt de lauacro*. Propter duplicem munditiem quæ in ouibus est, cùm tonsæ sunt, ablata lana quæ immunditiam contraxit, & in lauacro sunt lotæ: quoniam Pastores, & Doctores summa pollere debent munditia, vt pulchri sint Ecclesiæ dentes. Supponitur quidem omnes lotos fuisse in lauacro baptismi, vbi deposuerunt omne pondus, & circunstans se peccatum, exuenteſque veterem hominem cum actibus suis, induerunt nouum qui est omnis munditiæ & sanctitatis fons, è quo illam copiosè sibi hauserunt. Consultò tamen non dicitur, quæ ascendunt; sed *quæ ascenderunt de lauacro*, vt insinuetur eos non debere esse neophytos, sicut D. Paulus monet: *ne in superbiam elati in iudicium incidant diaboli*. Dum mox post baptismum docere alios præsumunt, quæ plenè discere vix potuerunt. Oportet ergo iam ascendisse, & profecisse post lauacrum: ita tamen vt acceptam in eo munditiam quasi recentem seruent, & ampliorem quàm alij acquisierint, propter quod etiam hi dentes vocantur *lacte candidiores*, id est, candidiores quàm paruuli renati, & loti in lauacro baptismatis; qui non solido cibo, sed lactè nutriuntur; quorum quidem candorem seruant, & insuper in eo iam ascenderunt, & profecerunt, vt meritò de eis dici possit: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto dealbata?* sicut suprà perpensum est.

Ad Hebr. 12.v.1
Ad Colo.3. v.9.
1.ad Tim. 3.v.6.
Genes. 49. v.12.
Cant.8.v. 5. iuxta LXX.

Sed adhuc amplius latet in hoc ouium lauacro. Nam rei pecuariæ magistri docent recentes à tonsione oues abluendas esse, ne illotus sudor in scabiem vertatur. Addit autem Columella lauandas marinis aquis, vel si longè à mari absint, pluuiali aqua ad hunc vsum aspersa sale, quo lauacro putat scabritiem ab eis profligari. Estque aptũ mortificationis symbolum, quæ ita lauat, vt non tantùm præteritas sordes abstergat, sed à futuris vendicet, molles abnegando carnis affectus, & quidquid eis scabiem afferre potest.

Virgil.3. Georgicorum: Dulcibus iccirco fluuiis pecus omne magistri Perfundunt. Lib 7. de re rustica c.4.

Confirmat hoc ipsa dentium natura. Nam si quid immunditiei eis inhæreat, paulatim putrescunt, malè olent, suoque fœtore ac putredine reliquos putrefaciunt. Vnde non solùm suum munus non obeunt, sed tantum dolorem incutiunt, vt necesse sit eos penitus euellere: sic & Doctores cùm sordes peccatorum admittunt, nec ab eis se purgant, paulatim putrescunt, & multoties ob prauam conscientiam, in putidam labuntur doctrinam: aliis sunt scandalo, & fœtore suo inficiunt, maximumque corpori Ecclesiæ incutiunt dolorem, vt necesse sit eos à fidelium consortio separare. Ne ergo tam miserè ruant, à principio vel minimos sordes statim tergant,

Lib.7.c.16. Suadet etiam hoc quod de dentibus testatur Plinius, adeo esse fortes, vt igne non consumantur, & tamen cauantur tabæ mollis pituitæ, & mollibus sordibus corrumpuntur. Nam etsi multi adeo sint constantes, vt nullis persecutionibus ab officio desistant; quidam tamen molli quadam passione & affectione carnis, aut leui aliqua peccandi consuetudine admissa, paulatim decidunt in grauiora, & pereunt: de quibus dicitur: *Si sal euanuerit in quo salietur? Ad nihilum valet vltrà nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Matth 5. v.13.

5. Propter quod vt relabendi occasiones tollant, similes esse debent gregibus tonsarum; omnia superflua penitus abijcientes, siue in diuitiis, siue in voluptatibus, siue in mundanis honoribus, vt opus, & ministerium suum impleant, non turpis lucri gratiâ, nec ob proprium commodum vel honorem, quasi pascentes oues vt ab eis sibi auferant lanam. Hæc enim libertatem, & puritatem auferunt, & ideo Euangelicos operarios pauperes spiritu & humiles esse oportet, iuxta id quod Saluator discipulis ad prædicandum missis dixit: *Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.* Hinc autẽ tria ingentia bona huiusmodi operariis proueniunt. Primò magna mundities, quæ valde roboratur ablata hac superflua lana, quę omnium sordium contrahendarum occasio est; deinde magna vnio & concordia inter ipsos: nam sicut oues tonsæ quasi fugientes frigus, multò magis sibi inuicem coniunguntur; sic & iusti dum hæc terrena contemnunt, fugientes frigus contrarium charitati, quod introducit in mundum hoc frigidum verbum, *meum & tuum*, quod omnium discordiarum est seminarium, multò magis inter se charitate iunguntur: & hæc est mira vnio dentium, qui sibi immediatè adhærent, & magnam habent æqualitatem, vt vnus alium non superet; non quòd non sint gradus diuersi in officiis; sed quia charitas fraterna & amor Christi eos in corde facit pares, & vnanimes. Vnde tandem prouenit tertium bonum, quòd sicut oues tonsæ, vt experientia docet, auidius pascunt, & comedunt, maximè si gemellos habent fœtus, tum vt citiùs vellera crescant, tum vt lac copiosiùs habeant, quo agnellos lactent. Ita Doctores, qui hæc temporalia contemnere, auidiùs cibos spirituales quęrunt tum sibi, tum proximis impertiendum. Meminerint tamen cum mansuetudine ouium tonsarum iungendam esse duritiem, & fortitudinem dentium contra errores & vitia, eorumque fautores vt eos comminuant, vt simul etiam dentes sint fœcundi sicut oues.

Luc. 9. v.3 & c.10. v.4.
D. Chrysost. in oratione de B. Philogonio, tom. 3.

De Doctorum fœcunditate. §. 3.

SED mirabilior est eorum fœcunditas, de qua dicitur, *sicut greges tonsarum; omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter illas.* Et quidem consultò non comparatur gregibus arietum, sed ouium, vt intelligant non tam esse patres quàm matres, maternoque affectu suos prosecuturos subditos. Constat enim patrem præcipuam esse generationis causam, matrem verò non, nisi per semen à patre receptum. Quare nomen patris magis aptatur ipsi Deo, qui spiritalis generationis est primum principium, & potissimum, sicut Christus Dominus testatus est, cùm Apostolis dixit: *Patrem nolite vocare vobis super terram; vnus est enim pater vester, qui in cœlis est; nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus.* Pastores autem Ecclesiæ, & Doctores tamquam patres per semẽ verbi diuini Matth.23. v.9. Psal.67. v.12.

diuini ab ipso Deo receptum, qui dat verbũ Euangelizantibus virtute multa, spiritales gignunt filios, & parturiunt; ideoque Ecclesia sub figura mulieris prægnantis in Apocalypsi describitur.

Psal.67. v.12. Apoc.12. v.1.

2. Præterea quia munus lactandi non patribus, sed matribus incumbit, ideo Doctores, qui fideles lactant, aptiùs ouibus assimilantur: fideles verò fœtibus siue agniculis gemellis, qui matribus hærere satagunt, vel ad latus, vel inter crura, vt vbera fugant, aut à tergo, sed prope sequuntur: quos tamen oues libenter admittunt: quoniam fideles, qui se paruulos in Christo agnoscunt, magno cum affectu suis adhærere debent Prælatis & Doctoribus, vt ab eis nutriantur, & protegantur, eorum semper vestigia sequendo; Doctores autem maternum pietatis affectum illis ostendere oportet, & benignè, cùm opus est, vbera præbere, & spiritalis doctrinæ lacte eos nutrire.

3. Vbi suprà. Qui verò dicantur gemelli fœtus, variè à Patribus explicatur: nam secundum D. Augustinum & Gregorium, sunt duo actus charitatis, amoris nimirum Dei, & proximi, quorum sunt duo præcepta, à quibus vniuersa lex pendet, & Prophetæ, & gemelli vocantur, sicut & Christus vocauit similes, quia simul à charitate generantur; quicumque enim diligit Deum, necesse est vt diligat proximum, propter ipsum. Et qui proximum diligit, Deum in eo diligit: in vtroque autem fœcundi esse debent, qui singulari ratione oues sunt Christi, à cuius spiritu hanc concipiunt fœcũditatem. Vtrumque amorem prædicare debent, & mentibus fidelium inferere, vt vtroque fulgeant, & ipsi etiam fœcundæ Christi fiant oues, quę ad dexteram eius in die iudicij collocentur, separatæ à reprobis hœdis, qui vtroque amore tepuerunt.

Matth. 22. v.40.

4. Hom.7. in Cant. Hinc per gemellos fœtus D. Nissenus intelligit animæ impartibilitatem, & vitæ corporalis honestatem; vt doctor sit sanctus spiritu, & corpore, interiùs & exteriùs, coram Deo, & coram hominibus, omnigena virtute ornatus, quæ sub gemina conceptione designatur. Theodoretus duplicem hunc fœtum contemplationem esse dicit, & actionem, nam in vtraque debent esse præeminentes, vt munus suum perfectè gerant; per contemplationem quidem cibum spiritualem sibi præparantes, & digerentes; per actionem verò illum impertientes proximis.

5. Matth.5. v.19. Deinde gemellos fœtus pariunt, cùm vita, & doctrina, exemplo & verbo, opere & sermone potentes sunt, vt iuxta dicta *magni sint in regno cœlorum*. Verè magnus qui sibi fœcundus est per fructus magnorum operum, & fœcundus aliis per doctrinam operibus confirmatam: nam qui sibi sterilis est quomodò aliis erit fœcundus? *Et qui sibi nequam est, cui bonus erit?* Hinc natura duos ordines dentium constituit, superiores & inferiores, qui gemellis fœtibus comparantur, & ambo ita sunt necessarij, vt vnus ordo sine altero officium mandendi cibum præstare nequeat. Sic munus doctorum nec præstatur sine recta vita omni ordine virtutum ornata, nec sine sana doctrina omnigena veritate referta. Illa est quasi ordo dentium superiorum, qui immobiles stant, & immutabilitatem animi indicant; hæc verò quasi ordo dentium inferiorum, quæ continuò mouentur cibum molentes, qui in alios est distribuendus. Vnde duplicis generis virtutibus indigent his ordinibus dentium correspondẽtibus: superiores sunt quæ inflammant voluntatem, & purificant affectum, vt charitas & virtutes morales, quæ moderantur passiones, ne meditantem vel concionantem perturbent; inferiores verò intellectum illustrant, & virtutes intellectuales dicuntur, vt fides, sapientia, scientia, & prudentia, quibus adiunguntur gratiæ gratis datæ, vt intelligentia Scripturarum, interpretatio sermonum, & aliæ huiusmodi per vtrasque in suo munere fœcundi sunt. Et quia simile generat sibi simile, fœtus gemellos parere debent, dum sanctam vitam & sanam doctrinam fideles docent, & suadent: ita tamen vt priùs sibi hæc bona prouideant, deinde destribuant aliis, iuxta illud: *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta puteitui; deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Prou.5. v.15.

Hinc oritur causa, (inquit D. Nissenus) cur sponsus priùs laudat dentes, quàm labia, & illos ouibus ruminantibus assimilat; hęc vittæ coccineæ, & eloquio dulci: quia labia in loquendo pulchritudine non florerent, nisi dentes per studiosam contemplationem labiis hanc ipsam in loquendo gratiam conferrent. Priùs ergo dentes ruminandi munus obeunt, cuncta quæ dicenda sunt considerantes, quàm aperiantur labia ad ea proferenda aliis. Vnde & Psalmista ait: *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.* Psal.36. v.30.

Sed cùm dixisset, omnes gemellis fœtibus, cur addidit, *& sterilis non est inter eas?* Profectò vt zelum filios spirituales generandi ampliùs confirmaret. Nam, vt inquit D. Gregorius, qui eos gignere contemnit, nec nomen prædicatoris meretur. Sed quia non est in nostra potestate aliorum corda immutare; & conuersio peccatorum opus est diuinæ gratiæ, multotiesque fine culpa Doctoris prędicatio nullum germinat fructum, satis est, vt inter eos nullus sit sterilis, si nullus ab officio vacet, nullus desinat in se ipso saltem geminos fœtus amoris Dei, & proximi parturire. Quod & dentium similitudo declarat, inter quos nullus dicitur sterilis, & officio vacans; nam ex eo quòd omnes sibi adhærent, nec vllus suum locum deserit, omnes robur habent, vt suum munus præstent, etsi non omnes semper eumdem cibum molant. Præterea sterilis iuxta verbum Hebræum etiam significat orbam, seu orbatam, vt sensus sit, nulla priuatur gemello fœtu, quam peperit: quia magna solicitudine filios spirituales quos gignunt, seruare indemnes student, magnaque sibi charitate deuinciunt; quomodò & agniculi matribus coniunguntur, & quasi cum eis vnum corpus efficere videntur.

Tandem potissima laus dentium Ecclesiæ à fœcunditate sumitur, ad modum, quo dentes corporei fœcundi etiam dici possunt, quatenus cibum mandunt, & traijciunt in ventriculum, ex quo fit aggeratio omnium partium corporis, quæ nutritio vocatur; estque quasi generatio cuiusdam partis carnis vel ossis, aut venæ vel arterię, & reliquarum, quæ nutriuntur: sic dentes Ecclesiæ cibum mysteriorum fidei & veritatum sacræ Scripturæ conterentes, & molentes, fidelibus huius mystici corporis membris proponunt, ex quo omnes nutriuntur, & multoties, qui mortui erant per peccatum, regenerantur & reuiuiscunt per baptismum vel pœnitentiam. Et sicut dentes molares cibum durum mollificant, & infantibus tradunt; sic ipsi dura crucis Christi & abnegationis propriæ ita suis exhortationibus & exemplis mollificant, vt fideles auidè ea suscipiant, & sicut duriora velut nuces & amygdala priùs frangunt,

Ecclesi.14.v.5

corticemque à nucleo ſeparant, & hunc ampliùs molunt, & ad nutrimentum diſponunt; ſic Doctores ſacræ Scripturæ cibos ſub duro cortice parabolarum & veterum figurarum latentes frangunt, ſpiritum educunt, eumque molunt, & populis vtrumque proponunt, vt ex vtroque proficiant, dum figuras & ſymbola, ac quæ in eis includebantur perpendunt. Hoc egregiè delineat geſtum Iacob, cùm decorticatas ex parte virgas poſuit in canalibus, vbi effundebatur aqua, vt cùm veniſſent greges ad bibendum, intuentes virgas diuerſi coloris conciperent etiam fœtus varios. Hoc ipſum eſt quod dentes Eccleſiæ faciunt. Quid eſt (inquit D. Gregorius) virgas amygdalinas ante gregum oculos ponere, niſi per Scripturæ ſacræ ſeriem, antiquorum patrum vitas atque ſententias in exemplum populis ponere? quæ nimirum, quia iuxta rationis examen rectæ ſunt, virgæ nominantur. In quibus dum plerumque intellectum literæ fugimus, quaſi corticem ſubtrahimus: & dum plerumque intellectum literæ ſequimur, quaſi corticem reſeruamus; dumque ab ipſis cortex literæ ſubducitur, allegoriæ candor interior demonſtratur; & dum cortex relinquitur, exterioris intelligentiæ virentia exempla mõſtrantur. Quas bene Iacob in aquæ canalibus poſuit, quia & Redemptor noſter in libris eas ſacræ ſcientiæ, quibus nos intrinſecus infundimur, fixit. Has aſpicientes rationales oues tales fœtus operum procreant, qualia exempla præcedentibus in vocibus præceptorum vident. Nec te moueat quòd Salomon de ouibus candidis aſcendentibus de lauacro loquitur; Iacob verò oues maculoſæ, id eſt varii coloris dicuntur, quoniam hoc non tollit munditiam, de qua potiſſimè eſt aſſimilatio; vnde cum candore gratiæ ſimul pulchra coniungitur varietas virtutum.

Genes.30. v.33.

Lib.21. mor.c.1.

§. 4.

8. ILlud tandem prætermittendum non duxi, cur ſcilicet ſponſus ſingula dilectæ ſuæ membra cõmendans, bis dentes eius laudauerit: ipſa tamen cùm ſponſi ſingulas extollit partes nullam facit dentium mentionem? Siquidem ipſe Princeps eſt, & omnium Doctorum Doctor. Sed hoc ipſum eſt in cauſa, quia diuerſus longè eſt in Chriſto, & in aliis docendi modus, quem agnouerunt Iudæorum turbæ admirantes ſuper doctrina illius: *Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens; & non ſicut Scribæ eorum & Phariſæi.* Alii enim magiſtri benè comparantur dentibus, quia aliunde indigent accipere cibum, nec ſine labore illum mandunt, & ad impartiendum aliis ponunt: at Chriſtus nullo horum indiget: qui ex ſe plenus eſt ſapientia, cum in eo ſint omnes theſauri ſcientiæ Dei, & facillimè magnoque cum imperio doctrinã proponit, mentique ſi vult eam imprimit. Vnde loco duplicis ordinis dentium, qui os exornant, laudatur os eius, quia de illo exit gladius vtraque parte acutus, id eſt, verbum Dei ad omnia quæcumque vult efficaciſſimum. Et vox eius dicitur tamquam vox aquarum multarum, earum ſcilicet, de quibus dicitur, *& aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum.* Vtrumque enim habet doctrina quæ ex ore Chriſti procedit, vt peccata à peccatoribus diuidat, & eos ſalubriter potet, variiſque cælestibus gratiis repleat: eadem tamen per ſuos myſticos dentes exercet. In cuius ſignum Samſon mille interfecit Philiſthæos mandibula aſini cum ſuis dentibus loco gladij; ex vno autem dente molari egreſſæ ſunt aquę quibus ſuam extingueret ſitim:

In cap.5. Cant.

Matth.7. v.29.

1.Cor.10. 17.

Eccleſ.15. v.13.

Iudic.15. v.19.

A ſic Chriſtus Sol Iuſtitiæ & Sapientiæ (Samſon enim Sol eius interpretatur) hoſtes, vt inquit D. Gregorius, perimit per Prædicatores ſuos, eligẽs ſtulta mundi, vt confundat ſapientes mirabiliter ex illis ducens aquas ſapientiæ ſalutaris, quibus ſitim ſalutis animarum ſatiet, inuitans ſitientes vt veniant ad aquas & bibant: aliquandoque miraculoſa per eos patratur opera, vt alios ad ſe alliciant ad ipſius gloriam in ſæcula ſæculorum, Amen.

Lib.13. mor.c.6.

EXHORTATIO V.

De iis, qui meditationi & orationi vacant; atque de præclaris Religioſorum exercitiis, quæ per dentes deſignantur.

B Dentes tui ſicut grex tonſarum, &c.

EX dictis in præcedenti exhortatione ſatis conſtat, dentes, qui inſtrumentum ſunt ad mandẽdum cibum, & ad articulatam locutionem, poſſe etiam repræſentare eos qui meditationi incumbunt, & orationi quam vocant mentalem, & vocalem, de qua Paulus ait, *orabo ſpiritu, orabo & mente*, ſpiritum vocat vocem qui aër eſt concitatus. Hi autem aptè dicuntur *ſicut greges tonſarum*: oues enim valde ruminant, quod meditationis egregium eſt ſymbolum. Comparantur autem plutibus gregibus, quoniam plura ſunt meditationis ſtudia ordinatè diſpoſita ſub vno rectore, quæ eſt mens ipſa, diuino lumine perfuſa. C Sunt enim greges meditationum circa myſteria Dei & Chriſti, ac diuina beneficia, quibus præeſt fides. Sunt etiam conſiderationum greges circa agenda, quibus prudentia preſidet. Aſſimilantur autem gregibus *tonſarum quæ aſcenderunt de lauacro*: Quoniam tonſio & lotio duo indicant ad rectè meditandum, & orandum valde neceſſaria; nimirum denudationem ab omnibus ſuperfluis, & inordinatis ad res poſſeſſas affectionibus, atque mũditiam ab omnibus peccatorum ſordibus in lauacro pœnitentiæ: Nam *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

1.Cor.14. v.15.

Matth.5. v.8.

Sed additur; *omnes gemellis fœtibus & ſterilis non eſt inter eas.* Quoniam meditationes debent eſſe gemelliperæ, generantes in intellectu veram Dei & Chriſti ac ſui ipſius notitiam, myſteriorumque fidei cognitionem; deinde in voluntate ardentem Dei amorẽ, ac ſui ipſius odium, & ſequendi Chriſtum cupiditatem: meditatio enim quæ ſolam pareret cognitionem, infœcunda eſſet & ſterilis. Infiduſque eſt intellectus, & vltra modum ſciendi cupidus, qui totum cibum ſibi ſumit, & voluntatem relinquit ieiunam: veluti ſi nutrix mandens cibum vt nutriat paruulum, totum deglutiret, & nihil illi præberet, vnde neceſſe eſſet paruulum fame tabeſcere: ſic cùm intellectus ſua ſatiatus cognitione, eam non applicat, vt voluntatem ad affectus virtutum moueat, illa tabida & arida manebit; ſicut ille qui dicebat: *Aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.* Nempe illum de quo dicitur: *Cibauit illum pane vitæ & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum.* Cuiuſmodi non eſt nuda ſpeculatio, ſed illa, in qua diuini amoris & deuotionis exardeſcit ignis, quia ſola ſcientia inflat, charitas verò ædificat.

Pſal.101. v.5.

Eccleſ.15. v.5.

Pſal.38. ar.4.

1.Cor.8. v.2.

§. 1.

§. 1.

Serm.63. ex paruis. HÆc ampliùs & meliùs patefient, ſi encomiũ iſtud cum D. Bernardo aptemus Religioſis, quibus huiuſmodi exercitia meditandi, & orandi ſunt valde aſſidua, quoniam vel in choro diuinas concinunt laudes, vel in cellis piis vacant meditationibus, & contemplationibus, vt propterea dixerit idem D. Bernardus cellam dictam eſſe quaſi cælum: nam quod geritur in cælis, hoc eſt in cellis, nempe vacare Deo, & frui Deo. Sicut autem dentes toti corpori (inquit) maſticant cibum, & nullum inde ſaporem habent: ita Religioſi pro toto Eccleſiæ corpore, videlicet tam viuis, quàm defunctis iugiter orant, nec tamen inde ſibi vllam gloriam aſſignant; ſed cum propheta dicunt: *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriã.* Imo nec etiam propriam delectationem ſpiritalẽ quærunt dum meditantur, aut orant, ſed ſolum Dei beneplacitum, & ſpiritus profectum; nam multò excellentiùs eſt virtutes ipſas non pro delectatione, quam experiantur, ſed pro virtutibus ipſis, & pro ſolo beneplacito Dei tota intentione, etſi non tota ſenſibili affectione, ſectari.

Ad fratres de Monte Dei.

Pſal.113.v.9

Ex eodem D. Bernar. ſerm.5.de Quadrag.

1. Ad hæc autem egregiè præſtanda miras habent proprietates, quæ per dentes *ſicut greges tonſarũ, &c.* deſignantur. Prima eſt denudatio ab omnibus rebus temporalibus, & terrenis, quæ carni & mũdo arrident, iuxta illud: *Qui non renunciat omnibus quæ poſſider, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quod pleniſſimè præſtant per tria vota paupertatis, caſtitatis & obedientię, dum diuitias, voluptates, & propriam deſerunt libertatem. In quo dẽtibus aſſimilantur, „ qui (inquit) carnem nõ habent, quia in carne car- „ nem obliti, audiunt ab Apoſtolo, *vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu.* Corio carent, quia nitorem & diſtenſionem mũdanarum ſolicitudinum non „ habentes, in pace in idipſum dormiunt, & requie- „ ſcunt. Propter quod tonſis ouibus comparantur, „ quia reuera tonſi ſunt, quibus nec corda, nec cor- „ pora, neque aliquid mundanum in proprietate re- „ lictum eſt. Sicut autem cũ tondentur oues, auffertur omnis lana, ea ſolùm relicta quæ pelli hæret, vt corpus tegat: ita cuncta relinquũt etiam quantùm ad vſum, præter ea quę neceſſaria ſunt; dicentes cum Apoſtolo: *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſumus.* Fauet etiam antiquus vſus admittendi Monachos ad profeſſionem. quos (vt D. Dionyſius refert) interrogabat Sacerdos, an renunciarent omnibus rebus diuiſibilibus, etiam imaginibus, ac phantaſiis; & poſtea tõ debat, exutaque omni veſte eius, aliam induebat. Tonſura autem illa & denudatio veſtium, omnium rerũ ac cogitationum ſuperfluarum renunciationem indicabat, ſicut ſuprà dicebamus de capillorum tonſura. Hoc ſolùm eſt diſcrimen, quòd capilli ex tõſura relicti nihili fiunt, lana verò prodeſt in vſus aliorum. Vtrumque myſterium habet. Nam Monachi omnibus renunciant, contemnentes ea ac ſi ſtercora eſſent; & tamen in vſus & commodum pauperum conuertunt, iuxta illud: *Si vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.*

1 ad Timoth.6. v.8.

c.6. de Eccleſiaſt. Hierarch. P.2.

In exhort. 2 §.5.

Ad Philip. 3.v.8.

Matth.19. v.21.

2. Sed ad quid tonſura iſta? vt ſummum cãdorem & mũditiam animæ poſſint obtinere, relictis omnibus, quæ occaſio poſſint eſſe illam inquinandi. Nihil enim ita exectãtur Religioſi ac peccati maculam, quam ſi vel leuem contraxerint, ab ea ſe ſtatim lauant & mundant, in quo dẽtibus aſſimilan- „ tur, cùm Eccleſia (inquit idẽ Bernardus) tota candida ſit: cãdidior probatur in dentibus, *qui ſunt, lacte candidiores.* Et quid iſtis candidius, qui totius

De renunciatione omnium. Lucæ 14. v.33.

Ad Rom. 8.v.9.

De mundicia & candore.

Genes. 49. v.12.

A ſpurcitiæ immunditias euitãtes, cogitationum ſi- „ cut actionum peccata deplorant? & ideo compa- „ rãtur ouibus aſcendentibus de lauacro: lauacrum „ baptiſmus eſt, de quo aſcendit qui ad celſitudinem „ vitæ perfectioris intendit. Deſcendit autẽ qui ſe „ vitæ mancipat inhoneſtę. Hęc ille. Sed aptiùs nũc lauacrum vocabimus ipſam profeſſionem monaſticam, & trium vororum emiſſionem, quæ quaſi ſecundus baptiſmus à patribus nominatur, dum etiam omnem culpam & pœnã contritis remittit, & munditiam ac quaſi innocentiam baptiſmalem reſtituit, ſicut D. Hieronymus teſtatur ad Demetriadem: Nunc, inquit, quia ſæculum reliquiſti, & ſecũdo poſt baptiſmum gradu iniſti pactum cum aduerſario tuo dicens ei, renuncio tibi diabole, & „ ſæculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis, ſerua „ fœdus quod pepigiſti. Sed clariùs & vberiùs idem B Bernardus rationem eius reddens ait: Arbitror ob perfectam mundi abrenunciationem, & ſingularem excellentiam vitæ ſpiritualis, qua præeminẽs vniuerſis vitæ humanæ, generibus huiuſcemodi conuerſatio profeſſores & amatores ſuos Angelis ſimiles, diſſimiles hominibus facit; imo diuinam in homine reformat imaginem, configurans nos Chriſto inſtar baptiſmi; & quaſi denique ſecundò baptizamur, dum per id quòd mortificamus membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram, rurſum Chriſtum induimus, complantati denuo ſimilitudine mortis eius.

Plura de hoc Hieronymus. Plat lib.1. de ſtatu religioſi c.13. Epiſt.8. idem epiſt. 25. ad Paulã de morte Bleſillæ.

Lib. de præcepto & diſpenſ. circa finẽ.

3. De fœcunditate ſpirituali.

Meritò ergo Religioſi tamquam oues iam tonſæ & lotæ in lauacro profeſſionis, per quod proficiẽdi aufferuntur impedimenta, dicuntur aſcẽdere, quoniam quotidie in meliùs proficiũt per orationem, & meditationem, aliaque ſuæ vocationis ſtudioſa opera, quod antea difficiliùs præſtare poterant: nemo enim grauiſſimo onuſtus peccatorum, vel paſſionum ſuarũ pondere aſcendere poteſt in montem orationis vel perfectionis Euãgelicæ, niſi priùs hoc onus deponat. Quod enim carni leue videtur, & molle quaſi lana, ſpiritui graue eſt & durũ velut ferrum. Quo ablato facilis eſt aſcenſus iuxta illud: *Si iniquitatem quæ eſt in manu tua abſtuleris à te, & non manſerit in tabernaculo tuo iniuſtitia, tunc leuare poteris faciem tuam ſine macula*, id- eſt alacriter leuabis animum ad orandum, & progrediendum coram Deo.

Iob 11.v.14.

At ſicut lana ouiũ ſenſim creſcit, veluti de capillis dictum eſt, & ideo quotannis tondentur, & lauantur oues, vtiliuſque lauacrũ eſt aqua maris, vel ſale conſperſa, quod ſymbolũ eſt mortificationis, vt ſuprà vidimus: ſic Religioſi in hoc etiam aſcẽdunt, & proficiunt, quòd pullulantes denuo affectiones ad terrena, vel ſi quę ſuperflua illis adhæ- rent, tõdere ſtudent, & amputare, iugique ſe amaro abnegationis purificare lauacro; quia amaram redẽptionis ſui nuditatẽ & paſſionem iugiter meditãtur: huiuſmodi enim meditatio, lauacrũ quoddam etiam eſt ipſos dentes à quibus procedit, ampliùs purificans, reddẽſque *lacte candidiores.* Quod ſic perpendit D. Ambroſius: Cùm omnes in Moy- ſe, & in nube baptizati fuerint Patres noſtri, non ociosè ſcriptum eſt, quia *omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt, & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt*, vt iſtis Sanctorum dentibus ma- ior quidam fulgor accederet, quos poſt tranſitum maris rubri myrrhæi fontis amaritudine per ligni gratiam temperata agnoſcimus eſſe mundatos, vbi dentium candorem tribuit ſpiritali manducationi, & potui myſteriorum Chriſti, & crucis ac paſſionis eius, quod congruit illi

Serm.16.in Pſal.18.v.3. „ „ 1.Cor.10. v.1. Exod.15. v.25. „ „ „ „

saluatoris sententiæ: *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Sermo autem Christi doctrinam continet crucis, & abnegationis propriæ, quæ tunc mundat, cùm meditationis dentibus ruminatur, & opere completur. Ioan.15.v.3

Hinc deducenda est fœcunditas Religiosorum instar tonsarum, *quæ ascendunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.* Etenim sicut lauacrum baptismi ex aqua, & Spiritu sancto fœcundum est; nam *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, quasi fœcundans eas, quomodo auis fouet oua, vt educat pullos; ideoque apparuit in specie columbæ quæ fœcunda est, nam homines bonis operibus fœcundos reddit: sic etiam lauacrũ professionis Religiosos fœcundos reddit, & ad plura ac præclara opera perficienda idoneos, ac propensos, maximè ad gemellos fœtus, quę sunt opera vtriusque vitæ actiuæ, & contemplatiuæ, quę iugiter pariunt, quoniã vtroque amore Dei & proximorum flagrant; nec vllus est inter illos sterilis, sed iuxta suum captum aliqua vtriusque generis opera exercet. Prouectiores autem etiam gemellos edunt fœtus, quia verbo & exemplo proximis prosunt, & plures Christo lucrantur: alij autem qui literas nesciunt oratione & exemplo idem perficiunt: imò multoties istorum oratio vim impetrat, & confert aliorum verbo, vt fœcundum sit. Vnde partus magis tunc tribuitur, orantibus, quàm loquentibus. 4.

§. 2.

De clausura & silentio. 5.

SED ad tutò cuncta hæc conseruanda magnam professio monastica adhibet custodiã, & clausuram, domi omnes continens cum silentio & trãquillitate; nisi quando vel obedientia Prælati, vel necessitas proximi, seu charitas erga illũ foras exire compellit. In quo etiam assimilantur dentibus, » qui (inquit Bernardus) clausi sunt labiis ne videãtur, indecens enim est cũ videntur nisi ridendo: sic » & nos materialibus vallis circũcingimur, ne sæcularium oculis & accessui pateamus: indecens est si » appareant, nisi interdum fore ad risum, quia nihil » turpius quàm Monachus per vrbes & castella discurrens, nisi cũ illa cogit, quæ operit multitudinẽ peccatorum: Charitas enim risus est, quia hilaris est; læta quidẽ, non tamen dissoluta. Sed quomodo hoc cohæret cũ similitudine ouium, quę huc illucque diuagantur vt pascant? At totum hoc est intra locũ pascuæ à pastore designatũ: ita & dentes varios cibos sumunt, & depascunt, intra clausuram tamen à religione præstitutã. Sed illud mirum, quòd dentium vallum non fit osseũ, sed carneum, nempe labia mollia, ac suauia, ad denotandam clausurã religiosam, non violentam esse, nec coactam, sed spontaneam ac suauem, ex amore ipsius castitatis, orationis, & virtutis procedentem. Qua de causa infrà venter Ecclesiæ, quæ suos claudit in se filios, dicitur *acerua tritici vallatus liliis*, id est, pulchris, suauibusque virtutibus: nec differt similitudo liliorum vallantiũ à labiis, nã inferiùs etiã labia vocantur lilia, sed illud mirabilius, ipsos dentes ac labia quę instrumenta sunt ad loquendum, valla esse & ostia claudentia linguam, qua fit locutio, etsi ad nutum obediant rationis imperio: quoniam proprium etiã munus est Monachorum linguam cohibere, clausam tenere, silẽtium seruare, nec nisi ex imperio rationis & superiorum, os & labia ad loquẽdum aperire. Nã cùm tẽpus sit tacendi & tẽpus loquendi, ad easdem virtutes cum prudentia spectat vtrumque tẽpus seruare, & ostium linguæ aperire vel claudere. Cant.7.v.2. Cant.5. v.13.

Nec mirandũ quòd clausurã diligant, qui intra Monasterij septa ordinem in omnibus seruãt, qui ea dulciora & faciliora reddit: Dẽtes (inquit idem Sanctus) per ordinem positi sunt. Superiores alii, & alii inferiores, & cùm inferiores moueantur, superiores nũquam; sic & in religione: Vbi enim aliquid ordinatum est, si hîc non est? vbi cibus & potus, vigilare, & dormire, laborare, & quiescere, ambulare, & sedere, & cętera omnia in numero, & pondere, & mensura constituuntur. Hinc fit vt nullus plùs nimio grauetur; imo alter alterius onus leuet; & dũ plures simul ad idem concurrũt, mutuò se animant, incitant, & accendunt, ac faciliùs operantur. Superiores autem sic inferioribus iunguntur, vt inferiores à superioribus nõ discordent; charitas enim Christi, & obedięntia eos vnit, vt, Prælati amore iubeant, & subditi obedientiam charitatis præstent: in hoc tamẽ Prælati excedere debent subditos, vt quãuis hi circa multa occupati aliquando turbentur, ipsi mente composita perseuerent. Et hac fortè de causa dentes non dicuntur sicut oues, sed sicut greges ouium, ad denotandum ordinem plurium, & humilem ad Pastores subiectionem, quæ in ouium gregibus magis splendet, quã in capris vel hœdis. His accedit primores dentes, qui mediam oris partẽ ornant, latiori esse forma, qui verò ad eorũ latus adnati, longè sunt minori; ideoque illi ouibus, hi agnis, qui matrum hærent lateri, assimilantur: sic primores & seniores Religiosi ampliori fulgere debent charitatis latitudine, vt eis libenter minores socientur, omnesque simul faciliùs sua gerant munera. 6. De ordine in omnibus

Hinc etiam est, omnes magna solicitudine auferre cuncta quæ dissensionem aliquam inferre possunt: si quid verò zizaniæ oritur, magnum omnibus incutit dolorem, de eoque resecãdo magna eos vrget cura. Dentes (inquit) nihil intra se pati possunt, nec est dolor sicut dolor eorum, quia nec modicum quid offendiculum tolerabile reputãt, aut intra se, aut in conscientiis singulorũ, nihilque tam horrendum, & horribile est sicut murmur & dissensio in congregatione. Etenim vt Aristoteles docuit, dentes arctè simul vniti longioris vitæ indicium sunt; econtrariò autem quando làxiores sunt, & ab inuicem distincti, breuem indicant vitam: Vnde ad pulchritudinem dentium etiam requiritur arcta eorum coniunctio, disiunctio verò nonnullam infert fœditatẽ. Sic etiam ad pulchritudinem, & longissimam alicuius instituti durationem, nullum est efficacius medium quàm vnio & conformitas mutua singulorum, quam Christi charitas efficit. Nam dum omnes in Christo sunt cor vnum, & anima vna, omnes se mutuò tuẽtur, roborant, & perficiunt; nec ab hostibus rumpi valet congregatio, quæ terribilis est vt castrorum acies ordinata; at minatur ruinam, breuemque interitum, si schisma & seditio oritur, si animorum dissensio, & disiunctio prævalet, nec cohibetur: *Quia omne regnum in se diuisum desolabitur.* Et tunc certiùs appropinquat ruina, quando sine dolore inter dentes aliquid immoratur, nec ipsa dissensio dolorem incutit; nam vbi regularis vrget obseruantia, & charitas fraterna, confestim repellitur quidquid minimæ dissensionis suspicionẽ affert. 7. De vnione & concordia. Problem. sect. 10. Eccl.4.v.12 Cant.6.v.3. Lucæ 11. v.17.

Vnde tãdem fit, singulos Religiosos, qui perpetuis votis se astrinxerunt, fortes esse & constantes in Dei obsequio vsque ad mortẽ, ita vt regularis obseruantia nec antiquitate in singulis senescat, vel repescat, sed potiùs feruentior fiat. Dentes (inquit Bernardus) fortes sunt, nec facilè consumuntur: 8. De fortitudine & cõstantia vsque in finẽ.

muntur: quid fortius illis, quibus tribulatio pro solatio, contumelia pro gloria, inopia pro abundantia ducitur? Et quantò annosiores, tantò feruentiores, & eò rapidiùs currunt, quò viciniùs appropinquant ad palmam. Scimus dentes vsu atteri, sed hoc ad corpora referto, quæ benè operando lassantur; ideoque corporalis exercitatio languente carne in senio minuitur: at spiritus ad spiritualia fit robustior, nec antiquitate languescit. Sed sicut de Moyse dicitur, cùm centum viginti annorum esset quando mortuus est: *Non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt*: Ita in viris perfectis per longiorem ætatem non caligat oculus rationis, & prudentiæ, nec dentes meditationis & orationis, quibus cibus spiritalis manditur, vnde fortes sunt, & constantes in bono, donec per integram perseuerantiam, æternam adipiscuntur coronam gloriæ, quam nobis Dominus præstare dignetur, Amen. Deut.34. v.7.

EXHORTATIO VI.

Pro Festo Pentecostes. *De labiis fide sanguinis Christi, & charitate accensis, ad osculandum spiritaliter Deum, & dulciter loquendum cum ipso, vel de ipso per prædicationem; & concionatores esse Ecclesiæ labia.*

Vers. 3. Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.

POST laudatos sponsæ dentes, laudantur labia quæ eos contegunt; & quia magis patent, magis etiam sua pulchritudine alliciunt: de quibus sponsus inquit: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Si corticem literæ attendas, indicat labia valde esse pulchra, non fusca vel liuida, sed rosea & corallina velut ex coccino ignescente, vocemque & loquendi modum non esse agrestem, raucum, & insuauem, sed concinnum, gratum, & dulcem. Quod LXX. vertunt *eloquium tuum decorum*: Sed spiritum propalemus, supponentes duo labia corporis instrumentum esse ad osculandum, & loquendum; quibus in mente respondent intellectus & voluntas, cognitio & affectio, fides, & amor, per quæ interna fit osculatio, & locutio cum Deo, vel de Deo, vnde externa procedit.

Per fidem sanguinis Christi & charitatem ligari nos Deo, & ab omnibus malis eripi. §. 1.

1.

ET in primis cùm labia osculationis sint instrumentum, oscula autem interni sint amoris signa, hinc fit labia symbolum esse amoris, & spiritalis desponsationis inter Christum & Ecclesiam, seu piam animam, quæ, vt à principio vidimus, eam appetebat, dum canticum inchoat dicens: *Osculetur me osculo oris sui.* Sed quoniam sunt oscula ficta, & fraudulenta ad decipiendum, & prodendum alium, quale fuit osculum Iudæ proditoris; sunt etiam oscula infida, & impura, sicut meretricum; ideo sponsus dilectæ suæ labia comparat vittę coccineæ, ad denotandum eius erga ipsum verum, fidum, & ardentem amorem, veraque fida & ardẽtia illius amoris signa: vitta enim coccinea, seu, vt LXX. vertunt, *funiculus coccineus*, ligamen fidi, & ardentis amoris indicat: nam sicut Prou.27. v.26. Prou.7. v.13. *Hispane venda cordon, ouerda.*

vitta ligat capillos, ita verus amor qui per coccineum colorem significatur, ligat amãtes, maximè desponsatione coniunctos. *Sicut ergo vitta coccinea labia tua sunt*, quia amoris tui signa, quæ mihi præbes, me ligant, & intus amorem rapiunt: diligit enim Christus diligentes ipsum, & quò vehementiùs diligitur, eò vehementiùs diligit, etsi ipse eos diligendo & osculando præueniat.

Charitasque Dei *diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, dicitur vitta coccinea à cocco bis tincto, cuius frequens est mentio in Exodo, quia per binam tincturam fortius suum igneum & splendidum retinebat colorem; coccus autem (inquit D. Gregorius Papa) bis tingitur, quando non solùm ex amore Dei, sed etiam proximi nostra charitas inflammatur; vel secundùm D. Gregoriũ Nissenum, huius funiculi coccinei prima tinctura est fides passionis, & sanguinis Christi, quo redẽpti sumus; altera verò est charitas per quam hæc fides operatur, & sanguis Christi plenè applicatur nobis; vtraque autem simul funiculus est coccineus arctissimè cor nostrum cum Deo ligans: & vnicum est nostræ salutis mediũ, signumque, quo iusti discriminantur à peccatoribus, & electi qui saluandi sunt à reprobis qui in æternum peribunt. Quod sancti Patres duplici celebri symbolo declarant. 2. Ad Rom.5. v.5. Hom.16.in Ezech & 2. p past.c 3. Hom.7.in in Cant.

Primum est funiculus coccineus, quem Raab appendit, & ligauit in fenestra domus suæ, in signũ quòd nec ipsa, nec eius cognatio intra illam domum congregata ab Israëlitico exercitu ciuitatem Iericho deuastante, læderetur, cùm tamen reliqui omnes ciues exterminati sint: sic etiam cùm Christus Dominus in sponsæ suæ labiis tamquam in fenestra videt funiculum istum coccineum, id est, fidem sanguinis Christi per dilectionem operantem, eam vehementer diligit, eripitque à funesta morte, quę omnes homines hoc signo carentes in æternũ deuastat. Quid enim ad nos eruendum, potentius fide, quæ purificat corda? charitate, quæ operit multitudinem peccatorum? & sanguine Christi, qui emundat nos ab omni peccato? profectò triplex iste funiculus coccineus difficilè rumpitur, & valentiùs quàm funiculus Raab, ab omnibus te periculis eruet, & ex meretrice in nouam & pulchram transferet creaturam. 3. Iosue 2. v.18.

Hoc fortè innuit Isaias cùm ait: *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra vt vermiculus, quasi lana alba erunt.* Etsi enim iuxta communiorem partum sentẽtiam coccinum hic in malum vsurpetur pro fœdo sanguine peccatorum, quæ animæ nimis inhærent, & per Iesu Christi sanguinem delentur, antiquusque cãdor animæ restituitur: tamen Tertullianus aliique Doctores coccinum in bonũ vsurpant; quia splendidus iste color non benè (inquiunt) peccatis apparatur; vnde sensus est: si peccata vestra rubicundo & coccineo sanguine Christi tingantur, redduntur alba velut nix, sicut martyres qui lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni. Quidquid autẽ sit de hac interpretatione, certum est hunc funiculum coccineum signum esse munditiei, & pulchritudinis, quam Christi sanguis dilectis suis tribuit; præseruãs etiam eos ab illa morte, de qua dixerat Ieremias: *Ascendit mors per fenestras nostras, & ingressa est domos nostras.* Fenestræ animæ, sensus sunt carnis, per quos ingrediuntur res delectabiles, & mundanæ, earumque concupiscentiæ, quæ sunt ignea tela mortem animæ inferentia. At si ex ijs fenestris pendeat coccineus Isai.1.v.18. Lib.4. contra Marcionem c.10.& in Scorpiaco c. 12. Idem Leo Castrensis citans D. Aug. & Basilium, sed non id dicunt. Ierem.9. v.21.

Perutilis obseruatio circa hoc gestum Raab ponitur infrà lib.9.exhort.25.§ 2

iste funiculus, seu iugis memoria sanguinis Christi, & ardens ipsius amor, hostes abigit, concupiscentias propellit, & fenestras claudit, ne quid nocens ingrediatur per illas: est enim vitta, quæ sensus ligat, ne mors per eos ingredi valeat.

4. Genes.38. v.27.

Hoc autem ampliùs explanat alterum celeberrimum symbolum, quod contigit in partu Thamar, quo instante, inquit Scriptura: *Apparuerunt gemini in vtero, atque in ipsa effusione infantium, vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum dicens, Iste egredietur prior; illo verò retrahente manum, egressus est alter, dixitque mulier, Quare diuisa est propter te maceria? Quam ob causam vocauit nomen eius Phares: postea verò egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum, quem appellauit Zara.* Magnum in his geminis agnoscunt mysterium D. Irenæus [a], Chrysostomus [b], Theodoretus [c], Cyrillus [d], Isidorus, & Rupertus, dicentes repræsentare duos populos, Hebræum & Gentilicum, etsi contrario modo eos explicent: liceat tamen mihi eis applicare quod dicitur de aliis duobus geminis Iacob, & Esau; illum figuram fuisse electorum; hunc reproborum, quia scriptum est, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Sic etiam Zara, qui posteriùs natus est, sicut Iacob, symbolum est iustorum atque electorum; qui à peccatoribus, & reprobis per Phares natu maiorem significatis, distinguuntur coccino, id est, ignea charitate, & gratia Spiritus sancti per Christi sanguinem illis applicata. Nam licèt sanguis iste pro omnium peccatorum remissione effusus sit, omnibusque sufficiẽs remedium præbeat, tamen iusti tantùm eo tinguntur, & electi acceptantur ad vitam æternam: reliqui verò sua culpa excluduntur; ideoque aptè significantur per Phares, quod interpretatur diuisio, quia se diuidunt à bonis, & diuisionem vnioni charitatis contrariam amplexantur. Zaram autem interpretatur *Oriens*, & est vnum ex nominibus Christi; quia iusti & electi ei assimilari conantur; & ideo oriuntur vt luce spiritali in æternum gaudeant; reprobi verò indigni sunt hoc nomine; quia melius illis esset, sicut de Iuda proditore dictum est, si nati non fuissent.

[a] Lib.4. aduer. hæres. c.42.
[b] Hom.62. in Genes.
[c] q.95.in Genes.
Hi tres per Phares populum Hebræum; alii qui apud catenam referuntur, populum gentilicũ.
Genes.25. v.23. Malach 1. v.2. ad Rom.9. v.13.
Zacha.6. v.12.
Matth.26. v.24.
In traditionibus in Genes.

Dictus est autem Oriens, vt D. Hieronymus notat, quia primus apparuit cùm protulit manum; cui ligatum est coccinum; quoniam electi potissimè manifestantur operibus sanguine Christi. & charitate Dei & proximi velut cocco bis tincto rubricatis: retraxit autem manum vt alter nasceretur priùs, quasi cedens iuri suo, & primogenituram alteri deferens, quæ magni fiebat apud Hebræos, quoniam electi libenter omnibus temporalibus bonis & honoribus renunciant, in mundoque apparere cupiunt, non vt hæc bona adipiscantur, sed vt coccino charitatis consignentur; quæ pignus est æternæ hæreditatis, quam præferunt temporali; cum tamen reprobi temporalem præferant æternæ.

Tract.5.in Epist.Ioannis.

Nos ergo, qui in sortem sanctorum, & electorum ascribi cupimus, coccinum charitatis, qua, vt inquit D. Augustinus, secernuntur filij Dei à filiis diaboli, nobiscum semper feramus, præcipuè autem in manibus, id est, operibus eam attestantes; quoniam: *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Et rursus; *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Non tamen negamus verba debere conuenire factis, & facta verbis, vt vtraque simili flagrent charitate.

Ad Rom. 2.v.13. Matth.7. v.21.

A labiis charitate accensis procedere dulce eloquium cum Deo, & de Deo. §. 2.

1. PROPTER hæc, etiam, labia sponsæ assimilantur vittæ, vel funiculo coccineo: labia enim instrumenta sunt non solùm osculandi, sed potissimè loquendi; nam quamuis guttur & lingua ad hoc propiùs inseruiant, tamen quia eorum motus intra os latent, & per labiorum apertionem manifestantur, (sunt enim velut ostium quod aperitur vt egrediatur vox, iuxta illud Iobi, *& non magis tacui, nec egressus sum ostium*) ideo Scriptura crebriùs vsurpat labia ad significandam locutionem, vnde & in hoc loco mox subdit, *& eloquium tuum dulce*; ac si dicat, Labia tua coccinea sunt, amorem spirantia, ideoque eloquium tuum ab illis procedens, valde mihi dulce est, & gratum, quod semper audire gestio. Ideoque tibi dixi: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Diximus autem ibi multiplex esse eloquium Dei, ac cum Deo, per orationem, laudem, & gratiarum actionem, vel cum proximis per prædicationem, eos Dei magnalia, & fidei mysteria docendo, aut per familiarem conuersationem adinuicem de ijs quæ ad Deum, vel eius gloriam spectant. Hæc autem cùm à labiis coccineis, & ignitis procedunt, interni amoris Dei & proximi sunt indicia, nec de illis intelligitur quod ait D. Ioannes: *Fratres non diligamus verbo, nec lingua, sed opere & veritate.* Loquitur enim de verbo, & lingua frigida à decoloratis labiis procedente, quę indicium non est veri amoris, cùm opera excludat; probatio enim veræ dilectionis exhibitio est operis: at prædictum eloquium à labiis coccineis promanans, vicem habet operis, proximis valde proficui, iuxta illud Ecclesiastici. *Nonne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum meliùs quàm datum. Nonne ecce verbum super datum bonum? sed vtraque cum homine iustificato:* hoc est, quemadmodum ros è cælo veniens ardorem refrigerat, & temperat æstiuum calorem tam in hominibus quàm in herbis, ita verbum & eloquium dulce refrigerat ardorem concupiscentiæ & iræ; temperatque tribulationis, vel inopiæ æstum, qui proximum vrit, aliquandoque plus prodest quàm alia dona, & cùm oportet, plura adhibet opera: nam dilectio (ait D. Gregorius) semper exhibenda est & veneratione sermonis, & ministerio largitatis.

Iob 31.v.34
Cant.2.v.14.lib.5. exhort.27. & sequentibus actũ est de his.
1. Ioan.3. v.18.
Ex D. Greg.hom. 30.in Euãg.
Eccl.18. v.16.
Lib.21. mor.c.14.

2. Hinc est, Spiritum sanctum qui in die Pentecostes corda discipulorum igne sui amoris repleuit, non datum esse sub forma cordis ignei, sed linguę igneæ, quoniam ignis in corde accensus per linguam erat manifestandus vel orando, vel prædicando, vel cum aliis conuersando; semper tamen proferendo eloquium simul igneũ, & dulce; quia vbi amor est, nulla frigiditas, nulla intercedit amaritudo. Propter hoc etiã ignitæ linguæ non apparuerũt prope pectus, quod sedes est cordis, sed super caput, vbi mẽs viget, & sensus, ac loquendi virtus: imo sunt qui dicant (vt alibi retulimus) resedisse super os & labia, quasi se intra labia, & os insinuare vellent, vt intelligamus, per aduentum Spiritus sancti replentis corda, labia reddita esse coccinea, rutilantia, & inflammata ad loquendum magnalia Dei, & dulcia miscendo eloquia cum ipso, & de ipso. Vtrumque abundanter præstat idem Spiritus. Nam de primo ait Apostolus: *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritalibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes, &c.* De secundo verò inquit D. Lucas. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Quod per suam inspirationem etiam præbet aliis. Concessum est (ait D. Ambrosius) affari linguis omnium nationum, quæ igneæ essent, vt non esset dubium per diuinam inspirationem animis fidelium vtilem affectum, rationabilem sermonem ministrari. Meritò ergo Apostolicæ & primitiuæ Ecclesiæ Christi hoc aptamus encomium, *sicut vitta coccinea labia tua, &c.* Tribuit enim illi Spiritus sanctus illo die vittam charitatis coccineam, per quam omnium credentium ligauit corda, vt omnes essent in Christo cor vnum & anima vna. Per eamdem etiam omnes in eis vinciuit virtutes: & gratias, annectens eas charitati quę est vinculum perfectionis. Per eamdem item amoris proprij alligauit vulnera, effrænesque carnis concupiscentias, ne fœdo sanguine suo pulcherrimum charitatis coccineum colorem deturparent. Per eamdem denique omnium linguas toto orbe terrarum dispersas in discipulorum ligauit labiis, vt quilibet omnium loqueretur linguis; implens quod per Sophoniam promiserat, *reddam populis labium electum*, quia plura populorum labia in vnum reducam coccineum, & charitate igneum: omnes enim idem sapient, sentient, & loquentur: Sicut autem post diluuium vniuersa terra *erat labij vnius*, quod adeo in prima mundi creatione acceperat, sed quia hac vnitate abusi sunt, vt D. Chrysostomus, Theodoretus, & D. Gregorius perpendunt, descendit Deus, & confudit linguas eorum, in pluresque diuisit, remanente antiqua in domo Heber: Ita cùm Christus Dominus è cælo descendit vt omnia peccato damna resarciret, misit Spiritum sanctum, qui in domo Ecclesiæ omnium linguas ad vnum labium charitatis alligauit, vt omnes eius discipuli vnum haberent labium electum: & ideo labia Ecclesiæ vni vittæ tantùm assimilantur, quia ita per ardentem ligantur charitatem, vt vnum labium fiant, & vno spiritu, vnanimi corde eumdem Christum confiteantur, laudent, prędicent. Vtinam hanc vnitatem seruemus, ne per abusum sicut filij Adam, illam amittamus.

Refert Lorinus in Act.2. Lib. exhort.
Ad Ephes. 5.v.18.

Act.2.v.3.
Epist.33.
Ad Col.3. v.14.
Soph.3.v.9.
Infrà hic locus ampliùs explicatur.
Genes.11. v.1.
D Chrysostomus & Theodoretus apud Lippomanum.
D.Greg. Hom.30. in Euang. & 34. mor. c 3.

Apostolicos concionatores labia Ecclesiæ coccinea vocari. §. 3.

1. PROPTER hæc meritò D.Gregorius, Anselmus, Beda, & alii Patres labia Ecclesię vocant Prædicatores Apostolicos, & Euangelicos ministros qui fidem & Euangelium annuntiant. Priùs comparauerat eos sponsus dentibus molentibus cibum, eorum candorem commendans; nunc comparat labiis, quæ ad loquendum aperiuntur, eorum laudans ruborem. Vt sicut ipse est candidus & rubicundus, ita discipuli, qui sunt velut os eius, sint etiam candidi per mundam innocentiam, & rubicundi per ardentem charitatem, vtrumque tribuens per ignem Spiritus sancti, quem in eos effundit. Audiuimus Isaiam plorantem quòd polluta haberet labia, ad laudandum Deum & prædicandum inepta; sed mox vnus de Seraphim, qui ardentes interpretantur, de altari holocaustorum vel thymiamatis forcipe sũmens calculum ignitum, tetigit labia eius, mundauit, & ignea reddidit, ad prædicandumque idonea, nam confestim dixit, *Ecce ego mitte me*: Sic ex meritis Christi Domini in altari crucis pro nobis oblati, & ministerio ardentium Angelorum applicatur concionatorum labiis pruna candens diuini amoris, qui ea ab omni sorde mundat, & coccinea, igneaque constituit, (nam coccineus color igneus est.) Tangens autem labia, etiam corda penetrat, accendit & prompta reddit; vt quocumque ad prædicandum mittantur, illico velut fulgura tendant, sicut scriptum est, *Numquid mittes fulgura, & ibunt?*

Isai.6.v.5.
Iob 38.v.35.
Ezech.1. v.14.

2. Præterea concionatorum labia coccinea dicuntur à sanguine passionis Christi: quem potissimè loquuntur, & prædicant, iuxta illud, *Nos autem prædicamus Christum crucifixum:* & rursus, *Non iudicaui me aliquid scire inter vos nisi Christum, & hunc crucifixum.* Quem etiam Apostolorum labia in diebus Pentecostes, vt pote recenti Christi sanguine tincta, ardenter prædicabant, magistrum suum imitantes qui sæpiùs cum ipsis de sua loquebatur passione. Vnde D. Ambrosius hoc encomiũ Christo Domino applicans sic ait: „Quia in cocco species ignis, & crucis Dominicæ sanguis irrutilat coccinea labia Domini, quę passionem propriam loquebantur; & per vittam seu resticulam vinculum persuasionis agnoscimus. Quia videlicet audientes constringebat, vt eum agnoscerent; & sequerentur.

1. Cor.1.v.23.& c.2. v.2.
In Psal.118. v.18.v.4.

3. Vbi D. Ambrosius nouam causam insinuat, cur labia Apostolici cõcionatoris funiculo vel vittæ comparentur, nimirum quia munus eius est homines vincire & ligare, ad Christumque trahere flammigeris suæ prædicationis verbis, rationibus, & Scripturæ testimoniis, miraculis etiam & prodigiis, ac præclaris exemplis, nec non & beneficiis, ex rubicundo sanguine Christi pro omnium salute fuso deductis, implente Domino per illos quod promiserat per Oseam: *Traham eos in funiculis Adam, & in vinculis charitatis.* Funiculos Adam vocat, quibus comparauit labia, id est, non traham eos funibus, quibus ligantur iumenta, sed funiculis coccineis verborum, & rationum, quibus conuincuntur homines; qui etiam sunt vincula charitatis: nam ignea verba sunt ab igneo corde manantia. *Sermo meus* (ait Apostolus) *& prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, & virtutis Dei*, id est, in ostensione Spiritus sancti, qui mouet labia mea, & datur per prędicationem meam; & in ostensione virtutis tam miraculorum, quàm eximiæ sanctitatis, quę comitantur sermonem meum. His funiculis trahuntur peccatores ad Christum virtute passionis ipsius, de qua dixerat: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.*

Oseæ 11. v.4.
Iuxta LXX.
1.Cor.2.v.4
Ioan.12.

4. Hinc fit, ad Christum Dominum, qui habet clauem Dauid qua aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit, spectare duo aperire ostia, vt prædicatio fructuosè fiat; nimirum ostium labiorum, vt concionatores igneis verbis loquantur, sicut Apostoli *qui cœperunt loqui prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Deinde ostium cordium, disponendo auditores vt verbum Dei recipiant. De quo Christus Dominus suæ clauis mentionem faciens cuidam Episcopo dixit: *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere*, vt scilicet prædicatio tua in corda audientium intret. Propter duritiam enim populi solet Deus ora cõcionatorum claudere, sicut Ezechieli dixit: *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo; & eris mutus, nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est.*

Apoc.3.v.7
Act.2.v.4.
Apoc.3.v.7
Act.2.v.4.
Ezech.3. v.36.

Et tunc nullus est qui aperiat; sicut nec muto quis A
prębere loquelam valet, è conuersò autem cùm
Deus labia prædicantium aperit, nullus est qui
claudat, vel eos possit impedire. Sed audaciter di-
Act.4.v.20. cunt, sicut D.Petrus & Ioannes: *Non possumus quæ audiuimus, & vidimus non loqui.* Non dicunt, nolumus, sed non possumus: adde notandam vehemẽtem etsi suauem vim, quam illis intus inferebat Spiritus sanctus, vt loquerentur; cui nec ipsi resistere volebant, nec aduersarii poterant, iuxta illud: *Dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.*
Lucæ 21. v.15.

5. Per hoc tamen non negamus, quin etiam ipsi
Act.10. Apostolici viri, sicut de Petro & Philippo testan-
v.34. & 18. tur Actus Apostolorum, aperiant os suum ad præ-
v.35. dicandum, quatenus diuinæ inspirationi eos ad id impellẽti consentiunt. Sicut autem labia compressa suum ex parte tegunt rubicundũ colorem, B
quem, dum aperiuntur, manifestant; sic huiusmodi viri tunc suam ampliùs indicant sapientiam & sanctimoniam, cùm ex Dei impulsu sua aperiunt labia ad Dei magnalia prędicanda, iuxta illud: *Doctrinã sua cognoscitur vir*, id est, vt ait Beda, cognoProu.12. v.8. scitur eius virilis animus, & magna virtus, ac sapientia, cuius plenitudo, quæ intus latebat, foris per doctrinã prodit. Quòd maximè Christo Domino congruit, cùm *aperiens os suum* & labia sua, quæ tamdiu clausa fuerant, docebat discipulos
Matth.5. v.1. suos dicens: *Beati pauperes spiritu, &c.* Ex hac enim sua cælesti doctrina ab eius coccineis labiis procedente cognitus est tãquam vir potens opere & sermone, imo tamquam filius vnigenitus Patris plenus gratiæ & veritatis. Dixit quidam amiIob 11.v.5. cus Iob: *Vtinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi; vt ostenderet tibi secreta sapientiæ; & quòd multiplex esset lex eius, & intelligeres quòd multò minora exigaris à Deo, quàm mereatur iniquitas tua.* C
Duplex tropologicus sensus. Hoc autem Sophar desiderium bifariam videmus impletum per Christum, qui primò sua nobis aperuit labia, & arcana Trinitatis in vna Deitatis essentia, cæteraque suæ Incarnationis, & Passionis mysteria à sæculo abscondita reseruit. Et insuper multiplicem patefecit perfectionis Euangelicæ legẽ, quæ lex est charitatis multiplices continens
Matth.22. v.40. virtutes, consilia & præcepta, ligata tamen ad bi-
Deut.33. v.1. num mãdatum dilectionis Dei & proximi, à quo tamquam à cocco bis tincto lex ipsa ignea, & quasi vitra coccinea nuncupatur. Dum autem hęc nobis ostendit, etiamsi tot tribulationes & ærumnas pateremur sicut Iob, pro nihilo eas duceremus; nam maiora sunt quæ ipse pro nobis pertulit, grauiora mala, à quibus nos eruit, & gloriosiora præmia quæ promisit. Sed quia Sophar iuxta D.Tho- D
mæ interpretationem, labia Dei vocat instrumẽta per quæ nobis loquitur; quæ ipse apud Ieremiam
Ierem.15. v.19. os suum vocauit: vlteriùs Christus Dominus os suum & labia sua mystica, quæ coccinea diximus, quotidie nobis aperit; per quorum apertionem, & prædicationem eorumdem arcanorum fidem, & eamdem charitatis multiplicem legem in cordibus eorum à Spiritu sancto impressam omnibus manifestat, vt eam amplectantur, & sectentur, admirantes & venerantes diuinum legislatorem, qui tam copiosam, & cælestem eis largitus est benedictionem. Vtinam & eamdem largiatur nobis, vt digna labia eius coccinea esse possimus ad manifestandam tanti legislatoris gloriam, in sæcula sæculorum Amen.

EXHORTATIO VII.

De sacra Doctrina cum charitate, & cordis dulcedine à Prædicatoribus proponenda, & de munere Confessariorum, qui etiam sunt labia Ecclesiæ. Pro Doctoribus.

Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Versu 3.

Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua. Versu 11.

AVDATA labiorum pulchritudine ex coccineo colore, qui visum delectat, & indicat charitatem; commendata etiam vocis suauitate, & eloquij dulcedine, quæ recreat auditum, & instruit per prędicationem; vtrumque paucis interiectis encomiis, noua sponsus amplificat similitudine dicens: *Fauus distillans labia tua sponsa, mel, & lac sub lingua tua*, quam simul cum præcedenti interpretari libuit, quia maximam cum ea habet connexionem. Intelligẽda autem est de labiis vt instrumentum sunt, & osculandi & loquendi, vt sensus sit: oscula tua & amores tui erga me sunt velut dulcissimus fauus, qui iugiter distillat verba, actus, & opera testantia illos: sunt etiam sicut mel, & lac, quæ non citò transeunt, sed in te permanent; non super linguã, vel in lingua, sed sub illa, id est, sub eo quod lingua regitur, nempe sub corde. Prima expositio vocis *sub lingua tua.*

Phrasis enim ista *sub lingua* indicat in Scriptura cor, vbi absconditus latet amor, & affectus quiIta Genebr. in Psalm.9. vel 10. secundùm Hebræos v.7. uis, antequam per linguam manifestetur; quomodo de peccatore dicitur in libro Iob: *Cùm dulce fuerit in ore eius malum, abscondit illud sub lingua sua*, id est in corde suo ruminat, & meditatur malũ quod aliis per linguam infert. Ponitur ergo vox *sub lingua*, ad distinctionem veri amoris à ficto & fallaIob.20. v.12. ci, de quo Salomon ait: *Ne attendas fallaciæ mulieris. Fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius* Prou.5.v.3. *oleo guttur eius: nouissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.* Quæ sententia non solùm de meretrice, sed de quauis anima Alii legunt lingua eius acuta quasi &c. infecta hæresi, vel adulatione; hypocrisi, aut ficta amicitia intelligi valet: cuius labia videntur distillare verba dulcia sicut mel; quæ tamen, si fidem eis adhibeas, in nouissimo erunt amara sicut absynthium, & noxia sicut gladius biceps, qui animam & corpus dirè trucidat. At labia sponsæ sunt velut verus fauus distillans, nam continent sub lingua sua & in corde suo mel & lac, quod ex vero amore proferunt ad aliorum profectum sine vlla mixtione fallaciæ & mali: nutritur enim illo mel-
Isai.7. v.15. le & lacte quo nutriebatur Christus infantulus. De quo prænunciauerat Isaias: *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonum*; id est, hoc ipso testatur scire se reprobare amaros, noxiosque cibos, & eligere suaues & proficuos, cuiusmodi sunt mel & lac: quibus etiam Ecclesia suos spiritaliter nutrit & reficit filios; quod per prædicatores maximè præstat; de quibus consequenter ad supradicta, hæc verba nunc interpretabimur.

Doctrinam

Doctrinam & prædicandi modum per fauum distillantem apte designari. §. 2.

EXhortabatur sponsus dilectam suam ad vocem prædicationis emittendam, quia sibi valdè dulcis erat, vt suo loco vidimus: nunc ad
In Cant.1. summùm vsque hanc extollit dulcedinem dicẽs:
Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis. *Fauus distillans labia tua*: quid enim dulcius fauo & melle quod primorẽ dulcoris habet? Laudauerat dentes ab officio spiritalem mandendi cibum & proponendi illum; nunc qualis sit cibus explicat, cùm ait: *Mel & lac sub lingua tua*: Nec etiam dissonat (inquit Beda) sponsæ labia priùs comparari vittæ, deinde fauo, etsi hic satiando fauces delectet, illa crines vinciendo constringat: nam ijdem prædicatores & vittæ sunt in præceptis salutaribus, & fauus in promissis cælestibus: vittæ, cùm nos à fluxu carnalium voluptatum refrenant; fauus, cùm supernorum nobis gaudiorum dona promittunt: item vittę sunt in eis quæ apertè agenda, vel vitanda esse docent; fauus in illis, quæ typicè gesta vel dicta quid intus arcani salutaris habeant, pandunt.

1. Sed singula verba sponsi, quæ magna indicant mysteria, perpendamus: Fauus quidem ex cera componitur, & melle in eius cellulis incluso: cera autem, ex qua cerei seu faces cereæ fiunt, doctrinam significat ex Scriptura sacra & Euangeliis depromptam, quæ intellectum illuminat, & ad docendum & prædicandum est valdè necessaria; mel autem dulcedinem designat sapientiæ & deuotionis, aut sensus mysticos & cælestes spirituali gaudio scaturientes, qui in Scriptura latent, & dulcissimi sunt animæ cibi: propter quod PsalSacra Scriptura fauus mellis. mista vocat iudicia Domini dulciora super mel & fauum. Hinc per fauum Theodoretus intelIn hunc locum Psal. 18.v.11. git Scripturam sacram: Iam (inquit) faui mellis, qui in doctorum gestantur labiis, sunt diuinæ Scripturæ, quæ continent apes tum ceræ, tum mellis effectrices, sacros nimirum Prophetas, & Apostolos, qui per Spiritus sancti prata volitantes, & diuinarum Scripturarum constituentes cellas, easque doctrinæ melle ac nectare distendentes, vtilitatem ad nos transmiserunt, ac ceræ quidem litera videtur similis, melli verò sensus qui in ea reconditus est. Breuiùs idem insinuat
Serm.13. in Psal.18.v.7. D. Ambrosius dicens: Bonus fauus, quem manducat Ecclesia multorum Prophetarum velut apum spiritali vbertate congesta mella redolentem.
Matth.5. v.13. Labia igitur Ecclesiæ sunt fauus distillans, quoniam eius Apostolici Prædicatores Scripturas sacras benè alentes, qui sol terræ, & lumen mundi ac lucerna super candelabrum posita vocantur, dulcem doctrinam Euangelii reliquis fidelibus proponunt; per quam lumen fidei, dulcedinem cælestis sapientiæ, ardorem charitatis, & cibum spiritalem non insipidum illis distribuunt; quem ipse sponsus comedebat: & ab electis suis comeCant.5.v.1. di desiderat dicens: *Comedi fauum cum melle meo: bibi vinum cum lacte meo. Comedite amici, bibite & inebriamini charissimi.* Oportet enim Prædicatores priùs comedisse, & gustasse hunc fauum, & dulcedinem eius percepisse, vt quasi in fauum conuersi, eamdem dulcedinem quam gustarunt, aliis distillent.

2. Et hinc patet ratio, cur etsi plurima sint Ecclesiæ labia, & Euangelici operarij, tantùm dicantur vnus fauus, sicut dicti sunt vna vitta coccinea, quia nimirum omnes eamdem sacram Scripturam callent, & vnam Christi doctrinam prædicant, & ab ipso omnis veritatis fonte accipiunt quidquid aliis tradunt: & quia non sibi tantùm hæc dona accipiunt, dicuntur fauus distillans, id est, non mel retinens, & nihil effluens, sed etiam aliis impertiens: nam sicut maledictus est, *Qui abscondit frumenta in populis: benedictio autem super caput vendentium*; quod ad prædicatores refert D. Gregorius: Ita maledictus esset qui constitutus à Deo fauus Ecclesiæ, mel retineret, & prædicationis doctrinam non communicaret; benedictus autem cùm communicat, & ideo fauo stillanti assimilatur. Prou.11.v.26. 3.p. Pastor. admonit. 26.

Sed consultò non dicitur fauus effundens vel emittens, sed distillans, tum quoniam Doctor non omnem effundit doctrinam, sed aliquid reProu.29. v.11. seruat: nam teste Salomone, *Totum spiritum suum profert stultus: sapiens differt & reseruat in posterùm*; B tum verò quia accommodat se audientium captui, & paulatim quasi guttulas & stillas tribuit ijs qui nondum apti sunt ad percipiendum plura, & maiora: sicut & Christus Dominus ante aduentum Spiritus sancti doctrinam suam stillabat Apostolis, quibus dixit: *Multa habeo vobis dicere,* Ioan.16. *quæ non potestis portare modò; cùm autem venerit ille* v.12. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, etiam valdè sublimem; vt vos etiam & sublimiora opportuno tempore possitis proponere. Vtrumque modum docendi & prædicandi comprehendit Deut.32. Moyses dicens: *Concrescat vt pluuia doctrina mea:* v.2. *fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.* Vbi insinuat aliquando doctrinam, & prædicationem copiosam fore Eccles.39. sicut pluuiam, & imbrem decidentem in terram, v.9. aliquando tenuem esse sicut rorem stillantem è cælo: sed quæcumque dicantur, siue plura, siue pauca, siue suprema, siue ima; modus tamen diC cendi esse debet sicut fauus distillans, vt placidè, & dulciter verbum Dei proponatur, impetu passionis, iræ, vel furoris suppresso: nam etsi vitia acriter sint reprehendenda, non tamen ex amaritudine vel rancore, sed cum mansuetudine charitatis: vel fortè hac sententia vel solùm docet sponsus id quod ex propria propensione concionatores & pastores agere debent, nempe esse sicut fauum suauiter distillantem: quòd si aliquando necesse sit acriùs, & vehementiùs in alios inuehi, id non ex ipsis, sed quasi à contumacibus coacti præstare debent: quod insinuauit Apostolus, cùm Corinthiis dixit: *Quid vultis? In virga ve-* 2. Corinth. *niam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* 4.v.21. Ac si diceret: ego propensus in hoc sum, vt veniam in spiritu charitatis, & mansuetudinis, qui proprius est Euangelij ac ministrorum eius: at si proterui adhuc estis, cogetis me venire in virga & in spiritu terroris. Omnis enim scriba doctus in regno cælorum similis est patrifamilias, qui de thesauro suo, primò profert noua, ea scilicet quæ Matth.13. spectant ad amorem, gaudium, & præmia bono- v.52. rum; quòd si hæc nõ sufficiunt, profert & vetera, ea nimirum quæ terrorem incutiunt, dum grauissima supplicia minantur.

Doctrinæ gradus per mel, & lac sub lingua indicari. §. 2.

SEd hæc ampliùs explicantur per subiunctam 1. sententiam, *mel & lac sub lingua tua.* At quid lacti cum fauo? Fauus enim solùm distillat mel, vbera verò lac: fauus item distillat mel virgineum, &

2.Cor. 2. v.17. Ierem.23. v.14.&28.

purum, non adulteratum, nec alio liquore mixtum; cur ergo miscetur cum lacte? patet fauum, virgineum & purum distillare mel, quia Prædicatores doctrinam Euangelicam docere debent purã, & impermixtã, ab omnibusque erroribus & superfluitatibus, ac prophanis doctrinis expurgatam; non adulterantes verbũ Dei, sed ex sinceritate illud annunciantes, vt docet D. Paulus, quod & Dominus per Ieremiam monet, acriter increpans illos, qui Verbum Dei miscebant suis somniis, sicut qui triticum misceret paleis. Vnde ait in Prophetis Israël vidisse similitudinem adulterantium, & iter mendacii. Adulterabant enim verbum prædicationis, veris falsa miscentes; mendacia, & fabulas seriis.

Lib.11.c.12. idque Galenus lib. de alimentorum facultatibus & Aristot.

2.Expositio vocis *sub lingua*.

1. At mixtio mellis, & lactis satis laudata est in Scriptura, quia vtraque dulcia sunt, & abundantiam dulcedinis significant; sicut terram promissionis dicit fluere lacte & melle ad indicandam eius fœcunditatem in bonis omnibus, quæ dulcia sunt hominibus. Mysticè autem hæc coniunctio plura continet mysteria: & in primis notum est discrimen inter mel & lac, quòd mel teste Plinio, originem habet è cælo, nempe ex rore de cælo cadente super flores, ex quibus illud colligunt apes simul cum cera, quam ex eisdem floribus vel ex eorum succo carpunt, vnde fauum componunt. Lac autem è terra est, cibus enim sumptus à femina eius calore in sanguinem versus mutatur in lac; duplex ergo insinuatur genus spiritalis cibi, quod labia sponsæ distillant, & prędicatione distribuũt: aliud quod è cælo est, & Spiritus sancti dono animæ cõmunicatur, qui cælestem aliquando infundit sapientiam, sicut Apostolis in die Pentecostes, vt hoc cibo ipsi proficiant, & aliis prosint: alia verò est scientia & doctrina quę propria industria, & labore acquiritur, non tamen sine Dei numine, & auxilio præueniente, & adiuuante nos. Vtraque autem dicuntur esse *sub lingua*, id est, in promptu ad vtendum illis in proximorum commodum & salutem. Priùs autem mentio fit mellis quàm lactis, quia potiora & efficaciora sunt dona quæ à Deo gratis infunduntur, quàm quæ proprio sunt labore parta.

Serm. de Assumpt. Mariæ in fine, to.2. Idem Ricard. de sancto Victore in hunc locũ Cant. Ioan. 17. v.2.

2. Hinc alij per mel & lac intelligunt mysteria diuinitatis & humanitatis Christi Domini, quæ meditationis & prædicationis sunt materia. Mel & lac (ait Hugo de sancto Victore) Deus & homo; mel diuinitas, lac humanitas; mel de rore cæli venit, quia diuina natura supra omnia est; lac de carne exprimitur, quia humanitas de deorsum assumpta est. Hæc sponsa habet sub lingua, quia intra cor iugiter reuoluit, & per labia etiam emittit: nam hæc est vita æterna cognoscere Deum verum, & quem misit Iesum Christum, & cum vtroque miscere colloquia, de vtroque dulciter loqui, & aliorum cordibus ingerere.

3. Expositio.

3. Sed adhuc aliud latet mysterium, nam mel quidem ab apibus ore defertur ex floribus, & per os euomitur in faui cellulas: lac verò in vberibus generatur, & per eorum os, seu foramen emittitur. Vtrumque tamen sub lingua sponsæ collocatur, ad significandum, labia Ecclesiæ vtrumque simul munus obire, & oris, & vberum, ad communicandum fidelibus spiritale nutrimentum mellis & lactis. Nam & aues per ora munus vberum fungentia, pullos nutriunt, in eorumque os cibum mollem emittunt, sicut alia animalia per vbera præbent lac: nec mirum id sponsæ conuenire, quod ipse sponsus obseruat: siquidem præbens osculum oris, simul præstat lac ex vberibus; ideoque in exordio Cantici dicebat sponsa: *Osculetur me osculo oris sui, quoniam meliora sunt vbera tua vino.*

1.Cor.3.v.2 Ad Hebr. 5.v.12. Ad Hebr. lect.2. Lib. de corona militis c.3. Dialogo contra Luciferianos. Ad Hebr. 5.v.14. Ad Coloc. 1.v.18.

4. Per hæc igitur indicatur, Pastores & Prædicatores Euangelicos, magistros esse, & matres ac nutrices omnium fidelium, siue sint sapientes vel insipientes; adulti, vel paruuli, qui solido vescuntur cibo, vel indigent lacte: ideoque sub lingua sua continent mel & lac: hoc quidem propter paruulos, & adhuc rudes, qui indigent doctrina facili, clara, & illis proportionata, sicut Apostolus ait: *Tamquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis*: Et rursus: *Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ*, subaudi perfectæ & consummatæ. *Perfectorũ autem est solidus cibus.* At hîc significatur per mel, quod primatum dulcoris habet. Hæc autem differentia (vt perpendit D.Thomas cum D. Augustino) non est in mysteriis fidei; quasi alia sint tradenda maioribus, alia minoribus: eadem enim est omnium fides, ijdemque articuli omnibus proponuntur crēdendi, etsi ad Trinitatem & Incarnationem pertineant, quæ omnium sunt profundissima; ad quod significandum olim, vt referunt Tertullianus & D. Hieronymus, baptizatis tribuebatur simul mel & lac: cæterùm paruulis ac imperfectis tantùm sunt breuiter & leniter explicanda, vt ea fide explicita credant & percipiant, & tunc vocantur lac: subtiliora verò & magis arcana mysteria, si radicitus eis explanarentur, obruerent illos; sunt enim velut panis & solidus cibus, qui infantibus noceret, sed adultis proficeret; & ideo hæc reseruantur perfectis, qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali, perfectumque possint de diuinis formare iudicium. Licèt autem exhibitio lactis prior sit in executione; sicut priùs est esse paruulum quàm adultum; tamen priùs meminit mellis, quàm lactis, cùm ait: *mel & lac sub lingua tua*, quoniam exhibitio mellis prior est in intentione; ad hoc enim tendit omnis prædicatorum, & doctorum eruditio, vt homines perfectos reddat, & solidioris cibi capaces, sicut idem Apostolus testatur dicens: *Docentes omnem hominem perfectum in Christo Iesu*; vbi suam exprimit intentionem & desiderium, prædicatores mouens vt semper ad id, quod excellentius est, mentem dirigant.

1.Petri 2. v.2. Caut.5.v.1. Isai.55.v.1.

Sed vltra hoc etiam hîc insinuatur, ita tractanda esse maiora mysteria, vt non omittantur minora. Et cùm prouectioribus necesse est sublimia proponere, nonnulla etiam tradantur quæ paruulis prodesse possint, ne ipsi ieiuni maneant. Ipsis etiam paruulis incumbit ad perfectiora semper anhelare, etsi enim à principio illud obseruare debeant, quod D.Petrus ait: *Sicut modò geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem*; tamen concupiscere debent citò crescere, vt mel & vinum seu solidiorem cibum possint gustare, siquidem omnibus inquit sponsus, *Comedite amici, bibite & inebriamini charissimi*: comedite inquam, fauum cum melle, & bibite vinum cum lacte, sicut & Isaias omnibus ait, vt accipiant vinum & lac.

5. Sed numquid qui aliis mel & lac præbet, ipse sibi seruare non debet? & qui aliis cibum præstat, ipse ieiunus manebit? Minimè quidem; cùm spõsus vt iam vidimus, priùs se comedisse fauum cum melle, & bibisse vinũ cum lacte dicat, quàm ea

In hunc locum.

ea aliis ad refectionem præbuerit. Quod phrasis ista subtiliter indicat, commendat enim labia à duobus, scilicet ab eo quod foris stillant, & ab eo quod intus continent, id autem stillant foris, quod retinent intus, nempe mel & lac, quæ cum sint subtus linguam, etiam intra labia continentur, quorum dulcedinem, lingua cui inest gustãdi sensus non potest non percipere: sic etiam Euangelici prædicatores ex duplici capite commendantur: primò quidem ex vera, sana, puraque doctrina, quam populis stillant; sed quia ex abundantia cordis os eorum loquitur: secundò cõmendantur à melle & lacte perfectæ sapiẽtiæ, & sanctitatis, quam intus retinent: In quo (inquit D.Gregorius) sancti ab impijs secernuntur, quòd hi mel in lingua portant quod sub lingua non habent, quia cælestia gaudia aliquando prædicant, cùm ipsi terrestria bona totis desideriis appetant: illi autem etiam sub lingua reseruant, quia internam dulcedinem assiduè secum portant: qua etiam de causa priùs dicuntur labia sicut vitta coccinea, quàm vocetur eius eloquium dulce, quoniam se ipsa ligare sciunt, vt ea gustent quæ intra se habent: & mel ac lac intra se receptum cautè sibi seruent, tempore verò opportuno aliis dulciter impertiant.

Cant.5.v.13. Lib.8.exhort.16.

Sed hoc nobis non modicam inferre potest difficultatem, quòd labia sponsæ distillent mel, cùm tamen ipsa dicat labia sponsi distillare myrrham primam: myrrha autem amaritudinem habet, quæ contraria est melli: numquid vtriusque labia sunt sibi aduersa? absit. Imò, quis dubitet labia etiam sponsæ myrrham distillare, cùm prædicatores sæpè sæpiùs multa amara prædicent, nimirum pœnitentiam, sui abnegationem, & baiulationem crucis: at quomodò hæc cum melle & lacte cohæreant, fusiùs explanabimus, cùm de ipsis Christi labiis differemus, qui ista duo mirabiliter coniunxit. Propter quod labia eius simul vocantur *lilia distillantia myrrham primam*. Scit enim cælestis magister suauitatem & blanditiem lilij cum amaritudine & asperitate myrrhæ coniungere, suisque ministris eamdem virtutem conferre, vt ea, quæ amara sunt carni sicut myrrha, per prædicationis gratiam spiritui fiant dulcia sicut mel & lac.

Quomodò confessarij sint labia Ecclesiæ. §. 3.

Ioan.10.v.23. Matt.18.v.18. Lucæ 10.v.34.

1. Quæ hactenus diximus de concionatoribus, non incongruè aptari possunt confessariis, quos labia Ecclesiæ appellare non dubitarem; siquidem quod illi multis annunciant, hi sigillatim singulis peccatoribus proponunt. Quadrat autem in illos triplex adducta similitudo satis egregiè: sunt enim, *sicut vitta coccinea*, quia officium habent ligandi atque soluendi, & remittendi peccata, ad quod accipiunt Spiritum sanctum, vt illud ex charitate & zelo salubriter gerant: & præterea coccinea sunt, quia per verba absolutionis sanguinem Christi in remissionem peccatorum applicant, gratiam & charitatem infundunt, qua ab illis mundant; vitta verò, quia eos semper ligant ad opera satisfactionis; nam dum gratis remittunt pœnam æternam, vim habent ligandi ad temporalem, & ad cætera quæ saluti pœnitentium necessaria sunt: de iis enim dictum est, *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* At insuper instar Samaritani ligant peccatorum vulnera conuenientibus remediis adhibitis vt ea sanent: Sacerdos enim audita confessione alligat vulnera, cùm per verba absolutionis gratiam cõfert, quę peccatorum fœdum profluuium constringit, & expellit; infundit oleum, & vinum, cùm eadem gratia & charitate animam vngit, & lauat, vt perfectè sanam reddat: qua etiam de causa D.Gregorius prædicatores assimilat canibus lingua sua Lazari vlcera lingentibus: Canum (inquit) lingua vulnus dum lingit, curat, quia & Doctores sancti, cùm in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam tangunt, & quia nos loquendo à peccatis eripiunt, quasi tangendo vulnera ad salutem reducunt.

Hom.40. in Euãg. Lucæ 16 v.21. Psal.50. v.10.

2. Quia ergo cuncta hæc cõfessarij loquẽdo efficiũt, subditur, *eloquiũ tuũ dulce*: quid enim dulcius quàm eloquium istud, *Ego te absoluo à peccatis tuis?* Breue verbum, sed iucundum, quia breue est, sicut vitta quæ dispersa constringit, quia iucundum auditui nostro dat gaudium & lætitiam, & per ipsum exultant ossa humiliata, reuirescitque animus pœnitentis, cùm auditu percipit illud.

3. Hinc etiam labia sacerdotum, dum hæc proferunt verba, sunt distillantia myrrham primam, id est primam gratiam, quæ est gratia iustificationis omnium peccatorum corruptionem sanans; imò & mortuis vitam restituens. Sed vltra hoc etiam distillant myrrham, cùm salutaria monita, & consilia pœnitentibus præbent, vt effrænes passiones cohibeant; & à corruptione deinceps pręseruant, ne in eadem peccata iterum relabantur, & peius aliquid illis contingat.

Lucæ 8.v.55. Marci 5.v.43. Isai.7.v.15.

4. Sed quoniam confessarij munus non solùm est à peccatis eripere, sed ad virtutes etiam exhortari, velut peritus medicus, qui morbum lethale curat, & infirmo regimen præbet, quo citò conualescat, & opera sani peragat: ideo labia eius etiam dicuntur fauus distillans, & mel ac lac sub linguam habere, quatenus multiplex nutrimentum spiritale præparatum habet, vt exhibere valeat vnicuique idoneum: cùm enim Christus suscitauit puellam defunctam, mox iussit parentibus vt illi darent manducare, ad significandum ita per gratiam mortuos suscitari, vt indigeant nutrimento bonorum operum; maximè autem Eucharistiæ, vt vitam acceptam seruent, augeant, & perficiant: hoc autem spectat ad confessarios, qui tamquam parentes spirituales pœnitentis resuscitati, mel & lac debent illi præbere, vt deinceps sciat reprobare malum & eligere bonũ. Sed notandũ valdè quòd cùm Christus Dominus tres mortuos suscitauerit, non iussit cibum dari adolescenti, nec Lazaro iam adulto, sed tantùm puellæ duodenariæ, quæ in domo parentum erat, quoniam licèt omnes resuscitati cibo indigeant spiritali vt vitam seruent, tamen adulti & prouecti possunt illum quærere; & suo labore etiam inuenire: at paruulis statim offerendus est cibus, ne deficiant, quia non satis per se ipsos illum poterũt inuenire. Quare propter hos maximè dicitur confessarijs, vt dent illis manducare ex melle & lacte, quæ sub lingua habent, & cibus sunt paruulorum.

Lib.15.moral.c.5.

5. Denique quoniam omnia, quæ confessarii tractant, in occulto & secreto fiunt mel, & lac non in lingua, vel super linguã (quod ad publicã locutionem spectat) sed subtus linguam continere dicuntur, non solùm cùm secretò pœnitentes instruunt, sed etiam cùm eos acriter increpare necesse est: quod sic perpendit D.Gregorius: Pleri-

quæ iustorum, dum quosdam agere peruersè conspiciunt, qui duris sunt increpationibus feriendi, linguę asperitatem sumunt, sed sub lingua mentis suæ benignitatem contegunt. Vnde sanctæ Ecclesiæ voce sponsi dicitur: *Mel, & lac sub lingua tua*: qui enim mentis dulcedinem aperire infirmis nolunt, sed loquentes quadam eos asperitate feriunt, & tamen inter verba aspera quasi latenter quiddam dulcedinis intermittunt; hi videlicet non in lingua, sed sub lingua habent dulcedinem, quia inter dura quæ proferunt, emittunt quædam blanda, & dulcia, quibus mens possit ex benignitate refoueri. Hæc ille. Vtinam Deus omnibus suis ministris hanc largiatur prudentiam, vt opportuno tempore myrrham ad sanandum distillent, ac mel, & lac sub lingua retineant, vt corripientes infirmos in spiritu lenitatis ne ipsi tententur, illos perfectè sanent ad gloriam omnipotentis Dei in sæcula sæculorum. Amen.

Ad Gal. 6. v. 1.

EXHORTATIO VIII.

ProRogationibus & Domi. V. post pascha.

De orationis seu locutionis cum Deo tam mente quàm voce, eximia excellentia, efficacia & dulcedine.

Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.

Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua.

MAGNVM est rectè & magnificè de Deo loqui, sed longè maius dignè & amicè loqui cum eo, sicut sponsa cum sponso, filius cum patre, & amicus cum amico; quemadmodũ Moyses (quod summum eius encomium fuit) loquebatur cum Domino, & Dominus cum eo facie ad faciem, & os ad os, sicut solet homo loqui ad amicum suum. Quis (inquit D. Chrysostomus) non obstupescat & admiretur tantam benignitatem ac beneuolentiam, quam in nos homines declarat Deus, qui mortalibus tantum honoris largiatur, vt dignos nos habuerit, qui cum ipso colloquamur, nostraque vota apud ipsum deponamus? Angelorum opus est deprecatio superans interim etiam illorum dignitatem, & maiestatem. Et paulò infrà: Hæc te separat à mutis animantibus, hæc te sociat Angelis: quin facilè fiet, vt quis in illorum ciuitatem transferatur, in illorum vitam, & consortium, ad illorum honorem, nobilitatem, sapientiam, & intelligentiam, qui per omnem vitam precibus, & diuino cultui vacare studuerit. Quid enim possit inueniri sanctius his, qui cum Deo commercium habẽt? quid porrò iustius? quid ornatius? quid sapientius? Etenim si qui cum sapientibus viris colloqui solent, propter assiduam consuetudinem breui sic transmutantur, vt illorum prudentiam referant, quid dicere conuenit de iis, qui cum Deo colloquia miscent, ei sua vota deferentes? Quanta sapientia, quanta virtute; quanta prudentia, quanta bonitate, quanta morum æquitate replet illos precatio & obsecratio? Proinde nequaquam aberraret à vero, si quis affirmet deprecationẽ esse causam omnis virtutis & iustitiæ, neque quicquam eorum, quæ conferunt ad pietatem, venire posse

Exod. 33. v. 11. Num. 12. v. 7. Lib. 1. de orando Deum.

Lib. 2. de orando Deum.

A simili. Prou. 13: v. 20.

A in animum, cui non adsit deprecatio, & obsecratio. Hæc & alia plurima os aureum, vt orandi studium magnificamus, totisque viribus amplectamur & sectemur: Nam hoc ipsum (inquit) euidẽtissimum est argumentum amentiæ, non intelligere magnitudinẽ huius honoris, nec amare deprecandi studiũ, nec hoc habere persuasum quòd animæ mors sit non prouolui ad Dei genua. Quòd si ij qui cum Cæsare familiariter colloquuntur, non possunt esse pauperes; quomodò fieri potest vt anima cum Deo familiariter colloquens non sit valdè diues? Si enim nec rogantes, nec postulantes tanta Deus misericordia quotidie prosequitur, ac refocillat, innumera nobis conferens beneficia, quantis bonis fruentur qui omnem vitam precibus & orationibus vacant? cùm ipse sine vllo limite dixerit: *Petite, & accipietis*: &: *Omnis qui petit accipit*. Propter hæc igitur B Deus sponsæ suæ labia, quibus cum ipso loquebatur, maximè extollit, & duabus prædictis similitudinibus ita eorum commendat suauem pulchritudinem, vt simul vim orationis & diuinæ allocutionis insignia egregiè depingat.

"

Lib. 1. de orando.

In lib. 2. ad med.

Matth. 7. v. 7. Lucæ 11. v. 9.

Deum largiri, & aperire labia ad orandum. §. 1.

ET quidem, cùm tam eximia sit labiorum excellentia, de quibus Psalmista inquit: *Labia mea laudabunt te, & exultabunt, cùm cantauero tibi*; certum est animam ex se ipsa ea habere non posse, sed ex gratuito dono Dei, qui dixit: *Tunc reddam populis labium electum vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno*. Labium electum vocat, quod verè, & ex corde inuocat nomen Domini, & eius laudibus decantandis mancipatur. Dicit autem labium, & non labia, quia eadem est omnibus fidelibus orandi forma ex eadem fidei C & charitatis radice procedens, vt omnes vnanimes, vno ore honorificent Deum, & patrem Domini nostri Iesu Christi, eique seruiant humero vno, voluntate concordi, & eiusdem generis cultu.

Psal. 62. v. 4 & Psal. 70. v. 13. Sopho. 3. v. 9. In exhort. 6 aliam expos. attulimus.

Ad Rom. 5. v. 6.

. Vnde etiam ad Deum spectat hæc labia aperire, vt cum ipso loquamur, sicut & Dauid testatur, cùm ait: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam*. Nam si Deus non aperit, clausa manebunt: ideoque illi Mardochæus dicebat; *Ne claudas ora te canentium*: Et Psaltes; *Benedictus Deus qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me*: Habet enim Christus Dominus etiam quantùm ad hos actus clauem Dauid, & aliquando claudit labia, ob ingentia hominum peccata, & duritiam cordis, permittens linguam eorum adhærere palato, & os quasi mutum esse ad oran- D dum: & tunc nemo est qui aperiat; at si ipse aperit, nemo est qui claudat, quia virtus eius infinita, & sapientia, aperit os mutorum, & linguas infantium facit disertas ad laudandum nomen sanctum Dei, & victricem dexteram eius.

2.

Psal 50. v. 17. Ester. 13. v. 17. Psal. 65. v. 19. Apoc. 3. v. 7

Sap. 10. v. 21.

Hæc autem clauis inspiratio est Spiritus sancti, quæ hominem præuenit, voluntatemque eius excitat, & mouet, vt velit orare, ac intellectum dirigit, vt rectè oret, affectusq; immittit, qui orationem feruentem reddant: quoniam nos, *quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Postulat autem, quia ad postulandum mouet, & postulare nos facit quid, vbi, & quando, ac quomodò oporteat: cuncta enim hæc ex Spiritus sancti inspiratione procedunt, quem nobis per Zachariam Prophe-

Ad Rom. 8. v. 26.

Zacha. 12. v. 10.

tam

Ex D. Aug. epist. 105. propè med.

tam pollicitus est dicens: *Effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ & precum*. Domus Dauid cœrus est Prælatorum, qui Ecclesiam gubernant, habitatores verò Ierusalem reliqui sunt fideles qui illis parent; & sicut omnibus offertur spiritus gratiæ, & sanctificationis, quo à peccatis mundentur; ita & spiritus precum, quo rectè orent, & gratiam impetrent, si tamen spiritui inspiranti cooperari velint.

A cuntur esse, *sicut vitta coccinea*. Primò quidem, quoniam oratio vocalis instar vittæ ligat & constringit verba, ne plurima sint, & superflua; nec tamen ligat ex inscitia, aut incuria, sed ex affectu accensæ charitatis, quæ secum quasi ligatos affert commemoratos actus, & etiam reuerentiæ, fiduciæ, resignationis, & aliarum virtutum affectus, vt omnes simul precem fundant breuem, sed flammigerã, seruando quod Saluator ait: *Orantes nolite multum loqui, sicut ethnici: putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur: Nolite ergo assimilari eis; sit enim pater vester quid opus sit vobis antequàm petatis eum*: Quod sic explicat D. Augustinus: Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus: nam & de ipso Domino dictum est quòd pernoctauerit in orando, & prolixiùs orauerit, vt nobis præberet exemplum. Absit autem ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Nam multum loqui est in orando rem necessariam superfluis agere verbis; multum autem precari est eum quem precamur diuturna cordis exultatione pulsare: nam plerumque hoc negotium plùs gemitibus, quàm sermonibus agitur: plùs fletu quàm affatu: hinc est orationem Ecclesiæ non dici multiloquium, etsi longa sit, quia non ex infidelitate prouenit, sicut ethnicorum precatio, nec superfluum aliquid continet, nec adhibetur ad manifestandum Deo quod ipse nesciat; sed ad nos ipsos excitandos, vt dignè id quod nobis expedit postulemus. Cæterùm priuata oratio vt vitta coccinea est, nam quantò vehementior est internus affectus, tantò sermo externus solet esse concisior. Sicut cùm beatissima Deipara orauit dicens: *Vinum non habent*: Et sorores Lazari: *Ecce quem amas infirmatur*. Et leprosus: *Si vis, potes me mũdare*. Imò ipse Christus Dominus tam in horto quàm in cruce, cùm proprio cruore corpus rubebat, & cor charitate flagrabat, labia ostendit instar vittæ coccineæ, paucis verbis, sed ardentibus orans: & forma ipsa orandi, quam omnibus fidelibus reliquit, septem petitionibus conclusam, breuis est, sed affectibus copiosa, vt meritò coccinea vitta vocari queat.

Quomodo texanda sint verba in oratione

Matth. 6. v. 7.

Epist. 21. ad Probam c. 9

Lucæ 11. v. 13.

Ioan. 2. v. 3. Ioan. 11. v. 3.

Adeo autem solet internus affectus excandescere, vt linguam liget, & solum cor vehementiùs oret, sicut de Anna inquit Scriptura, *Loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur*. Motus enim ille labiorum ex vehementi cordis affectu procedens articulatam vocem non promebat foris, sed totum negotium agebat intus; ideoque Heli videns tantùm ea quæ parent, non orantem sed ebriam credidit; Deus verò orantem & ebriam, non quidem à vino, sed à feruore spiritus, qui ita eam orare compellebat. Hos ebrios exaudit Deus; *Quia desiderium pauperum exaudiuit Dominus*; non quos fœcundi calices vanitatis fecerunt multiloquio disertos; quia scriptum est: *Non paream ei verbis potentibus, & ad deprecandum compositis*. Quia per hoc (ait D. Gregorius) quòd verba potentia, & ad deprecandum composita referuntur, apertè inanitas orationis ostenditur. Veraciter namque orare est amoris in punctione gemitus, & non composita verba resonare. Deficiente enim affectu etiam languescit oratio: quod confirmat sententia D. Augustini in id Psal. *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus*. Frigus (inquit) charitatis silentium est cordis, flagrantia charitatis clamor cordis est: Si

1. Psal. 10. v. 16. Iob 41. v. 3. Lib. 33. mor. c. 21. Psal. 37.

Oratio alia mentalis, alia vocalis Lib. 1. de fide c. 24. Serm. 230. de temp.

D. Tho. 2. 2. q. 83. ar. 4. Lib. de oratione à principio, & dum exponit orationẽ Dominicam.

semper manet charitas, semper clamas: tacebis, si amare destiteris. Vnde charitati firmiter permanenti exauditio promissa est, cùm dicitur: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis & fiet vobis.* Ioan.15.v.7

3. Sed alia hinc oritur orationis excellentia, quia sicut vitta ligat capillos, ita (ait Richardus) ardens Christi amor omnes ligat cogitationes, ac meditationes, ne diffluant in vana, & inutilia, imò neque in plura, & varia, etsi bona: si tamen præsenti orationi non sunt consona, Propter hoc enim dicitur: *Lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam*, (Psal.34.v.18) ad significandum cogitationes & verba non discrepare, sed intellectum & linguam vnanimiter ad orandum & laudandum Deum conuenire; quam concordiam amor efficit. Vnde si labia sunt coccinea, ligatas secum trahunt intellectus considerationes, vt ferantur in dilectum, cum quo loquuntur. Propter quod inferiùs dicitur: *Comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus*: (Cant.7.v.5.) Nam sicut regia purpura vincta est canalibus, vbi suum splendidum colorem recipit, ita comæ cogitationum vinctæ sunt Christo, suo purpureo sanguine tincto, à quo etiam labia, sicut vitta coccinea nuncupantur, quia comæ & labia cogitationes & verba in eumdem feruntur Christum, cui semper vniri gestiunt. Sed de hoc plura in suo loco. (Lib.9. exhort.16.)

De mira efficacia orationis ad ligandum Deum variis modis. §. 3.

1. HInc præclarior apparet orationis virtus, quæ instar vittæ coccineæ Deũ miris modis ligat, & trahit ad orantem, eumque cum ipso per intimam vnionem & familiaritatem coniungit. Non ligatur inuitus, sed volens, quia ipse suis se verbis & promissionibus ligauit, pollicens daturum se nobis, & spiritum suum petentibus illum: vnde & hic est huius encomii sensus: tam eximia est tuorum labiorum pulchritudo, vt me rapias ad te, & quasi vitta coccinea me tecum liges. Nam sicut Deus trahit nos ad se ligatos in funiculis Adam, & in vinculis charitatis; ita trahimus illum ad nos ligatum funiculo coccineo dilectionis, & orationis, vt præbeat nobis seipsum, & quidquid secundum voluntatem eius petierimus ab eo. O stupenda orationis vis, quæ ligans

2. Deum, ligat cum ipso omnia dona ipsius! Nonne Iosue per orationem ligauit solem, & lunam in cælo, dicens: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Acalon*, (Iosue 10. v.12.) moxque steterunt sol & luna quasi ligati in eodem puncto cæli, vbi tunc erant, *Obediente Domino voci hominis?* Numquid Elias non ligauit rorem, & pluuiam in nubibus, cùm dixit: *Viuit Dominus in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba?* (3.Reg.17. v.1. & c.18. v.45.) Et rursus ligatas nubes soluit, cùm per orationẽ pluuiã impetrauit. (Iacobi 5.v. 17.) Quid D. Iacobus ad vim orationis magnificandam in exemplum adducit? Daniel item oratione ligauit, & conclusit ora leonum, (Daniel.6. v.22.& c.3. v.50.) ne ei nocerent: tres pueri in fornace Babylonis ligauerunt virtutem ignis, ne eos combureret; (Ionæ 2.v.1.) sicut & Ionas in ventre cete igneum calorem ventriculi, ne eum absumeret. Sed quid mirum quòd oratio liget furorem leonum & ignium, quæ ligat furorem Dei? Nisi enim ligatus esset oratione Moysis, non diceret ei: *Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos.* (Exod.32.v. 10.) Ipsas etiam effrænatas passiones carnis, quæ instar

A ferarum insurgunt contra spiritum, vt eum mordeant & lacerent, oratio ligat, & coërcet, ne ei noceant, sed spiritui inseruiant. Tandem furibundum aduersarium diabolum, qui tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, oratio ligat. Dixit quondam Dominus ad Iob: *An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Numquid illud es ei, quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?* (Iob 40 v. 20.& 24.) Homo quidem suis viribus id nequit, at funiculo orationis coccineo ligat linguam eius, ne peruersa intus loquatur; aut saltem inanes reddit eius suggestiones; vt quamuis non impediatur sensus, ligantur tamen ne extorqueant consensum. Nec hoc tantùm viri, sed ancillulæ efficiunt, quia oratio omnibus contra diabolum virilem præbet animum, & ingentem fortitudinem, vt eius vires confringant, & de ipso B triumphent.

Denique oratio vitta dicitur coccinea, quia ligat per amorem diuina cum humanis, summa cum imis, & cum voluntate Dei voluntatem orantis, vt idem sit vtriusque velle, & nolle; ipsam etiam carnem ligat cum spiritu, & facultates animæ inter se, vt vnanimiter ad orandum conueniant, imò & ad rectè etiam operandum. 3. Propter hæc D. Chrysostomus orationem vocat animæ neruos, qui cæterorum membrorum ligamen sunt & nexus: (Lib.2. de orando Deum to.5.) Quemadmodum (inquit) corpus neruis cohæret, currit, viuit, stat & compactum est, adeò vt si neruos incideris, vniuersam corporis harmoniam dissolueris: Itidem animæ per sanctas preces sibi constant, & compinguntur, ac pietatis cursum facilè peragunt: Neruus femoris C emarcuit in Iacob, cùm orabat Angelum, sed fortior quàm antea permansit; quia oratio eneruat carnis concupiscentias, sed spiritui neruos addit.

4. Præterea sicut vitta coccinea pulchrum olim erat ornamentum virginum, ita oratio pulchrum & pretiosum præstat ornamentum animæ, indiciumque est eximiæ sanctitatis, quæ latet in illa: Si vestitus hominis (inquit idem Chrysostomus) si pedum incessus, si risus dentium declarat qualis sit, quemadmodum sapiens dixit, (Lib. 1. de orando Deum. Eccles.19. v.27.) multò magis deprecatio, cultusque Dei signum est totius iustitiæ, cùm sit ornatus spiritualis ac diuinus multam pulchritudinem ac decorem concilians mentibus nostris, dum vniuscuiusque vitam componit, nec sinit quicquam sordidum, aut absurdum dominari D animo, dum persuadet revereri Deum, & honorem quem illi debemus præstare: dum docet vniuersam mali spiritus imposturam reiicere, turpes & absurdas cogitationes profligans: Denique dum cuiusque mentem constabilit, in contemptu voluptatum. Hæc ille. Felix qui oratione ornatur, per quam tot bonorum particeps efficitur.

5. Sed nouum perpende coccineum ligamen deprecationi annexum, propter vota Deo in ea exhibita, quibus nos propriis labiis & verbis ligamus ad aliquid præstandum gratum Deo, siue ad mouendum ipsum vt quod postulamus largiatur, siue in actionem gratiarum pro iam obtento beneficio; (De votis religiosis.) sicut Anna Samuelis mater, vt D. Gregorius obseruat, *Cùm esset amaro animo, orauit ad Dominum flens largiter, & votum vouit dicens, &c.* (1.Reg. 1. v.10. Ibidem.) Ad quod exhortatur Oseas Propheta dicens: (Osee 14.v.3)

Tollite

Tollite vobiscum verba & conuertimini ad Dominum; & dicite ei, Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum. Non ait, tollite armenta boum, vel agnorum greges, aut similæ mensuras: sed, tollite verba confessionis, & laudis, precis & gratiarum actionis, & vota labiis vestris expressa, quæ sunt velut vituli ipsis labiis iugulati, & immolati, quatenus per ea propriam iugulamus voluntatem, vt iam non liceat quod antea licebat. (Ex D. Chrysost. hom. cùm presbyter esset designatus.) Cùm igitur labia sponsæ vittæ coccineæ comparantur, non solùm laudatur de precibus, sed de votis, quibus se ligat, vt dilecto placeat: maximè autẽ de iis, per quæ fortiùs cum ipso dilecto ligata manet, cuiusmodi sunt Religiosorum vota ex ardenti Christi amore præcedentia, quæ etsi plura sint, vna dicũtur vitta, quia vnicum est institutũ, ad cuius obseruãtiam per ea ligãtur. Huiusmodi autem precatio non potest non esse accepta & celeriter exaudita, sicut scriptum est: *Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius*, (Psal.20.v.3.) id est, quam labiis & verbis expressit, *non fraudasti eum.*

De deuotione & dulcedine orationis mentalis & vocalis. §. 4.

AMplificat orationis laudẽ quod de ea mox subditur, *& eloquium tuum dulce.* Et autem oratio dulcis & ipsi Deo ad quẽ dirigitur, ac ipsi animæ quæ orat. Vtrumque coniunxit Dauid dicens: *Iucundum sit ei eloquium meum, ego verò delectabor in Domino.* (Psal. 103. v. 34. & Psal. 146. v.1.) Et iterum: *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus, Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio.* Diximus de vtroque multa in libro 5. (Lib.5. exhort.28.) circa id, *Vox enim tua dulcis.* Sed multò plura insinuat altera sponsi laus, *Fauus distillans labia tua sponsa; mel & lac sub lingua tua.* Quibus verbis eleganter explicatur dulcedo, vtilitas, & honestas orationis tam mentalis quàm vocalis: hanc designant labia sicut fauus distillans, illam mel & lac sub lingua latens. Labia ergo orantis fauus sunt, non aridus, sicut cera nuda sine melle, sed melle plenus, illudque stillans iugiter, dulces proferens psalmos, suaues hymnos, & spiritalia cantica ipso melle dulciora, quo illorum oratio condemnatur, quæ solis verbis fit sine vllo mentis affectu, & interno gustu, quæ arida est & sicca, velut fauus post mel expressum, in quo sola insipida cera manet: propter quod D. Bernardus psalmorũ canticum commendans ait, mel in cera deuotio in litera est, alioqui litera occidit, si absque spiritus condimento glutiatur: (Serm.7. in Cant.) de quo intelligi potest quod inquit Apostolus, *Si orem lingua spiritus meus orat: mens autem mea sine fructu est*: (Idem D. Bonau. processu 7. religionis c.11.) Quoniam per orationem, quæ sola voce & flatu spiritus seu aëris fit, mens non percipit internam refectionem, nec mellis ac lactis spiritalem dulcedinem.

Cuiusmodi sunt orationes multorum, qui Deũ labiis honorant, laudant, psalmis & canticis glorificant; quia tamen cor eorum longè est ab ipso, in illam ruunt maledictionem quæ scribitur in libro Iob, *Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis & butyri.* (Iob.10.v. 17.) Execratur enim Dominus eorum orationes & laudes, in quibus cor & labia discordãt; & ideo per Amos inquit, *Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam.* (Amos. 5. v. 23.) Nam sicut voces canentium, & citharæ fides cùm consonę sunt, & accordes, suauem concentum & harmoniam faciunt: cùm autem dissonæ, & discordes potiùs molestiam ingerunt, quasi tumultus confusus vociferantium: sic cùm vita dissonat orationi, & cor linguæ, cogitatus verbis, ingrata

A est, & insuauis oratio, ac quasi molesta Deo: *Quoniam non est speciosa laus in ore peccatoris, & dona iniquorum non probat Altissimus.* (Ecclesi.15. v.9.& 34. v.23.)

2. At cùm cor & lingua consonant, oratio est sicut fauus dulce mel distillans, vnde verba fluunt non præcipitanter, impetuosè, & nimis celeriter, sed modestè, tranquillè, placidè, & paulatim, veluti stillæ mellis à fauo decidẽtes. Hoc enim tum ad reuerentiam diuinæ maiestatis, cui loquimur, tum ad animi deuotionem valdè cõfert: vel guttatim mel profuit, quoniã breuiter, sed frequenter oratio prodit iuxta morem monachorũ Ægypti quem referunt. D. Augustinus, & Cassianus, (Epist.121. ad Probam c.5. lib.1. de inst. renunciat. c.9. & collat.9. c. 25.) qui vtilius putabant breues orationes, sed creberrimas fieri, ne immorantibus aliquid insidiator inserat cordi, quod maculet illas, sed standum est vsui Ecclesiæ laudatissimo, qui longiores commendat orationes in horis canonicis, quas tamen B proferre possunt labia quasi mel distillantia, si attentè & tranquillè dicantur, psallendo vt inquit Dauid, *Deo nostro sapienter*, id est, cum cordis intimo sapore. (Psal.46.v.8.) Nam, vt dicit D. Bernardus, cibus in ore, psalmus in corde sapit: sapor autem, & dulcedo cordis potest ex Dei gratia esse diuturna, ac iugis distillatio; (Serm.7. in Cant.) siquidem omnibus dicitur: *Oportet semper orare & numquam deficere.* Et: *Gaudete in Domino semper.*

Ceterùm sicut fauus compressus vberius distillat mel, ita iustus, cùm aliqua premitur necessitate, angustia vel tribulatione, non solùm distillat, sed effundit orationẽ, & longiores emittit preces, ac feruentiores; sicut dicebat Dauid in afflictione constitutus: *Effundo in conspectu eius orationẽ: & tribulationẽ meã ante ipsum pronũtio*: (Psal.141.v.3) & Christus Dominus: *factus in agonia prolixiùs orabat*: (Lucæ 22. v. 43.) imò multoties. Ideo Deus has tribulationes permittit, vt frequentiores & prolixiores, ac ardentiores emittan- C tur preces; sicut de Anna iam dictum est, & de Iona in ventre piscis, cùm dicebat: *Dum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, vt veniat ad te oratio mea.* (Ionæ 2.v.2. & 18. Idem Psal. 119. v.1. & Psal.17.v.7.)

3. Huiusmodi autem diuturna perseuerantia in oratione maximè splẽdet in mentali, de qua dicitur, *mel & lac sub lingua tua*, id est, in corde & mẽte tua iuxta suprà dicta, sæpè enim oratio incipit à voce, & postea lingua tacente cor diutiùs manet orando, quomodò Christus Dominus in horto cœpit orare dicens: *Pater si fieri potest, transeat à me calix iste, &c.* (Matth. 26. v.39.) Et postea mente per horã permansit ruminans intus cõcisa verba, quæ protulit foris; sicut etiã de illo dicitur quòd *erat pernoctãs in oratione Dei*: (Lucæ 6.v. 12.) quod & Dauid insinuat, cùm inquit: *Ad ipsum ore meo clamaui, & exaltaui* (seu exultaui) *sub lingua mea.* (Psal.65.v. 17.) Exaltare autẽ Deũ, seu, exultare in illo D sub lingua, est corde ipsũ magnificare, magnalia eius reuoluere & dulcedinẽ ipsi[us] mẽte gustare, iuxta illud: *Gustate, & videte quoniã suauis est Dominus*, (D.Greg. legit exultaui in lib. 1.Reg. ad finem. Psal.33.v.9.) nõ foris stillando mel, sed intus sub lingua, in abscõdito cordis, vbi diuina est dulcedo abscõdita, dicẽte Psalmista, *Quã magna multitudo dulcedinis tuę quã abscõdisti timẽtib[us] te!* (Psal.30.v. 20.) cõmunicatur tamẽ orãtib[us] sicut scriptũ est: *Lætificabo eos in domo orationis meæ*: (Isai.56.v.7.) domus autẽ orationis non incõgruè vocatur ipsa mens iusti, quæ templum est Spiritus sancti, cuius cor cubiculum est, in quod ingreditur ad orandũ, vbi dulcedinẽ spiritus afflueter degustat, dum tamen viriliter respuat delectationes carnis: nã animæ est (inquit D. Leo) quædam sibi subditæ negare substantiæ, & interiori iudicio ab exterioribus interiora frænare, vt à corporis cupiditatibus (Serm.8. de ieiunio decimi mẽsis.)

„ sæpius libera, in aula mentis diuinę possit vacare
„ sapientiæ, vbi omni strepitu terrenarum silente
„ curarum in meditationibus sanctis, & in deliciis
Psal.35.v.9. lætetur æternis. Quia orantes participes fiunt deliciarum, quas beati plenè possident; quos Dominus torrente voluptatis suæ in æternum potabit. Sed hìc etiam abundanter tribuit; nam licèt omnis dulcedo huius vitæ, æternæ comparata, sit quasi stilla, tamen reuera est in se maxima. Quod significat phrasis illa: *mel & lac sub lingua tua*, nã ad significandã nimiam vbertatẽ & iucunditatẽ terrę promissionis, vt diximus, fluere dicitur mel & lac.

4. Sed vnde sponsa habet mel & lac sub lingua sua, cùm potius ex se arida sit & continuò dicere possit: *Anima mea vt terra sine aqua tibi*? Sed profectò à
Psal.142. v.7. spõsi ore recepit mel, & ab eius vberibus lac, ideo enim vehementer optabat illis coniungi cùm di-
Cant.1.v.1. cebat: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*: Illo enim amoris osculo à suo procedente ore tamquam apis immensæ potestatis mel diuinæ dulcedinis & sapientiæ illi infundit, & ex suis vberibus lac suauissimæ deuotionis impartitur, ex suaque immensa fragrantia eam etiam suauiter fragrãtem reddit: Vnde postquam dixit *mel & lac sub lingua tua*, subdit, *& odor vestimentorum sicut thuris*. Nam etiam vsque ad opera externa orationis
In exhort. 27.§.3. deriuatur fragrantia, sed de hoc suo loco dicetur, quia plura alia mysteria comprehendit.

Processu 7.relig.c.11 Concludamus igitur cum D. Bonauentura, nostram orationem dulcem esse Deo, quia videt multipliciter esse nobis vtilem, scilicet vt ipsi indesinenter mens nostra inhæreat, vt eius beneficia multipliciùs experiamur per multarum precum exauditionem, vt abundanti deuotionis affectu in Dei amorem excrescamus; & ideò benignè prouidet nobis plures orandi occasiones, quibus ad orandum sæpius stimulemur, vt ignis deuotionis in altari cordis nostri iugiter ardeat in sæcula sæculorum, Amen.

EXHORTATIO IX.

De studioso silentio, & recto dulcique eloquio: de illustrissimis in vtroque Deiparæ exemplis, maximè in Angelica Annunciatione.

Sicut vitta coccinea labia tua, &c.
Fauus distillans labia tua, &c.

SICVT prouidus naturæ author Deus duo linguæ apposuit ostia, vt eam clauderent, quæ simul dum aperiuntur, essent instrumenta loquendi; vnum internum & forte, nempe dentes, alterum externum & molle, scilicet labia; ita prouidentissimus author gratiæ duo spiritualia eidem contulit ostia, quæ simul etiam essent instrumenta rectè loquendi, sicut & tacendi, quæ per dentes & labia designantur, quorum laudes hîc canit Salomon. Primum ostium est sapientia & prudentia cum reliquis virtutibus, quæ vocantur intellectuales, quia intellectum perficiunt, & considerationem dirigunt, vt iudicet quando oportet labia claudere, cohibere linguam, & tacere, vel quando expedit aperire, & rectè quæ oporteat loqui. Alterum ostium ex omnibus virtutibus moralibus est compactum, quæ passiones moderantur, ne suo effrænato impetu ostium aperiant, & linguam inordinatè loqui cogant. Vtrumque ostium petebat Dauid inquiens: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis*. Eadem desiderabat Ecclesiasticus cùm dicebat: *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me*? Prædictæ autem virtutes custodes sunt linguæ, & ostium vndique circunstans illam; nec ostium quomodocumque, sed ostium certo sigillo clausum, vt lingua fortiùs sit custodita. Sicut difficiliùs aperitur ostium quod sigillo est obseratum. Sed quoniam ostium istud non semper debet esse clausum, sed aliquando necesse est reserare illud ad loquendum, eædem virtutes hoc præstant, vt rectè sicut oporteat reseretur. Propter quod idem Sapiens dicebat: *Aurum tuum, & argentum tuum confla, & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos*. Per aurum autem, & argentum, vt alibi fusius diximus, virtutes morales & intellectuales intelligit, ex quibus statera fit ad ponderandum verba, vt certo numero, pondere & mensura prodeant ex lingua: fiunt etiam fræni recti ad cohibendam linguam, ne pro libito loquatur sine rationis moderamine & ductu.

Psal.140.v. 3. Eccl. 22. v.33.

Eccl.28. v.28.

De studioso silentio, & moderatione verborum, cùm loquendum est. §. 1.

DVLCIORI metaphora explicat hoc ipsum sponsus dicens; *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce*. Cùm enim tempus sit tacendi, & tempus loquendi, priorem partem ad tempus tacendi refert, posteriorem ad tempus loquendi, etsi vittæ coccineæ similitudo vtrique tempori conueniat. Vitta enim aliquando ligat labia, ne aperiantur, vt silentium seruetur: cùm verò aperiuntur, ligat verba ne defluant, sed moderatè & concinnè fluant: & in vtroque est coccinea, quia charitate, & sanguine Christi rubet, quem cupit imitari: Etenim taciturnitas, vt ait Ecclesiasticus, aliquando ex
Eccl.20. v.6. ignorantia procedit, aliquando verò ex scientia & prudentia: *Est tacens* (inquit) *non habens sensum loquelæ, & est tacens sciens tempus aptum*. Quando autem sapientia & prudentia ligant labia, & claudunt os secundum dictamen rationis, ligamen hoc est quasi vitta candida, quæquidem pulchra est, & grata Deo; sed pulchrior
Psal.38.v.3. & gratior vitta coccinea, quando simul ex charitate, & vehementi Christi amore ligantur, vt silentium seruetur, non ad maiorem sui abnegationem, silendo etiam à bonis, vel potiùs ad euitanda minima etiam peccata, ne maculetur vita vel famine leui; *Nam cultus iustitiæ silentium est*: Tum verò ad purius & expeditius loquendum cum Deo in oratione: Nam, vt inquit Climachus, taciturnitas mater orationis est, &
Isai.32.v.17 Gradu.12. studiosus silentij appropiat Deo, ipsique iugiter in abdito cordis assistens illustratur ab eo, sicut ille qui sedebat solitarius, & tacebat eo
Thren.3. v.28. quòd leuauerat se super se: tum deniquead imitandum Christi silentium, qui in passione sua
Isai.53.v.7. sicut agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum; etiam cùm innumeris impeteretur iniurijs coram Pilato, ita tacebat vt miraretur præses vehementer. Mirabile autem hoc silen-
Matth. 27. v.14. tiũ valde iustos vrget, vt sileant, & ponant ori suo
Psal.38.v.2 custodiam, cùm constitit peccator aduersus ipsos, Oportet tamen eorum silentium etiam esse internum;

num; eadem charitatis vitta ligando, vt inquit Richardus, & infrænando cogitationes varias, & vagas, quæ sunt verba interna animæ, quas nisi quis liget, minùs vtiliter silentium seruat. Nam tantò plus loquitur intus, quantò magis tacet foris, maximè quando non ex charitate ligante, sed
Lib.7. Mor.c. 18. & 3.p. past. admonit.15. „ ex aliquo timore humano. Sæpè (inquit D. Gregorius) dum ab eloquio immoderatè compescimur, graue multiloquium in corde toleramus, vt eò plùs cogitationes in mente ferueant, quo illas violenta custodia indiscreti silentij angustat; & plerumque tantò latiùs defluunt, quantò se esse securiùs æstimant, quia foris à reprehensoribus non videntur.

2. Præterea charitas, quę vitta coccinea est, tripliciter verba ligat quoad numerum, pondus, & mensuram. Primò enim inclinat, vt verba numero sint pauca, breuiter, & concisè dicta. Quoniam
Prou.10. v.19. scit in multiloquio non deesse peccatum: & ideo *qui moderatur labia sua, prudentissimus est*: &: *argentum electum lingua iusti*, id est, argentum candidum, purum, igne diuini amoris expurgatum ab omni peccato, & ab omni quod terrestre est,
Eccl.20. v.8 & c.19 v.5. & superfluum. *Nam qui multis vtitur verbis, ledet animam suam*. Quam tamen illæsam conseruare cupit per moderationem: *qui enim odit loquacitatem, extinguit malitiam*. Deinde inclinat charitas ad ligandum verba quoad pondus, & grauitatem, vt sint sancta, & ad salutem animæ conducentia, respuens omnino verba vana, inania, scurrilia, & io-
2. ad Timoth.2.v.5 cosa, quæ D. Paulus generaliter comprehendit, cùm Timotheo dixit: *profana, & vaniloquia deuita*. Quàm longè autem abigenda sint ab ijs, qui sanctitatem profitentur, ostendit clariùs, cùm in-
Ad Ephes. 5.v.4. quit ad Ephesios, *vt nec nominetur in illis*, sicut decet sanctos turpitudo aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertiner. Quòd D. Ambrosius sic confirmat: quid nobis cum fabulis, ri-
Lib.1. offic.c.23. D.Bern. de ordine vitæ colum 5. idem habet. „ sus, & ioco? Nam licèt interdum honesta ioca suadia sint, tamen ab Ecclesiastica aberrant regula; „ quoniam quæ in Scripturis sanctis non reperimus, quomodò vsurpare possumus? Nec solùm „ profusos, sed etiam omnes iocos arbitror declinandos; nisi fortè plenum grauitatis & gratiæ „ sermonem esse indecorum est. Scripturas sanctas „ vocat non solum vetus & nouum testamentum, „ sed etiam quæ à Conciliis & Patribus traditæ no-
Serm.31. ex paruis. „ bis sunt. Sed ampliùs vrget D. Bernardus dicens: „ Hinc mihi gehẽna, hinc corona paratur: atque inter hanc & illam medium nugari libet, oscitare „ delectat? vsque adeo nec trahor desiderio, nec periculo terreor, nec cupidus planè, nec pauidus, in „ quibus magis fuerat necessarium: pernicio sissimè „ insensibilis ad vtrumque. Idem tandem sequens
Lib 2 de consider. c. 13. In epitaphio ad Eustochium virginem. In formula honestæ vitæ in not. documento. 3. „ D. Hieronymum ait: Inter sæculares nugæ, nugæ sunt: in ore Sacerdotum blasphemiæ. Hæc retuli, vt constet, quantùm deceat vitæ perfectæ studiosos labia habere coccinea, quæ omnem respuant sermonem suo statu indignum, solumque amplectantur grauem, sanctum, & amore flagrantem, iuxta regulam ab eodem Bernardo alibi præscriptam; Cùm loqueris, verba tua sint rara, vera, ponderosa, & de Deo.

Denique verborum mensura attendenda est iuxta qualitatem loquentis, & eius qui loquitur, & negotij de quo est locutio. Ideoque varia est, nam aliter decet loqui senes & literatos, aliter iuuenes & indoctos, aliter principes vel plebeios, atque etiam aliter cum ijs vel illis loquendum est, vel cũ de diuinis, aut de humanis habetur sermo.

A Hæc autem omnia cõsideratio præuenit, prudentia disponit, & charitas ad id quod decretum est, ligat, & ideo prius laudatus est candor dentiũ ruminantium, vt oues quę ascenderunt de lauacro, quàm rubeus color labiorum, vt vitta coccinea, quia priùs est meditari & ruminari quod loquendum est, deinde verba ex charitate ligare. Propter quod Salomon ait: *Cor sapientis erudietos eius, & labijs eius addet gratiam*, id est, faciet vt os eruditè, & sapiẽter loquatur, & vt labia gratum & acceptum proferant sermonem. Cui concinnens Ecclesiasti-
Prou.16. v.23. Eccl.21. cus ait, in corde sapientum esse os eorum, cùm è
v.29. contrà, in ore fatuorum sit cor illorum, quia os sapientũ nihil loquitur nisi quod in corde est præmeditatum, & à corde loquendũ suggeritur; *Nam*
Psal.36. v.20. *os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium*, id est, iustus priùs meditabitur verba sapientiæ, quæ loqui oportet, & tunc lingua eius loquitur quod iustum est. Et cur hoc? *Quia lex Dei eius in corde ipsius*, quam præmeditatur, vt verba sint illi consentanea: at stulti cor habent in ore, & absque præmeditatione sapientiæ præcipitanter verba effutiunt.

De dulcedine, & suauitate locutionis. §. 2.

EX his deducitur posterior pars huius encomij, *& eloquium tuum dulce*, seu *decorum*: dulcedo enim & suauitas locutionis maximè necessaria est in familiari colloquio cum hominibus, vt pacem & concordiam cum eis seruemus. Nã reste
Eccl. 6.v.5. Ecclesiastico: *Verbũ dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis* (seu gratiosa & affabilis) *in homine bono abũdat*, id est, copiosos refert fructus, dum alios sibi benuolos, & affabiles reddit. Quod priùs docuerat Salomõ dicens: *Qui sa-*
Prou.16. v.21. *piẽs est corde, appellabitur prudẽs, & qui dulcis eloquio, maiora percipiet*, id est, copiosiores fructus inde recipiet, tum sibi, tũ aliis: nam: *Fauus mellis compositio verba, dulcedo animę, sanitas ossium*, id est, verba sapienter dispositia sunt velut fauus mellis, præbentque animę magnam dulcedinem, & salutem, ac robur corpori. Sed elegantiùs hoc explicat idem Salomon labia sponsæ laudans, cùm ait: *Fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua*. Vbi de tribus maximè eam laudat. Primò quòd verba profert
1. non amara, non iniusta, non noxia proximis; procul enim ab illa abest omnis detractio, contumelia, mendacium, fraus & dolus; sed verba semper iusta, sancta, & proximis vtilia. Non enim est sicut
Iacob.3. illi, quos increpat D. Iacobus dicens: *Ex ore procedit benedictio, & maledictio; non oportet fratres mei hæc*
v.10. *ita fieri. Nũquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?* Os iusti (inquit Ambrosius) di-
„ Serm.13. in psal. 118.v.7. „ stillat sapientiam, de ore iusti suauitatis, & miseri-
„ cordię mella procedunt: in ore iusti nullus dolus,
„ nulla fallacia, nulla est amaritudo peccati: propter
„ quod instar apis ex floribus sacræ Scripturæ, & libris ac exemplis sanctorum mella colligit, & in
„ labiis habet, vt ea cùm oportuerit distillet.

2. In verbo autem distillandi modum loquendi laudat, quimodestus sit, dulcis placidus, & gratus, etiam cùm de rebus temporalibus loqui necesse est, obseruans quod Apostolus commendat cùm
Ad Col. 4. v.6. ait: *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, vt sciatis quomodò oporteat vos vnicuique respondere*, gratia dulcedinem, & affabilitatem, & benignitatem sonat, sal verò discretionem, sapientiam, & saporem in modo loquendi, & respondendi. Distillatio etiam vocis moderationem

sonat, vt nõ sit nimis clamorosa, vel præpropera, aut impetuosa ex ira vel turbatione aut passione animi; sed submissa, tranquilla, & pedetentim, vt decet prolata. *Ne temerè* (ait Ecclesiastes) *quid loquaris, nec cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo, Deus enim in cælo, & tu super terram; idcirco sint pauci sermones tui.* Quæ verba licèt quidam explicent de oratione, alij de prædicatione, seu sermocinatione de Deo, tamen conuenienter etiam explicantur de communi confabulatione, maximè autem, quæ de Deo est. Commendat autem Ecclesiastes, ne nostra locutio sit temeraria, inconsiderata, nimium festina, aut celeriter præceps. Hæc enim festinatio vel ex imprudẽtia procedit, vel ex nimia sui iudicij præsumptione, vel ex inani gloria, ne alius præueniat. Vnde idem Salomon ait: *Vidisti hominem velocem ad loquendum; stultitia magis speranda est quàm illius correptio.* Nam dum multa velociter loquitur, stultitiam suam prodit; & quia sapiens sibi videtur, non acceptat correctionem. Propter quod Ecclesiasticus ait, *Noli esse citatus in lingua tua;* & D. Iacobus inquit: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Hoc enim maximè decet hominem grauem, & sanctum. Nam & Aristoteles docet magnanimi motum esse tardum, vocẽ grauem, locutionem tardam, & stabilem. Alius sapiens dixit: Ad summam perfectionem volo te esse breuiloquum, rariloquum, & submissa voce loquẽtem: alius; Tardiloquũ te esse iubeo, & prope erit tibi Deus. Hæc autem præstabimus, si iuxta consilium diui Bernardi, dum loquimur, priùs verba bis veniant ad limam, quàm semel ad linguam, examinando nimirum, quid, quando, vbi, & quomodo, oportet verba dicere. Maximè autem quòd dicuntur, vt Ecclesiastes ait; *coram Deo*, qui est omnium supremus iudex, & testis, omnia intuens & iudicans. Vnde cùm ipse sit in cælo tamquam in throno maiestatis suæ, tu verò in terra tamquam vilis homuncio, & in illa mille expositus periculis, ac tentationibus agitatus, oportet paucos esse sermones tuos, graues & benè perpensos, ne Dei incurras indignationem.

Ecclesi. 5. v. 1.

Prou. 29. v. 20.

Eccles. 4. v. 34. Iacob 1. v. 19. Lib. 4. Ethic. c. 3. Refert Turrecremata tract. 39. in Reg. D. Benedicti. In formula honestæ vitæ.

3. Sed vlteriùs procedit encomium, cùm ait, *mel & lac sub lingua tua*, laudans eam quòd semper ex corde dulcia loquatur, non fictè & fraudulenter, sicut adulatores & dolosi, hypocritæ, & scelerati homines, qui in lingua sua videntur ferre lac & mel; tamen sub illa abscondunt absynthiũ, & fel, & quidquid aliis potest inferre amaritudinem & dolorem, iuxta illud Dauidis: *Cuius maledictione os plenum est, & amaritudine, & dolo: sub lingua eius labor & dolor*, id est, peccatum & remorsus conscientiæ, ac sæculi tristitia; seu machinatio laboris & doloris, quem aliis dolosè inferre satagunt. Et iterum, *acuerunt linguas suas sicut serpentis: venenum aspidum sub labiis eorum.* Sicut serpentis, inquit, quia in cuspide linguarum instar serpentum venenũ gerunt, & dum loquuntur, alios verbis suis acriter feriũt, & necant: quòd si aliquando blandè loquuntur, tamen sub lingua absconditum retinent in corde venenum aspidum insanabile, quo machinantur fraudes & dolos, quos, cùm possint, mox euomũt, vt aliis noceant: imo quidam dicunt allusionẽ esse ad serpentes, qui venenũ in vesica sub lingua continent, quæ rumpitur dum mordent aliquem, & ei venenũ infigunt. Quod si ita est, vesica ista cor significare potest, vbi venenum malitiæ absc̃ditur, & mordendo per linguam emittitur; nam iuxta sententiam Saluatoris, ex corde exeunt verba

Psalm. 9. serm. 10. iuxta Hebr. v. 7.

Psal. 139. v. 4. & Psal. 3. v. 3.

Mercurialis de venenis: vide Pineda in Iob 20. v. 12. Matth. 15. v. 18.

A ista venenosa, sicut & alia mala opera. Contra hos autem sic inuehitur D. Ambrosius explicans illud Psalmi, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super melori meo!* Quomodo (inquit) possunt verba Dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitiæ? Quomodo mel & lac sub lingua tua, cum dolum lingua tua componat, vt aliud pectore concipias, aliud forensi sermone prætendas, vt decipias incautum? cùm tibi Petrus Apostolus dicat vt deponas omnem malitiam, & fucum simulationis abijcias, dicens: *Quasi modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac cõcupiscite*: Ostendẽs enim nobis quid sit mel, & lac habere sub lingua, docet, vt non maledicere maledicentibus, sed benedictionem referre nouerimus; nesciamus odisse nisi viam iniquitatis. Sequentes vestigia Saluatoris, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, qui cùm malediceretur non maledicebat, cùm pateretur non comminabatur.

Serm. 13. in psal. 118. Versu 8. Psal. 118. v. 103.

1. Petr. 2. v. 2. & 22.

Hinc est potissimam locutionis nostræ materiam eas res esse debere, quas suprà per mel & lac significari diximus, vt sicut modus loquendi dulcis est, ita & res quę dicuntur, oporter enim bona bene, & dulcia dulciter loqui. Vnusquisque ergo diligenter inspiciat quid sub lingua sua in corde lateat, nam hoc per linguam manifestat; & ideo Saluator dixit ex verbis nos condemnandos vel absoluendos; quia testimonium reddunt praui vel mundi cordis, vnde procedunt. Denique priùs dicitur *fauus distillans labia tua*: & postea, *mel & lac sub lingua tua*, vt sciamus postquàm recta & dulcia loquimur, oportere etiam animum ad interna reducere, & intra seipsum versari, quoniam (vt dicit D. Gregorius ad finem Moralium) multùm mens nostra etiam cum rectè loqui conatur, extra semetipsam spargitur; integritatem namque animi, dum cogitantur verba qualiter proferantur, quia eum trahunt extrinsecus, minuunt; ideoque à publico locutionis redeundum est ad curiam cordis, &c. Postquàm ergo distillaueris mel per labia, redi ad teipsum, vt illud gustes sub lingua in abscondito cordis, ne mens ita defluat per verba, vt internam amittat spiritalem deuotionis dulcedinem, sed iugiter retineat illam.

4.

Matth. 12. v. 31. & 37.

Lib. vltimo c. vlt.

De silentio Deiparæ, & modo loquendi eius in Angelica Annunciatione. §. 3.

Pro festo Annunciationis.

COnfirmemus quæ dicta sunt illustrissimis Deiparæ exemplis. Etsi enim cuncta quæ hactenus diximus de labiis vt instrumentum sunt osculandi, & loquendi cum Deo, vel cum hominibus citra prædicationis munus, ita aptè in ipsam quadrent, vt superfluum esset ea repetere; peculiarem tamen habent excellentiam, quæ de eius miro silentiò & concisis verbis Euangelica narrat historia quatuor in locis, vbi scribitur locutam fuisse, videlicet cum Gabriele Angelo, cum Elizabeth, & coram illa, cum filio duodenario, & cum eodem ac ministris in nuptiis Cana. Semper autem, sed maximè in Angelica Annunciatione labia eius fuerunt *sicut vitta coccinea*, nam ardentissima Dei charitas, & proximorum dilectio ac ipsius virtutis amor ligauit labia eius, vt taceret quamdiu tempus fuit tacendi; cùm autem oportebat loqui, & aperire labia, ligauit mirificè verba ipsius, vt essent sancta, ponderosa, concisa, & dulcia: *vt fauus distillans.*

Etenim

Lib. 1. de Virginibus. Virgilius 4. Georg. Nec conubitu indulgẽt Nec corpora segnes in venerem soluunt, aut fœtum nixibus edunt.

A „ Etenim apis faui opifex, vt tradit D. Ambrosius, symbolum est virginitatis, & dulcis, sapientisque locutionis. Digna (inquit) virginitas, quæ apibus comparetur: rore pascitur apis, nescit concubitus, mella componit: ros quoque virginis est sermo diuinus, quia sicut ros verba Dei descendunt; pudor virginis est intemerata natura, partus virginis fœtus labiorum, expers amaritudinis, fertilis suauitatis: in commune labor, communis est fructus. Quam te velim filia imitatricem esse huius apiculæ, cui cibus flos est, ore soboles legitur, ore componitur. Sic ille. Præ omnibus autem virginibus excellentiùs Deipara apiculam imitata est, quæ omnem respuit concubitum, ex cælo tamẽ virtute Spiritus sancti fœtum concepit, quem incorrupta manens edidit mundo, idque suo silentio, & locutione mirè manifestauit.

Nam cùm Angelus Gabriel eam placidis verbis salutasset, mox vt audiuit vocem illam, *benedicta tu in mulieribus*, quasi fœcunditatem matris suspicãs: *Turbata est in sermone eius & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Id est, cogitabat, an benedictio & conceptio ista futura esset cum virginitatis detrimento; sed tamen ipse pudor virginalis tamquam vitta coccinea linguam ligauit, ne quid interrogaret, sed taceret. Bonus (inquit idem Ambrosius) est pudor, quem commendant silentia, & bona loqui plerumque crimen est virginis: ideo custodi virgo vias tuas, ne delinquas in lingua tua. Rursus, cùm Angelus mira de filio quem conceptura erat narraret, nec tamen expressè virginitatem seruandam adhuc dixisset, audiuit quidem cum silentio, sed mox aperuit labia amore castitatis inflãmata, & ligans verba, primum protulit sermonem, quem ex ore eius audiuimus, dicens: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Quid hoc verbo breuius, quid inflammatius? quid dulcius? quid pulchrius, & sapientius? Hic est primus virginis partus, dulcis labiorum fœtus, vt dixit Ambrosius: Quomodo, inquit, concipiam filium, quę voto me astrinxi non cognoscere virum? Labia mea mihi fuerunt vitta coccinea, quibus me ad seruandam virginitatem ligaui; quomodo habere potero filium etsi magnus sit, & filius Altissimi vocandus? Audi (inquit D. Gregorius Nissenus) pudicam virginis vocem. Angelus partum denũciat, illa virginitatem complectitur, castitatem præferens Angelicæ apparitioni: nec Angelo fidem non habet, nec à proposito recedit suo; non quòd obedire nollet diuinæ voluntati, sed quia vellet si posset, virginitatem conseruare; & ideò interrogat *quomodo fiet istud, &c.*

1. De hoc in lib. 3. exhort. 15. §. 3 Lucæ 1. v. 29.

In exhort. ad virgines prope finem.

Oratione de Natiuitate.

2. Audito autem Angelico responso, aperuit secundò coccinea, & accensa labia sua; atque vitta charitatis præcellentiores ligauit virtutes, vt consensum præstaret dulcibus, sublimibus, & concisis verbis, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* O fauus mellifluus tot cellulas melle refertas habens! quot virtutes hæc verba sonant! Stillauit enim affectum ingentis fidei Angelo credens; profundæ humilitatis, se ancillam nuncupans; deuotæ resignationis, dum ait, fiat: promptæ obedientiæ, dum addit mihi; purissimæ virginitatis, dum inquit, iuxta verbum tuum, seu iuxta modum à te præscriptum. Dixit quondam Ecclesiasticus adolescenti, vt si bis interrogatus esset, haberet caput responsum suũ, id est, summatim responderet, multa paucis concludens: Sic B. Virgo bis, aut ter loquentem sibi Angelum audiuit priùs quàm ipsa consensus responsum daret,

Ecc. 32. v. 11.

B sanguinibus sumpta est, vnde Isaias hoc mysteriũ petens dicebat; *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet Saluatorem.*

Isai. 45. v. 8.

Id etiam indicant sequentia Cantici verba: *Mel & lac sub lingua tua*, id est, in abscondito pectoris tui, & intra viscera tua, nam iuxta supradicta, mel diuinitatem, lac verò humanitatem indicat, quę in virgineo vtero in vnitatem eiusdem personæ coniunctæ sunt. Vnde Emanuel quem Virgo concepit *butyrum & mel comedet.* Quia ea quę sunt hominis & Dei continet, humanoque & diuino nutritur cibo.

In exhort. 6.

Isai. 7. v. 15.

3. Hinc etiam factum est, vt perpetuò in pectore virgineo sub lingua eius lateret mel & lac, diuinę sapientiæ, sanctitatis, & gratiæ, vt pro nobis Deo loquens & intercedens fieret fauus distillans, aliquid de plenitudine sua nobis impetrans, & elargiens. Breuissimis verbis, forte dicendo *Aue*, salutauit Elizabeth, & confestim in ipsam, & in filium quem vtero gestabat, tantum stillauit diuini luminis, & spiritalis dulcedinis ac gratiæ mel, vt vterque repleretur Spiritu sancto, & filius gaudẽs exultaret in vtero; mater verò stupens prophetaret. Defuit aliquando vinum in nuptiis, ad quas inuitata fuerat cum filio, mox compassiua aperuit labia instar vittæ coccineæ, vnicum ei proferens verbum; *vinum non habent*, quo ita eum ligauit, vt quãuis duriusculè respõdisse videatur, mox se exaudità prę sentiret: vnde illico ministris aliud concisum verbum protulit, *quæcumque dixerit vobis, facite*, quo illis distillauit spiritum obedientię, & omnibus impetrauit non stillas, sed magnam optimi vini abundantiam, quod anteriori longè præcelleret, iuxta illud architriclini, *seruasti bonum vinum vsque adhuc.*

Lucæ 1. v. 41.

Ioan. 2. v. 1.

Sicut ergo Christus Dominus nobis est immẽsus fauus distillans, de cuius plenitudine omnes accipimus, gratiam pro gratia, ita eius meritis Deiparæ labia facta sunt nobis fauus, qui numquam exhaurietur, nec siccabitur, nec cessabit miseris ad eam confugientibus suam stillare misericordiam; quoniam ab infantia cum ea creuit miseratio, & de vtero matris suæ egressa est cũ illa, semperque mel & lac sub lingua retinet, vt tamquam pia mater suos possit nutrire filios. Gratias igitur agamus omnipotenti Deo, qui talem nobis prouidit matrem, & nutricem, cuius mellis & lactis possemus esse participes. Imitemur eius tacendi & loquendi prudentiam, quæ tamen in Dei laudem profusius distillauit melli fluum canticum illud, *Magnificat anima mea Dominum. Si fauus mellis* (inquit Salomon) *composita verba,*

De hoc infra in id c. 5. comedi fauum cum melle meo.

Lucæ 1. v. 46. Prou. 16. v. 24.

qualis fauus erũt verba, quæ Virgo sapientissima A
composuit Spiritu sancto inspirante, & dictante
filio, quem gestabat in vtero? Tot sunt cellulæ
copiosum distillantes mel, quot sententiæ quas
audientibus Elisabeth & Ioanne cecinit, vt eos
ad Dei amorem, & laudem, ac gratiarum actio-
nem excitaret; & nunc etiam suo nos exemplo
vrget, vt labia nostra iugiter mellifluas distillent
Deo laudes ad gloriam ipsius, in sæcula sæculo-
rum. Amen.

EXHORTATIO X.

Pro Martyribus & Doctoribus.

De Martyribus, & Doctoribus, qui verbis, & operibus præclaris Christum manifestant; & de profunda humilitate cũ insigni sanctitate. B

Cant. 4. v. 3. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet.

Cant. 6. v. 6 Sicut cortex mali punici, ita genæ tuæ absque occultis tuis.

Lib. 3. exhort. 22. vsque ad 25.

DE genis mysticis Ecclesiæ & cuiuslibet piæ animæ plurima diximus in libro tertio per quinque exhortationes, quarũ pulchritudinem noua similitudine nunc sponsus commendat: *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet.* LXX. vertunt: *Sicut cortex mali punici genæ tuæ extra taciturnitatem tuam*, eademque voce *cortex* vtitur interpres vulgatæ in cap. 6. Vbi eadem repetitur laus: sed additur *absque occultis suis.* Sed quoniam sub hac similitudine plura alia denotantur quàm quæ suprà tetigimus, ea nunc fusiùs propalabimus, aduertentes, sicut non indecorum iudicabit Spiritus sanctus, easdem laudes ferè eisdem verbis in hoc Cantico repetere ex noua tamen causa; sic non mirandum esse, si nos hîc nonnulla ex dictis, concisè repetamus, vt ex eis arripiamus ansam ad alia noua & præclariora superaddenda.

Christum Dominum comparaturi malo punico integro, Ecclesiam verò fragmini. §. 1.

1. Ex Ricard. in Cant. c. 20.

PRæmittẽda autem est differentia inter Christum Dominum, & Ecclesiam, quòd ille assimilatur malo punico integro; hæc fragmini, seu dimidiæ parti eius: cortex mali punici ruber est, D
& subuiridis, sed durus, grana verò, quæ intus continet, candido, & rubicundo colore sunt pulchra; sic Christus, & Ecclesia sanctitate & pulchritudine nitent, tum externa, tum interna; ille tamen plena, & vndequaque perfecta, hæc verò dimidiata, & ab illo per partes recepta: in vtroq; autem multò maior est interna quæ latet, quàm externa quæ apparet; & hoc significat verbum illud: *Absque eo quod intrinsecus latet.* Rursus sicut malum punicum intus plenum est granis albis, & rubeis, & ideo malum granatum vocatur, cortex verò foris totus ruber: ita Christus Dominus, qui meritò *candidus* dicitur, *& rubicũdus, electus ex millibus*, intus plenus fuit omnigena sapientia & gratia sine mensura vlla, eius tamen externa vita semper rubuit patiendi desiderio, & innumeris tribulationibus pro salute nostra perpessis; donec tãdem suæ passionis tempore fractum est malum punicum, cùm separatum est corpus ab anima; & tunc apparuerunt grana, resplenduerunt que ampliùs virtutes illius, & tamquam mustum mali granati profluxit sanguis eius preciosus & rubicundus, quo mundus est redemptus, quo animæ lauantur, & dealbantur, & in sacramento Eucharistiæ dulciter reficiuntur. Hoc sanguine rubrum factum est totum eius corpus, dum flagellis, spinis, clauis & lancea perforatum est, & vulneratum. Totus (inquit Richardus) in pœna rubuit: quia non parua pro nobis, vel partem laborum & dolorum sustinuit, sed tanta & tam grauia, vt nullus vmquã dolor fuerit sicut dolor eius. Omnis autem afflictio, quam pro Christo, vel Christi exemplo electi pertulerunt, fragmini tantùm mali punici comparatur, quia respectu eorum, quæ pertulit ille, parua sunt quæ patiuntur, & modica illorum pars: vnde angelicus Doctor optimis rationibus probat dolores Christi in passione sua omnes dolores huius vitæ superasse, etiam quos alij martyres passi sunt. Sed hoc etiam est, *præter id quod intrinsecus latet*, quoniam licèt Christus multa passus sit exteriùs, multò maiora paratus erat pati propter nostram salutem si ita expediret. Vnde ardens eius sitis, & desiderium patiendi numquam est expletum: sed plùs sitiuit dolores perferre, quàm hostes sitiebant ei inferre: quæ etiam in anima pertulit, & intus latebant, nulla lingua explicari possunt, & ideo taciturnitate & silentio veneranda sunt. In hunc locum. 3 p. q. 46. ar. 6.

Denique malum punicum integrum florem habet in vertice in modum coronæ, in quo etiam Christum Dominum præfigurat, qui omnes dolores & persecutiones superauit, & patiẽdo mortem eam deuicit, hostes subiecit, & de omnibus triumphauit; ac tandem cùm in resurrectione redintegratum est malum punicum, & anima corpori reunita, gloria, & honore coronatus est, quam coronam in æternum conseruabit. Hæc de Christo Ecclesiæ capite.

Vt autem quæ ad ipsam Ecclesiam spectant explicemus, sciendum est malum punicum iuxta antiquos, symbolum esse multarum gentiũ vnionem & societatem ad inuicem habentiũ, eò quòd sub vno cortice multa grana vnita continet, imò varios loculos granis plenos, cicco, seu tenui mẽbrana discretos: sic Ecclesia varias gentes, & nationes propriis finibus terminatas comprehẽdit, in qua (sicut inquit D. Gregorius) vnitas fidei cõtegit quos intus diuersitas meritorũ tenet. Vel vt dicit D. Prosper, In vinculo pacis & gratiæ vnum eos tegmen operit charitatis: continet enim (vt peccatores omittamus) plura sanctorum genera candida, & rubicũda in signibus virtutibus splendentia, nimirum Martyres, & Doctores, Pontifices, & Confessores, Religiosos, & Virgines, continentes, & coniugatos, quos idem cortex rubor & durus tegit: quoniã sicut intus rubent per eximiam charitatem, etiam foris per patientiam, & tolerantiam passionum, aut per voluntariam sui abnegationem, omnes enim qui piè viuere volunt in Christo, persecutiones patiuntur, ideoque dixit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* 2. Pierius lib. 54. c. de malo punico. 2. p. past. c. 4. & lib. 1. Regist. epist. c. 24. p. 2. c. 3. apud Lipomanum. 2. ad Timoth. 3. v. 12. Matth. 16. v. 24.

De Martyribus, & eorum confessione. §. 2.

EX his Sanctorum ordinibus quidã peculiariter dicũtur genæ Ecclesiæ quæ Latinè mala vocantur,

Ita Hugo de S. Victore exp. in Cant. c. 38. vocãtur allusione facta ad malũ punicũ, cum qua A
magnam habẽt similitudinẽ: & quidem Martyres fortissimi Christi milites, qui Rex est Martyrum, & corona confitentium, pulchrè vocantur Ecclesiæ genæ, *sicut fragmen mali punici absque eo quod intrinsecus latet.* Præclarissima enim fuit illorum sanctitas, patientia & fortitudo toti mundo conspicua, sed adhuc multò splendidius erat quod intus latebat soli Deo manifestum. Duæ igitur rubicundæ genæ Ecclesiæ sunt Martyres in duplici sexu virili & fœmineo, quia etiam Deus inter omnipotentiæ suæ miracula in sexu fragili victoriam Martyrij conferre voluit, vel ob tuendam fidem, aut etiam castitatem. Rubent autem tũ ab eximio Dei amore quo flagrant, tum à proprio sanguine quem propter ipsum fundunt, innumeris tormentis confracti, & contriti, quę libenter perferebãt, vt suam erga Christum fidem, & dilectionem testarentur: testabantur autem præcellenti quadam eminentia super alios, quia *maiorem hac dilectionem* Ioan 15. v. 13. *nemo habet quàm vt animam suam ponat quis pro amicis* Ad Rom. 5. v. 5. *suis.* Et quia charitas potissima est animæ pulchritudo, ideo Martyres pulcherrimæ sunt Ecclesiæ genæ, per quas eius sanctitas mundo maximè innotuit: vnde & per quamdam antonomasiam testes vocantur, non solùm quia testimonium perhibent veritatis Christianæ fidei, sed etiam sanctitatis corporis mystici, cuius ipsi sunt partes; quia nec tale testimonium tanta fortitudine præstare possent, nisi cælesti fulgerent sapientia, cui aduersarij resistere nequirent, & ignea charitate, quam aquæ multæ extinguere non valerent. Luc. 21. v. 15. Cant. 8. v. 7. 1. Ioan. 5. v. 8.

Hoc est testimonium insigne de quo inquit D. Ioannes; *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres vnum sunt.* Id est, in C
vno inueniuntur, vel vniformiter testificantur; Hom. 1. in Octaua Pasch. nimirum, (vt ait D. Bernardus) Spiritus feruidæ charitatis, quam Spiritus sanctus effundit in cordibus nostris, aqua baptismi vel lachrymarum, & pœnitentiæ, qua lauantur peccata: seu aqua sapiẽtiæ salutaris ab eodem Spiritu infusa, & sanguis à Martyribus effusus, velut qui à fracto malo punico exprimit mustum. Hæc autem egregiè testantur Christum esse Deum pro cuius amore fiunt. Mali punici species (inquit D. Ambrosius) non immeritò cõparatur Ecclesiæ, sicut habes in Canticis, quæ bonum fidei fulgorem, confessionisque prætendit, tot Martyrum sanguine speciosa; &, quod est amplius, Christi cruore dotata: simul & plurimos intra se fructus vsus istius pomi vna monitione conseruans, & virtutum negotia multa complectens. Sed fragmini peculiariter comparatur, quia necesse est illam tribulationibus frangi, D
vt occulta virtutum grana magis appareãt. Quomodo milites Gedeonis terruerunt Madianitas, frangentes lagenas intra quas latebant lampades, quia, vt inquit D. Gregorius, fractis Martyrum corporibus per tormenta, splendor miraculorum, & virtutum micuit; & quò ampliùs (inquit Beda) Ecclesiam frangi contigerit, eò clariùs patet, quòd virtutum grana vnius fidei tegmen complectatur. Splendet quidem paupertas Spiritus, cùm Martyr omnibus spoliatur diuitiis; clarescit humilitas, dum priuatur honoribus, & lacessitur cõtumeliis; viget temperantia & continentia, cùm spretis voluptatibus, non refugit amaritudines & dolores: virescit spes, dum neglectis temporalibus solùm appetit sempiterna; sed præ omnibus rubescit inuicta charitas, quę patiens est, & benigna, dum ex vna parte, velut Beatus Stephanus, Indic. 7. v. 16. Lib. 31. Mor. c. 17. Vide suprà lib 6. exhort. 11. § 3.

etiam pro persecutoribus orat: ex alia verò etiam tormenta multiplicari, & augeri desiderat, vt citiùs & dulciùs Christo frui valeat.

Cæterùm, sicut fragmen mali punici, etsi multa grana manifestet, alia tamen plura intra illa contegit; ita sancti Martyres etsi plurimas virtutes foris detegant hominibus, plures tamen abscondunt intus quæ Deo soli sunt notæ: propter quas etiam additur; *absque eo quod intrinsecus latet.* Latẽt quidem interni affectus, ex quibus tolerantia illa exterior procedit: latet & sitis patiendi plura pro Christo, quam excitat eius ardens amor; latet puriſſima intentio Deo placendi, ignorante sinistra id quod facit dextera: latet regnum Dei quod intra illos est, nempe iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto; omne gaudium existimando variis & diris vri tormentis, eaque pace fruendo quæ superat omnem sensum. Decreuit enim Deus sub durissimo cortice persecutionum abscondere diuitias & delicias regni cælorum. Propter quod beatos prædicauit eos, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. De hoc in exhort. 2. Matth. 5. v. 10.

De modo manifestandi Christum per verba, & opera præclara, seruando internam humilitatem. §. 3.

AD hoc autem ampliùs declarandum iuuat LXX. lectio, *extra taciturnitatem tuam, vel silentium tuum*, id est, extra id quod tacendo, & silendo, tua ipsa taciturnitate & silẽtio indicas. Vbi duplex insinuatur modus manifestandi Christum Dominum, eiusque fidem & sanctitatẽ. Prior per verba, docendo, prædicando, & exhortando fideles. Et hic spectat ad Doctores Prædicatores, quos D. Gregorius, Cassiodorus & Beda per genas Ecclesiæ significari dicunt: nec incongruè: nam genæ & maxillæ valdè iuuant ad locutionem, & vocem efformandam. Posterior est per heroica facta & exẽpla, aut etiam per miracula & præclara opera, quę tacendo & silendo non minùs testantur, & manifestant Dei & Christi virtutem, & fidei veritatem, quàm ipsa verba & rationes prędicantium: imò ideo illis commendatur hoc secundum, vt primum sit efficacius, iuxta illud, *qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*: Sicut Christus Dominus qui fuit potens opere & sermone, qui etiã dixit: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et propter hoc etiam assimilantur genis, quæ suo rubore faciei pulchritudinem manifestant, id est, venerabilem vitæ sanctitatem. Qua de causa in tunicæ summi Sacerdotis limbo, cum tintinnabulis aureis intermixta erãt mala punica ex hyacintho, purpura, coccoque bis tincto fabrè facta, ad significandum cum prædicatione auro sapientiæ & charitatis fulgente miscenda esse Sãctorum operum exempla, & multifaria virtutum grana, vt ait Beda, vno charitatis munimine cõtexta, quod expressiùs indicat trinus ille color; hyacinthus quidem cælestem contemplationem; purpura verò, in tribulationibus tolerantiam etiam vsque ad sanguinis effusionem: coccus autem bis tinctus, Dei & proximi amorem. Addit verò Rupertus Abbas hæc mala punica integra etiã silentium indicasse, quod opportuno tempore prędicationi intermiscendum est. Si autem huiusmodi malis punicis mysticas genas assimiles, sonoram edent prædicationem, validumque testimonium reddent sanctimoniæ Christi. Sed nõ ait gena, sed genæ, innuens ambas simul esse rubicundas, sicut fragmen mali punici plura vnita continentis grana: vt vnionem & charitatem fraternam Prædi- 2. Duplex docendi modus. Matth. 5. v. 19. Lucæ 24. v. 19. Ioan. 8. v. 38. Exod. 28. v. 33.

catorum commendet, per quam, vt Saluator ait, vera eius fides & Religio mundo est patefacta.

Ioan.17. v.21.

Cæterùm semper addendum est: *Præter id quod intrinsecus latet, & extra taciturnitatem tuam.* Quoniam plus est quod sancti viri suis præclaris testãtur operib. quã quod prædicãt verbis. Facta enim ampliùs & fortiùs cõfirmant, quã verba. Sed adhuc etiam multa maiora sunt quæ latẽt, id est, quæ intra ipsos Sanctos absconditа manent, vel quæ etiã ipsos latent, & superexcedũt. Nam licèt cæli enarrent gloriã Dei, & vita cælestis Sanctorũ etiã tacendo illã prædicet, multò tamen maior est gloria Dei, quàm à cælis, vel à Sanctis enarrari valeat.

2.

Psal.18.v.1.

In hunc locum Cant

Vtrumque sic explicat D. Gregor. Fragmen mali punici sancti Prædicatores existunt, quia dum se vt grana in diuino seruitio cæteris fortiùs astringunt, dum omnia mundana contemnunt, dum voluntates suas abnegant, & vitia sua omnino mortificant, dum se ipsos humiliant, & cæteros extollunt, & dum per exẽpla sua cæteros nutriunt, quasi fracti & aperti se cibos offerunt; sed quãuis magna sint, quæ extrinsecus apparent, maiora tamen in occulto retinent, quæ diuini oculi soli vident.

Hom 13. in Ezech.

Et rursus idem: Genæ sanctæ Ecclesiæ sunt spirituales Patres, qui nunc in ea miraculis coruscant, & velut in eius facie venerabiles apparent. Cũ enim videmus multos mira agere, ventura prophetare, mũdum perfectè relinquere, cælestibus desideriis ardere, sicut cortex mali punici sanctæ genæ rubẽt; sed quid istud est omne quod miramur, illius comparatione, de quo scriptum est, *quòd oculus non vidit, nec auris audiuit quæ præparauit Deus diligentibus se?* Benè ergo cùm miraretur genas Ecclesiæ, subdidit; *absque occultis tuis*: ac si diceret, *eadem quæ in te non latent magna sunt; sed valde illa ineffabilia quæ latent.*

1.Cor.2. v.9.

Sed adhuc subtiliora, & sublimiora documenta hæc verba sponsi insinuant. Oportet enim Doctores, & viros perfectos, quibus necesse est multoties virtutes suas præclaris operibus mũdo manifestare, vt videntes opera sua bona glorificent cælestem Patrem, cuius dona sunt; quantùm est ex propria propensione velle omnes abscondere, esseque, sicut ait Richardus, velut fragmen mali punici, quod quidem partim sua pulchra grana absconditi, partim verò deregit; nam ita multa operantur in publico, vt plura etiam operentur in secreto, desiderantes soli Deo nota esse, etsi ex toto propter gloriam Dei latere non expediat. Quòd si aliquando necesse sit verbis etiam aliquas gratias & virtutes proprias ad proximorum vtilitatẽ detegere, plura occultant, ne ab humilitate deuient.

3. De profunda humilitate cum præclara sanctitate.

c. 20. in Cant.

2.Cor.12. v.16.

Sicuti D. Paulus, cùm coactus esset à Corinthiis reuelationes, & raptus suos illis manifestare, vt firmiores in fide permanerent, postea addidit: *Si voluero gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicã: parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me*: id est, si voluero narrare plura alia, quæ in mei gloriam, sed propter gloriã Dei, cederent, vera dicerem, ea tamen reticeo, ne maiorem me existimetis quã sum: & hoc est quod sponsus ait: *Sicut fragmen mali punici genæ tuæ, extra taciturnitatem tuam*, id est, extra ea quæ de te files, & manifestare refugis, vt humilis coram me sis, nec maior quàm es ab hominibus habearis, vel *absque eo quod intrinsecus latet.* Intra te, & ex tua interna propensione occultatur, quia latere appetis, & ab hominibus non videri.

Sed id mirabilius, omnemque superans laudem, quòd non solùm interna sanctitas, quæ homines latet, sed etiam externa, quæ insignibus operibus est testata, & omnibus hominibus, sicut rubicũdæ genæ conspicua est, pulchra, & grata, lateat ipsum habentem illam, ac si nihil haberet, nihil se ipsum repurans, ac si omni sanctitate careret. Magna (inquit D. Bernardus) & rara virtus est, vt magna licèt operantem, magnum te nescias, & manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem, mirabile te apparere, & cõtemptibilem reputare. Hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico vos, dixerat D. Gregorius his verbis: Mirum valde est, cùm in cordibus sublimium regnat humilitas morũ. Subtilissima namque ars viuendi est culmen tenere, gloriam premere; esse quidem in potentia, sed potentem se esse nescire. Hoc igitur est, quod magni facit sponsus, cùm ait: *Sicut fragmen mali punici genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet.* Nã multis ac præclaris fulges virtutibus, & pulchra omnibus appares, absque eo quod intrinsecus, hoc ipsum te latet. Quod omnibus est mirabilius, quia eximiæ humilitatis indicium est, vt qui magnus est in oculis omnium, paruulus sit in oculis suis.

" Serm.13. " in Cant. " " " " " " Lib.26. " mor.c.15. " " "

Id confirmant ampliùs verba capitis sexti: *absque occultis tuis.* Et quæ sunt occulta iustorum nisi quæ Deus voluit ipsos ignorare? & illud in primis, quod omnes latet: *Quia nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum reseruantur incerta*: adeò vt D. Paulus, qui nullius culpæ sibi conscius erat, dixerit, se nõ ob id iustificatum esse coram Deo, quia aliqua posset esse culpa quę eum lateret, & quam Deus agnosceret: ob quam iustificatus non esset. Vnde & sanctus Iob dicebat: *Etsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Internæ etiam visitationes, inspirationes, & affectus, cuius certò sint, ignoramus, & inter occulta computantur: *Nam si venerit ad me* (ait Iob) *non videbo eum, & si abierit, non intelligam;* quia multoties Angelus sathanæ transfigurat se in Angelum lucis. Hæc & alia quæ occulta sunt nobis, sunt Deo manifesta, & apud ipsum summa laude digna: & ideo ait: *absque occultis tuis*, quę voluit esse occulta, vt nos in humilitate contineret, & vt cum timore, & tremore salutem nostram operantes illam certiùs consequeremur, & vitam obtineremus æternam in sæcula sæculorum, Amen.

Eccl.9. v.1. 1.Cor.4. v.4. Iob 9 v.21. & v.11.

EXHORTATIO II.

De Virginitate, & continentia; ac de verecundia, modestia, & silentio, quæ illam comitantur; & de rubore pœnitentiæ salutaris.

Pro Virginibus simul & Martyribus.

Sicut fragmen mali punici genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet.

Lib.3. exhort.22. & 15.

TRIPLEX, vt alibi diximus, in his verbis commendatur virtus, nimirum pudica virginitas, modesta verecundia, cum discreto silẽtio, quibus duplex, inest pulchritudo, interna & externa, de qua dicitur: *sicut fragmen mali punici genæ tuæ, præter id quod intrinsecus latet*, vel, *absque occultis tuis.* Vtraque necessaria est: siquidem teste D. Paulo: *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* Interna tamen multò est splendidior, per quam prudentes virgines à fatuis secernuntur. Similes erant in eo quod apparebat foris, quia integras habebãt lampades & vasa, dissimiles verò in eo quod latebat intus, scilicet in oleo intra vasa occluso, quo abundabant

1.Cor.7. v.34. Matth. 25. v.4.

dabant prudentes, dum internæ charitatis & deuotionis studio vacabãt. Quod fatuæ neglexerũt. Vtraque ergo simul hoc encomiũ comprehendit

A

Castitatis quædam insignia. §. 1.

ET in primis egregiè virginibus apratur genarum & fragminis mali punici similitudo, quoniam sicut rubicundæ genæ pulchram reddũt faciem, & sunt quasi duo faciei malogranata: ita virgines & cõtinentes pulchritudo sunt & decor Ecclesiæ, ac magnum eius ornamentum; testimoniũque reddunt sanctitatis illius, & ipsius Christi à quo cunctus decor promanat: *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate!* ait Sapiens: & quid (inquit D. Bernardus) castitate decoritus, quæ mũdum de immundo conceptũ semine, de hoste domesticum, Angelũ denique de homine facit? Differũt quidem inter se homo pudicus & Angelus, sed felicitate, nõ virtute: sed ersi illius castitas felicior, huius tamẽ fortior esse cognoscitur. Sola est castitas quę in hoc mortalitatis & loco & tẽpore statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solẽnia morem beatæ illius vendicat regionis, in qua nec nubunt, nec nubentur, præbens quodãmodo terris cælestis iam illius conuersationis experientiã. Hæc ille. Pulchri quidem Angeli natura incorrupti, & hominibus sublimiores, vtpote puri spiritus nulla carne amicti: at mirabilior est, & quodammodo pulchrior ac sublimior incorruptio virginũ, quæ in carne mortali & contra spiritum continuam luctam gerẽte, id seruant per Christi gratiã quod Angeli habent per naturam. Nõ fuit mirabile in Babylonica fornace Angelum in corpore assumpto apparentem non comburi; quia nõ erat verum corpus: at stupendum fuit prodigium, tres pueros in eodem camino ignis ardente integros mansisse, & incombustos. Quid, si ignis non comburat adamantem? at mirabile est si non comburat rubum. Cùm ergo ignis cõcupiscentiarum non Angelos tangat, sed homines, magnum est diuinæ omnipotentiæ miraculum, quòd hos non comburat, nec integritatem adimat.

B

C

D

Epist.42. aliquantulùm post initium.

Matth. 22.v.30.

Dan.3.v.92

Qui ergo angelicam ducunt vitam, angelicam super reliquos homines habent sublimitatem, & instar genarum sublimem in Ecclesia obtinent locum, quem illis promisit Dominus per Isaiam dicens: *Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus, nomen sempiternũ dabo eis, quod non peribit.* Quem locum cõmuniter Patres de virginibus & continentibus interpretãtur, quibus Deus in Ecclesia magnum locũ, & nomen promittit. Pro illa voce *locus*, vocabulũ Hebræum *Iad* significat manum, id est, dabo manum: dare autem manum tria significat in Scriptura sacra. Primum est dare auxilium, vt patet ex illo: *Numquid manus Ioab tecum est?* Item, *humiliare Deo, & expecta manus eius.* Deus autẽ specialissima auxilia tribuit castis, vt suam pudicitiam tueantur, & de hostibus carnalibus triumphent, vnde tantum nomen, famam, & gloriam obtinent etiam apud gentes, vt magnam inferant admirationem, sicut testatur D. Petrus dicens: *In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem.* Potissimùm autem admirabantur, quòd alacriter abstinerẽt non solùm ab impuro, dãnatoque cõcubitu, sed etiam à coniugali, atque legitimo. Quod esse supra naturam putabat D. Augustinus ante conuersionem,

Isai.56.v.4.

D.Ambr. lib.de instit.Virg. c.6.

Aug.lib.de vera virgin.c.24.

1. Hieron. lib.1.contra Iouinianum.

D.Bern. & alij.

D Basilius citatur infrà exhort. 21.§.4.

3.Reg.14. v.13.

Eccl.13.v.9

Foteirus vertit dabo manum & nomen.

1.Pet.4.v.4

cùm nondum expertus erat quantam fortitudinem sortiretur ex Dei auxilio imbecilla caro, & ad libidinem prona.

Præterea dare manum, est fœdus & societatem inire, vt constat ex illo: *Numquid est cor tuũ rectum, sicut cor meum cum corde tuo? si est* (inquit) *da manum tuam.* Quod & inter nos etiã modò est in vsu, cùm aliqui ruptam amicitiam restaurant: sic casti peculiarem ineunt cum Deo amicitiam, & familiaritatem, ad iugem eius admittuntur sequelam; sicut in Apocalypsi dicitur de ijs, qui cum agno erant supra sublimem montẽ Sion & sequebantur illum quocumque ibat: *Virgines enim sunt.* Qui autem sequitur alium quocũque it, familiariter valde cum eo versatur, & ad loca siue sublimia, siue abdita cũ eo amicitiæ gratia tendit. Sed adhuc quid excellentius significat dare manum, nempe pactũ inire cõnubiale, quomodo de Raguel cùm sacrã filiam suam desponsauit Tobiæ, ait Scriptura, & apprehendens dexteram filiæ suæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens: *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum sit, & ipse coniungat vos.* Quem ritum ineundi nuptias per manuum coniũctionem etiam quidam obseruant modò. Christus autem spiritales contrahit nuptias cum virginibus, quæ carnales respuerunt, & quicumque veneris vsum & carnis oblectamenta negligunt, vt soli Deo vacent, & Christo per amorem firmiùs inhæreant, ab ipso data dextra in spiritalem desponsationem singulariter admittuntur. Vnde tantò meliùs adipiscuntur nomen, quãtò præclarius est regis cælestis amicæ ac sponsæ nomen, quouis alio ordinis terreni. Et hoc est quod de virginibus dicitur habere in frontibus scriptum nomen agni & nomen patris eius; quoniam iam non sunt sui iuris, sed ad Christum, & Deum pertinent; quomodo sponsa, & vxor non est sui iuris, sed sponsi ac mariti. Vnde & ab illo nomen desumere solet, in signũ quòd iam sunt duo in carne vna. Qua phrasi vtitur scriptura, dum vxorẽ à nomine mariti vocat Mariam Alphæi, vel Cleophæ, &c. Hæc autem maximè quadrant in Religiosos, & Moniales, qui ad castitatem seruãdam se voto astringunt, & cũ Christo solemnes quasi nuptias celebrant. Quibus conuenit illud Isaiæ: *Iste dicet, Domini ego sum*, id est, iam non meus, sed Domini sum, cui me tradidi: & illud Pauli: *Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Qui enim hoc modo propter Christum nuptiis renunciarunt, peculiariter sunt iã ipsius Christi, & quidquid ad carnis concupiscentias pertinet, cum ipso crucifixerunt.

2.

2. Tobiæ 7. v.15.

Apoc.14. v.1.

Apoc.14. v.1.

Isai.44.v.5.

Ad Gal.5. v.24.

Cur virgines comparentur cortici, vel fragmini mali punici. §. 2.

HInc patet quam aptè huiusmodi virgines Ecclesiæ genę, cortici seu fragmini mali punici assimilentur. Cortex, qui læuis est absque vllo tubere & inæquabilitate, ad integritatem corporis refertur; grana verò alba & rubicũda ac gustui delectabilia affectus virginitatis internos indicant qui sunt eius fructus. De quibus Ecclesiasticus inquit: *Obaudite me diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate*; Virgines enim nõ sunt steriles, sed fœcundæ, plurimos spiritales filios generantes, nimirum plurima opera candida, rubicunda, & dulcia, sicut mali punici grana; fulgent enim candore innocentiæ, charitatis rubore, ac deuotionis spiritali dulcedine; quæ adeo magna est teste Cassiano, vt nullus inexpertus eam cognoscere, nec expertus verbis possit

2.

Eccl.39. v.17.

Collat.12. c.13.

explicare. Cuius *indicium* est, quòd ardens amor castitatis omnia amara edulcat, vt ipsam indemnem seruet. Quapropter ad tuendam castitatem, libenter, & alacriter carnem castigat, & quæcumque sunt ei acerba, & molesta, amplectitur: imò, quando necesse est, mauult vitam perdere quàm illam maculare. Plures enim colit Ecclesia sanctas fœminas, quarum duæ rubicundæ genæ sunt verecunda virginitas, & propter illam seruandá rubeum proprio cruore martyrium: & ob vtráque duplicem adeptæ sunt laureolam, qua sunt in cælis coronatæ: omnes etiam castitatis cultores eisdé fulgent rubicundis genis continentiæ, & martyrij voluntarij, per carnis afflictiones sponte assumptas, ne periclitetur castitas.

2. Quamobrem optimè comparantur fragmini, & cortici mali punici: fragmini quidem, quia eligunt corpus tormentis, & pœnis frangi, ne integritas frangatur; cortici verò, qui durus est & insipidus licèt ruber, quoniam per externas carnis abnegationes, quæ illi sunt insipidæ, castitas seruatur; nam, vt inquit D. Gregorius Nissenus: Sicut cortex mali punici nutrit, & conseruat dulcedinẽ fructus, qui in ipso continetur, ita austera, continensque & aspera vita, fit custos bonorum temperantiæ & castitatis. Insipidus etiam est, nam quãtò virgo dulciorem se præstat Deo, tantò insipidiorem se præbet hominibus, qui eam vllo modo possent maculare. Sed in his omnibus ruber est, quia procedunt ex flagranti amore Dei & ipsius castitatis.

Hom. 7. in Cant.

3. Præterea cortex iste, qui grana vestit & tegit, externum amictum virginis significat, qui instar corticis non debet esse mollis, & blãdus, carnis illecebras nutriens, nec nimis curiosus & pretiosus, animi insinuans vanitatem; nec tamen sordidus, aut nimium abiectus, ne redoleat hypocrisim; sed modestus, & humilis, & moderatè asper; sicut cortex mali punici, qui nec nimis rubescit, aut nigrescit, sed subuiridis, aut subfuscus. Hic autem honestus amictus maximè conducit ad custodiam castitatis, sicut pretiosus illam periculo exponit.

Tract. de disciplina & habitu virginum. Psal. 52. v. 6. Ad Gal. 1. v. 10.

„ Quod sic explicat D. Cyprianus: Si Christum cõtinentia sequitur, & regno Dei virginitas destinatur, quid est illis cum terreno cultu, & cum ornamentis, quibus dum hominibus placere gestiunt, „ Deum offendunt? Non cogitãtes esse prædictum; „ qui hominibus placẽt, confusi sunt, quoniá Deus „ nihil fecit illos. Et Paulus gloriosè & sublimiter „ prædicauit: *Si hominibus placerem, Christi seruus non „ essem.* Et paulò pòst; Redarguit se cultus improbus, & impudicus ornatus, nec computari iam „ potes inter puellas & virgines Christi, quæ sic vi- „ uis vt possis adamari.

4. Denique cortex clausura est, & murus granorum, cùm verò frangitur, etsi aliqua deregantur, aliqua tamen tegit: sic virginitas clausuram appetit, & murum custodientem, ne videatur, & appareat. Non tamen comparatur malo punico integro sed fragmini, quia necesse est aliquibus operibus & signis ad Dei gloriam foris se prodere. Et præterea quia in culmine mali granati integri quædam cernitur corona; at virginitas in hac vita cùm multis sit periculis & tentationibus exposita, non potest habere coronam, quæ nondum perfecit luctam, si quidem: *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.*

2. ad Timoth. 2. v. 5

Sed quamuis cortex grana tegat, & muniat, adhuc sponsus fortius munimen insinuat, cùm ait: *Absque eo quod intrinsecus latet.* Insinuat enim Virginem vehementer ob sui custodiam desiderare, absconditá esse, & latere, ne videat, nec videatur; ne concupiscat, nec concupiscatur. Vnde, sicut D. Hieronymus notat: Virgo in sacro eloquio nuncupatur nomine isto *ngalemah*, quod est virgo absA condita, & latens, de qua loquitur Isaias cũ dicit; *Ecce virgo concipiet.* Et omnis publicatio virginis bonæ (ait Tertullianus) quasi stupri passio est, ideoque semper latere cupit. Quia verò genæ manifestè patent in facie, vt ostẽdat sponsus quid dilecta sua in votis habeat, dixit: *Absque eo quod intrinsecus latet*, id est, quod ipsa latere appetit: sicut diabolus vocatur, qui tentat id est, qui tentare cupit. Et hoc magis indicat, si alluſio sit ad id quod latet sub velo; sicut Hebræi legunt, *intra velũ tuum.* Solebant enim virgines facié tegere velo aliquo honestatis causa, vt suprà diximus. Quomodo Rebecca virgo videns Isaac venientẽ, pallio vulB tum suũ operuit, & vtique pulchra virgo (inquit D. Ambrosius) non decori timuit, sed pudori: id est, nõ se operuit ob defectum decoris, sed ob magnitudinẽ pudoris. Vnde & mos inoleuit, vt virgines sanctimoniales velo operiantur, & intra clausura monasteriorum clausæ sint. Tertullianusque verustissimus autor librum fecit de velandis virginibus: in quo inter alia sic ad virginem ait; Indue armaturam pudoris, circumdux vallum verecundiæ, murũ secui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. Nec mysterio caret, quòd in solo encomio oculorum, & genarum apponantur hæc verba, *absque eo quod intrinsecus latet, vel intra velum tuum*, quòd in his duobus membris maior elucet pulchritudo, & magis necessarium sit virginibus ea operire, ne vel ipsa videant, vel à vitis videãtur; nam cùm videntur, maiorem C vim videntibus incutiunt vt eas concupiscant.

Gen. 34. v. 66. Lib. 3. de virginibus paulò post initium. Lib. 3. de velandis virginibus cap. 13.

De verecundia, modestia, & silentio instar corticis custodiente castitatem. §. 3.

1. Sed quoniam corporeum velum, & externum clausſtrum vix potest omnino impedire, quin oculi videant, & genæ aliquando videantur; aut si omninò impediat, molestum erit, nec diuturnum, si non ex corde sponte assumatur: ideo nulla fortior est armatura, nullum potentius velũ, aut murus, quàm vehemens amor castitatis intrinsecus latens. Et quid illæsam seruauit castitatem Susannæ? Numquid murus & ostiũ clausum pomœrii, Dan. 13. v. 23. intra quod intrauit? Minimè; quia illic etiam se absconderunt senes, qui eius pudicitiam violare aggressi sunt. Ingens tamen amor castitatis protexit illam, & innatus pudor, ac memoria Dei præsentis, quę intrinsecus latebat. Sic enim ait: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras quàm peccare in conspectu Domini.* Lateat ergo intus id quod castitatem custodit foris.

De hoc in lib. 3. exhort. 22. §. 4.

2. Propter hoc etiam innata est hominibus, maximè autem iuuenibus & puellis affectus verecundiæ, per quam aliquis refugit turpitudinẽ virtuti, & castitati contrariã, & in genis per ruborẽ ostenditur; ideoque per eas repræsentari alibi diximus, vt sicut per rubrũ corticem grana mali punici custodiũtur; sic per ruborem verecundiæ custodiretur pudicitia, & virtus omnis. Sed additur modò, *absque eo quod intrinsecus latet.* Ac si dicat, pulchra est verecundia tua, sed pulchrior causa intus latẽs; vnde rubor iste procedit, nempe amor virtutis & castitatis, iuxta illud Ecclesiastici: *Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata: omnis autem põderatio non est digna continentis animæ.* Gratia super gratiam significat omnem seu multiplicem gratiam, aut saltem

Ex D. Tho. 22. q. 143. & 144. Ecclus. 26. v. 19.

saltem duplicem, externam. Quæ significatur per pudorem, & verecundiam castitatis custodem: & internam, quam significat nomen *sanctæ*, cũ enim sanctitas pudori adiungitur, & pudor sanctitati, multiplex accrescit animæ gratia; nec est alicuius rei pondus quod tali anima sit dignum. Verecun- Lib. 1. officio. c. 43. „ dia (inquit D. Ambrosius) familiaris est mentis „ placiditati, proteruiá fugitans, ab omni aliena lu- „ xu, sobrietatem diligit, honestatẽ fouet, decorum „ virtutis requirit. Optimè ergo assimilatur rubori corticis mali punici, qui procedit ex intimo rubore granorũ, attractus à solaribus radiis; cuius inditiũ est ex ea parte rubicundiorẽ esse, quàm sol magis respicit; & quasi vicé rependens granis, internum eorum ruborem & cãdorem seruat: ita etiam rubor verecundiæ in sancta & pudica anima ex insigni munditie & flagranti erga Deum charitate procedit, & ex intuitu Christi sponsi sui, quem præsentem agnoscit; & tamen ideo foras procedit, vt ea quæ intus manent custodiat.

3. Propter quod sicut teste Ecclesiastico, *ab occursu* Eccl. 19. v. 26. *facici cognoscitur sensatus*: Ita à rubore genarũ & modesta verecundia, cognoscitur intus latens pudi- Lib. 3. de Virginibus. paulò post initium. Tract. de disciplina, & habitu virginum, aliquantulum post init. Lib. de vera virginit. circa medium. „ cicia, & insignis sanctimonia. Virginẽ (inquit D. „ Ambrosius) mihi priùs grauitas sua nũciet, pudo- „ re obuio, gradu sobrio, vultu modesto, & prænũ- „ cia integritatis anteant signa virtutis. Oportet au- „ tem virgines his externis signis suam pudicitiam „ testari, vt non tantùm coram Deo, sed etiá coram „ hominibus bona prouideant, & se probatas exhi- „ beant. Virgo (inquit D. Cyprianus) non esse tan- „ tũ, sed & intelligi debet & credi; vt nemo cũ virginem videt, dubitet, an virgo sit. Parem se integritas in omnibus præstet, nec bonũ corporis cul- C „ tus infamet. Et D. Basilius idem contestans ait: virgo sit virginis, & auditus, & visus, & tactus, motusque omnis, vt scilicet omnes eius sensũ actus & corporis motus virginitatem redoleãt, & tales sint quales virginem decent. Ex quibus omnibus quidá conflatur amictus non superadditus corpori, sed illi innatus, qui enũciat de anima qualis sit: sicut enim principes peculiaré suis pedisequis tribuunt vestem versicolorem (quam Hispani vocamus *librea*) per quam eius esse famuli dignoscuntur; sic Deus electis suis virtutem verecundæ modestiæ tribuit, quæ omnes eorum externos corporis motus secundũ rationem componit; & est velut vestis versicolor atque insignis nota & sanctitatis interne, ac incorrupti, quieti, & modesti spiritus; qui teste D. Petro, locuples est in conspectu 1. Petr. 3. v. 4 Dei, eo quòd modestiã notam omnib. hominibus, sicut genas, potissimè seruat, vt D. Paulus inquit, Ad Philip. 4. v. 5. D quoniá Dominus prope & vbique est intuẽs illã.

Lib. aduersus mulieres ambitiosiùs se ornantes & excolentes.

Confirmat hoc elegans etsi parabolica sententia D. Gregorij Nazianzeni notã distinctionis inter pudicos, & impudicos, probos, & improbos, verecundiæ in hunc modum assignans: cùm enim (inquit) inter homines tanta esset perturbatio, vt boni à malis non possent internosci; & propterea iusti putarentur nefarii, & hi è contrà iusti, decreuit Deus præclarum signũ depingere, quo perspicuè dignosceretur quis bonus, quis malus sit: & bonorum genas ruborem tinxit, suffuso scilicet pelli sanguine, quoties turpitudo aliqua animum adoriri pararet, quem etiam mulieribus, quia variori cute, & molli pectore sunt, vberiùs infudit: at verò malis sanguinem condensauit, immotumque intus tenuit; eoque efficitur vt ad nullam turpitudinem erubescant. Hæc Naziãzenus per modum parabolæ proponẽs quod Deus author naturæ ad virtutis custodiã, & vitii fugam hominibus indidit. Addit tamen alium laudabilẽ posse superaddi coloré: Vnicus (ait) color in mulieribus amabilis est: nimirum rubor ille, quẽ pudor gignit, qui quidem à pictore nostro Deo pingitur. Dabimus etiã, si ita lubet, & alterũ, nempe vt pulchritudini tuæ pallorem ascisças, Christi laboribus tabescas, arq; & precibus & lachrymis, & diurnis, nocturnisq; vigiliis te ipsam maceres: huiusmodi autẽ erit pallorem ingerant corpori, animum tamen charitatis ornant rubore.

4. Denique ex verecundiæ rubore castum & prudens promanat silentiũ, quod castitatem etiá ficut cortex seruat. Laudauerat sponsus hoc silentium cũ dixit: *Sicut vitta coccinea labia tua*; modò autem cõmendans verecundam castitatem, quæ in genis splendet, subdit, *extra silentium tuum*, seu, *extra taciB turnitatem tuam*, quæ ex hac verecũdia procedit, & est valde laude digna, quoniam eã ornat vitta coccinea charitatis, & verecundus rubor pudoris, qui ad tacendũ virgines prouocat, vt labẽdi pericula caueant. Qua de causa D. Ambrosius eas ad fugiẽ- „ das visitationes, & occasiones loquendi exhorta- „ tur dicens: Teritur enim in officiis pudor, audacia „ emicat, risus subrepit, modestia soluitur; dum affectatur vrbanitas, interroganti non respondere, infantia; respondere, fabula est; deesse igitur sermonem virgines his externis signis suam pudicitiam malo; nam si mulieres etiam de rebus diuinis in Ecclesia iubentur tacere, domi viros suos interrogare, de virginibus quid cautum putamus, in quibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commẽdat pudorem? Et pau- „ lò pòst: Vocis virginitas prima signetur, claudat „ ora pudor, debilitatem excludat religio, instituat „ consuetudo naturam. „

Lib. 3. de Virginibus.

Sed quoniam genæ etiam locutioni deseruiunt retinendo aërem, qui per guttur emittitur, ad formandam vocem, vel eum, qui extrinsecus aduenit ad refocillandum; hinc virgines & continentes genis rubicundis assimilantur, cũ ex eodem pudoris affectu labia aperiũt ad loquendum cum Deo in oratione ex intimo cordis affectu, quem inspiratio diuina excitat, maximè vt Spiritus sancti refrigerantem attrahant auram ad concupiscentiarum extinguendos æstus.

De oratione mentali, quæ taciturnitas dicitur, suprà dictum est.

Sed tunc etiam (inquit Theodoretus) rubor verecundiæ tempestiua vtitur taciturnitate, zelans opportunè arcanas mysteriorum rationes. Etenim sicut erubescentia aliquando vix verba promere sinit, ita humilis, qui coram Deo esse, & cum eo loqui erubescit, si quæ dona interius ab eo recipit, silentio tegit: & præ humilitate tamquam indigno collata erubescit manifestare.

Lib. 3. exhort. 25. hęc Deiparæ aptatur.

De rubore pœnitentiæ. §. 4.

Pro conuersione Magdal. D. Thom. 2. 2. q. 142. & 143.

Sed quoniam in natura corrupta, necesse est homines aliquoties delinquere, & continentes labi, prouidit Deus genarũ ruborem, & erubescẽtiam de lapsu, ad surgendũ ex illo. Vnde quasi duæ animæ rubræ genæ sunt, verecundia & erubescẽtia; illa turpitudinem oblatã horret, & fugit; hæc de perpetrata confunditur & dolet, ac per pœnitentiá delere conatur. Gratuita enim Dei illustratio, dum fœditatem culpæ manifestat, erubescentiá, & confusionem salutarẽ excitat, ex qua dolor, gemitus, lachrymæ, & alii pœnitentiæ fructus ad vltionem peccatorum proueniunt; vt ideo Ecclesiasticus dixerit; *ante grãdinem* (seu vt habet textus Græcus) *ante tonitruum præibit coruscatio, & ante verecundiam præibit gratia, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* Sicut enim ex collusione & ruptione

Ecclus. 32. v. 14. Elegans simile.

densæ nubis proueniunt coruscatio, & fulgur, to- A
nitruũ, & ingens pluuia, aliquandoque grando cũ
illa; ita etiam, cùm nubes dẽsa peccatoris à diuina
gratia tangitur, concutitur & scinditur veheméti
suarum inspirationum impetu, prodit foras corus-
catio facici, quæ est verecundia, & erubescentia de
peccatis cõmissis; deinde tonitrua orationum, &
gemituum, ac confessionis suorum peccatorum:
simul etiam copiosus imber lachrymarum ad la-
uanda peccata; & tamquam grandines prodeunt
multi actus ad conterenda & conculcanda illa, &
vindictam sumendam de carne, ac propria volun-
tate, quæ illorum extiterunt causa. Propter quod
huiusmodi verecundæ genæ aprè cõparantur du-
ro & rubro cortici, ac fragmini mali punici, quod
plura etiam rubicunda cõtinet grana; id est, plures
actus, qui ex honesta erubescentia proueniunt ad
delenda peccata. De quibus D. Paulus postquam
2. Cor. 7. v. 10. dixit: *Quæ secundùm Deum tristitia est pœnitentiam in* B
salutem stabilem operatur, subdit: *Ecce enim hoc ipsum*
secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis ope-
ratur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem,
sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vin-
dictam, in omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse
negotio. En quot fructus pœnitentiæ parit honesta
erubescentia, & tristitia secundũ Deum de pecca-
to; nimirũ solicitudinem ad purgãdum se ab illis,
defensionem à tentatoribus impedientibus pœni-
tentiam, indignationem contra se ipsum, qui tale
facinus ausus est perpetrare, timorẽ de diuino iu-
dicio, aut de reciduo, ne iterum prolabatur; desi-
derium placandi Deũ, & bonam inchoãdi vitam,
æmulationem bonorum, & meliorum charisma-
tum; vindictam ac castigationem carnis ad satisfa-
ciendum pro culpis, perfectamque morum correp-
tionem, per quam se incontaminatum exhibeat C
in hoc, & quolibet alio negotio. Pulchra sunt gra-
na ista, & dulces fructus spiritui, etsi insipidi ipsi
carni; tamen per cunctos illos pœnitens reueretur
Deum, & propter hanc reuerentiã accedit illi bo-
na gratia, iustificans illum in virtute gratię excí-
tantis, & præuenientis, quæ verecundiæ premit
coruscationem. Sed adhuc additur: *Absque eo quod*
intrinsecus latet. Nam etsi perfecta pœnitentia mul-
ta foras emittat, per quæ se manifestet; plura ad-
huc intus latent in corde cõtrito, & humiliato, &
in ardenti Christi amore, qui contritionẽ format.
Luc. 7. v. 36. & 47. Cuius egregius testis esse potest mulier illa quæ
erat in ciuitate peccatrix, cuius genę tanto sunt re-
fertæ rubore erubescentiæ, vt non auderẽt coram
Christo apparere, sed stans retrò secus pedes eius,
ad illos se proiecit: cui optimè congruit, *sicut frag-*
men mali punici genæ tuæ absque eo quod intrinsecus la-
tet: Nam licèt plurima pœnitentiæ signa exteriùs D
exhibuerit, per verecundiam, per profusionem la-
chrymarum, per vnctionem pedum, tersionem, &
osculationem: quæ omnia licet insipida & ingrata
essent Pharisæo, qui in corde suo exprobrabat ei,
tamen dulcia, & grata valde erãt Christo; sed mul-
tò dulciores, & gratiores affectus, qui intus late-
bant diuina inflammati dilectione. Ad quos respi-
ciens Dominus dixit: *Remittuntur ei peccata multa*
quoniam dilexit multum. Quia etiam doloris, & eru-
bescentiæ vehementia auferebat ei promptũ lin-
guæ vsum, explicabat factis quòd verbis reticé-
bat. Quod approbans cælestis sponsus, ait: *Extra*
taciturnitatem tuam. Clamabat ipse genarũ rubor,
clamabat rigatio, vnctio, & tersio, & osculatio pe-
dum, sed tacebat lingua: Hæc autem taciturnitas,
quia vehemẽtem amorem indicabat, grata ei erat,
cui cordis affectus clamant, etsi lingua sileat: quã-
uis autem doloris, & ruboris magnitudo ad tem-
pus vsum linguæ præpediat; tamen necesse est tẽ-
pore opportuno peccata ipsa ore confiteri, & ge-
nas, quæ instrumẽta sunt locutionis, rubere simul
cũ aperiuntur labia ad peccata facerdoti manife-
standa: verecunda enim peccatorũ confessio illo-
rũ tollit maculas, & animæ amissam restituit pul-
chritudinem, & gratiã: Deoque magnam confert
gloriam, iuxta illud Ecclesiastici: *Pro anima tua non* Eccl. 4. v.
confundaris dicere verũ; est enim confusio adducens pec- v. 24.
catum, & est confusio adducens gloriã, & gratiam. Cõ-
fusio hîc sumitur pro pudore & erubescentia, quæ
tunc est mala, cùm cogit tacere verum quod quis
manifestare tenetur; vt cũ erubescit cõfiteri fidem
coram tyranno, vel peccata coram sacerdote. Tũc
autem est bona, cũ verecũdatur de malo, ne faciat
illud, vel cum rubore cõfitetur, vt eruatur ab illo. Plura de
Sed de his plura iam diximus citato loco. Felicis- hoc affectu
simi, qui integritatẽ, in qua nati sunt, tamquã pri- tradit
mitiuum fructum agno Dei offerre potuerũt; sed Eccl. 41.
felices etiam qui de eius amissione vetecundantes versf. 28.
continentiam seruant suo statui congruentem, sa- vsque ad
tagentes, vt ea quæ intus latãt, in quibus ipsas vir- finem, &
gines superare valent, Deo sint valde accepta; qui c. 42.
plenam illis reddet retributionem in sæcula sæcu-
lorum, Amen.

EXHORTATIO XII.

De rectamente erga Deum, nec curua ad infima, nec su-
perbè erecta ad supera, sed per humilitatem & obe-
dientiam firmiter ad Christi similitudinem ei firmi-
ter subiecta.

Sicut turris Dauid collum tuum, quę ædificata est
cum propugnaculis: mille clypei pendent ex
ea, omnis armatura fortium.

COLLAVDATIS sponsæ parti-
bus quæ in capite resident, laudat
sponsus collum, quod immediatè est
sub capite, illudque sustinet: laudat
autem quòd rectum sit, procerum, ro-
tundũ, forte, & miris monilibus ornatum, ad simi-
litudinẽ (proportione tamẽ seruata) turris, quam
ædificauit Dauid in monte Sion, quæ in Scriptura 2. Reg. 5. v. 9
vocatur arx Sion, aut turris magna, & eminẽs pro 2. Esdræ
defensione ciuitatis ad præuidendum hostiũ ad- c. 3. v. 27.
uentum, & irruentium impetum repellendũ, cum
propugnaculis, seu pinnis, & aliis, quæ murũ or- Hispanè
nant, & ad propugnandũ deseruiunt: erant autem almenas.
in ea turre pẽdentes clypei mille, id est, innumeri,
omneque genus armorum, quo fortes viri armari D
solent. Pendebant autem ad ornatum turris, sicut
mos erat antiquis, vel quando ea ab hostibus de-
uictis abstulerant, vt Dauid suspendit armã aurea, 2. Reg. 8.
& scuta Adarezer, & gladium Goliath; Iudith ve- v. 7.
rò Holofernis conopæum; vel quia ad hunc orna-
tum tantùm efficiebantur, sicut Salomon fecit du- 3. Reg. 10.
centa scuta aurea: vel, vt essent parata ad vsum mi- v. 6.
litum, & pugnam. LXX. vertunt: *Quæ ædificata est*
in Thalpioth, mille clypei pendent ex ea, omnia iacula po-
tentiũ. Thalpioth interpretatur vel in altitudines, Symmach.
seu eminẽtias, vel ad doctrinas, seu ad disciplinas, vertit in
vel monumenta, id est, ad normam exemplarque altitudines.
omniũ turrium, vt diuerent artifices aliquid egre-
gium ædificare; vel, vt à longè viatores viã ex eius
conspectu discerent, sicut pharus nauigantibus
ostendit portum. Hæc de litera. Iam de spiritu: sed
recoleda sunt quæ fusè diximus circa illud, *collum*
tuum

Lib. 3. exhort. 26. & 27. *tuum sicut monilia*, quam similitudinem hæc am- A
pliùs explicat; maximè, si intelligatur de collo nõ
nudo, sed monilibus ornato, vt ipsum collum assi-
miletur turri, monilia verò propugnaculis, & cly-
peis. Sed de hoc in sequentibus.

De recto animæ collo, nec curuo ad terrena, nec erecto
per superbiam. §. I.

Hoc tenẽt Aloisius Legionẽsis Martinus Delrio, Ludouicus de Soto Maior. NOnnulli existimant, hîc colli nomine totius
corporis staturã, quæ infrà assimilatur pal-
mæ, significari, quòd sit excelsa, erecta, & firma,
sicut turris Dauid: vt sicut hæc cæteris turribus
celsior erat, sic sponsa inter cæteras mulieres emi-
neret Ecclesia, & pia anima inter cæteras congre-
gationes & animas. Sed duriuscula videtur aliis
hæc vsurpatio. Cùm enim tam in præcedentibus
quàm in sequentibus specialium membrorum en-
comia tradantur, etiam collum, vt speciale mem-
brum est, hîc laudari videtur. Probabilior tamen B
esset interpretatio, si quemadmodum in versu se-
quenti vbera dicemus vsurpari posse pro amore,
cuius sunt signum, & quasi sedes; ita hîc per col-
lum intelligatur rectitudo, & erectio hominis se-
cundùm corpus, & secundùm mentem, delineata
per discrimen quod est inter collum humanum,
& belluinum. Etenim animalia rationis expertia,
quæ non dicuntur creata ad Dei imaginem, sed
esse tantùm velut vestigia ipsius, quomodò vesti-
gium terræ impressum signum est hominis: cor-
pus, collum & caput gerunt pronum in terram,
quia etiam secundùm animam terrena sunt, &
mortalia, solumque terrena appetunt, vt corpora.
Iter viuant: At homo, qui secundùm animam ad
imaginem & similitudinem Dei creatus est, cor-
pus, collum & caput accepit erectũ, vt denotare-
tur animam esse immortalem, & ad cælestia in-
Lib. 6. de Genesi ad literam: id- que con- firmat lib. de Genesi contra Manichæos c. 17. „ tuenda, & possidenda creatam. Homo (inquit D. C
„ Augustinus) erecta statura factus est, vt hoc ipso
„ admoneretur non sibi terrena esse sectanda, veluti
„ sectantur pecora, quorum voluptas omnis ex ter-
„ ra est, vnde in aluum cuncta pecora prona, atque
„ prostrata sunt. Congruit autem corpus hominis
„ animæ rationali, non secundùm delineamenta fi-
„ guraque membrorum, sed potiùs secundùm id
„ quod in cælum erectum est ad intuenda quæ in
„ corpore ipsius mundi superna sunt; sicut anima ra-
„ tionalis in ea debet erigi, quæ in spiritualibus na-
„ tura maximè excellant, vt quæ sursum sunt sapiat,
„ non quæ super terram.

Ad hanc igitur indicandam mentis rectitudi-
nem & sublimitatem, inquit sponsus; *Sicut turris*
Dauid collum tuũ, quæ ædificata est cum propugnaculis.
„ Quod egregiè sic explicat Theodoretus: quemad- D
„ modũ turris à Dauid ædificata superat propugna-
„ cula, id est, altitudines, in quibus constructa est, su-
„ blimisque cõstat, atque conspicua; ita collũ tuum
„ (id est, mens tua) excelsum est & sublime, altaque
„ circumspicit, & contemplatur; nec enim bruto-
„ rum more pronum in terram respicit, neque in vẽ-
„ trem vergens sues imitatur, sed erectũ ac forte est.

2. Per hoc autem sancta anima duo vitiosa extrema
declinat; alterum eorum qui more brutorũ in car-
nis illecebras & terrena bona propendent vehe-
menter, ea quæ spiritalia sunt & cælestia, penitus
Psal. 48. v. 13. contemnentes; vt meritò dixerit Dauid: *Homo cùm*
in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis in-
sipientibus, & similis factus est illis. Deus (inquit D.
Serm. 24. in Cant. lib. 2. exhort. 16. Bernardus) quẽ de virtutũ rectitudinibus agẽtes
„ suprà citauimus staturam dedit, homini rectã vt
„ ista corporea exterioris viliorisque rectitudo fig-
„ menti, hominem interiorẽ illum, qui ad imaginem

Dei factus est, spiritualis suæ seruãdæ rectitudinis
admoneret; & decor limi deformitatem argueret
animi: quid enim indecentiùs quã curuum recto
corpore gerere animũ? Peruersa res est, & fœda, lu-
teũ vas, quod est corpus de terra, oculos habere sur-
sũ, cælos liberè suspicere, cælorũque luminaribus
oblectare aspectus; spirituale verò cælestéq; crea-
turam suos è cõtrario oculos, id est, internos sẽsus
atque affectus, trahere in terrã deorsum; & quę de-
buit nutrii in croceis, hęrere luto tamquam vnam
de suibus, cõplexarique stercora. Erubescę anima
mea diuinã in pecorinam commutasse similitudi-
nem: erubescę volutari in cæno, quæ de cælo es.
Hæc, & alia D. Bernardus eleganter prosequitur.

Sed in aliud extremũ vergunt superbi, qui plùs 3.
nimio se erigunt, & cælestem magnitudinem pro-
pter sui excellentiam inordinatè appetunt, veluti
qui collũ plusquã par est, extendunt, & eleuant, vt B
quę supra se sũt videãt. Qua phrasi vtitur Scriptu-
ra ad hanc superbiam declarandam, vt cũ Isaias in-
quit: *Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulave-* Isai. 3. v. 16.
runt extento collo: & Iob etiam de superbo ait: *Cucur-* Iob 15. v. 26
rit aduersus eum (id est Deũ) *erecto collo, & dura cer-*
uice armatus est. Huiusmodi fuit collũ superbi Na-
buchodonosor, Balthasaris, Sennacherib, ac alio-
rum, qui diabolum regem super omnes filios su- Isai. 14. v. 12
perbiæ imitantur, & cum ipso dicunt: *In cælum cõ-*
scendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in
monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam su-
per altitudinem nubiũ, & similis ero Altissimo. O per-
uersè extensum collum, simile nõ turri Dauid, sed
turri Babylonis seu Babel, quã ædificare aggressi
sunt superbi filij Adam post diluuium, dicentes: Genes. 11.
Venite faciamus nobis ciuitatẽ, & turrim, cuius culmẽ v. 4.
pertingat ad cælum, & celebremus nomẽ nostrũ. Quod
ex ineptissima & maxima superbia prouenisse om-
nes sancti testantur. Ciuitas enim ista congregatio
est iniquorum, qui se peruersè diligunt, & Deum
contemnunt: turris verò ipsius, superbia est diui-
nam appetens similitudinem, vt nomen eius & fa-
ma inter homines celebretur. Nam quamuis su-
perbia à minoribus inchoët; tamen procedit & Psal. 73.
crescit vsque ad suprema: quia teste Dauid, *superbia* v. 23.
eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

Cæterùm, sicut turris ista etsi cœpta sit ædificari,
non tamen est perfecta, quia Deus ædificiũ inter-
rupit, dum ædificantium linguas confudit: sic tur-
ris superbiæ, quæ ab hominibus erigitur, nũquam
consummatur, quoniam Deus superbos confun- Luc. 14. v. 11
dit, & humiliat; *Omnis enim qui se exaltat, humiliabi-*
tur: &, vt inquit Psalmista: *Deiecisti eos, dum alleua-* Psal. 72.
rentur, id est, dum conabantur se eleuare, & exal- v. 18.
tare in summam gloriam, deiecti sunt & demersi D
in summam ignominiam, & in nihilum redacti
sunt, cum omnium admiratione dicentium: *Quo-*
modo facti sunt in desolationem, subitò defecerunt, pe- Isai. 14.
rierunt propter iniquitatem suam. Quod & de rege v. 14.
Babylonis testatur etiam Isaias dicens: *Quomodo* Luc. 14.
cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? Corrui- v. 30.
sti in terram, qui vulnerabas gentes? Et rursus: *Detra-*
cta est ad inferos superbia tua. Vnde omnes tam An-
geli quàm homines videntes imperfectum turris
ædificium, illudunt ei dicentes; *Hic homo cœpit*
ædificare, & non potuit consummare. Et quidem
aliquando Deus superbos in æternam præcipi-
tat confusionem vsque ad profundum barathri;
aliquando tamen eos humiliat, vt extentum ac
superbum collum in propriam, & humanam
rectitudinem redigant, agnoscentes se homines
esse ad hoc creatos, vt Deum inspiciant, eique

se humiliter subijciãt: sicut contigit Nabuchodonosor, quẽ Daniel vidit sub specie leænæ habentis alas aquilę: *Et aspiciebam* (inquit) *donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.* Qui enim sicut leæna in carnalia pronus erat, & velut aquila cælestia supra modum appetebat, ex hominũ societate eiectus, septennio, quadrupedum gressu, & victu inter feras vsus est; ideoque euulsæ dicuntur alæ eius, quoniã omnis eius gloria ablata est illi. Cæterũ ex Dei misericordia *super pedes sicut homo stetit*, quia Dei potentiam, suamque vilitatem agnoscẽs, humanam rectamque figuram, sensum & incessum recepit; cœpitque vt homo erecta figura, & collo decenter extento in regno suo progredi.

Dan. 7. v. 4.

Amplexus erat vitiosa extrema supradicta per leænam & aquilam designata.

De discrimine inter collum superbum, & humile erga Deum, & homines. §. 2.

SAncta igitur & humilis mẽs intra limites suos se cõtinet, quia nec plùs nimio se demittit per pusillanimitatem spiritus, nec nimis se erigit per elationem animi, sed rectitudinẽ seruat iuxta propriam mẽsuram, quã à Deo se accepisse cognoscit: est quidem velut collum rectum, & erectũ, sed sub capite, non super caput: quia erecta est à terrenis, & per intentionem ac affectum semper eleuatur in cælestia, sed sub Deo, illi omnino submissa, & subdita, eiusdem legis iugum hilariter portans, sicut superbus Rex Antiochus testatus est, etsi inuitus, qui priùs *videbatur sibi fluctibus maris imperare supra humanum modũ superbia repletus, & altitudines montium in statera appendere, & sydera cęli contingere*: Tamen postquàm à Deo humiliatus, & insanabili, fœdissimo que morbo punitus est, de se humiliter sentiens dixit: *Iustum est hominem subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* Vtinam sicut vera fuit sententia, ita ex vero & humili corde eam protulisset, vt non fictè, sed verè humiliatus, & contritus salutem animæ obtineret!

2. Mach. 9. v. 8 & 10. & 12.

1.

Vnde multiplex discrimen assignare possumus inter superbum & humile collum tam erga Deum quàm erga homines. Superbum enim cor, vt dixit Iob, semper contra Deum erectum est, & simul durum, inflexibilisque ceruicis, quoniam non solùm opponitur diuinæ excellentiæ, sed eius etiam resistit volũtati & legi, iuxta illud Isaiæ: *Sciui quia dura es, & nervus ferreus ceruix tua*: Nam contumax inobedientia (inquit D. Bernardus) sequitur superbiam matrem suam: *Quia equus indomitus euadit durus.* Econtrà verò collum humile rectum est, sed flexibile, nam licèt rectà semper tendat in Deum, facilè tamen flectitur ad eius imperium, & diuinæ subijcitur voluntati, illud semper erectum est, vt sublimia videat, & appetat, nec dignatur respicere infima, & vilia, vt ea sibi ascribat, vel assumat: hoc verò flectitur vndequaque; & iã caput & oculos eleuat, vt intueatur cælestia; iã flectit & demittit, vt propriam aspiciat vilitatem, siue quam per culpam contraxit, sicut Paulus, cùm dicebat: *Non sum dignus vocari Apostolus, quoniã persecutus sum Ecclesiam Dei*, siue quã ex sua habet origine, sicut Abraham, cũ aiebat, *loquar ad Dominum meum, cũ sim puluis, & cinis.* Nam, vt notat D. Chrysostomus, quoniam non habebat peccata quæ diceret, sed vndiq; bonis operibus fulgebat, circumcursans, & nihil contra se inueniens, ad naturam ipsam confugit. Et quoniã terræ nomen videtur quodãmodo honestum esse, *cineris* addidit, & insuper duo hęc cõiunxit, quoniam licèt separata possint esse vtilia, coniuncta tamen inutilia prorsus sunt: & ideo Ecclesiasticus dixit: *Quid superbit terra & cinis?* Idem etiam discrimen obseruatur inter superbiã & humilitatem erga homines: nam superbum collũ super alios erigitur, eos contemnẽs, nullique parere volẽs, sed potiùs omnibus imperare: sicut inflatus Pharisæus, qui dicebat: *Non sum sicut cæteri hominũ, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* At humile collum omnibus se submittit, & velut publicanus oculos suos ad cælum leuare non audet, sed demittit in terram, & omni humanæ creaturæ subijcitur propter Deũ. Nam, vt inquit D. Augustinus, quia humilitatem docet Deus, dixit: *Nõ veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Hæc enim commendatio humilitatis est: superbia quippe facit voluntatem suam, humilitas verò voluntatem Dei.

Eccl. 10. v. 9.

2.

Lucæ 18. v. 11.

Tract. 25. in Ioan. 6. v. 38.

Sicut igitur superbum & durum collum simile est turri Babel à superbis, elato & contumaci animo erectæ: *Cæperunt* (inquit Dominus) *hoc facere, nec desistẽt à cogitationibus suis donec eas opere cõpleãt:* Ita humile & rectũ collum simile est turri Dauid, quam humili corde ad Dei gloriam & regni sui defensionem ędificauit. Fuit enim verè humilis & flexibilis, sed rectus coram Deo & hominibus; humilis quidem coram Deo, siquidem saltans ante arcam fœderis, superbæ Michol ei insultanti respondit: *Ludam, & vilior fiam plusquã factus sum, & ero humilis in oculis meis*: Humilis autem coram hominibus, nam ita coram Saule ipsum persequente humiliatus est vt de se diceret: *Quẽ persequeris Rex Israël? Canem mortuum persequeris, & pulicem vnum?* Ad Dei autem volũtatem ita flectebat suam; vt de eo diceret Dominus: *Inueni Dauid filium Ieſſe virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Qui ergo in his Dauidem imitatur, collum habet rectum, sicut turrim eius. Quod sic perpendit D. Ambrosius propriam sequens versionem. Bonum est (inquit) adhærere Deo, nec inflexam ceruicem habere ad iugum mundi; ideoque Ecclesiæ vel forti animæ dicit Sapientia, sicut turris Dauid ceruix tua: erecta enim ad Deũ ceruix & iugo Christi habilis, quæ nulla in terrarum illecebras inflexione curuetur, sicut Christi regalis est turris, cui iugum suũ Nabuchodonosor non possit imponere. Condidit enim turrim illam Dauid, ille manu fortis, & supra murorum ædificauit excelsa, vt subsidio pariter & decori sit; subsidio, quia hostem præuidet & repellit: decori, quia non solùm inter humilia, sed etiam inter excelsa supereminet, &c. Hæc ille.

Genes. 11. v. 6.

1. Reg. 6. v. 21.

1. Reg. 24. v. 15.

Zach. 12. v. 8.

Serm. 4. in Psal. 118. v. 1. " " " " " " " " " "

Alia discrimina. §. 3.

3.

SEd in nomine Dauid aliud præclarũ insinuatur discrimen inter collum superbum & humile, ne cadamus animo, si aliquando contingat virum rectum, fortem, & humilem, & vehemente passione, vel tentatione subitò ingruente miserè labi, sicut lapsus est Dauid in adulterium & homicidium, ac in elationem animi, cùm populum numerauit. Cæterùm ad primam vocem increpantis & monentis, suam agnouit culpam, humiliter fassus est illam, voluntatemque suam flexit, vt malefacta corrigeret, & tãdem per humilem pœnitentiam amissam recuperauit rectitudinẽ, & fortior turris esse cœpit. Cuius exemplum nobis, qui in nouo testamento degimus, proponit Zacharias Propheta dicẽs: *Et erit qui offenderit ex eis in illa die, sicut Dauid, & domus Dauid quasi Dei, & sicut Angelus Domini in conspectu eorum*: Discrimen innuit inter Dauidem humilem & Saulem superbum; nam licèt vterque offenderit: tamen hic collo extento, duro, inflexibili, contumax in sua permansit inobedientia, nolens Samuelis monitis acquiescere, & ideò

1. Reg. 15.

& ideò irreparabiliter corruit, & perijt: At ille humili & flexibili corde collum suum increpanti subiecit, & pœnitentiam agens tandem in æternum glorioſus permansit tamquam Angelus Domini, & domus firma Dei. Quem nos oportet imitari, qui in hac mortali vita vix stabiles esse possumus; sed per humilem pœnitentiam ad fastigium tandem nostri spiritalis ædificij perueniemus, vt simus *sicut turris Dauid, quæ ædificata est.* Non inquit, quæ ædificatur, sed quæ iam ædificata & consummata est, ad differentiam turris Babel, quæ (vt iam diximus) cœpit ædificari; sed non potuit consummari: quoniam omne superborum ædificium quantumcumque sublime videatur, tandem corruet, nec perficietur; sicut ruit superbus Pharisæus, qui vsque ad verticem sanctitatis se ascendisse putabat. Humilium autem ædificium est quasi turris iam ædificata, quia ex Dei gratia cùm profundum habeat, & solidum fundamentum, ascendit ad fastigium, & suam obtinebit consummatam perfectionem: nam: *Omnis qui se humiliat exaltabitur*: & teste Ecclesiastico: *Sapiẽtia humiliati exaltabit caput illius*, id est, faciet illum excelsum, & cõsummatum virum. Nam Deus, qui superbis resistit, humilibus dat gratiam, vt in bono proficiant, & perseuerent.

Lucæ 18. v. 11.

Eccles. 11. v. 1.

4.

Sed vtilior sensus erit, si subaudiatur verbum *sit*, ad perseuerantiam exhortans vsque ad finem; ac si diceret, collum tuum non sit sicut turris Babel, sed cura vt sit sicut perfecta turris Dauid, quæ suam vltimam assequatur perfectionem. Nam, *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.*

Matth. 24. v. 13.

Hoc confirmat ipsa natura colli: quòd firmiter hæret suo capiti, super se illud semper retinẽs, à quo etiam viuificatur & seruatur: sic humilis adhærere Deo semper curat, qui libenter super humilem requiescit, vt eum viuificet, & in virtute contineat; sicut scriptum est: *Hæc dicit excelsus, & sublimis, habitans æternitatem, & sanctum nomen eius in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & viuificet spiritum contritorum.* Quod præclarissimum est humilitatis encomium, triplex enim, aut quadruplex Isaias designat habitaculũ Dei excelsi & sublimis. Primùm significatur per verbum *habitans æternitatem*, id est, in seipso, qui est ipsa æternitas; quomodò D. Augustinus ait, Deum ante mundi creationem fuisse in seipso, & non in alio, quia verè nihil aliud præter ipsum existebat: sed vlteriùs; modò habitat in excelso, id est, in cælo, vbi suam gloriã maximè manifestat. Deinde in sancto, hoc est, in Templo sanctò suo ad eius cultum consecrato: sed quod nostrum superat captum, etiam habitat cum humili & contrito spiritu: non secus ac in cælo cum Angelis, ac in Templo cum Sanctis, quos cælestibus suis replet donis: & ideo ait; *vt viuificet spiritum humilium*; ij enim in oculis suis quasi mortui sũt, aridi, & omni bono vacui; Deus tamen habitans cum illis eos viuificat, impinguat, & vsque ad summum bonis suis replet. Meminit autem simul contritorum & humilium, vt comprehendat eos qui de propriis peccatis contriti sunt, vel de alienis, aut multis atteruntur tribulationibus: Nam humilitas etiam complectitur innocentes, cum teste Dauid, *Deus qui in altis habitat, humilia respicit in cælo & in terra.* In cælo autem multi sine peccato perfectissimam seruant humilitatem.

Isai. 57. v. 15.

Multiplex Dei habitaculum.

Lib. 3 cõtra Maxim. c. 21. & in id Psal. 122. Lenauioculos meos.

Psal. 112. v. 5.

De Prototypo iustorum, qui est Christus Dominus. §. 4.

1.

SEd illud omnem vincit laudem, quòd collum istud sit, *sicut turris Dauid*, non sicut turris terrena, sed cælestis, & mystica ipsius Christi, qui in Scriptura sæpius nomine Dauid insignitur. Cuius vita meritò turris nuncupatur, quia sublimissima fuit, fortissima & rectissima, erectaque vsque ad supremum sanctitatis & diuinitatis fastigium, humiliter tamen se continens intra mensuras hominis subditi patri suo: vt sicut collum est sub capite, ita Christus vt homo esset sub Deo, nam caput Christi Deus, licèt etiam simul esset Deus suo Patri æqualis. Vnde D. Paulus ansam arripit ad humilem Saluatoris obedientiam extollendã dicens: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, &c. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem; mortem autem crucis*: Quid est vsque ad mortem, nisi toto vitæ suæ decursu humilis fuit, & obediens vsque ad finẽ? Vt quid verò addit, mortem autem crucis? nisi quia tunc ascendit ad supremum vtriusque virtutis fastigium, inuictam in cruce seruans rectitudinem.

1. Cor. 11. v. 3.

Ad Philip. 2. v. 6.

2.

Hæc autem turris ædificata est ab ipso cum propugnaculis: nam licèt non indigeret alieno propugnaculo, quia Deus erat, ad protegendũ se infinitè potens: *Ego* (inquit) *qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum, saluabit mihi brachiũ meũ, & indignatio mea auxiliata est mihi*; Tamen naturam assumpsit cum præclarissimis & fortissimis propugnaculis, quæ eum vt hominem protegerent. Propugnaculum eius fuit humilitas & obedientia, patientia, iustitia, & charitas, per quas inuictus permansit in cruce, nec ab inimicis potuit lædi, quin potiùs eos vicit & dissipauit.

Isai. 63. v. 1. & 5.

3.

Sed rursus ædificata est ab ipso *in Thalpioth*, id est, *erecta in doctrinas vel disciplinas*, vt omnibus hominibus exemplum esset humilitatis, & obedientiæ ac summæ rectitudinis, iuxta illud, *exemplũ dedi vobis vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Distinxerunt Plotinus & Plato, antiquique Philosophi, vt refert D. Thomas quatuor virtutũ gradus, vt quædam essent politicæ, sicut communiter habẽtur ab hominibus; aliæ purgatoriæ, vel purgati animi, quæ ad diuinam sublimiori modo tendunt similitudinem, vel eam assecutæ sunt: & exemplares, quæ tantùm in diuina mente residunt, & optimè quidem: quia illi non nouerunt Deum hominem factum; nos autem, qui eum nouimus, in Christo collocamus etiam virtutes exemplares, qui turris Dauid factus est, vt omnium esset exemplar virtutum; sed earũ maximè, quæ Deitati minùs aptabantur, quia inferiorem subiectionem in habente supponunt; & nobis maximè erant necessariæ: vt humilitas, & obedientia, mãsuetudo, patientia in doloribus, & aliæ eiusmodi: quas nobis in doctrinam proponit dicens: *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Id est, collum vestrum per obedientiã subiicite meo iugo, meam libenter portantes legem, & discite à me, non mirabilia in mundo facere, nec, quæ solius diuinitatis gloriosissima insignia sunt, tãtùm æmulari: sed mites esse, & humiles corde: nã ad hęc docenda potissimè in mundum veni. Bona humilitas (inquit D. Ambrosius) quę etiã in Christo laudem virtutis inuenit. Hãc in illo plus veneror, quàm creationẽ; quia creati ad laborẽ sumus,

Ioan. 13. v. 15.

1. 2. q. 61. ar. 5.

Matth. 11. v. 29.

Ex D. Aug. ferm. 10. de verbis Domini.

" Serm. 4. " in Psalm. " 118. v. 3.

„ redempti ad quietem. Vnde ait: *Venite ad me omnes,* A
„ *&c.* Et: *Discite à me, &c.* Discamus ergo ab eo qui
„ docere nos voluit quod proficeret ad salutem.
„ Grande est in omnibus humilitatis tenere mensu-
„ ram, superbia hominē prima deiecit. Quapropter
„ dum plus volumus, etiā quod minùs est solemus
„ amittere. Bona humilitas, quæ nihil appetēdo, so-
„ lum quod cōtemnit, adipiscitur. Ipse enim Domi-
„ nus Iesus se humiliauit, vt nos eleuaret; & humi-
„ liauit se vsque ad crucem, propter quod, *& exalta-*
„ *uit illum* (inquit) *Deus, vt in nomine Iesu omne genu fle-*
„ *ctatur*. Quāta fecit Dominus, audeo dicere, & nō
„ flexi ei genu? sed flexi ei, postquā se humiliauit. Sic
„ enim, hoc est, per humilitatē, per crucē, sibi Eccle-
„ siam congregauit. Hæc carptim ex D. Ambrosio.

4. Hinc ratio deducitur, cur Christus Dominus exhortans nos ad tollendum iugum suum, quod cuncta mādata, omnesque complectitur virtutes, tantùm præcepit vt discamus ab eo māsuetudinē, & cordis humilitatem, nulla facta mentione abstinentiæ, castitatis, aliarumque virtutum, imò nec dilectionis Dei, & proximi, à quibus vniuersa lex pēdet: nam plenitudo legis est dilectio. Ratio autem est, quoniam per has duas virtutes collū nostrum valde pronum redditur, & idoneum ad tollendū super nos iugū ipsius, quod per eas fit suaue & leue, quatenus impedimenta auferūt quæ illud asperum faciunt, & graue. Nam teste D. Leone Papa, Nihil arduū est humilibus, nihil asperum mitibus. Vnde etiam in his virtutibus quodammodo quasi in semine, cæteræ continentur. Mites enim sunt qui iram cohibent: affabiles se moribus præbent, facilè cedunt alijs, suamque flectunt voluntatem, vt Dei, & proximorum propter ipsum expleant. Humiles autē corde, qui ex vero cordis affectu propriam agnoscunt paruitatem, amant, amplectūtur, Deoque se humiliter submittūt, & omni humanæ creaturæ propter Deū: huiusmodi autem non possunt non omnibus splendere virtutibus: Nam ex sententia D. Basilij suprà allata, Profectus in humilitate, in omni virtute profectus est. Tādem nihil mirum voluisse Christum nos illam imitari virtutem, quam Deus tanti fecit, vt ei canat Ecclesia; *Deus qui ad imitādum humilitatis exemplum Saluatorem nostrum carnem sumere, & crucem subire fecisti, &c.*

Serm. 5. de Epiphania.

Serm. de abdic. rerū.

In Collecta Dominicæ Palmarum.

5. Quare non incongruè turrim Dauid appellauerim Christum crucifixum; seu crucem, cui Christus affixus est, & in altum erectus, & eleuatus, sublimia cunctarum virtutum tradens exempla, quę sequamur, iuxta illud: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Heroïca autem eius exēpla, insignes virtutes, præclara verba, ac cætera, quę tum in vita sua, tum maximè in passione, & cruce pro nobis gessit, docuit, pertulit, non tantùm propugnacula erant, sed etiā mille clypei pendentes ex ea, omnisque armatura fortium. Si Christus pendebat in patibulo crucis, quid quòd penderent cum eo mille eius clypei, id est innumeræ & præcellentissimæ eius virtutes, quæ illum ornabāt, & inter passionis suæ dira tormēta protegebant? Hæ sunt arma omnigena, quibus mundum, & eius vitia superauit, & cōminuit: quę nobis etiam in exemplum proponit, vt nostra fiant propugnacula, clypei, & fortis armatura.

Crux Christi turris Dauid.

1. Petri 2. v. 21.

Rectè ergo de Ecclesia & qualibet pia anima dicitur; *Sicut turris Dauid collum tuum*: id est mens tua, seu rectitudo mentis tuæ, verè est; aut vtinam sit velut sublimis Christi vita, velut eius crux, vel Christus pendens in illa, in omnibus seruans humilitatem & obedientiam, cæteraque virtutes iuxta ipsius exemplum; transferens in cor tuum propugnacula, clypeos, & armaturam eius, quæ potentissima tibi erunt ad debellandam superbiā, ad extentum conterendum collum, ad seruandum illud rectum, modestéque erectum, ac Deo plenè subditum: Per quæ tandem, sicut ipse Christus, exaltaberis, & gloriosum in cælo obtinebis nomē in sæcula sæculorum, Amen.

EXHORTATIO XIII.

De sublimitate legis, & perfectionis Euangelicæ, per modum turris à nobis ædificandæ, & de armis ad eam tuendam contra hostes.

Pro Communi vnius Martyris, & pro Festo Omnium Sanctorum circa Euāg.

Sicut turris Dauid collum tuum, &c. B

VM Christus Dominus discipulos suos ad Euangelicā perfectionē suique imitationem hortaretur, duplici vsus est similitudine, quæ cuncta ad eā spectantia complectitur. Prior est de homine volente turrim ædificare, qui priùs sumptus computat necessarios ad perficiendum, ne si inceptum opus relinquat, omnes videntes, illudant ei, *quia cœpit ædificare, & non potuit cōsummare*. Significabat autem per hanc turrim, Euāgelicam legem, & perfectionem, exemplo & verbo ab ipso traditam, quā eius sectatores intra propriam animam erigere, ædificare, ac perficere tenerentur. Sed quoniam multi sunt hostes, qui acriter hanc perfectionem oppugnant, & ædificium impediunt, ne perficiatur, vel diu perseueret, posteriorem adhibuit similitudinē de rege, qui cum decem millibus aggreditur eum, qui cum viginti millibus eum oppugnat. Cœtum autem eorum, qui hanc turrim ędificare satagunt, vel iam ædificarunt, laudans sponsus ait: *sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Vbi per turrim Dauid, Euāgelicam intelligit perfectionem; & legem à Christo Domino integrè, prout in Euangelio habetur, præscriptam; aut ipsā Christi vitam, quæ viuum Euangeliū est: per propugnacula verò, clypeos, & armaturā fortiū, præparationē ad bellandū contra turrim oppugnātes. Collum autem vocat mentē, aut cor ad hanc perfectionem sectandā valde propensum, quod, cùm virtutes in Euangelio traditas vel à Christo exercitas, in se transfert, esse dicitur sicut turris Dauid, non per æqualitatē, sed per similitudinem, & imitationē. Quę quantò maior fuerit, tantò intra nos perfectiùs turris ędificatur: nam vsque ad mortem non completur ædificiū, etsi oporteat mox cūcta præstare, per quæ in dies crescat donec perficiatur.

Lucæ 14. v. 28.

D

Quàm sublimis sit hæc turris, & quibus sumptibus ædificetur. §. 1.

AD omnes Christi asseclas cunctæ istæ parabolæ dirigūtur, quia omnibus incumbit sublimem perfectionis Euangelicæ ędificare turrim, & collum suum ad eius iugum portandum humiliter inclinare. Substantia autem turris ex sublimibus Euangelij præceptis conflatur: maximè ex iis, quæ spectant ad dilectionem Dei, super omnia ex toto corde ac viribus: proximorum verò, sicut seipsos, vel sicut Christus dilexit nos; inimicorum autem, velut Deus benefacit iustis & iniustis, etsi inimici eius sint. Ædificata est autem *cum propugnaculis*, quæ altissima sunt perfectionis consilia nis consilia mirè ornantia, & protegentia cuncta mandata. Quis enim dubitet consilia numquam iurandi; reddendi bonum pro malo, perpetuæ cōtinentiæ, & voluntariæ paupertatis, valde propugnare & tueri præcepta prohibentia periurium, homicidium, fornicationem & furtum? Ad decorem ergo & defensionem turris conducunt valde propugnacula; de quibus infrà dicitur: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea*; nimirum, vt anima quæ murus & turris est, per mandatorum custodiam, fiat firmior, splendidior, & sublimior per obseruantiam consiliorum.

Cant. 8. v. 9.

2. Ratione autem vtrorumque etiam *ædificata est in Thalpioth*, id est, *ad doctrinas*, vt sit quasi prototypus, ad cuius similitudinem vitam nostram efformemus, & aliam similē in nobis ædificemus, scribentes *legem in tabulis cordis nostri*; ita vt cor sit velut lex viua, & viuum Euangelium. Et qui seruat illud, sit per imitationem alter Christus, vt dixit Nyssenus. Ædificata est etiam in *Thalpioth*, hoc est, *in altitudines*, vt vertit Symmachus; quoniam perfectio Euangelica omnium virtutum altitudines continet, & suis professoribus impertitur. Quid enim altius, & sublimius cogitari potest quā quod Christus Dominus prædicauit, & docuit in sermone illo supra montem habito? Imò ideo videns turbas ascendit in montem altum ad docendum, vt per altitudinem montis sublimitatem indicaret doctrinæ & perfectionis, quam tradebat. Ascenderunt autem cum illo in montem discipuli quibus eam tradidit, vt etiam denotaret eiusdem perfectionis & sublimitatis fore particípes. Cùm Deus tradidit antiquam legem præcepit Moysi: *Ascende ad Dominum tu, & Aaron, & Nadab, & septuaginta senes ex Israel, & adorabitis procul. Solusque Moyses ascendet ad Dominum, & illi non appropinquabunt.* Nam solus Moyses ad verticem montis ascēdit, alij, etsi principes populi essent, procul stetērunt; ad significandum legem illam neminem ad perfectum adduxisse. At cùm Christus legem suā promulgauit, secum duxit in montem discipulos suos, & prope se eos stare voluit. *Et cùm sedisset* (inquit) *accesserunt ad eum discipuli eius*, vt significaret virtute suæ legis homines perfectos fieri; & Deo valde coniunctos: adeo vt dixerit: *Estote perfecti, & misericordes, sicut Pater vester cælestis perfectus, & misericors est.* Quo altiùs cacumen turris non potuit peruenire. Ad hanc igitur perfectionem sectandam exhortatur nos Christus sub parabola turris, quasi inuitans ad ædificandum eam, comparando necessarios sumptus ad perficiendum ædificium.

Homil. de perfecta forma hominis Christiani.

Matth. 5. v. 1.

Ex D. Aug. ibid.

Exod. 14. v. 1.

Ad Hebr 7. v. 19.

Matth. 5. v. 48.

Lucæ 6. v. 36.

B

C

D

3. Et hoc ipsum suadet, cùm ait, *Sicut turris Dauid collum tuum*, si explicetur per modum optantis, vel imperantis. Ac si dicat, satage vt collum tuum, & mens tua sit iuxta normam turris, & legis Euangelicæ à me præscriptam, vt nullo modo eā transgrediaris, vel ab ea deficias. Insinuat enim Saluator multos esse qui hanc turrim incipiunt ædificare, & tamen sua culpa nequeunt consūmare; ideoque irridentur ab inimicis suis: quod antea præ-

Ier. 31. v. 38.

nuntiauerat Ieremias dicens: *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & ædificabitur ciuitas Domino à turre Hananeel vsque ad portam anguli, & exibit vltra normam mensuræ in conspectu eius super collem Gareb, & circuibit Goatha, & omnem vallem cadauerum, & cineris, & vniuersam regionem mortis, &c.* Loquitur autem (vt D. Hieronymus, alijque Patres interpretantur) de Ecclesia noua ædificanda, cuius fabrica incipit à turre Hananeel, id est à turre obedientiæ, siue gratiæ, & donorum Dei (hoc enim vox ista significat) quoniam Ecclesia noua exordiatur à præcelsa turre perfectionis Euangelicæ. quam Christus Dominus docuit, & erexit in suis Apostolis, & Discipulis, quos in die Pētecostes impleuit Spiritu sancto, & gratia, ac donis ipsius. Indeque per obedientiam & obseruātiam legis protractum est ædificium vsque ad portam anguli; complectendo duos populos, Hebræum & Gētilicum, vnienque eos in Christo, qui lapis est angularis. Exiit autem ciuitatis ædificium vltra normam, quoniam licèt sublime habeat initium, non omnes ad normam Euangelicæ legis efformantur, nec turrim perficere curant. Comprehendit enim Ecclesia peccatores, & iustos: isti vocantur *Goatha*, pro quo Lxx. vertunt, *ex electis lapidibus*. Sunt enim, vt inquit D. Petrus, lapides viui; & electi super Christum viuum lapidem ædificati: illi autem dicuntur *colles Gareb*, quod interpretatur scabies, quia scabie peccatorum infecti sunt. Et quia horum maior est numerus, *multi enim sunt vocati, pauci verò electi*, etiam comprehendit vallem cadauerum seu ruinarum, & vniuersam regionem mortis, quā delinquentium inhabitat innumera multitudo; ex quibus nonnulli in cinere & fauilla pœnitentiam agunt. En quantum Ecclesiæ ædificium deuiauit à turre Hananeel; non quidem, quia desit auxilium, & gratia Dei, quæ præstò est volētibus turrim ædificare, sed quoniam ex propria incuria sumptus deficiunt ad complendum ædificium necessarij, & armati milites ad hostes repellendos sufficientes, iuxta formam à Christo designatam; qui vtramque parabolam concluſit dicens: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Vbi satis insinuat, sumptus, milites, & arma, renūciationem esse omnium, quę possidemus, vel affectu à corde penitus repellēdo omnium rerum inordinatum amorem, vel desiderium; aut etiam, quod perfectius est, effectu ipso; iuxta illud: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, &c.* Qui ergo viriliter omnibus renuntiat, sublimem hanc turrim ædificare, & consummare valebit: nam quantùm ex proprijs affectionibus subtrahimus, tantùm adijcimus præclaris virtutibus. Et sicut sculptores sōlùm aliquid demendo ex lignis, vel lapidibus, pulchras efformant imagines; sic iusti abnegando seipsos, & quæ in ipsis sunt, speciosas efficiunt virtutes, Christi virtutibus perquàm similes. Ex huiusmodi autem virtutibus tamquam ex lapidibus fectis, & perpolitis, ædificatur viua turris Dauid tanti ab ipso habita.

Vulgata, circuiuit Goatha, Lxx. per gyrum ex electis lapidibus. 1. Petri 2. v. 4. Matth. 20. v. 16.

Lucæ 14. v. 33.

Matth. 19. v. 21.

Hoc autem amplius insinuat altera similitudo capitis 7. *Collū tuum sicut turris eburnea.* Ebur enim, quod os elephantinum est, quamdiu carne, & corio est vestitum, non habetur in pretio, nec alio vsui quàm ipsi deseruit elephanti; At postquam pelle, & carne denudatur, magni habetur, suoque candore delectat, & aliquando rubore, sicut de Nazaræis dicitur: *Rubicundiores ebore antiquo.* Tùc ergo collum est sicut turris eburnea, cùm mens ab omnibus terrenis, ac carnalibus affectionibus denudatur; vnde magnum sortitur puritatis candorem, ruborem charitatis, ac splendidam perfectionem. Quid enim splendidius turre ex pluribus elephantis ossibus candidis, & rubicundis constructa? Et quid fulgentius mente puris & immaculatis ornata virtutibus, ab omni carnis affectu denudatis? Renuncia ergo propter Christum omnibus quę possides, & tunc mens tua turris erit eburnea vndequaque perfecta.

4. Cant. 7. v. 3.

Thren. 4. v. 7.

Milites arma contra hostes in ipsa turre inuenire. §. 1.

Lucæ 14. v. 33.

SEd quia præter sumptus ad perficiēdā turrim, necessariæ etiā sunt vires, & arma ad dimicādum contra regem, qui cum viginti millibus venit ad ædificium euertendum, totum hoc præsidiū affatim in ipsa inueniemus turre Dauid. Et quis est rex iste nisi diabolus in numeris iniquarū suggestionum militibus stipatus? Aut quis nisi amor proprius plurimis carnis affectionibus, & concupiscentijs armatus? at non est cur horreamus pugnam, quoniam turris Dauid *ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Sicut autem duplices sunt hostes impugnantes, externi scilicet, & interni; ita hîc duplices describuntur milites, & arma ad expugnandum eos.

1. Et quidem dubium non est, Christum Dauide potentiorem fortissimos designasse milites ex sua militia cælesti, qui hanc turrim à dæmonibus infestantibus tuerētur. Si enim sexaginta fortes ambiebant lectulum Salomonis; cur non mille fortes armati ambient turrem Dauidis? Et ita D. Nissenus per mille clypeos pendentes intelligit angelos, sumēdo iuxta phrasim Scripturæ, scutum pro scutato, arma pro armato. Quo modo ab Eliæo vocantur, equi ignei, ipsi cælestes equites. Et sicut scutum totum corpus protegit, & mille clypei totam turrem in orbem circumdabant; sic exercitus Angelorum circumdat, & protegit iustos, qui hāc turrim ædificant. Dicuntur autem pendentes (inquit ille) vt significetur non esse terrenos, sed aëreos, id est, cælestes spiritus, à terrenisque eleuatos. Sunt autem potentes virtute, ad auxiliandum nobis. Propter quos dicitur iuxta LXX, *In turri esse omnia iacula potentium:* internarum enim inspirationum iacula ab ipsis emissa, potentia sunt ad nostram excitandam ignauiam, & ad cuncta vitia perimenda.

Hom. 7. in Cant.

4. Reg. 6. v. 17.

Psal. 33. v. 8.

2. Sed potentius defendit suam turrim eius artifex Christus, aptè hic per Dauidem repræsentatus, qui interpretatur *manu fortis*. Sua enim manu leones dilacerabat, & vno lapide gigātis carneam turrem proiecit in terram; non quidem propria manu & potestate fretus, sed diuinæ, sicut ipse testatus est dicens; *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo, ego autem veni ad te in nomine Domini exercituum, &c. & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te.* O mira iuuenis fortitudo, & magna eius in Deo fiducia! gladium non habebat, quo caput scinderet, & tamen confidebat, ab ipso Goliath accepturum gladium, quo caput eius auferret, quia in nomine Domini sperabat; de quo dicitur: *Turris fortissima nomen Domini: ad ipsum currit iustus, & exaltabitur.* Nomen Dómini est quidquid magnū de Deo celebriter prædicatur, nimirum eius omnipotentia, sapientia, iustitia, misericordia, & reliqua attributa. Hoc nomen est turris fortissima, sicut turris Dauid, in qua pendent mille clypei; & omnis armatura fortium. Clypei & arma protegentia sunt prædicta eius attributa in nomine Domini comprehensa. Quæ tamen licet plura à nobis vocentur, sunt tamen vnum nomen, & vnus Deus, de quo idem Dauid dicebat: *Deus fortis meus, sperabo in eum; scutum meum, & scutum est omnium sperantium in se.* Qui etiam *factus est spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* Ad hanc nominis Domini fortissimam turrim cucurrit hilariter Dauid, & currit omnis iustus, vt protegatur ab illo, cuius virtute exaltabitur, id est, eruetur ab inimicis, & ad magnam eleuabitur sanctitatis perfectionem.

Ita D. Hieronymus de nomin. Hebraicis. D. Ambros. suprà citatus.

1. Reg. 17. v. 47.

Pro. 18. v. 10

Sed per antonomasiam nomen Domini est nomen *Iesus*, qui nobis est turris fortissima, & scutum inexpugnabile, ac mille clypei. Vicit enim potentius, quàm Dauid, non carneum gigantem, sed diabolum qui totius mundi habebat imperiū; & velut fortis armatus suarum suggestionum armis pacificè seruabat atrium suum. At venit Christus fortior illo, qui eum vicit, & arma, in quibus confidebat, dissipauit, electis suis fortitudinem, & auxilium præbens, vt contra eum prævalere, & turrim perfectionis vsque ad summum erigere valeant. Sed quomodò id præstat? profectò miro, efficaci, ac suaui modo.

Luc. 11. v. 22

3. Etenim in ipsa legis Euangelicæ turri mille clypeos, & omnem armaturā fortium cōtinuit; quoniam virtute legis gratiæ ac sacramentorum eius electis suis tribuit nō solùm gratiam iustificātem, & charitatem, sed congrua & sufficientia auxilia ad operandum omne bonum, & propellendū omne peccatum letiferum, vincēdumque diabolum, infundens simul cum charitate fortissimum exercitum omnium supernaturalium virtutum, quæ tamquam interni milites internos superāt & subijciūt hostes. Hi sunt, de quibus Saluator ait, cum decem millibus occurrendū esse regi veniēti cum viginti millibus; quoniam (vt norat Cassianus) duplò & multò plura sunt vitia quàm virtutes; cum quæliber virtus cōtra duo vitia contraria pugnet, suosque actus ad ea dissipanda dirigat. Bene etiam decem millibus comparātur, quia denarius numerus est perfectionis, & ad decalogi obseruantiam destinantur, à qua vitia longè deuiant.

Luc. 14. v. 29.

Lib. 7. de inst. rerū. c. 15.

4. Sed propriùs virtutes dicuntur clypei; & omnis armatura, qua fortes Christi milites armantur ad dimicandum contra hostes, iuxta illud Pauli, *accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Quam hic vocat Salomon armaturam fortium, nuncupat Apostolus armaturam Dei; ea phrasi qua Scriptura quidquid est insigne in alicuio genere Dei nomine explicat, vt montes Dei, id est, montes sublimes & fortes: sic armatura Dei est armatura fortissima, & potentissima. Vel dicitur armatura Dei quia ex Deo est, & à Deo fortitudinem habet; vel, vt distinguatur à corporali armatura iuxta illud eiusdem Apostoli; *arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo,* (id est, secundum Deum, aut per virtutem Dei, & in eius honorem) *ad destructionem munitionum; consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei.* Hanc igitur Dei armaturam accipere præcepit, tum vt possimus in die malo, id est, in tempore tentationis, & tribulationis resistere diabolo: tū verò vt in omnibus tam prosperis, quā aduersis, & in omnibus quæ Deus iubet, simus stabiles, & perfecti, velut turris fortis & sublimis.

ad Ephes. 6. 13.

2. Cor. 10. v. 4.

Describens autem diuersiratem armorū, varias enumerat virtutes dicens: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calciati pedes in præparationem Euangelij pacis. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, (quod est verbum Dei.)* En ferè omnia spiritalia virtutum arma cōuenienti ordine numerata. Præposterus (inquit D. Thomas) videbatur armandi ordo, priùs cingi, quàm indui: at hoc in corporalibus est, nō in spiritualibus; in quibus debitus ordo est priùs domesticos hostes cōprimere, quàm externos; & antè cōcupiscentias carnis cōstringere, quàm exteriora in ordinē redigere. Prima ergo

ad Ephes. 6 v. 14.

Varia arma spiritualia.

Lect. 4 in c. 6. ad Eph.

ma ergo arma sunt virtutes, quæ has concupiscentias cingunt, & reprimunt: vt abstinentia, castitas, & alię huiusmodi, quibus cinguntur lumbi *in veritate*, id est, recta intentione in Deum sine fictione, non solùm in manifesto coram hominibus, sed etiam in occulto coram Deo. Post hoc cingulum est lorica iustitiæ, quæ rerum externarum, & alienarum cupiditates vincit, omnibus reddit quę sua sunt, & vniuersum corpus reipublicæ, vel congregationis tegit, ac defēdit. Deinde sunt pedum calceamenta, id est, virtutes, quæ nos paratos, & expeditos cōstituunt ad ea quæ sunt Dei promptè exequenda, & ad annunciandum cùm opus est, Euangeliū pacis; at *in omnibus*, id est, præ omnibus virtutibus moralibus, aut in omnibus negotijs, & periculis sumēdum est scutū fidei, quæ omnia à Deo reuelata firmiter credit, per quam igneas diaboli tentationes, & ardentia concupiscentiarū tela extinguamus. Deinde galea sumenda est salutis, nimirum spes, qua caput nostrum munimus, æterna appetimus, & ea consequi speramus. Ac denique gladius spiritus (quod est verbū Dei fide creditū, & mēte distinctè intellectum:) est autem penetrabilior omni gladio ancipiti; quia nō solùm deseruit ad protegendum, sed etiam ad perimēdum hostes, ersi nimium in penetralibus cordis abditos. Sed cur Salomon tantùm in particulari mentionē fecit clypeorum? Quidam putant per synecdochē clypeos vsurpari pro omnibus armis. Et quod subditur, *omnis armatura fortium*, tantùm esse declarationem præcedētis: aut fortè meliùs, quia clypeus fidei, virtute continet reliqua arma, dum reuelat credenda, & speranda, timenda, & operanda, ac sacramēta recipienda, & cætera, quæ tradit Scriptura, in qua omnigena inueniuntur arma, vt mox dicemus. Ideoque Paulus dixit, *in omnibus sumendum esse scutum fidei*, aut denique per clypeū intelligit id de quo Sapiens ait: *Sumet scutum inexpugnabile æquitatem.* Æquitas verò omnem cōprehendit virtutem. His ergo munitus armis, securè legis Euangelicæ turrim ædificare, & ab hostibus tueri valebis; tibique imputabitur, si cœptum opus non perfeceris, vel collum tuum ab hoc portando iugo subtraxeris.

Sap. 5. v. 20.

Quantum lex Euangelica in ijs armis veterem superet. §. 3.

Isai. 5. v. 2. Matth. 21. v. 33. canon. 21. in Math.

HÆc clariùs intueberis, si perpendas discrimē inter legem Euāgelicam, & antiquam. Propter quod multò præcellentiùs illa, quā hæc turri Dauid cum propugnaculis, & armis ædificatæ, potest comparari. Comparatur quidem lex vetus turri in vinea Israëlitica ædificatæ, sicut D. Hilarius inter pretatur, vt per hanc turrim populus ille in cælum cōscenderet, & Christi futuri speculari posset aduētum: pendebant in hac turri tamquā clypei, & arma, varia sacramenta, & sacrificia, cæremonialiaque præcepta ad eius ornatum & protectionem, quæ armatura erant fortium, qui illam legem colebāt. Cæterum arma hæc ferrea erāt, & ad portandum durissima, & insuper inania, & debilia; quoniam lex per illa non cōferebat gratiam, nec charitatem, nec inuictum supernaturaliū virtutum exercitum. Et ideo *neminem ad perfectum adduxit*, nec ad sanctitatis euexit sublimitatem. Vnde non mirum quòd sæpiùs in idololatriam, & alia enormia vitia prolapsi, turrim dissipauerint, & legem confregerint, sicut & Moyses videtur prænuntiasse illis, cùm ob conflatum vitulum, lapideas legis tabulas confregit. Habebant enim collum, & ceruicem ferream diuini iugi impatiētem, quod à sæculo confregerunt, *dicentes non seruiam.* At lex Euangelica, quæ iugum suaue est, & onus leue, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis scripta, turris est ad cælum verè nos euehens, gratiamque, virtutes, & auxilia præbet, vt ad sublimē ascendamus perfectionem; atque talibus sacramētorum, & præceptorum munitur armis, vt suauiter & fortiter nos defendat, & tueatur. Quæ nos amplecti libenter conuenit, eisque strenuè vti; alijs reiectis induit quondam Saul Dauidem, *vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum lorica:* quæ tamen arma respuit Dauid, quia non valebat ita armatus incedere. At paucis post diebus Ionathas cùm valde dilexisset eum, dedit ei *tunicam, & reliqua vestimēta sua, vsque ad gladium, & arcum suum, & vsque ad balteum,* quę Dauid libenter acceptauit. Hæc autem figura etiā erant futurorum. Saul enim à Deo in regem electus, & postmodum ob eius contumacem inobedientiam reprobatus, synagogam indicat, cuius vestimenta blanda, erant præcepta decalogi naturalia: cætera autem erant velut galea ærea, & lorica ferrea; quale fuit præceptum circumcisionis, *quod nos* (inquit D. Petrus) *nec patres nostri portare potuimus*, sicut nec Dauid Saulis arma: ideo Apostoli, Christique discipuli ea reiecerunt, meritoque; nā lex illa, quæ vmbra erat Christi venturi, per ipsum est abrogata, & sacramenta ac sacrificia, nō solùm inania, sed noxia, & mortifera facta sunt, iuxta illud: *Si circumcidamini Christus nihil nobis proderit*, Ionathas autē filius Saul vir pius & iustus, Ecclesiam Christi repræsentat, ex synagoga ortam, nam ex Iudæis primitiui discipuli desumpti sunt, quæ nobis internam gratiæ tunicam confert, & omnia virtutum vestimenta, suauiaque Sacramentorum arma, quæ peccata remittunt, diabolū expugnant, passiones domant, & ad omne bonum opus agiles & promptos reddunt. Gratias igitur agamus Saluatori nostro Christo, qui nos ad arcem suæ legis vocauit, vt ad eius formā perfectionis turrim in nobis ædificaremus: vtinam eius gratia ædificemus, & perficiamus, vt vitam consequamur æternam. Amen.

1. Reg. 17. v. 38. & c. 18. v. 4.

Act. 15.

Ad Galat. 5. v. 2.

Sap. 9. v. 2.

EXHORTATIO XIV.

De proprio munere Doctorum, & de varijs armis spiritualibus eorum ad pugnandum contra Dei hostes; ac de sacra Scriptura, vbi omne armorum genus continetur.

Pro Pontificibus & Doctoribus. Pro festo etiam Pentecostes. Et pro Cōuersione vel festo S. Pauli.

Sicut turris Dauid collum tuum.

PEr ea, quæ in duabus exhortationibus præcedentibus dicta sunt, satis cōstat, egregiè hæc verba sponsi, iuxta communiorem Patrum expositionem, Ecclesiæ Præsulibus, Doctoribus, & Cōcionatoribus aptari: de quibus Christus Dominus dixit, *qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Magnitudo enim & celsitudo Doctorum ex magnitudine vitæ & operum, quæ faciunt, & ex celsitudine doctrinæ quam tradunt, conflatur; & per vtramque magni sunt coram Deo & hominibus, Deique gloriam augent & hominibus valdè prosunt, non enim minùs docent exēplo, quàm verbo. Vtrumque autem elegantèr pingitur ab sponso sub duplici similitudine colli; &

Matth. 5. v. 19.

turris Dauid, suppositis quæ in libro 3. de illis dicta sunt. Lib. 3. exhort. 27.

Quæ sunt munia Doctorum ex his metaphoris deducta. §. 1.

1. Hom. 7. in Cant.

PRosequitur hanc colli similitudinem eleganter D. Gregorius Nyssenus, plures colli referens proprietates quæ Præsulibus, & Doctoribus conueniunt. Quòd (inquit) medijs humeris immittitur, in se autem caput sustinet, & sit pro basi eius, quòd illi imponitur, collum nominatur: si quis ergo in se portat caput vniuersi, illud inquam caput, quod est Christus, ex quo omne corpus cõpingitur, & coniungitur, is in se propriè fert hoc Act. 9. v. 15. nomen. Cuiusmodi dicit fuisse Paulum, qui fuit vas electionis portans nomen Christi per vniuersum mundum, quem alij Apostolici viri sectãtur. Sicut ergo collum præeminet reliquo corpori, & caput supra se sustinet, & portat: ita Doctores sanctitate vitæ præeminere debent reliquis fidelibus. 1 Reg. 9. v. 2. Quomodo Saul *ab humero & sursum eminebat super omnẽ populum*, collum & caput super omnes protendens: qua de causa aptè assimilantur turri Dauid, quæ super omnem ciuitatem Dauid, ad quam communes fideles pertinent, eminebat. Ideoque Cant. 8. v. 10 sponsa cùm iam perfecta erat de se dixit: *Ego murus, & vbera mea sicut turris*, quia in dilectione Dei & proximi omnes superabat. Quod Christus Dominus exigere videtur, dum volens Petrum sui gregis pastorem constituere interrogauit eum: *Simon* Ioan. 21. v. 5 *Ioannis diligis me plus his?* Eorum autem munus est Christum portare, & eleuatum supra se ferre, eiusque magnalia exemplo & verbo populis manifestare; vt tam videntes, quàm audientes illos, Christum intueantur; cuius vita & doctrina in ipsis Exod. 28. v. 36. resplendet, iuxta illud, *glorificate & portate Deum in corpore vestro*. In cuius figuram summus Sacerdos in capitis mitra nomen Dei Ieoua in lamina aurea sculptum gerebat, quod omnibus posset esse conspicuum.

2. Hæc ex Nysseno.

Cæterùm sicut collum ad hoc onus debitè sustinendum, forte est, maximè in parte posteriori; ossibus compactum; & vertebris etiam quibus facilè flectitur, eleuatur, & submittitur, caput secum deferens: in parte verò anteriori habet asperam arteriam, quæ receptaculum est spiritus ingredientis ad refrigerãdum cordis ardorem, per quam etiam calidus spiritus emittitur, & insuper est officina vocis, instrumentaque parata habet, per quæ sonus generatur, & prærereà gulam seu fauces, per quas cibus intromittitur ad totius corporis nutrimentum: ita & Doctores tria munia habent, quæ per hæc repræsentantur. Fortes enim sunt, & constantes ad caput suum Christum ferendum, & manifestandum, quod sicut Isaias dicit, *graue est ad* Isai. 30. v. 27 Act. 9. v. 15. *portandum*. Nam & Paulo dictum est: *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*: Cæterùm vt Christi iugum ferant, & nomen eius prædicẽt, facilè & benignè flectuntur, tum per humilem obedientiam erga Deum, tum per misericordiam, & compassionem erga proximos. Non enim collum extentum, & ferreum habent, sicut superbi & contumaces; sed humile & compatiens, instar Pauli qui dicebat: *Cùm liber essem ex omnibus, omniũ* 1. Cor. 9. v. 19. & 22. *me seruum feci, vt plures lucrifacerem: omnibus omnia factus sum vt omnes facerem saluos*. Quis (inquit Nyssenus) sicut Paulus, sic docuit collum inclinare in ,, ijs quæ sunt humilia & abiecta, & se in omnem si- ,, mul partem versare. Et rursum cogere, ea quæ supra sunt cogitando, & in obliquum circumspiciendo, se immobiliter conuertere in declinandis, ,, & cauendis varijs diaboli insidijs? Hæc autem ,, exemplo, & verbo mirè præstitit. Etenim sicut collum per arteriam instrumẽtum est vocis sonoræ, quæ internos conceptus manifestat; ita præsules & prædicatores officina debent esse vocis, præcipuè orationis & prædicationis, vt per illam loquantur cum Deo, & è cælo trahant spiritum gratiæ, & congruentis auxilij, vt cor suũ refrigerent, & confortent: & prætereà verba prædicationis possint emittere ignita ad aliorum inflãmandum corda. Vterque enim aër vel refrigerans, qui per arteriam in cor intrat, vel calidus, qui per eamdem à corde exit, voci efformandę deseruit; quia ex auxilio cælitus emisso, & à corde propria etiam industria Dei charitate inflammato prędicatio procedit. 3.

Præterea instar colli cibum spiritualem sumũt, Ex Beda, & ex sacra Scriptura & sanctorum libris, nõ tantùm D. Thom. pro se, sed pro totius corporis Ecclesiæ nutrimento. Doctrina enim ab illis proposita cibus est spiritualis animæ, quæ sicut cibus corporis per omnia eius membra diffunditur, & vnicuique nutrimentum, & robur præstat, ita etiam distribuitur per vniuersum corpus mysticum Ecclesiæ, & singuli accipiunt quo nutriantur, roborentur & increscant. 4.

Sed numquid collum hæc habet à seipso? minimè, sed potiùs à capite. Nam licèt collum videatur sustinere caput, tamen caput potiùs continet ipsum, & vim confert per animales spiritus à cerebro prouenientes, vt erectũ esse possit, & huc, illucque moueri. Nec solùm hos spiritus collo communicat: sed per collum vniuerso corpori, quod medio collo capiti coniunctum, & vnitum est: ita Prælati & Doctores, etsi Christum videantur sustinere & portare, multò magis ipse continet, & seruat illos, suisque diuinis inspirationibus & illustrationibus iuuat, vt munus suum dignè obeant, omnesque suos motus rectè perficiant. Imò, quod amplius est, per ipsos eorumque orationem & prædicationem eadem auxilia gratiæ in reliquum Ecclesiæ corpus diffundit. Sunt enim mediatores inter Deum, & populum; & dum pro eis orant, eosque viam veritatis docent, lucem eis impetrant, vt edocta percipiant, & opere compleant. Ne autem animo efferantur, sciant collum non solùm pendere à capite, quod sustinet, sed à corpore etiã, nam humeris nititur. Ita enim Deus cuncta ordinauit, vt membra corporis ignobiliora etiam necessaria sint nobilioribus, & maiores in aliquo à minoribus adiuuentur; vt sic meliùs conseruetur mutua eorum vnio, habeantque maiores, in quo exerceant humilitatem, & minores obedientiam.

At D. Nyssenus aliter hoc explicat. Collum (inquit) animaduertimus radices agere super humeros: humeros autem, quibus est adnatum, intelligimus studia agendi, & operandi, per quæ nostra brachia ad suam operãtur salutem, quo insinuat Doctorum munus super studia operandi niti. Nã prædicatio fulcitur operatione, & operatio prædicatione perficitur: & per vtramque fit homo vndequaque præcelsus, *& magnus vocabitur in re-* Matth. 5. v. 19. *gno cælorum*; id est, in Ecclesia, quia potens est in- Lucæ 24. v. 19. star Christi *opere & sermone corã Deo & omni populo*. Act. 1. v. 1. Vtrũque autem simul sibi; & alijs necessarium est, 1. ad Tim. iuxta illud Pauli: *Attende tibi, & doctrinæ. Hoc enim* 4. v. 16. *faciens, teipsum saluũ facies, & eos qui te audiunt*. Attendere

tendere autem sibi curam propriæ perfectionis, per bona opera indicat, quæ vim cõferant doctrinæ. Propter vtrumque autem conuenienter assimilantur sublimi Dauid turri, *Quæ ædificata est cum propugnaculis, in Thalpioth*. Iam enim in seipsis plenè ædificarunt turrim Euangelicæ perfectionis vsque ad supremum fastigium, quod vtramque complectitur vitam, contemplatiuam scilicet, & actiuam, eleuantes se ad cælestia per Dei contemplationem, & curam gerẽtes animarum per actionem. Ædificata enim est à Dauid hæc turris non Matth. 22. v. 33. tantùm decoris, & ornatus gratia: sed ad custodiã Isai. 5. v. 2. ciuitatis, & ciuium incolentium eam. Sicut etiam ædificata est turris in vinea ad custodiam illius: cuncta enim quæ Præsules & Doctores à Deo recipiunt, non tantùm sunt propter ipsorum bonũ, & ornatum; sed etiam vt proximos custodiant, & ab hostibus tueantur, & hoc clariùs indicat vox, Cant. 8. v. 9. *cum propugnaculis*; quæ ad propugnandum & defendendum ciuitatem addita sunt turri. Inferiùs autem vocantur *propugnacula argentea*, quoniam per verbum Dei, quod prædicant, & est quasi argentum igne examinatum, potissimè munus suum obeunt.

7 Sed amplius hoc indicat vox *Thalpioth*, quod interpretatur, vt diximus, ad doctrinam vel disciplinas. Constituti enim sunt turris Ecclesiæ, vt alios doctrinas sanas, & disciplinas salutares doceant, verboque simul & exemplo viam iustitiæ qua in regnum cælorum peruenitur, eis ostendãt; velut pharus nauigantibus ostendit portum, vt ad illum nauim dirigant. Vtrumque autem complexus videtur Christus Dominus, cùm Apostolis di- Matth. 5. v. 14. xit: *Vos estis lux mundi: non potest ciuitas abscondi supra montem posita: nec accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum: vt luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videãt opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est*. Debent enim Doctores tam sanctitate vitæ, quàm veritate doctrinæ fulgere in mundo, nam propter vtrumque sunt sicut ciuitas super sublimem montem constructa, & velut lucerna super candelabrum sita, & instar turris in altitudines erectæ, ita vt eos audientes & videntes, ex ijs, quæ audiunt, & vident, discant in cælum recta via tendere, à qua non errent nec recedant.

Alij vocem *Thalpioth* interpretantur *tumulum orium*, quasi lapides turris in altum erectæ, essent excisi in similitudinem oris. Quod in Doctores etiam quadrat, qui collum dicuntur ex munere loquendi. Quidquid autem est in illis, debet esse instar oris, Dei loquentis magnalia; vt non tantùm dicta, sed facta, ora sint sanctitatem prædicantia, clamantque exemplo idipsum quod docẽt verbo: & vt etiam eorum sancta opera vim habeant orationis sicut & verba, per vtraque Dei misericordiam sibi & alijs implorando.

Arma Doctorum ad pugnandum. §. 2.

1. Pro festo Pentecostes.

HOc autem amplius patefiet per ornatũ turris, cùm dicitur, *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Ad cuius intelligẽtiam aduertendum est, proportionem inter collum sponsæ monilibus ornatum, & turrim exornatam clypeis, & armis bellicis multò meliùs seruari, si intelligamus hæc arma non fuisse tantùm pendentia inter turrim quasi ibi clausa, & abscõdita, sed etiam extra illam, vbi videri ab omnibus possent. Quod in vsu fuit apud antiquos, tum ad terrorem incutiẽdum hostibus spectantibus illa; tum verò ad decorem turris, vel gaudium ipsis ciuibus, & incolis inferendum. Quod Ezechiel insinuat de militibus defendẽtibus Tyrum, inquiens; *Clypeum, & galeam* Ezech. 27. v. 10. *suspenderunt in te pro ornatu tuo*. Et paulò pòst: *pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum*. Vbi D. Hieronymus ait, bellatores istos, ad terrendos hostes, scuta, & galeas inter murorum propugnacula suspendisse. Oportet enim Doctores Ecclesiæ, qui ciuitas sunt supra montem posita, & lucerna super candelabrum sita, non tantùm intus, sed etiam extrà ornatos & armatos esse, clypeosque & arma pendentia habere. Reliqui fideles, qui sibi ipsis tãtùm vacant, abscondant opera sua, & omnem suam gloriam intus collocent: At qui aliorum etiam curam gerunt, foris, & in publico arma gerant, vt hostibus incutiant terrorem; domesticis verò animũ addant. Maximè autem vt hæreticos terreant, fugent scandalosos, & publicos peccatores; imò & dæmones (ait Nyssenus) ne ipsam audeant inuadere turrim. D. Hieron. Lyranus & alij.

Propter hoc Spiritus sanctus in Apostolos de- 2. scẽdens, non tantùm intus repleuit corda eorum, Act. 2. v. 3. sed foris etiã super illos apparuit in figura linguæ tamquam ignis, vt meritò illa Apostolica Ecclesia collum esset *sicut turris Dauid*, à qua mille pendebãt clypei; quid enim sunt linguæ igneæ super Apostolos, nisi clypei ignei ex Apostolicis turribus pendentes? Nam teste Salomone: *omnis sermo Dei* Prou. 30. v. 5 *ignitus, clypeus est sperantibus in se*. Vna erat in vnoquoque lingua, & plures linguæ: vnus clypeus, & mille clypei: quia vna tantùm figura linguæ ignis apparuit foris in singulis, sed mille linguas, id est, omnium nationum linguas infudit Apostolis, vt omnibus sine impedimento fidem Christi possent prædicare. Quando ædificata est à superbis filijs Adæ turris Babel, diuisit Deus linguas eorum, vt Gen. 11. v. 7 nullus intelligeret vocem proximi sui, quia superbia radix est dissensionis, & discordiæ; cùm inter superbos semper sint iurgia: at cùm ædificata est turris Euangelicæ perfectionis, coadunatæ sunt omnium nationum linguæ in Apostolis, ad significandum, vt Patres docent, quòd omnes nationes Prou. 13. v. 10. in eamdem conuenirent fidem, in eũdem modum D. Greg. hom. 30. in Euang. Nazianz. orat. 44. Augustf. serm. 187. de Temp. confitendi & laudandi Deum, relictis erroribus & vitijs quibus erant immersi. Vnde linguæ illæ quasi ignis tamquam ignei clypei terrorem incutiebant peccatoribus, vt peccata relinquerent; fideliumque corda inflammabant, vt Deum amplius diligerent. Sed vltra hoc in Apostolica turre erat omnis armatura fortium; quoniam Spiritus sanctus per signum illud visibile etiã tribuit Apostolis varia genera gratiarum, quæ arma essent ad spiritalem militiam, quam inchoabant, valde idonea, & à D. Paulo vocantur, *Sermo sapientiæ, & ser-* 1. Cor. 12. *mo scientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum,* v. 8. *Prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum*. Quæ omnia arma ignea erant, vt ignem amoris audientibus communicarent. Nam teste D. Gregorio, ociosus est sermo Doctoris, si Hom. 30. in Euang. præbere non valet incendium amoris. 3.

Sed iam communia Doctorum arma, quæ ipsi cum Dei auxilio acquirere sibi possunt, explicemus. Rediguntur autem ad duo genera. Alterum charitatem cum omnibus supernaturalibus virtutibus comprehendit, de quibus in exhortatione præcedenti actum est. Alterum verò ad perfectam spectat sacræ Scripturæ intelligẽtiam, in qua omnia reperiuntur arma spiritalia, quæ Doctores de-

bent in seipsos transferre, de qua paulò fusiùs A agamus.

Scripturam sacram quasi turrim esse Dauid omnia arma continentem. §. 3.

1. Homil. 15. in Ezech. Lib. de spiritualibus formulis, c.7. Iustus Orgelitanus.

IVxta sententiam igitur D. Gregorii, Eucherii, & aliorum, Scriptura sacra vocatur turris Dauid summè recta, sublimis, & firma. Recta, quoniam nihil continet à veritate, vel sanctitate alienum, sed cuncta, quæ docet, verissima sunt, & sanctissima, ad normam primæ veritatis, & sanctitatis conscripta. Sublimis, quoniam altissima sunt quæ tradit de diuinis perfectionibus, & operibus, fideique mysteriis, de virtutibus ac præmiis earũ. Firma verò, quoniam certissimum, & infallibile est quidquid reuelat, & narrat factum, aut promittit vel minatur futurum: nam, *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt:* Vocatur autem turris Dauid, id est, Christi, in eo præsignati; quia potissimè mysteria Christi, vel vmbraticè repræsentat in testamento vetere, aut expressè declarat in nouo. Sita autem est turris in monte Sion, quoniam in sola Ecclesia Catholica, vera & pura reperitur sacra Scriptura; apud alias verò congregationes infidelium, & hæreticorum nõ nisi adulterata, & corrupta, vt non turris Dauid, sed Babel, id est, confusionis vocari debeat.

Luc. 21. v. 33 Matth. 5. v. 18.

B

Mens ergo recta, sublimis & firma Doctorum, qui Scripturam sacram benè callent, & in se habent imbibitam, aptè vocatur *sicut turris Dauid*, quoniam est quasi quædam sacra Scriptura viua, sculpra, & impressa in propria memoria, intellectu, & affectu. Discriminantur tamen in eo, quòd turris immobilis semper manet, Scriptura enim semper est eadem, nec mutari potest, crescere vel minui: at collum aliquandò extenditur, vt ea, quæ C sunt à longè, videat: aliquãdo submittitur vt profunda intueatur: Sic mens Sanctorum extenditur ad contemplanda sublimiora Dei mysteria, quæ longè à sensibus distant, vel ad speculãdos hostes procul venientes, vt eorum caueat insidias, & fideles sicut Elisæus, moneat vt fugiant eàs. Demittitur autem ad intuendas miserias hominum, scelera, supplicia, & cætera, quæ de illis Scriptura commemorat. Nec etiam similitudo Scripturæ, & colli dissonat, si perpendamus per collum cibos trãsmitti in ventriculum, qui decocti in substantiam transmutantur comedentis, & fiunt vnum cum illo. Scriptura autem sacra cibus est mentis, quo cibãtur Prædicatores: nam Ezechieli & Ioanni volumen & liber datus est ad comedẽdum. Cùm autem per meditationem decoquitur, virtus libri sacri menti inseritur & vnitur. Rursus cùm collum locutionis sit instrumentum, ea autem loquamur, D quæ intus concepimus, hinc Doctoribus materia locutionis ac prædicationis est eadem Scriptura sacra, nam quæ in ea mortuis characteribus iacẽt, viua voce manifestant.

4. Reg. 6. v. 9.

Ezech. 3. v. 1 Apoc. 10. v. 9.

2.

Cuncta autem, quæ in hac turri sunt, ad hæc tria rediguntur. s. propugnacula, mille clypeos, & omnẽ armaturam fortium, quæ ad diuersas Scripturæ sententias, vel ad easdem diuersis rationibus referri possunt. Propugnacula enim, quæ turris sublimiores partes sunt ad propugnandum idoneæ, sublimiores indicant sententias fidei, quæ sua stabili & firma veritate dæmonum & hæreticorum errores, calumnias, fallacias, & insidias detegunt, propugnant, & comminuũt. Dicuntur autem clypei; quatenus per eas cõtra tentationes nos munimus, earumque ictibus potenter resistimus. Quomodò Christus Dominus diabolo tentanti de gula respondit: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Suggerenti verò præcipitium ad excitandam inanem gloriam, dixit: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Et instiganti ad orationem, ait; *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Accommoda enim debent eligi arma ad tẽtationes superandas, innumera enim habet Scriptura, quæ omnibus tentationibus aptari possint, & numero mille clypeorum designantur. Mille enim innumeram significãt multitudinem. Quòd autem omnes tentationes repellat, insinuat Dauid, cùm ait: *Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno. A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano.* Siue enim tentationes sint manifestæ, siue occultæ, siue opprimentes per timorem, siue erigentes per superbiam, siue per insidias hominum, siue per astutias Sathanæ transfigurantis se in Angelum lucis, contra omnes protegit nos scutum diuinæ veritatis, quæ in Scriptura habetur, & clypeus verborum, quæ Deus locutus est nobis. Scutum (ait D. Bernardus) in superiori parte amplum & latum est, vt caput, humerosque custodiat, in inferiori verò strictiùs, vt minùs oneret: ita in diuina veritate circumdante sicut scutum, quædam sunt ampla & lata, quæ de cælestibus rebus, & præmiis magna docent, & mentem exhilarant, ac dilatant, ex amoreque ad virtutum opera præmouent; Alia verò strictiora, quæ de castigatione carnis, & abnegatione sui; ac de timore gehennæ prædicat, vt carnem & amorem proprium constrictum teneant. Verumque autem totum hominem munit ac protegit.

Matth. 4. v. 2.

Psal. 90. v. 8

Serm. 5. in Psalm. *Qui habitat*, sed aliter applicat.

3.

Obseruat autem D. Gregorius discrimen inter propugnacula, & clypeos, licèt vtraque nos muniãt, quòd hos manu tenemus, & quocumque volumus pro nostro munimine mouemus: illa verò, etsi nos defẽdant, tamẽ nec manu tenere, nec mouere possumus: ita etiã miracula, & opera Dei stupenda, quæ sacrũ eloquiũ refert, sunt velut propugnacula, quæ veritatẽ Dei testantur, & nos valde protegũt, cõtra hostesque vires addũt: at ea imitari nõ valemus. Cæterùm præcepta Dei; consilia, & documẽta salutaria, ac Sanctorum exempla, quæ commemorat, sunt velut clypei, quibus munimur, si manu tenemus, & ex Dei gratia nostrum liberum arbitrium adiuuante ea in opus redigere conamur. Et hinc constat, cur D. Paulus fidem vocauerit scutum, quoniam per eam cuncta credimus, quæ in Scriptura continentur. Sed potissimè illa, quæ per charitatem operatur, clypeus est ignitus inimicos terrens. Paruipendunt enim dæmones fidem mortuam, nam & ipsi credunt & contremiscunt; timent autem fidem viuam dilectione accensam, quæ eos fugat, & vires confringit.

Ad Ephes. 6. v. 3.

Iacobi 2. v. 19.

Prætereà, vt suprà diximus ex Nysseno, clypei non iacebant in pauimento turris, sed pendebant ex ea, à terraque eleuati erant, quasi in aëre, ad significandum veritates Scripturæ sacræ non de terra esse, sed de cælo, nec à terrenis cordibus percipi; sed ab iis, quæ à terra per contemplationem eleuantur ad cælestia; hominemque petere non carnalem, sed spiritalem; siquidem contra inimicos aëreos & spirituales pugnamus: *Non enim est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & Potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus.*

Hom. 7. in Cant.

Ad Ephes. 6. v. 12.

Deinde sicut apud antiquos in vsu erat, teste Plin. in clypeis Lib. 33. c. 3.

in clypeis imagines pingere, eosque imaginibus A ornatos gestare: ita clypei Scripturæ sacræ cælestes imagines sculptas habent, dum Christi mysteria narrant, & quas pro nobis figuras in præsepio, vel in cruce assumpsit; quibus valdè animamur ad pugnam, & nos contra inimici tela munimur.

4.

Tandem verba Scripturæ sacræ etiam dicuntur omnis armatura fortium, nempe lorica, galea, cingulum, & gladius, imò iuxta Lxx. *Omnia iacula potentium*, quæ in Psalmo dicuntur: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs*: Quatenus continent præcepta, consilia, monita & exempla de iustitia, quæ lorica dicitur, de galea spei, de cingulo mortificationis, & de reliquis actibus virtutum: maximè autem sunt gladius acutus, & anceps ad scindendum & diuidendum quæ nimis coniuncta sunt, separando à corde omnes noxias, & inutiles affectiones ad res quascumque, quantumuis B dilectas, perimẽdo in se, vel in aliis vitia & passiones, & quidquid suggestione diaboli in corde pullulat, & Deo aduersatur: sunt etiam iacula & sagittæ potentium, quę potenti virtute iaciuntur contra inimicum, cum carbonibus desolatoriis, qui vrunt, & consumunt quidquid vitiosum insurgit in anima. Sicut enim clypei, vt diximus, ignei sunt ad extinguenda ignea nequissimi tela, vt bonus ignis malum expellat, & extinguat; ita & reliqua arma ignita sunt, nam de omnibus Dei verbis inquit Dominus per Ieremiam: *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus cõterens petram?* Quid ita durum quod hoc malleo non conteratur? quid ita frigidum quod hoc igne non comburatur? quid ita forte, quod his iaculis, sagittis & telis non cedat, vel ijs carbonibus desolatoriis non consumatur? En quot similitudinibus & metaphoris vis cuiusque sententiæ sacræ Scripturæ explicatur; nam sicut est manna, omnigenum suauitatis saporem continens ad nutriendum; ita est armarium omnigenis refertum armis ad pugnandum.

Psal. 119. v. 4.

Iere. 23. v. 28.

C

Oportet tamen omnia hæc tempestiuè in teipsum per meditationem transferre, & tecum ea quasi vnum efficere, velut homo armatus vnum quid videtur esse cum suis armis, vt mens tua, vita quædam scriptura sit intra se habens appensos clypeos, loricas, galeas, & iacula, quibus armata incedat, vt cùm hostis aggreditur, illicò expugnet, & vincat illum.

Sed quia non omnia arma omnibus aptantur, sicut nec omnes vestes: quemadmodum, & arma Saulis non fuerunt apta Dauidi, nec illis poterat armatus incedere, quia vsum talis armaturæ non habebat, ideoque lapides elegit & fundam, quibus vti cõsueuerat: sic ex diuina scriptura ea quisque arma debet eligere, quæ suo ingenio, & captui fuerint proportionata iuxta directionem Prælatorum & Doctorum; qui cùm fortes sint Ecclesiæ, omnia hæc arma habere debent, & eis armati incedere, tum vt se & alios muniant, tum vt quæ vnicuique apta sint proprio experimento discant, & discretè inter alios distribuant, in ædificationem & protectionem corporis Ecclesiæ, ad gloriam ipsius Dei in sæcula sæculorum. Amen.

1. Reg. 17. v. 38.

D

EXHORTATIO XV.

De suprema rectitudine, & celsitudine Deiparæ, instar turris Dauid, & de miris virtutum armis pendentibus in ea etiam propter nos.

Pro Festo Conceptionis, & aliorũ Deiparæ.

Sicut turris Dauid collum tuum, &c.

EX dictis in tribus exhortationibus præcedentibus per modum iucundi epilogi laudes Deiparæ canamus, cui constat encomium istud iuxta triplicem interpretationem in eis positam singulari ratione conuenire, omnesque colli proprietates, & Dauidicæ turris insignia, in ea eminentiùs quàm in aliis Sanctis reperiri.

§. 1.

SIcut enim in corpore naturali vnicum tantum est caput, & vnicum tantum collum infra illud, sed super alia membra: ita in corpore mystico Ecclesiæ vnicum tantùm est caput, Christus, Deus & homo, & vnicum per antonomasiam collum, genitrix eius, inter Deum & homines mediatrix; inferior quidem Christo, sed omnibus Angelis, & hominibus incomparabiliter sanctitate, & dignitate superior, vt meritò de illa D. Ildephonsus dixerit: Habes cum aliis nõ comparabilem appellationem, quæ, excepto Deo solo, est omnibus altior. Attende Seraphim (ait Petrus Damianus) & videbis, quidquid maius, minus est Virgine, solumque opificem opus istud supergredi. Cæteri sancti instar colli vniuntur spiritaliter Christo capiti, illumque supra se portant, & aliis manifestant: at Deipara singulari modo etiam corporaliter vnita est illi, & in se ac super se portabat, dum eum in suis visceribus concepit, gestabat brachiis, & tãquam fasciculum myrrhæ inter sua vbera collocabat, ac super caput suum tamquam rem summè à se habitam præferebat.

Serm. 1. de Assumpt.

Serm. de Natiuit. Virg.

Huius ergo dignitatis intuitu fecit eam Deus in primo suæ conceptionis instanti collum rectum, numquam curuum: ab initio quidem, vt inquit Ecclesiastes, *Fecit Deus hominem rectum*: Quia, sicut D. Thomas optimè interpretatur, & probat, creauit eum in gratia, & iustitia originali, per quam eius ratio plenè subdebatur Deo, rationi verò vires inferiores, & corpus animæ: at omnes posteri ab ipso præuaricatore deinceps procedentes, non fiunt nec nascuntur recti, sed curui ad terrena, & ad se ipsos plus nimio propensi, donec per baptismum regenerentur, & rectitudinem gratiæ in Adam amissam recuperent: at solam Virginem, etsi ab Adam progenitam, singulari priuilegio fecit Deus rectam absque vllo in terram curuamine, quo perpetuò caruit. Virga enim de radice Iesse producturа florem Christum recta debebat esse absque vlla curuitate, sicut filius eius, de quo dicitur: *Virga directionis virga regni tui*, id est, virga rectissima omnia ad æquitatem & iustitiam dirigens, & numquam ab ea flectens: oportebat autem virgam rectam à virga recta prodire, & virgam omnem rectitudinem germinantem maternæ virgæ hanc communicare rectitudinem.

Virginem creatam in rectitudine gratiæ. Eccles. 7. v. 30. 1. p. q. 95. ar. 1.

Isai. 11. v. 1.

Psal. 44. v. 8

Cæteræ filiæ Euæ, vt de Ierosolymitis ait Isaias, ambulauerunt extento collo aduersus Deum cer-

Isai. 3. v. 16.

uicem erigentes, æmulantes matrem ſuam, quæ ſerpentis ſuaſione vltra rationis menſuram ſe erexit, appetens eſſe ſicut Deus: nec increpata à Deo collum humiliter flexit, ſed proteruè ſe excuſauit: At beatiſſima Virgo ſemper ambulauit humili & flexibili collo modeſtè ad Deum, ſed ſub Deo erecta. Cùm enim in ſublimiſſimam Chriſtiparæ dignitatem electam eſſe ei Angelus nunciaret, non erexit collum, ſed humilius ſubmiſit, & ad Deo parendum promptè flexit dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Ancillæ nomen collum demiſſum indicat ad iugum obedientiæ pronum, propter quod dignitatem matris cum eius oneribus acceptauit; illudque tanti æſtimauit Deus ſublimis & excelſus, habitans æternitatem, vt mox in ea habitaculum conſtituerit tamquam in excelſo cælo, tamquam in ſancto Tẽplo ſuo, tamquã in humili & contrito ſpiritu, requieſcens in vtero eius ſicut verus filius, Deus & homo: ab ea vt homo infans, vitã; & nutrimentum recipiens; vt Deus verò eam viuificans, & exaltans. Nam *quia reſpexit* (inquit) *humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Non quidem ex meis meritis, ſed ex eius benigna miſericordia, & gratia; *Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen eius:* Voluit enim omnipotentiam ſuam in me oſtendere, quia complacet ſibi in humilibus manifeſtare illam, eo quòd eum honorant, & accepta dona in ipſum referunt iuxta illud: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.*

Lucę 1.v.38 — Alluſio ad locum. Iſai.57 v.15. citatum in exhort. 12 — Luc.1.v.48. — Eccl.3.v.20

§. 2.

SEd quæ magna fecit illi qui potens eſt? Profectò, vt collum eius eſſet *ſicut turris Dauid, quę ædificata eſt cum propugnaculis, &c.* Ipſe enim cæleſtis Dauid fecit ſibi hanc turrim, in qua habitaret ipſe Altiſſimus, qui natus eſt in ea, fundauit illam in montibus ſanctis, id eſt in altiſſimis ſanctiſſimiſque virtutibus, ita vt eius initia cacumina aliorum ſanctorum montium ſuperarent. Qualia autem initia, tales continuò progreſſus eius, ſemper in ſtupendam altitudinem excreſcentes, nec in minimo à rectitudinis norma deuiantes. Ciuitas quidem Dauid cæpta ædificari à turre Hananeel, vltra normam menſuræ exiit in cõſpectu Dei, quia omnes ciuitates Eccleſiæ incolæ in aliquo à rectitudine deflexerunt: at Deipara tamquam turris Hananeel, id eſt, turris gratiæ, & obedientiæ, à qua lex gratiæ & ciuitas nouæ Eccleſiæ per Chriſtum cæpit, ſemper plenitudinem gratiæ retinuit, nec vmquam minuit, ideoque ab Angelo per excellentiam prędicatur *gratia plena*, non hac vel illa gratia, nõ hac vel illa plenitudine, ſed omni gratia & virtute plena; omnique plenitudine, quæ in quauis ætate illi competebat.

Pſal.96.v.1. — Ierem.31. v.38. Citatur in exhort.13. — Luc.1.v.28

Vnde egregiè illi aptatur, ædificatam eſſe *cum propugnaculis*, quia turris perfectionis Euangelicæ ſemper in ea fuit perfecta, & conſummata, omnem cum ſumma firmitate habens altitudinem, quę pro eo tempore conueniebat. Hoc denotat vox, *propugnacula*, quæ licèt communiter vocentur partes in faſtigio turris prominentes, tamen à quibuſdam dicuntur illæ, quæ prominent ad latera turrium, vel murorum affixæ, vt eam fortiùs muniant. Quæ Hiſpanè vocantur, *eſtriuos del ædificio.* Vtroque autem modo virgineæ virtutes erãt illi propugnacula, quoniam eximia eius fortitudo, patientia, & inuicta charitas tamquam propugnacula lateribus inhærentia, eam erectam & immobiliter ſtantem tenebant, etiam iuxta crucem filij ſui, ſed vlteriùs ſuper faſtigium ſuarum virtutum noua quotidie aſcendebant incrementa, tamquam propugnacula argentea, candida & ſpecioſa; ita vt incredibilis magnitudinis partes haberet prominentes.

In exhort. 13. — Tunc vox, *ſuper*, quæ habetur Cant.8. idem valet, quod iuxta ſicut ſæpiùs fit in Scriptura. — Cant.8.v.9

Sed vnde hoc? Quia ſumptus neceſſarios ad perficiendum ædificium abundantiſſimè congregauit, nempe plenam & perfectam omnium renunciationem, quæ nihil omnino ſibi ſeruaret. Quod proteſtata eſt, dum ſe ancillam Domini vocauit. Ancilla enim non eſt ſui iuris; omnibus ceſſit, & quidquid habet, domini ſui eſt. Quid non renunciaret, quę eo tempore virginitatem vouens renunciauit nuptiis, cùm virgines de tribu Iuda eas appetebãt, vt ſi fortè ex ipſis naſceretur Chriſtus? Propter quod meritò etiam collum eius dicitur, *ſicut turris eburnea*; id eſt, eburneo innocentiæ & virginitatis candore præcellens, ab omni carne, & corio carnalium voluptatum & terreſtrium rerum affectu denudata: ebur enim caſtitatis eſt ſymbolum, vt dicemus circa illud, *venter eius eburneus.* Vnde cùm collum ſuum dictis Angeli flexit, eburneum etiam fuit, & virgineum; & ideo dixit: *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, vt fœcunditatem habeam matris cum eburneo candore virginitatis, cupio enim ventrem meum, ſicut & ſponſi, eburneum eſſe, vt venter & collum eboris candore decorentur.

Cant.7.v.4 — Cant.5. v.14. — Lib.8.exhort 28.

En turrim Dauid ædificatam in *Thalpioth*, id eſt, ſuper omnium altitudines, & ad diſciplinas intuentium, quia conſtituta eſt in altiſſimo Eccleſiæ loco, vt omnes exemplarem eius vitam intueantur, magni, & parui, virgines & cõiugati, Religioſi & Doctores, ab eaque ſinguli virtutes ſuo ſtatui congruentes ediſcant. In illa (inquit D. Ambroſius) tamquàm in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis exempla viuendi, vbi tamquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oſtẽdunt. Et infrà: Talis fuit Maria, vt eius vnius vita, omnium ſit diſciplina. Eſt enim hæc Virgo magiſtrorum magiſtra, doctorum doctrix, & noſtræ religionis viuũ exemplar, ac velut cæleſtis quidam pharus tendentibus in cælum, viam veritatis oſtendit, eſtque vt ſtella poli, quam nauigantes aſpiciunt, vt ad ſalutis portum nauem dirigant. Ipſa (inquit D. Bernardus) eſt præclara & eximia ſtella ſuper hoc mare magnum, & ſpacioſum neceſſariò ſubleuata, micans meritis, illuſtrans exemplis. Ipſam ſequẽs, non deuias; ipſam cogitans, non erras; ipſa protegente non metuis, ipſa duce nõ fatigaris; ipſa propitia peruenis; & vt impetres eius orationis ſuffragium, non deſeras eius conuerſationis exemplum. Sic ille. Qui talem ergo habemus coram oculis turrim, in exemplum eius, quam ædificare iubemur, toto cordis affectu eam intueamur, vt ab ea ſumamus ædificandi formam. Placeat doctrina, quam tam nobilis magiſtræ commendat inſtitutio. Nam (vt inquit idem D. Ambroſius:) Primus ardor diſcendi nobilitas eſt magiſtri: quid autem nobilius Dei matre? quid ſplendidius ea quam ſplẽdor elegit? Si igitur author non diſplicet, opus probemus, vt quicumque ſibi eius exoptat præmium, imitetur exemplum.

Lib.2.de Virgin. — Homil.3. in *Miſſus eſt* ad finem. — Vbi ſuprà.

§. 3.

§. 3.

SED arma turris intueamur, quæ etiam ad doctrinas in ea collocata ſunt, *Mille, inquit, clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Vox autem *mille*, referri debet ad cætera arma: ac ſi expreſſius diceret; etiam pendent in ea mille loricæ, mille galeæ, mille *iacula potentum*, & mille gladij. Sed ad quid in vna turre tot clypei, & arma? ſi ad literam reſpicias, oportuit tot eſſe, vt ex illis armari poſſẽt mille, id eſt innumeri fortes; at ſi ad vnam animam attendas, nonne ſufficit illi vnus clypeus, vna lorica, & vnus gladius? vt quid ergo mille? Deiparæ tamen mille conueniunt propter ſe, & propter nos.

1\. Sicut enim turris Dauid per ſuos parietes in circuitu plena erat clypeis, & omnigenis armis pendentibus ex ea; ſic Virgo, quam Angelus prædicauit, *Gratia plenam*; vndique plena fuit omnibus clypeis & armis, quæ per mille deſignantur. Mille clypei pendebant in intellectu propter plenitudinem ſapientiæ, & ſcientiæ, intelligentiæque ſacrarum Scripturarum, quæ illum replebant, ornabant, & illuſtrabant. In voluntate etiam & appetitu inferiori mille pendebant clypei ignei, galeæ, ac loricæ, propter plenitudinem ardentis charitatis, & omnium virtutum ſupernaturalium, quæ has vires protegebant, roborabant, & condecorabant. Vnicus in ea erat fidei clypeus, & mille clypei; vna ſpei galea, & mille galeæ; vna iuſtitiæ lorica, & mille loricæ; quia quælibet virtus vna erat, ſed quęlibet mille gradus perfectionis continebat; id eſt, omnes quos decebat habere tam præcelſam Dei matrem. Numerus enim millenarius ſummam ſignificat perfectionem, vt D. Gregorius deducit ex illo Iob, *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei reſpondere vnum pro mille*; id eſt, nec primum perfectionis gradum habet, qui ſuperbè putat ſe habere ſupremum. Pendebant autem hæc arma à turri, quoniam huiuſmodi ſupernaturales virtutes, etſi à Deo infundantur, & in anima collocentur, tamen ab ipſa etiam eiuſque libero arbitrio pendent, vt permaneant, & operentur. Habitibus enim virtutum vtimur cùm volumus: nos autem ſæpe nolumus, aut remiſsè eis vtimur, & non ſecundum totam habituum perfectionem: at Deipara libenter ſemper eis vtebatur ſecundùm omnem eorum plenitudinem: vnde ſingulis actibus incredibile accipiebant incrementum; propter quod mille nuncupantur.

Iob 9.v.3. — Lib.9.Moral.c.2.

Accedit & alia ratio cur mille eſſe oporteat: nam mille & innumeri ſunt interni hoſtes oppugnantes nos. Etenim poſtquam Eccleſiaſtes aſſeruit Deum feciſſe hominem rectum, ſubdit, *Et ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus.* Quæſtiones autẽ vocat non ſolùm vagos, vanos, curioſoſque diſcurſus, & perplexas difficultates, ſed etiã obliquas viuẽdi rationes, in quas ſeipſos diſſecant homines, vt alius libidini, alius auaritiæ ſeruiat, alij paſſionibꝰ, alij ſint ſubiecti; vnde in varias rixas, rebelliones, & vitia prolapſi ſunt. Cùm autẽ hæ quæſtiones infinitæ ſint, quibus aliquando nos ſponte miſcemus, multoties verò ipſæ nobis inuitis repentè ſe miſcent, oportebat mẽtem ad turrim perfectionis eleuatam mille clypeis & armis virtutum præmuniri, vt eas poſſet cõprimere, & ſeipſam in pace & rectitudine conſeruare, viriliter contra ſuas paſſiones, inaneſque cogitationes dimicando, at Deipara ſingulari priuilegio mille clypeos & mille arma eminentiſſimo perfectionis gradu habuit, vt hoſtes terreret, & arceret, ne vllo modo illi appropinquarent. Sed vltra hoc cuncta hæc data ſunt Virgini propter nos. Eſt enim, vt diximus, vnicum Eccleſiæ collum immediatè Chriſto capiti coniunctum: ſicut autem caput per collum, eiuſq; arterias, ſpiritus animales, aliaq; multa in cætera mẽbra influit; ſic Chriſtus per matrem in reliquos fideles ſua effundit dona, quando ipſa munus obit colli: eſt autem collũ organũ vocis, & inſtrumentum loquendi cum Deo, vel de Deo. Non prędicabat Virgo ſicut Apoſtoli & doctores; at orabat, orandoq; per illos prędicabat, virtutem eis impetrando, vt per ſemen verbi, cẽteſimum, & milleſimum fructũ ferrent, nec minus fructus fuerunt Deiparæ tres mille, aut quinq; mille à D. Petro in diebus Pentecoſtes cõuerſi, quam ipſius Petri. Decreuit enim Deus per ſuę matris preces peccatores conuertere, & in electos ſuos multiplices virtutũ gratias effũdere, vt meritò de ſe dicere poſſit, *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei, in me gratia omnis viæ & veritatis; in me omnis ſpes vitæ & virtutis.* Has enim virtutes in electis generat, nutrit, auget & perficit, dũ ſuis precibus à filio auxiliũ ad id præſtandũ implorat. Sicut enim collum inſeparabiliter ſuo capiti hæret & ſuſtinet, ſed illud iam eleuat, vt cœlum aſpiciat, iam deflectit verſus terram, vel ad latera; ſic Deipara Chriſto ſemper hærens, & in ſe portans, precibus ſuis illũ flectit, vt iuſtos & peccatores reſpiciat, omnibus benefaciat, illos cœleſtibus cumulãs donis, hos à cœno peccatorum eruens. Preces Virgineæ ſunt noſtra propugnacula, nobis ſunt mille clypei, & omnis armatura fortium, & omnia iacula potentium quæ in hac cœleſti pendent turri, vt omnes homines ad eam confugientes protegãt, arment & defendant, eorum omnes expugnando hoſtes. Ideoq; in ea mille dicuntur, quia ad omnes homines in omnibus eorum bellis & afflictionibus protegẽdos extendũtur; vt nihil illi deſit ex iis quæ ad perfectã, & quaſi omnipotentem in Chriſto pertinent aduocatam, vt ſancti Patres fateri videntur.

Eccl.7.v.30 — Ita Olympiodorus & Caietanus. — 2. — Eccl. 24. v. 24.

Non dubium eſt (inquit D. Auguſt.) quæ meruit pro liberandis offerre pretium, poſſe plus omnibus liberatis impẽdere ſuffragium. Sed copioſius Germanus Conſtantinopolitanus Virginem alloquens, ſic ait; Quis poſt tuum filium curam gerit generis humani ſicut tu? quis ita nos defendit in noſtris afflictionibus? quis in ſupplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? tu enim cum habeas maternam apud tuum filium fiduciam, & potentiam, nos tuis interpellationibus, & interceſſionibus ei efficis familiares, & das ſalutem, & ab æterno liberas ſupplicio. Omnia tua admirabilia ſunt, ô Deipara, omnia ingentia, & aliorum vires ſuperantia; propterea & patrocinium tuum maius eſt quàm intelligẽtia apprehẽdi poſſit. Sed plus exaggerat, cùm ait; Non eſt vlla ſatietas tuæ defenſionis, non eſt numerus tuorum beneficiorũ, nullus enim eſt qui ſaluus fiat, niſi per te Virgo ſanctiſſima: nemo eſt qui liberetur à malis, niſi per te, ô puriſſima: nemo eſt cui donum cõcedatur, niſi per te, ô caſtiſſima: nemo eſt cui miſereatur gratia, niſi per te, ô honeſtiſſima. Confirmat Diuus Bonauentura, ſic dicens; Quia Dominus potentiſſimè tecum eſt, ideò & tu es potentiſſima ſecum; potentiſſima es per ipſum, potentiſſima apud ipſum, vt verè dicere poſſis, *In Ieruſalem poteſtas mea.* Et D. Anſelmus eam deprecans, ſic ait; Rogamus te, Domina, per ipſam gratiam qua te pius & omnipotẽs Deus ſic exaltauit, & omnia tibi ſecum poſſibilia eſſe donauit, &c. Et infrà. Tantummodo itaq; velis ſalutem noſtram, & verè nequaquã ſalui eſſe non poterimus.

Plures citat Suarez to. 2. in p.3. diſput.23.a.2. & 3. — Serm.35. de Sãctis. — Serm. de Zona virginis. — In ſpeculo Mariæ c. 8. — Eccl.24. — Lib. de cellentia Virg. c. 12.

Quid autem mirum vt omnipotentem putemus A
Mar.9.v.22. Virginis precem, cùm Dominus dixerit, *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti:* at quid non
Matt. 17. v. 19. credit Virgo, cui dictum eſt, *Beata quæ credidiſti; quoniam perficientur in te quæ dicta ſunt tibi à Domino. Si habueritis* (inquit Dominus) *fidem ſicut granum ſinapis, nihil impoſſibile erit vobis.* At Deipara fidem habuit perfectiſſimam & efficaciſſimam, non ſolùm vt Dei filia & ſponſa, ſed etiam tanquam mater; & ideò nihil eſt illi impoſſibile, ſed omnia in Chriſto, & per Chriſtum filium eius ſunt illi poſſibilia.

Quæ igitur plena eſt gratia, vt de plenitudine eius omnes accipiamus per eius preces, etiam plena eſt clypeis, & omnigenis armis, vt cum ad illam tanquam ad turrim fortitudinis & refugij acceſſerimus, ab ea clypeos & arma nobis congrua accipiamus, quibus armati omnes inimicos noſtros proſternamus; ſi tamen cuius ſperamus auxilium, B
imitari conemur exemplum, ad laudem filij eius, qui eſt Deus benedictus in ſecula.

EXHORTATIO XVI.

Pro Dominicis 12. & 17. post Pentec. et pro Festo Doctorvm.

De duplici charitatis actu, & præcepto dilectionis Dei & proximi; de iuſtis qui vtraque maximè flagrant; peculiariter de Religioſis, ac Præſulibus & Doctoribus Eccleſiæ.

Verſ. 5. Verſ. 6.

Duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.

Cât 7. v. 3. VLTIMO loco in hac laudum ſerie ſponſæ commendantur vbera, & duobus hinnulis capreæ gemellis aſſimilantur. Quam comparationem in cap. 7. repetit ſponſus, etſi conciſiùs. Sed hoc mirum eſt quod ſponſa ante omnes alias laudes à ſponſi vberibus commendandis cœpit, cùm canticum iſtud inchoans, ait, *Oſculetur me oſculo oris ſui, quia meliora ſunt vbera tua vino.* Sponſus tamen dilectæ vberum laudes in vltimum locum reiicit; ſed facilè conciliari poſſunt, ſi vbera metonymicè ſumamus pro amoribus, iuxta ſupra dicta, eo quod pectus vberibus circumſeptum amoris eſt ſedes, vberaque amoris natiui ſignum, ad amoremque alliciunt, iuxta illud, *Vbera illius inebrient te omni*
Prou.5.v.19 *tempore, in amore illius delectare iugiter.* Sponſa igitur primùm coniicit oculos in ſponſi amorem, quem optat, & petit, quia omnium bonorum ſibi eſt fons & radix. Iſte autem amor ſemper eſt in Deo perfectus, & illo nos præuenit, dicente dile-
1.Io.4.v.10. & 19. cto diſcipulo, *In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* At ſponſa etſi ſtatim Deum diligat, tamen ad perfectiſſimam dilectionem, dilectioniſque inſigniora opera non mox peruenit, ſed poſtquam iam in vir-
Ezec.16.v.7. tutibus eſt adulta; cùm (ſicut inquit Ezechiel) intumuerunt vbera eius, vt filios ſpiritales gignere, & nutrire valeat; ideoque poſt alias laudes vbera ipſius commendat, dicens, *Duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli,* &c. id eſt, ita ſunt pulchra, nitida, & tumida, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, &c.

Charitatis, & duplicis eius actus encomia. §. 1.

SED libet interrogare, cur in hac ſimilitudine 1.
vſus non eſt ſponſus proprio nomine fœtus capreæ, ſcilicet *hœdi* vel *hœduli,* ſed nomine quaſi generico *hinnuli,* quod ceruorum & aliorum animantium fœtus etiam ſignificat? Nec enim myſterio carere puto; ſed maximum charitatis encomium, & ſpōſæ nimia charitate flagrantis laus inſinuatur; à qua longiſſimè abeſt quidquid eſt reprobationis, & peccati ſignum, quod nomen hœdi videbatur præſignare. Quod egregio ſimili explicari poteſt ex illo quod Dominus ait apud Oſeam, *Vocabit* Oſeæ 2.v.16
me vir meus, & non vocabit me vltra Baali, & auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltra nominis eorum. Vbi D. Hieronymus obſeruat in lingua Hebræa & Syra duo eſſe nomina ſignificantia, habens virum, ſeu vir meus, & vnum eorum eſt *Baalim;* adeò tamen Deum odiſſe idolorum nomina, vt quia nomine Baalim vocabant idolum, noluerit eodem nomine, etſi idem ſignificante vocari, nec alios eo nomine vti, ſed alio, ne, dum eo vtuntur, idoli recordentur. Sicut etiam modò, quia hæretici ſuam ſacrilegam communionem cœnam vocant, ab hoc nomine abſtinemus, cum de ſacratiſſima Euchariſtię communione agimus, ne cum eis nec in nomine alioqui ſancto conueniamus. Ad hunc modum, etſi idem ſit hinnulus capreæ, & hœdus; tamen quia hœdus ad reprobos & peccatores ſignificandos aſſumitur, qui ad ſiniſtram iudicis ſeparandi ſunt; ideò in laudibus duorum vberum ſponſæ ab hoc nomine abſtinuit, inſinuans amorem diuinum omnino aduerſum reprobationi, & peccato, cuius nec nomen in memoriam vult reducere. Vnde paulò poſt eam laudans, De hoc ſupra in id, *Paſce hœdos tuos.*
C ait, *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te.* Quo etiam ſenſu commendans D. Paulus immaculatam vitam, ait, *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis:* id eſt, nec ipſum nomen audiatur inter vos. Ad Epheſ. 5.v.7.

Sed ad rem propius accedendo, nec etiam myſterio caret appoſitio numeri, quam nomen *duo* ſignificat; etſi enim alia corporis membra bina ſint, 2.
laudans ea non dixit, duo oculi tui, duæ genæ tuæ, duo labia, ſed tantùm de vberibus ait, *Duo vbera tua,* eaque comparat duobus hinnulis gemellis; fortè ad indicandam charitatis naturam, quæ, cum vera ſit amicitia, haberi non poteſt niſi inter duos, ſcilicet inter animam & Deum, vel inter proximos ad inuicem propter Deum. Qua de cauſa (vt notat « Ho. 17.
Diuus Gregorius) Chriſtus Dominus binos mit- « in Euāg.
tebat ad prædicandum diſcipulos, quia minus « Lu.10.v.
quàm inter duos haberi charitas non poteſt: nemo « 1.
D enim ad ſemetipſum propriè habere charitatem «
dicitur; ſed dilectio in alterum tendit, vt eſſe cha- «
ritas poſſit. Cum autem homo ſe diligit ex charita- «
te, ſicut explicat Diuus Thomas, non eſt ſub ratione amicitiæ; ſed quia eſt quid Dei, cum quo ſummam habet amicitiam. 2.2.q 25.ar. 4.

Sed propria ratio, ob quam duo vbera expreſſit, 3.
eſt ad ſignificandos duos inſignes amoris actus, Dei & proximi, qui ab eadem charitate in anima radicata procedunt; de quibus ſunt duo præcipua præcepta, primum & maximum, *Diliges Do-* Matt. 22.v. 37.
minum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. ſecundum ſimile huic, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Quæ eleganter explicantur vtraque ſimilitudine vberum, & hinnulorum. Etenim in corpore naturali duo vbera eminēt in vno pectore, in cuius ferè medio intus eſt cor, quod eſt caloris & vitæ, ſeu

ſpirituum vitalium fons: quæ omnia ſymbolum A
ſunt amoris & charitatis Dei, quæ, teſte D. Paulo,
Ad Rom. 5. v. 5. *Diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Nam, vt optimè docet D. Tho-
3.p.q.8.ar.1. ad 3. mas, quia caput habet manifeſtam eminentiam reſpectu exteriorum membrorum, Chriſtus comparatur capiti ſecundùm viſibilem naturam humanam, qua omnibus præfertur: at quia cor habet quandam influentiam occultam, Spiritus ſanctus cordi aſſimilatur, qui inuiſibiliter viuificat, & vnit Eccleſiam. Igitur cor occultè ſub pectore latens, vtramque indicat charitatem, increatam, quæ eſt Spiritus ſanctus, primus fons ſpiritalis vitæ, & omnium cœleſtium inſpirationum, ac viuifici caloris ſeu ardoris, quo ipſum amamus; & creatam, quæ eſt forma animæ inhærens, & quaſi mater ſuos generans actus, ſc. duos prædictos amores, Dei, & proximi; Dei quidem propter ſemetipſum, quia ſummè bonus eſt, & omniū bonorum author B
& largitor; proximorum autem ſicut ſuiipſius, vt quid ſunt Dei ſummi dilecti: ita quod ſicut pectus eſt vnum, ita ſit vna ratio diligendi omnes ex charitate, quæ in ipſa Dei bonitate, cuius alij participes ſunt, conſiſtit. Iidem autem duo amores duo ſunt vbera prominentia, qui exterius diuerſis operibus manifeſtantur, atque quaſi proprium lac gignunt, & emittunt. Amor quidem Dei generat deuotionem & pietatem erga illum, alioſque affectus laudis, gratitudinis, & obedientiæ: amor proximi gignit pietatem, & miſericordiam, beneficentiam, liberalitatem, & curam erga eos. Sicut autem vbera naturalem habent ſimilitudinem & connexionem; ita duo iſti amores, duoque præcepta ſimilia ſunt, & ſibi connexa, nec vnum ab alio ſeparatur, nec ſeruari poteſt ſine alio: nam, *Hoc mandatum*
1.Io.4.v.23. *habemus à Deo* (ait D. Ioannes) *vt qui diligit Deum,*
Ad Ro.13.v. 8. *diligat & fratrem ſuum: Qui* autem *diligit proxi-* C
Ad Gal. 5. v. 14. clarius habetur. *mum ſuum* (ait D. Paulus) *legem impleuit;* quia diligēdo proximum, diligit in eo Deum, & plenitudo legis eſt dilectio; ideoque comparantur duo vbera duobus hinnulis capreę, non quibuſque, ſed gemellis ab eadem caprea ſimul genitis, quales ſolent eſſe vterini fratres; eo quod iſti amores ſunt ab vna matre charitate, quaſi vno ſpiritali partu editi, qui ſimul nutriuntur, creſcunt, & perficiuntur.

Vnde etiam prouenit, quod etſi plures ſint homines, quos charitas diligit, eos tamen diligat quaſi vterinos fratres propter Deum qui ratio eſt diligendi eos, & quaſi vnum quid eſſent cum Deo, ac
Act.4.v.32. Io.17.v.22. cum ſeipſo, & ipſe cum illis; iuxta illud, *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Quod Chriſtus Dominus videtur petiiſſe cùm orabat ad Patrem, vt omnes eſſent vnum, ſicut ipſe & Pater vnum erant. Vnde fit charitatis dilectionem ſem- D
per eſſe tātùm inter duos, nempe inter animam & Deum. Nam etſi ſit inter proximos, tamen eos reſpicit, vt ſunt vnum cum ipſa anima in Deo, vel vt ſunt quid Dei.

4. Sed attende miram inter charitatem, & ſuos actus recompenſationem, quæ in hac metaphora etiam inſinuatur. Nam ſicut cor, quod caloris eſt fons, calefacit quidem pectus, & vbera, vimq; per ſpiritus vitales eis confert gignendi lac; at pectus vberaque ipſum circumdantia, vicem rependunt cordi, dum eius calorem ſeruant: nam (vt in-
Ita Galenus l. 7. de vſu partiū c.22. quit Galenus) mammarum ſubſtantia glanduloſa operimentum ſimul cordi eſt, calefactaque ab eo ipſum recalefacit. Quomodo enim pelles & panni operientes corpus licèt frigidi ſint, à corpore calefacti, poſtea ipſum corpus recalefa-

ciunt: ita etiam Spiritus ſanctus in corde reſidens, & ſpiritus charitatis animæ inhærens, eam ſpiritaliter cálefaciunt, & ardentes excitant affectus erga Deum & proximos, qui foras prodeunt, & inſignia opera ipſum amorem teſtantia faciunt; quæ tamen vicem rependunt; nam Spiritum ſanctum intra cor ſeruant, vt iugiter ibi adſit, & charitatis virtutem cuſtodiunt, & amplius accendunt; ſed hoc ipſum præcipuè in internum refunditur amorem. Nam, ſicut inquit Chryſoſtomus in Imperfe- Hom.32. in
cto, quod in herbis & arboribus eſt humor, hoc in c.19. Matt.
hominibus eſt amor: & ſicut herbæ ex humore naſcuntur, & incrementum recipiunt, ſic homines per amorem incipiunt & creſcunt. Humor de radicibus aſcendit in herbam, in folia, flores, & fructus, ſic ex internæ charitatis virtute aſcendunt cuncta deſideria, verba & opera dilectionis, quæ virtutem arboris manifeſtant, & illam valdè ornant, & pulchram reddunt.

Hinc etiam eſt quod ſicut pectus eſt valdè forte, 5.
vt cor cuſtodiat, & duo vbera ſunt quaſi duo propugnacula à natura ſuper cor erecta, vt illud contineant, & frigus impediant, ſicut Ariſtoteles & Lib. 4. de
Galenus teſtantur; ſic etiam amor Dei & proximi partib. animaliū c.10.
operibus manifeſtati, fortiſſima ſunt propugnacula Lib. 7. de
charitatem, & Spiritus ſancti præſentiam intra ip- vſu partiū
ſum cor protegentia; quia anima charitate munita c.22.
actibus ſuis ſeipſam cuſtodit, peccatorum frigus repellit, & hoſtes propugnat. Vnde cùm de ſponſæ ſorore diceretur inferius, *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argētea;* nimirum quæ eum ornent, & muniant; ipſa reſpondit, *Ego murus, & vbera mea quaſi turris;* inſinuans vbera ſibi eſſe ſicut turres, & propugnacula ſuper murum pectoris ad cuſtodiam cordis, quæ ab inimicis nequeunt expugnari; quoniam Spiritus ſanctus acerrimus iuſtorum propugnator, & defenſor talem vim per charitatem illis præbet, vt vbera, quæ mollia ſunt & ſuauia erga Deum & proximos, fortiſſima & terribilia ſint erga hoſtes.

Habent præterea hoc vbera, vt proprio lacte 6.
paſcantur, quod pro aliis nutriendis generare videntur. Sanguis enim quem per calorem à corde receptum in lac conuertunt, eis fit etiam nutrimentum; & dum lac hinnulis vel infantibus ſugendum præbent, ipſa copioſius lac gignunt, quo iterum intumeſcunt: ſic etiam duo iſti amores Dei & proximi, dum vberrimum gignunt lac deuotionis & pietatis erga Deum, ac beneficentiæ & miſericordiæ erga proximos, ſeipſos nutriunt & augent. Habitus enim ſuis actibus quaſi nutriuntur & creſcunt. Nam quò quis plura & glorioſiora ex charitate operatur, eo intenſior fit amor Dei & proximi, in quorum gloriam vel vtilitatem cedunt.

Explicantur amplius hæc encomia, & eminentia legis gratiæ ſuper antiquam. §. 2.

HÆC amplius explicantur ablata ſimilitudine hinnulorum, *Qui paſcuntur in liliis.* Hinnuli Prou.5.v.19
(teſte Salomone) gratiſſimi ſunt, & inſuper ſucculenti, nitidi, & pingues, cùm paſcuntur in liliis; 1.
id eſt, vberrimis, & odoriferis paſcuis, qualia ſolent eſſe in locis humidis, vbi pulchra germinant lilia; ſic iſti duo amores, qui ſuis præclaris & pulchris nutriuntur, & pingueſcunt operibus in Dei gloriam, & proximi cōmodum iucundè & promptè exhibitis, gratiſſimi ſunt omnibus, ſicut ſcriptum eſt, *Gaudebit in te Deus tuus.* Et rurſus. *Iu-* Iſa.62.v.5.
cundus homo qui miſeretur, & commodat; ſed eſt ob- Pſal.111.v.5.

seruatione dignum, etsi caprearum hinnuli, ab vberibus maternis lac sugant, quo nutriuntur; hîc tamen non dici pasci lacte, sed in liliis; (nisi fortè intelligas pasci lacte in loco liliis consito) ad significandum, hos duos amores non solùm nutriri lacte paruulorum, & operibus facilioribus tyronum propriis, sed etiam pastu solido grandiorum, & operibus magnis, arduisque, quibus maximè propter ipsum dilectum iucundantur.

2. Sed gloriosiorem pastum lilia insinuant, nempe candidissima & pulcherrima Dei attributa, & perfectiones, quibus hi duo amores nutriuntur, pascuntur, & increscunt. Considerans enim anima immensam Dei sapientiam, pulchritudinem, charitatem, & magnificentissimam ad benefaciendum omnibus propensionem, his liliis pasta in eius amore crescit, & in immensum crescere cupit: dum autem meditatur eius misericordiam erga homines etiam peccatores, qua solem suum B oriri facit super bonos & malos, & nubes pluere super iustos & peccatores, his confortata liliis, etiam erga omnes homines magnum amoris augmentum concipit, dum modò huiusmodi meditationes ex perspicaci lumine fidei mentem illustrante proueniant, quod indicant ipsi hinnuli caPropter hoc caprea Græcè vocatur Dorcas. preæ, quæ acuto pollet visu: tunc autem vberior est, & efficacior pastus, cùm Spiritus sancti illustratio & inspiratio mentem perfundit, meditationem dirigit, tenebras expellit, & diem clarioris cognitionis efficit. Et hoc modo D. Gregor. Nyss. interHom 7. in Cant. pretatur sequentia verba, *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ*: intelligēs per spirationem diei inspirationem Spiritus sancti, diei nomine significati, qua spiratione expelluntur vmbræ vanitatis, & erroris; ac si diceretur; tandiu duo vbera amoris erunt sicut duo hinnuli qui pascuntur in liliis, quandiu Spiritus sanctus in anima lucem suam C spirauerit, & tenebras ab ea expulerit. Sed germanior & communior sensus horum verborum est, Lib. 5. Exhort. 38. quem fusè in lib. 5. explicuimus circa similia verba, quæ habentur ad finem capitis secundi, de durationeiugi, & perpetua vsque ad finem vitæ, & vsquequo aduenìat æternitatis dies, & clara Dei visio omnes expellens vmbras, animæ communicetur: propensio enim charitatis, & vtriusque dilectionis est vsque ad finem vitæ pasci, nutriri, & in Ioan 13. v. 1. dies crescere, instar Christi Domini, qui *Cùm dilexisset suos, in finē dilexit eos*, vt citato loco diximus.

4. Hinc deducere licet discrimen inter legem nouam & veterem: etsi enim quidam putent duo vberaEcclesię veteris hic vocari duas tabulas legis, Exod. 31. v. 18. & c. 32. 15. digito Dei scriptas; quarum vna continebat tria præcepta ad cultum Dei spectantia, quæ ipsius dilectionem testabantur: altera verò septem, quæ in Deut. 4. v. 13. D bonum proximorum cedebant, & eorum commendabant dilectionem. Cæterum, si rem profundius consideremus, aliud innuere videtur, eo quod ipse Dei digitus, qui virtus Dei aut Spiritus sanctus nuncupatur, in tabulis lapideis ea scripsit, & non in tabulis cordis, significans quod lex illa ex vi propria non cōferebat gratiam nec charitatem, etsi charitatis præcepta iniungeret; & ideò durae erant, & grauia ad portandum & seruandum. Propter quod etiam Moyses à monte descendens duas tabulas portabat, non super pectus, sed in manibus, quia data erat, vt opere compleretur, etsi charitatem pectus mollificantem & inflāmantem non conferret. At lex noua, quæ est lex gratiæ & charitatis, scripta est digito Dei in tabulis cordis nostri, quia Spiritus sanctus cordi imprimit charitatem, A & in duo eius præcepta, dilectionis Dei & proximi, propensionem, virtutemq; conferens ad præcepta omnia opere cōplenda: ideoq; hæc duo dilectionis mandata aptè designantur per duo vbera blanda & suauia, quæ super cor sunt pectori affixa, & spiritalis dulcedinis lacte cætera alia dulcorant, & suauia reddunt. Propter illa enim iugum Christi suaue est, & onus leue. Comparantur autem hæc vbera, non capreæ, sed hinnulis eius gemellis. Ca- Ita interpretatur Cassiodorus. prea antiqua est Synagoga, ex Patriarchis & Hebræo populo constans: duo eius hinnuli gemelli, Apostoli, & discipuli Christi Domini, ex eodem populo selecti; de quibus dictum est, *Pro patribus* Ps 44. v. 17. *tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram.* Vnde hinnuli isti non dicūtur pasci lacte capreæ matris suæ, sed pasci liliis; quoniam Apostoli & discipuli non pasti sunt præceptis & ceremoniis legis veteris, imò illas repudiarunt, di- Act. 15. v 10 centes cum D. Petro, *Quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Pascuntur autem liliis, id est, præceptis & consiliis legis euangelicæ, Christique magistri sui verbis & exemplis; quorum obseruatio reddit eos pulchros, splendentes, pingues, & omni deuotione ac sanctitate plenos.

De vmbris legis antiquæ, & meridie legis nouæ.

COnfirmatur hoc amplius si per vmbras intelligamus cum Diuo Augustino legem antiquam, & per diem legem nouam; vel per vmbras, Orat. ad Iudæos c. 6. to. 6. aliquas imperfectiones, quas lex vetus permittebat Iudæis ob eorum duritiam, vel agrestem conditionem, vel ex eorum traditione, introductæ erant tum circa Dei cultum, tum maximè circa dilectionem proximorum, quarum mentionem fecit Christus Dominus in sermone habito in monte, inquiens, *Dictum est antiquis; quicumque dimiserit* Mat. 5. v. 32 & 34. 38. & 43. *vxorem suam, det ei libellum repudij.* Item, *Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua.* Rursus. *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Item. *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Hæc & similia vmbræ quædam erant, splendorem diuinæ legis quasi obtenebrantes, & quodammodo charitatis ardorem frigefacientes: nam Iudæi diuidentes gemellos actus charitatis, eos quasi necabant, & nec Deum perfectè, nec proximum propter Deum diligebant, sed propter rationes humanas; vnde ea tantum quæ lex Moysis exterius puniebat, prohibita putabant vt homicidium: interna verò, vt iram cordis, parum aut nihil curabant. At cum dies aduentus Christi ortus est, meridianaque lux doctrinæ eius mundo effulsit, omnes istæ vmbræ per ipsum dissipatæ sunt, cùm dixit, *Ego autem dico vobis*; id est, ego qui sum doctor iustitiæ, & lux mundi, omnes ab eo tenebras & vmbras expellens, trado vobis clariorem doctrinam sicut meridiem, quæ nullam habet vmbram, vt reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformemini à claritate in claritatem; ideoque di- 2. ad Cor. 3. v. 18. co vobis, *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*: &, *Quicumque dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* Item, *Ego autem dico vobis non iurare omnino: non resistere malo*, &c. *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos: orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*, &c.

Duo ergo vbera charitatis, eiusque propensiones ad amandum resplendent in duobus eius actibus, qui sunt velut hinnuli gemelli qui pascuntur in iis præceptis euangelicis, vndequaque candidis, odoriferis & pulchris sicut lilia, sine vlla imperfectione & limitatione, quamdiu durat dies, & lux meridiana legis Christi, inclinatis & fugatis iam vmbris per ipsum.

Hæc vbera omnes lactant homines, siue amicos, siue inimicos, omnibusque præbent lac quod à Christo vocatur beneficentia, & oratio cum tolerantia, benefaciendo omnibus qui nos odio habent, tolerando patienter persecutiones, & calumnias, orando simul pro iis qui nos persequuntur, sicut Pater cœlestis solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Primum faciet iugiter vsque ad finem seculi, secundum in tempore opportuno; sic charitas inclinat ad benefaciendum amicis & inimicis, gratis & ingratis, & persecutoribus, vsque ad finem vitæ, tribuendo eis lac quo indigent tempore opportuno; nec in hoc lassatur, quia non ex necessitate & violentia, sed ex amore facit. Diligit enim omnes tanquam vterinos fratres in Deo, qui omnium est Pater.

Nec displicet noua ponderatio huius metaphoræ, in qua non dicitur duo vbera esse sicut duos ouis agniculos gemellos; sed sicut duos hinnulos capreæ, ad significandum charitatem in dilectione sua non respicere ad futurum hominum statum post hanc vitam, sed ad præsentem, id est, non solùm diligere, & lactare eos qui in innocentia & sorte iustorum permanent sicut agni, sed eos etiam qui decursu temporis degeneraturi sunt à via iustitiæ, & transituri in sortem reproborum, vel vt hædi qui sunt ad sinistram iudi- C cis collocandi: nam quandiu sunt in hoc mundo, omnes diligit vt fratres & amicos. Quemadmodum Christus Dominus in nocte cœnæ vberibus suis non solùm lactauit vndecim Apostolos, sed Iudam hostem, qui reprobus & diabolus erat. Propter quod peculiariter dixit illis, *Exemplum* Io. 6. v. 70. Io. 13. v. 15. *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*; cum ait vobis, Iudam comprehendit, qui erat inter illos cuius pedes lauit, & tersit, & cui buccellam, imò & Eucharistiam dedit. Deinde cùm charitas sicut Deus, velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, nec vllum condemnari, omnia sua misericordiæ opera protendere cupit, donec omnes peccatorum vmbræ destruantur in iniquis, & aspiret illis dies lucis & veritatis ac dilectionis, qua salui fiant; imò donec in ipsis iustis dissipentur etiam omnes vmbræ imperfectionum, & as- D piret dies perfectionis euangelicæ, vt omnes ad illam peruenìant sanctitatem, de qua Saluator Mat. 5. v. 48. subdit, *Estote ergo perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est*: insinuans supremam perfectionem consistere in ea charitatis dilectione, quæ ad omnes etiam inimicos modo dicto se extendit.

Tandem in his verbis, *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ*, alia differentia insinuatur inter vtrumque, legem nouam & veterem, & earum professores, quæ insinuata est etiam supra cùm dicitur; *Iam hyems transiit, flores apparuerunt in terra nostra.* Lex enim Moysis & obseruatio eius apud iustos iam transiit, solumque durauit vsquequo aspirauit dies, aduentus Christi in mundo, per quem cessarunt omnes ceremoniarum & sacrificiorum vmbræ. Lex enim (teste Diuo Paulo) solùm habebat vmbram futurorum bonorum, quæ per Christum danda erant. At lex euangelica, ac eius professores permanebunt vsque ad finem mundi, quamdiu aspirant dies, dierumque successiones, & noctium, nec post illam vlla amplius futura est lex. Nam Christus Dominus Matt. 28. v. 20. permanebit cum discipulis suis vsq; ad consummationem seculi. Aptè ergo dicitur Ecclesiæ, *Duo vbera tua sicut duo hinnuli*, &c. id est, duo præcepta charitatis & dilectionis in corde tuo impressa, ita sunt pinguia & splendida, sicut apparet in duobus capreæ hinnulis, id est in Apostolis, & discipulis ex tua congregatione assumptis, qui pascuntur pascuis à me illis exhibitis, quæ ita alia excedunt, sicut lilia candore & odore alios superant flores. Pascentur autem vsquequo aduenìat dies æternitatis, & huius seculi cessent vmbræ. Cùm ergo encomium aut vaticinium istud ad legem euangelicam pertineat, oportet super corda nostra hæc duo vbera semper habere, ac mentibus nostris diuino fauente nūmine, hæc duo præcepta dilectionis inserere, quæ ita in nobis vigeant ac splendeant, sicut in Apostolis & discipulis, pascentes nos in liliis & pascuis euangelicæ doctrinæ, & gestis Christi Domini, quandiu in hoc seculo vixerimus; nam qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. AdHeb. 10. v. 1.

De cœtibus iustorum, qui vtroque amore flagrant, maximè de Religiosis. §. 4.

EX dictis deduci etiam potest, qui iustorum cœtus mystica Ecclesiæ vbera dicantur, qui licet multi sint, ad duos tamē reduci in genere possunt, qui eximia præ aliis charitate flagrantes, nimirum qui potissimè amori Dei per actus contemplatiuæ vitæ vacant, & qui amori proximorum per actiuæ vitæ opera inhiant. Vnde peculiariter aptari possunt duobus religiosorum ordinibus, qui solitariam vel monachalem vitam, aut qui cœnobiticam operibus Marthæ occupatam profitentur; aut etiam religiosis, qui ex proprio instituto mixtæ vitæ, ex contemplatione & actione circa proximorum salutem vacant, etsi isti ex hac parte munus doctorum obeant; de quibus paulò post. Huiusmodi igitur aptè vocantur vbera Ecclesiæ, quia proximiores sunt per amorem eius cordi, quod est Spiritus sanctus, increatus amor, cuius sunt tegumēta, & propugnacula, conseruantes eius præsentiam intra reliqua Ecclesiæ mēbra, impedientes, ne frigus peccatorum in eis charitatem extinguat, & insuper suis precibus, exemplis, verbis, pia conuersatione, & aliqui doctrina salutari, tanquam dulci lacte eos nutriunt, fouent, & in bono conseruant.

Comparantur autem, non capreis grandæuis, 1. sed paruulis hinnulis gemellis ex multiplici causa. Primò, quoniam per charitatem, etsi magni sint, se minimos reputant, & minoribus ac filiolis paruulis coæquant; iuxta illud, *Qui maior est in vobis, fiat* Lu. 22. v. 26 *sicut minor.* Et rursus, *Facti sumus paruuli in medio* 1. ad Thess. 2. v. 7. *vestri tanquam si nutrix foueat filios suos.* Et iterum. 1. Cor. 9. v. 22. *Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucri facerem; omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* 2.

Deinde hinnuli capreæ, etsi ex lasciua progenie, tamen ratione paruæ ætatis innocentiam indi- 1. Cor. 14. v. cant, & castimoniam, quam ipsi maximè colunt; 20. obseruantes illud Pauli, *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote.* Paruuli autem ex-

pertes sunt libidinis, vnde & hinnuli pasci dicuntur in liliis, quæ symbolum sunt candidæ & speciosæ castitatis: reficiuntur enim exemplis Sanctorum, qui in hoc seculo virginitatis candore splenduerunt, & innocentiæ odore fragrarunt, vt beatorum Eliæ, Danielis, Ioseph, Ioannis, Mariæ, Theclæ, & cæterorum huiusmodi; commilitonibus autem, qui eadem castimonia gaudent, libenter associantur, & inter eos sua pascua collocant.

Ex Apponio.

3. Præterea gemelli hinnuli maximam indicant vnionem fraternam; nam ipsi etiam minores diligunt, sicut vterinos fratres, non est inter eos vlla æmulatio, contentio, rixa, & amaritudo, nulla inuidia, & prælationis ambitio; sed per humilitatem sibi inuicem superiores arbitrantur, & per charitatem spiritus inuicem sibi seruiunt; & licèt inter Liam & Rachelem, Martham & Mariam, sorores, qui vtramque vitam repræsentant, nonnullæ intercesserint querelæ, aut dissensiones; tamen superabundantia charitatis omnem expellit discordiam, omnimodam parit æqualitatem, sicut inter gemellos paruulos, quorum vnus pater est Deus, vnus director Christus; vna mater Ecclesia, vel religio, vno Spiritu sancto instructa, & inflammata.

Ad Phil. 2. v. 3. Ad Gal. 5. v. 13.

4. Tandem hinnuli capreæ dicuntur à celeri cursu, & perspicaci visu, quoniam celeriter cuncta pertranseunt terrena, omniaque obstacula transiliunt, vt expeditè ad montem contemplationis ascendant, & cœlestia intueantur; ideoque pascuntur in liliis sacrarum Scripturarum, quæ locus sunt vberrimæ, mundissimæ, atque odoratissimæ pascuæ, tot continens lilia, quot sententias ac mysteria, vel Sanctorum dicta, & gesta, quibus dulciter pascuntur in hac vita, donec consequantur æternam. Quæ omnia optimè sic complexus est Diuus Gregorius de iustis loquens, ex vtroque populo Hebræo & Gentilico congregatis. Electi (inquit) idcirco capreæ hinnulis comparantur, quia per humilitatem quidem paruos sese ac peccatores intelligunt, sed eis per charitatem currẽtibus, si qua obstacula de impedimẽto temporalitatis obuiant, transeunt, & datis contemplationis saltibus, ad superna transcendunt, qui vt hæc agant, præcedentium Sanctorum exempla conspiciunt: vnde & in liliis pasci referuntur; id est, in vita illorum, qui veraciter dicunt, *Christi bonus odor sumus*, idque *donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ*; quia tandiu refici iustorum exemplis indigemus, donec præsentis mortalitatis vmbras transeamus. Hæc carptim ex Diuo Gregorio.

Lib. 24. Mo. c. 6. — 2. Cor. 2. v. 15.

Quibus adde, quod cùm lilia, vt alibi diximus, symbolum etiam sint felicitatis, & retributionis quam optamus, duplici pascuntur liliorum genere, nempè beatitudine quæ in hoc seculo retribuitur, & denotatur per centupli promissionem, & firma spe alterius quæ danda est in futuro. Quod confirmemus allegorica expositione Richardi de sancto Victore dicentis, duos gemellos hinnulos vocari duos beatorum cœtus, ex Angelis & animabus sanctis, quæ translatæ sunt in regnum cœlorum, & dulcissimis beatificæ visionis pascuis reficiuntur; quibus assimilantur Sancti, qui eximia charitate pollent, maximè religiosi, angelicam profitentes castitatem, & vitam à carnalibus delectationibus ac solicitudinibus exutam, ac per fidem & contemplationem eisdem pascuis reficiuntur, inter ipsos beatos conuersationem suam habentes, donec transeant fidei vmbræ, & adueniat clarus æternitatis dies.

In hunc locum.

De præsulibus, & doctoribus, qui Ecclesiæ sunt vbera vtroque amore tumida. §. 5.

CVNCTA quæ diximus lucidiora fient, si encomium istud præsulibus aptemus, & doctoribus Ecclesiæ, qui munus obeunt gubernandi & docendi reliquos fideles sibi subditos, vel spiritales filios; ideoque eos vbera Christi mystica in libro primo nuncupauimus. Suppositis autem, quæ ibi dicta sunt, duplicem in his verbis agnoscimus charitatis gradum, vtrisque correspondentem: nam alia est charitas paterna, vel materna, quæ summo modo splendet in Deo, cuius participatione etiam est in præsulibus & doctoribus, qui nos per Euãgelium in Christo gignunt, vel enutriunt, & gubernant. Alia verò est charitas fraterna cæterorum fidelium, quos Deus adoptauit in filios, Christus verò Dominus assumpsit in cohæredes & fratres. Tunc autem Ecclesiæ corpus pulchrum est, splendidum & perfectum, cum omnia eius membra, charitate, quæ vinculum est perfectionis, & proprium euangelicæ legis insigne, vnita sunt, & condecorata; ita vt superiores instar matrum alios diligant tanquam filios; fideles verò se inuicem ament tanquam fratres. Hanc ergo suæ sponsæ excellentiam intuens cœlestis sponsus ait, *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli*, &c. Duo vbera ad cœtum præsulum & doctorum refertur, qui materno amore subditos prosequuntur; duo verò hinnuli capreæ gemelli ad cæteros fideles, qui se diligunt, sicut vterini fratres. Fit verò assimilatio inter vbera & hinnulos, quia, *Qualis rector est ciuitatis, tales & habitantes in ea*; *& erit sicut populus, sic Sacerdos*. Præclara vbera pretioso lacte tumida, nitidos & succulentos nutriunt hinnulos; & sancti pastores sanctos solent nutrire spiritales filios, fraterna charitate se mutuò diligentes; maximè cùm multa dona gratiæ concedantur prælatis ob vtilitatem electorum, sicut pretiosa nutrimenta præbentur nutricibus filiorum regis, vt optimum habeant lac ad nutriendum illos; iuxta illud Pauli, *Siue exhortamur, pro vestra exhortatione & salute*: vnde insignes sanctitate subditi, signum sunt insignis sanctitatis, relucentis in eo qui regit illos, nam, *Et in filiis suis agnoscitur vir*. Insinuat ergo ita se sponsam gerere suis vberibus nutriendo spiritales filios, sicut caprea nutriens suos gemellos; atque eis vbera ita esse tumida, & lacte plena, sicut ostendunt filij, quos lactat, qui sunt velut duo hinnuli succulenti, nitidi.

Exhort. 19. 1 — *Charitas alia materna, alia fraterna.* — Eccl. 10. v. 2. Oseæ 4. v. 9. — 2. Cor. 1. v. 6. — Eccl. 11. v. 30.

2. Comparauerat sponsus præsules & doctores Ecclesiæ collo, per quod cibus traiicitur, quo vniuersa membra proprij corporis dumtaxat nutriuntur; at modò comparat vberibus, per quæ non tantùm nutriuntur proprij filij, qui censentur esse quasi aliquid ipsius matris, sed etiam multoties lac præbetur alienis. Quoniam licet præcipuè corpus Ecclesiæ, eiusque filios lactent; tamen etiam eis incumbit lac veræ doctrinæ infidelibus præbere, vt eos ad fidem trahant, & Ecclesiæ corpori adiungant. Ideò enim vocantur vbera, quoniam vasa sunt lactis doctrinæ & sapientiæ, quam per vniuersum mundum deferunt, omnes inuitantes, vt illud velint emere non pretio corporeo, sed voluntate ex Dei auxilio bene disposita ad recipiendum ipsum; iuxta id quod inquit Isaias, *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite.* Et quid est comedendum? num quid aqua? at hæc non comeditur,

Isa. 55. v. 1.

sed bibitur, ideo subdit; *Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac.* Et à quo emendum est hoc lac? ab his profectò qui in vberibus portant illud, in quibus est purum, & impermixtum, pingue, & suaue: nam extra vbera facilè acescit, & corrumpitur, vel aquæ aut aceto miscetur: sic in veris Ecclesiæ pastoribus, & Doctoribus purum inuenitur lac Catholicæ doctrinæ, nullis hæresibus, vel erroribus permixtum, sed nitidum, & suaue, cælestisque sapientiæ dulcedine pingue, viuificum retinens calorem, quem in vberibus recepit à corde, id est, à Spiritu sancto, siue à Christo Domino, qui licet quatenus homo visibilis, dicatur caput Ecclesiæ, tamen quatenus Deus inuisibilis, cor illius est. Inde procedunt spiritus vitales, & ardentes amoris inspirationes, per quas doctores optimum lac generant vt fideles nutriant, & velut propugnacula, hoc diuinum cor vehementer propugnant, & ab hostibus tuentur.

Allusio ad supradicta, quod vbera sunt cordis propugnacula & tegumenta.

3. Nominatim autem vocantur duo vbera sicut duo hinnuli, non solum ob rationes iam allatas, sed propter alias doctoribus peculiares, qui in scriptura sæpe binario numero recensentur: Moyses enim & Aaron (sicut paraphrasis Chaldaica super hunc Cantici locum inquit) fuerunt quasi duo Ecclesiæ veteris vbera, similia duobus hinnulis, per quos Deus Hebræum populum pauit manna de cælo præstito, legemque docuit, ac cætera quæ ad eius salutem spectabant, sed multò excellẽtius duo preclarissima orbis lumina Petrum & Paulum duo vocabimus Ecclesiæ Christi præcipua vbera, per quos nobis Euangelicæ doctrinæ lac dedit, & fidem per vniuersum orbem propagauit, & preterea cum discipulis munus iniunxit prædicandi; eodem modo misisse Apostolos insinuat D. Matthæus binos, & binos illos numerans, ac tandem ad prædicandum contra Antichristum binos testes mittet, Enoch & Eliam, de quibus dicitur, *Hi sunt duo oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Sicut ergo natura prouida duobus vberibus ditauit fœminas, vt vberius, & commodius filios nutrirent, maximè, cum sæpe plures parerent: sic Christus Dominus binos operarios coniunxit, vt sibi associati, mutuo sibi essent solatio & iuuamini. *Frater enim qui adiuuatur à fratre quasi ciuitas firma.* Et præterea vt mutuæ inter ipsos charitatis exemplo legem gratiæ, & amoris quam prædicabant, confirmarent: propter quod cum adhuc Apostoli in hoc amore teneri essent, in huiusmodi missione combinauit eos, qui secundũ carnem fratres erant; Petrum scilicet & Andræam, Iacobũ, & Ioannem; vt supernaturalis amor naturali coniunctus firmior esset, & splendidior; vnde & hic duo vbera, quæ sibi similia sunt, duobus gemellis comparat, nam gemelli fratres vehementius se amare solent; vt scirent in omnibus seruandam sibi esse æqualitatem, & mutuam in moribus vnionem, ac in suo munere obeundò magnam concordiam; quia vero capreæ hinnuli perspicaci pollent oculorum visu, in hoc potissime debent esse concordes, vt eandem doctrinam sentiant; idem iudicent, & prædicent. Qua de causa duo vbera non caprearum, sed vnius capreæ gemellis comparantur: & infra etiam iidem doctores duorum oculorum vnioni, quæ Dei vulnerat cor, assimilantur. Quod in eisdem principibus Apostolorum Petro & Paulo videre licet, quos vt inquit D. Leo in corpore cuius Christus est caput, geminum Deus constituit lumen oculorum, de quorum meritis atque virtutibus nihil diuersum, nihil debemus sentire discretum, quia illos & electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales: quare singulariter eis cõuenit esse vbera sicut duos gemellos, quia in officio lactandi fideles, ita similes fuerunt, sicut duo hinnuli gemelli eiusdem capreæ esse solent: qui sicut in vita dilexerunt se, ita nec in morte sunt separati, sed summa concordia Christum prædicarunt, & populum lactarunt fidelium; in cuius signum sanguis D. Pauli, cum decollatus est, lactis speciem referebat, vt quam copiosum lac intus habuerit, omnibus fieret manifestum.

Luc. 10. v. 1. Matth. 10. v. 2. — Apoc. 11. v. 3. — Prouer 18. v. 19. — Serm. in Natali Apost. Petri & Pauli, idem D. Chrys. — hom. 13. in 1. ad Corinth. — Refert D. Chrysost in 2. Noct. octaue Apostolor.

Propter quod vtraque metaphora vberum & oculorum vtentes, merito doctores vocare possumus oculos columbarum, *Quæ lacte sunt lotæ*, proprio, inquam, lacte, quod ad nutriendos alios ex Spiritus sancti virtute, qui per columbam designatur, conficiunt. Quos Zacharias Propheta, *Duas oliuas, & duos filios olei splendoris vocat.* Quoniam per doctrinam, quam tradunt, & illuminant, & nutriunt, & ingentem misericordiam fidelibus præstant, dum instar columbæ ramum oliuæ in ore deferunt ad arcam Ecclesiæ, ore suæ prædicationis gratiam, pacem, & misericordiam annunciantes illi.

Cant. 5. v. 12. — Zach. 4. v. 3. & 14. de hoc in exh. seq. — Gen. 8. v. 11.

4. Sed vtiliora latent mysteria in eo quod vbera hęc assimilentur, *Hinnulis qui pascuntur in liliis.* Primò ne doctores omne pascendi munus sibi vsurpent: nam sicut isti hinnuli non tantum pascuntur lacte ab vberibus capreæ desumpto, sed etiam in liliis, seu pascuis vberrimis; ita fideles non tantum reficiuntur lacte doctrinæ à doctoribus recepto, sed vlterius etiam cibo de cælo eis misso, vel quem ipsi cum Dei auxilio, proprio inquirunt labore, dum sacras scripturas legunt, & meditantur. Deinde, vt meminerint doctores quantumuis sint magni, & aliorum matres, debere se gerere, vt hinnulos paruulos, iuxta iam dicta; indigereque iugiter liliis auide pasci, aliorum etiam exemplis proficere, & veritatibus solidioribus scripturæ sacræ vesci, vt in omnibus sint perfecti. Placet coronidem apponere præclaris Richardi verbis cum doctoribus loquentis. Non habet (inquit) hæc vbera charitatis anima adhuc carnalis, donec crescat in gratia, & sanguinem carnalitatis conuertat in lac deuotionis. Cum vero in gratia creuerit, & pietatem conceperit, tunc mater fit; lactat teneros, consolatur desolatos: contumeliis pulsata, vel iniuriis affecta, patientiæ & compassionis lac fundit, non sanguinem carnalis commotionis: quia enim pietatis lacte repleta est, dulcedinem exhibet, quam accepit; magis miseriis se lædentis compatitur, quam iniuria moueatur. Tactus probat, qualis quisq; sit: si vbera haberet, tactus, id est, iniuria pulsatus, lac funderet. Cum autem iniuriã patitur, & non compatitur, quia pietatis lac non fundit, probat se non habere vbera, nec matrem esse, sed sororem adhuc paruulam, & vbera non habentem. Quia ergo anima perfecta desuper accipit gratiam, quam aliis refundit, & sic ipsa quoque lactatur; merito hinnulis comparatur, quia ad lac currunt, & alta petunt: fugit enim vnde ipsa crescat, & alios reficiat. Hæc Richardus.

In §. 3. 1. ad Thes. 2. v. 7. — Expositio in Cãt. c. 23. — Cant. 8. v. 8.

Vtinam nos vtraque charitate materna & fraterna ita flagremus, vt simul tanquam vbera lacte plena simus ad minores, & tanquam hinnuli gemelli inter omnes, pascentes nos iugiter meliorum charismatum & gratiarum liliis, donec transactis sæculi vmbris dies illucescat, fælicitatis æternæ, quam nobis Deus præstare dignetur. Amen. Cætera quæ ad hanc similitudinem attinent, dicentur infrà circa illud, *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ.*

Cãt. 4. v. 10.

EXHORTATIO XVII.

PRO DOMIN. 12. POST PENTEC. ET FERIA 6. POST CINERES.

De charitate & misericordia erga proximos, de duplicibus eius operibus, & de quatuor præclaris exemplaribus illius.

Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ, &c.

ETsi amor Dei inter omnia primatum teneat, eiusque præceptum meritò dicatur primum ac maximum; amor tamen proximi, ac præceptum de illo, quod ei simile dicitur, singulari quadam ratione B crebrius commendatur in vtroque testamento. A principio quidem Hebræo populo in idololatriam propenso sæpius inculcabatur memoria præcepti de diligendo Deo, vt ab amore & cultu inanium Deorum auerteretur. Vnde tanquam præDeut.6.v.4. ambulum ad præcepta Decalogi ait Moyses: *Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est. Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima*
Deut.11.v.1. *tua, & ex tota fortitudine tua.* Et iterum, *ama itaque Dominum Deum tuum, & obserua præcepta eius*, &c. at cum vni Deo seruiebat, nihil tam frequenter commendabatur quam proximorum dilectio, quæ maxime relucet in operibus misericordiæ erga illos, adeo vt hæc misericordia ipsis sacrificiis, & holocaustis, quibus Deus colitur, anteferretur;
Oseæ 6.v.6. Mat.9.v.13. & c.12.v.7. iuxta illud Oseæ, *Misericordiam volui, & non sacrificium.* Quæ verba Christus Dominus in Euan- C gelio repetiit, dicens. *Discite quid est, misericordiam volo, & non sacrificium*; id est, discite quid est Deo magis gratum & quid in conspectu eius magis pretiosum, & inuenietis ex scriptura, Deum magis velle misericordiam quàm sacrificium, & hoc sæpius per prophetas commendasse, vt per Zacha-
Zach.7.v.7. & 9. riam testatur, dicens: *Nunquid non sunt verba, quæ locutus est Dominus in manu prophetarum priorum, cum adhuc Ierusalem habitaretur, & esset opulenta, &c.* explicans autem quæ essent hæc verba ait; *Iudicium verum iudicate, & misericordiam, & miserationes facite vnusquisque cum fratre suo.* Phrasis au-
Ita Ribera exponit, & ex textu deducit. tem illa, *misericordiam & miserationes*, abundantiam magnam operum misericordiæ indicat; quia omne misericordiæ genus per priores prophetas commendauerat, & sacrificiis præferebat; nam licet religio, cuius actus est sacrificium, præferatur
2.2.qu.81. ar.6. (vt docet D. Thomas) misericordiæ, & reliquis D virtutibus moralibus; tamen misericordia vt dilectioni proximi, cuius effectus est, coniungitur, religioni & sacrificiis anteponitur. Quod & ipsi Hebræi probe intelligebãt. Nam quidam scriba Chri-
Marci 12. v.33. sto Domino respondit: *Diligere proximum tanquam seipsum maius est omnibus holocaustomatibus.* Quam sententiam Christus approbauit, nam mox subditur: *Iesus autem videns quod sapienter respondisset*, &c.

Ioa.14.v.15. Hinc est quod ipse Saluator in Euangelio non tam commendabat Apostolis vt eum diligerent, quam id quasi supponens dicebat: *Si diligitis me, mandata mea seruate*; at crebrius instabat vt mutuo se diligerent, maxime in vltimo sermone ad ipsos
Ioa.13.v.34. Ioa.15.v.12. & 17. post cœnam habito; *Mandatum* (inquit) *nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos. In hoc* A *cognoscent quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Idque multoties repetit. Vnde & D. Ioannes sæpius hoc mandatum in suis Epistolis inculcat, tanquam proprium magistri sui, & discipulorum eius, qui legem Euangelicam quæ lex est amoris, profitentur.

Quæ sint duo vbera misericordiæ. §. 1.

CVm igitur proximi dilectio maxime reluceat, & manifestetur per opera misericordiæ, & beneficientiæ erga illum, merito duo vbera piæ animæ vocantur duæ propensiones in opera misericordiæ tam corporalia, quam spiritualia, quæ ex intima dilectione procedunt, vt cor sit intima charitas, pectus vero cum duobus vberibus, misericordia sit cum his duabus propensionibus in prædicta opera; quæ tanquam propugnacula sunt charitatem fraternam in corde protegentia, quanto autem charitas est flagrantior, tanto vbera misericordiæ abundantiori replentur lacte ad reficiendos proximos iuxta vniuscuiusque indigentiam, vel prębendo lac miserationis circa spiritalia per doctrinam vel consilium, vel correctionem, vel orationem, & alia huiusmodi, vel in corporalibus exhibendo victum, vestitum, hospitium, & reliqua eiusdem rationis. Quod si ad duo vbera Ecclesiæ respicias, illa erunt viri misericordes ex vtroque statu Ecclesiastico, & sæculari; de quibus inquit Ecclesiasticus, Eccles. 44. v.10. *Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt.* Viri misericordiæ vocantur, valde operibus misericordiæ addicti, & in ea propensi ac valde profusi, quos nomine oliuæ, quæ symbolum notum est misericordiæ, insignit Zacharias propheta: vo- Zach.4.v.3. & 12. & 14. cans eos, *Duas oliuas, seu duas spicas oliuarum, aut* ita Lyranus Eccles.49. *duos filios olei.* Per quas iuxta literalem sensum vi- v.13. dentur designari Zorobabel princeps Hebræorum ex tribu Iuda, & Iesus Sacerdos magnus, qui in diebus suis ædificauerunt, & exaltauerunt templum Dei. Ille repræsentat principes, & magnates, diuitesque sæculi, iste præsules & Doctores ac Sacerdotes Ecclesiæ. Vtrique debent esse vt oliuæ, & spicæ oliuarum, ac filij olei superabundanti misericordia redundantes; illi quidem præcipuè in corporalibus eleemosynis, & miserationibus, non prętermittentes spirituales iuxta suum statum, quando & quomodo oportuerit: hi vero è contra in spiritualibus potissime fulgere debent misericordiæ operibus, non relinquentes corporalia iuxta propriam facultatem secundum consilium Tobiæ, Tobiæ 4. v.8. *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundãter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Eleganter autem iam vocantur oliuæ, quæ sunt arbores ipsæ diu permanentes, & producentes oleas; iam spicæ oliuarum, quæ plures oleas congregant, iam filij olei ex ipsis oleis expressi, ad significandum vberrimam eorum misericordiam, quæ permanens est, & non cessat fructus ferre, fructusq; copiosos, plures etiam in vnum miserum congerens miserationes. Adeoque ex deuotione erga Deum & ex compassione erga proximos pinguescunt, vt filij olei dicantur, qui etiam apte repræsentantur per duos Cherubi- 3. Reg. 6. nos à Salomone positos in interiori templo de li- v.27. & c.8. gnis oliuarum auro tectos, qui arcam fœderis suis v.6. alis protegebant. Huiusmodi enim vtriusque reipublicæ Principes magna misericordia ex charitate, & amore Dei fulgentes, protegunt Ecclesiam, & Christum Dominum in fidelibus suis existentem, vnde Cherubini dicuntur; quia ex plena

scientia operantur; de lignis oliuarum, quia omnibus misericordiæ operibus subsistunt; auro teguntur, quia opera misericordiæ sola charitate ornant, & tegunt: ex amore enim Dei & proximi illa efficiunt: alas habent extentas non ad volandum, sed ad protegendum, quia pauperes non fugiunt, sed ad eos protegendos semper sunt parati. Has ergo oliuas, & hos cherubinos sponsus vocat Ecclesiæ vbera, quia amore materno proximos lactant, & illis benefaciunt, ea vnicuique exhibentes quibus indigent, siue ad corpus spectent, siue ad animum?

Septem proprietates operum misericordiæ ex natura vberum desumptæ. §. 2.

De hoc in lib.1 exhor. 19. etiam actum est. 1.

MOdvm autem hanc præstandi misericordiam ipsa conditio vberum satis insinuat. Etenim illa non violenter, sed sensim lac præbent sine vllo strepitu: sic & misericordia non vi extrinseca compulsa, sed interno charitatis impulsu miseretur, & benefacit sine vllo strepitu; quia potius amat secretum, solique Deo, & non hominibus placere studet, multi enim eleemosynas, non tam ex charitate, quam ex vanitate moti elargiuntur;
Mat. 6. v.2 quibus Christus Dominus dixit, *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*, &c. qui tuba canit, videri ab hominibus appetit; & quia tuba instrumentum est, cuius sonitu milites, equiq; ad bellum inflammantur, qui tuba canit non interna charitatis pace fruitur, nec ex ea ad eleemosynam præstandam accenditur, sed intestinum vitiorum bellum patitur; nec charitati sed superbiæ militat, & inani gloriæ, atque hypocrita est; quia pallio misericordiæ & charitatis vultum tegit vanitatis; at charitatis vbera sine vllo strepitu lac præbent, & publicum fugiunt locum, saltem ex affectu; omnesque latere vellent, etiam quibus eleemosynas faciunt, sicut D. Nicolaus, ac Ioannes patriarcha Alexandrinus sæpius fecerũt, & in hunc sensum trahere possumus illud, *Ne sciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*, in corpore mystico sinistra sunt miseri, debiles, ac infirmi, quibus misericordia præstatur; dextera verò potentes, diuites, & viri misericordię, qui aliis subuenire curant secretò, ita vt si possibile sit, ipsi miseri id nesciant, vt non ei, sed Deo gratias agant, D nec sibi, sed Deo laudem acquirant. Quare sicut hos congrue appellamus filios olei, & viros misericordiæ, ita hypocritas appellare possumus filios superbiæ, & viros inanis gloriæ, faciem misericordiæ foris tantum præseferentes.

2. Hinc est, quod materna charitas, & misericordia solum respicit miseros, quia filij sunt Dei, infirmi, imbecilles, & pauperes, alieno indigẽtes subsidio, siue domestici sint, siue extranei, & alienigenæ, amici vel inimici, nobiles, vel ignobiles: quia personas non accipit, sed omnibus benefacit, ex se autem potius propendet in miseriores, à quibus in hoc sæculo nullam expectet retributionem; sicut
Luc.14.v.12 Saluator consuluit dicens: *Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne forte te ipsi reinuitent, & fiat tibi retributio, sed cum facis conuiuium voca pauperes, debiles, claudos & cæcos; & beatus eris, quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.* Vbi operibus A liberalitatis & benignitatis humanæ præferenda esse dicit opera misericordię erga miseros, quorum merces æterna erit in cælis. Inter miseros autem omnes computat sub illis quatuor comprehensos, qui quatuor aliis non indigentibus correspondent.

Vnde etiam est, quod perfecta misericordia non 3. expectat, quod miseri eam verbis implorẽt, & precibus extorqueant, sed cum primum videt eos necessitate vrgeri, vltrò se ad subueniendum offert, & vbera charitatis aperit, vt eis, quos tanquam filios in Christo diligit, lac competentis auxilij porrigat. Nam *& lamiæ* (quãuis natura crudeles sint) Threno.4. *nudauerunt mammam, & lactauerunt catulos suos:* v.3. quantò magis Christi fideles quos ipse loco sui, matres pauperum cõstituit, & propter eos vbera lacte plena contulit? vnde cum quidam interrogaret à Christo Domino, quis esset suus proximus, de quo B Luc. 10. præceptum inquit, *Diliges proximum sicut teipsum.* v.30. Respondit per parabolam eius qui vulneratus est à latronibus, quem Sacerdos & Leuita pertranseuntes neglexerunt; Samaritanus vero misericordia motus alligauit vulnera eius, oleum, & vinum infudit, in stabulum duxit, & curam illius egit; insinuans Sacerdotes & Leuitas, ac Iudæorum multos non se gerere vt proximos, etiam erga fratres suos, nec eos opere diligere, sicut præceptum iubet: Samaritanum autem vere dilexisse proximũ etiam sibi extraneum, & inuisum (Iudæi enim & Samaritani non covtebantur) quia fecit misericordiam cum illo, etsi miser ille nihil peteret, nec verbum proferret, quia semimortuus erat; eius tamen vulnera clamabant, & implorabant misericordiam: sed has voces pauperum, & miserorum non audiũt auari diuites, neq; sæui prelati; de quibus dicitur, *Filia populi mei quasi struthio in deserto*: quia vbera Thren.4. claudunt, nec lac præbent infantulis nescientibus v.3. loqui; etsi lingua eorum adhæreat palato præ siti, nec aliis paruulis, & miseris, etsi panem petant, & eleemosynas efflagitent.

Hinc etiam est, quod sicut vbera naturali volu- 4. ptate lac prębent, quia eius multitudine grauãtur; illud enim à natura receperunt, non vt retineant, sed vt effundant, & paruulis præbeant: sic viri misericordes, hilariter ex diuitiis eleemosynas faciũt, earum enim abundantia se onustos, & grauatos sentiunt, nisi aliis distribuant; quoniam à Deo illas receperunt, non tantum pro se, sed vt indigẽtibus subueniant. Quam hilaritatem commendat Ecclesiasticus, dicens: *In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas.* Eccles.25. Quod & D. Paulus confirmat, cum ait: *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut* 2. Cor.9. *ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* v 7. Cæterum sicut vbera maximè præbent lac quod sibi supereſt, nec tamen plus nimio sunt comprimenda, ne lædantur; nam *qui fortiter premit vbera ad* Prou. 30. *eliciendum lac, exprimit butyrum, & qui vehementer* v.33. *emungit, elicit sanguinem*: id est, premendo nimis vbera, educitur lac crassius instar butyri, & quasi substantia vberum cum læsione eorum: sic eleemosynæ faciendæ sunt cum moderatione, non auferendo sibi, & familiæ necessaria, sed hilariter tribuendo ex iis quæ supersunt sine detrimẽto aliorum, sicut docet D. Paulus: *Non vt aliis sit remissio,* 2. Cor.8.v. *vobis autem tribulatio; sed ex æqualitate, in præsenti* 13. *tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia* (scilicet in spiritualibus) *vestra inopia sit supplementum.* At negandum non est, quin ardens Christi, & proximorum charitas

communes limites excedat. Quo modo qui auidi A
sunt perfectionis Euangelicæ, consilium Christi
Mat.19 v.21 Domini sequuntur dicentis, *Si vis perfectus esse,*
Luc.12.v.33. *vende quæ habes, & da pauperibus*: & iterum, *vendite quæ possidetis, & date eleemosynam.* Quinimo se
ipsos quasi vendunt, & tradunt, vt aliis succurrant.
Quo modo D. Paulinus Episcopus postquam vniuersum patrimoniũ pauperibus erogauerat, mulieri quæ filium habebat captiuum, se tradidit, vt
pro filio liberando commutaret. Loquitur igitur
D. Paulus humanæ fragilitati secundum communes leges se accommodans, ita tamen vt vnusquisque ex Dei amore quantum decenter possit pauperibus largiatur. Nam *qui parcè (inquit) seminat,*
2. Cor.9. v.6. *parcè & metet. Et qui seminat in benedictionibus, de*
Prou.22. v.9. *benedictionibus & metet.* Sicut & Salomon ait: *qui*
pronus est ad misericordiam, benedicetur. De panibus
6. *enim suis dedit pauperi.*

Sed cur hoc? ipsa vberum natura id satis declarat. Nam cum lac emittunt, mox nouum recuperant; & quoties euacuantur, toties iterum replentur; & dum infantes sugunt lac, quasi occasionem B
præbent, vt vbera nouum lac generent: sic qui
pauperibus eleemosynas ex Dei amore largitur, licet videatur aliquid amittere, tamen Dei benignitate plus solet recuperare; nam, vt inquit Salomon,
Prouer. 19. v.17. *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet eis*, cum enim eleemosyna
non tam detur inopi, quam Christo qui in illo est,
& cuius amore ac respectu datur, ipse Christus sibi datum restituit cum augmento, & fœnore tum
bonorum temporalium, tum maxime spiritalium.
Matth. 25. v.40. *Potens enim est Deus* (inquit Apostolus) *omnem*
2. Cor. 8. v.9. *gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne*
opus bonum, &c. quo sensu centuplum promittitur
iis, qui aliquid pro Christo reliquerint. Tunc autem relinquunt, cum egentibus tribuunt.

7. Hinc tandem fit, eos, qui vbera habent materna,
citò proferre lac quod habent, & celeriter pauperibus, ac miseris succurrere, etsi non præcipitanter.
Nam quod iucundè ex Christi amore facimus, cito
Prou.3.v.28. facimus: ac si ipsi Christo per linguam pauperis
petenti id largiremur: iuxta illud Salomonis; *Ne*
Lib. 2. de beneficiis. *dicas amico tuo, vade & reuertere, & cras dabo tibi,*
cum statim possis dare; nam bis dat qui cito dat, &,
vt inquit Seneca, beneficium morosè datum, simile
est pani lapidoso, quem esurienti accipere, necesse
Luc.19.v.9. est esse acerbum. Vnde & Zachæus Christo Domino dixit: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*, non ait dabo, sed do, quia decreuerat statim
efficaciter dare. Hæc tamen celeritas dandi non
aufert prudentiam & considerationem debitam, D
quæ etiam in scriptura commendatur, vt mox dicemus.

Explicantur amplius hæ proprietates misericordiæ ex similitudine ad duos hinnulos capreæ gemellos. §. 3.

SEPTEM hæc misericordiæ insignia circa corporalia vel spiritalia egregiè declarãtur, & amplificantur per allatam similitudinem: *Duo vbera*
tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in
1. *liliis*, &c. quamuis non eodem ordine ea prosequemur: in primis enim duæ istæ propensiones misericordiæ ad benefaciendum miseris dicuntur gemellæ, quoniam ab vno spiritu materno eodem affectu
amoris Dei, & proximi generantur; nec vna sine
altera inuenitur, vbi charitas est perfecta, & facultas suppetit auxiliandi. Vnde ad vtramque exhortatur Dominus, postquam dixit: *Estote misericordes sicut pater vester misericors est.* Subiungens: *dimittite & dimittemini, date, & dabitur vobis*; sub
primo omnia spiritalia misericordiæ opera comprehendit; sub secundo corporalia, vt D. Augustinus insinuat, & ratio suadet; quia mater ad omnem
paruuli defectum, & miseriam compatitur, & ad
subueniendum præparatur, quare conuincitur imperfectam habere charitatem, qui promptus est ad
elargienda temporalia; ad spiritalia vero segnis,
vel è contra; quando vtraque præstare potest. Et,
vt inquit D. Iacobus, non est perfecte misericors,
qui bona cõsilia præstat egenti, sed ex propriis bonis
nec vnũ obolum; nec qui pecuniam præbet, sed correctionis adiutorium negat; vel qui dat, sed non remittit, aut remittit, sed nõ dat. Propter quod Psal-
tes inquit, *Iucundus homo qui miseretur, & cõmodat,*
Psal.111. v.5 *disponit sermones suos in iudicio*; iucundũ vocat amabilem, gratum, & suauem, qui miseretur ex corde;
sed misericordiam testatur operibus & sermonibus, vtraque magno cum iudicio disponens, vt opportunè egentibus subueniat.

Hinc est, recte vbera assimilari hinnulis, qui hila-
2. res sunt, & celeres, iucundique, ac hominibus grati: quoniam opera, quæ à charitate, & misericordię
vberibus procedunt, ingẽti fieri debent hilaritate,
celeritate & suauis animi significatione. In suis enim
datis ignorat tædiũ; & nescit tarda molimina amoris vehementia: vnde tanto affectu præbet lac, vt velit etiam præbere ipsa vbera; imo per externa dona,
quæ tribuit, quodam modo etiam tribuit seipsam,
& cor suum, ac quidquid dare liceret. Ad eum modum quo ait Paulus ad Galatas: *Testimonium per-*
Ad Galat.4. v.15. *hibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi*: id est, ita vehementer me diligebatis, vt si liceret, etiam proprios oculos optaretis
eruere, & dare mihi. Bene ergo hæc vbera comparantur hinnulis, quia amabilem hominem reddũt,
C & intuentium oculos rapiunt, vt illa habentem diligant, & laudibus extollant. *Nam qui pronus est ad*
Prou. 22. v.9. *misericordiam, benedicetur, & splendidum in panibus*
Eccles. 31. v.28. *benedicent labia multorum.*

Sed rursus non assimilantur quibusque hinnulis,
3. sed capreæ, quæ symbolum est perspicacis visus, eo quod charitas & misericordia perspicaci visu gaudet ad intuendum propriis oculis egentium miseria, vt per hoc magis compatiatur illis; & perpendens eorum necessitates, vrgentioribus prius succurrat, vel eis quibus magis est addictus, aut meliores sunt; omnia sicut dixit Psalmista disponens
in iudicio: nam, *Beatus qui intelligit super egenum*
D Psal.xiv. v.9. Psal.40.v.3. *& pauperem.* Quod clarius testatur Ecclesiasticus,
Ecc.12. v. 1. dicens: *Si bene feceris, scito cui feceris, & erit gratia*
in bonis tuis multa. Benefac iusto, & inuenies retribu-
tionem magnam, etsi non ab ipso, certè à Domino, da
bono, & non receperis peccatorem: hoc vltimum intelligendum est de peccatore impœnitente, qui ex
Mat.5.v.44. Luc.6. 35. benefacto occasionem sumeret in peccatis permanendi: alioqui perfectè misericors instar Dei, bonis & malis benefacit; & ex vberibus suis lactat,
vt beneficiis malos alliciat, & à malitia retrahat, &
tunc est gratia multa in bonis eius, quia omnibus
sunt grata, & amabilia, cum omnibus sint proficua,
nulli noxia.

Sed hoc mirabilius, quod vbera non comparentur capreæ, quæ hinnulos lactat, sed hinnulis ipsis.
Nam quę rogo proportio inter vbera, quę lac emittunt, & hinnulos qui potius sugunt, & hauriunt?
sed hoc indicat singulare quod retulimus miseri-

cordiæ encomium. Hinnuli enim dum lac sugunt, A
etiam lac præbent, quatenus natura ita ordinatum
est, sicut iam diximus, vt cum vbera suguntur, amplius lac procreetur; cum autem desit qui sugat
vbera, solent arescere: sic etiam pauperes qui tuis
indigent bonis corporalibus, aut spiritualibus, sunt
velut hinnuli, qui dum vbera tua sugunt, abundantiori lacte ex diuina largitate ea replent. Nam quò
plus lactis illi sugunt ex vberibus tuis, eò plus suges
Serm. 6. de collectis. tu ex vberrimis vberibus Dei. Constans esto (ait
D. Leo Papa) ô Christiane largitor; da quod accipias, fere quod metas, sparge quod colligas, noli
" metuere dispẽdium; substantia tua cum bene erogatur, augetur: & paulò post ait, infidelis & iniquus est etiam sibi, qui quod æstimat diligendum,
" non vult habere perpetuum. Infallibilis enim est
Luc.6. v.38. Christi promissio supra allegata, *Dimittite & dimit-*
Prou. 19. v.17. *temini, date & dabitur vobis.* Et vtrumque est cum
fœnore amplioris gratiæ. Nam si dimittis debitum
centum denariorum, quod est iniuria tibi irroga- B
ta, Deus dimittet tibi debita decem millium talentorum quæ sunt iniuriæ à te Deo illatæ. Quod si
dederis vnum; accipies centuplum.

5. Præterea huiusmodi opera misericordiæ assimilantur *Hinnulis, qui pascuntur in liliis*, ideoq; sunt
succulenti, pingues, splendidi, & odorati, quoniam
animus ea exercens iugiter, fit cælesti gratia succulentus, deuotione pinguis, ingenti splendidus charitate, magnaque suauitate, & boni nominis fra-
grantia iucundus; vt merito dixerit Ecclesiasticus,
Eccl.40. v.17. *Gratia* (id est, benignitas, & beneficentia in pauperes) *sicut paradisus in benedictionibus, & miseri-*
cordia in seculum permanet. Est enim paradisus deliciarum, visu pulcherrimus, odore fragrantissimus,
& dulcissimus gustu: & sicut lilium omnes flores
candore & odore superat; sic misericordia & elee-
mosyna mirum per vniuersum orbem spargit bonę C
famæ, & gloriæ odorem. Propter quod de his vbe-
Ioa.12. v.3. ribus supra dicitur esse, *Fragrantia vnguentis optimis*; id est operibus commemoratis, quæ vnguenta
optima sunt, & valde proximis proficua, quorum
fragrantia non minus implet Ecclesiam, quam implet dicitur domus ex odore vnguenti quod Maria effudit super caput Iesu.

6. Cæterum quantumuis misericordes odore bonæ
famæ, & gloriæ fragrent, nunquam tamen lac suorum operum præbent propter illam. Hinnuli enim
eorum non pascuntur fœno mundanæ gloriæ, quod
hodie est, & cras in clibanum mittitur, sed liliis cę-
lestium bonorum, quæ in æternum manent: nec ab
Matth. 6. v.30. hominibus quærunt inanem mercedem, sed à Deo,
Cant.2.v.1. qui est lilium conuallium, & humilibus lilium
æternæ præbet felicitatis.

7. Denique misericordia tot sortitur bona, quia
pascitur in liliis, id est, nutritur, roboratur, & in-
crescit, ex sententiis, exemplis & promissis, quæ
circa illam sacra refert scriptura, dum profunda
meditatione mente reuoluuntur; ex quibus potissima hic colligemus exemplaria, quæ modum eam
exercendi perfectissime ostendunt, & valde commendant.

De quadruplici excellentis misericordiæ exemplari. §. 4.

1. PRIMVM ergo exemplar continetur in ipso
præcepto diligendi proximum sicut seipsum.
Sicut enim ex naturali amore, quo se homo prosequitur, oritur etiam ingens erga seipsum misericordia, id est, vehemens propensio ad repellendum
cito à se omnem miseriam; ita qui proximum diligit sicut seipsum, maxime compatitur miseriarum
eius, & iuxta vires satagit ei opem ferre. In hoc
enim nititur præceptum illud naturale, quod tibi
non vis, alteri ne feceris. Quod sic explicuit Tobias
filio suo, *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu ali-*
Tob.4.v.16. Mat.7.v.12. Luc.6.v.31. Matth 22. v.40. *quando alteri facias.* Sed Christus Dominus vniuersalius ait; *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis*
homines, & vos facite illis: hæc est enim lex & prophe-
tæ. Quæ verba de duobus præceptis diligendi
Deum, & proximum iterum dixit: nam qui illud
perfectè obseruat, non solum proximum sed Deum
etiam diligit, & vniuersa mandata, quæ lex & pro-
Eccles.31. v.18. phetæ tradunt, libenter implet. *Intellige ergo quæ*
sunt proximi tui, ex te ipso; & quomodo proprias
agnoscis miserias, compateris, & mederis illas, ab
aliisque iuuari desideras, ita tu similiter fac cum
proximis tuis, & sic omnem legem implebis.

2. Sed longè præcellentius exemplar splendet in
nouo mandato, quod Christus dedit nobis, vt dili-
Ad Hebr.2. v.16. gamus nos inuicem, *Sicut ipse dilexit nos*; & nostri
2.Cor 8.v.9 ad inuicem misereamur, sicut ipse misertus est nobis, qui voluit per omnia fratribus assimilari, vt
misericors fieret, dum nostras expertus est miserias, & egenus pro nobis factus est, cum esset diues,
vt illius inopia nos diuites essemus. Cuius ita eminens fuit misericordia, vt non solum cuncta quæ
habebat, sed vitam & proprium sanguinem pro
nobis fuderit, vt à cunctis nos miseriis eriperet, &
insuper propriam carnem, propriumq; sanguinem
in cibum & potum quotidie sub speciebus panis &
vini nobis largiatur, quasi non tantum tribuens nobis lac, sed vbera ipsa, nec tantum dona, sed fontes
omnium donorum, vt copiosissima sit apud ipsum
misericordia; quæ non tãtum ad amicos, sed etiam
ad inimicos extenditur, pro quibus in cruce orauit,
sanguinem fudit, & vitam obtulit Patri. Ad Christi C
igitur similitudinem duo vbera habere conemur
omnigenæ misericordiæ lacte plena erga omnes
homines etiam inimicos, quibus non tantum res
nostras, sed si opus fuerit, propter Christum etiam
corpora, & sanguinem tradamus: quod maxime
Ecclesiæ pastoribus incumbit, vt etiam parati sint
pro ouibus animas ponere, seruantes illud præclarum D. Pauli elogium, *Ita desiderantes vos, cupide*
1.adThes.2. v.8. *volebamus tradere vobis, non solum Euangelium Dei,*
sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis fa-
cti estis.

3. Sed illud omnium supremum exemplar, quod
ipse Christus proposuit nobis cum dixit: *Estote*
Luc.6.v.36 *misericordes, sicut Pater vester misericors est.* Cuius
misericordia vndique est immensa, atque cum om-
nibus, & in omni bonorum genere, omni tempore, D
& vsque in æternum vbique resplendet, cuius vbera meliora sunt, dulciora, & potentiora quam dici
possit, vel intelligi, vt in primo libro fusè diximus.
Ad quorum similitudinem sponsæ peruenerant
vbera. Nam sicut ipsa de sponsi vberibus dixerat;
Meliora sunt vbera tua vino, ita ipse vicissim de
ea ait: *Pulchriora sunt vbera tua vino*; ac si diceret,
Cant.1 v.1. Cãt.4.v.10. vberibus meis similia sunt vbera tua, & misericordia tua est sicut mea; & vtraque melior est, & pulchrior vino zeli & iustitiæ, quoniam *misericordia*
Iac.2.v.13. *superexaltat iudicium.* Iustitia enim respicit debitum, & merita, vel demerita hominum, vt vnicuique reddat æquale iuxta opera sua: at misericordia tantum attendit hominum indigentiam, &
dantis benignitatem. Sicut autem Deus est summè
potens, & benignus, ac superoptimus, ita est summe misericors; cuius misericordiam imitari de-

2. Reg. 9. v. 1. & 3.

bemus: ad modum, quo Dauid quia nimium dilexit Ionatham amicum ſuum, quærebat aliquem de ſemine eius, cui ingentem præſtaret miſericordiam, dicens: *Putaſne eſt aliquis qui remanſerit de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiam propter Ionatham?* & rurſus, *vt faciam cum eo miſericordiam Dei.* Id eſt, diuinæ ſimilem, & ingentem valde; etſi Saul fuerit inimicus meus, & perſecutus me fuerit. Ita & nos propter ardentem erga Chriſtum Dominum amorem, magnum concipiamus affectum faciendi miſericordiam Dei, plane diuinam & ei ſimillimam, quæ duret, *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ*, id eſt, vſque ad mortem. Memento enim Dominum increpando Iudæos dixiſſe; *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? miſericordia veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros mane pertranſiens.* Id eſt, miſericordia, quam proximis impendere cæpiſtis, fuit velut nubes matutina, quæ multum imbrem allatura videtur, & ſicut ros, qui terram bene humectare inchoabat, ſed cito euanuit, & tranſiit, auaritiæ & concupiſcentiæ æſtuare facta. At miſericordia, quam ego volo, magna & diuturna eſſe debet, quamdiu aſpirat dies, & donec inclinentur vmbræ: oportet enim vt creſcat vſque ad meridiem perfectæ miſericordiæ, expulſis imperfectionum vmbris, & non deſinat quamdiu aſpirat dies totius vitæ, donec vos tegat vmbra mortis, in diemque feliciſſimum trãsferat æternitatis, cum pleniſſimam recipietis miſericordiæ veſtræ mercedem, ſicut ſcriptum eſt: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Rurſus, *Date* (ſubaudi affluenter, quantum potueritis) *& dabitur vobis, menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperefluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis*, id eſt, in eadem proportione; nam quod vos datis minimum eſt, & momentaneum, facile tranſiens, ſicut & vita præſens; quod autem dabitur vobis, maximum, & ſempiternum.

Oſeæ 6. v. 4.

Hæc iuxta expoſitiones ſupra datas circa hanc phraſim.

Mat. 5. v. 7. Luc. 6. v. 38.

4. Addamus vltimum exemplar, aptando hæc verba Deiparæ, cuius vbera fuerunt, *Sicut duo hinnuli capreæ gemelli*; quoniam eorum nitor, pinguedo, & plenitudo ſplendet in duobus filiis, quos nutriit ſimiles duobus gemellis. Alter eſt filius naturalis, qui eſt Chriſtus Dominus, quem lactauit vberibus de cælo plenis, & ideo beata prædicantur, cum dicitur, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti*: verè beata quia diligendo & lactando filium, diligebat, & lactabat Deum, nam filius eius Deus erat, qui paſcitur in liliis æternitatis, à quo ipſa lactabatur copioſiſſimo gratiarum lacte, ſed de hoc plura alibi dicta ſunt. Alter filius eſt adoptiuus, ſcilicet vniuerſum electorum genus, præfiguratum in dilecto diſcipulo, quem Chriſtus Dominus in cruce oſtendens matri, dixit: *Ecce filius tuus*, & diſcipulo: *Ecce mater tua.* Hos autem filios adoptiuos lactat etiam vberibus de cælo plenis, id eſt, præclariſſimis operibus miſericordiæ tum ſpiritalibus, tum etiam corporalibus. Quod duo eius inſignia oſtendunt facta: nam cum primum facta eſt mater Dei, abiit in domum Zachariæ, vt primogenitum filium adoptiuum generaret: ſcilicet Ioannem Baptiſtam, qui tunc iuſtificatus eſt, quem tribus menſibus ſpiritaliter lactauit, noua ei conferens dona ſua amabili præſentia, propter Ieſum, quem in ventre geſtabat. Deinde in nuptiis Cana Galileæ miſericordiam corporalem oſtendit, cum deficiente vino copioſum & optimum illis impetrauit. Ex iis autem duobus operibus, ſicut ex vngue Leonem, deducimus quàm præcellens fuerit Deiparæ miſericordia, quæ extenditur ad iuſtos, & peccatores, ad magnos, & paruos, ad omne opus, animæ, vel corpori expediens; magna cum ſolicitudine, etiam nihil petentibus iis qui indigent; ſed ſua charitate eam ſtimulante: vt merito, ſicut Deus vocatur pater miſericordiarum, Deipara vocetur mater miſericordiæ, tanquam præcipuum Dei Patris inſtrumentum, vt nobiſcum faciat dignam Dei miſericordiam. Vnde cum admiratione quadam exclamat: *Quam pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa? pulchriora ſunt vbera tua vino*: pulchrum fuit vinum, quod tuis precibus in nuptiis feci, ſed pulchriora ſunt vbera tua hoc vino, quia miſericordia tua adeo magna eſt, vt ſuperet cuncta bona, quæ aliis præſtas, quibus multo plura præbere deſideras. Nam etiam miſerationes tuæ ſunt ſuper omnia opera tua: qui autem à te lactantur ſpiritaliter, erunt ſicut duo gemelli capreæ, nitidi, pingues, celeres & iucundi, paſcenturque in tuarum virtutum liliis, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ, nam per te donum impetrabunt perſeuerantiæ vſque in finem, vt ſalui fiant: dum hæc conſidero, placet huic beatiſſimæ matri aptare quod ait Salomon, *Cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus, vberæ eius inebrient te omni tempore, & in amore eius delectare iugiter.* Cerua chariſſima magnorum ceruorum filia, ſcilicet Patriarcharum, quos Euangeliſtæ commemorant, eſt quæ genuit gratiſſimum hinnulum, nempe *Mariam, de qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus.* Vbera huius ceruæ te inebrient, id eſt, non tantum lacte, ſed vino dilectionis repleant omni tempore, proſpero vel aduerſo, quia in vtroque erit tibi propitia, & in amore illius, & gratiſſimi hinnuli filij eius, delectare iugiter, delitiæque tuæ ſint placere, & inſeruire illis, vt per opem filij, & interceſſionem matris gratiam conſequaris, & gloriam in ſecula ſeculorum. Amen.

Prou. 5. v. 19 Mat. 1. v. 16. Luc. 3. v. 23. Cant. 7. v. 8. dicuntur vbera ſicut botri vineæ.

SECVNDA PARS LIBRI SEPTIMI.

De excellentiis Eccleſiæ in genere, ac de mediis ad participandum illas.

EXHORTATIO XVIII.

De virtutibus quæ ſignificantur per montem myrrhæ, & collem thuris, earumque proprietatibus, & auxiliis Dei ad exercendum eas: & quomodo religioſo ſtatui maximè conueniant.

PARTIM PRO FERIA 4. CINERVM DE IEVNIO. ET IN EVAN. DE COMMVNI MARTYRIS PONTIFICIS. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſe*, &c. V. 6.

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

NOn facile eſt verba hæc præcedentibus, & ſequentibus, quæ ſponſæ laudes celebrant, connectere. Ad quid enim ſponſus repentè inquit: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris?* mons, & collis iſte loca ſunt amœna, arboribus & plantulis conſita, quæ myrrham & thus, & omnigena aromata ſub his duobus

duobus comprehenſa, producunt, de quibus in fine Cantici dicitur: *Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum.* Aut, ſicut aliis placet, vſurpantur hic pro horto ſponſi prope hos montes ſito, in quo huiuſmodi aromata fluebant; de quo dicitur infrà, *Veni in hortum meum, meſſui myrrham meam cum aromatibus*, & iterum: *dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad aureolam aromatum.* Ad hunc hortum, vel, ad hunc montem & collem decreuit ſponſus ire, & ideo ait; *Vadam*, ſeu iuxta Hebræam phraſim, *Vadam mihi*: quod Sept. vertunt, *Ibo mihi*, id eſt, vadam vltro, ex propria voluntate vel magna cum voluptate, animi mei gratia, vt ex eius conſpectu & fragrãtia voluptatem capiam, vt quid ergo ſponſus laudes intercipit, & abire ad montem & collem dicit: forte non intercipit laudes, ſed proſequitur, oſtendens ad quam ſublimem ſanctitatis perfectionem, quæ ſub metaphora montis myrrhæ & collis thuris depingitur, ſponſa peruenerit, & per quæ media illam obtinuerit: ac ſi ad vniuerſam Eccleſiam diceret; ex quo oculi tui ſunt ſicut columbæ, genæ tuæ ſicut fragmen mali punici, collum tuum ſicut turris Dauid, &c. Facta es coram me quaſi quidam mons myrrhæ, & collis thuris, & quaſi hortus meus omnigenis aromatibus refertus: Vadam ergo ad hunc montem & collem, vt ibi ſim, & condelecter ac fruar illo, *Nam tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Hæc enim ſunt verba, quæ immediatè ſubiiciuntur: vel aliter, ideo oculi tui ſunt columbarum, genæ tuæ ſicut fragmen, &c. quia es ſicut mons myrrhæ, & collis thuris, nam per abundantiam myrrhæ & thuris tam præcelſa encomia meruiſti; ideo, *Vadam*, &c. Huic congruit alius ſenſus communior, quod ſponſus volens inuitare ſponſam, & quamlibet piam animam, vt aſcendat ad montem myrrhæ, & collem thuris, ad culmenque perfectionis, quæ per hæc repræſentatur, ait: *Vadam mihi*, &c. id eſt, libet mihi vadere ad montem & collem iſtum, alliciens ipſam, vt dicat, vadam & ego tecum: quomodo diuus Petrus poſt reſurrectionem dixit condiſcipulis, *Vado piſcari*, & illi ſtatim dixerunt, *Venimus, & nos tecum:* quia qui ſe mutuo vehementer diligunt, facile voluntatem dilecti ſequuntur.

Cãt. 8. v. 14

Cant. 5. v. 1.

Cant. 6. v. 1.

Ioan. 21. v. 3.

Ita Hector Pinto, refert etiam Almonazirus.

Hinc eſt, nonnullos hæc verba, non ſponſo, vt omnes ſancti Patres, ſed ſponſæ tribuere, quæ cum tot ſui laudes ab ſponſo audiret, rubens præ humilitate, & quaſi eas intercipere cupiens, ait illi: *Vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris.* Ac ſi diceret, tu me dilecte mi, magnis laudibus extollis, ego vero eligo quod mihi ſecurius eſt, & magis expediens: malo tendere ad montem & collem iſtum: *Donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ*, hæc enim verba (licet à Patribus maxime latinis cum præcedentibus, *Qui paſcuntur in liliis*, coniungantur) tamen à multis aliis maxime Græcis coniunguntur cum ſequentibus, *Vadam ad montem*, &c. vnde Biblia nuper correcta à Clemente VIII. ita diſtinctionem ponit, vt liberum maneat præcedentibus, vel ſequentibus ea annectere. Hæc de connexione & ſenſuum multiplicitate in communi dicta ſufficiant?

Quæ virtutes deſignantur per montem myrrhæ & collem thuris. §. 1.

1. IAm quomodo per montem myrrhæ & collem thuris vniuerſa perfectio ſanctitatis vſque ad

culmen eius deſignetur, oſtendamus, aduertendo omnes virtutes ad duo præcipue reduci genera, iuxta duplicem vitam, actiuam, & contemplatiuam. Quædam enim deſtinantur ad perfectam carnis caſtigationem, vt ſpiritui ſubiiciatur, & ad omnimodam amoris proprij ac ſui ipſius abnegationem, per quam omnia auferuntur bene operandi impedimenta; & hæ ſignificantur per montem myrrhæ, quæ ſymbolum eſt mortificationis, quatenus amara eſt guſtui, & corpus à putredine ſeruat, vt ſæpius dictum eſt. Aliæ vero nobiliores ſunt virtutes, quæ circa Deum verſantur, debitum ei amorem, cultum, gratitudinem, & obſequium præſtando, maxime per orationem & contemplationem aſſiſtendo illi: quæ apte deſignantur per collem thuris, quod teſte Plinio, ac Theophraſto, apud omnes nationes ſignum fuit diuinitatis, in cuius cultum cremari ſolet. Omnes autem iſtæ virtutes quantumuis amarę & arduę videantur, ſponteneæ ſunt. Hæc enim eſt natura myrrhæ, & thuris, vt ſponte, tanquam ſudor ab arbore prodeat, nulla etiam præcedente inciſione, quod ſi præcedat, copioſior etiam ſponte progreditur. Quod innuit Saluator cum dixit: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Neminem enim vult cogere, ſed liberæ relinquit voluntati, vt inuitanti aſſentiatur, & myrrham ſudet, vel omnino ſponte cùm ſe abnegat, vel cum inciſus eſt, & ſponte impoſitam ab alio crucem baiulat. Cum autem præcedens, inciſio, ſeu tribulatio voluntatem non minuit, ſed potius auget, vt vberius myrrham abnegationis, & orationis thus proferat, tunc voluntas eſt perfectior, & virtus nobilior. Vtraque inſinuat Saluator cum inquit, *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Nam præcingere pertinet ad virtutes quæ carnem mortificant, & ſunt velut angulum eam conſtringens. Lucernæ vero ardentes in manibus potiſſime dicũtur virtutes quæ præcellentiora opera efficiũt in Dei gloriam & proximorũ vtilitatem?

Mat. 6. v. 16.

Luc. 12. v. 35.

2. Sunt autem hæ virtutes valde fragrantes coram Deo, Angelis & hominibus, bonæq; opinionis apud omnes odorem effundunt, quamuis non omnes eas complectantur, maxime quę ſignificantur per myrrham. Quoniam, etſi bonus odor placeat, tamen amarus myrrhæ ſapor diſplicet: at electa myrrha, vt inſinuat Plinius, non tam cognoſcitur ex odore, quam ex guſtu, & ſapore, non eam deglutiendo ſed peculiarem eius amaritudinem guſtando. Sic perfecta virtus abnegationis propriæ non tam dignoſcitur ex ſuauitate odoris & bonę famę, quam ex vera, pura, & ſyncera mortificatione ſui ipſius, ſponteneè guſtãdo amaritudinem illam, & patienter ferendo eius moleſtiã; ad quam tamen amaritudinem probe guſtatam, & acceptam, ſequitur bonus odor ædificationis apud homines, & ſuauis fragrantia apud Deũ, quæ etiã animam lætificat ac confortat.

Lib. 6 exhort. 17.

Lib. 12. c. 14. & 15. Ouidius 4. Metamor. *Templa tibi ſtatuam, ſolenam tibi thuris honores.*

Lib. 2. c. 16. Theophraſtus lib. 9 de plantis, c. 4. *Quia*, inquit, *guſtui eſt leuiter amara.*

3. Hinc fit adulteratam eſſe myrrham, illam carnis abnegationem quæ ſolum inanis gloriæ cauſa aſſumitur, permixta enim eſt vitio ſuperbiæ, & hypocriſis, quæ ipſam corrumpit, in quam Saluator inuehitur, dicens: *Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes; exterminant enim facies ſuas vt appareant hominibus ieiunantes*; exterminare autem faciem, eſt extra conſuetos terminos violenta quadam detorſione eam extenuare, & natiuam vultus ſpeciem obſcurare, & immutare, vt videantur ieiunio plurimum affligi, ac velut inedia conſumi: & ſic inanis gloriæ laudem aucupentur. At hi abuntur veræ mortificationis

In §. 3. optimus locus adducitur.

ItaGalenus lib 8. simplicium medicam.

myrrha, cuius proprietas est exsiccare carnes, vt à corruptione præseruet, & ideo mortuorum corpora vnguntur myrrha, vt seruentur incorrupta: sic vera mortificatio carnem extenuat, vt spiritum à corruptione peccati immaculatum custodiat. Propter quod Apostolus dixit: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.* At hypocritarum adulterata myrrha corpus extenuat, sed animam corrumpit, ac in vtriusque perniciem vergit. Non itaque quærenda est myrrha tantum propter odorem, quem apud homines efflat, sed propter incorruptionem spiritus, quam intus efficit, quamque Saluator insinuat cum subiicit: *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans.* Id est, exterius hilaris esto, & signis lętitiæ occulta ieiunium tuum apud homines, intus tamen vnge caput tuum, id est, mentem tuam vnguento myrrhino, quod eam à peccatorum vindicet putredine, & laua faciem tuam internam à maculis culpæ, quas contraxit; & ita exterius mortificationem exerce, vt non hominibus placere studeas, *Sed Patri tuo qui est in abscondito*, & mercedem ieiunij tui reddet tibi; nec difficilis est hæc coniunctio lętitiæ cum ieiunio, & myrrha, cuius amaritudo, etsi carnem vexet, multoties ad spiritum non pertingit. Cui dulcis esse solet, quia Deo placet, sicut Apostolus dicebat, placere sibi in infirmitatibus, contumeliis, & angustiis pro Christo; *Et repletus sum* (inquit) *consolatione, & superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* In hocque mortificationis exercitio assimilatur myrrhæ, cuius probitas, vt diximus, ex amaritudine gustu percepta dignoscitur, sed non comeditur, aut deglutitur, quomodo & Christus Dominus, cum datum ei esset vinũ myrrhatum, quod D. Matthæus vocat vinum cum felle mixtum, *Cum gustasset, noluit bibere.* Quod D. Marcus ait, *Et non accepit* (sic enim D. Augustinus hos Euangelistas cõciliat) gustauit igitur amarissimum vinum myrrhatum, & felle mixtum, vt significaret nullas respuisse carnis amaritudines, & tribulationes; noluit tamen bibere, nec accipere intus; ad significandum illas amaritudines non penetrasse spiritum, auferẽdo ab eo promptitudinem, resignationem, & tranquillitatem, quod etiam in electis suis futurum esse prænunciabat. In quo à reprobis secernũtur, quos amaritudo tribulationum etiam intus penetrat, spiritum amaricat, turbat, & ebrium reddit; iuxta illud Ieremiæ: *Ego cibabo populum istum absynthio, & potum dabo eis aquam fellis.* Et iterum; *repleuit me amaritudinibus, & inebriauit me absynthio*, quia amarissima tribulationum myrrha non solum carnem torquebat, sed ex permissione Dei spiritum extra rationis limites mœstum & impatientem reddebat.

1. Cor. 9. v. 17.

2. Cor. 12. v. 10.

Matth. 27. v. 34.

Lib 3. de consensu Euang. c. 11.

Ier. 9. v 15. Thren. 3. v. 15.

De connexione harum virtutum. §. 2.

1. AD hoc autem quod myrrha suos præstet effectus animæ, non parum conducunt virtutes, quæ repræsentantur per collem thuris, quę nobiliores sunt, & dulciores aliis, quoniam versantur circa ipsum Deũ, totius spiritalis dulcedinis fontem, quam potissimè religio promeretur, meditatio quærit, oratio impetrat, contemplatio inuenit, deuotio ac dilectio gustat, & per cunctas animæ vires diffundit, easque promptas reddit, & alacres ad Dei obsequium, ac sui ipsius abnegationem: vnde myrrhæ amaritudinem moderatur ac in dulciorem vertit, & ipsam à corruptione præseruationem suauius perficit. Quare mira est & frequens in scriptura coniunctio myrrhæ, & thuris, sicut constat ex illo, *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris*, vt ibi iam fusius perpendimus, eo quod huiusmodi virtutes sibi inuicem manus dant ad suos actus, & ad sanctitatis culmen obtinendum. Nam sicut mortificationis myrrha cuncta impedimenta aliarum virtutum deficcat, & exterminat, ita orationis & contemplationis thus suauitatem, & efficacitatem tribuit, myrrhæ, vt ea impedimenta auferat.

Cant 3. v. 6.

Lib. 6. exh. 16. & 17. §. 2.

Sed cur mortificationis studium comparatur monti, orationis vero & religionis, quæ nobilior est, colli? mons enim sublimior est quam collis, & ideo sublimiores deberet virtutes repræsentare. Annuit D. Anselmus, eo quod supremus mortificationis actus cunctas alias virtutes superat: nempe martyrium, in quo martyr seipsum, cunctaque sua simul cum vita pro Christo fortiter negat. Cum igitur omnes mortificationes ad hanc supremam præparent, nihil mirum, per montem myrrhæ significari, quo nihil est sublimius: *Siquidem maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Vnde Christus Dominus in serie abnegationem hanc vltimo loco tanquam maiorem refert, vt superius ponderatum est.

2.

In hunc locum.

Ioa. 15. v. 13. Lucæ 14. v. 26.

Lib. 6. exh. 30. § 2.

At reliqui Patres, studium mortificationis assimilari dicunt monti propter eius arduam difficultatem. Homini enim ob innatam grauitatem difficilis est ascensus sursum, facilis vero descensus. Abnegationis autem studium difficillimum est, tanquam ascensus in montem altum, cui repugnat caro, & appetitus in terrena propensus. Vnde tota vitæ spiritualis acerbitas, & difficultas in ascensu ad montem myrrhæ sita est. At qui semel ascendit, & cuncta carnis obstacula rupit, propensionesque negauit, ad cæteras virtutes facile tendit, velut qui à monte in collem descendit. Nulla hic mentio vallis, quæ profunda est, sed montis & collis quæ sublimia sunt, quoniam perfectionis studiosus terrena respuit, ab illis ascendit, & nunquam in ea descendit, semperque inter montes & colles versatur. Sicut & sponsus, qui salit, *Sicut hinnulus super montes, transiliens colles*: semper enim ad alta virtutum exercitia anhelat, & ex quibusdam in alia transilit, ex monte enim myrrhæ transit ad collem thuris, & ex colle thuris reuertitur in montem myrrhæ, quia diutius in vno dumtaxat manere non licet, cum oratio indigeat mortificatione, sicut mortificatio oratione.

Cant. 2. v. 8.

3.

Li. de amore sponsi ad sponsam, to. 1 idem D. Gregorius hic.

Præterea, vt insinuat Hugo de sancto Victore, altitudo montis eminentiam significat magnanimitatis; mediocritas vero collis temperantiam humilitatis: mortificationis ergo studium vocatur mons, quia in ea oportet nos esse constantes, fortes, & magnanimos ad omnes superandas difficultates: at contemplationis studium dicitur collis, quia magis nos requirit humiles & submissos, vt digne & reuerenter coram Deo & cum eo colloquamur.

4.

Ex iis tandem deducimus non incongruè hanc comparationem desumi posse non à sublimitate, vel difficultate tantum, sed à multitudine; mons enim capacior est, & plures odoriferas continet arbores, quam collis: mons ergo innumeris arboribus myrrham proferentibus constans, cœtus est eorum, qui vitæ actiuæ, & vitiorum extirpationi per pœnitentiam, & sui abnegationem incumbunt: collis autem arboribus thuriferis consitus, cœtus eorum,

qui vitæ contemplatiuæ & orationis studio vacant, repræsentat: ille ferè omnes fideles comprehendit, si fidem operibus socient; at pauciores in hũc ascendunt: nam licet communis oratio omnibus conueniat, tamen contẽplationis proprium studium paucioribus aptatur. Sic & Christus Dominus cum ascendit in montem ad docendam Euangelicam legem, & abnegationis doctrinam, omnes discipulos secum duxit: at cum orationis causa iterum ascendit, vt se orando trãsfiguraret, solos tres assumpsit: quia illud omnibus necessarium, hoc donum supererogationis repræsentabat. Denique maior est numerus incipientium, & proficientium quam perfectorum, quia semper rarum est id quod est perfectum, mons autem myrrhæ omnibus proponitur etiam incipientibus, & ideo prius eius fit mentio, quia via est ad collem thuris, & per sui abnegationem tenditur, & peruenitur in Dei contemplationem, & vnionem; sicut & vita actiua prior est quam contemplatiua, nec desponsatio cum pulchra Rachele in colle thuris fiet, nisi præcesserit cum laboriosa Lya in monte myrrhæ.

Matth. 5. & c. 17.

Geneſ. 29. v. 26.

Denique cum plures sint abnegationis & orationis modi, non ait, *Vadam* ad montes & colles, nec ad mõtem & collem myrrharum & thurum, singulari numero tantum vtens: quia in his omnibus vnitas est quærenda secundum vnam Dei voluntatem, & vnum diuinæ glorię scopum, in quem cuncta sunt dirigenda.

Quomodo Deus dicatur nobiscum vadere ad has virtutes acquirendas. §. 3.

1. SI igitur altitudinem ac difficultatem huius montis & collis, & hominis consideres infirmas vires, certum est neminem posse ad eos vadere, & ascendere nisi à Deo excitatum, tractum, & adiutum. Propter quod sponsus dilectæ ait, *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*; quasi excitans, & inuitans eam, vt veniat secum, & simul suum ei auxilium promittens. Deus enim non dicitur vadere in hunc mõtem & collem, nisi quia nos facit radere. Quomodo Spiritus sanctus dicitur postulare pro nobis, quia nos facit postulare. Cum igitur à Deo inuitaris, vt ad virtutes istas acquirendas properes, bono animo esto, quia non solus hunc laborem assumes, sed ab eo adiutus, qui te in ascensu ad istum montem & collem comitabitur, quem sua præsentia facilem reddet, & suauem, descendet enim è cęlo vt tecum sit in mõte abnegationis, & tribulationis, vt auxilietur tibi, sicut de Ioseph à fratribus in cisternam proiecto scriptum est: *Descendit cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum.* Tecum etiam erit in colle thuris & contemplationis, sicut cum Moysi iussit in montem ascendere, ipse Deus descẽdit vt esset cum eo. Quare fideiter cum Salomone sapientiam diuinam omnium adiutricem desiderante potes dicere: *Mitte illam de sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret*: & quomodo laborat, nisi auxiliando & faciendo quod nos laboremus?

Sap. 10. v. 13.

Exod. 24. v. 15.

Sap. 9. v. 10.

2. Fiduciam auget phrasis Hebręa, quam obseruant Sept. *Vadam mihi, seu ibo mihi.* Nam ex vnione, quam Christus Dominus habet cum suo corpore mystico, quidquid mẽbra eius faciunt, vel patiuntur, ipse facere aut pati dicitur. Sicut cum D. Petro dixit: *Vado Romam iterum crucifigi*; nimirum in te, Qui crucifigendus es. Vnde sibi, suoq; quasi proprio cõmodo attribuit quod nobis tanquam vtile confert. Ipse etiã dicitur recipere in nobis, quod nobis datur. Quo sensu de Christo Domino ascendẽte in altũ Dauid ait, accepisse dona in hominibus. Paulus vero dedisse dona hominibus; nã quæ ipse dat, ipse etiam in illis recipit. Et sicut peccator persequens iustum, persequitur Christum, ita Christus liberans iustũ, liberat in eo seipsum. Sic glossa ordinaria exponit illud Dauidis cum Deo loquentis de populo suo, *Quem* (inquit) *redemisti tibi ex Ægypto, gẽtem, & Deum eius*, id est, gẽtem, & Moysem ducem eius, quem Deum Pharaonis constitueras; vel gentem, & Deum eius, videlicet teipsum, quia liberando populum, liberasti te ab oppressione, quam in illo patiebaris, & ab ignominia, qua in ipso, & propter ipsum affectus eras. Redemisti autem *tibi*, id est, ad gloriam tuam, & vt nomen tuum ac potentia tua omnibus esset manifesta.

1. Cor. 12. v. 26.

In eius vita.

Pſ. 67. v. 19. Ad Epheſ. 4. v. 8. Act. 9. v. 7.

2. Reg. 7. v. 23.

Hoc ergo est quod ait, *Vadam mihi*, seu *ibo mihi*, quasi dicat, si vado ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, si te mecum vadere inuito, si te comitari & auxiliari decreui, totum est mihi, & quasi meum bonum reputo, propter gloriam meam, honoremq; nominis mei id facio: vnde si impetrare vis auxilium, vt in montem hunc & collem ascendas, si Deum socium itineris habere desideras, non illuc vadas tibi, sed illi, non tuam, sed illius gloriam quęras. Alioqui dicet tibi, quod olim Hebræis; *Cum ieiunaretis & plangeretis*, &c. *nunquid ieiunium ieiunastis mihi, & cum comedistis, & bibistis, nunquid nõ vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis?* à te ergo quęre auxiliũ, si tibi soli attendis. Et cum ex te nihil valeas, proculdubio citò deficies. Si autem à Deo auxilium quæris, illius etiam gloriam quære. Si vis, vt gradiatur tecum, intende finem quem ipse intendit, alioqui, *Quomodo ambulabunt duo simul, nisi conuenerit eis?* Deus operatur omnia propter semetipsum, operare ergo & tu propter illum.

Zach. 7. v. 5.

Amos 3. v. 3.

Prou. 16. v. 4.

3. Sed cur non dixit ascẽdam, sed vadam? forte quia non omnes possunt ascendere in verticem montis, & collis: omnes tamen possunt aliquomodo illuc tẽdere, & ad partem vtriusq; peruenire. Quod melius explicatur per verbum, *Vadam*: sed cur expressius desiderium suũ non explicuit, dicens; vadamus, vel eamus, sicut sponsa dixit postea; *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum*? forsitan voluit probare spõsæ fidum amorem. Nam amanti sat est voluntatem insinuasse eundi in montem illum, vt ipsa libenter ire annuisset, aut melius, quia diuina vocatio paulatim progreditur, & quod modo tantum insinuat, paulo post clarius expressit dicens: *Veni de Libano sponsa mea*, &c.

4. Sed alius hic auxiliandi & comitandi modus valde dulcis insinuatur per exemplum ipsius sponsi Christi; cuius vniuersa vita in hoc mundo iugis quidam fuit ascensus ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, quasi ex vno in alterum vadens, & inter eos versans. Iugiter enim vacabat operibus vitæ actiuæ vel contemplatiuæ; abnegationis, orationis & cultus Dei, quasi negãs voluntatem suam, vt faceret volũtatem patris qui misit illum, docendo, prædicando & conuersando cum hominibus, & innumeras pro illis tribulationes patiendo, iugesque ac feruidas preces, supplicationesque cum lachrymis omnibus diebus carnis suæ mortalis Patri offerendo; ita vt multoties in montibus solus esset, pernoctans in oratione Dei. Non autem ascendit in montem, & collem istum, quia ipse indigeret, sed quia nos indigebamus, vt suo exemplo ad ascendendum inuitaret: nam hoc est quod ait: tollat crucem suam, & sequatur me, id est, faciat quod me facere videt, sicut Abimelech dixit ad socios, *Quod me videtis facere,*

Ad Hebr. 5. v. 7.

Iudic. 9. v. 48.

Iudic. 9. v.48.

facite. Noluit autem dicere, vade, sed vadam, vt magis alliceret exemplo quam præcepto; nec ait vado, sed vadam ad significandum quod in membris suis per huiusmodi exemplum facturus erat, ac si diceret; ego quidem vado ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, vt in electis meis qui hoc contemplati fuerint, & simul cum illis ad eundem montem & collem vadam; ad modum, quo in Apocalypsi dicitur: *Exiuit vincens vt vinceret, vincens per se, vt vinceret per alios.* Sic fuit, *vadens per se, vt vaderet in alios.* Sed de exemplo Christi Domini plura in exhortatione sequenti.

Apoc.6.v.2.

Quomodo Deus visitet in hoc monte & colle commorantes. §. 4.

1. DENIQVE verbum, *Vadam*, decretum sponsi insinuat visitandi eos, qui in monte myrrhæ, & colle thuris degunt; greges nimirum sanctorum, qui ibi pascuntur vberrimis pascuis virtutum: nisi mauis ipsos sanctos in hoc monte & colle degentes his virtutibus acquirendis intensos, esse quasi arbores myrrhæ, & thuris, operibus vitæ actiuæ, vel contemplatiuæ fœcundas, ad quas excolendas vadit sponsus. D. Anselmus peculiariter per montem myrrhæ cætum martyrum, per collem vero thuris vel Libani, cætum confessorum intelligit, sub quibus omnes sancti comprehenduntur; sed quouis modo intelligatur, hoc nobis indicatur, necessariam esse Dei visitationem, vt in exercitiis mortificationis, vel orationis & contemplationis permanere, ac proficere possimus; nam montes & colles, quos Deus non visitat, sunt sicut montes Gelboe, super quos nec ros, nec pluuia cadit, nec erunt agri primitiarum: quia nec ros diuinæ consolationis & gratiæ, nec pluuia cælestis doctrinæ & eruditionis super eos è cælo descendit, nec primitiuos, pingues, & copiosos sanctitatis fructus ferre valent. At cum Dominus montes myrrhæ & thuris visitat, visitatio eius affert rorem istum, & pluuiam, ac magnam confert fructuum vbertatem, suaque visitatione electos cælestibus bonis replet, consolatur afflictos, erigit pusillanimes, debiles corroborat, certantes adiuuat, confirmat nutantes, stimulat tepidos, & proficientes perficit, omnesque tuetur: quia, *Visitatio tua* (inquit Iob) *custodiuit spiritum meum*, qua recedente, quis carnis rebellionem comprimet? quis effrænes concupiscentias infrænabit? quis phantasiæ inanes cogitationes constringet? quis in abnegatione sui seruabit constantiam, & amaritudinem myrrhę patienter tolerabit? aut quis orationis thus Deo digne offerre quibit? omnes enim experiemur quod Ecclesiasticus inquit: *Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, nisi ab altissimo emissa fuerit visitatio*, quę sola potest vanas, noxiasque cogitationes & affectiones cordis comprimere. Semper enim ex se parturit, & germinat spinas ac tribulos, horretque aromata thuris, & myrrhæ, nisi diuina eam præueniat visitatio. Propter quod paulò post inquit: *Surge Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius*, vt suo loco videbimus.

Omnes montes qui in circuitu eius sunt visitet Dominus.

Iob.10.v.12.

Eccles.34. v.6.

Cant.4.v.16

2. Christus igitur hæc præsciens, vt electos suos in hoc monte, & colle versantes cõsoletur, & animet, ne retrocedant, sed cum fructu & prouentu permaneant, ostendit se eorum solicitudinem gerere, opportunoque tẽpore eos visitaturum spondet, dicẽs; *Vadam ad montem*, &c. sponsus (inquit D. Gregorius) eos familiariter visitat quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere, & per humiles » & mundas orationes suauiter redolere prospicit; ad quid autem eos visitat nisi vt amplius proficiant, vt « suauius redoleant, vt tanquã viuæ quædam arbores « myrrhæ, & thuris, vberius fragrãtiorem myrrham, & thus proferant. Ne autem putent semel tantum eos visitaturũ, sed pluries, addit, *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, & quia vmbræ inclinantur, vel cum sol ascendit ad meridiem, vel occidit in nocte, duplicem insinuat perseuerantiam visitandi suos, vsquequo ascendant ad verticem perfectionis ab ipso præfixæ, & vsque ad finem vitæ vniuscuiusque. Et sicut promisit per gratiam, & protectionem fore cum discipulis suis vsque ad consummationem sæculi, sic crebra visitatio per speciales fauores & peculiaria gratiæ auxilia etiam permanebit vsque ad eiusdem sæculi consummationem: nunquam enim tempore opportuno desinet eos inuisere, *Etsi visitans eos diluculo, subito probet illos*, cuncta hæc promittit his verbis, *Donec aspiret dies*, id est, quamdiu mundus durauerit, non desinam vadere, & inuisere eos, qui mortificationi, & orationi, sanctisque operibus insudant; & quamdiu cuiusq; durauerit vita, crebro etiam vadam, & visitabo illum, nec inuisere desinam, donec aspiret illi perfectus dies, & lux ad meridiem perueniat, optatamq; consequatur perfectionem, & omnis ignorantia, error, malitia vel obtenebratio mentis procul recedat; & donec tandem ad diem perueniat æternitatis, vbi non erit visitationis vicissitudo, sed iugis, ac perpetua cũ Deo clare viso intima coniunctio. Quis ergo libẽter non ascendet in montem & collem istum; quis non proponet ascendere vsque ad verticem, & permanere vsque ad mortem, cum tot, tam præclaraque bona ascendentibus sint promissa? eamus cum Domino præeunte, & auxiliante, quia ipse omnia impedimenta vincet, omnes difficultates superabit: *Ego* (inquit) *ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam, & dabo tibi thesauros absconditos*, nimirum thesauros spiritualium diuitiarum, ac delitiarum, qui absconditi sunt in monte myrrhæ & colle thuris, vt illis fruaris in hoc sæculo, & postea copiosius in futuro.

De hoc in lib.5 exhor. 38. dictũ est.

Isai. 45.v.2

In hoc loco.

2.

Applicantur dicta statui Religioso. §. 5.

CVNCTA quæ diximus facile aptari possunt statui Religionis, cuius descriptio eleganter insinuatur in prædictis verbis. Est enim Religio quidã mons myrrhæ, & collis thuris, ad quem fideles ex Christi vocatione vadunt, vt eum sequantur, & ibi vsq; ad mortem cum ipso maneant. Hæc sunt quatuor Religionis insignia, quorum succinctam explicationem sic accipe, quoniam vberius alibi est tradita. Vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, ac regulæ ad ipsorum perfectam obseruantiam cõducentes, mons dicuntur myrrhæ, mons, quia sublimem cõtinent perfectionem, arduam & difficilem, ad quam nisi cum naturæ violentia non ascenditur: myrrhę vero, quia ab omni vitiorũ præseruant corruptione, quam trina ingerit mundi appetentia, sc. concupiscentia carnis, & oculorũ, ac superbia vitæ.

1.

2.

Studium autem orationis, & contemplationis, ac laudum Dei, quæ in choro decãtantur, & cætera ad diuinũ cultum spectãtia, collis thuris vocãtur, quia suauiora sunt, & faciliora, & in Dei honorem immediate destinantur. Myrrha ponitur primo loco, quia vota substantia sunt, & fundamentum Religionis, postea vero thus, quoniam eius perfectio est, & complementum. Quomodo autem mutuo se iuuent, iam explicatum est. Vocantur vnus mons, & vnus collis ad indicandum illud bonum

Psal 132.v.1. & iucundum, quod est habitare fratres in vnum, quia religiosi vnanimi concordia ad eandem obseruantiam, & exorcitia sui instituti propria conueniunt. A collis nuncupatur. De vtroque ergo statu meditationem texemus; cuius mentionem simul fecit sponsa, cum dilectum suum fasciculum myrrhæ vocauit, & botrum Cypri, vt suo loco explicatum est. Nunc autem superaddemus quæ ex his metaphoris deducuntur. Cant.1.v.12. Lib. 4. exh. 13. & seq.

3. Verbum autem *vadam*, si ad Christum referas, vocationem indicat, non per modum imperij & præcepti, ideoque non ait, *vade*, quia religiosa professio tantum est opus consilij: sed per modum exhortationis suo exemplo allicientis, sicut denotant illa verba, *Si vis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes, &c. & sequere me*, id est, vade post me, & fac quod ego facio. Si autem referas ad animam, firmum denotat propositum vadendi post Christum vocantem; nec hoc tantum, sed vlterius in eo monte, & colle iugiter progrediendi vsq; ad verticem Euangelicæ perfectionis, quia non licet monacho in medio montis & collis diu hærere nolendo vlterius progredi, sed semper deberet velle amplius proficere, & hoc clarius indicãt illa verba, *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ*. Progrediuntur enim, donec dies aspiret ad meridiem, quę vmbras expellat, quoniam *iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem*, in qua plene omnia contemnuntur temporalia, quæ transeunt velut vmbra, & quia vota sunt perpetua, perpetuo permanere debet in eo monte & colle vsque quo adueniat æternitatis dies, vt cum Christo regnet in secula seculorum. Amen.

Matth. 19. v.21.

B

4. Prou.4.v.18 Sap.5.v.8.

1.

EXHORTATIO XIX.

PRO DOMINICA QVINQVAG. ET FERIA 4. POST DOMIN. 2. QVADRAGESIMÆ, ET IN PARASCEVE.

De ascensu Christi Domini in crucem, & in cælum, qui per montem myrrhæ, & collem thuris significantur; & de modo meditandi hæc mysteria.

C

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

IAM verba ista sublimiori modo ad Christum Dominum referamus secundum duas eius naturas humanam & diuinam, vel secundum duplicem naturæ humanæ statum, mortalem & glorioſum, vt cuncta quæ ad priorem statum pertinent, per montem myrrhæ, cætera vero repræsententur per collem thuris, quod symbolum esse diximus diuinitatis, & gloriæ: vt sensus sit, vadam, vt carnem assumam, & eam diuinitati meæ coniungam, & in eadem carne prius vitam degam mortalem, deinde surgam ad immortalem. Quam interpretationem sequuntur D. Gregorius Nyssenus, Theodoretus, & catena trium Patrum apud ipsum, & alij Doctores. Nec mirum esse debet, humana, & mortalia comparari monti, qui altior est, diuina vero, & glorioſa colli, qui est submissior; quoniam, vt D. Gregorius Magnus sæpe perpendit, in Domini incarnatione humanitas est exaltata sicut mons, & diuinitas quasi humiliata velut collis, nam qui in forma Dei erat, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, & præterea quælibet Dei humiliatio etiam in re parua, reputatur maxima sicut mons, quia maximum est Deum immensæ maiestatis sponte se rei paruæ submittere: at quæcumque exaltatio Dei ei de nouo in tempore aduenienti, etiam in re maxima, æstimatur cõparatione illius quasi parua, quoniam omni exaltatione est infinite maior; & ideo meritò

Hom.7. in Cant.

Ad Philip. 2.v.5.

D

Tom. II.

Quando autem venit plenitudo temporis, carnẽ in vtero Virginis assumpsit, & in ipso primo sue conceptionis instãti, eadem verba magnanimo corde protulit, vt colligitur ex illo vaticinio Psalmistę, quod D. Paulus sic refert; *Ideo ingrediens mundum dicit; hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Id est, dedisti mihi corpus, myrrhæ capax & mortis, aptum, vt offerretur in hostiam & holocaustum pro peccatis. *Tunc dixi, ecce venio*, &c. *vt faciam voluntatem tuam Deus*, offerens voluntariè corpus meum ad mortem, mortem autem crucis: hoc autem est, quod nomine ipsius prophetauerat Salomon, cum hic ait; *Vadam ad montem myrrhæ*, &c. ac si diceret; nunc firmiter decerno vadere ad montem myrrhæ, & humiliare me ipsum, vt Patri obediam vsque ad mortem crucis. Et inde transibo ad collem thuris, resurgendo à mortuis, & gloriam meæ diuinitatis manifestans. In monte myrrhæ allusio fit ad montem *Moria*, in cuius vna parte situm est Ierosolimitanum templum, in alia vero mons Caluariæ, vbi Christus Dominus crucifixus est. De quo etiam monte dictum est Abrahæ: *Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium quem dixero tibi.* Vbi vere oblatus est Christus, & sepultus in monumento, quod in eodem monte erat; vnde resurrexit gloriosus, sicut in ipso Isaac præfiguratum erat vt mox dicemus. Propter quod Christus Dominus, dum sæpius loqueretur cum Apostolis de passione sua, vtrumque decretum simul explicabat, patiendi & resurgẽdi, vt eos instrueret. Quid enim fuit dicere, *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & condemnabunt eum morte*, &c. *& tertia die resurget*, nisi, Ecce vado ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, vt prius in crucem; deinde in gloriam resurrectionis ascẽdam,

2.

Ita Theodoretus.

a Epist.120
b Act.2.v.23

Psal.39.v.7. Ad Hebr. 10.v 5.

Eadem vox Hebræa *Mor*, modico flexu montem myrrhæ, & montem moriæ significat. 2.Paral.3.v.1

Gen.22 v.2.

Matth.16. v.21. & c.17. v.21. Luc.18.v.31

T iij

3. Postquam igitur tempus passionis appropinquauit, tunc tertio feruentissimo spiritu eadem protulit verba, *Vadam ad montem myrrhæ*, vt cumulatissimam omnium amaritudinum, quæ de me scriptæ sunt, myrrham proferam, nec minimam guttulam omittam, donec dicam, *Consummatum est*. Et
Ioa.19.v.30 cum audis, *Vado mihi*, promptissimam agnosce
voluntatem, quæ non est territa præsentia tribula-
Ioa.14.v.31. tionum, sed fidenter ait: *Vt cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio, surgite, eamus hinc.* Vnde mox plura huius voluntatis protulit signa. Nam spōte vadit ad hortum, vbi traditor eum posset inuenire, voluntarieque assumpsit duriſſimos passionis comites, nempe timorem, tristitiam, & internum dolorem. Imò ipsa dolorum vehemens apprehensio, & interna afflictio instar clauorum & flagellorum, ac spinarū, sanguinem per sudorem expulit, vt esset velut arbor myrrhæa guttas myrrhæ sudans: præterea ante-
Lucæ 22. v.44. quam persecutores venirent, illis obuiam exiit, & se vltro ligandum obtulit, nam cum vnico verbo eos prosterneret, & prostratos terræque hærentes B
Ioa. 18.v.6. sinere posset, facultatem tamen tribuit surgendi, &
Lucæ 23. v.53. eum comprehendendi, dum inquit, *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*: potestas, inquam, data vobis desuper & ex voluntate mea, quia, *Nemo*
Ioa.10.v.17. (inquit) *tollit animam meam à me, sed potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi*:
Isa 53. v.7. & rursus, *oblatus est, quia ipse voluit*. Sed parum est voluisse, nam, & cum voluptate voluit, siquidem diem istum, vt iam vidimus, vocauit diem
Cant.3.v.11. desponsationis suæ, & lætitiæ cordis sui. *Vadam*,
Ioa 4.v.34. ergo, inquit, mihi in montem myrrhæ, id est, animi mei gratia, & voluptate, quia & dulce mihi est,
Ad Gal. 6. v.14. sicut famelico cibus, facere volūtatem eius qui misit me. Hinc ergo disces quanta cum animi voluptate ire debeas ad mortificationis montem, & crucis
Iacob.1. ignominias sustinere, dicens cum Apostolo; *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*: omne gaudium existimans pro ipso tribu-
C lationes pati?

4. Sed phrasis, *Vadam mihi*, aliud indicat mysterium nimirum, *Solus vadam*. Quia alterius solatio & adiutorio non indigeo, quod Christi charitatem & potentiam valde commēdat; qui dolores passionis solus pro omnibus perferre tunc voluit; discipulosque indemnes permanere, vnde & persecutoribus dixit: *Si me quæritis, sinite hos abire*.
Ioa. 18. v.8. Ac si diceret, me comprehendite, hos nūc nolite tangere, ego solus vadam ad mōtem myrrhæ, & mortis; sic enim
Is.63.v.3. scriptum est: *Torcular calcaui solus, & de gentibus*
Ps. 68.v.21. *non est vir mecum. Circumspexi, & non erat auxiliator: quæsiui & non fuit qui adiuuaret.* Et iterum, &
D *sustinui, qui simul mecum contristaretur, & non fuit; consolantem me quæsiui, & non inueni*. More humano dicitur quæsiisse, & non inuenisse, quoniam nullus inter puros homines inueniebatur, qui opus redemptionis posset perficere: & ideo Christus solus Deus & homo debuit hoc opus aggredi. Quia tamen disposuit, electos suos eiusdem passionis esse participes, cum ipse solus cepisset baiulare crucem, vadens in Calùariæ montem, voluit postea Symo-
Ioa.19.v.17. nem Cyrenensem portare crucem post ipsum. Ipse
Luc.23.v.26 tamen solus affixus est in illa, quia ipse solus redemptor est, cuius liuore sanati sumus. Alij vero fuerūt eius coadiutores, ad applicandum reliquis fructum
AdColoss.1. crucis, & passionis ipsius, quo sensu ait Paulus, *Adv.29. impleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia*, ac proinde ita dicit, *Vadam mihi*, vt alios inuitet ad eundum secum, non vt eum adiuuent, sed vt eum imitantes, eius mortis fructum participent.

Eleganter hoc præfiguratum est in sacrificio 5.
Abrahæ, cuius iam mentionem fecimus: qui, vt Dei Gen 22 v 3.
iussum impleret, strauit asinum suum ducēs secum duos iuuenes, & Isaac filium suum. Cumque concidisset ligna in holocaustum, abierunt simul tribus diebus. Die autem tertio eleuatis oculis vidit procul locum sacrificio deputatum; dixitque ad pueros suos: *Expectate hic cum asino, ego & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos*. Solus Abraham & Isaac relictis iuuenibus ad montem properant, hic portans ligna, ille vero ignem, & gladium; ad significādum quod solus Christus vadit ad montem Calùariæ baiulans sibi crucem: Pater autem, qui nunquam reliquit eum solum, quia cum eo vnus est Deus, vadit cum
2.Cor.5. v.19. illo, *Deus enim erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Portabat autem ignem dilectionis, quo offerendum erat holocaustum, & gladium potestatis, quia nulla aduersus eum potuit esse in Pilato potestas, nisi ei data fuisset desuper. Non duxit autem secum iuuenes, qui Isaac ligarent ad sacrificium, ne resisteret, nam etsi posset (erat enim tunc validus
Ioa.19.v.11 iuuenis) sciebat tamen non resturum ob suam in Deum eximiam dilectionem, cum de eius sibi constaret voluntate: sic & Christus non indiguit ab hominibus ligari ad passionem: imo nec eum ligare possent, nisi sua erga Patrem dilectio & obedientia ligaret: quod vero ait, *Postquam adorauerimus, reuertemur ad vos*. Duo mysteria prædicta indicat, cum insinuet resurrectionem Isaac, si moreretur, &
Hom.8. in Genes. reuersionem ad iuuenes vt cum eis iterum conuersaretur. Quod sic perpendit Origenes: dic mihi Abraham, verū dicis ad pueros, an fallis? si verū dicis, " ergo non facies eum holocaustum: si fallis, tantum " Patriarcham non decet fallere. Verum (inquit) di- " co, & holocaustum offero puerū, idcirco enim ligna " mecū porto; & cum ipso redeo ad vos: credo enim, " & fides mea hęc est, quod à mortuis suscitare eum, " potens est Deus. Hoc autem in Christo impletum " est, qui vt homo vere mortuus est, & immolatus si-
AdHebr.11 v.19. cut aries, licet viuus permāserit vt Deus, sicut Isaac tamen post mortem vere resurrexit, & ad discipulos suos est reuersus, vt suæ mortis fructū aliis communicaret, vnde per duos illos iuuenes, qui Abraham & Isaac triduo comitati sunt, non incongruè Apostolos simul & discipulos possumus intelligere, qui triennio prædicationis Christum sunt sectati; tamen in tēpore passionis iussi sunt expectare: quia eum non erant tunc comitaturi; sed exhortatus est eos, vt ipsius celerem expectarent reditum post passionem, quia tunc surrecturus erat. *Et reuertemur* (ait) *ad vos*, vt vos inuisam, & meæ passionis ac re-
Ioa.14.v.28 surrectionis faciam esse participes, iuxta illud, *Vado, & venio ad vos*. Vado ad mortem, sed venio cito ad vos per resurrectionem: quod autem ait, expectate hic cum asino, etiam mysterio non vacat: iumentum enim illud statum significabat Iudęorum, qui grauissimum legis veteris pondus portabat, sed expectare iubetur cum iuuenibus, quia lex illa permansura erat cum illis vsque ad peractum nostræ redemptionis mysterium, deinceps vero abolenda; sed cætera prosequamur.

De multitudine, & magnitudine, ac efficacia dolorum Christi sub metaphora montis myrrhæ. §. 2.

IAM vero, cur passio Christi mōs myrrhę dicatur, perpendamus; huiusmodi enim denominatio sumitur, primo quidem à sublimitate & difficultate

operis, deinde à multitudine, & magnitudine amaA ritudinis: prēterea ab efficaci virtute sanādi, & prēseruandi nos à malis; & tandem à summa eius fragrantia ob immensam Christi charitatem & sanctitatem quæ splendet in ea. Hæc quatuor maximè
1. passionem Dominicam commendant, & eam nobis amabilem reddunt, licèt mundus iudicauerit incredibilem. Nam quæ gloriosa sunt, & honorifica, facilè creduntur, cùm attribuuntur Deo; nec difficilis creditu esset Christi præclara resurrectio, nisi præcessisset crucifixio & passio. Cuius seriem narrare volens Isaias, ita narrationem inchoat, *Do-*
Isa.53.v.1. *mine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domi-*
Isa.52.v.13. *ni cui reuelatum est?* Prædixerat ad calcem capitis præcedentis de eodem Christo, *Ecce intelliget seruus meus* (id est prudenter aget) *exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valdè, sicut obstupuerunt super te multi* (nempe videntes prodigia, & mirabiB lia quæ operatus est) *sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum*; quia in passione sua despicietur, & velut leprosus reputabitur: adeò autem difficile fuit hæc duo coniungere, vt pauci ex Iudæis crederent Christum esse verum Deum, & in crucis ignominia, Dei potentiam & fortitudinem esse absconditam. Quod prę-
Io.12.v.38. uidens Isaias dum passionem Saluatoris sigillatim narrare incipit, ait; Domine, quis fidem dabit verbis quæ ego dicam? aut quis credet brachium &
Ad Rom. 10.v.10. fortitudinem Domini esse Christum qui hæc pas-
1.Cor.1.v. 23. sus est? Quæ verba D. Ioannes refert ad Iudæos; Paulus verò ad Gentiles, cuius rationem reddens idem Apostolus, ait, *Christum crucifixum Iudæis esse scandalum, Gentibus autem stultitiam*: vtrisque verò montem ita arduum & difficilem, vt per fidem in eum ascendere noluerint, quia nihil turpius, nihil stultius; & à Deo magis alienum esse putarunt, quam inter latrones mori, & crucifigi: cum tamen reuera nihil fuerit gloriosius, nihil C sapientius, nihil Dei bonitati & misericordiæ conuenientius, quàm talem pro redēptione mundi mortem pati. Ideoque subdit Paulus, *Ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem, & sapientiam*: quem non valli myrrhæ, sed monti comparamus; quia Dei sublimem ostendit fortitudinem, & potentiam, per quam hostes deuicit, & gloriam suæ promeruit exaltationis.

2. Deinde Christi passio mons dicitur myrrhæ, omnigenam in supremo gradu cōtinens amaritudinē: nomine enim montis solemus rei multitudinem vel magnitudinem explicare. Qua phrasi eum, qui maximis abundat diuitiis, dicimus *Habere montes auri*. Quid ergo est *Vadam ad montem myrrhæ*, nisi vadam ad perferendam eximiam multitudinem & magnitudinem amaritudinum, & dolorum, ac D ignominiarum, quæ de me scripta sunt? Quod ele-
3.p.q.46.ar. 5.& 6. ganter docet Diuus Thomas, probans Christum Dominum quoad multitudinem, omnia genera
Non species, sed genera. passionum sustinuisse; quoad magnitudinem verò, tristitiam & dolorem eius omnes alios superasse, vt sicut nostra peccata numero & grauitate erant infinita; ita eius pœnæ in satisfactionem eorum assumptæ, numero & intentione essent summę, quas
Lib. 10. de Trinit. iuxta diuinæ sapientiæ ordinem decebat pati. Quod Diuus Hilarius deducit ex verbo illo *Con-*
Io.19.v.30. *summatum est*. Vnigenitus (inquit) Dei ad perā gendum mortis suæ sacramentum consummasse, " se omne humanarum genus passionum testatur, " cùm inclinato capite emisit spiritum. Omne autem genus cuncta comprehendit, quæ ad corpus & animam, ac vires externas, & torquentium varietatem spectāt. Omnes autem pertulit passiones (inquit Diuus Damascenus) vt omnibus præberet Lib.3.de fide c.20. salutem, hoc est vt omne genus pœnarum sanctificaret, & quasi deificaret, hominibusque expetendum, & honorificum redderet, suo nos exemplo docens omnia commoda contemnere, & nihil eo- Ita Card. Caiet.in ar. 5.citatum. rum malorum timere, quæ ab hominibus & tyrannis possent inferri, iuxta illud, *Nolite timere eos qui* Mat. 20 v. 28. *occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Sed cur non dixit, *vadam* ad montes, sed ad mon- *Cur elegerit moriē crucis.* tem myrrhæ, siquidem tot pertulit passionum genera? Fortè vt expressius significaret vltimum supplicium crucis, in quo cunctæ amaritudines coaceruatæ videntur, & velut quidam mons myrrhæ omnium martyrum pœnas, & reliqua supplicia, sæuitia, & ignominia superabat. Propter quod (vt notat Diuus Augustinus) exaggerans Apos- Ser&.18. de verbis Domini. tolus, Christi obedientiam ait fuisse non tantùm vsque ad mortem, sed vsque ad mortem crucis, Ad Gal.3 v. 13. quæ etiam ex ipsa lege maledictioni subiacebat. Aptè autem significatur per metaphoras montis Ex Deut.21 v.2. eleuati, & omnibus conspicui; nam (vt egregiè tra- " Lib.4.de dit Lactātius) quoniam is, qui patibulo suspēditur, " vera sa- & conspicuus est omnibus, & cæteris altior, crux " pientia potius electa est, quæ significaret illum tam conspi- " c.26. cuum, tamque sublimem futurum, vt ad eum cog- " noscendum pariter, & colendum cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent; iuxta illud, *Ego si* Io.12.v.32. *exaltatus fuero à terra*, scilicet per mortem crucis, *Omnia traham ad meipsum*.

Extensio etiam manuum in cruce modum indicabat alliciendi & trahendi ad se homines ex alto illo loco, quasi signum veniendi ad se præbēs. Quæ phrasis frequens est in Scriptura, vt constat ex illo, Prou.1.v.24 *Quia vocaui & renuistis, extendi manum meam, &* Isa. 65.v.2. *non fuit qui aspiceret*. Et iterum. *Expandi manus* Ad Ro.10. *meas tota die ad populum incredulum*. Quod sic per- v.21. pendit idem Lactantius; Extendit in passione ma- Vbi su- pra. nus suas, orbemque dimēsus est, vt iam tunc ostenderet ab ortu solis vsque ad occasum magnum populum, ex omnibus linguis & tribubus congregatum sub alas suas esse venturum, & signum illud maximum, atque sublime frontibus suis susceputurum. Sed melius Diuus Athanasius, Si mors, in- " Lib. de quit, Domini redemptio est hominum, quomodo " incarnat. nos aduocasset, nisi crucifixus esset? In sola enim " Verbi, & cruce mors extensis manibus toleratur. Ideò ergo " corpo- par erat, vt Dominus hoc modo mortem sustine- " rali eius ret, manusque eius extenderentur, vt hac quidem " adnentu. veterem populum, illa verò Gentiles attraheret, & " ambos in se coniungeret. Ad hunc igitur montem myrrhæ Dominus vadit, vt inde non tam clamoribus linguæ quàm vi præclarissimi exempli ad se homines vocet, alliciat, trahat, sibique similes constituat.

Vnde tertiò Christi passio mons dicitur myrrhæ 3.
ob eximiam eius efficacitatem ad sanandum nos à peccatis, & præseruandum ab eorum putredine & corruptione; sicut enim totum eius corpus mor- Io.19.v.39. tuum centum libris myrrhæ & aloës vnctum est à Nicodemo; ita vniuersum eius corpus mysticum, quod mortuum fuerat per Adæ peccatum, abundantissima passionis ac sanguinis sui myrrha perfusum est, vt illud sanaret, & deinceps à corruptione vendicaret. Mirabilis, inquit Diuus Bernardus, " Serm. in est passio tua, Domine Iesu, quæ passiones om- " Fer.4.de nium nostrum propulsauit. Propitiata est omnibus " passione iniquitatibus nostris, & nulli vnquam pesti no- " Domini. stræ inuenitur inefficax. Vulneri, inquit Diuus Cy- " Serm. de prianus, tam putrido, & antiquarum cicatricum " passione Domini.

„ fœtori non inueniebatur medicamentum conue- A
„ niens, niſi vnguento ſanguinis Chriſti plaga vetus
„ liniretur, & malagmate carnis in cruce extenſæ
„ ſiccarentur venena, quæ calcaneo primi hominis,
„ & omni poſteritati eius, ſerpens ille ſeductor anti-
„ quus infuderat, &c.

„ Quare dum ſingulorum Chriſti membrorum
„ dolores acerbos meditaris, ſimul etiam in eis myr-
„ rham corruptioni noſtræ ſanandæ, & concupiſcen-
„ tiæ exſiccandæ aptam conſidera. Nam (vt idem D.
Ibidem. „ Cyprianus ait) filius hominis, ſicut ſcriptum eſt de
„ illo, vadit, & damnatus eſt vt liberaret damnatos,
„ doluit vt ſanaret infirmos, timuit vt faceret ſecu-
„ ros, opprobria pertulit, vt improperia detrahen-
Orat 1. „ tium non mouerent electos. Sed clarius D. Grego-
apologe- „ rius Nazianzenus ita medelam opponit languori;
tica ante „ Idcirco lignum aduerſus lignum, & manus aduer-
medium. „ ſus manum; illæ inquam fortiter extenſæ aduerſus
„ incontinenter extenſam; illæ clauis confixæ atque B
„ conſtrictæ aduerſus remiſſam & ſolutam; ille orbis
„ fines coniungentes aduerſus eam quæ Adamum è
„ Paradiſo exturbauit. Idcirco ſublimitas, id eſt,
„ crux erecta aduerſus lapſum, & fel aduerſus gu-
„ ſtum, & ſpinea corona aduerſus prauum impe-
„ rium, & mors aduerſus mortem, & tenebræ pro-
„ pter lumen (id eſt propter Chriſtum, qui eſt lux ve-
„ ra, manifeſtandum) & ſepultura aduerſus illam in
„ terram reuerſionem, & reſurrectio propter reſur-
Io.3.v.14. „ rectionem, &c. Deniq; ſicut ſerpẽs æneus à Moyſe
Num. 21. „ in deſerto exaltatus, ſanabat omnes ab ignitis ſer-
v.9. „ pentibus vulneratos; ita Chriſtus exaltatus in cruce
„ virtutem habet ſanãdi omnium vitiorum morſus,
„ & ignearum concupiſcentiarum ictus. Habentes
Ser. 55. de „ igitur, ait D. Ambroſius, Dominum Ieſum, qui nos
cruce. „ ſua paſſione liberauit, in ipſum aſpiciamus ſem-
„ per, & de ipſius ſigno ſperemus noſtris vulneribus C
„ medicinam; hoc eſt, ſi fortè nobis auaritiæ vene-
„ num ſe diffundit, ipſum conſideremus, & ſanat: ſi
„ ſcorpionis nos libido compungit, ipſum rogemus,
„ & curat: ſi terrenarum cogitationum nos morſus
„ lacerant, ipſum precemur, & viuimus. Hi enim
„ ſunt ſpirituales ſerpentes animarum noſtrarum,
„ propter quos conculcandos Dominus crucifixus
Lu.10.v.19. „ eſt; de quibus ipſe ait, *Dedi vobis poteſtatem calcãdi*
ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & nihil vobis nocebunt.

Mortem crucis viam eſſe ad reſurrectionem & exaltationem. §. 3.

1. SED quis tandem explicare quibit fragrantiam huius montis myrrhæ? diuina enim ſapientia,
Eccl. 24. v. 20. carne induta in Caluariæ monte, *Sicut myrrha electa dedit ſuauitatem odoris.* Quidquid enim Chriſtus in eo monte geſſit, & paſſus eſt, myrrha fuit, D
non quæuis, ſed electa, prima & omnium copioſiſſima, ſimul & fragrãtiſſima, & quãuis ſapore fuerit ſummè amara, odore tamen fuit ſuauiſſima, quoniam obtulit ibi holocauſtum illud, de quo Apo-
Ad Epheſ. 5. v. 2. ſtolus ait, *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis*; id eſt, in odorem ſuauiſſimum, qui omnium virtutum odores continebat: cuius tanta fuit efficacitas, vt iram Dei placauerit, & ad cœlos vſque perueniens, Paradiſi portas aperuerit, vt etiam latroni, cui eo die promiſſus eſt, aditus pateret. Vnde ex eo tempore mons myrrhę factus eſt via ad tranſeundum ſtatim in collem thuris, id eſt, ad ſtatum immortalitatis & gloriæ, ac exaltationis eximiæ. Siquidem & ipſum Chriſtum, quia humiliauit ſe vſque ad mortem crucis, exaltauit Deus, & dedit

illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.

Exprimit magis hoc myſterium lectio Hebræa & Græca, *Ad collem Libani*; nam vox, *Libanus*, ſimul ſignificat thus, & montem vel collem varias arbores continentem, interpretaturque candidus & dealbatus; & fortè per collem Libani alluſio fit ad domum ſaltus Libani, quam Salomon ædificauit ex materia cedrina, è Libano petita, vbi ſpecioſum & amœnum nemus, pretioſaq; aurea ſupellectilia fuiſſe perhibetur. Hęc autem ſplendidam indicant reſurrectionis gloriam, & candidam ac pretioſam corporis glorificati veſtem, qua induitur anima, mortalitatis veſte denudata, & ab omnibus vitiis per ſanguinem paſſionis Chriſti lota. 3.Reg. 7. v. 2. & c.10.v. 17. & 11.

Sicut igitur Chriſtus Dominus non aſcendit in montem myrrhæ, vt ibi perpetuò maneret, ſed vt per eum tranſiret ad collem Libani, *Oportebat enim Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam ſuam*; ſic electos ſuo exemplo inuitat, vt ad montem myrrhæ aſcendant, ſcientes quod per illum tranſibunt in glorioſum Libani collem; nam qui cum ipſo fuerit particeps myrrhæ, erit & particeps thuris; quoniam *Si compatimur, & conglorificabimur*: etſi ſocij fuerimus paſſionis, erimus & conſolationis ac exaltationis. Propter quod vtrumque exemplum mortis & glorificationis ſimul apponit, vt fortius alliciat, & electos poſt ſe trahat, ſicut re ipſa innumeros poſt ſe traxit. 2. Lu.24.v 26 Ex ad Ro. 8.v.17.

Quare non incongruè de vtroq; aſcenſu in montem myrrhæ & collem Libani, interpretari poſſumus illud Pſalmi, *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus.* Quod D. Paulus ſic citat, *Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Verè enim Chriſtus bis aſcendit in altum; primò cùm aſcendit in montem myrrhæ, & exaltatus à terra in crucem eſt actus; vbi quos captiuos diabolus detinebat, ſibi cepit, hominesque ſunt illi dono dati, etiam *Non credẽtes inhabitare Dominum Deum*; id eſt, dati ſunt illi multi increduli, vt Deus per fidem habitaret in eis, quia virtute paſſionis ſuę redemit, & traxit eos. At poſt hæc iterum aſcendit in altum, cùm reſurgens à mortuis glorioſus, aſcendit in cœlum, captiuam ducens ſecum captiuitatem: nam captiuos, quos traxit ſecum aſcendens in crucem, poſt euexit in cælum, & qui ierant cum eo ad mõtem myrrhæ, tranſierũt etiam in collẽ Libani. Duplex autem eſt captiuorũ genus, vnum execrabile, laudabile alterũ: illud eorum eſt, qui propria malitia captiui fiũt amoris proprij, ſuæque carnis, ac propriæ voluntatis; nam, *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*; &, *à quo quis ſeparatus eſt, eius & ſeruus eſt.* Qui enim ſuperatur à ſuperbia vel auaritia, ſeruus & captiuus eſt illarum, & cùm caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, qui carni ſe ſubiicit, fit captiuus carnis ſpiritum captiuantis in lege peccati; quia cõſenſit ei; & qui Deo vel Prælatis repugnat, captiuus eſt proprię voluntatis à qua ſuperatur, & in captiuitatem redigitur. Hos autẽ captiuos non ducit Chriſtus ſecum in cœlum, quia noluerunt ire cum eo ad crucem; & quoniam horruerunt montem myrrhæ, non aſcendent in collem Libani: eos enim dumtaxat duxit ad cœlũ, quos exaltatus in cruce traxit ad ſeipſum. Hoc pro feſto Aſcẽſionis ſimul cum §. 1. Exhort. ſequentis. Exhort. 21. Pſ. 67. v. 19. Ad Epheſ. 4. v. 8. Io. 12. v. 32. Ad Rom. 7. v 23. 2. Cor. 10. v. 5.

Qui autem contra vitia & concupiſcentias dimicant fortiter, eas mortificantes, vt ſe Chriſti amori ac legi ſubiiciant, captiui ſunt ipſius; de quibus ait Apoſtolus, *Deſtruentes omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Captiuus eſt fidei, qui proprium iudicium negat, &

intellectum diuinę reuelationi ſubmittit: captiuus A
verò obedientiæ, qui propriam conculcans voluntatem eam ſeruire cogit diuinę legi, & captiuus diuini amoris qui ab eo agitur, & ad ea quæ ſuggerit, libenter tendit. Hæc autem captiuitas non violẽta eſt, ſed ſpontanea; non tollit libertatem, ſed perficit: quam Chriſtus aſcendens in altum, ſecum captiuam duxit, commutans malam in bonam, vt qui captiui tenebantur à vitiis & paſſionibus, aut à diabolo, & eius miniſtris, deſtructa hac captiuitate fierent captiui ipſius Chriſti, & legis eius, maiori vi, ſed ſuauiori, tracti à diuina gratia in obſequium Chriſti, quam trahebantur à concupiſcentiis in obſequium carnis. Huiuſmodi autem captiui libẽter
1,2. q.113.a. 5. ierunt cum Chriſto in montem myrrhæ, & tracti ſunt ab ipſo in altum crucis, vbi veteris hominis pellem exuerunt, induentes eam quæ eſt noui hominis, per quam digni habiti ſunt, qui tranſeant in collem thuris, & aſcendant in altum cœlorum, vt B
Iac.2.v.13. participes fiant cum Chriſto cœleſtis gloriæ.

Nec mirum iuſtificationem à peccatis cõparari morti, glorificationem verò colli, quoniam, vt teſtatur D. Paulus, illa quodammodo excedit hanc ſeruata proportione ad perſonam cui vtraque confertur: iuſtificatio enim datur impio, qui indignus erat illa; glorificatio verò iuſto qui eam meretur per gratiã; vnde illa eſt opus miſericordiæ, hæc verò iuſtitiæ, *Miſericordia autẽ ſuperexaltat iudiciũ.* Maius ergo opus Dei eſt miſericorditer indigno conferre gratiam, quàm digno tribuere gloriam, etſi abſolutè hæc ſit omnium donorum maximum.

Tandẽ aliud eſt diſcrimen inter hos aſcẽſus, quod in hoc tempore mortalitatis cum Chriſto vadimus ad montem myrrhæ, non ſolùm affectu, ſed effectu ipſo, & inuitatione; nam reuera vinũ eius myrrhatum guſtamus, calicem paſſionis bibimus, & mortificationem Ieſu in corporibus noſtris circumfe- C
rimus: at in collem Libani, & in altum cœlorum tantùm aſcendimus affectu, deſiderio, & corde, ac ſpe futuræ glorificationis; nam, *Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Interim autem noſter affectus & *Converſatio noſtra in cœlis eſt*; & aſcendens Chriſtus in altum captiua duxit corda noſtra, vt ibi ſint, vbi eſt theſaurus noſter. Felix captiuitas, quæ vera eſt ſpiritus libertas. Beata ſeruitus, quæ verum ingerit ſui Dominum; nam ſeruire Deo regnare eſt, & captiuum eſſe Chriſti, eſt liberum eſſe iuſtitiæ. Poſt tempus autem huius mortalitatis aſcendemus cum illo in gloriam, vbi obtinebimus quod mox additur, *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te.* De quo in Exhortatione ſequenti. Vtinam id obtinere valeamus meritis ſponſi cœleſtis, qui D
eſt Deus benedictus in ſecula. Amen.
Ad Philip. 3. v. 10.
Ad Ro. 6. v. 20.

EXHORTATIO XX.

PRO FESTO OMNIVM SANCTORVM, ET PRO CONCEPTIONE B. VIRGINIS MARIÆ.

De modo quo Eccleſia triumphans & militans, ac ſancta anima, eſt tota pulchra, & ſine macula; & de immaculata Deiparæ conceptione.

VAdam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.

OVA & mira laus; dubium an epilogus ſit precedentium, an verò merces & præmium virtutum, quæ laudatæ ſunt. Nomen, *amica*, vel eam quæ laudatur deſignat, dicẽs; C
O amica mea, pulchra es tu, vel laudis cauſam; ac ſi dicat, tota es pulchra tu, quæ es amica mea: & quia amica, vel, vt Lxx. vertunt, *Proxima mea*: quod autem additur, *& macula non eſt in te*, perfectionem & integritatem pulchritudinis amplius explicat: macula enim importat defectum, aut deformitatem alicuius membri, vt cõſtat ex Leuitico, vbi dicitur, *Homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculas, non offeret panes Deo ſuo.* Quid autem maculam dicat, mox explicat, dicẽs, *Si cæcus fuerit, ſi clandus, ſi vel paruo, vel grandi, vel torto naſo*, &c. Et rurſus. *Immaculatum offeret, vt acceptabile ſit: omnis macula non erit in eo: ſi cæcum fuerit, ſi fractum, ſi cicatricem habens*, &c. Illud igitur vocatur immaculatũ, quod integrum eſt atque perfectum, quod Lxx. vocant, *irreprehenſibile*; & in quo non eſt reprehenſio, id eſt, aliquid defectuoſum reprehenſione dignum. Vide Ribera lib. 4. de templo c. 2. vbi optime. Leuit. 21. v. 17. Leuit. 22. v. 21.

De pulchra & immaculata Eccleſia triumphante. §. 1.

HINC prima & valdè communis apud Patres D. Hier. l. 3. aduerſus Pelag. D. Aug. 1. retract c. 11. & l. 2. c. 18. D. Bernar. ſerm 38. in Cant Beda hic & Nyſſ. ho 7. Apoc. 21. v. 10. iſtius encomij interpretatio de Eccleſia eſt triumphante, quæ veriſſimè tota eſt pulchra, & ſine macula, quia nihil coinquinatum introibit in illam, & omnes erunt ſicuti Angeli Dei, integri, perfecti, ſplendidi, & pulcherrimi. Dupliciter autem connectuntur hæc verba cum præcedẽtibus, iuxta duplicem expoſitionem de illis traditam. Primò ac ſi ſponſus dicat, *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*; mortem ſubeundo pro redemptione hominum, & aſcendendo per reſurrectionem in gloriam meam. Inde enim tibi plena & perfecta laus eueniet, vt de te dicatur, *Tota pulchra es, amica mea*, &c. vel verbum, *es*, de preſenti, ponitur iuxta morem Scripturæ pro futuro, ad indicandam euentus certitudinem; id eſt, tunc eris tota pulchra & ſine macula; & huic ſenſui quadrant verba Apoſtoli, dicentis, *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.* Ad Epheſ. 5. v. 25. Glorioſa erit, quando reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ, vel cùm manifeſtet gloriã ſuã clarè, ſicuti eſt in ſe; non habebit maculam, quia omni carebit culpa non ſolùm graui, ſed etiam leui, omnimodã habens mundi tiam, & puritatem; neque rugam, quia immutabilis erit in gratia & gloria, omninoq; incorruptibilis; nec vnquam ſeneſcet, aut veterabit, ſed in perpetuo iuuẽtutis vigore permanebit, ſecundùm mẽſuram ætatis plenitudinis Chriſti: vnde ibi neq; erit fames, aut ſitis, aut æſtus, aut aliquid huiuſmodi, quod maculam, aut rugam, aut imperfectionem aliquam in eo ſtatu efficiat, qui eſt omnium bonorum aggregatione perfectus. Cùm igitur Chriſtus Dominus poſt aſcẽſum in montem myrrhæ aſcendit in collem Libani, & in altum cæli captiuam ducens ſecum captiuitatem, iucundè dixit, *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in te*, quia iam à te abſtuliſti ſanguine meo omnem maculam & lachrymam, omneſque defectus, integramque tibi dedi pulchritudinem, vt mecum poſſis in cœlum aſcendere, & nuptias celebrare, vt ſicut ſponſus eſt immaculatus, ita immaculata etiam ſit & ſancta ipſa ſponſa. Ad Epheſ. 4. v. 13. Apoc. 7. v. 16. Vide dicta Exhortat. præcedenti §. 1.

Sed quoniam pulchritudo iſta omnimoda non tantùm ex virtute paſſionis Chriſti acquiritur, ſed etiam ex noſtra cooperatione cum ipſa per virtutes, quas mons myrrhæ & collis thuris repræſentant: idcirco aliter poſſumus hęc verba connectere, ac ſi ſponſus exhortetur ſponſam, vt ſecum vadat

ad mõtem mortificationis, & ad orationis collem; nam per hæc eò perueniet, vt tota pulchra sit, & sine macula. Vtraq; connexio clarius percipietur, si per mõtem myrrhę, & collem thuris, intelligamus cum D. Anselmo duos beatorũ cœtus, nępe Martyrum & Confessorum, ex quibus constat vniuersa Ecclesia triumphãs, quæ militauit in terris: ex quibus etiam coalescebat captiuitas illa, seu congregatio captiuorum, quam Christus secum deferebat in cœlum, qui præfigurabantur in eo quod dixit olim Iacob, *In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior*. Nam Christus Dominus paupẽr & inops sine alterius adiutorio in solo baculo crucis (vt ait D. Aug.) pertransiuit Iordanem mundi huius, & cum duabus turmis Sanctorum rediit ad Patrem cum triumpho. Martyres quidem in monte myrrhæ de suo sanguine coronas meruerunt purpureas; Confessores verò, in colle thuris & Libani, de sua innocentia & cordis munditia adepti sunt candidas. Cum his ergo duabus turmis ascendit Christus in Paradisum, qui sublimiori ratione mons est myrrhæ fragrantissimę, sine vlla tamen amaritudine propter Martyrum purpureum exercitum, & collis Libani; propter candidum Virginum, & Confessorum cœtum, qui omnes lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni immaculati, quem secuti sunt; cui ita placet huiusmodi congregatio, vt dicat ei, *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.*

Gen 32.v. 10.

D. August ser. 80. de tempore.

Quo modo Ecclesia militans, & sancta anima tota sit pulchra, & sine macula. §. 2.

D. Hier l. 8. in Ezech. D. Aug. l 1. retractat c 19. & c. 5 de Bapt. cõtra Donatistas, Theodoretus, D. Gregor. Diuus Anselmus, Beda, D. Ambr 1. de virginibus.

SED iam ad Ecclesiam militantem, & sanctam animam verba ista cum aliis Patribus accommodemus, vt textus ipse & laudum series exigere videtur, quasi epilogus sint præcedẽtium laudum; ac si sponsus diceret, *Quàm pulchra es, amica mea, oculi tui columbarum, capilli tui sicut greges tõsarum.* &c. & mihi es tanquã mons myrrhæ, & collis thuris vbi libenter immoror. Sed quid singulas partes laudo? præcipuas recẽsui, idem est de reliquis quas omisi, quia, *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te*: In omnibus statibus, gradibus, & ordinibus, quos comprehendis, pulchra es, & immaculata; non quod omnes & singuli fideles sancti sint, & sine macula, siquidem Ecclesia multos complectitur peccatores, vt constat ex iis quę diximus in id quod de ea sponsus ait, *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*: quod etiam ipsa de se cognoscit, dicens, *Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem.* Sed quoniam quidquid Ecclesia habet ex vi doctrinæ & legis euangelicæ, quam profitetur, pulchrum est, verum, sanctum, integrum & perfectum, in quo nulla est macula & defectus, nulla fæditas & imperfectio, nihilque erroris vel falsitatis, nihil peccati vel minimæ malitiæ, docet, iubet, consulit, aut approbat; & præterea in quolibet statu, gradu & ordine, sunt aliqui insignes & præclarissimi viri, quibus hoc encomium aptatur; ita vt nomen, *tota*, non referatur ad singulas omniũ statuum personas, sed ad singulos & omnes status, in quibus sint aliqui, vnde sancta denominetur & immaculata. Quod amplius cõstabit, si ad singulares animas hæc verba referamus, de quibus multipliciter possunt intelligi. Primò quidem, quando per lauacrum baptismi lotæ sunt iuxta verba Diui Pauli supra citata, cuius sacramenti virtute anima est gloriosa per splẽdorem gratiæ, sine macula per remissionem omnis peccati, tam originalis quam actualis, si habet illud sine ruga per denudationem ab operibus veteris Adam, & veteribus eius moribus, qui ducunt in senectutem, & interitum, iuxta illud eiusdem Apostoli, *Expoliãtes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum*. Deponunt etiam omnem rugam duplicitatis & fallaciæ, vt quasi modò geniti infantes sine dolo lac veræ doctrinę & sanctitatis cõcupiscant, & sugant. Hoc etiam aliquando præstat Pœnitentiæ sacramẽtum; nam tam vehemens potest esse contritio peccatorum, vt data absolutione tunc tẽporis maneat homo absque vlla macula & ruga. Quamuis enim septies in die cadat iustus, & in multis offendamus omnes, verum esse potest pro aliquo breui tẽporis spatio, *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te*. Quod sic explicat D: Gregor. Dum sancta anima à peccatis quotidianis se per pœnitentiam mũdat, dum quotidie peccata minuta cum lachrymis abluit, & à maioribus se obseruat; quamuis frequenter peccet, per assiduam tamen pœnitentiam munditiam suam assiduè seruat. Hinc enim alibi præcipitur, *Omni tempore sint vestimenta tua candida*; & illud, *iustus ex fide viuit*: quamuis enim mox vt peccat, à iustitia deuiet; tamen dum semper credit in eum qui iustificat impium, & assiduè sub eius fide peccata sua deflet, per assiduas ablutiones iustitiam suam retinet.

Ad Col. 3. v. 9

1. Per. 2. v. 2.

In hunc locum.

Eccl. 9. v. 8

Ad Ro. 1. v. 17.

2.

Sed præcellentius hoc obtinetur per ascẽsum in montem myrrhæ, & collem thuris; nam cùm duplex sit iustitiæ & sanctitatis pars, de qua Dauid, *Declina à malo, & fac bonum*: & rursus, *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam*, quæ duo priuationem omnis mali, & ornatũ omnis boni comprehendũt; illam in mõte myrrhæ per iugem mortificationem, hunc in colle thuris vel Libani per orationem, & opera diuini cultus consequimur, ex vtroque fit anima pulchra, sine macula & ruga, vel aliquo huiusmodi sancta & immaculata. Hinc est, huiusmodi ascensus ad triplicem destinari munditiæ gradum, per quem anima est omnino immaculata. Primus est carere peccato lethifero, quod macula vocatur, quia diuinæ gratiæ splendore priuat, & hic omnibus est necessarius, acquiriturque per diuinorum mandatorum obseruantiam: vnde in Deuteronomio, vniuerso populo dicitur, *Perfectus eris, & absque macula*: vt autem D. Ioannes ait, *Qui seruat verbũ eius, in hoc charitas Dei perfecta est*. Secũdus gradus est carere etiã peccato veniali, quod ex electione & certa scientia perpetratur. Quod crediderim viris perfectis esse facile, etsi alia, quæ ex inaduertentia & surreptione fiunt, vix euadere possint; de quibus dicitur, *In multis offendimus omnes*: culpæ verò huiusmodi, etsi leues, quia scienter fiunt, & animæ adhærent, magnam indicant charitatis tepiditatem, cum ruẽdi periculo; nam de illis dicitur, *Qui spernit modica, paulatim decidet*. Ideò meritò comparantur rugis, quę signum sunt hominis senescentis, aut macilenti, cuius cutis in plicas contrahitur, cum antea esset læuis, & plana; sic qui in spiritus feruore tepescit, rugas huiusmodi contrahit, quæ splendorem gratiæ deturpant, & paulatim in eius interitum deducent. Tertius munditiei gradus est, carere non solùm culpa, sed etiam imperfectione, quam iuxta proprium statum decens erat præcauere. Quomodo Religiosi, quorum regulæ ad culpam non obligant, cùm eas transgrediuntur, imperfectionem committunt, quæ proprij status decorem & splendorem obnubilat, & hos defectus insinuat Apostolus, cùm ait, *Non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi*: nam huiusmodi imperfectiones similitudinẽ nonnullam habent cum macula & ruga, & ad eas contrahẽdas non parum disponunt. Cuncta igitur hæc

Deut. 18. v. 13.

2. Ioa. 2. v. 5.

Iac. 3. v. 2.

Pſ. 56. v. 27. & Pſ. 14. v. 2.

Eccl. 19. v. 1.

1.

Ad Ephes. 5. v. 25. De hoc etiã 1. 2. Exhort. 20. §. 4.

cõprehendit dictio illa, *Et macula non est in te*; quod ad breue tempus iuxta dicta iustis cõuenire potest.

3.

Sed quod dicitur *Tota pulchra*, id est, integra & perfecta, alium triplicem gradũ includit, vt trium Patrum Catena indicat, nimirum carne, anima, & mẽte, pulchra, sancta, & immaculata; de quo Apostolus inquit, *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur*. Pulcher corpore est, quicumque per temperantiam & cõtinentiam corpus suum ornat, carnemq; spiritui subiicit, & modestè omnes eius motus componit: pulcher verò animâ, qui omnes appetitus sentientis concupiscentias infrenat, vt nihil intus sit quod eam maculet, & perturbet. Pulcher autem spiritu dicitur, cùm mens omnes actus & cogitationes rectè ordinat, & tota se in Deum conuertit, cuiusmodi est, *Virgo & innupta cogitans quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu*: & quicumque adhærens Deo, ait, *Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram?* Pro eo autẽ breui tempore, quo omnibus temporalibus spretis Deo per sublimem contẽplationem, & feruentem amorem vacat, verè dicitur anima tota pulchra, & sine macula; quod magis exprimit nomen quo Lxx. vtuntur, *Tota pulchra es proxima mea, & reprehensio non est in te*. Proxima amplius insinuat quã amica, quæ scilicet nimis propinqua per actualẽ cognitionem & amorem est ipsi: vnde fit quod ait Psalmista, *Accedite ad Deum, & illuminamini, & facies vestræ non confundẽtur*: qui ita ad Deũ approximãtur, sunt lucidi & splẽdidi, facieq; eorum decoræ, in quibus nihil tunc sit reprehensione dignũ. Ignis enim diuini amoris illud consumit, & totam animam ignitã & splendentem reddit: quod D. Ambrosius virginibus aptans, sic amplificat; Pulchritudinem verò quis potest maiorem existimare decore eius quæ amatur à rege, probatur à iudice, dicatur Domino, consecratur Deo, semper sponsa, semper innupta, vt nec amor finem habeat, nec dãnum pudor? Hęc profecto vera pulchritudo est, cui nihil deest, quæ sola meretur audire à Domino, *Tota es formosa proxima mea, & reprehensiõ non est in te.*

1 ad Theſſ. 5. v. 23.

Pſal. 33. v. 6.

Lib. 1. de virginibus.

Quomodo Beata Deipara semper fuerit tota pulchra, & sine macula, etiam culpæ originalis. §. 3.

HINC ad beatissimam Deiparam gradum faciamus, vt eius purissimam & immaculatam conceptionem cõfirmemus, suppositis quæ affatim in libro primo de hoc puncto dicta sunt. Nunc autem solùm perpendemus quæ ex hoc encomio deducuntur, quod singulari quadam ratione in eam quadrat; quoniam à primo suæ cõceptionis instanti, vsq; ad finem vitæ verissimè de illa spõsus dixit, *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te*; vt quod de quibusdam iustis pro aliquo tẽporis breui spatio dicitur, hoc in gloriosissima Virgine semper fuisse intelligatur. Eo quod singulari priuilegio nunquam inuenta est in ea macula peccati originalis, nec actualis quantumuis minimi, nec vlla ruga, aut imperfectio; sed semper fuerit amica, semper proxima, semper pulchra, sẽper immaculata, semper deniq; omniex parte integra, & perfecta. Nam ex dilectione Christi erga spõsam Ecclesiã, & ex efficacia mortis eius ad sanctificandum, deducit D. Paulus dona quæ contulit sponsæ suæ: Cùm igitur Dei filius plus dilexerit matrẽ suam quam reliqua membra Ecclesiæ, excellentiorem q; cum ea vnionem habere decreuerit, non tantùm vt sponsi cum sponsa, sed vt filij cum matre ex ea geniti, & in vtero baiulante illum, iuxta id quod D. August. Virginem alloquens ait, Te ipse rex regum, vt matrem veram, & decoram spõsam præ omnibus diligens, amoris amplexu sibi associat. Consequens est vt nobiliori modo sanctificauerit illam; non quidem mundans eam à peccato post lapsum, sed præseruans, ne laberetur, conferens munditiam quæ maculam impediret. Hoc enim & efficax Christi passio facilè poterat, & dignitas filij ac matris exigebat, vt filius exhiberet sibi matrem gloriosam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt semper esset sancta & immaculata.

Supra etiã Exhor. 15. de hoc actũ est.

Ad Ephes. 5. v. 25.

Refert D. Bonau. in spec. Virg. c 6.

Decebat enim, vt Christus summam quam habebat potestatem sanctificandi animas, summo modo erga matrem ostẽderet, cui alia insignia priuilegia hac de causa contulit. Quod ipsa Virgo diuino afflata spiritu de se cecinit, dicẽs, *Quia fecit mihi magna qui potens est*; non ait, qui iustus est, aut bonus, vel sapiens, sed qui per excellentiam potẽs, & omnipotẽns nomen eius, qui suam erga me exerere voluit omnipotẽtię virtutem; faciens mihi magna, id est magnifica, eiusque omniporentia digna conferens dona. Inter hæc autem primatum tenet donum gratiæ sanctificantis, de quo D. Petrus ait, *Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt diuinæ efficiamur consortes naturæ*. In collatione ergo huius magni doni ostendit Deus potentiam suam, donans illud matri præcellentiori modo & vberiori, quàm omnibus aliis; vt sicut ipsa Deum fecit humanæ consortem naturæ, ita Deus creauerit illam suæ naturæ diuinæ consortem, omnis maculæ expertem. Propter quod Angelus singulariter dixit, *Aue gratia plena*, subsituens hoc vice nominis proprij, vt significaret per quandam antonomasiam Virginem ab aliis secerni, quia *gratia plena*. Hoc autem idem est quod *Tota pulchra es, amica mea*; nam gratia pulchritudo est animæ, & amicitia eius cum Deo: cur ergo tota es pulchra, nisi quia (teste D. Hieronymo, eius verbis nonnihil addendo) cæteris per partes gratia & pulchritudo præstatur; Mariæ verò tota simul se infudit gratiæ, & pulchritudinis plenitudo; sed quãdo cœpit esse gratia plena, & tota pulchra? profecto quando cœpit esse; quod ipsa Angelica salutatio indicat, dum nullum exprimit verbum, est, fuit, vel *erit*, orationem connectens, vt significaret omni tempore fuisse, esse, & fore gratia plenam, & Dominum cum illa, etsi nouo modo mox foret cum ea.

Lib. 1. de virginibus.

Lu. 1. v. 49.

2.

2. Pet 1. v. 4

Lu. 1. v. 24.

Ser. de Assumpt. to 2.

Idem confirmat sequens Angeli sententia, *Inuenisti gratiam apud Deum*. Cæteri Sancti inuenerũt gratiam postquam perdiderant illam, quando in peccatis cõcepti sunt. Quidam verò præ aliis citius inuenerunt, sicut Ieremias, & Baptista, qui in materno vtero sanctificati sunt: at Deipara non dicitur inuenisse gratiam qua caruerit, sed quam simul cum natura de nouo recepit. Hanc ergo inuenit gratiam, vt ab omni labe & macula sit præseruata, quia & hoc qui potens est potuit efficere, & huiusmodi magnalia decebat eum matri suæ conferre. Si homo potens plures habens seruos, quorum filij iure ipso nascituri sunt eidem seruituri subiecti, donare potest libertatem ei qui tali tempore nasceretur; ita vt tunc conceptus, natusque non seruus, sed liber existat; quidni hoc possit multo magis ille qui omnipotens est, vt quæ merito præuaricatoris Adam nascitura erat peccato maculata, eius gratia prodiret à peccato libera, & ei grata? De ipso enim Domino canit Ecclesia, *Deus qui omnipotentiam tuam parcẽdo maximè & miserando manifestas*. Ma-

3.

nifestauit quidem eam cum Adam & omnibus A qui in ipso peccarunt, & peccati eius labe sunt infecti, misericorditer parcit, & à peccato mundat. Oportebat autem vt hanc omnipotẽtiam erga matrem suam eiusdem Adæ filiam, alio modo supermaximo manifestaret, impediendo culpam quam parcere debuisset: nobilior enim modus miserationis iste est, & multo præcellentius omnipotentiæ signum vnicæ Deiparæ reseruatum, cui fecit magnalia qui potens est.

4. Deinde ex tribus magnalibus, quæ de Deipara prædicantur in hoc encomio, *Tota pulchra & sine macula*, in corpore, in anima, & in spiritu, duo priora, ab instanti conceptionis habuit; cur ergo non tertium? quod sic deduco: in corpore omnes fatemur semper integritatem ac virginalem pulchritudinem conseruasse, etsi filium concipere & parere; virtute Altissimi obumbrante illam; & insuper integrum perpetuò manisse post B mortem, vt nulli corruptioni subiectum, nec in cineres sit reuersum, quia ex eo caro Christi desumpta est. Oportebat autem, inquit D. Augustinus, vt sancta Christi caro, non solùm in seipsa non videret corruptionem, sed nec etiam in carne matris suæ; nam caro Christi caro Mariæ est, & quasi vna caro reputantur. Multo ergo magis oportebat, vt etiã caro illa non coniungeretur animæ corruptione peccati infectæ, vnde maiorem sine dubio ignominiam contrahebat, maiusque dedecus in filium redundaret, quanto peior est culpa, quam pœna; reuersio enim in puluerem pœna est originalis culpæ.

Lib. de Assumpt. beatæ Mariæ c. 9.

Præterea omnes etiam fatemur Deiparam totam pulchram, integram, & perfectam semper fuisse in anima, quæ nullos in parte sentiente defectus ex peccato originis prouenientes experta est: nunquam eam vexauit peccati fomes, nunquam caro C cõcupiuit aduersus spiritum, nunquã appetituum motus rationem eius præuenerunt, & turbarunt; sed semper magna fuit intus concordia, magnusque omnium appetituum eius cum ratione consensus, vt præ omnibus Deipara homini suo exteriori, seu inferiori portioni dixerit, *Tu vero homo vnanimis dux meus, & notus meus, in domo Dei ambulauimus cum consensu.* Cùm igitur dona Dei sint perfecta, qui matri contulit vt effectibus peccati originalis careret, multo magis contulisse dicendum est, vt ipso nunquam maculata fuerit; quia hoc optabilius ei erat, ne vel ad momentum temporis Dei diceretur inimica, & ab eo esset elongata, quæ per quandam antonomasiam amica & proxima nuncupatur. Fuit ergo tota pulchra etiam spiritu & mente, quam nulla infecit labes, semper ornauit gratia, & intima cum Deo ipso amicitia.

Pſ. 54. v. 14.

5. Sed quoniam negari non potest, Deiparam habuisse debitum contrahendi maculam, à qua præseruata est, & redempta, illud tantùm debitum tribuendum est illi, quod minus est & longius distat à macula, & tam matri quam filio est honorificentius. Est autem duplex debitum, radicale scilicet & actuale; actuale voco, si intelligas beatam Virginem sicut reliquos Adæ posteros in eius voluntate, cùm peccauit, fuisse contentam: vnde actus ille peccati, sicut imputatus est posteris, quia omnes in Adam peccauerunt, ita imputatus est Virgini, quæ tunc in Adam peccauit, etsi priuilegio speciali cùm imprimenda illi erat peccati macula in ipsa conceptione, tunc per gratiam est sanctificata, & præseruata; & hic est communior explicandi modus. Debitum autem radicale sic intellige, vt misericors

Deiparam tãtum contraxisse debitum peccati radicale, non actuale.

Deus, ab æterno decreuerit in voluntate Adæ, si peccasset, omnes posteros contineri, excepta Virgine, quam elegerat in matrem filij sui, quamque ob merita eiusdem filij ex ea nascituri, voluit in ea volũtate Adæ ad prædictũ effectum non cõtineri; ideoq; in eo non peccauit; peccasset tamen nisi ob Christi merita excepta esset: & hoc sat est vt redempta dicatur, & liberata ab omni contagione per ipsum; vt eleganter deducit Diuus Augustinus ex illo Psalmi, *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*; quod ibi optimis confirmat similitudinibus: & hac ratione gloriosius vocatur tota pulchra, & sine macula, quia longissimè distauit ab illa, nec maior sub Christo distantia potuit excogitari. Hæc attigisse sufficiat Theologis scholasticis longiorem disputationem, confirmationemque relinquendo.

In Pſ. 85. v. 13.

6. Fauet autem huic interpretationi insigne illud vaticinium Dei loquentis cum serpente, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Obseruat autem Rupertus Deum consultò hæc verba direxisse ad serpentem, & non ad mulierem, dicendo ei; inimicitias ponam inter te & serpentem, & tu conteres caput illius; vt significaret, non ad ipsam Euam, sed ad alteram eiusdem sexus personam, videlicet ad beatam Virginem intendisse, quæ per filium, quem paritura erat, diaboli cõtereret potestatem; ac si diceret serpenti; tu vicisti hanc mulierem, & semen eius; ego tamen ab hac tua victoria excepi, & præseruaui mihi mulierem, quæ per semen suum conteret te, & inimicitias tecum semper geret. Obseruat etiam idem Rupertus, inimicitias inter mulierem & serpentem in ipsa natura fundari, & quasi delineatas esse; nam comperisse se inquit ex fida relatione eorum, qui per industriam explorauerũt, si nuda mulieris planta dentem serpentis præuenerit, & viuacissimum caput eus, vel leuiter presserit, statim totum cum capite corpus repentè interire, ita vt nullus omnino motus, nullus sensus in aliqua parte resíduus sit. Quod nec malleis, aut vectibus, nec gladiis concidentibus corpus citò, aut leuiter effici potest. Siquidem excisum caput cum duobus, aut tribus digitulis viuere, & abire perhibetur: è contrario ille quamlibet exiguus sit, si vel extremæ plantulæ dentulum infixerit, occidit, morsu namque infusa pestis per venas vegetatione corporis aucta, discurrit, animamque eximit. Sic ille. Quod beatissimæ Deiparæ optimè aptatur. Venenatus enim diaboli dens cæteras præuenit mulieres Euæ filias, mordet, ac veneno originalis peccati inficit, quod per vniuersas animæ facultates diffunditur, & spiritalem illis mortem infert. At sola Deipara singulari priuilegio hunc diaboli dentem præuenit, & in primo suæ conceptionis instanti, antequam serpens eam mordere posset, per excellentem gratiam diuinitus sibi infusam, caput eius, quod est peccatum originis, contriuit; ita vt nullus peccati motus, aut sensus in eius potentiis manserit, eo quod foret mater Redemptoris, per quem sufficientissimè pro omnibus hominibus conterendum erat. Contra diabolum autem, quandiu hoc eius caput integrum manet, non malleus, nec gladius prævalere potest, quia *Non est potestas super terram quæ comparetur ei.* Sola autem Christi gratia, quæ ab omnibus morticinis affectibus est nuda, eum conterit, & vires eius dissipat, quam Maria mater gratiæ nobis impetrare valet.

Gen. 3. v. 15.

Lib. 2. de v. ctor. Verbi Dei c. 16.

" Lib. 3. de " Trinit. c. " 20.

Iob 41. v. 24.

Confirmatur

Confirmatur amplius hoc Virginis priuilegium.

§. 4.

7. CONFIRMEMVS amplius hoc Virginis priuilegium, duo præcedentia encomia connectendo, *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris; tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* Secunda sententia expositio est primæ, etsi ordine inuerso, qui in hoc cantico aliquando obseruatur; sicut cùm dixit sponsus, *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis*, & à posteriori inchoans, prosequitur, *Vox enim tua dulcis, & facies tua decora*; sic *tota pulchra*, refertur ad collem Libani, *sine macula* verò ad montem myrrhæ. Quis ergo est mons myrrhæ, & collis thuris, seu Libani, nisi sublimissima Virgo Maria, ad quam filius Dei vadere decreuit, cùm ex ea carnem desumere destinauit? Oportebat autem Dei filium dignum sibi B præparare habitaculum, in cuius vtero homo factus commoraretur, quod omnis maculæ expers esse debuit, quia *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*: nec sat erat macula carere, sed sublimissima fulgere sanctitate; propter vtrumque Virgo tota pulchra, & sine macula, ac sublimis mons & collis nuncupatur, *Erit*, inquit Isaias, *in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super omnes colles.* Et quamuis locus iste ad literam de Christo Domino intelligatur, tamen ob eius intimam cum matre sua vnionem, ei etiam solet accommodari; Mons (inquit D. Gregorius) in vertice montium Dei genitrix fuit, quia " altitudo Mariæ super omnes Sanctos refulsit: an " non mons sublimis, quæ, vt conceptionem æterni " Verbi pertingeret, meritorum verticem supra om- " nes Angelorum choros vsque ad solium deitatis C " erexit? Præparatus autem dicitur mons iste ab ipso Deo; nam ab æterno electus, & in tempore creatus ea puritate & sublimitate, quæ decebat eum qui in ipso habitare decreuerat, vt verè esset *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons in quo beneplacitus est Deo habitare in eo.* Et quis hic mons, nisi mons myrrhæ, quæ puritatis & incorruptionis est symbolum? Præparata ergo est Virgo Maria ab initio cõceptionis suæ, vt esset quidam mons myrrhæ incorruptus & immaculatus, omnis corruptionis & maculæ, tam corporis quàm animæ, omnino expers: nam, *Incorruptio facit esse proximum Deo.* Omnimodam ergo omni tempore debuit habere incorruptionem, quæ summè fuit proxima Deo; de qua ipse sponsus inquit, *Tota pulchra es proxima mea, & reprehensio non est in te.* Quomodo enim quæ ita est proxima, potuit aliquando esse D corrupta & maculata?

Sap. 1. v. 4.

Isa. 2. v. 2.

In 1. Reg. c. 2.

Pſ. 67. v. 16.

Sap. 6. v. 1.

8. Sed amplius hæc extollitur, cùm vocatur *Collis Libani vel thuris*; quia in ea præparatione sublimem recepit candorem, & sanctitatem diuinã redolentem naturam, quæ per thus significatur; ita enim se Deo tradidit, vt sicut ferrum ignitum, non ferrum, sed ignis apparet; sic deificata videretur, vt meritò etiam mons Dei, & collis Dei dicatur; id est, ita sublimis & Deo similis, vt appareat quid esse Dei: vnde cum ipse Christus sol iustitiæ vocetur, posuisse tamen dicitur, *In sole tabernaculum suum*; id est, in Virgine eius genitrice (vt D. Thom. interpretatur) quæ ob eius splẽdorem & eximiam ex priuilegio sibi ingenitam lucem, & gratiam ipsi Christo valdè persimilẽ, sol meruit nuncupari: decebat enim vt sol generaret solem; sol semper lucidus, solem, qui author est totius lucis: in hoc sole posuit tabernaculum, vt ibi suam manifestaret omnipotentiam, sapientiam, & virtutem. Quomodo autem melius manifestaret quam eam splendidam faciens instar solis, qui nec vllo temporis momento luce careret, vt qui futurus erat in ea tanquam filius, semper esset cum illa tanquam pater & sponsus.

Pſ. 12. v. 6.

3. p. q. 27 ar. 2.

9. Diximus supra Christum Dominum fuisse velut montem myrrhę propter naturam humanam mortalem, collem verò thuris propter diuinã impatibilem. Quis ergo ei similior, quàm mater eius, quæ ita humanis diuina coniunxit, vt (sicut D. Dionys. Areopagita dicebat) nisi fides corrigeret, putaret eam non creaturam, sed Deum creaturæ hypostaticè vnitum? Conflata est eius vita ex prosperis & aduersis; in aduersis fuit mons myrrhæ maximus & copiosissimus; omnes enim coaceruauit in se amaritudines, quæ Christum in passione sua vexauerunt, & Ecclesiam nouellam Apostolorũ & fidelium, dum à ludæis & gentibus dirè infectabatur; in eis autem perferendis tam diuina effulsit patientia, vt alter Christus videretur: in prosperis autem, vt sublimissimus fuit collis thuris, & Libani, quidquid enim exterius agebat, quidquid recipiebat, quicquid micabat in illa, diuinitatis imaginem referebat: nam licet pura esset creatura, tota tamen stupendo quodam modo erat à deitate possessa, velut ferrum candens intra accensam fornacem, aut velut spongia intra immensam aquam immersa, cuius nihil videtur nisi ignis, aut aqua.

Refert Dionysius Carthusian. in c. 3. de diuinis nom. Idem Vbertinus lib. de vita Saluatoris, hoc modo intelligo hyperbaton B Dionysij.

Quid ergo est quod cœlestis inquit sponsus, *Vadam mihi ad montem myrrhæ, & ad collem Libani*, nisi sponte, & magna cum voluntate, vadam ad Virginem Mariam, quæ mons est, & collis omnibus C fragrans, & abundans virtutibus, quæ circa humana perficiunt, & diuina, ac totam illam reddunt pulchram, ac sine vlla macula? Vadam, inquam, ad illam, vt ex ea carnem assumam, quam meæ diuinitati coniungam, quoniam in hoc monte & colle iucundum mihi elegi tabernaculũ; & quicumq; me, virtutumque fragrantia aromata quæsierit, in eodem monte & colle sibi inueniet ea. Gratias ergo agamus omnipotenti Deo, cuius benignitate beatissima Virgo non solùm sibi, sed etiam nobis facta est mons myrrhæ, & collis thuris, vt tanquam pia aduocata, & nostræ salutis cum Christo cooperatrix, naturæ corruptæ languoribus mederetur, & suis precibus incorruptionem nobis & salutem sempiternam imploraret. Sicut enim Deus omnipotentiam suam volens ostendere, naturam assumpsit humanam, vt per eandem fragilem naturam, quam sibi diabolus subiugauerat, eum vinceret, & mortem crucis elegit, vt qui in ligno vicerat, in ligno quoque vinceretur; ita etiam aliam fœminam huius victoriæ sibi elegit consortem, vt per eam destrueret peccatum, quod diabolus per mulierem introduxerat in vniuersum mundum, vt quos Eua corruperat, Maria à corruptione liberaret.

Sicut ergo ad montem myrrhæ & collem thuris accurrunt horum aromatum cupidi, vt ea sibi affluenter metant; sic nos ad gloriosissimam Deiparam confugiamus, cuius meritis eas virtutes impetrabimus, quæ per myrrham & thus designantur, vt tandem vndiq; pulchri & immaculati, ad æternam gloriam perueniamus, quam ipse Deus præstare nobis dignetur in sæcula sæculorum. Amen.

EXHORTATIO XXI.

De duplici vocatione ad maiores in via ſpiritus progreſſus, & ad promulgandum Euangelium; & de coronatione eorum qui ei obſequuntur.

Verſ. 8. Veni de Libano, ſponſa mea, veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, &c.

INSIGNEM ſponſæ vocationem continent verba iſta; inuitat eam ſponſus ad commigrandum à loco in locum, vt coronetur: deſignat locum vnde diſcedere debeat, ſed non exprimit locum quo veniat, ſed tãtùm ait, *veni*; fortè quia ita expedit, vt fidem eius probet; ſicut cum Abrahamo dixit, *Egredere de*
Gen 12. v.1. *terra tua, de cognatione tua, & de domo patris tui, &* B *veni in terram quam monſtrauero tibi*: vnde, teſte D. Paulo, *Fide egreſſus eſt neſciens quo iret*: at ſponſam
Ad Hebr. 11.v.8. inuitat vt veniat ſecũ; iuxta vocem enim Hebręam ſic legi poteſt, *Mecum de Libano, ſponſa mea, mecum de Libano venias*. Sed quæ cum ſponſo tendit, non indiget ſcire quo tendat, ſecura it, quò ipſe vadit.
Ita Legionenſis. Quidam putant vocari, vt veniat ad montes Amara, Sanir & Hermon, vt ibi coronetur; vel, vt alij vertunt, vt inde aſpiciat terræ amœnitatem, & fœcunditatem, ſed vix hoc quadrat cum ipſa loquendi phraſi; & maximè cum eo quod ſequitur, *De cubilibus draconum, & de montibus pardorum*. Certum autem eſt non loqui de montibus corporalibus, qui valdè inter ſe diſtabant, ſed per illos alia myſtica loca deſcribit. Poſſunt autem hi montes, & in bonum & in malum vſurpari, quod frequens eſt in Scriptura; de illis autem, & de loco, ad quem migrare inſinuat, mox dicemus. Sat ſit nunc in genere triplicem hîc vocationem ſignificari. Prima
Triplex vocatio. eſt ad maiores in virtutibus progreſſus: deinde ad prædicationem, & conuerſionem ſiue infidelium ad fidem, ſiue aliorum peccatorum ad gratiam; & tãdem ad recipiendum vltimum præmium, & coronam gloriæ. In ſingulis autem vocationibus ter dicitur, *veni*, ad exprimendum ingentem vocantis affectum. Trina enim illa eiuſdem vocis repetitio, indicat ſponſum vehementer deſiderare, vt anima ſecum, & ad ſe veniat, ac coronam, ad quam ipſam vocat, recipiat. Superiùs trino vocabulo vocauerat, dicens, *Surge, propera, & veni*; modò verò non iubet quod ſurgat, vel properet, ſed tantùm quod veniat: in eo autem quod ter repetit, celeritatem etiam veniẽdi indicat; idem enim eſt dicere, *veni, veni, veni*, ac citiſſimè veni, nihil moreris, propera quantum potes, vt vehementi deſiderio D vocãtis reſpõdeat celerrimus obedientis egreſſus.
Quarta vocatio ad cõuerſionem gentium. Scio nonnullos hæc verba referre ad Eccleſiam primitiuam Chriſti nondum cõgregatam, ſed congregandam, quę vocatur ſponſa, eo genere locutionis, quo D. Ioannes vocauit filios Dei omnes electos per vniuerſum mundũ diſperſos, qui congregãdi erant in vnum Chriſti ouile, quod eſt Eccleſia.
Ioan.11.v.52. Illam ergo cõgregationem adhuc infidelem (vt ait
Lib.4.cõtra Marcionẽ c.14. Tertullianus) inuitat ſpõſus, vt relicta idololatria, quæ per Libanũ ſignificatur, cõuertatur ad fidem.
In hunc locum. Theodoretus verò addit non ſolùm inuitari congregationem Gentilium ex idololatriæ Libano, ſed etiam cœtum Iudęorum, qui adhuc erãt increduli, & per montem Sanir, & Hermon ſignificãtur; quoniam Sanir eſt lucernæ via, & lex eſt lucerna: Hermon verò proximus eſt mõti Sion, vbi legis præceA pta ſunt data, iuxta illud, *Sicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion*: vnde & leonũ cubicula vocat audaciſſimos, & ſęuiſſimos Iudæos; mõtes verò pardorum Gẽtilium ſapientes, qui argumentorum artificio falſitatem contegentes, ſimplices decipiebant. Hos ergo omnes inuitat ſpõſus, vt relicta perfidia ad fidem veniant, & Eccleſię ſuæ aggregentur, fiantq; cum illa vnus grex, vnaq; ſponſa, vt impleatur quod Iſaias vaticinatus erat, cũ dixit, *Hab-*
Iſa.11.v.6. *itabit lupus cum agno, & pardus cũ hœdo accubabit; vitulus & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos*. Impletum eſt autem cum Apoſtolis prędicãtibus Euangelium Chriſti, qui eius erant agni & oues; aggregati ſunt multi Iudæorũ & Gẽtilium, qui antea erãt quaſi leones & pardi, ſed pacificè conuerſabantur cum illis in vna fide, lege, &
Matt.2. charitate; & ideò ſubdit, *Non nocebunt, & non occident in vniuerſo monte ſancto meo, quia repleta eſt terra ſcientia Domini*. Ante cõuerſionem quidem nocebant, at poſtea nulli nocebũt, ſed potius proderẽt curabunt. Vnde cõſequenter hic etiam deſcribitur vocatio trium Magorum ad adorãdum Chriſtum, quibus, quia tres erant, ter dicitur *veni*; & quia tres reges, de tribus montibus ſublimibus vocantur; & quia potẽtes & ſapientes inter Gentiles, de cubilibus leonum, & mõtibus pardorum exire iubentur. Vocantur autem ad coronam, id eſt, vt recipiant primitias fidei & gratiæ inter gentes. Multa autem quæ huic vocationi congruunt, in ſequentibus dicẽtur: nam aptior videtur interpretatio reliquorũ aliorum Patrum, vt hæc verba referamus ad ipſam Eccleſiam iam per baptiſmum loram & dealbatam, aut (quod in idem recidit) ad animam ſimili candore fulgentem, quam deinceps proſequemur.

C *De vocatione ad maiorem in virtutibus progreſſum.* §. 1.

I. DE vocatione ad maiorem in via ſpiritus progreſſum intelligũt prędicta verba D. Ambroſ. Nyſſ. & Catena trium Patrum. Etenim cum ſpõſus
Li. de Iſaac c.5. Ho 6. in Cant. dixiſſet, *Vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris*, tacitè ſponſam inuitans, vt ſecum eò vaderet, nunc mẽtem ſuam exprimit, dicẽs, *Veni de Libano, ſponſa mea, veni de Libano, veni*: ac ſi diceret, veni mecum ad montem myrrhæ, & ad collem thuris; etſi enim tota pulchra ſis, & macula non ſit in te, tamen quandiu viuis in hoc ſeculo, potes fieri pulchrior, & mundior, ab omni q; macula remotior, vt
Apoc.22.v.11. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc; & qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc*: & quãuis perfectus ſit, dicat oportet, *Non quod iam acceperim, aut perfectus ſim, ſe-*
Ad Phil.3. v.12. *quor autem ſi quo modo comprehenda*. Veni ergo mecum vſq; ad faſtigium montis myrrhæ, & ad vertícem collis thuris, vt omnes in ſupremo gradu apprehendas virtutes, tam quæ ad tui perfectã abnegationem, quam quæ ad Dei cultũ ſpectãt, & tunc eris omni ex parte perfecta, & tota pulchra, & ſine macula: ter autem dicit, *veni*, ad ſignificandũ non tãtùm celerem progreſſum, ſed triplicem, vt dicũt Caſſiodorus, & Beda, in cogitatione, locutione & operatione; vel, vt inſinuat D. Gregor. in fide, ſpe, & charitate, vel in virtutibus, quæ mentem perficiũt erga ſeipſum, & erga proximos, & erga Deum, de quibus dixit Michęas, *Indicabo tibi homo quid ſit*
Mich.6.v.8 *bonũ, & quid Dominus requirat à te, vtiq; facere iudicium, diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo*: ne autem ſe eſſe imbecillem cauſetur, ait, *Mecum de Libano veni*; id eſt, non ibis ſola, mecum venies, ego viam tuam dirigam, & vires, vt ad cacumen montis aſcendas, præbebo; ego itineris ero ſocius, conſolator, & protector.

2. Ait autem, *Veni de Libano*, qui dealbatio interA pretatur; & ſecundùm D. Gregor. Bedam, & alios, hic baptiſmũ repræſentat; niſi fortè quia bis repetit, *veni de Libano*, duplex inſinuet ſacramentum, ſeu lauacrum ad dealbandam animam, nempe baptiſmum, quo abluimur potiſſimè ab originali, & pœnitentiam qua ab actualibus poſt baptiſmum commiſſis iterum mundamur; vel de ea ſecundo loco loquitur munditia, quam præbet obſeruantia
Io 15 v.3. diuini verbi, iuxta illud, *Vos mundi eſtis, propter ſermonem quem locutus ſum vobis*. Et quia in his ſacramentis confertur prima gratia, qua ſpiritualis deſponſatio inchoatur, vocatur ſponſa, & inuitatur, vt veniat ad perficiendam amplius deſponſationem, ac maioremq; munditiam & ſanctitatem, ſponſalitia dignitate condignam, quam in monte myrrhæ, & in colle thuris, ſeu Libani conſequetur.
3. Allicit autem eam vt veniat, ſpe magni præmij, quod eſt vel ipſamet ſanctitatis perfectio, vel cuB mulus bonorum, quæ ſequũtur illam; & hoc ſignificat verbum, *coronaberis*; id eſt, ſi veneris, coronaberis; aut veni, vt coroneris, & maximas, etiam in hoc ſeculo, adipiſcaris coronas, ad verticem perfectionis peruenientes: qui enim ad faſtigium montis myrrhæ, & collis thuris aſcendũt, & in via Domini maximos progreſſus faciũt, etiam nunc coronantur; quia nunc recipiũt præmium, quod beatitudo inchoata nuncupatur, & nomen coronæ meretur; nam aſcendens Chriſtus in montem præcelſiores virtutes commendans, ſingulis ſuas adiunxit coronas, cùm dixit, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſo-*
Matt.5.v.2. *rum eſt regnum cælorum*, &c. Eccleſiaſticus ait, *Coro-*
Eccl 25.v.8 *na ſenum multa peritia, & gloria illorũ timor Domini*; ita corona hominis eſt perfecta virtus, per quam maximam conſequitur gloriam, & honorem etiam apud alios: vnde coronari etiã ſignificat vberrimis & præclariſſimis bonis cumulari, vt cum Dauid
Pſ.102.v.4. ait, *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus*;
Pſ.64. v.12. id eſt, innumeris bonis te cumulat, ac vndique cingit. Et iterum, *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*. Quod ſic vertit Chaldęus, *Coronabis annum bonitate benedictionis tuæ*; id eſt, copioſiſſimis cumulabis prouentibus. Quod ſequentia verba declarant, *Et campi tui replebuntur vbertate; pingueſcent ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur*. Quid ergo eſt, *veni, coronaberis*, niſi, veni & innumeris ac pretioſis & iocundis bonis repleberis? nam coronabo te in miſericordia, & miſerationibus.
4. Præterea cùm ait, *coronaberis*, periculi metum tollit, inſignes victorias promittens, ob quas dantur coronæ, & etiam inſinuat perſeuerãtię donum; nam tantùm *Qui perſeuauerit vſque in finem, ſal-*
Matt. 10.v. 22. *uus erit*; & quia *non coronabitur niſi qui legitimè cer-*
2.ad Tim.2. v.5. *tauerit*: dum ait coronaberis, etiam inſinuare vide- D tur quod legitimè certãbit, & victricis coronam accipiet. Simul igitur ad certamẽ inuitat, & ad coronam, nam etſi tota ſit pulchra, & ſine macula, adhuc eſt in militia; & aſcendentes in montẽ myrrhę, & collem thuris, plurimi hoſtes oppugnant, contra quos certandum eſt, vt ad faſtigium perueniatur.

Quo modo perfecta fides coronam profectus operetur. §.2.

SED quomodo hanc coronam accipiat, declarant ſequẽtia nomina, *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus draconũ, & montibus pardorum*: id eſt, coronaberis coronis ex floribus lectis de capite montis Amana, & de vertice mõtis Sanir, & Hermon (erat enim idem mons,
Deut.3 v.9. idem mons vocatur. ſed binomius aut biceps, quia duos habebat colliculos Sanir & Hermon dictos.) Nomina autem iſta myſticam habẽt ſignificationem earum virtutum, quarum actus ſunt velut flores, ex quibus texuntur C coronæ ſponſam Chriſti adornantes. Prima eſt, quę repræſentatur per *caput Amana*, quod interpretatur *fides*: nam per ingentem fidem, illam nimirum, quæ per dilectionem operatur, illuſtres conſequimur victorias, & coronas; ita vt exilla coronari dicamur, iuxta illud Apoſtoli, *Sancti per fi-*
Ad Hebr. 11.v.33. *dem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora leonum*, &c. *fortes facti ſunt in bello*. Quod D. Ioannes confirmat dicens, *Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mũdum,*
1.Io.15.v.4. *& hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra*. Fides vocatur victoria, quia per ipſam vincimus mundum, contemnendo proſpera eius, non timendo aduerſa, confundendo hæreticos, reſiſtendo tyrannis, & abnegando noſmetipſos, & omnes animæ proſternẽdo hoſtes: ſed quoniam fides indiget aliarum virtutum adiutorio, Lxx. myſterium hoc 2. aſpicientes, non vſi ſunt ſicut Vulgata Hebręo vocabulo, ſed quod ſignificabat tranſtulerunt in hũc modum, *Venies, pertranſibis à principio fidei à capite Sanir & Hermon*: id eſt, à principio fidei pertrãſibis vlterius ad charitatem, & altiorẽ in perfectionem: miſerum enim eſt in eodem ſtatu perfectionis, & in primis fidei elementis, velut pueros ſemper permanere. Oportet igitur pertranſire ad
Ad Hebr.5. v.12. ampliorem Dei cognitionẽ, & amorem quæ ipſam fidẽ perficiant; & ideò additur, à vertice Sanir, cuius interpretatio ſecũdùm Theodoretũ eſt *lucernæ via*; quod proprium eſt verbi Dei, de quo dicitur, In hunc lo- *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis* cum. Idem *meis*; quoniam eius meditatio, & perfecta cognitio Ambr. infra citandus. fidem illuſtrat, munit, corroborat, perficit, viamq; Pſal.118.v. oſtendit veritatis, & euangelicæ perfectionis, in 104. eamque deducit, & victoriam ac coronam parat. Sed cum Sanir iũgitur Hermon, quod interpretatur, *Conſecrare, vel in anathema deuouere*; & quia id C quod Deo conſecrabatur, mactabatur, aut cremabatur, inde etiam ſignificat necare, vel deuaſtare. Fides autem Dei verbo illuſtrata & munita, etiam Deo conſecrat, & deuouet tam nos quam omnia noſtra, vt in eius ſint obſequium conſecrata; anathematizans ac deuaſtans quidquid in eis eſt diuino obſequio aduerſum, vt in alios vſus deinceps non transferatur: & hoc modo glorioſas de omnibus vitiis victorias reportat, & coronas: & hoc eſt quod additur, *De cubilibus leonum, & montibus par-*
Ad Rom. 8. *dorum*. De iis enim etiam coronatur, quoniam dili- v.28. gentibus Deum omnia cooperantur in bonum; & 3. electis ipſa peccata, in quæ labuntur, multorum bonorum ſunt occaſio, dum per pœnitentiam delent, vincunt, & deuaſtant. Acquirunt enim profundiorem humilitatem, & timorem Dei, vehemẽs ſui odium, & iugem abnegationem, alioſq; inſignes virtutũ actus, ex quibus glorioſa illis texitur corona, de cubilibus leonũ, & montibus pardorũ; ſiue per hęc duo intelligas peccata manifeſta, quæ à ſuperbia vel ira promanant, ſiue alia occulta, quę ex hypocriſi & ſimulatione procedũt. Meminit autem ſpõſus in hac coronatione iſtarum ferarũ, ſicut notat Nyſſ. tũ vt ex memoria priſtini ſtatus ita peſſimi, maioresfaciat in perfectione progreſſus, & ſi- Hom.8. in cut exhibuit mẽbra ſua ſeruire iniquitati ad iniquitatẽ, ita vigilãtiùs faciat ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationẽ; tum verò, vt magis à peccatis priſtinis deterreatur, elongarique feſtinet, celeriter vocanti Chriſto annuens vt ad ipſum veniat, cui vnita, ab " Lib. de his feris erit ſecura. Cuncta hęc eleganter cõplecti- " Iſaac & tur D. Ambroſ. his verbis; Ipſe quoq; Dominus de- " anim.c.5. lectatus fide animæ huiuscõfeſſione gratiæ, & col- " laudatis eius meritis propius eam aduocat, dicens, "

Cant.

» *Ades huc à Libano sponsa, ades huc à Libano; transibis* A
» *& pertrãsibis à principio fidei, à capite Sanyr & Her-*
» *monium, à speluncis leonum, à montibus pardorũ*: hoc
Per hoc intelligit exuereaf fectus erga corpus & corpora lia. » est; Egredere de corpore, quoniã qui in carne sunt
» peregrinatur à Dei regno: Ades, inquit, ades, benè
» repetiuit, quia siue præsens, siue absens adesse, &
» placere Domino tu debes: adesto præsens, adesto
» absens; & si adhuc in corpore es, mihi enim omnes
» præsentes sunt, quorum fides mecum est: adest mi-
» hi qui exit de seculo; adest mihi qui me cogitat, me
» intuetur, de me sperat, cui ego portio sum: adest
» mihi qui abfuerit sibi; adest mihi, qui se negauerit:
» ille mecum est, qui intra se non est; quoniam qui in
» carne est, non est in spiritu: ille mecum est, qui ex
» seipso egreditur; ille iuxta me, qui extra se fuerit:
» ille mihi integer, qui propter se perdiderit ani-
» mam suam: & ideò ades desponsata, transibis, &
» pertransibis à principio fidei; transit, & pertransit
» ceteros, quæ ad Christum peruenit: trãsit fidei me- B
» rito, & operum claritate, quæ lucent sicut Sanyr,
» Hermonym; hoc est via lucernę: trãsit deuictis ten-
» tationibus seculi, & superatis nequitiis spiritalibus
» legitimè petẽs coronam certaminis. Hæc Ambros.

PRO EVANG. DOMINICÆ, infra OCTAV. CORPORIS CHRISTI. Vide Martinum del Rio hic.

Ne his à quibus recedere suadet diuina vocatio, maximè religiosos. §. 3.

SED amplius hæc explicemus, nomina horũ montium cum aliis Patribus in malum vsurpantes, à quibus sponsa auocatur, vt ad spõsum veniat, & in montem myrrhæ, & collem thuris cum eo vadat. Sunt autem hi tres montes ob contiguitatem quasi vnus famosior Libanus, cuius præcelsum quoddam iugum est Amana, vt liber Iosue indicat, & in Deuteronomio vocatur mõs Sanir, & Hermon, & rursus Hermon mons Sion. Libanus autem in Scriptura etiam significat non tãtùm idololatriam, sed superbiam vitæ, quæ humanum appetit splendorem, cui iunguntur (vt D. Ioannes ait) concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum: hic est Libanus de quo dicitur, *Cõfringet Dominus cedros Libani, & vidi impium superexaltatũ, & eleuatum super cedros Libani.* Hanc verò superbiam Libani tres alij mõtes comitantur, quos D. Bernardus vocat montem potestatis, sciẽtiæ, & voluptatis; caput Amana, qui (vt inquit Honorius) interpretatur excelsus, est mons potestatis, in quam omnes superbi ascendere concupiscunt, etiam vsque ad supremum caput, & fastigium mundanæ gloriæ, vt aliis dominentur, & ipsi nulli subiiciantur: in quem montem ascendit Angelus, & diabolus factus est: posteaque in hunc montem voluit adducere Christum Dominũ, cùm super montem ostendit ei omnia regna mundi, dicens, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Et benè ait, *cadens*, quoniam huc ascẽdere, cadere est, sicut cecidit ipse de cælo: nam, *Videbã*, inquit, *Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.* Sanir verò, qui est lucerna, mons est scientiæ, & concupiscẽtia oculorum, in quem diabolus traxit primos parentes, cùm eis dixit, *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum*; in eumque ascendunt curiosi ac superbi sæculi sapientes, appetentes scientiam, quæ inflat, reiicientes charitatem quæ ædificat, quia scientiàm quærunt dumtaxat curiositatis causa. Tertius autem mons voluptatis per Hermon significatur, qui amœnus & fertilis est carni, eiusque concupiscentiæ iucundus, vbi nec Loth cum filiabus est securus, qui euasit ebrius, & incestuosus; & ideò spiritui execrabilis est, & anathematizandus.

Huiusmodi autem montes per appositionem vocantur hic *Cubilia leonum*, id est, *dæmonum*: nam aduersarius noster diabolus tanquã leo rugiẽs circuit quærens quem deuoret, & in peccatoribus quasi in propriis speluncis cõquiescit. Vocatur etiam *Mõtes pardorum*, id est, vitiorum, quæ diuersis maculis corda coinquinant, & in illis tãquam in suis latibulis se abscondunt. Leones etiam aptè vocantur qui superbiam vitæ sequuntur, & montem potestatis ambiũt: pardi verò, qui auaritię & gulę, ac libidini seruiunt, & in amœnis montibus latibula quærũt.

Vocatur igitur sponsa vt veniat, & ter dicitur illi *veni*, vt à tribus iniquis mõtibus fugiat, & lõgè recedat, ne in illis pereat. Bis autem vocatur de Libano, quia potentiori indiget vocatione qui superbię vitio tenetur, & in mõte potestatis residet, aut quia duplex est superbia, quæ fugienda est, vel mũdana vel spiritualis; id est, vel circa res externas mundi, aut circa scientias & virtutes, de quibus etiam hypocritæ gloriam quęrunt. Ter etiam vocatur, vt efficacia vocationis designetur, quæ necessaria est, vt hic funiculus triplex rumpatur. Scimus enim tres homines vocatos ad cœnam magnã, venire noluisse, quia in tribus montibus supradictis ita libẽter versabãtur, vt inde recedere piguerit; qui dixit, *Eo videre villam*, in mõte erat scientiæ, cuius pascebatur visu, qui ait, *Eo probare quinque iuga boum*, mõtem potestatis exercere cupiebat; qui verò inquit *Vxorem duxi*, in monte iacebat voluptatis. His autem semel dixit *venite*, & quia restiterũt, dereliquit eos; at verò aliis, quorum magis misereri disposuit, bis & ter dicit, venite, vt efficaciter eos venire faciat; de quibus ait seruo suo, *compelle eos intrare*, non per violentiam, quæ voluntatem cogat, sed per importunam, imò opportunam & congruam vocationem, quæ suauiter alliciat, & fortiter suadeat, vt citò veniant, & omnia obstacula rumpant. Lu. 14. v. 18.

Benè autem additur *coronaberis*, nam, *Vir obediẽs loquetur victoriã*; & qui huic Dei vocationi obedit, & omnib⁹ relictis, ad ipsũ vadit, plures cõsequitur victorias, & coronas: coronatur enim quia omnem vicit concupiscentiam & superbiam; ac cuncta quæ apud homines collocantur in capite, ipse pedibus cõculcat, tanquã stercora, vt Christum lucrifaciat. Prou. 21. v. 28.

Hinc patet quàm aptè hæc verba intelligãtur de vocatione ad religionem, quam etiam per mõtem myrrhæ & collẽ thuris diximus significari. Huiusmodi enim vocatio hoc suadet animæ, quæ per baptismum lota est, vt si cupit esse perfecta, à tribus supradictis montibus longius recedat: nec tantùm propter hoc ter dicitur ei, *veni*, sed quia ad tria emittenda vota paupertatis, castitatis & obedientiæ inuitatur, ad triplicemq; renuntiationem, quæ diuitias, & carnis voluptates, propriam voluntatem, & libertatem abnegat, vt soli Deo, eiusq; obsequio continuò vacet; & tunc, inquit, *coronaberis*. Quid est coronaberis? *Habebis thesaurum in cœlo*, vel, *centuplum accipies, & vitam æternam possidebis.* Coronaberis in hoc seculo, præmium superabundantissimum accipiens, quod centies excedat cuncta; quæ possidebas, & postea in futuro æternã obtinebis remunerationem. Vt ergo diuinę vocationi obtemperes, diligenter cõtemplare, quis est qui te vocat nẽpe cælestis sponsus, quam vehementi affectu vocat, cùm ter dicit veni, quam sint periculosi montes, à quibus te recedere suadet, & quàm gloriosam coronam tibi promittit. Hoc insinuat versio illa, quæ dicit, *Aspicies à capite Amana, & à vertice Sanir & Hermon.* Quid aspicies super cæpita horũ montium mente & spiritu constituta? aspicies quæ sunt supra te, & quæ sunt infra te, aspicies terrena citò peritura, vt illa contẽnas; aspicies mundi pericula, vt illa caueas; aspicies antra leonum & pardorũ, vt ab illis fugias; aspicies cœlestia, vt illa desi- Matt. 29. v. 21. Marc. 10. v. 21.

deres; aspicies coronam, vt pro illa obtinenda cum A suum obire munus, quod est purgare, illuminare & perseuerantia certes: aspicies Christi exemplum, vt ipsum sequaris. perficere, docẽtes, vt inquit Paulus, omnem hominem in omni sapientia, & exhibentes eum perfectum in Christo Iesu; ter etiam dicitur, *veni*, vt D. Gregor. perpendit; quoniam ad conuersionem animarum iter capessendum est per fidem, spem & charitatem, quibus oportet doctorem maximè fulgere. Fide quidem, quoniam eam docturus est, & defensurus: spe autem in Deum, quoniam magnas passurus est contradictiones & persecutiones, quas nisi diuina spe munitus, superare nequibit: charitate autem, quoniam amor Christi & proximi vires præbet, & auget ad cuncta hæc præstanda; ideoque D. Petrus ter de dilectione interrogatus est, cùm ei est iniunctũ, vt Christi gregem pasceret.

Lu. 22. v. 25. Nolo vadere ad montem potestatis, quia ipse inquit, *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur; vos autem*
Mat. 20. v. 28. *non sic; sed qui maior est in vobis fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator; sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animã suam in redemptionem pro multis.* Christus fugit tẽporale regnum, & ego quæram regnũ? ipse maluit in hoc mundo subesse, quàm præesse, & ego eligam præesse potius quam subesse? sequitur hoc mundus, non Christus: ego autem non sequar mũdum errãtem,
Eccl. 3. v. 22. sed Christum illum corrigentem: nec etiam volo ascendere in mõtem scientiæ, quæ inflat, nec altiora me quærere, & fortiora me scrutari; quoniã scio
1. ad Cor. v. 19. scriptum esse, *Perdam sapiẽtiam sapientium, & prudentiã prudẽtium reprobabo: vbi sapiens? vbi scriba?*
Ex Isa. 29. v. 14. *vbi conquisitor huius seculi? nonne stultam fecit Deus*
1. ad Cor. 1. v. 17. & c. 2. v. 2. *sapientiam huius mundi.* Et iterum. *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes.* Nolo ergo aliquid aliud scire nisi Christum, & hunc crucifixum; & quæ mihi præcepit Deus cogitare semper, scientiamq; sanctorum discere, quæ me ad mõtem myrrhæ ducat. Renuoque ire ad nemine voluptatis, quia video Christum Dominum cõmorantem in monte Caluariæ & amaritudinis. Quomodo me
Sap. 2. v. 7. coronabo rosis, aspiciens illum coronatum spinis? nunquid implebo me vino pretioso videns illum potatum vino myrrhato, & cum felle mixto? quid mihi cum cubilibus leonum, & speluncis pardorum, qui factus sum ad cõmorandum in palatiis regni cœlorum? vbi Christus Dominus fuit in hoc
Io. 12. v. 26. & c. 17. v. 24 seculo, ibi ero: quo ille vadit, vadam ego; vt quo ille peruenit, peruenia & ego: nam ipse dixit, *Qui mihi ministrat, me sequatur, vbi ego sum, illic minister meus erit.* Et iterum. *Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecũ, vt videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi.* Illi ergo volo ministrare, illum cupio sequi, vt vbi ipse est modo, ego sim, & videam claritatem diuinitatis eius, & aspiciam clarissimam etiam humanitatem ipsius, ipseque mihi sit corona & gloria, ac felicitas sempiterna.

Act. 10. v. 11 & c. 11. v. 6. Hoc factũ est per sex.

Sed potissimè per hanc trinam repetitionem indicatur vehemẽs Christi desiderium nostrę salutis, & ardens affectus, quem ministros suos habere cupit erga illam, vt celeriter, prõptè, & feruenter hoc munus præstent, omnia impedimenta vincẽtes, nec vllas causantes excusationes. Quare eundem Petrũ Dominus exhortari volens, vt ad conuersionem Gentilium se reciperet, ostẽso ei vase linteo, in quo erant omnia quadrupedia, & serpẽtia terræ, & volatilia cæli, non semel aut bis, sed ter dixit ei, *Occide, & manduca*: & cùm se ter excusasset, ter excusatio eius repudiata est. Efficax enim erat Dei vocatio, & manifesta volũtas, vt citò omni timore postposito, magno animi feruore fidem gentibus nunciaret, & spiritualiter occideret peccatores per illa animalia designatos, destruendo eorum vitia, ferinosque mores, & tunc manducaret eos, Ecclesiæ corpori mystico per fidem & gratiam aggregando: & quia huiusmodi vocatio à tribus diuinis personis procedit, in fideque diuinæ Trinitatis omnes erant baptizandi, vt in aquis baptismi eorum peccata suffocarentur, & ad nouam vitam resurgerẽt; ter vox de cœlo facta est, & ter nunc dicitur, *veni.*

Idem mysterium agnoscit Diuus Augustinus in vitulo aureo cœtum Gentilium idololatriæ deditorum repræsentãte, quem Moyses *combussit, & contriuit vsque ad puluerem, sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israel.* Sic Christus illũ cœtum cõbussit eo igne quem ipse misit in terram, & comminuit dissoluendo omnem malignã cõflationem, & in aquã baptismi immersum tradidit Apostolis & discipulis suis ex Israẽlitis desumptis, vt illum spiritaliter biberẽt, & in corpus mysticum suæ Ecclesiæ conuerterent: nam sicut Petro, inquit, dictum est, *Macta, & manduca*; id est, occide quod sunt, & fac quod es; ita ait, comminue & bibe, nam vtrumque ad idem sacramentum pertinet. Lib. 22. cõtra Faustũ Manich. c. 93. & in Ps. 73. Exod. 32. v. 20.

Sed perpende diuinæ sapientiæ arcanum, vt sponsam ad hanc conuersionem excitaret: nam quod D. Petro manifestauit sub figura occidendi feras, & manducandi eas, sponsę iniungit sub phrasi coronandi eam de eisdem feris in latibulis montium inclusis, *Veni*, inquit, *coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, & de montibus pardorum.* Quid est coronaberis? pugnabis contra has feras gladio verbi Dei, & euangelij prædicatione vinces eas, & hos omnes montes, eorumque incolas, ac vniuersas gentes per orbem dispersas subiicies mihi, & tibi, de illisque triumphum reportabis, & coronam: nec tamen mysterio caret quod Diuo Petro manifestatæ sunt bestiæ in vase linteo, vbi cælari non poterant, sed facilè capi, occidi, & manducari: at sponsæ dicitur, coronandam de victoria earumdem bestiarum in cubiculis, & montium antris latentium,

PRO DOCTORIBVS.

De sublimiori vocatione ad prædicandum Euangelium. §. 4.

POST hanc vocationem sequitur alia sublimior ad prædicandũ euangelium, & docẽdum alios viam salutis & perfectionis euangelicæ, de qua, vt D. Gregor. aliique Patres testantur, hæc verba potissimè intelliguntur. Sicut enim huiusmodi vocatio negatur animæ vitiorum maculis pollutæ, aut neophytæ, & imperfectæ, cuius non est docere, sed discere; ita tribuitur ei, quæ tota est pulchra, & sine macula, vt potè quæ ad fastigium ascẽderit montis myrrhæ, & collis thuris. Non enim decet eum sibi soli vacare, sed etiam proximorũ perfectioni procurandæ, vt illam consequatur magnitudinem;
Mat. 5. v 19. de qua Saluator ait, *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Et quamuis paulò ante laudãs eam de propria perfectione, vocauerit
Io. 15. v. 13. amicam propter obedientiam ad Dei mãdata, iuxta illud, *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*; nunc vocat sponsam, propter fœcunditatẽ prædicationis, quæ multos parit spiritales filios.

1. Cap. 1. de cælestihierarch. Ter autem dicit, *veni*, propter tres actus hierarchicos, quos iuxta D. Dionysij mentem, omnes pastores prætergressos esse oportet, vt plenè possint

Primum quidem indicabat efficaciam diuinæ gratiæ præparantis corda infidelium ad fidem, & disponentis post Spiritus sancti aduentum mentes hominum, vt ei assentirent, veluti Cornelium, & milites eius, quibus tunc D. Petrus prædicauit, & alios multos, quorum Deus tangebat corda, vt facilè Apostolorum prædicationi fidem adhiberent. Secundum vero significabat difficultatem conuersionis gentium ex parte ipsarum; nam ad modum ferarum se abscondebant in latibulis suis, ne diem prædicationis euangelicæ, eiusque lucem recipe-
Mat.4.v.18. rent. Apostoli tamen, quibus Christus dixerat, *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum*; peccatores qui tanquam pisces & marinæ belluæ in procelloso mundi mari erant inclusi, inde hamo prædicationis educebant, spiritaliter mactabant,
Ier.16.v.16 & comedebant. Iidem etiam qui venatores vocantur, viriliter feras, & serpentes vbiq; latentes quærebant, extrahebant, rationibus ligabant, & tandem Christo subiiciebant. Vnde & Isaias postquam dixit lupos, pardos, & leones habituros
Isa.11.v.8. cum agnis & ouibus, subdit, *Et delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet*: id est, qui antea erat timidus, & inermis velut infans triennis, qui omnia pauet, virilem animum induet, & manum suam intromittet in foramina aspidum, & cauernas basiliscorum, indeque eos educet, mansuefaciet, & cum ipsis lusitabit. Quod videre licet in Apostolis ante Spiritus sancti aduentum timidis & inermibus, qui eius gratia & virtute induti aspidem & basiliscum, leonem & draconem, omneq; bestiarum genus conculcare aggressi sunt, & è latibulis ignorantiæ, & erroris quo tenebantur, eos ad veritatis lucem educentes, cum eis iucundè conuersabantur.

Hanc igitur victoriam vocat sponsus coronatio-
3. *Conuersionem peccatorum esse coronã doctorum.* Prou. 17.v. 6. 1. ad Thess. 2.v.19. Ad Phil. 4. v. 1. Isa.49.v.18. nem, quoniam ij, qui cõuertuntur ad fidem & gratiam, corona sunt eorum qui eos cõuerterunt; nam *Corona senum*, ait Salomon, *filij filiorum*; sic corona doctorum sunt spirituales filij, quos generant: vnde & D. Paulus Thessalonicensibus ait, *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis?* Eodemque nomine Philippenses compellat, *Gaudium meum, & corona mea*. Et Isaias gentium conuersionem vaticinans, ait, *Leua in circuitu oculos tuos, & vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi; viuo ego dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circundabis tibi eos quasi sponsa*. Circundare autem est in modum coronæ eis se ornare. Maluit autem vti vocabulo coronandi, vt admoneret eam laboris & certaminis subeundi pro animarum conuersione: sed quoniam victoria ob-
D tinenda erat non tantùm de communi plebe, sed de capitibus eius; nec tantùm de infirmis & imbecillibus, sed de fortissimis & potentissimis seculi principibus; nec solùm de mãsuetis & simplicibus, sed etiam de ferocibus & astutis, de omnique genere hominum; hoc ipsum explicat per capita trium mõtium, & cubilium leonum & pardorum.

Quod sic interpretatur D. Gregor. De his mon-
» tibus sancta Ecclesia coronatur; quia dum regnum
» prædicat æternum, dum exemplo suo animæ, quæ
» mundi sunt, vilia esse demonstrat, ipsos etiam po-
» tentes ad pœnitentiam inclinat, & sibi ipsi pro eo-
» rum acquisitione coronam in cœlestibus parat. Sed
» quid est quod non solùm de montibus, sed etiam
» de capitibus montium coronanda esse dicitur, nisi
» quod impletũ videmus; quia iam ipsæ excelsiores
A personæ in Christum credũt, & eius præceptis per Ecclesiæ prædicationem obediunt. Reges enim & Imperatores Christo seruiunt, coronas deponunt, & per pœnitentiam in Ecclesia veniam petunt. Iidem autem principes, & eorum ministri, dum crudelitati inseruiunt, dicuntur leones; pardi verò, cum dolis suis, quos vi non possunt lædere, decipiunt: sed de his etiam coronatur, quia dum per eius prædicationem crudeles ad pietatem, & hypocritæ ad vitę humilis vnitatem cõuertuntur, pro his omnibus præmium percipiet quod meretur.

De victoria contra diabolum, & eius ministros, virtute Christi. §. 5.

I.

POSSVMVS etiam cum eodem Diuo Gregorio, per leones dæmones intelligere, cùm Li.17 Mor. c.20. aliter applicat hoc. aperto Marte pugnant; per pardos verò eosdem, cùm palliatis tentationibus nos concutiunt, quorum cubilia, & antra sunt corda iniquorum, à
B quibus per prædicationem pelluntur, & tunc illis etiam doctores coronantur, cum gloriosum suæ victoriæ præmium recipiunt, nam remuneratio (inquit) victoriæ corona est. Cæterum sicut victoria ista non est nostra, sed Christi, qui in nobis pugnat, & vincit, sic & corona magis est sua, quam nostra. Ipse enim est qui Diabolum ex cordibus hominum pellit; &, vt dicitur in libro Iob, *obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus*, Iob 26.v.13. scilicet è latibulo suo. Ipse etiam (inquit idem Sanctus) est infans ille; de quo dixerat Isaias quod paulo ante citauimus, *Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis*, &c. Isa.11.v.8. Ab infantia enim diabolum vicit, sed perfecta est victoria in passione eius, cùm dixit, *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huiusmodi eiicietur foras*; id est, extra corda hominũ: Io.12.v.31. vnde ipse est per quem, & in quo omnes coronantur, sine quo nullus coronam vllam consequitur;
C quod indicat illud psalmi, *Me expectãt iusti, donec retribuas mihi*; iuxta versionem D. Hieronymi ex Pf.141.v.8. Psalmus iste intelligi potest de Christo, & de quolibet iusto. Hebræo, *In me coronabuntur iusti, cùm retribueris mihi*. Loquitur enim Christus Dominus ad Patrem suum, à quo post passionem suam recepit coronam gloriæ & exaltationis, ac nomen super omne nomen, cuius meritis reliqui Sancti qui præcesserunt eum, vel secuti sunt, coronas accipiũt suorum operum, quas virtute ipsius Christi promeriti sunt: vnde & viginti quatuor seniores mittebant coronas Apoc. 4. v. 10. suas ante Deum, quasi opere isto testãtes non à se, sed à Deo Christi meritis obtinuisse: nam ille dat coronam, qui dedit victoriam, *Gratias autem Deo*, 1. Cor.15.v. 57. ait Paulus, *qui dedit nobis victoriam per Iesum Christũ*. Si ergo vincere cupis, & coronari, Christo Domino sociare, illius meritis nitere, iuxta formã hu-
D ius vocationis, *Mecum à Libano, sponsa mea, mecum à Libano, veni coronaberis*; non abeas sola, sed mecum, non nitaris tibi, sed mihi, & tunc vinces ac coronaberis.

2.

Hanc victoriam promisit Dominus discipulis Lu.10.v.19 suis, cùm misit eos ad prædicandum, dicens, *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*. Serpentes & scorpiones nuncupat omnes Satanæ cõmilitones, & ministros. Omnem autem virtutem eius vocat arma per quæ hominũ corda sibi subiecit, vt in eis habitarẽt pacificè, tanquam fortis armatus custodiens atrium suum. Ho. quod nõ sit Deus author malorum. At Christus potestatem prædicatoribus suis tribuit, vt serpentes & dæmones è latibulis suis eiiciant, eorum armis destructis, vt ipse in eis tranquillè valeat habitare. Vnde paulò ante eisdem Vide Toletum ibid.

discipulis dixerat, *Videbam Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem*. Quod D. Basilius & D. Cyrillus explicant de casu diaboli per Christum à principatu & sublimi loco, quem gerebat in terris, vbi colebatur tanquam Deus, eo modo quo fulgur cadit è cœlo, quod velociter transit. Quod clare indicat prælium illud Michaelis & Angelorum
Apoc. 12. v.7. eius contra Draconem, & Angelos illius, qui (inquit,) *Non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo*. In prælio enim, quod Christus Dominus & eius Apostoli ac Discipuli gesserunt contra Diabolum, & eius ministros, Diabolus victus est & eiectus è cœlo, id est, ab animabus, in quibus tanquam in suo cœlo habitabat quas Deus sibi elegerat vt Ecclesiam suam construeret; tunc etiam Diabolus cecidit de cælo, id est, de vsurpata diuinitate, vel de diuinitatis gloria, quam habebat apud idololatras, qui eum in idolorum delubris adorabant. Ab hoc autem sublimi loco decidit in magnam ignominiam, dum cognitus est tanquam
B omnis malitiæ auctor, & falsorum Deorum inuentor; id enim Apostoli & successores eorum sua prædicatione egerũt, vt verus Deus coleretur in mundo, & diabolus, qui hactenus fuerat eius princeps, mitteretur foras, & non amplius per idololatriam dominaretur orbi. Propter quod in huiusmodi prælio mulier amicta sole, quæ erat Ecclesia, pingitur cum corona duodecim stellarum in capite eius, draco vero cum septem diadematibus in septem eius capitibus. Iste propter victorias præteritas, quas de hominibus reportauit, dum per septem vitia capitalia eos sibi subiecit: illa vero propter
Dan.1.v.3. spem certam victoriæ futuræ, citoque obtinendæ per duodecim Apostolos, & alios viros, qui ad iustitiam erudiunt multos, & fulgent sicut stellæ firmamenti in perpetuas æternitates.
3.

Ad hanc igitur coronam inuitans Christus Ecclesiam, ait: *Veni, coronaberis de capite*, &c. id est, vade ad gentes feras in montibus commorantes, vbi dæmones & idola colunt, omnibusque vitiis, inseruiunt; & omnia hæc comminues: dæmones inde propelles, gentes conuertes ad fidem, & Euangelium. Propter quod gloriosè coronaberis, & alij
Pf.141. v.8. item tuo labore lucrati, etiam coronabuntur, quod in tuam cedet coronationem. Doctores enim possunt suo modo dicere, sicut & Christus, *In me coronabuntur iusti, cum retribueris mihi*, id est, cum mihi benefeceris, & auxiliatus fueris, vt pro salute mea, & aliorum pugnem, & vincam, non solum ego coronabor, sed alij meo ministerio iustificati coronabuntur. Corona vero illorum, erit etiam corona mea, vnde & ego coronabor in illis. Cum ergo dicitur, *Veni, coronaberis*, sensus est, duplicem
D accipies coronam. Primam tanquam tui laboris præmium in te ipso; alteram in iis, qui propter te coronabuntur. Hac ergo spe munitus ad laborem
2. ad Tim.4. v.8. te debes accingere, vt possis dicere cum Apostolo: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitia, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*.

Doctorum munia. §. 6.

SI autem scire cupis modum rectè munus tuum obeundi, vt coroneris, Sept. versio hoc indicat, *Venies, & pertransibis à principiis fidei, à capite Sanir & Hermon*, &c. etenim Apostolici viri electi sunt, vt eant per diuersa loca, & instar ipsius Chri-
Ioa.15.v.16. Act.10.v.38. Isai 6.v.8. sti pertranseant ex vna regione in aliam, benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo,
A Cæperunt autem pertransire à montibus, in quibus fidei publicatio principium sumpsit, qui vocantur Sanir & Hermon, qui & Syon dicitur in Deuteronomio, nam & scriptum est, *De Syon exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*. Mysticè etiam omnes, qui euangelizant, iubentur ascendere super mõtem excelsum, ad denotandam sublimitatem Euangelij quod annuntiant, vel vitæ, quam profitentur; vel manifestationem eius, quæ ad omnes se debet extendere. Nam quod ad plurium notitiam cupimus deuenire, ex alto loco solet publicari; inchoanda est autem prædicatio, *à principiis fidei*. Hæc enim sunt fundamenta salutis nostræ, & initium spiritualis vitæ quam exordimur. Principia autem fidei dicuntur ea mysteria, quæ omnes fideles expresse credere tenentur, prout habentur in symbolo, & etiam ea præcepta quæ ab omnibus sunt seruanda. Vtraque enim scilicet credenda & operanda complexus est Christus Domi-
B nus cum dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis*. Et hæc sunt duo præcipua prædicationis munia, quæ si quis prætermittat pertransiens ad docendum alia, in ventum verba proferet; inanisque & inutilis esset eius prædicatio. Ea enim reputantur solida, vtilia, & preciosa à vilibus separata, quæ ad explicandam amplius fidem, & legem conducunt, quæque docere debent, qui os Domini vocantur: & hoc significat vox, *Sanir*, quæ, vt diximus, interpretatur, *Lucerna via*, vel secundum Ier.15.v.19. Lib.1. cõtra Iouin circa medium. D. Hieronymum, *Lucerna dens*. Dentes autem Ecclesiæ vocari prædicatores suprà asseruimus: quibus etiam Saluator attribuit lucernæ officium, quia lucem fidei, & legis præbent, arcanaque vtriusque Mat.5.v 14. Vide Martinum del Rio. quasi dentibus comminuta, distincte omnibus proponunt, vt ex eis proficiant. Apponius alio modo
C deducens significationem vobis Hebrææ, ait *Sanir*, significare nouitatem; quoniam munus prædicantium est pertransire à principiis fidei ad vitæ nouitatem quam annunciant, vt omnes nouam in Christo vitam inchoent, noui hominis induant Ad Colo. 3. v. 9. mores, expoliantes veterem hominem cum actibus suis. Idque denotat *Hermon*, quod iuxta dicta est consecrare in anathema, deuouere, & deuastare: non sat est enim prædicatoribus, si principia fidei doceant, si mentem illuminent, & instruant, nisi etiam vitia & peccata deuastent, & penitus demoliantur, menteſque innouatas Deo consecrent, vt eius obsequio mancipatæ maneant, iuxta id quod dictum est Ieremiæ, *Ecce constitui te hodie super* Iere 1.v.10. *gentes & super regna, vt euellas, & destruas, & dispergas, & dissipes, & ædifices, & plantes*, id est, vt vetera omnino eradices, & noua plantare & ædificare studeas.

Denique alia versio, quæ habet, *Aspicies à capite Amana, à vertice Senir & Hermon*, &c. Euangelizantem monet, vt spiritu ascendat super fastigium horum montium, & contempletur miseri mundi statum, & omnium hominum lamentabilem casum, aspiciatque cubicula, & speluncas leonum & pardorum in his montibus sitas, & quam facile sit Deo, qui ad euangelizandum vocat, iis omnibus malis nederi, & peccatores per pœnitentiam in se ipsum reducere. Ipsa enim trina Dei vocatio, & iussio indicat paratum esse ad auxiliandum, & tempus iam opportunum adesse ad eundum per vniuersum mundum, & fidem prædicandam, *Leuate* Ioan 4 v 35. (inquit) *oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem*, id est, messis hominum dispo-

Isai.60.v.4. &c.49.v.18 sita est, vt facilè possit meti, & in horreum Ecclesiæ congregari. Cui per Isaiam, vt spem conuersionis gentium concipiat, dicitur: *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis & affluës, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum*, &c. Hæc cum aspexeris, de diuina ope securus, accinge te ad prælium, in quo promissa est victoria, & corona per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est Deus benedictus in sęcula. Amen.

EXHORTATIO XXII.

PRO FESTO OMNIVM SANCTORVM, ET PRO FESTO ASSVMPTIONIS. Mat 20.v.8. D. Gregor. D. Anselmus. Ricardus.

De vocatione animæ sanctæ ad recipiendam coronam gloriæ; & de singulari modo, quo beatissima Dei genitrix vocata est in die Incarnationis, & in die Assumptionis suæ super omnes cælos.

B Veni de Libano sponsa mea, &c.

POSTQVAM Paterfamilias summo mane, aliisque diei horis operarios vocauit ad laborandum in vinea sua, vespere facto, finitoque labore dixit procuratori suo, *Voca operarios, & redde illis mercedem suam*: singulisque redditum est denarium quod de vltima vocatione, quæ fit in morte cuiusque, vel in fine mundi intelligendum est, de eademque complures Patres hæc verba interpretantur, *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis*, &c. iuxta hunc autem sensum non sunt referenda ad Ecclesiam veterem quæ ante Christi aduentum nunquam vocata est, vt coAd Hebr. 11. v. 39. ronam reciperet, neque iusti, qui tunc mortui sunt æternam acceperunt repromissionem, donec Christus mortuus est, qui ianuas paradisi iustis aperuit. Referēda ergo est vocatio ista ad Ecclesiam nouam, & ad animas sanctas, quæ partes sunt illius.

Quam magna sit vocatio Ecclesia, vel sanctæ anima ad coronam gloriæ. §. 1.

1. EST autem iucundissima vocatio ista ex quadruplici capite. Primo ex parte vocantis, scilicet cælestis sponsi, qui non per Angelos inquit: *Ecce sponsus venit, exite obuiam ei*, aut veni sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus præparaMat 25. v. uit in æternum; sed per seipsum vocat eam, dicens; *Veni sponsa mea*, & coronaberis, accipiesque coronam, quam ego ipse tibi præparaui. Deinde iucunda est ex parte ipsius sponsæ, quæ sufficienter inuenitur præparata, & ornata ad nuptias. Quod denotat bina repetitio illius vocis, *de Libano*, quæ correspondet duplici parti præcedentis encomij; ac si dicat, veni de Libano candida, & splendida, quia *Tota pulchra es amica mea*; & veni iterum de Libano, *Quia macula non est in te*, sed omnino es iam dealbata. Tertio iucunda est ex parte mundi, qui deseritur, & à quo recedere iubetur, qui denotatur per capita montium, vbi sunt cubilia leonum, & antra pardorum; at tandem est iucundissima, quia vocatur vt coronetur corona sponsalitia, qua sponsus, & sponsa coronari solebant in ipso desponsationis die, vt constat ex dictis circa illud, *Videte Regem Salomonem in diademate,* Cant.3.v.11.

A *quo coronauit eum mater sua, in die desponsationis eius, & in die lætitiæ cordis illius.* Euocatur igitur Ecclesia Christi militans, vt transeat in triumphantem, & quæ nunc est sponsa, digneque ornata, vt fiat vxor, vocatur ad perficiendas nuptias, traduciturque in domum viri sui, vbi non solum coronam nuptialem accipiat, sed regalem; nam quæ nubit regi, coronanda est veluti Hester tanquam Regina à dextris Regis assistens. Ad hunc autem locum videtur allusio fieri in Apocalypsi, cum dicitur, *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se; & datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti & candido. Byssinum enim iustificationes sunt sanctorum.* Sponsa enim agni tunc vocatur vxor, quia tempus est nuptiarum, quo desponsatio consummatur: præparata autem est amicta & byssino splendenti & candido, quia iam tota pulchra est, & sine macula, vnde de Libano candido & speciosò bis venire iubetur, vt vltimum coronæ ornatum accipiat, in ipso nuptiarum B die, cum iustificationes sanctorum expletæ iam sunt.

Lib. 6 exh. 34. & sequentibus. Hester 2. v.17. Apoc. 19. v. 7. Apoc.21. v.9. Ita D. Gregor. & Beda, aliique plures de quo vide Riberam in Apoc. 19. & Viegam. 2.

Sed quoniam sermones morales circa singularia sunt vtiliores, hanc vocationem explicemus in qualibet sancta anima, cum in hora mortis vocatur ad palmam. Per trinam autem repetitionem verbi, *veni*, tres partes huius vltimæ vocationis possunt intelligi. Prima, qua anima ex Dei gratia vocatur ad plenitudinem, & consummationem meritorum, & virtutum, ad quam prælecta erat, cuius mensuram per varios progressus inuita paulatim factos implere conabatur, sed prope mortem festinantius implet, & in ipsa morte mensura per perseuerantiam omnino expletur. Secunda verò vocatio est in ipso egressu animę à corpore, quę, si plene purgata sit, inuitatur vt præmium beatitudinis essentialis, & coronam gloriæ per claram Dei visionem recipiat. Tertia tandem erit in generaC li resurrectione, cum vocatur etiam ad resumendum corpus gloriosum, summa gloria & honore coronatum. In prima autem & secunda dicitur, *Veni de Libano*, non in tertia; quia ad illas peruenitur per dealbationem in hoc mundo conquisitam, tum per sacramenta, tum per bona opera, sicut de iustis bis dicitur, quod *Lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni.* Tertia Apoc.7. v.14. vero pars est, complementum beatitudinis essentialis, vt anima, quæ sancta fuit corpore, & spiritu, in vtroque etiam sit gloriosa & gloriæ dotibus coronata.

D Quam magna autem sit vocatio ad coronam gloriæ, ex ipsa forma vocandi deducit Ricardus. Ter enim dicitur veni, quoniam tres diuinæ personæ animam vocant, vt eam gloriosè coronent per eiusdem Trinitatis clarum conspectum, in qua coronatione Pater suam ostendit omnipotentiam, Filius sapientiam, & Spiritus sanctus ardentem charitatem: & quia sunt vnus Deus, eodem affectu ac desiderio vehementi animam ter euocant, quasi congaudentes eius felicitati, & celeriter eam satiare ac beare volentes, largienteque illi tres quas Theologi vocant, animæ dotes, & laureas, nimirum Dei visionem, dilectionem, & In 4. d. 49. vbi D. Tho. & in addit. ad 3. p. q. 95. ar. 5. fruitionem, seu comprehensionem; quæ tribus virtutibus Theologicis correspondent; quibus plene beati satiantur, dum vident clare quidquid in via per fidem crediderunt, & comprehendunt seu tenent quidquid sperabant; eoque iucunde fruuntur, summo prosequentes

3.

amore, quem hic amare cœperunt. Et hæc est beatorum corona, seu triplicis coronæ tiara, qua mirifice exornantur iuxta propria cuiusque merita. Præter hoc autem quidam insigniores sancti vocantur ad tres recipiendas coronas, quæ laureolæ vocantur, & tribuuntur Martyribus, Doctoribus, & Virginibus, eò quod difficiliora gesserunt certamina, & illustriores obtinuerunt victorias.

Quam suauis sit huius vocationis forma. §. 2.

1. SANCTÆ igitur animæ prope mortem constitutæ, blandè loquitur Dominus, & ad præmium recipiendum vocat, & quoniam naturale est homini timere mortem, eam variis modis consolatur, & ad veniendum animat. Nam primò inquit, *Mecum à Libano sponsa, mecum à Libano veni.* Ac si dicat, ne timeas mori, & à corpore B egredi; mecum enim venies, & ad me. Nunquid sponsa libenter non relinquit patrem, & matrem vt adhæreat sponso suo. Cur ergo tu sponsa mea libenter non relinques omnia vt venias ad me, & in meam regiam te introducam? ecce ego de cælo descendi, vt te mecum ducerem, sicut Apostolis promisi: *Si abiero, & præparauero vobis locum, iteIoan.14.v.3. rum venio, & accipiam vos ad meipsum.* Iam tibi præparaui locum, parata est tibi mansio in domo patris mei; en venio vt te ad me accipiam, mecum ergo veni de Libano, ne moreris. Nunquid detinet te candor & decor Libani, seu gloria mundi huius? sed multo candidior, glorioſior & pulchrior Libanus est in regno meo. Ego ero tibi vt LiCant.5.v.15. banus, nam tu de me dicis: *Species eius vt Libani*, & quidquid boni in mundo deseris, in me infinite C melius inuenies.

2. Nunquid times pugnam, quæ in agone mortis acrius excitatur à diabolo sciente quod modicum tempus habet, & ideo tunc vehementius circuit quærens quem deuoret? non est cur timeas, quia ego tecum sum; & ego veni non solum vt te ad me assumam, sed vt te protegam; *Veni, coronaberis*: non vinceris, sed vinces: non perdes coronam, sed feliciter obtinebis. Et quia Dei verbum efficax est, & quod sonat foris, operatur intus, cum ait, *coronaberis*, internam fiduciam sanctæ animæ præbet, quod virtute ipsius inimicum prosternet, nam & sponsi præsentiam, & auxilium præsentit, ideoque fidenter ait: *Dominus illuminatio mea, &* Psal.26.v.1. *salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ* Iob.17.v.3. *meæ, à quo trepidabo? si exurgant aduersum me castra, non timebit cor meum.* Rursus, *Pone me Domine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me*: D Cuiusuis, inquit, quia etsi ipse huius mundi princeps diabolus omni sua potentia pugnet contra me, nihil mihi nocebit, si me posueris iuxta te.

3. Et hoc est quod dicitur, *Coronaberis à capite Amana*, &c. Tres montes recensetur, in quibus leones & pardi commorantur, vnde magnum ipsi periculum imminebat. Sunt enim symbolum huius mundi, si interpretationem Richardi sequamur, dicentis, quod Amana significat inquietum, vel turbulentum: Sanir fœtorem, Hermon anathematizationem, dilectores autem mundi omnes sunt inquieti, fætentes, & anathematizati, propter execranda scelera, scandala & iurgia quibus sunt astricti, ideoque sponsam ac dilectam animam ad veniendum exhortatur, vt inde fugiat: ac

A si dicat; vt quid amplius commoraberis in montibus Amana, Sanir, & Hermon, quæ sunt cubilia leonum, & antra pardorum? vt quid detineris in sæculo isto tot tentationibus, periculis ac peccatis pleno? satius est inde fugere, & ad me venire. Sat ibidem fuisti, & pugnasti viriliter; tempus est vt à palæstra recedas, & palmam obtineas, bono animo esto, quia coronaberis à capite Amana, id est, de ipso diabolo, qui caput est malorum omnium, & princeps maligni mundi triumphum reportabis, deuicto autem potentiori hoste, qui aliorum est dux, reliqui mox succumbent, sicut victo Goliath fugerunt Philistæi. Ideo primò promittit victoriam & coronam de capitali hoste, in qua quodam modo victoriæ de aliis reportandæ continentur. Conferto ergo locum, quem deseris, cum loco ad quem tendis; vallem lachrymarum cum paradiso delitiarum; cubilia draconum & montes pardorum cum mansionibus angelorum & beatorum: principem & caput mundi qui in maligno est, cum Principe cæli, & capite Ecclesiæ triumphantis, qui Christus est, & à quo vocaris; & tunc libentissime illi annues & cum eo ibis.

4. Denique, *Venies & pertransibis à principiis fi-* Ad Rom. 1. *dei*, id est, hactenus vitam tuam composuisti iux- v.17 2.Cor.5.v.7 ta principia fidei, nam *iustus ex fide viuit*; & *per* 1.ad Cor.13. *fidem ambulamus, non per speciem. Videmus enim* v.12. *nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Tempus est vt pertranseas iam à principio fidei ad claram visionem, vt videas quæ credidisti, & possideas quæ speraSti; & me facie ad faciem contempleris. Hic degis tanquam exul & peregrina, *Nam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino; per fidem enim ambulamus.* Veni & pertransibis ad patriam, vbi pater tuus est Deus, sponsus Christus, Angeli fratres, beati omnes amici, & domestici, cum quibus coronaberis & lætaberis, & bonorum cuiusque particeps eris. Quis (ait Diuus Cyprianus) peregre constitutus, non properaret in patriam regredi? quis non ad suos « Lib. de « mortalinauigare festinans, ventum prosperum cupidius « tate in fi- optaret, vt velocirer charos liceret amplecti? pa- « ne. triam nostram paradisum computamus, parentes « Patriarchas habere iam cœpimus, quid non pro- « peramus & currimus, vt patriam nostram vide- « re, & parentes salutare possimus? in hoc exilio in- « numeras pateris ærumnas, & vexationes ex iniquorum consortio, & dæmonum malitia, veni & pertransibis à capite Sanir, & Hermon, à latibulis leonum, & montibus pardorum, vt his relictis ad sublimiores & amæniores montes ascendas, in quibus nihil erit quod tibi noceat, aut contristet, *Serpentes non nocebunt, neo occident in* Isai.11. v 9. *monte sancto meo. Quia ibi mors vltra non erit, nec* Apoc. 21. *luctus neque clamor, neque dolor erit vltra, quia* v.4. *prima abierunt.* Surge ergo, propera amica mea, Cāt.2. v.10. columba mea, speciosa mea, & veni in locum Plura circa quem monstro tibi, vbi omne bonum mecum hūc locum inuenies, quo in æternum satiata maneas? de hoc puncto dicta sunt.

5. Possunt tandem verba ista referri ad vltimam vocationem, quæ fit in iudicio vniuersali, in Matth.25. quo mirabilis quædam fiet bonorum pertransi- v.32. tio. Nam in hoc mundo boni sunt malis permixti, sicut oues hædis, & multoties oues, id est, iusti, sunt in sinistra, & hædi, hoc est, iniqui, tenent dexteram. Quoniam illi maximas patiuntur calamitates sicut Lazarus, hi multis potiuntur bonis, sicut diues epulo. At in die iudicij Rex & Iudex hominum separabit electos Lucæ 16. à reprobis, sicut Pastor separat oues ab hœdis, v.20.

& illos ſtatuet ad dexteram, hos verò ad ſiniſtram. Illos coronabit, quia humana & compaſſiua viſcera erga pauperes habuerunt, hos vero in æternum puniet, quia crudeles fuerunt in illos, ſicut leones, & pardi: ſponſam igitur vocat, vt coronetur & pertranſeat à cubilibus leonum & pardorum, id eſt, vt à malis & iniquis ſeparetur, & tranſeat in ſortem electorum, à manu ſiniſtra, in qua preſſa iacuit in mundo, ad dexteram ſibi præparatam in cælo. Tranſitus autem iſte æternus erit: quia nec electi à dextera reuertentur ad ſiniſtram, nec reprobi à ſiniſtra tranſire poterunt ad dexteram. *Fili* (inquit Abraham ad crudelem diuitem) *Recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris. Et in his omnibus inter nos & vos magnum chaos firmatum eſt; vt qui volunt hinc* B *tranſire ad vos non poſſint, neque inde huc tranſmeare.*

Sed quoniam in hac vita patet tranſitus ab vno in alium locum, ſi adhuc in his montibus reproborum habitas inter leones & pardos in eorum ſpeluncis latitans, audi vocem Domini te vocantis ad coronam, & triumphum reportandum de illis in hoc ſæculo: pertranſi cito ab iis montibus, fuge velociter ab iis cubiculis, ne forte mors te in illis comprehendat, & in æternum cum eis pereas; *Exite* (inquit) *de illa populus meus, vt ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.* Exire autem de ciuitate Babylonica monet, non corpore, ſed affectu, & diſſimilitudine morum, fugientes ſequi eius delicta, ne experiantur eius ſupplicia. In vltima vero vocatione exibunt omnino de medio illius, & tranſibunt in Ieruſalem cæleſtem, quo nullus coinquinatus introibit, & cum electis perpetuo gaudebit. Felix qui primam audiuit vocationem, audiet enim & ſecundam, ac de pugna tranſibit ad coronam.

Apoc. 18. v. 4.

C

De vocatione B. Virginis ad coronam dignitatis matris Dei. §. 3.

PRO FESTO INCARNATIONIS.

EX his deducemus glorioſiſſimæ Deiparæ vocationem in eius aſſumptione factam: oportet tamen hæc verba prius præcedentibus connectere vt primam tantæ gloriæ Virginis radicem enodemus, referendo ea ad diem Incarnationis Dominicæ. Dixerat ſponſus: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, myſterium incarnationis futuræ hac phraſi deſcribens vt ſupra vidimus; id eſt, vadam vt carnem mortalem pro hominibus aſſumam, eamque meæ diuinitati in eadem perſona coniungam. Complacitum eſt autem ſibi in beatiſſima Virgine, quia, *Tota pulchra*, (inquit) *es amica mea, & macula non eſt in te?* quid ergo modo ait? *veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano.* Duplicem candorem in annunciatione Angelica oſtenderat, ſcilicet candorem virginitatis, cum dixit: *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* & candorem puriſſimæ innocentiæ, & ſanctitatis, cum ait, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi.* Vtroque allectus ſponſus mox ait: *Mecum à Libano ſponſa mea, mecum à Libano.* O tu ſponſa mea quæ in Libano es pura, candida, integra, & immaculata, tam in anima, quam in corpore, veni cito mecum ad montem myrrhæ & collem thuris, vt mecum hoc myſterium perficias. Decreui enim in te, & ex te carnem mortalem aſſumere, & hominem fieri. *Veni, coronaberis*: æquum enim eſt vt vicem tibi rependam. Tu me coronabis humanitate, quam mihi tanquam vera Dei genitrix dabis, ad quam intuendam inuitantur filiæ Syon, quibus dicitur; *Egredimini filiæ Syon, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis eius, & lætitiæ cordis illius.* Veni vt ego te coronem eadem humanitate & diuinitate mea; quæ enim precioſior tibi poteſt eſſe corona, quam tanti filij eſſe matrem?

Cant. 3. v. 11. In lib. 6. exhort. 34. de hoc actum eſt.

Solet vocari corona id quod ſumme precioſum, & vltimum eſt in ornatu, per quod valde perfectio eius completur. Dignitas autem matris Dei ſuprema eius fuit corona, ſummumque omnium ornamentum, in quo tanquam in radice continentur ſtupenda merita ipſius & ſublimiſſima gloria ad quam eſt prædeſtinata. Vnde in ipſo incarnationis die teſte Diuo Thoma, omnino confirmata eſt in gratia, ac de iis quæ iuxta eius prædeſtinationem futura erant, ita fuit ſecura & certa, ac ſi iam illa eſſet adepta. Quo ſenſu dumtaxat intelligendum eſt quod inquit Diuus Damaſcenus, vir alioqui ſanctus & doctus, ac Virginis ſtudioſiſſimus cui loquens ait: mors alios ſanctos perficit, beatoſque oſtendit, id videlicet ipſis afferens vt in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat: minime tamen hoc in te vſurpabimus, neque enim mors tibi beatitudinem attulit (hoc eſt non attulit beatitudinis omnimodam & certam ſecuritatem) neque migratio perfectionem (ſcilicet immutabilem) conciliauit; omnium etenim bonorum initium, medium, & finis, ſecuritas etiam, ac vera confirmatio in illa ſeminis experte conceptione poſita fuit: ſcilicet tanquam in radice, ſemine & cauſa vnde orta eſt. Hinc enim admirabilis eius progreſſus originem habuit, & hoc magis indicat verſio Septuaginta, *Venies, & tranſibis à principio fidei.* Quod eſt principium fidei niſi Verbum caro factum in Virginis vtero? iuxta illud Pauli: *Aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum.*

3 p. q. 27. ar. 5. ad 2.

Oratione 1. de dormit. Deiparæ. Vide Suarez, tom. 2. in 3. p. diſp. 18. ſect. 1.

" " " " "

Ad Heb. 12. v. 2.

Hoc fidei principium prima inter mortales inſigniter credidit Dei genitrix Virgo, poſtquam audita Angeli annunciatione reſpondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Quam fidem valde commendauit Beata Eliſabeth cum dixit ei. *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur in te quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Per vniuerſam autem vitam Deipara fidem hanc excellentiſſime coluit, aſpiciens iugiter in hoc principium, & in hunc authorem fidei Ieſum filium ſuum, & filium Dei vnigenitum, donec in fine vitæ vocata eſt ad coronam vt pertranſiret à principio fidei non viſo, ſed credito, ad ipſum principium fidei clare intuendum, vt quæ antea per ſpeculum aſpiciebat authorem & conſummatorem fidei, iam aſpiceret facie ad faciem.

Luc. 1. v. 38. & 45.

De vocatione Deiparæ in Aſſumptione ad coronas gloriæ. §. 4.

PRO FESTO ASSVMPTIONIS.

DVLCISSIMA autem huius vltimæ vocationis forma in his verbis deſcripta eſt, nam quæ de qualibet pia anima commemorata ſunt, eminentiſſime in Virgine reperiemus. Ter

enim dictum eſt ei, *veni*, propter triplicem vo- A
1. cationem quæ ſingulari quodam priuilegio in ea coniuncta eſt. Primo quidem eſt vocata ad vltimum & excellentiſſimum actum amoris Dei, quo menſuram ſuorum meritorum ad quam præelecta erat, impleuit, & ſimul vitam finiuit: nam vt alibi diximus, non ex aliqua infirmitate naturali, vel violentia ab hominibus illata, defuncta eſt, ſed ex languore diuini amoris. Cuius vehementia Deo ſic diſponente, ita animam
Lib. 6 c 62. rapuit ad ſuum dilectum, vt eam non tantum à ſenſibus alienauerit, ſed etiam (vt ipſa Deipara beatæ Brigittæ reuelauit) à corpore ſeparauerit, vt cum eo in æternum vnita maneret in cælis: nec decuit tantam Virginem aliam mortem obire quam amoris, qui fortis eſt vt mors, amantem à ſeipſo ſeparans, vt transferat in amatum: quam ſublimis autem fuerit vltimus iſte amoris actus, vix lingua explicare valet, imo nec mens concipere, hoc ſolum eſt mihi certum B
De hoc egimus in lib 4 exh. 39 §. 3. vide Suarez 10. 2. in 3 p diſ. 21. ſect 1. Mors eius fuit inſtar Phœnicis, ſicut de Chriſto dicitur infra, l. 10. exh. 8. §. 1. omnium Seraphinorum ſimul amorem ſuperaſſe. Quoniam immenſa virtus charitatis quam per ſexaginta & tres annos, feruentiſſimis continuo auxerat actibus, tunc omnem ſuam exeruit virtem, & ſingulariſſimo quodam Dei auxilio excitata, vltimum omnibus præcedentibus incomprehenſibiliter maiorem produxit amoris actum; quem in patria, (quia, *Charitas nunquam excidit*) ſub alio nobiliori modo erga Deum clare viſum
1. ad Cor 13. v. 8. continuauit.

2. Illo enim actu iam conſummato vocata eſt ſecundo ad coronam gloriæ, & beatitudinem eſſentialem animæ recipiendam, & ſingulari priuilegio paulo poſt (forte triduo) tandem vocata eſt ad corporis reſurrectionem, vt ſecundum corpus & animam in cæleſtia regna aſſumpta, C & ſuper Angelorum choros exaltata integrum ſuorum operum præmium reciperet, & coronam, nec ſolum accipit magnificentiſſimam beatitudinis eſſentialis lauream, ſed etiam tres laureolas virginis, martyris & doctoris quibus præ aliis laureata eſt.

Fuit enim Virgo Virginum dux, ac regina, voto ſuam virginitatem Deo conſecrans, quam non abſtulit ſtupenda fœcunditas matris. Fuit etiam martyr, cum tempore paſſionis Chriſti gladius pertranſiuit animam eius quam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, gladius tamen doloris abſtuliſſet, niſi Dominus mirabiliter eam præſeruaſſet, libentiſſimoque animo tum pro filij vita, tum pro hominum ſalute ac Dei gloria propriam obtuliſſet vitam; fuit denique Apoſtolorum, omniumque fidelium ac totius noſtræ religionis magiſtra: propter quod merito ter D
vocatur, vt has tres laureas, & tres laureolas ſibi debitas ſimul recipiat.

3. Sed quis ter vocat eam? profecto tres diuinæ perſonæ. Pater enim vocat ſingularem filiam; ad
Ad Rom. 8. v. 17. hæreditatem capiendam. Nam *ſi filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Filius autem vocat ſuam matrem vt hæreditatis quæ fructus fuit ventris ipſius, participem faciat: Spiritus ſanctus vero dilectiſſimam omnium vocat ſponſam, vt eiuſdem hæreditatis auctorem quem ipſo obumbrante concepit, nouo modo poſſideat, vnde merito Deiparæ ſingulariter competit quod Pſalmiſta inquit. *Cum dederit dilectis ſuis*
Pſ. 126. v. 2. *ſomnum, ecce hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris*, id eſt, cum iuſtis dederit ſomnum, & ſecuram requiem per mortem, tunc etiam dabitur illis hæreditas Domini, quæ hæreditas eſt merces filij vnigeniti Dei, qui fructus fuit ventris Virginalis. Factus enim eſt homo vt hanc hæreditatem electis promereret: vel vt ipſi electi eſſent eius hæreditas, præcipue cum per eum æternam iam hæreditatem ſunt adepti: iuxta illud: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*: ſi ergo hoc inquit vates de omnibus dilectis, quid diceret de dilectiſſima matre, cuius ventris fructus fuit filius ad quem hæc hæreditas ſpectat? quam hæreditatem largietur non filiæ tantum, ſed matri cuius fuit benedictus fructus? *Multæ filiæ congregauerunt diuitias; tu ſuperpergreſſa es vniuerſas*, quia non tantum es filia, ſed mater, cui ad dexteram filij glorioſiſſimus debetur thronus. Alij ſancti ex ſemine diuini verbi quod in ſe receperunt, tulerunt fructum, aut trigeſimum, aut ſexageſimum, aut centeſimum; hic ad martyres, vel ad totius perfectionis euangelicæ profeſſores ſpectat, medius ad virgines, primus vero ad reliquos iuſtos: at Deiparam quæ cuncta hæc complexa eſt, trina ſerta centeno cumulata fructu mire coronant. Et quia vberius ſpecialem tulit fructum omni numero maiorem, & cunctis aliis infinite pretioſiorem, coronam accipit tanta matre & tali fœcunditate condignam.

Pſ. 2. v. 8. Prou. 31. v. 29. Matth. 13. v. 25.

Sed cur à tribus perſonis euocata ad coronam non appellatur hic filia nec mater, ſed ſponſa tantum? profecto quia in hoc epithalamio tantum agitur de nuptiis agni, ad quas ſolum vocatur ſponſa, vt tanquam noua nupta coronetur. Quamuis etiam in eo quod ſponſa appellatur 4.
à Spiritu ſancto, eius miraculoſa matris Dei fæ- Nota.
cunditas inſinuetur, ſed vlterius reputetur eam coronari ex eo tantum quod ſit mater Chriſti corporalis, *Spiritus enim eſt qui viuificat, caro non* Ioa 6. v. 63.
prodeſt quicquam, vnde & alias dixit illi, *Quid* Ioa. 2. v. 4.
mihi & tibi eſt mulier, magis autem coronatur ex eo quod eſt amica, filia, ſponſa & ſpiritualis mater, eum in corde ſemper geſtans, etſi ad tam excellentem ſanctitatem non peruenifſet, niſi etiam corporalis mater Verbi eſſet. Sed nunquid Chriſtus vocauit matrem à longe in cælo manens? minime, ſed ad eam deſcendens, vt ſecum illam deduceret: & hoc indicat Septuaginta verſio, *Mecum à Libano ſponſa mea, mecum à Libano veni.* Venit enim Chriſtus Dominus non tantum vt Deus, ſed etiam vt homo mille millium Angelorum ſtipatus caterua, vt matrem ſuam ſecum duceret in cælum. bis autem dicit, *Mecum à Libano*, quia bis eum deſcendiſſe credideris; tum cum eius ad ſe aſſumpſit animam, tum vero cum ſuſcitauit corpus, vt illud animæ vnitum etiam ſecum duceret. Quod teſtati ſunt Angeli cum aſcendentis candorem admirantes dicebant: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata inniCant. 8. v. 5. iuxta Sept.
tens ſuper fraternum?* quæ loca mire conſonant. Nam in vno vocatur, vt veniat à Libano, & à candore ſeu propter candorem, quem in terris habuit: in altero vero dicitur aſcendere dealbata, & candida, quia illum candorem ſecum ferebat in cælum, quem Dei gratia & labore ſuo acquiſiuit in terra; idem etiam eſt, *Inixa ſuper dilectum ſuum, & mecum à Libano*, quia nec candorem habuit à ſe, ſed à Chriſto, nec aſcendere potuit niſi euecta ab ipſo, &

associata illi : de quo plura in libro sexto dicta sunt.

Sed amplius huius coronationis gloriam explicant sequentia verba ; *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon*, &c. Nam si montes isti vsurpentur in bonum ad significandos insignes viros, vel in fide aut in luce doctrinæ, vel in sui ad Deum traditione, & consecratione (hæc enim per nomina istorum montium significantur, vt vidimus) beata Virgo de his omnibus coronatur, tum quia illos omnes superat, & etiam eorum capita, ac præclarissimos duces : tum maxime, quia eius meritis & precibus, eiusque respectu hanc ipsi sanctitatem adepti sunt, de quibus iure optimo dicere potest cum Apostolo : *Vos estis gaudium meum, & corona mea*. Hi enim sunt duodecim stellæ ex quibus coronata erat mulier quæ apparuit in cælo, & Deiparam in sensu mystico repræsentabat. Nam per duodenarium numerum stellarum omnem cætum sanctorum intelligimus. Qui sicut diuersæ stellæ in claritate splendebunt in resurrectione, sed id iucundius B miseris, quod etiam coronatur, *De cubilibus leonum, & montibus pardorum*, id est de innumeris, & maximis peccatoribus, qui eius intercessionibus ad Deum conuertuntur, maximeque eius ornant coronam, quoniam mater est miserorum, & peccatorum aduocata, de quorum conuersione valde lætatur, eximiaque eius gloria est per ipsam leones & pardos mansuefieri, & Christi ouibus ac agnis aggregari ; ita vt inter stellas, quibus coronatur possint computari.

At si montes isti in malum vsurpentur pro vitiis & peccatis quæ mundum implent, quorum caput est diabolus, cuius commilitones sunt leones & pardi, nempe alij dæmones tyranni, & hæresiarchæ, etiam vocatur vt coronetur *de capite Amana*, &c. id est, vt triumphet de diabolo, & pro victoria contra illum coronam accipiat, postquam opere perficit quod de ea scriptum erat contra serpentem, *Ipsa conteret caput tuum*. Ipsa Gen.3.v.15. enim per filium suum caput & potentiam diaboli confregit, tyrannos deuicit, omnes hæreses interemit, idololatriam è mundo profligauit : suis enim precibus Apostoli & Doctores victorias contra huiusmodi hostes obtinuerunt ; quorum coronæ ipsam etiam ornant, & quasi ipsius reputantur. Vtinam & nos ita illius obsequio mancipemus, vt ipsius etiam corona esse valeamus in secula seculorum. Amen.

EXHORTATIO XXIII.

PRO MYSTERIO INCARNATIONIS ET NATIVITATIS.

De eximio amore Dei erga Ecclesiam ; & sanctam animam, à qua vulnerari dicitur, & de miris effectibus eius.

Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.

V. 9.

EX octo dilectæ suæ partibus hactenus laudatis, quatuor nunc sponsus maioribus cumulat laudibus ; scilicet oculos, crines, vbera, & labia, quæ vehementiorem erga illum conciliabant amorem. Rationem autem reddens cur tam arden- A ter cupiat sponsam ad se venire, terque instanter inuitet, vt veniat ; inquit, *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*. Id est, ita me pulchritudine tua saucium & ligatum tenes, vt à te euelli nequeam, & sine te nec ad momentum temporis esse velim. Supremum hoc videtur sponsæ encomium, vt tanta sit eius pulchritudo, & venustas, quod vel vnus eius oculus, vel vnus crinis cor Dei valeat vulnerare, & maximum erga se amorem Dei excitare. In hac autem exhortatione primam dumtaxat huius versus partem explanabimus, cæteras in sequentibus.

Cur Ecclesia noua, & sancta anima vocetur Christi soror, & sponsa. §. 1.

1.

HACTENVS in hoc Cantico nunquam sponsus dilectam suam sororem vocauit, sed tantum sponsam, vel amicam, aut columbam. Nunc primo & deinceps crebro simul eam vocat sororem, & sponsam, in quo excellentiam Ecclesiæ nouę super antiquam, satis insinuatur. Illa enim multo proprius vocatur, *Soror & sponsa*, soror propter cōsortium eiusdem humanæ naturæ quam iam Deus in vtero Virginis assumpserat. Nam quia, *Pueri* (ait Paulus) *communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.* Ad Hebr.2, v.11. & 14. *Propter quam causam non confunditur eos fratres vocare*. Et præterea soror appellatur priusquam sponsa, vt significaretur sicut D. Hieronymus perpendit, nihil hic inueniri carnale, nec carnales esse nuptias, sed amorem esse pudicum, castum, & Lib.1. contra Iouin. omnino immaculatum. Qua ratione coniuges pudicitiam seruantes vt fratres, & sorores cohabitare dicuntur. Dicitur tamen sponsa propter spirituales nuptias, quas cum illa contrahit Christus iuxta illud, *Despondi vos vni viro Vir-* 2. Cor.11. v.2. C *ginem castam exhibere Christo*. Sed nomen sororis amplificat vim huius coniunctionis. Soror enim coniungitur fratri naturali vinculo consanguinitatis, quod nunquam dissolui potest. Sponsa vero cum sponso vinculo matrimonij, quod licet à principio mundi, vt Saluator dixit, fuerit indissolubile ; tamen Iudæis propter eorum cordis duritiam permissum est illud dissoluere, Matth.19. v.8. & vxoribus suis dare libellum repudij, quod in- Deut. 24. dicabat Synagogam illam suis ceremoniis & sa- v.1. crificiis ornatam, quæ sponsa erat Dei, ob eius immania scelera fore repudiandam, sicut sæpius D eam repudiauit ob idololatriam, & tandem propter iniquissimam necem Christo Domino illatam omnino reiecit, iuxta illud Ieremiæ, *Et vidit præ-* Ier.3.v.8. *uaricatrix soror auersatricis Israel, quia pro eo quod mœchata esset auersatrix Israel, dimisissem eam, & dedissem ei libellum repudij*, &c. non tamen se astringebat Deus legibus repudij, secundum quas semel dimissa, ad virum suum redire non poterat ; quin imo misericordia motus, postquam eam à se repellebat, sæpius vt ad se reuerteretur, inuitabat. Sicut idem propheta testatur ; & in hoc sensu apud Isaiam ait, nunquam ei dedisse libellum repudij, qui scilicet penitus reditum interciperet. Vnde, Ierem.3.v.1. & modo licet Synagogam quoad legem, & ce- & 12. remonias iam ex toto repudiauerit, non tamen Isai.50.v.1. personas, *Non enim repulit Deus plebem suam,* Ad Rom.11. *quam præsciuit* ; sed adhuc Iudæos ad pœnitentiam vocat.

Cum

2. Cùm autem Ecclesiam nouam simul sororem & sponsam vocat, hoc etiam insinuat vinculum istud inter vtrumque omni ex parte esse indissolubile, nec enim vmquam Christus Ecclesiā nouam dimittet, & aliam sponsam sumet ; nec ipsa dimittet Christum, vel alium sumet sponsum. In cuius signum lex libelli repudij in lege noua per Christum Dominum est abrogata, & indissolubilitas matrimonij ad antiquum ius naturæ reducta ; in Matth.19. v.4. quo dicitur : *Erunt duo in carne vna*. Sacramentum autem hoc magnū est in Christo, & in Ecclesia vt Ad Ephes. 5.v.32. D. Paulus testatur. Vnde perpetuò illi adhærebit Psal.44. v.10. iuxta illud Psalmi, *astitit regina à dextris tuis*. vbi D. Chrysostomus notat, alios vertere, *Stabilita est*, hoc est firmiter stetit, stetit immobiliter : quod alibi dicit Christus : *Portæ inferi non præualebunt aduersus* Eccles.36. v.26. *eam*. Vnde in Ecclesiam quadrat quod Ecclesiasticus inquit : *Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem : adiutorium secundùm illum est, & columna vt requies*. Ac si dicat, est illi adiutorium simile sibi, & firmissima columna quę ab eius amore, & obsequio dimoueri nequit, propter quod in ea perpetuam requiem habet. Sed quia hoc est quid nouum, & mirabile, dixerat paulò antè, Deū orās : Cardinalis Hailgrinus apud Martin. Delrio. *Innoua signa, immuta mirabilia*. Antiquum signum, & mirabile fuit, quod de costa viri sui formata sit prima mulier, primaque sponsa ; quo significabatur per mulierem humanam naturam infirmari. Vnde etiam factum est quòd per mulierem Adam lapsus sit in peccatum, quod vniuersam naturam miseram, & infirmam fecit. At Deus innouauit signa, & immutauit mirabilia ; cùm è contrario è carne vnius fœminæ formauit virum Christum, vt significaretur per hanc mirabilem generationem, naturam humanam ab infirmitate reuerti in pristinam firmitatem. Vnde & per Christum summa stabilitas & firmitas concessa est Ecclesiæ suæ, cui indissolubiliter vniri voluit. Hæc de Ecclesia noua in genere.

3. At vnaquæque sancta anima in quauis lege, sed maximè in noua, simul etiam soror & sponsa vocatur. Soror quidem, quoniam per gratiam sanctificationis diuinæ consors est facta naturæ, & si- 2.Pet.1.v.4. milis Dei filio : increuit autē hæc similitudo postquàm ille factus est homo, & hanc gratiam nobis promeruit, & contulit. Vnde sæpius in Euangelio discipulos vocabat fratres suos, & eumdem secum Ioan 20. v.17. dicebat habere patrem, vt cùm ait : *Ascendo ad Pa-* Ad Heb. 2. v.11. *trem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*. Nam vt perpendit D. Paulus, *qui sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes*, ex vno Deo Patre. At vocatur sponsa ad strictiorem significandam vnionem per quam sit vnum cum illo. Nam sicut sponsi carnales sunt duo in carne vna, ita spō- D sa Christi spiritualis, est vnus spiritus cum ipso. 1.Cor.6. v.17. Nam, *qui adhæret Deo vnus spiritus est*. Soror non est Ad Rom 8. v.17. propriè hæres fratris sui, sed cum illo est simul hæres eiusdem Patris, iuxta illud : *Quòd si filij & hæredes ; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. At sponsa habet iam omnia bona cum sponso communia, & illorum quodammodo fit particeps per omnimodam vnionem & conformitatem cum illo. Sponsa præterea nominatur vt sciat quotidie se spiritualem prolem debere generare sanctorum operum, filiosque spirituales Christo gignere. Sed si hoc ita est cur sponsa & non vxor appella- Lib. de Passione Domini si ipsius est tom. 2. tur ? Respondet D. Bernardus : Quia solent sponsæ nondum alligatæ coniugali vinculo, amari ardentius quàm postea : tempore enim procedente amor ipse componitur : sponsus autem ac-

A ter vt magnitudinem insinuet sui amoris qui tempore non decrescit, amicam suam sponsam appellat, eo quod illius amor semper nouus sit, & semper purus.

Hoc tandem valde aduertendum est sponsalia ista, etsi cum Ecclesia sint indissolubilia ex vtraque parte modo supradicto, tamen cum singulis animabus quantumuis sanctis secluso priuilegio (sicut de Deipara est certissimum) posse propria culpa dissolui, ideoque oportet cum timore, & tremore salutem nostram operari, & hanc præclaram dignitatem fœcunditate sanctorum operum diligenter seruare, ne amittamus eam. Sed iam vlterius procedamus.

Vehementia diuini amoris erga Ecclesiam & animam sanctam per vulnus cordis significari. §. 2.

B VVlnerasti (inquit) *cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum*. Magnitudinem & vehementiam amoris Dei erga Ecclesiam & sanctam animam hæc verba indicant. Non enim intelligūtur de vulnere quod ferro infligitur cordi : hoc enim modo sponsi solent vulnerare ad mortem impudicas sponsas, & fratres lasciuas sorores : numquam verò sponsæ sponsos nisi vulnere amoris quo se mutuò feriunt. Vnde sponsa expressit rationem vulneris sui cùm dixit : *Vulnerata charitate ego sum*. De quo suo loco plura disseruimus : ac si diceret ; non sum vulnerata ferro, quæ semper fidem seruaui sponso, sed charitate, & dilectione qua in ipsum ardeo. At sponsus non ait : *vulnerasti charitate*, sed absolutè, vulnerasti, quia alio modo quàm amore, non poterat ab ipsa vulnerari.

Cant.2.v.5. Lib.4.exhort.37. & sequentib.

Tamen huiusmodi vulnus cordis quod fit per amorem rectè explicatur per similitudinem vulneris quod infligit ferrum. Nam sicut materialis vulneratio cordi inflicta, vitam illico aufert naturalem, qua cor & ipse homo viuebat : ita vulneratio amoris, id est, vehemens amoris actus, & impetus qui visare valde pulchra & amabili insurgit, vitam aufert affectiuam qua in se viuebat, & trāsfert in rem amatam, ad modum quo Plato dicebat ; amantem animum mortuum esse in proprio corpore, & viuere in alieno. Ad hunc modū Deus vulneratus dicitur in corde, quia ex magnitudine sui amoris affectum suum transfert in animam, vt sit in illa, iuxta id quod ait D. Ioannes : *Deus cha-* 1.Ioan.4.v. *ritas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, &* 16.& v.19. *Deus in eo*. En duplex charitatis vulnus, quoniam numquam Deus vulneratur ab anima quin priùs ipse vulnerauerit illam, & amore præuenerit. *Non quasi nos* (inquit idem Apostolus) *priùs dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos*. Ipse D prior vos vulnerauit, cùm suam nobis bonitatem & pulchritudinem per fidem ostendens, vehementer ad amorem excitauit, fortem imprimens impulsum charitatis, per quam in nobismetipsis mortui transferimur in illum vt in eo viuamus & Ad Galat. 2.v.20. simus ; dicentes cum Apostolo : *Viuo, non ego, sed vivit in me Christus*. Et hoc est quod ait : *Qui manet in charitate, in Deo manet* : nam extra se exit vt in Deo sit. Hinc autem prouenit quòd ipse Deus dicatur etiam vulneratus, sed alio modo. Non enim recipit à creatura, & ab anima pulchra aliquem impetum, & nouum amoris affectum sicut ipsa ab illo, sed ita ad eius pulchritudinem & sanctitatem afficitur, vt per amorem quasi à se exiens, in illam transeat, & ideo dicitur, *& Deus in eo*.

Mutua ergo est inter Deum, & animam cordis vulneratio, ex cuius reciproca vicissitudine stupendum amor animæ recipit incrementum. Nam quo amplius vulnerat cor Dei, amplius vulneratur ab illo, & ipsa iterum vehementius vulnerat: seu quo plus amat plus amatur, & quo plus amatur eo feruentius amat. Ex coniunctione enim ad ardentissimum cor Dei quod in se habet, amplius ipsa ardet.

3. Amplificat hoc LXX. versio quæ sic habet; *Cor abstulisti nobis soror mea sponsa, cor abstulisti nobis.* Vtitur pro nomine *nobis* auctoritatis ergò, vt insinuet quòd magnitudo amoris auferre non debet reuerentiam animæ erga Deum amantem. Vel nobis, inquit, vt indicet tres diuinas personas, nã quem Filius diligit, diligit Pater, & Spiritus sanctus, quorum vnum, & idem est cor iuxta illud: *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, &c.* ait igitur, *cor abstulisti nobis*, aut cepisti, id est, ob pulchritudinem tuam rapuisti cor meum, & à me transtulisti illud in te. Idem ergo est vulnerasti cor, & abstulisti cor, nam per vulnus illud cor dicitur spiritualiter auferri, in seipso emori, & in dilectum transferri vt viuat in illo. Vnde non aduersatur his versionibus alia quam sequitur D. Gregorius Nyssenus: *Indidisti nobis cor.* Quod alij vocant *incordiasti nos.* Quoniam cùm res dilecta aufert sibi cor à diligente, ei tribuit nouum cor, scilicet cor ipsius rei dilectæ. Sic cùm Deus animam vulnerat charitate, aufert ab anima proprium cor quo vitam affectiuam viuebat, & indit ei cor nouum, & spiritum nouum quo viuat in Deo. Ad eumque modum dicit Deus animæ; indidisti nobis cor, vt quasi nouum cor erga ipsam gerat. Non quòd in Deo vllam mutationem ponamus, quoniam ab æterno habuit omnes affectus, qui in successu temporis videntur noui, & varij ob diuersas hominum dispositiones.

4. Sed quæ inde bona proueniant ipsi animæ quis explicare poterit? Nam sicut cor vulneratum ferro sanguinem emittit simul cum vita; sic cor Dei amore vulneratum, quidquid in se habet pretiosum, ad nostram salutem emittit in animam, vt in ea dignè viuat. In cuius signum Christus Dominus in cruce vbi summo hominum flagrabat amore, vulnerari voluit in corde, *Cùm vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua*; quæ nostræ salutis remedia, & Sacramenta representabant. Sic quicumque spiritualiter per intensum amorem Christi cor vulnerat, ex illo manare sibi facit sanguinem, & aquam; id est, pretiosissimos effectus sanguinis ipsius, & aquam viuam gratiæ, aliaque plura dona suæ saluti congruentia. Nam si tangentes ipsum, eius virtutem experiebantur; *Quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Quanto magis qui fide, & amore tangunt, atque vsque ad cor penetrant & vulnerant, virtutem ab illo exeuntem experientur?

Præterea qui aufert à Deo cor, simul aufert dona ipsius, quæ à corde, & ab amore procedunt. Nam si aufert & capit sibi cor, capit etiam sibi eius misericordiam, benignitatem, liberalitatem, clementiam, sapientiam, & omnipotentiam, ac proinde ea dona quæ ab ijs attributis proueniunt. Quæ tamen Deus libenter à se auferri, & rapi patitur, quia ea vehementer nobis elargiri desiderat, & ideo dixit: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Regnum cælorum vocatur, vel secundùm D. Ambrosium ipsemet Christus, qui regnat in cælis, vel dona gratiæ quibus illud regnum obtinetur; & vtrumque vim patitur: vim inquam quam infert vehemens amor, & amando sibi rapit illud, quoniam Christus misericorditer se, & sua dona hanc vim inferenti largitur. Infert autem hanc vim amor precibus, lachrymis, & gemitibus exorando. O beata (inquit ille) violentia quæ « non indignatione percutitur, sed misericordia « condonatur! Beata, inquam, violentia quæ vim « parienti bonitatem elicit, & vtilitatem tribuit « inferenti: sed sicut Deus non vulneratur nisi « prius ipse vulneret, sic non patitur hanc vim ab anima, nisi prius ipse inferat illam, cùm imprimit impetum amandi, & orandi. Et quam vim ei intulit Chananæa, ipse intulerat illi, vt tanta fide oraret, quòd à Christo donum extorqueret. Suauiori vocabulo alij pro vulnerasti legunt, *excitasti cor meum*: sed cùm anima Deum excitat vt eam amplius diligat, & ei benefaciat, iam ipse excitauit eam, vt eum diligeret, & feruenter amaret, ac oraret: nam misericordia eius nos præuenit, & gratia Dei excitans vocatur.

Symmachus, excitasti mihi cor, vel, excitasti cor meum.

Affectus vel signa huius amoris Dei erga animam. §. 3.

Sed maiora huius vehementis amoris signa hæc verba indicant, cùm dicitur, *abstulisti mihi cor.* Quod alij vertunt, *excordiasti me*, aut *stupefecisti*: quod est extasim pati, & extra se ferri. Quod D. Thomas explicat cùm amans vel ad sublimiora rapitur, vel ad inferiora deprimitur, sicut cùm quis in furiam vel amentiam cadit, extasim pati dicitur. Vnde & D. Dionysius ait, quòd diuinus amor extasim facit, & ipsum Deum propter amorem extasim esse passum. Quid ergo est abstulisti mihi cor, aut excordiasti me, nisi ita meum amorem rapuisti ad te, vt quasi cor, & sensum rapuisse videaris, & multa facere compuleris quæ mundo stulta, & insana videantur? Cor abstulit, & excordiauit cùm Deum à cælo traxit vt fieret homo, & puer paruulus in præsepio reclinatus, cùm postea eius amore ligatus fuit, & flagellatus, coronatus spinis, & crucifixus. Hæc enim stulta visa sunt mundo, sed extases fuerunt diuini amoris extra se rapti propter nos.

1. I.2.q.28. art.3.

De diuin. nominibus c.4.p.1.circa finem.

1 Cor.1.v. 18.& 21.

Vnde tandem alia trãslatio habet, *fidere me fecisti soror mea sponsa*, seu audacem me fecisti, id est, indidisti mihi fiduciam, & magnum animum ad grandiora & duriora aggrediendum propter te. Nam vehemens amor incredibiles vires addit ad fortiora & grandia agendum, vel patiendum pro re dilecta: quod in nullo amante melius conspicitur quàm in Deo, quem amor excitauit ad magnificentissima opera peragenda, vt sunt mysteria Incarnationis, Prædicationis, Passionis, Resurrectionis, Eucharistiæ, & alia innumera quæ pro nobis operatus est & passus: Nam, *fortis est vt mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio.*

2. Quinta editio.

Cant 8.v.6.

Iuxta hæc ergo congruè explicatur vulgata versio: *Vulnerasti cor meum soror meà sponsa*, seu vt alij dicunt; *transfixisti mihi cor.* Ac si diceret, ardens amor quo te prosequor fecit me flagellis, & clauis vulnerari, ac lancea cor meum, & latus transfigi. Hoc enim testatur Apostolus cùm ait: *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea.* En quia Ecclesiam dilexit, se tradidit propter illam in mortem, & in vulnera, in ignominias & dira tormenta. Et etiam se tradidit

Ad Ephes. 5.v.25.

tradidit, nam tradito per amorem corde, omnia traduntur cum ipso.

Sed dubitabis fortè; qui amore vulneratur, à pulchritudine rei dilectæ vulnerari dicitur: quæ ergo pulchritudo tunc in Ecclesia vt ab ea sit Deus amore fauciatus, & ex hoc amore se fauciari ab hominibus passus sit? sed amorem hunc Dei negare nemo potest: *Sic enim Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret.* Dans autẽ filium, dedit cor suum mundo, non quia sanctus erat, sed vt sanctum constitueret; sicut etiam Deus dilexit Ecclesiam, pro eaque se tradidit, non quia esset munda, & pulchra, sed potius vt sanctificaret eã, & mundaret, gloriosamque & sine macula sibi exhiberet. Æternus ergo dilector Deus qui Ecclesiam sibi sponsam ascisce decreuerat, aspiciens in sanctitatem, & pulchritudinem quam habitura erat per mortem & passionem Saluatoris, eius amore captus ait: *vulnerasti cor meum*, & ad me illud rapuisti vt pro te homo fierem, & vulnerari, ac multa, & dira tormenta pati decreuerim.

Ioan.3.v.16

3. Sed ad quid hoc in loco? Opportunè quidem dixerat paulò antè: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*: significans illi voluntatem ascendendi in Caluariæ montem, & moriendi pro ea ac resurgendi, vt ipsa etiam cum eo vaderet ad mortificationis montem, & orationis collem. Et expressius iterum ter vocauit vt illuc veniret cum eo, & coronam pro laboribus quos eundo pateretur reciperet: hæc omnia confirmans modò ait: *vulnerasti cor meum, &c.* Id est, æquum est vt venias, quoniam pro tui amore vulneratus sum & vulnera etiam dira passus.

4. His autem omnibus sanctam animam tacitè inuitat ad redamãdum eum, sicut ipse amat illam, dignamque se præstet quã Deus ardenter diligat, ardenter eum diligens, vt ipsa etiam dicere possit: *Vulnerata charitate ego sum*, non solum intus vulnera amoris sentiens, sed etiam vulnera corporis cùm oportet, pro ipso patiẽs, vt tam animo quàm corpore sit Christo sponso conformis, stigmata eius in corpore suo portans. Ad hoc autem nihil ita iuuat ac opere præstare quod Dominus ait,

Prou. 23.v. 26.

præbe fili mi cor tuum mihi: Nam si tu alacriter tribuis cor tuum Deo, rapies ad te cor Dei quod ille libenter impendet tibi.

O ter quaterque beata anima ita pulchra, sancta, & Christo conformis, cui ipse dicere possit: *Vulnerasti cor meum & abstulisti mihi cor*: quæ enim dona ab illo nõ rapiet, quæ cor eius rapere meruit? quid non viriliter operabitur, quæ in se habet omnipotens cor Dei & est quasi receptaculum ipsius? Si enim rapuit cor Dei ad se, cor Dei est iam quasi cor ipsius, vt dicere possit, *Ego dormio, & cor meum vigilat*: Id est, Christus qui est cor meum vigilat in me & pro me. Sed de hoc posteà.

Cant.5.v.2.

5. Vis orationis. Pro Pentecoste.

Sed attende aliam huius animæ sanctæ felicitatem, nam dum ei dicitur abstulisti nobis cor, virtus orationis & precis eius ostenditur, per quam quidquid ab ipso petierit, impetrabit, & secretorũ quæ in corde Dei latent particeps esse poterit: & quia cor sedes est amoris, & Spiritus sanctus amor dicitur patris & filij, quia per amorem ab ipsis procedit, non ineptè Spiritus sanctus in hoc loco cor appellabitur: ac si pater & filius dilecti Ecclesiæ in die Pentecostes dicant: *Abstulisti à nobis cor*, id est Spiritum sanctum, quem in te plenissimè effudimus, eiusque pretiosissima dona simul cũ illo abstulisti à nobis, quod singulis animabus sanctis etiã quotidie dicunt, quando charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Sed quoniam cor Dei etiam voluntatem eius significat, duplicem in eo voluntatem considerare possumus: alteram puniendi peccatores propter peccata; alteram miserendi eorum, & benefaciendi illis: multoties autem iusti suis precibus à Deo obtinent vt peccatores quos punire decreuerat non puniat, sicut cùm Moyses pro populo qui vitulum adorauerat, orauit ne Deus illum penitus deleret. Quid ergo est, *Abstulisti nobis cor soror mea sponsa*; nisi vi tuarum precum abstulisti à me voluntatem quam habebam puniendi transgressores? *& indidisti nobis cor*, & aliam mihi indidisti voluntatem parcendi, & benefaciendi illis. Quid felicius hac pia anima, cuius pulchritudo & sanctitas tantam vim confert eius precibus vt immutabilem quasi mutent, sine mutatione tamẽ; nam qui decreuerat ab æterno malos punire, decreuit etiam propter insignes suos amicos eorum misereri.

Ad Rom.5. v.5.

Exod.32.v. 10.

Sed aliam secretiorem felicitatem paucis notam hîc perpende cùm dicitur, *Fidere me fecisti soror mea sponsa.* Ac si diceret: quia tota pulchra es & sine macula, & mihi in omnibus conformis, & obediens, præbuisti mihi animum, & fiduciam vt audacter in te & per te ingentia opera facere aggrediar: te maximis certaminibus, luctis, & periculis exponam, & grauissima quæque gloriæ meæ negotia committam. *Veni ergo de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis:* Veni tãquam Virgo ad luctandum cum carnis illecebris pro virginitate tuenda: veni tamquam magistra ad certandum cum hæreticis pro fidei defensione: veni tamquam Martyr ad pugnandum cum tyrannis pro religione seruanda; veni quia in his omnibus vinces ac coronaberis. Vt autem venias te inuito, quia tu me fidere fecisti, & tua egregia ac heroica virtute mihi animum tribuisti, vt his te periculis exponere auderem. Magna profecto sponsæ Christi laus, talem se præbere, cui toto possint hæc committi certamina: & magna sponsi gloria tales habere sponsas, de quibus dici possit: *Certamen forte dedit illi vt vinceret, & vt sciret quòd omniũ potentior est sapientia.* Vnde & Dominus gloriabatur valdè de seruo suo Iob cùm ad sathan dixit: *Numquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra homo simplex & rectus, &c.* Quasi ansam ei præbens vt prælium cum eo iniret, & experimento cognosceret quàm magna esset viri virtus, & quàm securè fidebat illi. Post Sauli etiam conuersionem, Ananiæ eam ignoranti dixit: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, &c. Et ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Id est, ego qui noui hominẽ, & quanta fortitudine hoc vas fabricauerim, fidenter finam eum magnis tribulationum ac persecutionum procellis agitari, absque eo quòd frangatur. Imo verò postquam Christus Dominus in Iordane baptizatus est, & Spiritus sanctus in specie columbæ descendit super eum, subdit Euangelista ab eodem Spiritu sancto ductum esse in desertum vt tentaretur à diabolo, in nostro capite ostendens quod operatur in membris. Cùm enim aliquorum sanctitatem insignem probè nouit, ob eamque illos vehementer diligit, in palestram eos descendere facit, vt cum diabolo pugnent, & gloriosas victorias adipiscantur. Benè ergo ait; *Veni, coronaberis,*

6.

Genes.25. v.1.

Act.9.v.15.

Matth.4. v.1.

quia fidere nobis feciſti, vt anſam coronas acquirendi offeramus tibi. Talem te ergo exhibere ſtude, cui Deus & Prælati fidere poſſint, & arduа negotia committere: id autem obtinebis cùm totus fueris pulcher,& ſine macula; integer ſpiritu, & corpore, Chriſto conformis & ei valde obſequens, promptum te, ac expeditum offerens ad multa pro ipſo certamina ac tormenta toleranda
Act.21.v.13. inſtar eiuſdem Pauli qui dicebat: *Ego non ſolum alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum propter nomen Domini Ieſu. Cui ſit honor & gloria in ſæcula, Amen.*

EXHORTATIO XXIV.

Pro feſto Aſſumptionis circa Euãgel.& pro feſto etiã Annunciationis.

De variis virtutibus & actibus maximè contemplatiuæ vitæ, & actiuæ, à quibus cor Dei dicitur vulnerari: & quomodo per illos ſingulari modo Deipara eum vulneraſſe dicatur.

Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.

1. NOn caret myſterio bis dixiſſe ſpõſum, *vulneraſti cor meum*, ad denotandum tum amoris magnitudinem, ac vulneris efficacitatem,tum verò eiuſdem certitudinem: vt ſpõſa certa maneret, ſe ab ſponſo diligi, & eius amore eſſe vulneratum.Res enim arduas, credituque difficiles bis affirmamus, vt credibiliores fiant. Quid autem magis arduum, & fidem humanam ſuperexcedens, quàm Creatorem à creatura; & Dominum maieſtatis à pauperculi ſerui anima poſſe vulnerari? Sed adhuc maius latet myſterium in hac bina repetitione. Laudauerat enim ſponſus dilectæ pulchritudinem in ſingulis ſuis membris, atque vno verbo laudes concludens dixerat totam eſſe pulchram, & immaculatam.Núc autem miro artificio ait primò; *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa*, ſcilicet vniuerſa hac pulchritudine tua; nam vulnerauerunt tui oculi, & capilli, labia & genæ, collum, & vbera, & quidquid in te extrinſecus apparet, & intrinſecus latet, quia totum eſt pulchrum, & ſine macula. Sed rurſus laudes amplificans, ait ſecundò: *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Tam magna enim eſt hæc tua, tuorumque membrorum pulchritudo vt etiam vulnerauerit cor meum vnus tuus oculus, & vnus crinis tuus, à quibus te laudare cœpi: quanto ergo fortius vulnerauerunt me cuncta ſimul? Hoc autem inquit ad ſignificandum non ſolum totam animæ ſanctitatem ſimul ſumptam, ſed ſingulas etiam eius virtutes magnas & paruas, nobiliores & minus nobiles, valde ſibi placere. Videtur in hac ſimilitudine alluſio fieri ad morem fœminarum Orientalium, quæ teſte Tertulliano [a], Ioſepho [b], & D. Hieronymo [c] honeſtatis, & pudoris cauſa, ne à viris viderentur, vix vno oculo liberato, tota reliqua facie velo operta, illo tantum vno oculo duce incedebant, & huius oculi pulchritudine dicit ſe amoris vulnere ſaucium.

[a] Lib. de habitu mulierum.
[b] Lib. 11. Antiquit. c.9.
[c] Epiſt.ad Demetriadem de ſeruan.Virg.

2. Si hæc autem ad myſticum ſenſum referas placet interpretatio quam D.Ambroſius inſinuat dicens duplicem eſſe oculum, mentis ſcilicet & carnis. Et cùm ſponſus ait: *Corde nos cepiſti ab vno oculorum tuorum*, (ſic enim legit ipſe) intelligendum eſſe de oculo mentis, vt diſtinguitur ab oculo carnali, qui non videt quæ diuina ſunt. Vnde Saulus vt Chriſtum videret hos oculos carnis amiſit. Abnegandus igitur eſt,& excæcandus oculus iſte carnalis,& ſuperbus,vt Deum contemplari poſſimus, quia non vulnerat Deum, ſed potius auolare facit. Fortè D.Ambroſius per oculũ carnis intelligit cognitionem quæ à ſenſibus deſumitur, & illos ſequitur: per oculum verò mentis fidẽ quę diuinæ nititur reuelationi obſcuræ, ſenſus abnegat vt Deo ſe ſubmittat. Fidelis ergo & pudica anima ambulat coram Deo velata facie,& oculo ſenſuũm, cùm arcana eius myſteria cõtemplatur, ſolumque diſcoopertũ habet oculum puræ & ſinceræ fidei dilectione flagrantis, quo eum intuetur, & vulnerare dicitur. Aliam præcedenti conformem idem ſanctus Doctor innuit interpretationem,aſſerens Eccleſiam duos habere oculos, myſticum,& moralẽ. Ille acutior eſt,hic dulcior: Ille plus videt Deum, quia per contemplationem diuina profundius penetrat myſteria:iſte circa moralia verſatur, & ex iis quæ nouit ad ea quæ Deo placent peragenda dirigit. (Fortè ſi oculi ſunt quos Theologi vocant intellectum ſpeculatiuum & practicum,vtrumque diuino lumine illuſtratum, de quo nos alibi.) De myſtico autem oculo intelligit verbum ſponſi, *vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* Sed tunc argumentum eſt à minori ad maius,ac ſi ita argueret; ſi vnus oculorũ tuorum vulneraſti cor meum, quanto magis ambo vulnerarent; ſed tam eximia eſt tua pulchritudo vt ſat fuerit vnum vidiſſe vt amore ſaucius manerem.

3. Cæterum altior ſenſus indicatur ſi nomẽ,*in vno* vſurpetur pro vnione,ſicut D.Gregorio,Bedæ,& aliis Patribus placet;id eſt,vulneraſti me in vnione & colligatione quam inter ſe habent oculi tui, quia ſimul coniunguntur oculus myſticus,& moralis, ſpeculatiuus, & practicus, contemplatio & actio.Simul enim intueris myſteria, & præcepta; illa credis & veneraris,hæc etiam diligis & opere perficis. Et hanc interpretationem deinceps proſequemur, in qua pluralatent perutilia documenta. Præſupponenda tamen ſunt quæ à principio huius libri de oculis & capillis diximus, & fuſius in libro 4. de oculis, vbi ex parte præſens verſus explicatus eſt.

Ser.21. in Pſal.118.v.2.

Lib.7.exhort. 1.2. &.3.

Lib.4.exhort. 11. 12.& 13.

Duplices eſſe virtutes charitate vnitas,& cor Dei vulnerantes. §. 1.

SCopus igitur huius laudis eſt vnionem virtutum,affectuum, & operationum animæ commendare. Quæ tamquam vna preciosa margarita omnibus eſt anteponẽda; quia Deo eſt magis grata. Ad cuius intelligentiam aduertendum eſt oculos,qui intra mẽbra corporis nobiliſſimi reputantur,& capillos qui inferiorem tenent locum, duo repreſentare genera virtutũ: illos quidem eas quæ ſuperioris ſunt ordinis,mentemque & ſpiritũ perficiunt: hos verò reliquas inferioris ordinis, quæ appetitus ſentientes,& corpus infrænant,rationique ſubijciunt. Vtræque Deo placent, & eius cor vulnerant, ideoque bis dicit: *Vulneraſti cor meum.* Sed priores multo magis vulnerant,& ideo de illis loquens addit:*ſoror mea ſponſa*,quoniã in eis magis ſplẽdet ſororis dignitas,& ſpõſæ; quæ tamen ſecundò non repetit, quoniam poſteriores non nouam adduãt dignitatem,ſed eamdem ornant.

Vt autem

2. Vt autem hæ virtutes cor Dei vulnerent oportet connexas eſſe ad inuicem, id enim denotat
Ad Col.3. v.14. ipſa loquendi phraſis *in vno oculorum*, id eſt,in eorum vnione quam per charitatem obtinent, quæ eſt vinculum perfectionis. Vulnerat quidem cor Dei fides,ſed quæ per dilectionem operatur: vulnerat ſpes,ſed quę amori coniungitur: vulnerat deuotio & oratio, ſed quæ charitati ſociatur. Vulnerat obedientia,ſed quæ vocatur obedientia charitatis: at ſi charitatem auferas, nec fides, nec ſpes, nec prophetia, aut traditio corporis, ita vt ardeat aliquid proderunt ad cor Dei vulnerandum, & rapiendum ſibi. Et ideo D. Paulus charitatem vocat excellentiorem viam: melius chariſma, & omnium virtutum maximam, præcepti finem, ac perfectionis vinculum, quam totis viribus ſectandam monet. Ipſa etiam eſt potiſſima animæ pulchritudo, forma, decor, & ſplendor aliarum virtutum; quę ſine illa venuſto carent
1.ad Corinth.13. ſplendore. Ad hoc autem ſignificandum poſt omnes laudes ſponſæ vt ſciret vnde illi prouenerint ait: *vulneraſti cor meum*, in vnione quam habent oculi tui; hæc rapuit cor meum, & illud tranſtulit in te.

3. Confirmat autem hoc quod ſubditur, *& in vno crine colli tui*: non ait in vno capillo, quia vnus capillus parum pulcher eſt ad vulnerandum, ſed in vno crine, qui eſt plurium capillorum collectio artificioſè colligata, vt ſignificet quòd etiam virtutes inferioris ordinis in tantum vulnerant, in quantum vnitæ ſunt, & colligatæ cum prudentia quæ virtutes morales dirigit, medium rationis eis præſcribens, ſed multo magis cùm etiam inſtar crinium vitta coccinea charitatis ligantur,cui connectuntur virtutes morales quæ vocantur infuſæ, & alias naturales perficiunt. Vulnerant quidem cor Dei,abſtinentia, virginitas & modeſtia, ſed cùm charitati ſunt vnitæ, alioquin erunt quidem pulchræ ſecundùm rationem, & iuxta naturam, non tamen ſufficient cor Dei rapere, & ad ſe trahere. Propter quod non inquit ſe vulneratum in vno crine quomodocumque, ſed in vno crine ad modum torquis circumdante collum, quod ſymbolum eſt obedientiæ ad legem, & ad portandum Dei iugum. Huiuſmodi enim virtutes ex eo Deo valde ſunt gratæ, quòd conducunt ad eius legem ſeruandam, & animam ad id promptam, & expeditam reddunt:ieiunium enim,eleemoſyna, & alia virtutis opera quæ ex fine vano, aut terreno fiunt, non placent Deo, ſed illa tantum quæ fiunt vt collum circumdent, legem ſeruent, & Deo per obedientiam ſe ſubijciant.

4. Qualis ſit hæc vnio cor Dei vulnerans. Sed notandum eſt diſcrimen inter oculorum & capillorum vnionem. Illa enim tota eſt à natura: hæc partim ex arte. Illa in eo conſiſtit quòd ambo oculi vnum ſint ſimili magnitudine, ſitu, colore, & motibus omnibus. Simul enim aperiuntur, & clauduntur, & in vnum vel aliud latus feruntur. At capilli, etſi in vno capite radicentur, tamen inter ſe diſſecti ſunt,& diſperſi,niſi vitta aliqua conſtringantur, & ideo aſſimilatio non fit capillis defluentibus circa collum, ſed connexis. Per hoc autem duplex vnio virtutum maximè ſupernaturalium, & donorum Spiritus ſancti deſignatur. Altera ſecundùm habitus, & hæc eſt ex ipſa natura gratiæ ſanctificantis, quæ omnes ſibi virtutes infuſas ac Spiritus ſancti dona ſecum trahit, & nectit, nec ſine illis eſſe poteſt, nec illa ſine ipſa, excepta fide & ſpe quæ ad eam introducendã diſponunt. Altera verò vnio eſt ſecundùm actus, & operationes: & hæc quamuis in eodem Chriſto capite noſtro radicetur, tamen etiam à noſtra induſtria, cùm Dei auxilio prouedit, cùm actus & operationes noſtras vitta coccinea charitatis cõſtringimus, vt ex eius impẽrio ad eumdem finem tendant, & huiuſmodi vnio valde cor Dei vulnerat: quod amplius explicat verbum illud, *in vno oculorum tuorum*; ſi oculus ſignificat intentionem animi in ſuis operibus iuxtà illud: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit*, ſicut alibi fusè explicuimus, aſſignantes plures intentionis gradus: quorum ſupremus eſt qui vocatur oculus ſimplex,ſeu oculus vnus omnia ſua ad vnicam dumtaxat Dei gloriam, & eius beneplacitum propter ſeipſum dirigens, & de hoc ait ſponſus: *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum*, id eſt, in vno illo ad quod tui oculi diriguntur, quod intentione prætendis, meditatione inquiris, affectu deſideras, & toto corde complecti niteris dicens; *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?*

In §.ſequẽti amplius hoc explicatur.
Matth.6. v.22.
Lib.4.exhort.12.& lib.2.exhort.17.
Sublimis intentio ad vnum tantùm tendens.
Pſal.72. v.28.

5. Hæc vna, & indiuiſa intentio propria eſt puriſſimi & caſtiſſimi amoris qui in ſolum Deum fertur, & non in dona eius, niſi vt in ipſum referuntur, multipliceſque binarios oculorum ſuprà relatos valde vnit. Quod ſic explicat D. Ambroſius in illud Pſalmi: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes, quando conſolaberis me?* Non ait Dauid,quando conſolaberis nos,etſi plures ſint oculi,quia inquit, oculus mentis, & oculus carnis vnus oculus fiunt; & tunc homo conſolatione fulcitur,cùm caro, & mens diuerſa non cupiunt, ſed vnum deſiderant, vnum requirunt,ideò intenti ad eum qui ait: *Ego & pater vnum ſumus.* Iſti quoque oculi vnum eſſe confitentur, quia vno eodemque deſiderio, officioque funguntur. Per eamdem intentionem vniuntur etiam omnes animæ cogitationes, & affectiones,quæ per capillos deſignantur, & efficiuntur vnus crinis, ornans eius collum diuinæ ſubiectum voluntati. Nam quæ præcepit Deus,cogitare ſemper libet: vanas, inutileſque ac vagas cogitationes reprimit, & hac vitta fortiter conſtringit, vt in Deum, & in ea quæ Dei ſunt iugiter ferantur. Hoc igitur vnum vulnerat cor Dei, & illud aufert ſibi ac dona ipſius: hoc illud excitat, vt nobis beneficiat: hoc nouum illi indit cor vt nouis donis ſuæ gratiæ nos cumulet, & perficiat: hoc denique fidere illum facit vt glorioſiora per nos, & in nobis aggrediatur facinora, vincat certamina,reportet trophæa.

Serm.11. in Pſal.118,v.2. “ “ “ “ “ “ “ Ioan.10. v.30.

A cognitione & affectu contemplatiuæ vitæ cor Dei vulnerari. §. 2.

HInc deducemus pulcherrimam vitæ cõtemplatiuæ deſcriptionem, quæ cor Dei maximè vulnerat cognitione & affectu; illa per vnum oculorum deſignatur, hic verò per vnum crinem colli. Cognitio eſt rerum contemplatio diuinarum, quæ duplici oculo fieri poteſt, ſcientiæ & fidei. Scientia lumini naturali nititur, & per diſcurſus,& ratiocinationes procedit; lumen autẽ fidei à dono ſupernaturalis ſapientię,ſcientię,& intellectus adiutum, vnica ratione propter Dei authoritatem reuelantis, cuncta manifeſtat, & cum vniuntur & fiunt quaſi vnus oculus, valde ſe iuuant ad contemplandum diuinà:ita tamen vt ſciẽtia ſubijciatur fidei, nihilque conſideret niſi fidei lumini ſociata, & ab eo directa. Quare ab hac ſacra contemplatione reijcitur ſcientia inflans,

& inanis philosophia, ac humana sapientia, quæ tantum circa terrena, & creata secundum proprias naturas versatur. Illa tamen scientia probatur, quæ vnus oculus cum fide effecta diuina contemplatur, creatorem intuetur, creaturas verò, vt ab ipso procedunt, velut in eis diuinæ resplendent perfectiones, vt ex creatis ascendat ad increata, & ex temporalibus in sempiterna, eo fine vt Deum ita cognitum ardentiùs amet, & veneretur, in eoque suum vltimum finem, ac vnicam constituat felicitatem. Quod ita creatori gratum est, vt dicat: *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorũ.* Nam quamuis multis polleas scientiis, & variis sis illustrata luminibus, me vnico tantum intueris oculo, & vnico lumine in quod omnia alia reducis, dum tantum meæ reuelationi niteris, & per lumen tibi à me infusum diuina contemplaris. Vnde, ideo Deus vulneratur ab hoc vno oculo, quia ipse prius vulnerauit illam infundens ei lumen, quo cum posset intueri, iuxta illud, *in lumine tuo videbimus lumen.* Et: *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.*

Pſal.35. v.10. Ad Epheſ. 2.v.8.

Sed non sufficit ad vulnerandum cor Dei nuda cognitio, nisi fœcunda sit, pluresque & vehementes pariat voluntatis affectus, & actus; ad quod significandum vtitur coniunctione dicens: *& in vno crine colli tui.* Nec mirum esse debet huiusmodi affectus per capillos connexos significari; siquidem ipse sponsus paulò antè comparauit eos gregibus caprarum ascendentium de Galaad. Capreæ oculos habent valde perspicaces, sed fœcundæ sunt fœtibus, maximè cum vberrimis aluntur pascuis, cuiusmodi erant montis Galaad. Vnde sicut capilli à capite oriuntur, & iuge accipiũt incrementum; sic affectus à mente quæ caput est hominis, cuius sunt cogitationes, proueniunt. Sed quia plurimi sunt & diuersi, oportet eos ligamento diuini amoris connectere, ex eisque quasi crinem in modum torquis contexere, quo circumdetur, & ornetur collum obedientiæ ad legem, & voluntatem Dei, & tunc perfecta erit vita contemplatiua, assequens illud vnum de quo Dominus ad Martham ait: *Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima: porrò vnum est necessarium: Maria optimam partem elegit.* Duplici nota Martham inurit; & quia solicita; quod ad curas, & cogitationes varias & vagas refertur: & quia turbata, quod ad passiones, & affectiones animi immoderatas attinet. At vnum necessarium, solicitudinem, & turbationem præscindit, quia cogitationes, & affectus in solum Deum dirigit, cui iugiter placere & obsequi studet, & hæc est optima pars quam elegit Maria de qua dicitur: *vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.*

Vide ſuprà exhort.2.

Lucæ 10.

3.

Priùs quidem vulneratur ab vnitate oculorum, sed fortius ab vnitate crinis, quia licet cognitio contemplationis Deo sit grata, magis eum allicit affectus vehementia. Et maior vnitas est in affectibus quàm in cognitionibus circa Deum, de quo plures sunt discursus, & meditationes; sed omnes eumdem amorem Dei pariunt. Quòd si varios gignunt affectus, timoris, reuerẽtiæ, gratitudinis, laudis, & alios eiusmodi; omnes tamen eumdem amorem nutriunt, & in illum refunduntur: & hac forte de causa, cùm dixisset se vulneratum non in vno oculo, sed *in vno oculorum*, non ait similiter vulneratum in vno crinium, sed in vno crine in modum torquis ambientis collum, vt significaret affectus in strictiorem redigi vnitatem, quàm meditationes, triplex enim in huiusmodi crine inuenitur vnio. Prima capillorum cum ipso capite à quo procedunt. Secunda cum ipso ligamento eos constringente. Tertia cum collo quod per modum torquis circumdant; sic etiam multitudo virtutum, & affectuum qui in sancta anima vigent, triplicem habent spiritualem adhæsionem. Primam & potissimam ad caput suum, scilicet Deum & Christum, à quo omnes procedunt, cum præ omnibus, & super omnia circa ipsum versentur. Nam fides Deo reuelanti credit, spes in eum confidit, religio se Deo deuouet, obedientia obsequitur, gratitudo gratias reddit, humilitas se ei submittit; denique charitas eum diligit ex omnibus viribus suis; quia omnes vires tam naturæ quàm gratiæ in ipsum conuertit, & ei vniri satagit. Hinc est virtutes & affectus valde diligere ipsum met ligamentum cui summoperè adhærere curant, nec ab eo vellent diuelli: Nam & ipsa charitas, vt D. Thomas docet, maximè seipsam diligit, ac sui conseruationem appetit; & qui diligit proximum (inquit D. Augustinus) consequens est vt præcipuè ipsam dilectionem diligat; non tantùm increatam quæ est ipse Deus, sed creatam quam sibi & aliis concupiscit. Et sicut membra corporis maximè cupiunt vnionem cum anima ea viuificante, sic omnes virtutes summoperè optant conseruationem charitatis, & colligationem cum ea, à qua vitã recipiunt, vt dignè operentur. Tandem virtutes & affectus ad modum torquis circumdant animam obedientem, & eam ornant, ac muniunt ad obseruantiam diuinæ legis, cui perpetuò adhærere cupiunt. Lex enim omnium virtutum actus præcipit, aut consulit. Cùm autem à dilectione Dei, & proximi vniuersa lex pendeat, & Prophetæ, nec dilectio & obedientia ab inuicem separantur, iuxta illud: *Si diligitis me, mandata mea seruate.* Rursus: *Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me:* Hinc est ex omnibus præceptis, & virtutum actibus charitati connexis monile fieri collum ornans, & circumdans. Quid ergo mirum quòd Deus dicatur vulnerari ab vno crine colli, in quo tanta resplendet pulchritudo, tam mira varietas, & tam grata & iucunda vnitas? Vnde inferius ab eisdem capillis se vinciri insinuat, cùm inquit; *Comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus*: de quo suo loco.

Triplex vnio affectuum.

Ioan.14. v.15.& 21.

Cant.7.v.5.

Ex dictis infertur sanctam animam contemplationi deditam per huiusmodi cognitionem & affectum auferre sibi cor Dei, & cætera bona consequi quæ in his verbis insinuantur iuxta dicta in exhortatione præcedenti. Etenim vehementer amans alium, vt D. Thomas docet, quasi extra se exit vt sit in re amata dupliciter. Primò per apprehensionem, quoniam non est contentus superficiali cognitione illius, sed vi quadam fertur, aut rapitur ad eius intima disquirenda, scrutanda, & comprehendenda. Quomodo de Spiritu sancto qui est amor Dei, dicitur quòd scrutatur omnia etiam profunda Dei. Cæterũ non satiatur hac scrutatione, sed etiam rapitur, vt sit etiam intra illam per affectum complacentiæ, ac si esset vnum cum illa, & vtriusque esset vnum cor & vna anima viuens in re dilecta, & permanens in ea. Vtrũque manifestauit Deus Moysi vt sciret se ab eo diligi cùm dixit ei: *Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me.* Primum refertur ad cognitionem,

4.

1.2.q.28. art.2.

1.Cor.2. v.10.

Exod.33.v. 12.& 17.

tionem, secundum ad effectum. LXX. versio quam D. Augustinus, Cyrillus & alij Patres sequuntur sic habet: *Noui te præ omnibus*, vel, præter omnes, quia singulari cognitione eum intuebatur gerens curam illius, & omnium ad ipsum spectantium. Quo sensu ait D. Paulus: *Cognouit Dominus qui sunt eius*: & Saluator ipse: *Ego cognosco oues meas.* Quomodo non cognoscit reprobos quibus dicet *non noui vos?* Inuenire autem gratiam coram Deo est vehementer ab eo diligi, vt Deus complaceat sibi in illo, delecteturque intra illum esse, & cum eo confabulari, sicut amicus cum amico; quia delitiæ eius sunt esse cum huiusmodi filiis hominum, de quibus dicit: *Aluſtulisti nobis cor in vno oculorum, &c.* Quia vnio tuarum cogitationum & affectuum, cor meum ad te rapuerunt, & intra te, ac tecum ligatum tenent.

Apud Lipomanum in catena.

2. ad Timoth.2. v.19. Ioan.10. v.14. Matth.7. v.23.

A

B

De vnione vitæ contemplatiuæ & actiuæ quæ cor Dei vulnerat. §. 3.

1. Lucæ 10. v.4.

HInc etiam deducere licet aliam horum verborum interpretationem de connexione vitæ contemplatiuæ, & actiuæ, inter quas non parua solet esse dissensio sicut inter Rachelem & Lyam, Martham, & Mariam, etsi sorores essent. Rachel e inuidens fœcunditati Lyę dicebat marito; *Da mihi liberos, aloquin moriar*: Lya verò cùm maritum semper Racheli ob eius pulchritudinem adhærere videret, sibi eum attrahere curabat; nec sorori mandragoras dare voluit nisi consensum præberet: Ita contemplatiua cùm Deo tantùm vacare studet, sterilis est, nec filios spirituales generat, inuidetque actiuæ, quę plures Christo parit. Hæc autem dum ministeriis proximorum attendit, absentiam Dei experitur, quia mens in varia negotia distenditur: at ardens Dei charitas sorores in concordiam multoties redigit, & perfectã animæ vitam instituit ex contemplatione, & actione contextam, ita magnanimiter se vtrique suis temporibus aptans, vt vna alteram non impediat, quin potius iuuet: sicut de quibusdam Abbatibus testatur Cassianus, & superius id satis confirmauimus documentis & exemplis.

Genes.30. v.1.& 15.

Collat. 19. c.9.

Ad vtriusque vitæ perfectionem inuitauerat sponsus dilectam suam cùm dixit: *Ascendam in montem myrrhæ, & in collem thuris*, vt sequeretur ipsum, qui noctes transigebat orando, & dies immenso labore vbique prædicando. Secuta autem est illum, vnde audire meruit: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Non elegisti tantùm optimam partem ex duabus, sed totum quod vtramque complectitur; & ideo non es pulchra tantùm ex parte sicut Rachel, sed tota pulchra contemplationi vacans simul & actioni; & quod mirabilius est, macula non est in te, cùm vtrique vitæ incumbis. Ad hanc igitur totam, seu duplicatam pulchritudinem attendens, modò ait: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa; vulnerasti cor meũ.* Vulnerasti cor meum operibus vitæ contemplatiuæ, diuinæ vacans dilectioni: vulnerasti iterum cor meum operibus vitæ actiuæ, proximorum incumbens vtilitati: & ob vtrumque soror & sponsa, multorumque filiorum mater: Nam: *Qui facit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, soror & mater est.*

Matth.12. v.50.

2.

Sed ampliùs explicans, à quo potissimè vulneratus sit, vtramque vitam connectit sub duplici similitudine cùm ait; *In vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Vnio oculorum ad vitam pertinet contemplatiuam, quæ in visione, & intuitione æternæ veritatis consistit. Ad quam intuitionem omnes interni vniuntur oculi. Vnus autem crinis colli, vitam denotat actiuam, quę proximis prædicando prodest. Collum enim quod vocis organum est, pro prædicationis munere superius diximus vsurpari. Crinis autem vnus collum in modum monilis circumdans, virtutes illæ sunt quæ prædicatorem pulchrum reddunt, & idoneum ad suum munus obeundum. Nam dum à capite Christo descendunt, & vitta coccinea charitatis ligantur, monile constituunt prædicationis satis decorum, de quo suprà dixerat: *Collum tuum sicut monilia.* Illa ergo anima, in qua ex Dei gratia, & liberalitate omnes vniuntur virtutes, & dona, quæ illius oculos illustrant ad ipsum Deum contemplandum, & collum muniunt ad eum populis prædicandum, maximè diuinum cor vulnerat, abstrahit, & sibi rapit per pulchritudinem quæ ex prædictis donis resultat.

Lib.3.exhort.28.

Cant. 1.v.9.

Nec enim sine mysterio non ponitur hîc collum ornatum monili aureo, vel argenteo, sed crine proprio ex ipso capite pendente; quoniam non vulneratur sponsus ab extrinseco ornatu splendenti, sed à proprio & innato. Monilia aurea vel argentea colli prophanæ sunt scientiæ inflantes, & eloquentiæ superbæ phaleræ, à quibus si vulnus recepit sponsus, non est amoris, sed doloris. *Quid enim paleis ad triticum, dicit Dominus?* Et quid diabolicæ sapientiæ, animali, & terrestri, cum Angelica, cælesti, & diuina? *Sermo meus & prædicatio mea* (inquit Apostolus) *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis. Fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Ex propriis ergo capillis à capite pendentibus, & ex gratiis, donis, & virtutibus à Christo Domino receptis ornatus proprius & potissimus prædicatoris, & eius torques, ac monile conflari debet, vt Dei cor vulneret, & proximorum corda eodem amoris vulnere sauciata reddat. Non negamus ex Ægypti spoliis ditatos, & ornatos esse Hebræos, & ex Philosophorum libris & sententiis ornamenta aliqua desumere posse sacros concionatores, sed quæ sint propria, & legitima eorum ornamenta insinuare voluimus; quoniam Cherubini & Seraphini vt alibi ex Dionysio obseruauimus, non pinguntur in Scriptura extrinsecis vestimentis induti, sed propriis alis operti, ad significandum quòd vbi est diuinæ scientiæ plenitudo & ardor charitatis non sunt necessaria ornamenta extrinseca, sed sat ornant propriæ à Deo receptæ virtutes, & dona.

Ieremi.23. v.28.

1.Cor.2.v.4.

C

D

Quomodo Beata Virgo vulnerauit, & abstulit cor Dei. §. 4.

Pro Feſto Annunciationis B. Mariæ.

CVncta quæ in his duabus exhortationibus diximus, aptari eminentiùs possunt gloriosissimæ Virgini Mariæ, maximè eo temporis momento quo assumpta est in Matrem Dei Angelo prius mysterium istud annunciante: tunc enim singulari quadam ratione dixit illi cælestis sponsus; *Vulnerasti cor meum*: aut tota Trinitas: *Abstulisti nobis cor in vno oculorum tuorum & in vno crine colli tui.* Ad duo enim capita reducit ea quæ præ aliis dignam fecerunt hanc Virginem, vt ad sua viscera traheret ipsum Deum, ex eaque carnem assumeret, nimirum ad vnum oculorum, & ad vnum crinem. Oculi Virginis perspicacissimi & valde inter se vniti, fuerunt eximia fides qua à Deo

1.

reuelata credidit, & si noua, inaudita, & omnem rationem ac potentiam humanam & creatam superantia essent. Sapientia item qua diuina contemplabatur, & ipsum Deum semper intueri tamquam præsentem, ac placere vnico & simplicissimo intentionis oculo contendebat; ac simul prudentia mirabilis qua fundamenta credendi, & operandi perscrutabatur, ne quid sine conuenienti examine & sufficienti causa credere, vel operari temerè aggrederetur. Nam: *Qui citò credit leuis est corde, & qui festinus est, pedibus offendit.* Vnde & pennata animalia quæ celerrimè mouebantur, in circuitu & intus plena erant oculis ne offenderent cùm festinarent.

Ecclı.19.v.4 Prou.19.v.2 Ezech.1. v.18.

Cùm ergo Angelus Gabriel salutauit eam dicens: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, omnes suos oculos in eius verba cõiecit, *vt cogitaret qualis esset ista salutatio.* Audit eximias suas laudes, & non extollitur, sed turbatur: non excæcatur vt citò credat aliquid supra se, sed oculos acuit vt cogitet quod audit de se. Occurrit Angelus vt timorem pellat, & annuntiat filium Altissimi esse cõcepturam ac pariturum. Sed mox oculus prudentiæ amplius acuitur, vt examinet quod sibi annuntiatur, & ideo ait: *Quomodò fiet istud quoniam virum non cognosco?* Deus non potest esse sibi aduersus. Ipse voluit, & inspirauit, vt virginitatem meam ei consecrarem, modò vult vt filium concipiam: & pariam, quomodò hæc duo cohærebunt, & quod reuelas fiet? Nam etsi præcellentissimus sit filius quem mihi promittis, præciosissimum etiam est mihi fidem Deo seruare, & quod promisi implere. Instruit Angelus Virginem modum concipiendi per Spiritum sanctum superueniẽtem, & virtutem Altissimi obumbrantem illum: confirmat exemplo sterilis quæ concepit in senectute sua; *Quia non est impossibile apud Deum omne verbum.* Tunc virgineus oculus fidei, humilis obedientiæ crine collum cingens ait: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.*

Lucæ 1. v.28.

In hunc locum.

O crinis pulcherrimus! Crinis (inquit Rupertus) est cordis virginei vniformis, & indeficiens humilitas. Quid vno crine gracilius? & quid humilitate subtilius? quid crine flexibilius? & quid humilitate confractius? crinis vnus vix comparet, & humilitas Virginis vix consentit quòd computari inter homines possit. Sed crinis colli vocatur, quia collum flectit, & diuinæ ordinationi ac voluntati submittit.

Vix autem verba hæc Virgo finierat; cùm cælestis sponsus ait: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, &c.* Hoc est, ad cælum vsque virtutes tuę pulcherrimæ spicula miserunt, quæ cor meum vulnerarunt, stimularuntque vt in terras descenderem, & homo fierem. Per eas *excitasti cor meum*, & misericordiæ meæ viscera prouocasti, vt memor mei promissi illud implerem, & ad succurrendum hominibus venirem. Per eas item abstulisti nobis cor (inquit æternus Pater) quia dilectissimum meum filium, qui est quasi cor meum, & res vnicè mihi dilecta, rapuisti ad te, vt in tuis visceribus carnem sumeret. Per eas abstulisti mihi cor (ait Filius vnigenitus) quia me ad te traxisti vt essem filius tuus, vnumque tecum fierem, non solum per amorem, sed per carnem ex te assumptam. Tu etiam *excordasti me*, vt exinanirem memetipsum formam serui accipiens, & ea quæ insana mũdo videbantur, perpetrarem. O Virgo sanctissima, si cor Dei vulnerasti & abstulisti, quomodo non etiam cum illo cuncta eius dona capies tam tibi, quàm nobis? Quoniam eras gratia plena, vndequaque tota pulchra, & sine macula, abstulisti Dei cor quod est Spiritus sanctus amor Patris & Filij, & nouo modo illum ad te traxisti vt filij Dei in te operaretur conceptionem; *Spiritus enim sanctus* (ait Angelus) *superueniet in te.* Ad quid autem superuenit, nisi vt quæ eras plena tibi, fieres superplena & supereffluens nobis? Vnde in die Pentecostes eiusdem Spiritus aduentum accelerasti, & in corda hominum hoc diuinum cor transtulisti. Quid ergo non impetrabis à Patre quæ ab illo potuisti quasi auferre & rapere tibi filium? Et quid non implorabis à Patre & Filio, qui rapere ad te valuisti vtriusque Spiritum?

Mira valde est Deiparæ per Filium potestas vt cor Dei excitet ad succurrendum miseris, & benefaciendum omnibus. Cor enim Dei aufert & trahit, ad infideles quidem, per viuam fidem; ad peccatores per gratiam, ad iustos per noua gratię incrementa, & ad electos per gratiã consummatam. Cor etiam Dei aufert, quia multa quæ Deus corde conceperat, & erga peccatores decreuerat facere, eius precibus ab illo remouet, & quasi mutat; quia ab æterno propter illas mutare decreuerat; id intercessione Matris efficiens: quòd si illa non esset, aliter disposuisset. Quoties peccatores perimeret, rebelles demergeret in infernum, & regna ac ciuitates deleret, nisi oratio Virginis impediret, & voluntatem illam quasi ab ipso auferret, nouamque parcendi & benefaciendi inderet? Vt ideo dicat *indidisti nobis cor*, quia propter te nouum cor assumpsi, vt eos diligerem, quos antea odio habebam; & illis indulgerem quos acriter punire destinaueram. Non erat in corde filij deficiente vino in nuptiis statim conferre: *Quia nondum* (inquit) *venit hora mea.* At ferè confestim contulit, quia oratio matris indidit illi nouum cor, & fecit vt acceleraret horam; quoniam vulnerasti (ait) cor meum in vno tuo oculo proximorum compassiuo, & in vno crine colli tui, quo ministris obedientiam commendasti, dicens illis: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Et ideò quod vis facio, quod petis concedo.

Ioan.2.v.4

Denique *fidere me fecisti soror mea, fidere me fecisti in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*, Tua enim præclara fides virginitas & prudentia, tua profunda humilitas, & omnimoda resignatio me audacem fecit, & fidentem vt te in matrem assumerem, etsi scirem te non latere dolores, ignominias, ac dira tormenta quæ in carne mea passurus eram, quorum tu particeps futura eras: tu audacem me fecisti vt te in vile stabulum ad pariendum traherem, vt in Ægyptum iuberem peregrinari, vt in templum ascendentem te triduo desererem, vt acriter bis tibi responderem, dicens: *Quid est quòd me quærebatis?* Et: *Quid mihi & tibi est mulier?* Deinde vt iuxta crucem meam stares, & calicem passionis mecum biberes; & tandem vt me ascendente in cælum te solam relinquerem in terra, vt meæ Ecclesiæ curam gereres. Hæc tunc filius ad matrem, cuius merita & preces etiã nunc audacem faciunt, vt eos quos ipsa sub protectione sua retinet, ad glorioſa opera & fortia certamina assumat, eisque præclaris donis cumulet, & illustribus ornet victoriis & coronis. Propter Virginis enim preces, & soliciram curam quam gerit fidelium, multi obtinuerunt martyrij palmam, alij de hæreticis reportarunt trophæa; alij carnis spurcitias reijcientes illæsam seruarunt virginitatem, alij monasticam aggressi sunt profiteri vitam,

vitam, imo eius extiterunt fundatores, & patroni. Ad hæc enim per ipsos præstanda non solum ipsi audacem fecerunt Deum, sed etiam Deiparæ patrocinium: quo vtinam semper protegamur donec cum ipsa vltimam consequamur victoriam in sæcula sæculorum, Amen.

ProDom. 5. post Pẽtecost. circa illud, *Vade, & recõcilia te fratri tuo*, & pro cõmuni Virginum in id, *Inuenta vna pretiosa margarita.*

EXHORTATIO XXV.

De præclara vnione charitatis fraternæ inter prælatos & subditos, ac maiores & minores, qui sunt oculi & crines Ecclesiæ.

Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.

AM verba ista referamus ad vniuersum corpus mysticum Ecclesiæ, ac reipublicæ Christianæ tam Ecclesiasticæ, & Religiosæ, quàm etiam secularis. In quibus sunt maiores, & minores, superiores & subditi, qui gubernant & qui gubernantur. Cœtus illorum designatur per vnum oculorum; istorum verò per vnum crinem colli. Oculi dicuntur Præsules & Doctores principes & iudices, sapientes & consiliarii, gubernatoresque, & magistri aliorum, qui dicuntur lux mundi, Ecclesiæ lumen, reipublicæ luminaria, & plebis duces. Crines verò sunt minores Ecclesiæ & reipublicæ, qui, subditi sunt, & discipuli, ab aliisque docentur, reguntur, & pendent, sicut à capite crines. Dicuntur verò crines colli, quoniam conditio eorum est humilitas & obedientia ad portandum legis onus, & humilem erga maiores submissionem.

Triplicem vnionem esse inter maiores & minores. §. 1.

1.

IN his autem omnibus, quod potissimè hîc cõmendatur, & Dei cordi vulnus amoris injcit, vnitas est, & concordia eorum; eaque triplex seu in triplici gradu. Prima est maiorum inter seipsos, & hæc indicatur voce illa: *In vno oculorum*, id est, in eo quod omnes Prelati, Doctores, & Gubernatores tui sunt inter se vniti, & concordes, ac veluti vnus oculus Ecclesiæ. Secunda est minorum inter seipsos, & hæc significatur altera voce, *in vno crine colli tui.* Hoc est in eo quòd omnes fideles sint vniti ad inuicem, & seruiant Deo humero vno vt inquit Sophonias; & multitudo eorum habeat cor vnum & animam vnam, sicuti primitiui credentes. Tertia verò est maiorum & minorum inter se inuicem, & hæc denotatur per coniunctionem & quæ vnionem oculorum & crinium connectit ad vulnerandum Dei cor: & in eo consistit, quòd maiores & minores vniantur illi quidem per regimen amoris; isti per obedientiam charitatis: vt illi hos non contemnant, sed magni faciant in corde suo; hi verò illis non resistant, sed humiliter, & amanter obediant.

Sophon. 3. v. 9. Act. 4. v. 32.

Ad has tres vniones respexisse videtur Ecclesiasticus cum ait: *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus, Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier benè sibi consentientes.* Salua enim veritate sensus, quem præ se fert litera, per virum, & mulierem

Eccl. 25. v. 1.

benè sibi consentientes superiorum & subditorum ad inuicem concordiam intelligere possumus: per amorem verò proximorum, seu vicinorum vnionem & pacem ciuium, qui eisdem legibus gubernantur: cõcordia verò fratrum etiam ad maiores natu extendi potest, qui fraterna charitate sub vno Deo communi omnium patre concordiam seruant. Hæc tria probata sunt, & grata Deo & hominibus, quia & Deum valde glorificant, ædificant proximos, & tam Deum quàm homines gaudio afficiunt. Sed magis Deum, qui hac concordia summè delectatur. Vnde iuxta textum Græcum verba ista non ab Ecclesiastico proprio nomine dicuntur, sed nomine diuinæ sapientiæ quæ toto capite præcedenti multa locuta fuerat: sic enim vertuntur: *In tribus decorata sum, & exurrexi decora.* Magnus enim decor, ingensque Dei gloria est amor, vnio & concordia mutua inter fideles qui eius colunt fidem, & religionem.

Vide Iansenium ibidẽ.

2.

Vnde sapientia æterna carne induta vehementer hanc vnionem à Patre petiit in nocte Passionis, vt per illam tamquam per quid valde gloriosum mundus eum cognosceret, in eum crederet, & salvus fieret: *Ego* (inquit) *claritatem quam dedisti mihi dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus.* Claritas autem hæc secundùm diuersas Patrum interpretationes, quatuor vel quinque excellentissima dona continet, quæ Christus recepit à Patre suo, & contulit nobis, vt hanc efficerent & stabilirent vnionem. Nimirum doctrinam quam ipse audiuit, & accepit à Patre, quæ hanc dilectionem omnibus aliis præfert, & eam discipulorum suorum notam, qua ab aliis secernerentur esse voluit. Deinde vt D. Chrysostomus ait, claritas hæc potestas est faciẽdi miraculaad suam fidem & doctrinam confirmandam, & vt hanc mirabilem vnionem in mundum introduceret. At, secundùm D. Ambrosium, ipsa est filiationis præclarissima dignitas, quam Christus vt homo accepit à Patre per vnionem hypostaticam vt Filius Dei naturalis diceretur; dedit autem eam nobis per gratiam adoptionis iuxta illud: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus*, vt scilicet tamquam fratres eiusdem Patris Filii, nos inuicem per hanc charitatem diligeremus. Denique secundùm D. Hilarium & Cyrillum, claritas est ipsa diuinitas carni vnita, quàm tribuit nobis in sancto Eucharistiæ Sacramento cùm nostrum se cibum fecit, vt omnes qui de hoc vno participamus, vnum cum ipso essemus. Séd adde, hanc diuinitatem carni vnitam datam etiam esse nobis in exemplar huius vnionis iuxta illud, *hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem sicut ego dilexi vos*: id est, sicut ego cùm Deus essem, vnus per incarnationem vobiscum factus sum, vt Deus & homo vnus sit Christus, & vos in fratres assumpsi, meam diuinitatem vestræ associans humanitati, ita vos ipsos diligite, vt in me vnum sitis: addamus vltimam & nouam interpretationem cum D. Chrysostomo & Euthymio dicentibus claritatem hanc esse ipsam vnitatis cõcordiam, quam Christus infudit Apostolis, & quibusdam aliis in primitiua Ecclesia, vt per eam tamquam per stupendum miraculum alii crederent, & cum illis vnum fierent. Hæc (inquit Chrysostomus) est claritas vt sint vnum; atque etiam maior signis. Quòd ampliùs explicat circa id; *In hoc cognoscent, quòd mei discipuli estis si dilectionem habueritis ad inuicem.* Omissis (ait) miraculis quæ

Ioan. 17. v. 11. & 21.

Ioan. 13. v. 35.

Ioan. 15. v. 12.

Hom. 81. in Ioan.

Hom. 71. in Ioan. c. 13. v. 35.

Ad Ephes. 4. v. 4.

Lib. 8. de Trinit.

Lib. 11. in Ioan. c. 26.

1. Cor. 10. v. 17.

1. Ioan. 3. v. 1.

Lib. 5. de fide c. 4.

facturi erãt, dilectionis eos signo notat, quoniam vel hoc maximè sanctorum hominum est indicium, atque miracula orbem terrarum allexerunt, sed cùm dilectio præcessisset: aliter nulla secuta essent miracula. In hoc enim quàm primùm bonos reddidit, & benignos, quòd scilicet vnus erat animus omnibus. Et paulò pòst, Gentiles non ita signis adducuntur, vt vita, quam nihil adeo vt dilectio commendat.

Sed expressius hoc docuit Christus cùm petens à Patre hanc vnionẽ ait: *Vt cognoscat, & credat mundus quia tu me misisti*, id est, vt per hanc prodigiosam vnionem credant me esse Redemptorem mũdi à te de cælo missum. Prodigium autem fuit vt qui tam contrarios habebant mores sicut lupus & agnus, pardus & hœdus, leo & ouis, viuerent simul vnanimiter summa concordia & pace. Nam de ijs intelligitur quod exaggerat Dauid magnificans Deũ, *qui habitare facit vnus moris in domo*. Hoc autem tunc est prodigium magnum, cùm per naturam intercedit repugnantia morum. Paraphrasis Chaldaica vertit: *Deus qui cõbinat combinationes singulorum, filum cõbinationis simul*, id est, facit omnes & singulos combinare, cõuenire & quasi contextos & concadenatos esse eodem filo combinationis, quod est eadem fides & charitas, atque idem Spiritus sanctus connectens eos.

Ecce descripsimus multiformem claritatem quam tribuit Christus fidelibus suis, vt sint vnum per charitatem, concordiam & pacem, sicut ipse & pater vnum sunt; non quidem secundùm æqualitatem, sed secundùm similitudinem; vt sicut tres diuinæ personæ vnum sunt in substantia & in voluntate ac operatione; ita fideles vnum sunt in eadem fide, eodem sensu, & dilectione ac obseruantia eiusdem legis. Et sicut vnitas trium personarum indiuisibilis est, & inseparabilis: nec enim vmquam separari ab inuicem possunt: Sic (inquit D. Athanasius) inter iustos perpetua maneat charitatis & pacis cõcordia, & moribus sint semper indiuisi. Et rursus: Sicut vnitas Trinitatis non confundit originis ordinem inter personas, sed vnus est Pater, non tres Patres, vnus Filius, non tres Filij, & Pater à nullo procedit, sed quasi fons est & origo aliorum, Filius verò à solo Patre; Spiritus sanctus non à solo Filio vel solo Patre, sed ab vtroque: Ita etiam vnio charitatis inter fideles non confundit ordinem Ecclesiæ, vel reipublicæ. Non enim omnes sunt Pastores vel Doctores; sed vnus Pastor, alius ouis; vnus Doctor, alius discipulus. Ita tamen vt inter se inuicem æquales cum æqualibus, & maiores cum minoribus, ac è conuerso, mutuam seruent vnionem, & concordiam.

Hanc ergo intuens cælestis sponsus in Ecclesia sua ait: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa*. Tu quę vnum es mecum tamquam soror cum fratre, & tamquam sponsa cum sponso, vulnus amoris vehementis inflixisti mihi, ardentissimum in me erga te amorem excitasti, *in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*. Non tam ob pulchritudinem oculorum vel crinium, quàm ob vnionem eorum, quia omnes qui in te sunt, tamquam oculi vel tamquam crines, sunt quasi vnum cor, vna anima in vna dilectione, concordia, & pace connexi, idem sentientes, se mutuò amantes, per charitatem spiritus sibi inuicem seruientes, & alterius onera portantes.

Sed vnde hoc tibi, & mẽbris tuis, nisi quoniam ego claritatem quam accepi à Patre tribui vobis? Tibi & illis contuli ipsum cor meum, vt omnes habeatis vnũ cor: præbui Spiritũ sanctum meum, & charitatem meam vt omnes de vno viuatis spiritu, vna connexi dilectione: & quia eam valde in te seruas; *abstulisti mihi cor*: magna vi cor quod erat in me rapuisti, & transtulisti in te, vt ego viuam in te, & in membris, ac filiis tuis: *vt & ipsi in nobis vnum sint*. Quid est in nobis, nisi in virtute vnionis quam Pater & ego habemus, & ad similitudinem nostram; & in eo quòd procedit à nobis, scilicet charitate & vnitate morum vnum sitis? Quis ergo non magni faciet hãc charitatis vnionem propter quam Christus suam nobis tribuit claritatem, quam eius doctrina prædicat, testantur miracula, nectit filiatio adoptiua, ab eodem Patre progenita, diuinissimæ Eucharistiæ communio nutrit, & denique Christi ac Apostolorum exemplum format. Hęc quinque si rectè perpendas, libenter vendes cuncta quæ habes vt hanc vnam preciosam margaritam emas.

De vnione Præsulum & Doctorum, & eorum qui sunt oculi Ecclesiæ. §. 2.

IAm de singulis vnionibus quæ in ijs verbis insinuantur aliquid peculiariter dicamus. Primo loco vulneratum se dicit sponsus, *ab vno oculorum*, id est, ab vnitate eorum qui oculi sunt Ecclesiæ, Religionis, & Christianæ reipublicæ, à qua potissimè eius custodia, splendor, & perfectio dependet, & ideò gubernatores, magistri & sapientes quique inter se inuicem vnitos esse summoperè curare debent, non tantùm ob bonum proprium, sed etiam ob commune. Cuius elegantem imaginem intueri licet in duobus Cherubinis aureis quos Dei iussu fecit Moyses ad duo latera arcę, & propitiatorij, quod erat super illam. *Vtrumque* (inquit) *latus propitiatorij tegant expandentes alas & operientes oraculum, respiciantque se mutuò versis vultibus in propitiatorium*. Cherubini isti figuram referebant iuuenum alatorum, quomodò & nunc Angelos pingere consueuimus. Repræsentabãt autem Angelorum cœtum maximè superiorum, qui à plenitudine scientiæ Cherubini dicuntur. Vnde etiam consequenter significabant Ecclesiæ Prælatos & Doctores, ac sapientes qui auro charitatis & diuinæ sapientiæ fulgere debent, plenitudineque scięti arum suo muneri congruente. Respiciebant autem se mutuò versis vultibus in propitiatorium propter amicitiam, vnionem & cõcordiam quam inter se seruant in Christo, qui est propitiator noster. Numquam vnus ab altero faciem auertit inimicitiæ vel odij causa, sed amicè mutuò se respiciunt, & in oculis alterius seipsos vident; & ideo ad inuicem se diligunt, non titulo carnali, vel merè humano, sed quia se intuentur vnum in eodem Christo omnium propitiatore. Cardinalis Caietanus iuxta Hebræum dicit hunc sensum esse: *Et facies eorum vir ad fratrem suum; ad propitiatorium erunt facies Cherubim*. Ita quod non ex obliquo, neque torquendo collum, sed secundùm rectam lineam se respiciebant, & propitiatorium: quomodò duo fratres, & amici se respiciunt quando sibi mutuò colloquũtur. Extendebant autem alas sursum protegentes arcam, & propitiatorium quod operiebat illam, quoniam per hanc sui vnionem & clarissima dona quibus sunt ornati, Christum & eius fidem, ac nomen, Ecclesiamque, & rempublicam protegunt, & defendunt; vt quemadmodum duo testamẽta (quæ per hos Cherubinos etiam

etiam repræsentantur) se mutuò respiciunt, & magna concordia eumdem Christum ostendunt, sic etiam ipsi vno ore & corde reiecto omni schismate, rixa, & seditione, gregem sibi commissum, & Christum in eo tueantur.

Idem etiam confirmat effigies duorum Cherubinorum quos fecit Salomon ex lignis oliuarum omninò similes: *In mensura* (inquit) *pari, & opus vnum erat in duobus Cherubim. Vnus vna ala tangebat vnum oraculi parietem, & alius vna ala tangebat parietem alterum; alæ autem alteræ in media templi parte se inuicem contingebant*. Hæc autem omnia prædictam indicant vnitatem Doctorum, & Præsulum; quorum par mensura & vnum opus esse debet propter eumdem animum, sensum, & cor in ijs quę ad Deum, & eius fidem spectant, & ad opera misericordiæ iuxta suum munus proximis præstanda, (nam hoc denotat ex lignis oliuarum facta esse.) Non quòd non habeant diuersa dona secundùm mensuram donationis Christi, sed quia ad eumdem vnanimiter tendunt scopum, & mutuò se diligunt, & adiuuant, vt melius ministerium exequantur: hoc enim est quòd alæ eorum se in medio templi contingant, & quasi amplexentur, mutuum sibi auxilium præstantes, & se inuicem vrgentes. Quomodo de Cherubinis ab Ezechiele visis, seu quatuor animalibus alatis, quæ in Euangelistis miram hanc vnionem stupendo modo significabant, refertur quòd eorum alæ etiam se percutiebant altera ad alteram: & duo Seraphim clamabant alter ad alterum, se inuicem ad laudes Domini cohortantes. Sicut ergo Cherubini ac Seraphini, & omnes Angelorum chori tam supremi quàm medij & infimi maximam seruant inter se vnionem & concordiam tum in Dei laudibus decantandis, tum in ministeriis sibi iniunctis, ita eos qui Angelorum munus in terris obeunt, eamdem curare tenentur, ad modum quo prædicta animalia vndique oculis plena vt totum corpus videretur oculus, summa concordia ab eodem spiritu in eumdem locum simul mouebantur. Sed sublimem huius vnionis effectum indicat coniunctio & vtramque nectens similitudinem. Vt sensus sit: *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*. Inde enim fit vt etiam vulneretur *in vno crine colli tui*. Etenim ex vnione inter maiores, pendet valde vnio minorum, qui eos sequuntur, & imitantur: quamobrem in eorum vnione multoties vniuersa vnio, & concordia Ecclesię ac religiosæ familię consistit, quoniam ex illis vnio deriuatur ad alios. Quod expresè docuisse videtur Psalmista postquam dixit: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum*. Seu vt dicit paraphrasis Chaldaica, *duo vnum*, id est, habitare simul plures, qui tamen sint vnum cor, & vnanimes velut vterini fratres.

Excellentiæ huius vnionis deductæ ex hoc Psalmo. §. 3.

SEd breuiter huius vnionis excellentias, quæ in hoc Psalmo insinuantur, percurramus. Cùm enim Dauid binam ei tribuat laudem, dicens & esse bonam, seu sanctam, & honestam; & insuper iucundam, & delectabilem, quæ duo non semper coniunguntur cùm videamus multa esse bona iniucunda, & alia iucunda sed non bona: vnioni verò vtrumque inest. Quod duplici explicat eleganti similitudine, duplicique confirmat egregio fauore & præmio. Primò enim, quoniam diuersi sunt gradus inter iustos habitantes in vnum, adhibet similitudinem, quæ vnitatem ostendat in illis, & ordinem quem seruat dicens: *Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius*, id est, huiusmodi bona, & iucunda vnio est sicut vnguentum pretiosum ex multis aromatibus confectum, quo vngebatur caput Aaron, & summi Sacerdotis antiqui; & inde profluebat per genas, & tẽpora vsque ad barbã; de barba autem vsque ad summitatem vestimenti eius: ita vnanimitas charitatis fraternæ ex multis virtutibus fragrantissimis conflata, suauissimumque odorem emittens apud Deum & homines, primò vngit, & tangit eorum qui vicem gerunt capitis in Ecclesia, & alios gubernant, inde descendit ad alios viros fortes, & barbatos sapientes, & magnanimos, qui illis coniunguntur, & inde vlterius protenditur vsque ad oram vestimenti, seu vsque ad infimos, & nouissimos in Ecclesia, & congregatione fidelium. Sed quia vestimentum duplicem habet oram, alteram prope caput, & alteram prope terram; vnguentum ad illam descendit non ad istam: quoslibet enim iustos tangit qui terrenis relictis cælestia appetunt, & Christo supremo capiti coniungi cupiunt, non eos qui sola fide contenti terrena inquirunt, & illis maculantur.

Sed quoniam vnanimitas ista donum Dei est, ideò Psalmista non tantum ea assimilauit vnguento ex aromatibus confecto, quæ in terra nascuntur, sed rori etiam à cælo descendenti, & ideò subdit; *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion*, id est, etiam est velut cælestis ros qui descendit tum in montem Hermon, tum in montem Sion, & fœcundissimos eos reddit. Sed nota valde quòd cùm mons Hermon & mons Sion valde inter se distent, loqui videtur de illis ac si prope essent, & ex vno in alium ros defluereret, ad significandam mysticam vnionem Sanctorum, qui etsi loco & corpore valde distent, animo tamen & spiritu sunt valde coniuncti; & ex vno ros gratiæ doctrinæ & sapientiæ deriuatur in alium propter Sanctorum communionem.

D. Augustinus hunc Psalmum explicat de Ecclesia, quæ congregata erat in cœnaculo montis Sion, vbi duodecim Apostoli, *Erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius: Eratque turba hominum ferè centum viginti*. Inter quos vt patet, quidam erant maiores, quidam minores, omnes tamen vnanimes, & concordes eodem pretioso charitatis vnguento à Spiritu sancto vniti; paulò pòst vberius vngendi. Vnguentum autem istud, & vnio hæc à capite Christo descendit: Primò in Apostolos, qui dicuntur quasi barba ipsius propter fortitudinem, robur, & iuuenilem vigorem: ex illis verò ad reliquam Ecclesiam, quæ vestimentum est Christi, non quidem ad omnes eius partes, sed ad eas quæ Christo, & eius Apostolis per fidem simul, & charitatem coniuncti sunt. Eodemque modo intelligit rorem Hermon; nam *Hermon* (inquit) interpretatur *lumen exaltatum*, quod est Christus lumen mundi pro nobis exaltatum in cruce, à quo virtute Passionis eius ros gratiæ procedit, in montem Sion qui est Ecclesia; cuius partes quando sunt per iucundam, & fraternam charitatem vnitæ, & fœcundæ sunt & vberes bonorum operum fructus producunt.

Hoc indicat vltimus Psalmi versus: *Quoniam*

Genes. 1. v. 22. *illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in sæculum.* Benedictio Dei efficax est ad præstandum bonum rei cui benedicit, ideoque fœcunditatem tribuit. Sicut cùm benedixit piscibus & volucribus: de qua idem Psalmista inquit; *Etenim benedictionem dabit legislator. Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion*, id est, dabit electis suis auxilium quod bonis operibus fœcundos reddat, quibus in sanctitate proficiant, in dieſque fortiores fiant, donec ad Dei perueniãt visionem: hanc autem benedictionem adipiscuntur iusti per charitatis mutuam vnionem, qua se inuicem iuuãt, vt in ea crescant: & ideo ait: *quoniam illic*, scilicet vbi viget vnio, *mandauit Deus benedictionem*, copioseque effudit illam, eò quòd valde oblectatur & complacet sibi in his qui vnionem colunt: Sicut è conuerso dicere possumus mandasse maledictionem vbicumque dissentio est, & discordia; vt steriles sunt ab omni opere bono, siquidem nihil ad meritum prosunt opera sine charitate facta. Perpendit D. Hieronymus Scripturam sacram, in primo, tertio, quarto, quinto, & sexto die expletis operibus singulorum, dixisse; *Et vidit Deus quòd esset bonum.* In secundo verò die hoc subtraxisse: Nobis (inquit) intelligentiam derelinquens non esse bonum duplicem numerum, qui ab vnione diuidat, id est, quoniam Deo maximè placet vnitas, & displicet multiplicitas cum dissensione. Sicut Marthæ quæ à Maria sorore dissidebat dixit Christus: *Turbaris erga plurima: porrò vnum est necessarium.* Ideo in opere secundo die facto, quia inde diuisio incipiebat, reticuit approbationem, & complacentiam, quæ illis verbis explicatur: *Vidit quòd esset bonum.* Opus etiam illius diei secundi diuisionem contrariam vnioni quodammodo mysticè designabat. Eo enim die fecit firmamentum quod diuideret aquas quæ erant supra illud, ab eis quæ erant infra, cùm tamen antea essent contiguæ, & vnitæ. Subtrahit ergo approbationem boni ab eo quod diuisionem efficiebat, quatenus repræsentabat id quod ingerebat dissensionem. Huic rationi mysticæ alia similis adiungitur si verum est eodem die in cælo Angelos bonos à malis diuisos fuisse, sicut aquæ quæ super cælos sunt, ab ijs quæ sunt in terra, quod multis Doctoribus placuit. Subtraxit ergo Deus huic diei approbationem, non quia bonum non esset opus quod ipse in eo fecit; sed quia in eo cœpit discordia per peccatum, & factum est prælium in cælo inter Michaëlem, & Angelos eius, atque draconem & eius assecl as, vt hoc signo indicaret quantùm odio habeat peccatum & discordiam, iuxta illud Salomonis: *Sex sunt quæ odit Dominus, & septem detestatur anima eius.* Assignans autem hoc septimum ait esse, *eum qui seminat inter fratres discordias*, id est diabolum, & omnem hominem seditiosum, qui patrem suum diabolum imitatur: & quia rumpit vnitatem & pacem quæ Deo præ aliis placet, ideo maximè eum detestatur anima eius.

Lib. 1. contra Iouinian. D. Tho. 1. p. q. 74. ar. 3. ad 3. Genes. 1. Lucæ 10. v. 41. Genes. 1. v. 7. Albert. Mag. in 2. d. 5. Dionys. Carthus. ibi. q. 6. Magister historiæ in suo Genes. c. 4 dicit esse traditionem Hebræorũ. Apoc. 12. v. 7. Prou. 6. v. 16.

5. Subdit denique Dauid illic mandasse Dominum, *vitam vsque in sæculum*, quoniam vbi floret vnio, ibi floret vita gratiæ, vt sit maxima spes vitæ æternæ, quæ vltima est vnionis retributio. Tria ergo bona insinuantur in hac promissione annexa esse vnioni, nimirum vita supernaturalis gratiæ, perseuerantia in ea vsque ad mortem, & vita æterna. Sicut enim membra eiusdem corporis, quando sunt debitè sibi inuicem vnita, vitam recipiunt ab anima, & eam seruant: sic Spiritus sanctus vnire cupit fideles, vt eis vitam gratiæ, cælestiaque dona perenniter elargiatur. Quod præfiguratum videtur in eo quod Dominus Ezechieli ostendit plurima ossa sicca vehementer super faciem campi dispersa, dicens illi, *Fili hominis putas ne viuent ossa ista?* Vt autem eis vitam largiretur, Propheta vaticinante ad spiritum, factus est sonitus: *Et ecce commotio, & accesserunt ossa ad ossa vnumquodque ad iunctu-ram suam*: Quę cùm neruis essent colligata, succrescente carne & cute, *ingressus est in ea spiritus, & vixerunt, steteruntque super pedes suos.* Hæc autem si ad tropologicum sensum referas, indicant ante aduentum Spiritus sancti qui vitam tribuit fidelibus, præcedere per modum dispositionis, vnionem quæ fit per concordiam ex charitate; dilectio enim cum contritione iustificationem ipsam anteire solet, & hæc ingentia Dei dona conciliat, vitamque obtinet sempiternam: Nam: *Qui non diligit, manet in morte*; & vbi discordia est, illic mandauit Dominus maledictionem, & mortem vsque in sæculum. Qui ergo sunt velut ossa arida omni humore gratiæ destituta, si in vnionem Ecclesiæ per fidem & dilectionem colligentur, reuiuiscent, resurgent, & stabunt super pedes suos, vt rectos faciant gressus suos, & opera digna vita æterna. Sed non sine causa dicitur accessisse ossa ad ossa, non quomodocumque, *sed vnumquodque ad iuncturam suam*: Nam perfecta vnio in eo consistit vt vnusquisque proprium obtineat locum, & suum obeat ministerium, designatumque seruet ordinem: sicut in corpore naturali vnio exigit vt pes infimum teneat locum, caput supremum; hoc vniatur collo, pedes crutibus. Et hoc insinuat Cantici similitudo cùm dicitur: *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui*, quæ proprium retinent locum, ita vt crines non deserentes caput, ornent tamen collum. Vnio enim id præstat, vt quod videtur superfluum vni, cedat in alterius ornatum.

Ezech. 37. v. 2.

De vnione minorum & subditorum inter se. §. 4.

1. HInc tandem deducemus quid sentiendum sit de vnione inter minores, & subditos, qui hîc vocantur vnus crinis colli tui. Nec sine mysterio sponsus non dicitur vulneratus ab vno crinium, sicut ab vno oculorum, sed ab vno crine colli, insinuãs vnionem perfectius & strictius inueniri inter maiores Ecclesiæ, quàm inter minores. Cùm enim oculi dicantur qui ex ratione status & officij perfecti esse tenentur, vt alios regãt, doceant, exemploque præcedant, & cùm pauciores sint, ac strictiori vinculo perfectionis ligentur, vnum omnes esse deberent; propter hoc de illis loquitur ac si omnes essent perfecti & vniti; ac quasi vnum, cùm ait: *in vno oculorum*. At non omnes capilli vinciuntur in vnum, siquidem Samson septem crines habuisse dicitur: insinuat ergo sponsus Ecclesiam multos habere capillos diffluentes, & discinctos: cuiusmodi sunt innumeri fideles peccatores, qui à concupiscentiis carnis, diuitiarum, & honorum allecti, legis iugum à proprio collo excutiunt, & confringunt, atque vnionem, pacem, & concordiam iustorum perturbare solent: de quibus suprà conquesta est sponsa dicẽs: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Non vocat eos fratres, quia hoc nomen est dilectionis, & sequentib. pacis,

Iudic. 16. v. 19. Cant. 1. v. 5. Plura de hoc dicta sunt circa hunc locũ in lib. 2. exhort. 25. &

pacis, à quo degenerãt dum sororem impugnant, sed circumloquio vtitur, vocãs filios matris meę, id est, eiusdem Ecclesiæ, qui vnionem quam seruare tenebantur, nec inter se habent, nec alios habere sinunt, vnde huiusmodi non solum cor Dei non sauciant dulci amoris vulnere, quin potiùs, eius cõtra se excitãt furorẽ, vt testatur Malachias propheta dicens: *Numquid non pater vnus omnium nostrum? Numquid non Deus vnus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisque nostrum proximum suum, violans pactum patrum nostrorum?* Id est, legem vnionis & amoris patribus nostris datam. *Dispergit Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum & discipulum de tabernaculis Iacob, & offerentem munus Domino exercituum.* Hoc est, non parcet maiori, nec minori etsi religionis ergò offerat ei munera charitatis pacto violato, sed eum à suo corpore mystico tandem separabit, & disperdet: si fuerit oculus, eruet eum: si capillus, eradicabit illum, vt reliqui vniti sine scandalo maneant.

Malach. 2. v. 10. & 12. Matth. 5. v. 23.

2. Qui licet pauciores sint, cùm tamen vitta charitatis connexi vnum crinem Ecclesiæ efficiunt, collum circumdant velut torques, legem Dei amplectentes, quæ lex est amoris; ita cælesti sponso placent, vt dicat: *Vulnerasti cor meum in vno crine colli tui*: Qui pulcherrimam te reddit, & me amore sauciat. Pulchra enim est vnio fraterna, de qua in Psalmo suprà citato iuxta D. Hieronymi versionem dicitur, *Quàm iucundum, & quàm decorum habitare fratres vnà.* Coëunt enim in hac vnione sanctitas, iucunditas, decor, & gloria.

Vnde meritò sponsus inferius hanc pulchritudinem ex vnitate commendans ait: *Sexaginta sunt reginæ, octoginta concubinæ, adolescentularum non est numerus; vna est columba mea, perfecta mea.* Sexaginta reginæ animæ sunt perfectæ, quæ alios etiam regere, & docere nouerunt, quos nomine oculorum intelleximus: octoginta concubinæ, seu minus præcipuè vxores, animę dicuntur minus perfectæ quæ sub aliorum dominio constitutæ sunt, & per capillos vnius crinis colli designari diximus: adolescentulæ autem quorum non est numerus, animę sunt fideles quidem, sed effrenes, à suis concupiscentiis abstractæ, & illectæ, quæ velut capilli sunt diffluentes. At Ecclesia sponsa Christi quæ à nobiliori parte sancta dicitur, vna est columba & perfecta per Spiritum sanctum habitantem in ea, qui hanc vnam columbam gignit, hanc vnam perfectam constituit, hanc vnitatem ei largitur, vnde electa dici merearur: *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Illi dispersi, isti adunati, & vnum effecti. Et si multoties adolescentulæ tamquam capilli dissecti vnionem istam dissoluere satagant, non solum inter se ipsos, sed etiam inter maiores nisi comprimantur ab illis. Quomodo Abraham quando orta est rixa inter pastores gregis sui, & pastores consobrini sui Loth, compescuit omnes dicens: Ne *quæso sit iurgium inter me, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus.* Sed numquid iurgium non exortum est inter pastores vtriusque tantum? quorsum ergo ait: *Non sit iurgium inter me & te?* Fortè quoniam rixa pastorum excitaret rixam inter ipsorum dominos. Quando enim diuersorum herorum famuli, aut magistrorum discipuli rixantur, in ipsos heros & magistros rixa refunditur, dum vnusquisque sibi subditos tueri conatur. At si perfecti sint, & vigilantes, mox vt rixa oritur inter minores, compescunt illam, dissensionis causam præscindentes, vt omnium vnio maneat indemnis: *Fratres enim (inquit) sumus.* Maior natu multo erat Abraham, & patruus ipsius Loth, cui Loth reuerentiam debebat, & obedientiam; quia tamquam orphanum secum eduxerat è terra sua; & tamen per humilem charitatem parem se illi facit, vt seruet vnitatem; imò optionem ei dedit vt quæ mallet pascua, ipse eligeret, suo exemplo nos monens, quòd vbi maior est virtus, maior debet esse seruandæ charitatis cura; maioresque aliquando suo debent cedere iuri, & condescendere minoribus, ne pax domestica perturbetur, quæ omnibus rebus sæculi est præferenda in gloriam Dei, qui teste Apostolo non est dissensionis Deus, sed pacis in sæcula sæculorum. Amen.

Genes. 13. v. 7. De hoc in lib. 9. exhort. 3. Cant. 6. v. 7 1. Cor. 14. v. 33.

EXHORTATIO XXVI.

De præcellenti munere lactandi fideles Ecclesiæ.

Pro Doctoribus, & in id Euang. Pasce agnos meos. Versu. 10.

Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa! Pulchriora sunt vbera tua vino: & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.

Versu. 11. Hic versus explicitus est cum versu 3. dempta vltima parte quæ in exhort. sequenti explicatur.

Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

NOvis similitudinibus amplificat sponsus laudes vberum, & labiorum quæ paulò anteà laudauerat: horum autem præaliis iterum meminisse placuit, quia vehementius amorem conciliant, imò ipsum amorem indicant. Nam, vt diximus suprà, vbera pro amoribus vsurpantur cùm sedem habeant in pectore, vbi cor viget, & amor: labia etiam instrumenta sint osculandi, quod est amoris signum: vnde sponsa diuini amoris cupida ab vtroque Canticum inchoauit, dicens: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis.* Vnde sponsus vicem rependens, ferè similibus verbis eius commendat vbera odoriferis vnguentis fragrantia, & labia quæ osculandi sunt instrumenta, cum peculiari dulcedine, & suauitate. Sed quoniam de his multa diximus in præcedentibus, solum nunc perpendemus quanti faciat Deus munus lactandi spiritaliter fideles suos, præbendo eis lac sanæ ac dulcis doctrinæ, & quidquid est animæ salubre nutrimentum, quod non tantum spectat ad eos qui mystica sunt Ecclesiæ vbera, sed etiam labia vt instrumentum sunt loquendi, de quibus hîc dicitur, *Mel & lac sub lingua tua*: nam lingua tua distillat lac sicut vbera, & mel sicut fauus.

Cant. 1. v. 3. De labiis in exhort. 6. & sequentibus. De vberibus exhort. 16. & 17. & lib. 1. exhort. 12.

Quanti faciat Deus munus lactandi fideles. §. 1.

1. QVanti ergo faciat Deus munus lactãdi fideles suos, satis indicat trina commendatio vberum bis in hoc capite, & iterum in septimo, quo valdè sibi grata & pulchra esse ostendit. Nam quæ valdè diligimus, & plurimi facimus millies laudamus. Nihil autem est ita Deo gratum, ac materna charitatis vbera erga proximos habere, eos spiritaliter lactare, & nutrire. Vnde & ter dixit Petro, *Si diligis me, pasce agnos meos, & oues meas*: innuẽs per hoc quàm auidè cuperet pastores

Ioan. 21. v. 15. D. Chrysost. hom. 87. in Ioan.

eximia flagrare dilectione, & diligentissimè pascendi munus obire: nam quidquid ouibus suis præstat, sibi præstitú reputat: idé enim fuit dicere, si diligis me, pasce agnos meos, ac, si diligis me pasce me, nã agnos meos pascens, me pascis: & quod illis tribuis, mihi tribuis. *Quod*, enim, inquit, *fecistis vni ex fratribus meis minimis mihi fecistis.* Quod probè nouerat sponsa cùm inquiens; *mane surgamus ad vineas*, id est, ad inuisendas fideliũ animas, subdit: *ibi dabo tibi vbera mea*; tibi inquam, in membris tuis fratribus meis, nam quæ illis do, tibi do, & refectionem quam illis exhibeo, tanquam propriam reputo. *Hæc* (ait) *est requies mea, reficite cassum, & hoc est meum refrigerium.* Nam sicut in cõuersione peccatorum Christus dicitur in illis firmari, & parturiri; sic cùm cibis spiritualibus nutriuntur, Christus in eis nutritur, cui quadrat similitudo mammarum, quę vt suprà diximus, à corde calefiunt, & ipsum cor recalefaciunt; sic Doctores à Christo tanquam à corde virtutem spiritalem recipientes, in ipsum hunc ardorem refundunt, quatenus in suis membris mysticis continetur.

Matth. 25. v.35. Cant.7.v. 12. Isa.28. v.12. Ad Galat.4. v.19. Inexhort. 16.

A B

2 Sed amplius hoc exaggerat ipsa laudandi phrasis, cùm per quandam admirationem inquit: *quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa*: nomẽ sororis, & sponsæ repetit, vt intelligamus non de vberibus carnalibus; sed spiritualibus haberi sermonem; & vt precedentem confirmet laudem dixerat, *vulnerasti cor meum & c. in vno oculorum tuorum.* At quid modò? Oquàm pulchræ sunt mãmæ tuæ, & quantum vulnerasti cor meum pulchritudine earum! mulrò magis vulnerasti quàm verbis explicari valeat. Nõ meminit expresse vnionis vberum sicut oculorum, quia licet verè sint ita similia, & vnum, sicut duo oculi, vnde suprà comparauerat ea duobus hinnulis capræ gemellis, tamen singula per se cùm lactant Dei cor vulnerant: laudans oculos & genas addidit: *absque eo quod intrinsecus latet*: at hîc admirans ait, *quàm pulchræ sunt mammæ*, quia quidquid extrinsecus est, & intrinsecus latet, in admirationem rapit.

C

Sed maiorem emphasim habet editio Lxx. proprietatem Hebræarum vocum sequentium: *quàm pulchra facta sunt vbera tua sponsa! quàm pulchra facta sunt, vbera tua à vino!* qui facta dicit pulchra, planè indicat aliquando non fuisse ita pulchra, nec ita magna; imò aliquando sic fuisse parua vt vix apparerent, sicut in virginibus puellis conspicitur. Propter quod infrà de sponsæ sorore dicitur: *soror nostra parua vbera non habet*, id est adhuc virtute est parua, & inepta ad spirituales gignẽdos, & nutriẽdos filios, quia nondum ad perfectam peruenit ætatem plenitudinis Christi; nec perfectionem gratiæ & sapientiæ adepta est, quæ ad hoc munus exigitur. Tyrones enim etsi iusti, inepti sũt ad docendum, cùm discere indigeant: oportet tamen quòd paulatim crescant, & intumescãt vbera: sicut de Ierusalem sub hac metaphora dicitur: *multiplicata es & grandis effecta, & peruenisti ad mundum muliebrem, vbera tua intumuerunt*: & paulò pòst; *decora facta es vehementer nimis, & profecisti in regnum.* Hoc igitur est quod sponsus admirans ait: *quàm pulchra facta sunt vbera tua sponsa!* Peruenerunt enim iam ad summam pulchritudinem, & magnitudinem quę me nimis delectat: magna effecta sũt quia, *qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorũ.* Profecisti in regnum & magna es valdè, quia facis & doces opere, & verbo, sanctitate & sapiẽtia fulges, vt alios lactare valeas. Ad quod significandũ bis dicitur *quàm pulchra facta sunt vbera tua*, vt bi-

Cant.8.v.8 Ezech.16. v.7. & 13. Matth.5. v.15. Ita D. Greg.19. mor,c.9.

D

A nam virtutis & sapientiæ testetur habere pulchritudinem.

Sed non ait, quàm pulchra fecisti, sed *quàm pulchra facta sunt*, vt non sibi, sed Deo hunc decorem tribuat, quoniam sicut pulchritudo corporalium vberum non ab ipsa fœmina effecta est, sed potissimè à natura manat: ita spiritualium vberum pulchritudo, & magnitudo, potissimè ex Dei gratia, & benignitate, etsi non deesse debeat propria industria, iuxta illud; *non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, &c.* Quod valdè obseruare debent Doctores ne propter inflationem auferatur eis ista gratia; sicut in Osea scriptum est: *da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia.* Si ad corporalia respicias, duplicé minatur maledictionem valdè diuersam; nam quædam fœminæ steriles sunt, nec filios pariunt; aliæ verò, etsi pariant, vbera arida sine lacte gestant, ne filios nutrire valeant: Si verò ad spiritualia attendas, hæc duo simul cohærent, nam Præsules & Doctores per eandem Euangelij doctrinam filios spirituales gignunt, & nutriunt: Euangelicaque doctrina simul est semen ad generandum, & lac ad nutriendum, iuxta illud: *Per Euangelium ego vos genui.* Et *Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi.*

Ioan. 15. v. 16. Osee.9.v. 14. 1.Cor. 4. v.15 & c.3. v.2.

B

Quam proportionem habeat vinum amoris ad vbera lactantia. §. 2.

SEd noua mysteria insinuat vox illa, *à vino*, quã D. Gregorius Nyssenus, Theodoretus, & catena trium Patrum non sumunt comparatiuè, vt in vulgata, sed causaliter, vel effectiuè. Theodoretus enim causam importare dicit pulchritudinis & tumoris vberum, quæ prouenit à mystico vini poculo, seu à plenitudine contemplationis, & amoris, quo inebriatur anima in cella vinaria: nam sicut vbera à corde calorem recipiunt, ita cor Dei contemplatione, & amore ardens, pulchra & succulenta efficit vbera. Miratur ergo sponsus non tantùm pulchritudinem vberum lacte redundantium, sed causam illius, quia ex vehementi amore Dei ad hanc ascenderat perfectionem, & ideò prius Petrum interrogauit: *diligis me plus his?* quàm diceret, *pasce agnos meos*, quia vbera ad pascendum, à vino amoris efficiuntur pulchra & plena: & qui hoc vino caret, vbera fœda, & arẽtia habet. Qualis autem debeat esse iste amor inebrians Saluator ostendit eidem Petro postquam dixit, *tu scis Domine quia amo te.* Nam sicut D. Cyrillus perpendit, confirmans quod Petrus dixerat, & vim amoris quo flagrabat detegens, martyrium ei statim prædixit: ac si diceret, Ita me amas, & amabis pascens oues meas, quòd crucifigẽris pro me, hoc enim significant illa verba: *alius te cinget, & ducet &c.*

Quàm pulchra vbera sunt à vino.

De hoc in lib 4. exhort.29. Ioan.21. v.15. Lib.12.in Ioan.c. 65.

Aliter Nyssenus & alij vocem à vino effectum importare dicunt, vbera scilicet facta esse pulchra à vino, quod loco lactis effundunt, ac si sponsus admirans diceret: vbera tua ad tam magnam peruenerunt pulchritudinem coram me, vt non tantum lac emittant, quod nutrimentum est paruulorum, videlicet doctrinam facilem, suauem, incipientibus & imperfectis accõmodatam, sed etiam vinum præcellentioris & feruentioris sapientiæ, ad nutrimentum & lætitiam perfectorum: quia omnis scriba doctus in regno cælorum de thesauro suo profert noua, & vetera, ac ea quæ vnicuique sunt apta. Quamobrem doctores vtroque liquore

2 Hom. 9. in Cant. Matth. 23. v.52. Cant.5.v.1.

liquore debent esse referti; dicentes cum sponso: A

Cant. 5.v.1. *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Omnes enim sitiẽtes inuitare tenentur, vt veniant & emant ab ipsis

Isai. 55.v.1. *vinum & lac*: semper autem vinum lacti præponitur, quia nobilius nutrimentum est; & ideo tunc vbera ad sublimiorẽ peruenient pulchritudinem, quando non tantùm lac, sed vinum proferunt. Quare de eiusdem Ecclesiæ vberibus in statu iam

Cant.7.v.8. perfecto inferiùs dicitur; *Erunt vbera tua, sicut botri vineæ*: botri autem vineæ, vinum fundunt: ergo & speciosa vbera doctrinam effundent quæ lactis & vini rationem fortiantur. Et tandem vtraque interpretatio sibi consonat: nam si vbera pulchra fiunt, & tumida efficiunt cor à vino, quid quòd effundant vinum? Vbera enim quæ ab amore Dei inflammantur, vinum amoris communicant; & ex abundantia cordis os loquitur.

B

3. Sed hæc amplius explanabuntur si dictio à vino iuxta Hebræorum phrasim comparatiuè sumatur, id est, præ vino sicut vulgata habet: *Pulchriora sunt vbera tua vino*; quod & de sponsi vberibus dictum est; *meliora sunt vbera tua vino*: de qua comparatione plura diximus in lib. primo, ea Doctoribus Ecclesiæ aptantes, qui etiam Christi mystica vbera nuncupantur. Est tamen perpendendum discrimen vtriusque comparationis: nã spõsi vbera appellantur *meliora*; sponsæ verò, *pulchriora.*

Cant. 1.v.1. Lib.1.exhort.19. 1.p.q 5.art. 4.ad 1. Lucæ 18.v. 19.

Teste autem D. Thoma; bonum respicit appetitũ, pulchrum verò visum, nam pulchra dicuntur quæ visa placent. Bonum omnimodam respicit sanctitatem, quæ soli Deo singulariter conuenit, iuxta illud: *Nemo bonus nisi solus Deus.* At pulchrum tantùm secundùm mensuram, qua visui repræsentatur. Sponsi ergo vbera, amores, affectus & delectationes infinitè meliores, & sanctiores sunt omni vino, & quouis alio amore ac delectatione creata; at sponsæ vbera pulchriora dicuntur, quoniam secundùm ea quæ hominibus sunt conspicua, & vtilia, laudantur. Qua ratione vino contemplationis quæ solis Dei affectionibus vacat, præferuntur.

C

4. Etenim vinum à triplici insigni laudatur, à pulchritudine, in flauo & splendenti colore. Propter quod dicitur: *Pulchriores sunt oculi eius vino*: à dulci sapore, qui etiam cor hominis exhilarat, & ad interiora penetrat; & tandem à fortitudine, quia vires corpori præstat, mẽremque inebriat, ac disturbat: vnde in libro Esdræ inter fortia computatur.

Gen 49. v.11. Psal. 103. v.15. Lib. 3. Esdræ c.3.

Per hæc autem optimè cõtemplationem, quæ Dei dilectioni nititur repræsentat, est enim pulchra coram Deo, & Angelis, & per pulchram Rachelem designatur: est etiam valde dulcis, cùm diuinã

D

Psal.33.v.9. gustet dulcedinem secundùm illud Psalmi: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Est denique fortis, quia fortis est vt mors dilectio, ad omnia quæ Deo placent perferenda, mentemque à seipsa quasi alienat, vt in Deum transferat: Nam: *Siue mẽte excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis.* Illud per cõtemplationem, hoc per actionem; at verò vbera, quia ex plenitudine diuini amoris, ad proximos spiritali lacte nutriendos destinantur, vnde multa illis proueniunt commoda, quæ homines oculis vident, sensibus gustant, experiuntur, palpant, ideò apud ipsos pulchriora reputantur, quàm vinum contemplationis solùm: quod contemplatiuis dumtaxat, in secretò mentis exhibetur.

2 Cor. 5. v.13.

De fortitudine materni amoris ad lactandos fideles. §. 3.

HInc etiã est materna vbera fortiora reputari, quàm solum vinum contemplationis: habent quidem vini dulcorem, & fortitudinem, per quæ vehementer alliciunt, & ad se fideles trahunt. In se blanda sunt & mollia, sed forti & neruoso pectori iuncta: incredibiles enim vires præstat maternus amor, ad dulciter & fortiter tolerandos labores, quos præ se fert infantium nutritio, & protectio. Nam & infirmas aues videmus pro tuendis pullis audacter contra valentiores insurgere, sicut gallina opponitur miluis, & columba alis suos tuetur pullos, & oua. Sic Paulus hoc amore flagrans graues hilari corde tolerabat afflictiones, propter eos quos in Christo genuerat. *Nunc* (inquit) *gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia, cuius sum factus minister.* Gaudebat enim in laboribus susceptis, vt fructum passionum Christi efficaciter Ecclesiæ membris applicaret: adepto autem hoc fructu amplius lætabatur, ad eamdem lætitiam alios exhortans. *Nam si* (inquit) *immolor*, tanquam Dei victima dira tormenta patiens; *supra sacrificium & obsequium fidei vestræ*, id est, dummodò vos fideles Deo faciam, & in sacrificium & obsequium ipsius offeram, *gaudeo & congratulor omnibus vobis. Id-ipsum autem, & vos gaudete, & congratulamini mihi*, instar illius, qui inueniens ouem errantem, *imponit in humeros suos gaudens*, & amicis ac vicinis ait: *Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat.*

Ad Coloss.1. v. 24. Ad Phil. 2. v.17. Luc.15.v.5.

Hinc est materna Præsulum vbera ex duplici capite prompta esse ad præbendum lac filiolis, etsi graues tolerandi sint labores. Primum ex propria propensione: vbera enim lacte onusta appetunt lac præbere, alioqui quasi proprio onere grauantur. Alterum verò ex ipsa infantium indigentia quæ materna viscera mouet vt vbera præbeat. Sic Præsules diuino amore flagrantes, ex propria charitatis propensione, dum in gradu perfecto est proximis benefacere, eosque lacte sanæ doctrinæ reficere satagunt. Nam, vt inquit Apostolus: *Charitas Christi vrget eos*, & vehementer stimulat vt eis subueniant. Cumque aliquod suboritur impedimentum, valde cruciantur ob amoris vehementiam; sicut de Ecclesia primigenia in figura mulieris dicitur quòd *clamabat parturiens, & cruciabatur vt pareret*: & Paulus de se dicebat: *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis.* Parturire autem cruciatum partus includit; idemque est in nutritione, quia multoties non est maioris laboris parere, quàm parta nutrire: ipsa etiam proximorum necessitas valde vrget, vt eis succurrant: nam propter hoc indita est fœuissimis etiam animalibus naturalis inclinatio ad alendos suos catulos; & qui filios spirituales alere contemnunt eis dicuntur crudeliores apud Ieremiam: *Sed & lamiæ* (inquit) *nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos. Filia populi mei crudelis, quasi Struthio in deserto*; quæ derelinquit oua, nec curat fouere ea, vnde misera prouenit animarum ruina: Nam, *adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti: paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Quia Pastores & Doctores, lamiis crudeliores, nec lac,

2.Cor.5. v. 13. Apoc. 12. v.2. Ad Gal.4. v.19. Thren.4. v.3. Iob 39.v.14.

Alia expositio vim.

nec panem ſpiritualis nutrimenti paruulis exhibebant.

3. Hoc autem turpius eſſet & ſæuius in lege Euãgelica, quæ eſt lex amoris, quàm in lege veteri quę lex erat timoris. Ideoque vbera Eccleſiæ nouæ quæ ex charitate & miſericordia lactat fideles, pulchriora dicuntur vino mordaci antiquæ Eccleſiæ, quæ per timorem inducebat, & trahebat ad bonum, vel ex temporalium bonorum promiſſione, quæ etiam per vinum iucundum poteſt deſignari; quæ autem ex Dei, & proximorum amore procedunt, ſtabiliora ſunt. Quare valde cauẽdum eſt Euangelicis prædicatoribus, & operarijs ne illis comprehendat horrendum illud væ, quod Saluator Phariſæis minatur dicens: *Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam vt faciatis vnum proſelytum, & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplum quàm vos.* Matth. 23. v. 15. Scribæ enim & Phariſæi legis Doctores non ex Dei amore (vt perpendit Chryſoſtomus in imperfecto) conuertere Gentilem aliquem, & proſelytum facere ſtudebant, ſed vel ex auaritia, vt additis in Synagoga Iudæis, creſceret oblatio, vel propter inanem gloriam quam inde reportare ambiebant, & ideo hypocritæ vocantur. Ex hoc autem terreno fine immenſus procedebat labor conuertendi alios circumiendo mare & aridam; qui tamen ſtatim deficiebat, nullam proſelyti curam gerentes, nec materna ei præbentes vbera. Nam (vt inquit D. Gregorius) quanto ipſi libentiùs ſe terrenis actibus inſerunt, tanto negligentiùs, eos quos genuerant, agere terrena permittũt: & quia obduratis cordibus viuũt, ipſos etiã quos generãt filios, nulla pietate debiti amoris agnoſcunt. Secus ſancti Eccleſiæ Prælati, & Doctores, qui blandum cor & materna geſtant viſcera inſtar Chriſti; cuius amore omnibus terrenis commodis, & honoribus poſtpoſitis, circuire debent mare & aridam, vt ei proſelytos lucrentur, quos proprijs vberibus lactent, vt non filij gehẽnæ, ſed filij regni cæleſtis fiant: quod nobis Deus largire dignetur, Amen.

Hom. 44. in Matth. circa med.

Lib 21. moral apud D Tho. in catena.

EXHORTATIO XXVII.

Pro Dominica 10. poſt Pentecoſten.

De mira fragrantia Virtutum, & operum externorum, & qua ratione vim habeant orationis, & cum illa iungenda ſint.

Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.

Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.

NOVVM ſponſæ encomium traditur ex vnguentorum, veſtimentorumque fragrantia deſumptum: nam licet verbum illud, *& odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata*, ad vbera ipſa multi Patres referãt, quæ fragrantia erant vnguentis optimis, ſicut vbera ſponſi, vel inter ea collocabantur ſicut ſponſa dixit: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*: tamen ipſa loquendi phraſis inſinuat non de ſolis vberibus, ſed vniuerſim de odoribus eſſe ſermonem: vnde LXX. vertunt, *& odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata*, ſicut in ſequẽti verſu vulgata legit, *& odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.* Quare de vtroque ſimul agemus, quoniam ad eumdem Spiritus ſcopum tendit.

Quæ virtutes per charitatem fragrent præ aliis donis & gratiis. §. 1.

1. ET quidem Beda odorem vnguentorum refert ad internas virtutes per Spiritus ſancti gratiam cordibus iuſtorum infuſas, quibus intus ſpiritualiter vnguntur, & ſummoperè fragrant; odorem verò veſtimentorum ad externa opera, quæ ab internis prodeunt, & foris redolẽt: & quia illa iſtis ſunt multò pretioſiora, illa dicuntur ſuper omnia aromata: hæc verò vnico aromati, nẽpe thuri aſſimilãtur. De illis item priùs fit mentio, vt ſciamus maiorem illorum curam habendam, quoniam ſicut *omnis gloria filia regis ab intus*; ſic etiam omnis odor & fragrãtia; nihilque exterius poteſt verè eſſe Deo gratum, ſuauiterque olens, niſi ab interna cordis fragrantia promanet. Vera quidem doctrina hæc, & probabilis interpretatio: ſed de ſingulis partibus ſeorſim agamus in quibus ſubtiliora latent myſteria.

Pſal. 44. v. 14.

2. Credibile autem eſt in Cantico vbi de ſanctitate, & animæ fragrantia agitur, cùm vnguenta commemorantur, alluſionem fieri ad ea quæ pretioſiora, & ſanctiora habebantur in lege. Cuiuſmodi fuit vnguentum, quo vngebantur Sacerdotes, & thymiama quod offerebant, vocaturque *Sanctum Domino*, & eas virtutes ſignificabat quæ animam ſanctam reddunt, vel ea opera quæ ſancta ſunt, & Deo valde grata: huiuſmodi autem vnguẽtum ex quatuor vel quinque aromatibus comminutis, & oleo miſtis conficiebatur, quoniam myſticum vnguentum non vnam continet virtutem, ſed plures connexas, & commixtas inter ſe; gratia enim, & charitas ſola non eſt, ſed alia ſecum trahit dona quę perficiunt ſanctitatem. Vocantur tamen plura vnguenta, cùm dicitur, *odor vnguentorum tuorum*, quia quælibet virtus, vt alias reſpicit, vnum vnguentum nuncupatur. Cæterùm ſicut vnguenta corporalia, etſi tantùm foris corpus vngãt, tranſlata ſunt ad ſignificandas internas gratias quæ ſpiritum vngunt, ſanctumque reddunt; ita veſtimenta (quo vocabulo LXX. vſi ſunt,) etſi corpus tantùm extrinſecus ornent, transferuntur vt ſignificent virtutes quæ intus animam veſtiunt, & totum hominem intus & foris ſanctitate circumdant. Quorum cathalogum feciſſe videtur D. Paulus cùm ait; *Induite vos ſicut electi Dei ſancti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem, &c. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* Charitas enim aromata vnguẽtorum & veſtimentorum partes connectit, virtuteſque vincit, quæ & intus, & foris hominem perficiunt: nam à corde in corpus, & in opus exterius prodeunt. Quæ phraſis frequens eſt in Scriptura: nam Iob de ſe inquit; *Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me ſicut veſtimento*: & Pſalmiſta ait: *Sacerdotes tui induantur iuſtitiam.* Clariùs verò in Apocalypſi, de vxore Agni dicitur: *Datum eſt illi vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido: byſſinum enim iuſtificationes ſunt Sanctorum.* Imò Theodoretus ait, vocari hîc veſtimenta ſponſæ ipſum Chriſtum; de quo per Iſaiam inquit: quia induit me veſtimẽtis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me.

Exod. 30. v. 23. & 34.

Ad Col. 3. v. 12.

Iob 19. v. 14. Pſal. 131 v. 9. Apo. 19. v. 8. Iſai 61. v. 10.

Vbi etiam

Ad Rom. 13. v. 14. Ad Gal. 3. v. 27. Apoc. 12. v. 1. Mulier amicta ſole.

A Vbi etiam D. Hieronymus intelligit ſalutem ſumi pro Ieſu (quia idem vtrumque nomen valet.) Propter quod ſæpius Paulus monet nos induere Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & baptizatos ait illum induiſſe; exuentes queveterem hominem, nouum induere. Id eſt Saluatorem, qui nos in nouam tranſtulit creaturam.

Cùm igitur odor vnguentorum aut veſtimentorum dicitur eſſe ſuper omnia aromata, duplex poteſt eſſe comparatio. Prima Euangelicæ perfectionis, vt D. Gregorius Nyſſenus ait, ad ſacrificia antiquæ legis; quæ etſi odorata inſtar aromatum eſſent, quia Chriſtum futurum repræſentabant, tamen inania erant, nec internum odorem & virtutem gratiæ cõferebant, qui odor omnibus aliis præfertur, & placet Deo dicens: *Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua.* Rurſus: *ſacrificij s non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus cõtribulatus: cor contritũ & humiliatũ Deus nõ deſpicies.* Vnde ſacrificia antiqua magis erãt veſtimẽta Chriſti futuri; quia eũ operiebãt, & ita opertum populo repræſentabant, quàm veſtimenta animæ, quam non calefaciebant, niſi cum indumẽtis iuſtitiæ iungebantur. Ideoque quidam legis peritus, cuius ſententiam Dominus approbauit, dixit ei, *Diligere proximum tamquam ſeipſum maius eſt omnibus holocauſtomatibus, & ſacrificijs.*

Homil. 9. in Cant. Pſal. 49 v. 13 Pſal. 50. v. 18. Marc. 12. v. 33.

Hinc D. Gregorius magnus, vnguenta hîc vocari dicit virtutes ex charitate procedentes, in charitate connexas; aromata verò diuiſa virtutes reproborum quæ vnguentum non efficiunt, cùm oleo charitatis, & verę deuotionis ac pietatis non miſceantur. Vnde etiam nec thymiama ſanctum Domino dici merẽtur. Aromata etiã vocari poſſunt gratiæ gratis datæ quæ multoties in peccatoribus inueniuntur; ſicut in illis qui dicebant: *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus?* cùm tamen operarii eſſent iniquitatis. Huiuſmodi autẽ quãtumcumque apud homines bene oleant, magnumque ſanctitatis nomen habeant, ſine charitate tamen apud Deum nihil ſunt, nec redolẽt. Propter quod odor vnguentorum ſanctæ animæ ſuper omnia aromata dicitur eſſe, quia omnibus aliis virtutibus, donis, gratiis & ſcientiis, per charitatem illas connectentem præfertur.

C

Matth. 7. v. 22.

Odores virtutum eſſe odores Chriſti & Dei. §. 2.

1. HÆc clarius patent, ſi metaphora vtamur veſtimenti; quod Chriſtus eſt: quid enim mirũ quòd odor veſtimentorum ſponſæ ſit ſuper omnia aromata ſi eſt odor Chriſti? *Chriſti enim*, ait Paulus, *bonus odor ſumus*: odor autem Chriſti ſuperat omnia aromata, id eſt omnia dicta, documẽta, geſta, & facinora cunctorum ſapiẽtum, & magnatum ſæculi, ac quæcumque glorioſa, ſuauia, & iucunda in mundo poſſunt excogitari. In illo enim continetur quidam ſupereminens odor omnes cõtinens odores; de quo in figura dixit Iſaac cùm ſentiit veſtimentorum filij ſui fragrantiam: *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Ad cuius ſimilitudinem odor Eccleſiæ etiam eſt odor agri pleni cui Dominus benedixit: nam de immenſa plenitudine Chriſti etiam Eccleſia dicitur omnigena virtute plena; ſicut enim veſtimentorum Iacob odor vnus cùm eſſet, in naribus Iſaac patris ſui, erat ſicut odor florum, arborum & ſegetum cuiuſdam agri, cui Deus plenam largitus

D

2. Cor. 2. v. 15. Geneſ. 27. v. 27.

eſſet vbertatem; ita odor virtutum & operũ Chriſti apud æternum Patrem, & odor Deiparæ, ac animæ ſanctæ apud Chriſtum Dominum, eſt odor humilitatis, obedientiæ, & omnigenæ virtutis; velut cuiuſdam cæleſtis agri, cui Deus omnipotens vberrimam largitus eſt benedictionem, & pleniſſimam, iuxta vniuſcuiuſque capacitatem, & miniſterium, & ideo meritò dicitur excedere omnia alia aromata, & omnes alios odores qui ab illo ſunt diſiuncti. De quo fuſè in libro primo

In exhort. 5. & 20.

actum eſt.

2. Sed amplificatur laus cùm dicitur, *odor veſtimentorum ſicut thuris.* Quid ais, amplificatur? imò minuitur. Nonne amplius eſt odorem eſſe ſuper omnia aromata, quàm eſſe ſicut thuris, quod particulare eſt aromatat ſi rem ſignificatam attendas, amplificatio eſt maxima, vt elegãter docet D. Gregorius Nyſſenus. Fit enim alluſio ad optimum thus, quod Scriptura vocat thus lucidiſſimum: nã optimum thus teſte Plinio, candidum eſt & lucidum. Vnde etiam in Scriptura Lybanus, quod interpretatur candidus, vel dealbatus, etiam vocatur thus, & ita in hoc loco multi Patres legunt, *odor veſtimentorum tuorum, vt Lybani.* Etſi autem alia aromata ſint thure fragrantiora; erat tamen thus vt ſuprà retulimus ſacratum Deo, apud omneſque nationes, vt ſacrum incenſum reputabatur in teſtimonium diuinitatis; cuius proinde ſymbolum eſt. Odor igitur veſtimentorum eſt ſicut thuris; quia virtutes & opera ſunt candida, pura, ſplẽdentia, & diuina. Cuncta enim tendunt ad Dei cultum, ad orationem, & gloriã; & inſuper redolent diuinitatem ob eximiam eorum excellentiam. Sicut enim Scriptura conſueuit vocare cedros vel montes Dei, eos qui ſublimes ſunt valde, & iuſtitiam vel miſericordiam Dei eam quæ altiſſima eſt, & Deo ſimillima; ita vocat odorem thuris eum qui diuinus eſt, & omnium ſupremus. Sicut apud Oſeam dicitur, *odor eius vt Lybani*, ſeu *vt thuris*, quod ſic explicat D. Nyſſenus: Quoniam peculiari quadam ratione Dei honori deputatus erat thuris ſuffitus, ea de cauſa, quæ fuit prælata omnibus aromatibus, digna cenſetur quæ aſſimiletur vni aromati; quod Deo eſt dicatum; vt ſenſus ænigmatis hîc ſit: Tuum ô ſpõſa, virtutum indumentum imitatur diuinam beatitudinem per puritatem & impertibilitatem, aſſimilata naturæ, ad quam non patet aditus. Talis eſt enim odor veſtimentorum tuorum vt ſit ſimilis thuri; quod Dei honori eſt dicatum. Hæc ille.

Hom. 9. in Cant. Exod. 30. v. 34. & Leuit 24 v. 3. Lib. 12 c. 14 Exhort. 18. & 19. Ex Plinio lib. 12. c. 14. Theoph. li. 9. de plantis. c. 4. Ouidius 4. metham. Tẽpla tibi ſtatuã: ſoluã ibi thuris honores. Oſeæ 14. v. 7 " Idem in- " ſinuat D. " Ambroſ. " lib. 1. de " Virginib. " paulò " poſt di- " midium; " progreſ- " ſum in ijs " odorum " ſimilitu- " dinibus agnoſcens, ſed alia via.

Sed quoniam non dicitur odor veſtimenti; ſed veſtimentorum, quæ plura ſunt, aliud myſterium indicatur, vt non tantùm intelligamus hoc de vnica & precioſa veſte nuptiali charitatis, ſed vniuersè de omnibus virtutibus, & operibus ſtudioſis, quæ ab electa anima fiunt. Nam ſicut notat idem Nyſſenus: Quemadmodum veſtimenta ex pluribus filis texuntur, ita vita iuſti ex multiplicibus virtutibus, & operibus. Imò vnicum opus externum plurium virtutum habet texturam: nam idem opus fieri poteſt ex charitate, & religione erga Deum, & ex miſericordia, & compaſſione erga proximum, & ob ſui abnegationem. Cuncta autem hæc redolent vt thus, quia in Dei tendunt diuinitatem colendam, & eam in ſe repræſentant, & ſunt velut quoddam thus in diuinæ excellentiæ proteſtationem incenſum.

3.

4. Diſcrimen inter opera interna &

Sed perpẽnde diſcrimẽ inter corporea veſtimẽta, & ſpiritualia; quod illa ex ſe odorem non habent, ſed ex contactu ad vnguenta, vel aromata,

externa virtutum.

vel flores, & res odoriferas illum recipiunt, & in hoc opera virtutum externa verè assimilantur illis; quoniam ex se apud Deum odorem sanctitatis non habent, nisi ex coniunctione ad affectus, & actus internos. Ieiunium enim & eleemosynæ elargitio, si ex prauo inanis gloriæ affectu procedat, nullo modo Deo olet, sed potius fœtet: si verò actui interno propriæ virtutis coniungatur, illius suauem odorem retinet. Cæterùm spiritualia vestimenta virtutum, quę internos & externos actus continent, & maximè supernaturalia quę gratiam comitantur ex propria essentia & innata sibi proprietate odorata sunt, & tam Deo quàm hominibus benè olent; ideoque hîc vocantur vnguenta, ex se odorifera, & odor eorum super omnia aromata, & D. Paulus eleemosynam ad se missam vocat *odorem suauitatis:* Non inquit in odorem suauitatis, sed eam esse ipsum odorem suauissimum; eademque ratione quoduis sanctum opus odor est, & vnguẽtum Deo gratum, etsi gradus sint in odoribus virtutum. Præcellentiores enim sunt odoratiores Deo; apud homines tamen illæ videntur magis fragrare, quæ in eorum cedunt vtilitatem, vt dilectio proximi, misericordiæ opera, verbi Dei prædicatio, iniuriarum remissio & tolerantia.

Ad Philip. 4. v. 18.

Vtinam cuncta nostra opera ita in Deo fiant, vt animam pulchrè vestiant, & ornẽt, ac simul odore thuris fragrantissimam reddant. Nam, etsi opus abnegationis oleat sicut myrrha, opus verò virginitatis, & continentiæ sicut lilium, & quodlibet opus virtutis proprium retineat odorem, omnia tamen vlterius redolent sicut thus, quando in Dei cultum & gloriam ob eiusque dilectionem, & voluntatem explendam destinantur.

Qua ratione sancta opera vim habeant orationis, eique sint iungenda. §. 3.

Pro Feria 6. post Cineres de misericordia: & pro Feria 2. Rogat.

SEd aliúde sumitur etiam amplificatio, vt odor vestimẽtorum qui dictus est super omnia aromata iuxta LXX. versionem, modò dicatur sicut thuris, si thus iuxta phrasim Scripturæ sumatur pro oratione, iuxta illud Dauidis. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Quomodo à Cassiodoro, D. Gregorio, Beda, Anselmo, & alijs Patribus vsurpatur. Oratio autẽ omnes virtutes, imò & ipsũ Deũ trahit ad animã, eáque deificat, Angelis, & Deo similẽ reddit. Meritò ergo cùm spõsus dixisset, *Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua*, magnificás orationis gratiã tam vocalis quàm mentalis, vt in exhortatione 8. fusè dictum est, ad fructum & efficaciam eius declarandam addit; *& odor vestimentorum tuorum sicut thuris*: id est, inde prouenit, vt opera tua odorem habeant, & excellentiam diuinitatis, sintque planè diuina & Deo consecrata: ac insuper vim retineant thuris, & orationis suauiter mihi olentis, ac si tertium assignans modum orandi præter vocalem, & mentalem, diceret; nõ solùm orant tua labia & lingua, nec solum mens quæ subtus & intus latet; sed etiã tua vestimenta, tuæ ipsæ virtutes, & opera continuò orant, vt impleas quod scriptum est; *oportet semper orare, & numquam deficere*: semper enim orat, & non deficit, (inquit Beda) qui statis horis precatur, & omnia secundùm Deum gerit, & propter eius operatur gloriam.

Lucæ 18. v. 1.

In Luc. c. 7.

Si enim opera mala dicuntur clamare apud Deum, & vindictam instanter petere, etsi ipsi peccatores nihil minùs petant, quantò magis apud ipsum qui pronior est ad miserendum, quàm ad puniendum: opera iustorum bona clamabunt, & misericordiam petent, impetrabuntque, etsi lingua eorum taceat? Scelera Sodomitarum erãt clamores qui peruenerunt ad aures Dei, merces operariorum defraudata clamor est introiens in aures Domini Sabaoth; & vox sanguinis Abel iniustè effusi clamabat contra Caim illius effusorem, nonne etiam Sanctorum egregia facinora, & ingens eorum patientia, ac iniuriarum tolerantia clamor erit ascendens in Dei aures ipsis imperãs misericordiam, & ab iniusta oppressione liberationem? Quo sensu multi interpretantur quod in Apocalypsi dicitur de Sanctis animabus martyrum quæ *clamabant voce magna dicentes: Vsquequò Domine sanctus & verus, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de ijs qui habitant in terra?* Nõ quòd sancti elicito orationis actu id petant, sed quia eorum corpora occisa & sanguis effusus id petebant. Quomodo apud Esdram dicitur: *Sanguis innoxius & iustus clamat ad me, & animæ iustorum clamant perseueranter.*

Iacobi 5. v. 4.

Gen. 4. v. 10

Apoc. 6. v. 9

Lib. 4 c. 15. v. 8.

Clamat (inquit D. Ambrosius) cor nostrum non sono vocis, sed cogitationum sublimitate, concentuque virtutum. Grandis fidei clamor, magna vox iustitiæ, magna est castitatis, per quã & mortui loquũtur; nec solùm loquũtur, sed etiam sicut Abel clamant; at verò iniusti anima nec viuens clamat, quia Deo mortua est: nihil in ea sublime, nihil magnificũ est. Gracili voce loquebatur Moyses, & plus omnibus audiebatur, & dicit ad eum Dominus: *quid clamas ad me?* Sonum eius non audio, vocem eius agnosco, silentium eius lego, clamorem eius in operibus deprehendo. Clamabat populus, & non audiebatur: tacebat Moyses, & audiebatur: non enim ad Deũ clamabat populus, qui iniusta, & viris indigna clamabat. Tu solus (ait) ad me clamas, qui de me speras, qui virtutem meã excitas, qui per vniuersam terrã annunciari meum nomen expectabas. Hæc carptim ex D. Ambrosio, vim orãdi nõ tantũ interno desiderio, & affectui; sed etiam ipsis virtutibus & operibus tribuente.

Serm. 19. in Psalm. 118. v. 1.

Exod. 14. v. 15.

Præterea virtutes, & sancta opera sunt velut tituli, & causæ quæ in precibus Deo allegantur, vt nos exaudiat, ideoque nobis tacẽtibus etiam ipsa quasi orant, dum se Deo præsentãt tamquam obsequia quæ ipsum mouent vt amicis suis beneficiat. Sicut enim necessitas pauperis, & suorum vulnerum ostensio ipso tacente clamant, & eleemosynam à benigno, & misericorde diuite implorãt, ita etiam amicorum obsequia in Deum misericordiæ & gratitudinis valde amatorem, eum excitant vt illis aliquid tribuat. Ideo Dauid non tãtùm dicebat: *exaudi orationem meam*, sed etiam: *exaudi Domine iustitiam meam*; & hanc maiorem vim habent opera misericordiæ, de quibus Ecclesiasticus inquit, *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc exorabit pro te ab omni malo.* Nam si tu ex compassione tribuis eleemosynã pauperi nihil petenti; ipsa eleemosyna petet pro te à Deo misericordiam, etsi tu taceas. Eandem vim habent mortificationes, & carnis castigationes sponte assumptæ, sunt enim fortia motiua Deum excitantia vt nobis misereatur, ideo oratio humiliãtis se nubes penetrat. Imò impius Achab, esto nihil legatur à Deo petiisse, quia tamen Dei causa humiliatus est, id obtinuit, vt malum quod ei annunciatum erat, non induceretur in diebus suis.

Psal. 16. v. 1.

Eccles. 29. v. 18.

Eccles. 31. v. 21.

3. Reg. 21. v. 29.

Huius autem ratio ex ipso experimento cõstat, quoniam efficaciora sunt munera ad placandum aliquem quàm solæ voces & preces, sicut Iacob placauit fratrẽ suum Esau muneribus prius ad eũ per seruos missis. Et in lege dicebat Dominus: *non apparebis*

Genes. 32. v. 20.

Exod. 23. v. 15. Hom. 1. in epist. 2. ad Timoth.

non apparebis in conspectu meo vacuus. Quod sic explicat Theodoretus. Quotiescumque ad orandum Dominum Deum tuum accesseris, quæ potueris dona illi offer. Sed elegantius D. Chrysostomus: Idcirco (ait) pauperes ante fores adstant, vt nemo vacuus ingrediatur, vt misericordia comite securus introeãt. Intras vt misericordiam cõsequaris, prior ipse miserere, fac tibi debitorem Deũ, & ita demum illum exige. Fœnerare primò, tunc repete, vt cum vsura recipias. Nõ sola, ac simplici extensione manuum exaudimur, expande manus tuas, non in cælum modò, verùm ad pauperum manus, & sic cæli cardinem attigisti; quia non extensione manuum, neque in verborum multitudine, sed in operis exhibitione nos exaudiri meminerimus.

4. Modus orandi ostẽdendo aliquid quod misericordiam excitet. Lib. 6. c. 2 paulò ante medium.

Denique plerumque alicuius rei exhibitio, vel extensio plus excitat compassionis, vel indignationis affectus, quàm longa oratio. Quod egregiè docet Quintilianus his verbis: Non solum dicendo, sed & faciẽdo quædam lachrymas mouemus. Vnde & producere ipsos qui periclitentur, squalidos, atque deformes; & liberos eorum ac parentes instituturn, & ab accusatoribus ostendi cruentum gladium, & lecta è vulneribus ossa, & vestes sanguine perfusas videmus, & vulnera resolui, & verberata corpora nudari. Quarum rerum plerúque ingens vis est, velut in rem præsentem animos hominum ducentium; & populum Romanum egit in furorem præcexta C. Cæsaris prolata in foro cruenta. Sciebatur interfectum eum, corpus denique ipsum impositum lecto erat, vestis tamen illa sanguine madens ita repræsentauit imaginem sceleris, vt non occisus esse Cæsar, sed tunc maximè occidi videretur. Passim apũd prophanas historias inuenientur exempla: & etiam in Scriptura sacra, cùm Niniuitæ se coram Deo prostrauerunt saccis, & cilicijs, non solum homines, sed & iumenta cingentes, & ieiunantes, vt hoc spectaculo Dei viscera ad misericordiam commouerent.

Ostensio vulnerum in Christo.

Ad Rom. 8. v. 34. Ad Hebr. 7. v. 25. Ad Heb. 9. v. 24. Serm. de baptismo Christi. Vide Suarẽ to 2. in 3. p. disp. 47. sect. 2. vbi D. Tho. q. 54. art. 4. & to. 1. disp. 45. sect. 2. disput. Quomodo Christus nunc oret in cælo.

Sed illud stupendum quòd Christus Dominus resurgens à mortuis, quinque vulnerum stigmata in pedibus, manibus, & latere retinuit, vt ea in cælo iugiter Patri offerret, eiusque mortẽ quasi præsentem faceret ad interpellãdum pro nobis. Quo modo intelligi potest quod inquit D. Paulus ipsũ ingressum esse in cælum, *vt appareat vultui Dei pro nobis*: id est (sicut exponit D. Cyprianus) vt semper, reseruatæ in corpore plagæ salutis humanæ exigant precium, & obedientię donatiuum requirãt, vel (sicut explicat D. Anselmus) vt appareat præsentiæ ac beneuolentiæ Dei Patris intercedẽs pro nobis, ostẽdens cicatrices vulnerum, quæ pro nostra redemptione pertulit. Non quòd Deus hoc indigeat memoriali, sed vt nos sciamus, quàm efficaciter Christus Dominus interpellet pro nobis. Imò hac de causa seipsum reliquit in Sacro-sancto Eucharistiæ sacrificio, vt cùm oramus Patri, præstantissima hæc offerremus dona, & infiniti valoris munera; & insuper ei quasi præsentem faceremus dilectissimi filij sui passionem, & mortem, quæ in illo incruento sacrificio repræsentatur, ad commouenda misericordiæ eius viscera; vt misereatur nostri. Hac etiam ex causa diximus Deiparam resurrexisse statim à mortuis, vt in cælo intercedens pro nobis ostenderet filio ventrem qui eum portauit, & vbera quę suxit, vnde eius intercessio esset efficacior, vt hac etiam ratione dicamus, *odor vestimentorum tuorum sicut thuris.* Nã corpus ipsius, viscerus, vbera, brachia, & vlnæ quæ sunt velut animæ vestimenta, odorem habent thuris in cælo, cùm

Ostensio vberum in Deipara.

labia eius velut fauus distillans pro nobis supplicationes, magnam illis vim tribuant.

De affectu orationis iungendo cum operibus externis. §. 4.

1.

SEd aliquid amplius indicat connexio huius triplicis encomij: *Fauus distillans labia tua: mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum sicut thuris.* Triplex enim orandi modus qui hîc insinuatur, non tantùm ad diuersa tempora, sed ad idem etiam tempus potest referri: oratio enim vt est petitio decentium Deo, per labia fit, mellifluas ad Deum preces distillans, vt verò est ascensio mentis in Deum, cùm mel, & lac sub lingua intra mẽtis & cordis arcana ruminat, & degustat. Vtrúque autem potest coniungi cum plerisque operibus externis, vt hac ratione etiam odorem habeant tamquam thuris. Quid enim obstat quò minùs dũ manus laborat, pes ambulat, corpus aliquid gerit, aut patitur, simul lingua oret, & mens sit in Deum eleuata, vel eum præsentem tamquam testem & iudicem intuendo, vel affectus exercendo amoris aut timoris, & reuerẽtiæ, vel quippiam ab ipso postulando? Siquidem de Machabæo, & eius militibus dicitur: *Inuocato Deo per orationes congressi sunt, manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes prostrauerũt non minus triginta quinque millia, præsentia Dei magnificè delectati:* Vbi tripliciter pugnam orationi sociasse insinuatur: primò ante congressum, quia ante initium operis vtilissimum est exercitium orationis, saltem breuis, quæ opus ad Deũ dirigat, & auxilium ad id peragendum imploret, virtute cuius orationis vestimenta redolebunt vt thus. Deinde in ipsa pugna corde orabant; quia inter operandum externa opera etiam miscendæ sunt internæ cogitationes, & meditationes, affectusque circa Deum, ac petitiones vel gratiarum actiones, quæ opus viuificãt, & dulce reddunt: sed id præcellentius quòd præsentia Domini magnificè delectabantur, quia nihil melius, dulcius, & vtilius inter operandum, quàm Deum præsentem intueri, & eius præsentia gaudere, ac magnanimũ ad opus exhibere. Quis nõ dicet Machabæorum vestimenta, & arma odorem habuisse sicut thuris? Multo ergo melius Christi sponsa cùm huiusmodi opera externa facit, orationis debet meminisse. Quid enim (inquit D. Augustinus) impedit seruum Dei manibus operantem in lege Domini meditari, & psallere nomini Domini altissimi? Ita sane vt ad ea dicẽda quæ memoriter recolat habeat etiam sepositra tempora. Et D. Bernardus: Sicut laborantibus nobis, nec oculus propterea clauditur, nec auris abstinet ab auditu: sic & multo melius laborante corpore mens quoque ipsa suo intenta sit operi; ne vacet. Causam laboris cogitet in labore, vt ipsa ei pœna quam paritur, culpam pro quo paritur repræsentet, & dum videt vulneris ligaturam, ipsa sub pannis vulnera meditetur, &c.

2. Marth. 15. v. 26.

Lib. de opere Monachorum c. 17. tom. 3.

Ser. 4 ad fratres de duabus mensis.

Ad hoc tamen suauius consequendum tria sunt obseruanda quæ in ijs verbis Cantici insinuantur. Primum est operum externorum moderatio, ne plura sint quàm necesse est, quod ex ipsa vestimẽtorum similitudine deducitur, vestimenta enim cùm ordinentur ad nuditatem regẽdam, vel à frigore, temporúque iniuriis corpus defendendum, vel ad decentem ornatum, tot assumuntur, quot ad hos fines sunt congruentia; si autem plus nimio multiplicentur, non corpus fouent, sed grauant, & torquent: sic externa opera moderatè secundùm rationem sumenda sunt, quantum oportet ad peccata per satisfactionem delenda, ad car-

nis petulantiam cohibendam,ad sui ſtatus,& muneris implendas obligationes,& leges: iuxta illud Apoſtoli, *rationabile obſequium veſtrum*: & illud Eccleſiaſti. *Fili ne in multis ſint actus tui, nam qui minoratur actu, percipiet ſapientiam.* Alioqui dicetur nobis quod olim Marthæ: *ſollicitaes, & turbaris erga plurima.* Vbi enim plurima extra rationis normam eſt occupatio, etiam neceſſe eſt vt inquieta ſit ſolicitudo, & animi turbatio orationem diſſipans, vnde veſtimenta non olent vt thus, ſed perturbationem fœtent. Ideoque Saluator addidit: *Porrò vnum eſt neceſſarium.* Vnum vocat quod ſecundum rationem neceſſarium eſt ad finem vltimum conſequẽdum, & ad Dei explendam voluntatem; & hoc eſt ſecundum in operibus ſeruandum, vt ſcilicet quãuis multiplicia ſint exterius, vnum tamen ſint interius ex intentione & affectu cordis ad vnum relata finem. Ideoque ſponſus non dixit: *odores veſtimentorum tuorum vel vnguentorum*, ſed odor; ad ſignificandum quòd licet operum veſtimẽta plura eſſent, vnum tamen retinebant odorem inſtar thuris, quoniam in corde vnitatem ſeruabant eiuſdem amoris.

AdRom.12. v.1. Eccleſ.11. v.10.& 38. v.25. Lucæ 10.v. 41.

3. Tandem ſicut thus parum olet niſi cùm crematur; nec veſtes ex ſolo contactu ad integrum thus, eius odorem recipiunt, ſed cum ipſo in ignem cõiecto, ſuffumigantur. Vnde ſponſa aſſimilatur virgulæ fumi, myrrhæ & thuris qui aſcendit ſurſum, & fragrat multum; ſic etiam vt opera externa perfectum habeant odorem thuris, à corde igne Dei amoris *incenſo* prodire debent: ex quo orationũ odoriferi fumi procedant, qui ad cœlos perueniẽt, & à Domino quidquid petierunt impetrabunt. Cui ſit honor, & gloria in ſæcula, Amen.

TERTIA PARS LIBRI SEPTIMI.

Pro Cathedra S. Petri, vel Feſto Omnium Sanctorum.

Ex ſingularibus prærogatiuis Eccleſiæ & ſanctæ animæ ſub metaphora horti & fontis.

EXHORTATIO XXVIII.

De Eccleſia & congregatione iuſtorum: quarum tione dicatur hortus concluſus, & fons ſignatus: quàm præclaras habeat emiſſiones, & fructus quibus mundo ſit manifeſta.

v.12. Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus & coccus, fiſtula, & cinnamomũ cum vniuerſis lignis Lybani, myrrha & aloë cum omnibus primis vnguentis.

COmmendat ſponſus dilectam duplici laudatiſſima ſimilitudine horti cõcluſi, & fontis ſignati: coniungit autem vtramque, quia hortus ſine aqua, nihil haberet laude dignũ, ſed viturIſai. 1.v.29. perio, iuxta illud Iſaiæ: *Erubeſcetis ſuper hortis quos eligeratis, cùm fueritis velut quercus deſluentibus foliis, & velut hortus abſque aqua.* Amœnitas enim horti ab aqua oritur, iuxta illud eiuſdem Prophetæ: *Eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Amplificat autẽ laudem, quòd ſponſus plures habet hortos, in quibus dicitur paſci; imò ipſa ſponſa dicitur habitare in hortis: & paulò pòſt vocatur fons hortorum. Similiter & plures fontes habet ſicut ſcriptum eſt: *quæ erat arida erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum.* Et quid hîc ſpõſus? Tu, ô ſoror mea ſponſa, es hortus meus concluſus, tu es fons meus ſignatus, tu vnicus hortus, & vnicus fons. Nam etſi vniuerſa Eccleſia plures contineat particulares Eccleſias vel animas ſanctas, quarum quælibet ſit hortus concluſus & fons ſignatus, tamen omnes ſunt vnus hortus; ſicut plures reginæ ſunt vna columba, & vna perfecta; & omnes efficiunt vnum corpus myſticum, & vnicam Chriſti ſponſam Eccleſiam Catholicam: & vlterius quælibet electa anima vocatur hortus, nam ita Deus delectatur in illa, ac ſi aliæ non eſſent. Ideoque & plures habet hortos, & vnum hortum; vnde vtrumque inferius coniungitur, cùm ſponſa ait, *dilectus meus deſcendat in hortum ſuum ad arcolam aromatum, vt paſcatur in hortis.*

Cant.6.v.1.

Duo autem ſunt in horto & in fonte laude digna: in horto quidem, abundantia, amœnitas, & concinna diſpoſitio florum, arborum, fructuum, & aromatum: deinde ſeptum, cuſtodia, & ſera vel peſſulum portæ, quo concluſus eſt, & cuſtoditus. In fonte verò copia, munditia, ac dulcedo aquarum viuentium, deinde etiam cuſtodia & ſigillum quo ſignatus eſt. Vtrumque laudat in horto & fonte, ſed prius incipit à ſecundo, poſteà ſigillatim commendat primum. Vnde mox horti ſimilitudinem proſequens ſubijcit: *Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus, & coccus, &c.* Nomen emiſſiones communiter ad hortum refertur, vt idem ſit quod propagines vel plantationes vel fragrantiæ, aut quid ſimile ab horto procedens. Nonnulli ad fontem referunt, vt idem ſint emiſſiones quod irrigationes aquarum, quæ hortum quaſi Paradiſum conſtituunt: ſed melior eſt prior expoſitio horti amœnitatem commendans. Nam poſt hæc ad fontis encomium reuertitur dicens: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Lybano.*

Ne autem ſponſi ordinem inuertamus, ſuppoCur hunc ſeruato ordinem in exhort. ſequenti dicetur.

nendum eſt hunc Dei ſpiritualem hortum, omnem continere diuerſorum Sanctorum ſortem, & variarum virtutum cõnexionem cum ſumma plenitudine, amœnitate, & iucũditate, vt meritò vocari poſſit hortus deliciarum, vel Paradiſus voluptatis. Nam vt D. Ambroſius teſtatur, Paradiſus Græcè, Latinè hortus dicitur, & ita ipſe legit hîc, *Paradiſus concluſus, ſoror mea ſponſa; Paradiſus concluſus.* Etſi crediderim non quemlibet hortum vocari Paradiſum, ſed electiſſimum, à principibus conſitum, ad quem citra dubium ſit hîc alluſio; ſiquidem ſtatim dicitur *emiſſiones tuæ Paradiſus.* Eſt ergo hortus amœniſſimus, & iucundiſſimus, de quo apud Ezechielem dicitur; *Terra illa inculta facta eſt vt hortus voluptatis:* & apud Iſaiam: *Ponet deſertum eius quaſi delitias & ſolitudinem eius quaſi hortum Domini*, id eſt Paradiſum voluptatis Deo dignum. Sicut autem in Paradiſo terreſtri vbi conſtitutus eſt Adam erat copioſus, & dulcis fons ad irrigandum illum, ita in hoc horto Eccleſiæ vel animæ, fons eſt

Li. 6. epiſt. epiſt. 42.

Ezech.36. v.35. Iſai.51.v.3.

fons eſt aquarum viuentium, quæ ad eius fœcunditatem neceſſariæ ſunt. His ergo ſuppoſitis, iam quomodo ſponſus huius horti inchoët laudem ex eo quòd ſit concluſus, & ſignatus, explicemus.

Eccleſiam tempore perſecutionis mundo occultam ſe amplius in Sanctis ſuis manifeſtaſſe. §. 1.

1. In Euang. Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. IMprimis verba iſta vaticinium quoddam videntur eſſe de Eccleſia tempore perſecutionis, quando Gentibus, & Tyrannis, mundique ſectatoribus inuiſa fuit, & deſpecta, ac nihili habita; imò magno odio proſecuta; à Deo tamen ita fortiter cuſtodita, & vallata, vt non ſolùm hoſtes nocere illi non poſſent, ſed ipſis etiam repugnantibus, & inuitis ampliùs ereſceret, fragraret, & glorioſiores fructus proferret. Vocat igitur illam bis hortum amœniſſimum, ea phraſi qua vocauit eam ſæpius bis pulchram; quia ſancta erat corpore & ſpiritu. Fœcunda in operibus vitæ actiuæ, & contemplatiuæ, omni gratia & virtute decorata, vt tota pulchra, & ſine macula, atque ſoror & ſpõſa vocari mereretur. Nihilominùs tamen dicit eſſe hortum concluſum, alto muro circumdatum, & portis fortiter obſeratis (hoc enim ſignificat hîc verbum concluſum) ita vt à tranſeuntibus, nec videretur amœnitas, quæ intus eſt, nec lædi, conculcari, vel diſſipari poſſet; quoniam, etſi Eccleſia in ſui exordio, & Apoſtolicus cœtus præclariſſimis fulgeret virtutibus, eſſetque apud Deũ quaſi quidam hortus deliciarum, tamen Gentibus, & infidelibus, erat velut hortus concluſus, ab ipſis fide & religione ſeparatus, incognitus illis, & occultus, cuius interna non videbant, vtpote propria malitia excæcati; & ideò nec æſtimabant, ſed potiùs deſpiciebant, ſpiniſque ac tribulis credebant eſſe refertum. Vnde ſicut Chriſtus Dominus in paſſione ſua, etſi ſanctiſſimus, & puriſſimus eſſet, tamen non fuit cognitus à Iudæis, & Gentibus; ſed teſte Iſaia, quaſi *abſconditus fuit vultus eius, & deſpectus*, Iudæiſque fuit ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia: ſic eius Eccleſia, etſi ſanctiſſima eſſet, & puriſſima, à Iudæis tamen, & Gentibus nõ fuit agnita, ſed deſpecta: nam, *Si patrẽfamilias Beelzebut vocauerunt, quantò magis domeſticos eius?* Et: *Non eſt ſeruus maior domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.*

Iſai.53.v.3. 1.Cor.1. v.23. Matth.10. v.25. Ioan.15. v.20.

2. Non eſt tamen quòd timeatis eos. Nam ſeptum & murus qui illos excæcat & impedit ne horti amœnitatem videant, æſtiment, & concupiſcant, vos munit, cuſtodit, & ab eorum incurſibus, & perſecutionibus tutos reddit. Etenim diuitiarum contemptus, & honorum, tormentorum tolerantia, abnegatio ſui, complacentia in tribulationibus, & contumelijs, & alia huiuſmodi quæ mũdo ſunt vilia, & exoſa, murus ſunt Eccleſiã muniẽs, & protegens: propter quæ meritò bis dicitur hortus cõcluſus, & vallatus; tum præſidio Angelorũ, qui ad eius cuſtodiam ſunt deputati; tum protectione ipſius Dei, qui omnipotente ſua virtute eam tuetur. Nam: *montes in circuitu eius* (id eſt ſancti Angeli) *& Dominus in circuitu populi ſui.* Propter quod etſi infernæ poteſtates, & mundanæ contra illam inſurrexerint, non ſolùm non præualuerunt, nec læſerunt, ſed potiùs ſuis perſecutionibus factum eſt vt eius amœnitas, pulchritudo & gloria quæ intus latebat, mundo patefieret.

Pſal.124. v.2. Matth.16. v.18.

3. Et hoc eſt, quòd ſponſus ſubdit; *Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum, &c.* id eſt, in hoc hor-

to ita concluſo plurimæ oriuntur propagines iucundæ, amœnæ, & concinnè diſpoſitæ, velut quidam Paradiſus Dei. Erunt inuicti Martyres, Præſules, & Paſtores fortiſſimi, ſapientiſſimi Doctores, puriſſimæ Virgines, præclariſſimi Cõfeſſores, & in omni ſtatu præcellentiſſimi Sancti. Quidam erunt velut arbores fructiferæ malorum punicorum, diuerſorumque pomorum fructus producẽtes, quia præclaris operibus dilectionis Dei & proximi, miſericordiæ & pietatis fulgebunt. Alij verò, vt arbores ſublimes veluti cypreſſi, & cedri, ac ligna Lybani; quia inſigni ſapientia & prudentia, ac dono gubernandi condecorabuntur. Alij, vt arbuſtæ thuriferæ, & odoriferæ, vel herbæ ſalubris odoris, ſicut myrrha & aloës, fiſtulæ, crocus, & nardus; quoniam omnigenarum virtutum aromatibus fragrabunt, & Chriſti ſuauiſſimus odor erunt.

Hæc autem tam varia arborum multitudo miro ordine erit diſpoſita, dum quædam ſui ſimilibus, & aliæ alijs copulantur, ex quorum connexione ſuauiores producant fructus, vel odores. Et hoc denotant illæ quatuor combinationes, *Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fiſtula & cinnamomum cum vniuerſis lignis Lybani; myrrha & aloës, cum omnibus primis vnguentis.* Coniungit enim herbas, & aromata, quæ inuicem mixta grationem fundunt odorem, ſicut & Virgilius ait: *Et vos, ô lauri carpam,* Egloga.2. *& te proxima myrthe, Sic poſitæ quoniam ſuaues miſcetis odores.* Et Plinius, cypri ac nardi odores ſimiles eſſe dicit: ad hunc modum Deus in horto Eccleſiæ ac religionum ita diuerſos ſtatus, gradus, & munia iuſtorum diſtribuit, vt quoſdam alijs coniungat, vnde ſe inuicem iuuent, & ad maiorem profectum excitent. Aliquando iungit ſimilem ſimili, vt mutuò ad idem opus pœnitentiæ, ac mortificationis ſe ſtimulent, & à malis præſeruent; ſicut coniunguntur myrrha & aloës, quorum vtrumque eſt amariſſimi ſaporis, & à corruptione corpora vindicat. Aliquando verò diſſimiles connectit, vt vnus alterum ad id quod ſibi deeſt, & in altero fragrat, vehemẽtiùs vrgeat, ſicut cõiungitur actiuus contemplatiuo, vt ille hunc excitet ad actionem, hic verò illum ad contemplationem: humilis iungitur magnanimo, vt ſuo exemplo ille hũc doceat humilitatem, & ſubmiſſionem, hic verò illum fiduciam & magnanimitatem: & hoc inſinuat mixtio illa cypri cum nardo, fiſtula & cinnamomi cum lignis Lybani: hoc autem in magnam cedit laudem horti Eccleſiæ, & in gloriam eius qui plantauit illum. Nam: *Deus glorificatur in* Pſal.88.v.8 *conſilio, vel concilio Sanctorum*, id eſt, in connexione, quam ſummo conſilio diſponit inter Sanctos ſuos.

Lib.12.c.12.

4. Sed cùm priùs refert arbores fructiferas, deinde alias aromata ferentes, varias areolas inſinuat, ſpatioſaque ambulacra inter eas, quòd ad horti pulchritudinem non parum confert, vt inter areolas, & arbores ambulare rex poſſit, & omnium conſpectu ac fragrantia ſimul frui. Hoc autem diſtinctionem indicat plurium Eccleſiarũ, vel congregationum ad diuerſos fines deſtinatarum; ſicut modò apparet in pluribus religionibus, quæ diuerſa habẽt inſtituta, vel diuerſis Religioſis eiuſdem familiæ, quæ varia ſortiuntur miniſteria: & ita inter ſe diſtant, vt tamen eumdem hortum amœnum componant: in quorum medio ambulat Deus, eorum curam gerens, ſicut ſcriptũ eſt: *Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus.* Et in Apocalypſi dicitur, ambu- Apoc.2 v.1.

Leuit.16. v.12. 2. Cor.6. v.16.

lare in medio septem candelabrorum aureorum, quæ septem peculiares Ecclesiæ Asiæ repræsentabant.

Ex quibus deducimus Ecclesiam secundùm diuersos iustorum gradus quos complectitur, intus & foris esse munitam, & à Deo conclusam, vt nullis possit persecutionibus obrui. Quemadmodum enim ingresso Noë ac familia eius in Arcam, *Inclusit eum Dominus deforis*: seu iuxta Hebræum: *Clausit Dominus pro eo*: scilicet ostium Arcæ foris, ne per rimas aquæ penetrarent: & quia id Noë facere nequibat, Angelorum opera ostium bitumine extrinsecus oblitum est: dicitur tamen clausum à Deo; tum quia singulari quodam mãdato ipsius clausum est ab Angelis; tum verò vt indicaretur eximia Dei beneuolẽtia, & solicitudo quam ipsius Noë protegendi gerebat. Vnde Chaldaïca paraphrasis vertit: *& protexit eum Dominus verbo suo*. Ad hunc igitur modum præsciens Deus Ecclesiam, & electam animam innumeris ac maximis tentationibus, & persecutionibus oppugnandam, præmuniuit, & conclusit eam suo, & Angelorum fortissimo præsidio, ne ab illis læderetur, maximamque illius singulari prouidentia curam gessit, vt in dies ampliùs floresçat & fragret, & copiosiores ac dulciores fructus ferat.

Genes. 7. v. 16.

Vide Pereiram ibi disp. 8.

Cœtum iustorum dici hortum conclusum & fontem signatum à peccatoribus seiunctum. §. 2.

Pro Dom. 7 post Pentecost. in id, A fructibus eorum cognoscetis eos.

IAm cum D. Augustino, ac D. Gregorio verba ista ad Ecclesiam referamus, vt dicit electorum, & iustorum cõgregationem à reprobis, & iniquis, non loco, sed meritò; non fide & baptismo, sed charitate separatam. Quæ vocata est tota pulchra, & sine macula, licet peccatoribus admixta, quoniam vt suprà visum est, floret inter malos sicut lilium inter spinas. In quantùm ergo lilium (ait Augustinus) in tantùm & hortus cõclusus, & fons signatus: in illis videlicet iustis, qui in occulto Iudæi fiunt circumcisione cordis: omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinsecus; in quibus est numerus certus Sanctorum prædestinatus ante mũdi constitutionem. Illa verò multitudo spinarum, siue occultis, siue apertis separationibus forinsecus adiacet super numerum: numerus verò iustorum qui secundùm propositum vocati sunt, de quibus dictum est: *Nouit Dominus qui sunt eius*, ipse est hortus conclusus, fons signatus, &c.

Cant. 2. v. 2.

Lib. 5. de baptismo cõtra Donatistas. c. 27. n. 7.

1.

Vocatur autem conclusus (inquit D. Gregorius) quia charitate circumquaque munitur, ne intra numerum electorũ reprobus aliquis ingrediatur: sed quoniam duo sunt charitatis præcepta, nimirum dilectionis Dei & proximi; à quibus cætera mandatá legis dependent, ab hoc duplici vallo bis dicitur hortus conclusus. Adest enim Deus diligentibus ipsum & proximos, vt eos custodiat, & Ecclesiam iustorum à nocentibus seruet; iuxta illud: *Vrbs fortitudinis nostræ Sion; Saluator ponetur in ea murus, & antemurale.* Murus complectitur præcepta maiora, antemurale minora; sed præ omnibus ipse Deus, & Saluator noster Christus erit eius murus, & antemurale, circumdans & protegens illam sicut clarius testatur Zacharias dicens: *Ego ero ei; ait Dominus, murus ignis in circuitu.*

Isai. 26. v. 1.

Zach. 2. v. 5.

2.

Sed ampliùs hoc explicat similitudo fontis signati: est quidem fons, quia viuas aquas continet gratiæ quæ in baptismo conferuntur: est autem signatus triplici sigillo, iustorum proprio, quo ab impiis secernuntur, qui etsi eodem sigillo & charactere Christi in baptismo signati sint; tamen quia prauis operibus illud fœdauerunt, ab hoc præclarissimo diuinæ gratiæ fonte separantur. Iusti enim primò signati sunt ipsomet Spiritu sancto, qui simul cum charitate & gratia illis communicatur: & in sacramento Confirmationis fortius imprimitur, iuxta illud Pauli: *Credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Nec solùm est pignus, sed custos gratiæ & donorum quæ animæ tribuit, & quasi sigillum muniens illam, ne vllus hostis ea dona surripiat. Alterum verò sigillum est Christus Dominus, qui ait: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculũ super brachium tuum.* Vicem autem signaculi gerit per amorem, & imitationem vitæ ipsius, & dum ait, *pone*, industriam nostram insinuat, & validum animi propositum sequendi eius vestigia, & tunc anima erit velut fons signatus cùm firmiter decreuit Christum amare, & imitari; qui eam claudit, sigillat, & munit, ne viuam aquam perdat. Tertium autem sigillum est ipsum diuinæ prædestinationis, aut voluntatis decretum, nostram inuoluens cooperationem, & curam circa proprij horti & fontis custodiam. Vtrumque coniunxit Apostolus cùm inquit: *Firmum fundamentum Dei stat, habẽs signaculum hoc, Cognouit Dominus qui sunt eius: &, Discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini.* Id est, etsi multi sua culpa decidant à fide, & gratia, tamen firmum, & immobile fundamẽtum habet Dei Ecclesia, quæ ædificata est supra firmam petram, quam nec flumina, nec venti vel pluuiæ euertere possunt, nec deerunt ei multi qui magna floreant sanctitate. Huius autem firmi, & immobilis fundamenti signaculum duas habet partes: prior est, diuina prædestinatio, & electio qua quosdam sibi elegit, quos nemo rapiet de manu eius. Et hoc significat verbum illud, *cognouit Dominus qui sunt eius.* Hęc enim cognitio & approbatio, peculiaris que cura, quam eorum gerit, signum est ipsorum in bono perseuerantiæ: sed quoniam diuina prædestinatio vsum nostri liberi arbitrij, & propriam industriam exigit, posterior pars signaculi est inuocare nomen Domini, & ab iniquitate recedere, omniaque media salutis diligenter adhibere; vt dicatur hortus conclusus & signatus, non tantùm à Deo, sed etiam à seipso, qui Dei auxilio fultus seipsum concludit, munit, signat, ac sigilla ponit. Ideoque bis dicitur hortus conclusus, vt vtramque innuat custodiam. Diuina enim prædestinatio nõ efficit homines segnes, sed strenuos, & solicitos, vt cum timore & tremore satagant per bona opera certam suam facere vocationem, & electionem.

Triplex iustorum signaculum.

Ad Ephes. 1. v. 13

Cant. 8. v. 6.

2. ad Tim. 2. v. 19.

3.

Denique vocatur hortus conclusus, & fons signatus, quia electorum, & iustorum cœtus soli Deo est notus, hominibus verò occultus, & absconditus, eò quòd sanctitas magis cõsistit in virtutibus internis Deo manifestis, quàm in signis externis, quæ hominibus apparent. Cognoscit quidem Christus Dominus oues suas: at nos non semper certò cognoscimus eas: quoniam multi veniũt ad nos *in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Cæterum quantumcumque se tegant, verum est quod ait Dominus: *ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Fructus enim luporum & ouium signa sunt ad dignoscendum eos, & per illos mali à bonis separantur. Luporum fructus sunt quos D. Paulus vocat opera carnis, *quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c.* Fructus autem ouium sunt quæ idem Apostolus mox vocat fructus Spi-

2. Petri 1. v. 10.

Ioan. 10. v. 14.

Matth. 7. v. 15.

Ad Galat. 5. v. 19.

ctus Spiritus. Nẽpe *charitas, gaudium, pax, patientia*, & illi nullam habent cõnexionem, & ideo in plurali numero ait Paulus, manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, &c. Hi verò connectũtur in vno Spiritu sancto, & in eodẽ vltimo fine qui Deus est, & ideo in singulari ait, fructus autẽ Spiritus est charitas, &c. numerat autẽ duodecim fructus ad quos cæteri reducuntur, ad denotandá eorum perpetuitatem per omnẽ vitam, quia singulis mẽsibus anni, vt in Apocalypsi dicitur, renouãtur.

Apoc. 22. v. 1.

Quæ sunt emissiones ex iustis prouenientes. §. 3.

DE huiusmodi fructibus inquit sponsus: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus: cypri cum nardo, &c.* Vbi duodecim numerat arbores, & plantulas odoriferas, sicut Apostolus duodecim fructus retulit quos vocat emissiones, seu propagines, quibus horti huius dignoscitur amœnitas atque fœcunditas; & secernitur ab hortis diaboli, mũdi & carnis, qui non germinant nisi spinas, & vepres, tribulos & vrticas, vniuersasque nequitias. Mala autẽ punica fructus sunt charitatis & pacis ac vnionis fraternæ: poma verò quæ gratum habent odorem & saporem, fructus sunt diuini amoris & cultus. Septem verò aromaticæ plantæ quæ post hæc referuntur, vel octo (quia nardus bis repetitur) secundùm Rupertum septem Spiritus sancti dona repræsentant, aut septem virtutes ad quas aliæ reducuntur: cyprus, nardus, & crocus, tres Theologales: cyprus quæ odoratior est, & calidior, charitatem; nardus humilem spem, vel fidentem humilitatem quæ de se nihil præsumit, & à Deo omnia sperat, & ideo bis repetitur; crocus fidem. Sicut enim crocus ait Nissenus, cũ suus sit flos, tres flores per omnia similes, & æquales cõtinet, sic fides præcipuè confitetur Deum in essentia vnum & in personis trinum, quod illius est præcipuum obiectũ. Fistula autẽ, cinnamomum, myrrha, & aloë, quatuor repræsentant virtutes cardinales. Fistula seu calamus odoratus, & suauis, prudẽtiam; cinnamomum calidæ & fortis naturæ iustitiã ac zelum illius: myrrha & aloë quæ à corruptione vindicant & morbos curant, fortitudinem, & temperãtiam quæ appetitus sentientes, irascibilem & concupiscibilem infrænant, & passionem lãguoribus medentur. Additur autem cũ vniuersis lignis Libani, & cum omnibus primis vnguẽtis, quoniam huiusmodi virtutibus aliæ adiunguntur vt latissimè deducit D. Thomas in toto opere quod secũda secũdę dicitur. Propter quæ meritò D. Ambrosius ait Ecclesiam hîc vocari hortũ continentem odorem agri pleni, cui benedixit Dominus. Denique huiusmodi septem vel octo aromata cũ omnib. primis vnguẽtis referri possunt ad octo actus insignes virtutum cũ omnibus suis præmiis quos beatitudines appellamus, à Christo in sermone montis prædicatos, & sunt nouæ Ecclesiæ fragrantissimæ propagines, quæ eam terrenum constituunt paradisum, & tandem deducent in cælestem vt ex præmiis ipsis satis constat.

1.

In 2. 2. Lib. de Isac. c. 5.

Matth. 5. v. 1.

2.

Triplex significatio nominis emissiones.

Ecce enumerauimus emissiones seu euaporationes odorum, quæ ex horto Ecclesiæ procedũt, per quas Christi est bonus odor in vniuerso mundo; eædem sunt emissiones fructuum qui dulces sunt gustui, & suaues odoratui, quibus iusti à peccatoribus secernuntur. Sunt item emissiones munerum, & donorum, quæ ex suo horto spõsa mittit ad sponsum suum vt illi se graram ostendat; & ad sodales, vel comites vt sibi beneuolos reddat. (Hæc enim tria vox *emissiones*, significat) & cũcta simul eam paradisum constituunt voluptatis, & hortum delitiarum Dei, qui propter iustos dixit: *delitiæ meæ esse cum filiis hominum.* Conferto ergo hunc paradisum, emissiones, fructus, ac odores illius cum hortis mundanis, cum emissionibus ac fructibus, vel potius cũ sterilitate & fœtore illorum, vt hos contemnas, & odio habeas, erubescasque aliquando fuisse in illis; & in hortũ iustorum conclusum te transferas, ne fortè veniat super te maledictio illa Propheræ, cuius suprà mẽtionem fecimus: *Erubescetis super hortis quos elegeratis, cũ fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus absque aqua.* Elegerant hortos amœnos, in quibus idolis sacrificabãt, & carnis illecebris ac voluptatibus se tradebant; instante autem vltionis die erubescent super huiusmodi hortos, quoniã nihil viride & amœnum continebunt, nisi tantùm aridas quercus æterno igne cremandas. Deuastabuntur-que ab ira furoris Dei, sicut vritur hortus irriguus ab æstu solis quando ablata est illi aqua. Si quid enim virtutis in illis remãserat, nẽpe fides & spes, aut aliqua virtus moralis, in morte exsiccabitur & eradicabitur, vt in æternum puniantur. Perpende igitur quos fructus ex his hortis collegeris vt longiùs nunc tempestiuè ab illis elongeris: *Quem fructũ* (inquit Apostolus) *habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est*, tum temporalis tum æterna, quæ prima vocatur & secunda: at fructus horti conclusi in paradisum ducunt exultationes, vbi sancti cum Deo exultant, & æternis eius bonis mirificè reficiuntur.

Isai. 1. v. 29.

B

Ad Rom. 6. v. 21.

Alia acceptio eiusdem.

Quòd si venerint ad te lupi in vestimentis ouiũ, emissiones attende non tantùm fructuum, vt iam diximus, & odorum, sed etiá vocum & verborum. Nam sicut lupus, & ouis proprias habent voces; illius vox vlulatus dicitur; huius balatus, ita vt si fingere lupus balaturn velit, aut vocẽ pastoris imitari, citò dignoscitur, nam tandem in propriũ vlulatũ reuertitur: sic doctrina, loquela & verba, quę per emissiones etiam significantur lupos ab ouis distinguunt, infidos à fidelibus, & sæpiùs malos à bonis: nam etiam ex abũdantia cordis os loquitur; & cor malitia abundans emissiones habet fœtidas, amaras & nociuas; cor autem Dei gratia & charitate plenum, emissiones odoratas, dulces & salubres sicut & Psalmes ait: *Eructauit cor meum verbum bonum*: quid est eructauit, nisi abiatus emisit? eructationes iustorum emissiones sunt sicut paradisus Dei, quæ audientes lætificant, instruunt, roborant, fructusque & fragrantias non paruas afferunt. Quomodo, & de sponso dicitur: *Labia illius esse lilia distillantia myrrham primam*, id est, summam omnimodæ sanctitatis fragrantiam vt suo loco dicemus. Gratias ergo agito Deo qui te huius magni horti partẽ fecit: intra eumque cura vt sis etiã hortulus omnium virtutum plantis fœcundus, & irriguus: cuius tu hortulanus esse debes, coniungens, (vt D. Gregorius Nissenus ait) duo illa quæ à duobus facta testatur Apostolus dicens: *Ego plantaui, Apollo rigauit.* Plãtat, inquit, hortos animatos qui homines ad fidem conuertit: rigat autem qui eos consiliis, & exhortationibus germinare, & crescere facit; sic tu in te ipso propriis actibus plãta virtutes, & sanctis considerationibus riga, vt emissiones habeas tamquam paradisi. Sed quoniam, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*, hoc auxilium & incrementum importunis debes ab eo implorare precibus à feruido corde emissis sicut mox videbis.

Matth. 12. v. 34.

Psal. 44. v. 2.

Cant. 5. v. 13

Hom. 9. in Cant.

Idem Richardus.

1. Cor. 3. v. 6

De emissionibus precum ab Ecclesia & iustis prouenientibus. §. 4.

1. SEd alias tandem emissiones non minus iucundas pandamus, vnde reliquæ mirum accipiunt incrementum: videlicet emissiones precum ab Ecclesia & sancta anima prodeũtes, quæ ferocitatem intuens bestiarũ, & hostium contra hortũ & fontem insurgentium, nullasque ex se ad illum custodiẽdum habere vires, quia: *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam*, vehementer excitatur ad orãdum, & petendũ opportunum Dei, & Angelorũ auxiliũ, & præsidiũ, quo hortus sit munitior: idque obtinet. Vocantur autẽ preces istæ paradisus, quia Deo sunt valde gratæ, & acceptæ & ad cælestẽ vsque paradisũ odores earũ ascẽdũt vt quod postulant, ab ipso impetrent: & insuper ipsam animam iucundam reddunt, & fœcundam, illãque spiritu in paradisum ducunt, vt conuersatio eius sit in cælis, & cælestium delectationum particeps fiat; sicut scriptũ est: *Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ.* Vnde dulcissimos fructus ac odoratissimos secum affert, & continuò emittit, nimirũ mala punica, & pomorũ fructus, id est, gloriosa charitatis opera ad Dei cultum & animarũ salutem & vnionem valde cõducentia. Emittit etiam septem aromaticas species dũ actus septem donorũ Spiritus sancti, & omniũ virtutum germinat, quosdãque aliis connectit, & ex illis prima vnguenta cõponit, dum cælesti quodam artificio varios simul eructat affectus amoris, & laudis; gratitudinis & obedientiæ, timoris & spei, ex quibus rursus nouę proueniunt emissiones, seu euaporationes odoriferæ ad cælum vsque ascendentes, de quibus dicitur: *quę est ista quę ascẽdit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* sicut iã suprà explicatũ est. Vnde exaggerationis causa non dicit emissiones tuæ sunt sicut arbores, vel plantæ paradisi: sed, *paradisus*, id est, sunt ipsamet voluptas, ipsamet amœnitas, & fœcũditas; & in qualibet latet quidam paradisus multarum arborũ, fructuum & aromatũ amœnitate decorus.

2. Nec incongruè precibus etiam conuenit emissiones esse, id est, irrigationes à fonte procedentes. Quoniam vt notat D. Chrysostomus, sicut arbores nequeunt fructus producere, nisi bibãt humorem radicibus; ita nos preciosis pietatis fructibus grauidos esse non poterimus, nisi precibus irrigemur: vnde fit emissiones orationum & bonorum operum mutuò se iuuare vt crescant, & gratiores ac iucundiores fiant. Primo autem loco referũtur malogranata & poma, quoniam virtutes per ea significatæ potissimè à precibus intendũtur, & per eas adiuuantur. Propter quod summus Sacerdos cùm in Sanctuarium ad orandum & offerendum thymiama in conspectu Domini ingrediebatur, vestitus erat hyacinthina tunica, à cuius vltima fimbria pendebant multa quasi mala punica, ex pulchris coloribus cõtexta, mixtis aureis tintinnabulis, quæ in ipso ingressu sonitum ederẽt; quo significabatur munus dignè orandi & se præsentandi in cõspectu Altissimi nõ in solo sonitu precum cõsistere, vt omnimodã habeat efficaciã, sed etiam, in consortio malorum punicorũ, quæ in signiores charitatis erga Deũ & proximos actus referebant, vt sciat qui in conspectu Domini ad orandum ingreditur, portare debere munera quæ illi offerat, nec alia esse gratiora quàm huiusmodi malogranata, & charitatis opera quæ orationem faciunt exaudiri, iuxta illud D. Ioannis: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mãdata eius custodimus, & ea quæ sunt placita corã eo facimus.* Explicans autẽ de quo mandato potissimè loquatur mox subijcit: *Et hoc est mandatum eius vt credamus in nomine filij eius Iesu Christi, & diligamus alterutrum sicut dedit mandatum nobis.* Insinuans fidem, & dilectionem, ac fiduciam potissimè præstare obtinendi quod petimus in oratione.

3. Denique cum preces sanctæ animæ emissiones sint sicut paradisus, in quo septem aromatum insignes plãtulæ continentur, nõ incongruè per eas, septẽ intelligere possumus petitiones, quas Christus Dominus in forma orandi nobis tradita congessit, vt septem præclarissimos orationis fructus, & fragrãtissima dona quæ per illas obtinemus. Est enim oratio Dominica quidã amœnissimus hortus & paradisus Dei, quo nullus fœcũdior, nullus iucundior, & vtilior potest excogitari, per quẽ in terras adducimus paradisum cælestem: siquidem à Domino petimus vt ad nos adueniat regnũ eius, ac ipsius voluntatẽ faciamus in terra sicut ab Angelis & beatis fit in cælo. Imò particula ista, *sicut in cælo & in terra*, duas præcedentes petitiones etiam comprehendit, sanctificetur nomen tuum in terra sicut in cælo: adueniat regnum tuum in terris sicut est in cælis, vt nimirum terrena nostra vita conuertatur in cælestem, & degentes corpore in humo, mente per orationem simus iã in paradiso.

Sed quæ sint hæ petitiones, & quomodo per hæc aromata designentur breuiter perstringamus. *Cypri cum nardo, nardus & crocus, &c.* Cyprus (inquit D. Anselmus) cũ sit virga gracilis in magnam crescit altitudinẽ, & habet grana, vnde fit regium vnguẽtum, aliisque plantulis est odoratior, & calidior. Et quid hoc aptius repræsenter, quã quod dicitur: *sanctificetur nomen tuum?* nihil enim est suauius, & sublimius, nihil odoratius, & regio animo dignius, quàm Dei nomẽ sanctificare, & eius gloriã in omnibus quærere. Nardus qua caput & pedes Domini vncti sunt à Magdalena in signũ grati animi pro fratre à mortuis resuscitato, spẽ denotat regni cælestis, quod expectamus: qua spe freti dicimus: *adueniat regnum tuum.* Crocus ignei coloris & ciborum pretiosum condimentum, de quo dicitur: *qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Nutriri autem in croceis est nutriri in obseruantia mandatorum Dei, ac dilectionis ipsius, vnde hæc obseruãtia pendet; & ideo illi attribuimus tertiam flãmigeram petitionem: *fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Nardus autem iungitur cum cypro, & cum croco, nam spes regni cælestis maximas vires sumit ex affectu sanctificandi nomen Domini, easque præbet ad implendum eius voluntatem.

Fistula, vt tres Patres apud Theodoretum testantur, quia herba est leuis, & facilè in sublime tollitur, & multis morbis curandis salubris, temperantiam significat quæ modum in cibis sumendis ponit, vtnec corpus deficiat, nec tamen grauetur, sed aptum maneat vti in sublimia se attollat, vitiaque plurima curat, cui respondet quarta petitio, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, vbi & moderatum, ac necessarium cibum petimus, & bonum ac sanctum modum sumendi illum. Cinnamomum sicut Cassiodorus, Anselmus ac Richardus testantur, arbuscula est breuis, lutei ac cinericci coloris, ideoque congruum est humilitatis ac pœnitentiæ symbolum; per quam remissionem obtinemus peccatorum, eique

eique satis aptatur quinta petitio: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Dimittere autem quæ nobis debentur charitatem indicat in dimittente, quam etiam natura calida cinnamomi repræsentat. Qui enim perfectã agit pœnitentiam ex charitate dolet de peccatis propriis, & ex eadem charitate remittit sibi illatas iniurias, vt Deus remittat quas ipse intulit illi: myrrha autem, & aloës, quæ à corruptione præseruãt duas vltimas petitiones insinuant quæ præseruationem postulant à lapsu in tentationem, & ab omni malo. Sed cur quæso inter has septem plantas aromaticas nulla fit mentio thuris quod symbolum est orationis? Quidam putant fieri vtque sub nomine Libani, quod thus etiam significat cùm dicitur: *Cum omnibus lignis Libani*: id est, thuris siue thurifetis. Ponitur autem in medio reliquarum plantarum, quia reliquas virtutes adiuuat vt suos actus tamquam suaues spirent odores, & eam quam habent consequantur sublimitatem, & fragrantiam.

En septem petitiones & septem orationis effectus tamquam aromata suauissimi odoris, ex quibus sient vnguenta prima quibus mens spiritualiter vngatur, roboretur & lætificetur in Domino, suntque velut Paradisi Christi plantationes, magnam nobis fiduciam præstantes, quod exaudiemur & Paradisum consequemur in eis contentum, iuxta illud D. Ioannis: *Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius audit nos, & scimus quia audit nos, &c. quoniã habemus petitiones quas postulamus ab eo.* Id est, quia ipse nobis tradit has petitiones, & cordibus nostris inspirat, vt emittamus eas: quando enim ex Spiritus sancti inspiratione fiũt emissiones & postulationes istæ, certa est exauditio, quia feruentissima tunc est oratio.

Propter quod paulo post subijcitur: *Surge, Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius*: O mira virtus orationis, quæ super se ipsam reflectitur, & sibi ipsi vires impetrat! nam Spiritum sanctum qui orandi est primum principium, & per quem gemitibus inenarrabilibus aliquid postulamus, ipse inuocat, excitat, & in animam trahit, vt eius hortum suauissimo suarũ inspirationum vento perflet, vt ex omnibus plantulis virtutum, & ex iis septem commemoratis fluãt odoratissima aromata, & copiosissima quæ ipsam beatam reddant in sæcula sæculorum. Amen.

EXHORTATIO XXIX.

De Virtutibus moralibus, peculiariter verò de Humilitate & Virginitate à quibus anima dicitur hortus conclusus, & fœcundus: & quàm mirabilis fuerit Deiparæ Virginitas & fœcunditas.

Hortus conclusus soror mea, &c.
Emissiones tuæ Paradisus, &c.

NOVÆ laudis seriem texit sponsus ad commendandam dilectæ animæ sanctitatem sub metaphora horti & fontis. Nec sine mysterio prius meminit custodiæ, & sigilli, quã propaginum instar Paradisi, & aquarum viuentium vt dulcem præcedentibus encomiis apponat coronidem: ac si diceret, insignes virtutes, ô spõsa, per quas mihi visa es tota pulchra, & sine macula, ac cor meum vehementer vulnerasti, ita apud te custoditas habes, ac sigillo munitas ne prædæ pateant, vt sis velut hortus valdè conclusus, & fons firmiter obsignatus, quod consummatæ virtutis indiciũ est. Sed si ad sequentia hæc verba referas, prudentem animæ cautionẽ insinuant, nihil enim est in hac vita insanius, infeliciusue quã diu, multũque laborare, & nullum ex labore permanentem fructũ colligere, qui sibi cũ opus sit, vsui esse possit. Maximè cùm ex neglectu custodiæ, fructus reponis vbi cum ipsis indigeas, & nihil inuenias. Hac vesaniæ nota inurit Dominus Hebræos, quibus dixit: *Qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.* Et iterum: *Foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas.* Stultus enim est qui diuitias magno labore partas, in sacculum pertusum & perforatum portat; & qui immenso sudore cisternas fodit, quæ congregatas aquas retinere nequeant. Nam cùm eis indigeat, nihil inuenit. Ab hac vesania vindicat sponsus dilectam cùm eam vocat hortum cõclusum, & fontem signatũ. Hortus quidem est in quo innumeræ & pretiosæ sunt virtutũ propagines exortæ; sed conclusus vt conseruentur: nam si sepe careret, esset velut sacculus pertusus, qui diuitias in eo repositas custodire nequiret. Fons est aquarum viuentium, & plurimarum gratiarum copia refertus, sed signatus; nam si apertus esset, aut vndique perforatus, esset velut cisterna dissipata quæ aquas non valet continere.

Vtrumque insinuauit Dominus cùm Adamum in Paradiso collocauit: *Vt operaretur, & custodiret illum*: Quoniã (vt inquit D. Ambrosius) non idem est operari, & custodire: in opere enim quidã virtutis processus est, in custodia quædã consummatio operis deprehenditur, eo quod quasi consummata custodiat. Hæc duo ab homine requiruntur, & vt operibus noua quærat, & parta custodiat, quod & Psalmus Propheticus docet: *Nisi Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerũt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.* Vides illos laborare qui in operis sunt, ædificationisque processu; illos verò vigilare qui iam custodiã perfecti operis receperunt. Hæc Ambrosius. Iuxta cuius sententiam Ecclesia vel anima vocatur hortus cõclusus & fons signatus, quia perfectus & consummatus magnaque custodia munitus. Quomodo autem hoc fit, explicare aggrediamur.

Animam per virtutes morales esse quasi hortum conclusum, & fontẽ signatũ, & quas habeat emissiones. §. 1.

1. POst peccatũ quidẽ Adæ mansit natura corrupta tamquã sacculus pertusus, & cisterna dissipata, tot habẽs foramina, quot sensus sunt & appetitus seu concupiscentiæ, vel passiones. Propter quod, nec cælestes retinet diuitias, nec bonorum operũ merita seruat, aut aquas diuinæ gratiæ custodit, sed citò per illa foramina quasi dilabuntur, dum illis deprauata voluntate consentit. Ad obstruenda autẽ hæc foramina, & ad redintegrandũ sacculũ, & cisternã istam, deseruiunt virtutes omnes morales cum prudentia quarũ munus est sensuum ianuas cùm oporter claudere, infrænare appetitus, & cõcupiscentias, naturamq; corruptã & dissipatam meliori modo quo liceat sanare, & redintegrare. Virtutes enim huiusmodi sepes sunt, & muri, solerresq; sensuum & appetituũ custodes, arma etiam sunt quibus spiritus tamquam fortis armatus custodit artiũ suum, quod est pars animæ inferior, & tunc in pace sunt cuncta quę possidet. Qui verò virtutes has destruit, sine custodia ma-

Ecclesiastes 10. v. 8. net, & sine armis hostiũ ictibus expositus. Nam: *qui dissipat sepem, mordebit eum coluber:* Et qui destruit ea quæ custodiebant animam, diabolo viam aperit vt eum mordeat, destruat, & in æternum perimat. Potuit quidem serpens intrare in paradisum terrestrem ad tentandam Euæ fidem, & constantiam, sed non posset in internum animæ hortum & paradisum intrare, & eam mordere si ipsa illum concluſum seruaret. Cœpit tamen sepem dissipare, cùm aures aperuit vt serpentis verba libenter audiret: dissipauit amplius cùm aperuit oculos vt videret lignum quod bonum esset ad vescendum, pulchrum oculis, aspectuque delectabile; tunc ingressus est coluber intra animam, momordit & infecit eam, iustitiaque & gratia, ac sanctitate priuauit.

Genes. 3. v. 2.

2. Non sic Christi sponsa: *Sed hortus conclusus & fons signatus*, sepẽ horto suo fecit, sigillũ suo fonti appositi; virtutes sensibus, & facultatibus suis adhibuit, morales quidem proprio labore non sine Dei adiutorio acquisiuit; supernaturales precibus à diuina misericordia impetrauit, vt vndique custodita, & munita maneret, & dona quæ à Deo recepit, turòad ipsius gloriam & proximi vtilitatem seruaret. Et ideò dicitur emissiones tuæ paradisus. Etenim virtutes morales duo habent munia quę explicantur illis verbis, *declina à malo, & fac bonum.* Quatenus potentias coërcent ne corruant in malum, faciunt animam hortum esse concluſum: quatenus verò ad egregios mouent exercendos actus, emissiones habẽt sicut paradisus: sunt enim actus splendidi, iucundi, & valde Deo grati. At quia hortus est concluſus, emissiones habet. Nam si concluſus non esset, emissionibus careret, id est, quia se diligenter custodit, virtutes retinet quæ glorioſos producunt fructus, & fragrantia emittunt aromata: in promptuque est, vt quoties oportuerit proximis subueniat, miseris auxiliũ præstet, & iuuamẽ, sponsoque suo prætioſa mittat munera quę illi sint valde grata: parataque semper est, vt quoties Deus vel proximus aliquid ab ea petierint statim libenter retribuat; habet enim intra se concluſum, & signatum quidquid necesse est, vt aliis benefaciat. Quo sensu inquit D. Gregorius Naziãzenus, amicus fidelis hortus clauſus, fõs signatus, quæ opportunè aperiuntur, & communicantur. Non sicut auarus qui sibi soli diuitias concludit: sed sicut valde pius & magnificus qui concludit vt ad manum habeat quod pauperibus & petentibus impertiatur. Et quẽadmodum qui hortum & fontem copioſum occluſum retinet, quotiescumque fructibus & aqua sibi vel aliis indiget, ad eum cõfugit, securus quòd fructus, & aquas desideratas reperiet: ita Ecclesia & sancta anima, cuius tot laudes commemoratæ sunt, parata est ad opem ferendam proximis, & bona sua illis sine inuidia cõmunicanda, quia ad hunc finem ea intra se cõclusa, & signata habet; & quoties alij indigent, quasi hortum & fontem aperit, vt ex eis aliquid elargiatur: Vnde, *emissiones tuæ paradisus.* Nam quæ tribuit dulcia sunt, salutaria, & optima, iucundoque & grato animo exhibita.

Duo virtutum moraliũ munia.

In oratione ad Gregorium Nissenum.

Per humilitatem maximè sanctam animam esse hortum concluſum. §. 2.

2. SEd iam fortiorem ac securiorem horti indagemus custodiam, nouasque sponsæ laudes quæ in ea latent, propalemus. Maxima enim laus Christianæ virtutis est sub terra propriæ humilitatis absconditam esse, sicuti vitis absconditur sub terra vt nouæ inde propagines suboriantur. Siquidem A in sui abnegatione & mortificatione magna ex parte Euangelica perfectio consistit. Per hanc autem seipsum homo concludit, & abscondit, iuxta illud Apostoli: *mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*; vt sicut Deus absconditus est ab oculis mortalium, ita iusti per sui-ipsorũ mortificationem abscondiri sunt ab oculis hominum; omnemque suam pulchritudinem, & gloriam in abscondito cordis homine, humili & tranquillo spiritu qui corã Deo est locuples cõstituant. Hãc autẽ absconsionẽ maximè prẽstat humilitas qua se homo agnoscit terrã, & puluerẽ, sub illa se abscõdit, & cuncta sua bona aliis occulta esse appetit.

Ad Colos. 3. v. 1.

1. Pet. 3. v. 2.

Postquam igitur sponsus miris laudibus spõsæ ac singulorum membrorum eius extulit pulchritudinem, coronidem encomiis apponit ex humilitate qua hanc tam miram pulchritudinem tegit & occultat, ne hominibus, sed soli sponso placere per illã valeat, & ideo ait: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Verè quidẽ assimilaris horto amœniſſimo & fœcundiſſimo, quia tot habes virtutum arbores, & plantas aromaticas miro ordine dispositas, sed tamen in singulis es hortus concluſus, quia te ipsam, cunctaque bona tua ex affectu humilitatis concludere, abscondere, & occultare satagis, ne hortum ingrediatur pes superbiæ omnia cõculcans, vel singularis vanæ gloriæ ferus cuncta deuastans. Hortus cõclusus dicitur (ait D. Gregorius) quia dum bona sua, intẽtione vitæ æternæ abscondit, dum humanas laudes omnino contemnit, ipsa bona intentione se circumsepit, ne ad interiora rapienda hostis antiquus irrepere possit.

B

Psal. 35. v. 12. & Psal. 79. v. 14.

Bis autem dicitur concluſus, quia duplex est humilitatis affectus quo se munit & custodit; alter quo bona sua abscondit, ne hominibus per ea placere velle videatur: alter verò quo oblatas laudes humanas, honoreſque mundanos ac dignitates contemnit, vt sola soli sponso eiusque obsequio vacet. Eadẽque ratione fons signatus dicitur: quia multò strictiùs aquas viuas diuinæ gratiæ, & sapientiæ, cæleſtiumque illuſtrationum quas recipit quaſi sigillo obsignatas sibi & Deo secretò seruat. Vnde humilitas à sanctis Patribus virtutũ custos appellatur. Ideoque D. Hieronymus eã Cælantiæ commendans ait: Nihil habeas humilitate præcarius, nihil amabilius. Hæc est enim præcipua conseruatrix, & quaſi custos quædã virtutũ omnium: nihilque est quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quàm si vitæ merito magni; humilitate infimi simus.

C

D. Greg. hom. 7. in Euang.

D. Bernard. lib. de ordine vitæ & epist. 42. In epist. ad Cæsariã circa medium.

3.

Sed quoniam quantũque sancta anima se ex humilitate abscondat opera eius bona latere nõ possunt, imo scriptum est: *Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Ita hæc opera in publico facit, vt quantum est ex intentione ſua maneant in secreto, quatenus per illa nõ videri, & laudari appetit ab hominibus, sed quòd Pater cæleſtis glorificetur in illis, & hoc est quod sponsus subiungit: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorũ cum pomorum fructibus, &c.* id est: Etsi hortus sis concluſus, emissiones tamen habes quæ te manifestãt, & magis glorioſam & honoratam reddunt; quia *omnis qui se humiliat exaltabitur.* Vnde de timore Domini qui humilitatis mdiuiduus est comes, ait Ecclesiasticus: *Timor Domini sicut paradisus benedictionis*, id est, à Domino benedictus, fœcũdatus, & exaltatus, *& super omnẽ gloriã operuerunt illũ.* i. Deus & homines ornarũt & exaltarunt vt omnẽ humanã gloriã superaret:

Matth. 5. v. 16.

D

Eccles. 40. v. 28.

superaret: semper tamen hæc glorioſa opera humilitatis muro manent custodita, vt saltem ex intentione, & operantis desiderio, sint occulta. Vnde in ipsis emissionibus iam relatis aliquod relucet humilitatis vestigium: mala enim punica, etsi intus sint pulcherrima, candidis & rubicundis granis miro ordine dispositis referta, tamen obtecta illa habent cortice grosiore ea custodiente, quod humilitatis symbolum est, quæ glorioſiſſima opera interna externa tegit submissione. Et vbi nos legimus, cum pomorum fructibus, LXX. legunt, *cum fructu nucum.* Nuces autem dulcem medullam dura cruſta habent intectam, reliquæ verò arbustæ, vel aromaticæ herbæ humiles sunt, & humilitatẽ præ se ferunt, quaſi in humilibus plantulis lateant eximij odores, vt indicent nihil esse fragrantius virtutibus humilitati coniunctis. Vnde & nardus quam suprà symbolum esse humilitatis ostendimus, bis in hac serie aromatum ponitur, vt humilitatis laus magis perpendatur. Humilitas enim, vt inquit D. Bernardus, virtutes meretur, seruat acceptas, & seruatas consummat. Ad quod significandum, in horto cum his arbustis esse dicuntur vniuersa ligna Libani quæ sublimia sunt, & odorata. Nam inter humiliratem omnes excrescunt virtutes, & quanto illa est profundior, tanto virtus est sublimior & securior: nam sicut Deus humilibus dat gratiã; ita & seruat ac custodit. Propter quod *quanto magnus es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam:* & quam gratiam, nisi vt tuam magnam pulchritudinem seruet, ac seruatã perficiat?

In id Cant. 1. Nardus mea dedit odorem ſuum. Epist. 42. prope med.

Eccles. 3. v. 20.

De virginitatis clauſura, & sigillo. §. 3.

De hoc infrali. 9. exhort. 10. §. 2 & exhort. 13. §. 3. 1.

C Ommunior patrum sententia est encomium ciſtud de pudicitia & virginitate intelligendum, ideoque hìc tertiò repetit nomen sororis & sponsæ, vt significetur non esse sermonem de nuptiis carnalibus, sed de spiritualibus. Propter hoc enim (ait Nazianzenus) dicitur hortus concluſus, quia vni viro & spõso Christo seruata est; & quãuis hortus sit plurimis virtutũ arboribus cum fructibus ac odoribus amœnus & fœcundus, fõsque copioſis aquis viuentibus exundans, est concluſus & signatus, quia cũcta hæc hominibus sunt clauſa & signata, nec in eorum vſus primò cedunt, vel ad eis placendum destinantur, sed in solius Christi gloriam & obsequiũ, tam secundùm animam, quã secundùm corpus, vt virgo sit bis hortus concluſus, quia bis sancta corpore, & spiritu, & in vtroq; soli Deo sacrata. Bonus hortus virginitas (inquit D. Ambroſius) quæ plurimos boni ferat fructus odoris. Hortus clauſus, quia vndiq; vallata est muro castitatis. Fons signatus, eò quòd virginitatis sit fons, & origo pudicitiæ; quæ inuiolata custodiat integritatis signacula, in quo fonte imago Dei luceat; quia cum munditia corporis congruit etiam puritas simplicitatis. Vnde Apoſtolus consiliũ dat & existimat bonũ esse munus virginitatis, vt nullis instantis sæculi turbetur neceſſitatibus, nulla iluuie coinquinetur, nullis exagitetur procellis. Nam, qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; *& mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* Habet igitur murum suum aduersus mundi huius turbines, & ideo septo diuinæ munita protectionis, nullis sæculi flabris inquietatur. Hæc carptim ex Ambroſio. Vbi satis insinuat virginem non solùm ob signaculum corporis integrum, sed etiam ob signaculum mentis incorruptum vocari hortum omninò clauſum, quem nec vllus homi-

1. Cor. 11. v. 2.

Orat. in laudem D. Cypriani.

num conculcat, vel quidpiã ex eo rapit, nec mũdi turbant procellæ; quod ampliùs confirmat de flore virginitatis loquens. Amat (inquit) generari in hortis, in quibus eum Suſanna dum deambularet, inuenit, mori potiùs quàm violari parata. Qui sint autem horti, ipse demonſtrat dicens: *hortus concluſus, & fons signatus*, eo quod in hortis huiuſmodi impreſſam signaculis imaginem Dei sinceri fontis vnda reſplendeat, ne volutabris spiritualium bestiarum sparso cœno fluenta turbentur. Hinc ille murali septus spiritu pudor clauditur ne pateat ad rapinam; itaque sicut hortus furibus inacceſſus vitem redolet, fragrat oleam, roſam renidet, vt in vite religio, in olea pax, in roſa pudor sacratæ virginitatis inoleſcat. Est enim sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus, sed circumsepti vt plenitudinem suam seruet, vnde iugiter odorum miræ profluant emiſſiones.

Lib. 1 de virgin. paulò ante finem.

B

2. Votum castitatis regium sigillum fontis signati.

His adde sacratam virginem (cuiusmodi sunt Sanctimoniales) bis dici hortum concluſum, quoniam non solùm vallatur muro mandatorum Dei, quæ libidinem prohibent: sed speciali muro quod ipsa superaddit per castitatis perpetuæ votum; & aptius designatur per similitudinem fontis signati. Votum enim castitatis, est quaſi regium sigillũ quo munitur virgo, ne vllus homo eã audeat violare, vel tangere, quia soli Deo est consecrata tãquã sponsa summi regis, summè veneranda. Mos enim Scripturæ honeſtati consulens est honeſtũ connubium sub fõtis clauſi vel signati metaphora depingere: vt cũ dicit; *Bibe aquã de cisterna tua, & fluenta putei tui.* Rursus: *habeto eas solus, nec sint alieni participes tui*: vel vt Lxx. vertũt: *fons aquæ sit tibi proprius, & nemo alienus cõmunicet tibi*: vxor enim per matrimonij contractũ, & sacramentum ita est clauſa, & sigillata, vt nulli nisi viro suo pateat. Sacramẽtum quidem hoc magnũ est, ego verò dico in Christo, & in Eccleſia, ac in spõſa illi consecrata, quæ fons debet esse signatus, & ita sigillatus, vt soli Christo legitimo sponso hæreat, & omnẽ carnalẽ spõsum post votum reſpũat. Ad Christi quidem sponsi sui curã spectat fontem hunc custodire tãquam propriũ, alienos arcere, cum eo delectari, ex eo aquas bibere, id est, spirituales fructus & filios generare: sed quoniam liberam sponsæ exigit cooperationem, vocatur absolutè hortus concluſus, & fons signatus. A quo concluſus, & signatus? à me, & à te: cùm ego te accepi in meam, & tu me in tuum, dicens: *Dilectus meus mihi, & ego illi*, id est, signata sum, & clauſa omnibus aliis; illi soli pateo, quia illius sum, & nõ alterius. Tripliciter autẽ hæc clauſura commendatur, bis in horto, & semel in fonte, non tantùm ore cooperto lapide, vt olim fiebat, sed sigillo signato, quia funiculus triplex difficilè rumpitur, ad significãdum omnino, & perfectiſſimè debere esse clauſum, ita vt nec minimo pateat hosti, nec vulpeculæ paruæ intrare possint ad demoliendum aliquid horti, nec parum cœni ad turbandam limpidiſſimam aquam. Lapillus enim in fontem iniectus illum turbare soler, & paruus defectus virginis mentem soler inquietare.

Genes. 29. v. 8

C

1. Cor. 7. v. 34. Lib. 10. epist. epist. 82. ante medium.

1. Cor. 7. v. 25. & 32.

D

3.

Hinc est tria potiſſimè requiri vt hortus iste vndique sit concluſus. Primùm, vt sensus, qui horti sunt ostia, & fortis quaſi foramina, firmiſſimo animi decreto obserentur, ne ingrediatur vel egrediatur aliquid castitati nocens; iuxta id quod Sapiens monet dicens: *Sepi aures tuas spinis, & linguã nequã noli audire: ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.* Fœdus etiã inito cũ oculis claudẽs eos, ne de viro, vel de virgine malignus te cogitatus conturbet:

Ecclesi. 28. v. 29.

Iob. 31. v. 1.

Lib. 1. de virginibus, vbi suprà.

Accingere itaque virgo (ait Ambrosius) & si vis huiusce modi tibi vt hortus aspiret, propheticis eum claude præceptis, pone custodiam ori tuo, & ostiũ circumstãtiæ labiis tuis. Rursus, sponsus vult clausam esse ianuam cùm pulsat: ianua nostra os nostrum est, Christo propemodum soli debet aperiri: nec aperiatur, nisi antè pulsauerit Dei verbum. Quid tibi cum ceteris? Soli Christo loquere, soli fabulare Christo: si enim mulieres in Ecclesia taceant, quanto magis non decet patere virginis ianuam? Citò insidiator pudoris obrepit, citò verbũ excidit, quod reuocare desideres. Si Euæ clausa fuisset ianua, nec Adam deceptus fuisset, nec respondisset interrogata serpenti, introiuit mors per fenestram, hoc est per Euę ostium: ingreditur mors per ostium tuum, si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter, postremò si vbi non oportet loquaris. Hæc Ambrosius hunc locum interpretãs. Cui concinit vox Hebræa, quę vertitur per verbũ conclusus; significãs sera vel pessulo conclusum: vnde quidam vertunt *porta conclusa*. Hortus enim etsi muro sit circundatus, portã habere debet, per quã ingrediatur Dominus, sed sera clausa, & obserata, ne aliis citra ipsius voluntatẽ pateat aditus.

4.

Epist. 22. ad Eustochium de custodia virginit.

Hinc etiam est hortũ conclusum vocari à clausura domi seruanda, vt securior pudicitia maneat, sicut explicat D. Hieronymus ad Eustochium virginem scribens. Rursus (inquit) à sponso audies, *hortus conclusus, &c.* Caue ne domũ exeas, & velis videre filias alienæ regionis, quamuis fratres habeas Patriarchas, & Israel parenter læteris. Dina egressa corrumpitur, nolo te spõsum quærere per plateas, nolo te circumire angulos ciuitatis. Qua de causa virgines sanctimoniales non solum votum emittunt castitatis, sed etiam clausuræ intra septa monasterij, vt vtraque ratione sint hortus conclusus, & fons signatus: & quamuis se perpetuò astringant, vt conclusæ sint, non sunt intra claustrum tamquam vinctæ intra carcerem, sed tamquam sponsæ intra hortum delitiarum & paradisum voluptatis, quia sponte se voto astrinxerunt, & felix necessitas quæ vergit in melius; nec tollit sanctam libertatem, sed perficit, cùm nec exire vellent, etsi possent, quia Christi amor eas intra claustra inclusas simul & liberas tenet, ad

Genes. 39. v. 20.

modum quo castus Ioseph ne pudicitiam violaret impudicæ dominæ obsistens, in carcerem coniectus est, vbi vincti regis detinebantur. Sed licet clausus esset, tantam inuenit gratiam apud principem carceris, quòd illius claues ei traderet, certus quòd nõ fugeret, sed vinctos alios custodiret: ita quæ sponte in religioso claustro se occlusit, ita lubens manet, vt se, & alias custodiat, nec alias exire sinat, nec ipsa egredi velit, idque de singulis ex corde Christi sponsis licet affirmare. Vnde etiam vlterius, si quãdo cum hominibus loquendum est, oculos & faciem velo tegunt, vt velum suppleat quod clausura non præstat: sicut suprà

Cant. 4. v. 3. Suprà exhort. 11. 5.

diximus in id, *genæ tuæ sicut cortex mali punici absque eo quod intrinsecus latet*, seu, *intra velum tuum*.

Sed quoniam nec sensuum custodia, nec corporis clausura sufficit si cor intus patens maneat, hoc præcipuè debet esse tamquam hortus conclusus, & fons signatus, de quo dicitur: *Omni custodia*

Prou. 4. v. 23

serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Et sponsus potissimè inquit, *pone me vt signaculum super cor tuum*. Cùm enim cor sedes sit casti amoris, & hortus sit in quo virtutum oriuntur propagines, ac fons aquam gratiæ & sapientiæ continens, illud præcipuè est custodiendum, & sigillo Christi ac

A Spiritus sancti muniẽdum, ne turpium cogitationum vel affectuum germinet spinas, & tribulos, aut si quid turpe per sensus cõtingeret introire, illud admittat: sed quoniam cor triplicem complectitur partem custodia indigentem, nempe appetitum sentientis animæ, qui à sensibus excitatur, & rationalem seu voluntatem quæ ab inferiori appetitu tentatur, & allicitur, ac mentem, seu intellectum qui bonas vel malas parit cogitationes, ad quas sequitur consensus vel dissensus, propter custodiam duplicis appetitus, dicitur bis hortus conclusus; propter custodiam autem mentis, fons signatus. Tandẽ summoperè oportet vallum hortum claudens illæsum seruare, & intra illud se iugiter continere: nam qui *dissipat sepem mordebit eũ coluber*, id est diabolus, & peccatũ: & qui nimis sibi

Eccles. 10 v. 8. & c. 3. v. 27.

B fidens extra septa egreditur temerè periculo se exponẽs, peribit in illo. Aduersaria (inquit Cyprianus) est confidentia quæ periculis vitam suã pro certo commendat: & lubrica spes est quæ inter fomenta peccati saluari se sperat: incerta victoria est inter hostilia arma pugnare; & impossibilis liberatio est flammis circumdari, & nõ ardere, &c.

De singularitate clericorum à principio.

Virginitatem sociandam aliarum virtutum præclaris operibus. §. 4.

REcensita custodia horti, mox sponsus eius propagines, fructus, & aromata commendat dicens: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, &c.* Vt sciremus virginitatem etsi preciosa sit, & omni laude digna, non sufficere ad salutem nisi aliis virtutibus & bonis operibus adornetur. Quod egregiè obseruat D Chrysostomus explicãs parabolam de decem virginibus, quam Christum Dominum adduxisse dicit, vt ostenderet virginitatem, etsi res sit natura sublimis, si tamen misericordiæ bonis caruerit, cum fornicatoribus eijci: meritò ergo fatuæ virgines vacantur, quæ cùm lampades habeant integras, oleo charitatis vacuas relinquunt, quæ dici possunt hortus muro clausus, sed intus propaginibus, & emissionibus vacuus: at prudẽtes virgines lampades suas mũdissimo replent diuinæ dilectionis oleo; & ita sunt hortus conclusus quòd emissiones habent sicut paradisus: Aptè autem comparãtur paradiso Dei, quoniam quæ cælestem habent spõsum, cælestem oportet agere vitam: & quæ angelicam imitantur puritatem, angelicos tenentur imitari mores, & ita viuere in terra sicut Angeli degunt in cælo, & sancti in Paradiso. Humanum genus (inquit idem Chrysostomus) cùm natura beatis illis mentibus inferius sit, omni vi, studioque contendit, vt quo ad eius fieri poteſt, illas assequatur, quomodo nõ nubunt angeli, neque vxores ducunt, at neq; etiã virgo. Quamobrem Paulus ab omnibus curis eas auocat vt attentè & assiduè Deo seruire, neque vlla inde re abstrahi possint. Videsne virginitatis præstantiam, quomodo terrarum incolas sic afficiat, vt eisdem illis quibus cælites, muneribus perfungantur; & qui corpore vestiti sunt, eos incorporeis mentibus exæquet, & homines ipsos æmulos studij efficiat Angelorum? Hæc ille. Sed clariùs D. Ambrosius, incessabiles Deo gratias agens quia in virginibus sacris Angelorum vitam videmus in terris, quam in paradiso quondam amiseramus, paulò pòst ait: Nõ enim solitaria dos pudoris est. Succingat sacræ virginis crinem modestia, sobrietas continentia, vt virtutum accincta comitatu, purpureo Dominici sanguinis redimita velamine, mortificationem Domini Iesu in sua carne circumferat: idque fusius prosequitur.

Lib. de virginit. c. 12. Lucę 20. v. 36. De instit. virginis c. 17.

Denique

Denique insignes promissiones factæ eunuchis & virginibus, ad eos tantum diriguntur, *qui custodierint* (inquit) *sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum*, id est, his tantum qui cum castimonia reliqua Dei mandata plenè obseruant. Et quid his dicitur? *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus*

Isai. 56. v. 4.

Lib. de vera virginit. post mediũ

nomen sempiternum quod non deficiet. Quod sic explicat D. Basilius: Pro humano nomine (ait Dominus) Angelorum immortalium eis nomen dabo, quod non deficiet, vt cælũ & cæli pulcherrimam partem habeant ad immorandum, atque in cæli pulcherrima sede, hoc est, in domo mea intra septa habitantes, non Angelorum iam naturam tantùm ac dignitatem perpetuæ successionis accipiant, ipsi sibi in æterna vita pro successione generis sufficientes, verùm & locum inter Angelos habeant illustrem atque insignissimum, nomenque pro

B eximiæ virtutis splendore incredibile.

2.

Sed quoniam spõsus multas hîc congerit emissiones quæ sponsam commendant, primã tantùm & postremam perpendamus. Prima est, *paradisus malorũ punicorum cum pomorũ fructibus*. Postrema, *myrrha & aloës cum primis vnguentis*. Quid dulcius & suauius malogranatis, & pomis? Quid verò amarius & acerbius myrrha & aloë? & tamẽ vtrisque indiget virgo vt sit sancta corpore & spiritu. Si ad corpus attẽdas vt eius integritas incorrupta seruetur, necessaria est illi myrrhæ, & aloës amaritudo, id est, castigatio carnis, mortificatio sensuũ, abnegatio appetituum, & concupiscentiarũ; nam

Eccl. 18. v. 30.

si abeat post illas, nec à propria se auertat voluntate, erit in gaudium inimicis suis. At ex hac myrrha & aloë sunt prima electa & salutaria vnguenta, quæ animam à contagione carnis & ab omni corruptione immunem seruant. Sicut enim corpus

C mortuum putredinẽ & vermes generat, nisi myrrha & aloë vngatur, ideoque antiquus mos erat

Ioan. 19. v. 39.

defunctorum corpora vngere, vt in sepulchris incorrupta manerent; sic virginis corpus quod per continentiæ votum, aut propositum mortuum est huic sæculo, putredinem & vermes malarum cogitationum, & concupiscentiarum generabit, nisi myrrhæ & aloës vnguentis perungatur, cilicio sicut beata Cecilia carnem domans, disciplinis & flagellis coërcẽs, sensibus quæ dulcia sunt negãs, eaque compellens sumere quæ sunt eis amara.

3.

Sed numquid amara est vita virginis? absit: nam etsi aliqua sit amaritudo in carne, summa est dulcedo in spiritu: *Emissiones enim eius paradisus*: paradisi nomen voluptatem secum adfert, & delitias, delitiæ autem Christi sunt cum virginibus cõuersari, & ideò sequũtur illum quocũque ierit. Quid

Apoc. 14. v. 4.

D enim est vita virginis nisi paradisus malorum punicorum, quæ intus plena sunt granis candidis & rubicundis, dulcibus & suauibus; sed cortice duriusculo circumsepta? & ita virginis vita intus iucunda est & hilaris, cælestibus virtutũ granis referta, quæ dulcedinem magnam spiritui conferũt; nam quæ se propter Christũ terrenis priuauit voluptatibus, cælestibus ab ipso repletur delectationibus, vt affatim in exhortatione II. dictũ est. Non amittunt virgines delitias, non perdunt epulas, non relinquunt nuptias, sed mutant à carne in spiritũ, à terrenis in cælestes, ab humanis in diuinas.

In id, sicut cortex mali punici genæ tuæ, &c.

4.

Lib. 1. contra Iouin. circa medium.

Denique vt dicit D. Hieronymus, per malogranata & poma omnium virtutũ, significatur in virginitate concentus. In malogranatis quidem, quę vnionem & charitatem fraternam commendant: in pomis verò reliquarum virtutũ opera. Nec si-

A ne mysterio non refert arbores quæ habitus mentis sunt, sed fructus, id est, actus ab illis procedentes, vt significet in virginibus habitus non fore ociosos, sed fructibus fœcundos; nec enim habitibus meremur, aut fragramur vel reficimur, sed actibus. In paradiso enim Dei arbores per singulos menses duodecim fructus referunt, quoniam

Apoc. 22. v. 2.

virtutes iugiter actus suos proferre appetũt, nam & illis valde proficiunt. E conuerso autem non refert aromata, sed arbusta quæ ferunt illa, & prima vnguenta ex illis confecta, ad denotandum omnia quæ ad perfectionem spectant plenè & integrè in virginibus permanenter inueniri, semperque anhelare, ad id quod in virtutibus primatum tenet, etsi non omnes actus simul exerant, sed gradatim & ordinatè ad supremum aspirant.

De præcellentissima Deiparæ virginitate, & fœcunditate. §.

B

QVæ de Virginibus diximus in Regina Virginum, earumque prototypo Deipara, confirmemus, & explicemus amplius. Magnum enim encomium est Virginum eam sequi, ex qua Christus Dominus voluit in mundo nasci: *Adducentur*

Psal. 44. v. 15.

(ait Psaltes) *Virgines post eam*: non enim decebat tantam Reginam incedere solam. Quid autem loquar (ait D. Ambrosius) quãta sit virginitatis gloria, quę meruit à Christo eligi vt esset etiam corporale Dei templum, in qua corporaliter vt legimus, habitauit plenitudo diuinitatis? Virgo genuit mundi salutem, Virgo peperit vitam vniuersorum. Sola ergo nõ debet esse virginitas quæ omnibus in Christo profuit. De hac igitur virginum virgine per antonomasiã dicitur, *Hortus conclusus*

Epist. 82. ad Ecclesiam Vercell. circa medium.

C *soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus*: Ab instanti conceptionis, hortus fuit plantatus à Deo corpore & anima integer, omnium virtutum floribus & aromatibus venustus: sed hortus conclusus, & fons diuinæ gratiæ sigillo signatus in quem serpens intrare non est permissus, nec spinas & tribulos peccati seminare vt sæpius probatum est. In virginitatis autem clausura quam tunc accepit, immobiliter vsque ad finẽ perseuerauit. Virginitas (inquit D. Cyprianus) est perseuerans infantia, seu infantilis integritas perseuerans. Deipara verò adhuc puella hortum ac fontem suũ perpetui voti sigillo conclusit, & signauit, iuxta id quod Angelo conceptionem filij Dei annũcianti dixit: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?*

Lib. de disciplina & bono pudicitiæ.

Lucæ 1. v. 34.

Id est, quoniam per speciale votũ hortus sum conclusus & fons nulli hominũ aperiendus. Sed quid

D Angelus ad illam? *Ne timeas Maria*: manebis hortus conclusus, & fons signatus in æternum: quoniam non hominis opera, sed Spiritus sancti virtute cõceptio ista fiet. Ille ingredietur in te ianuis clausis, & signaculis non reseratis, concipiesque Filium Dei virginitatis insignem cultorem, qui etiam nascetur & exibit ex te integro & inracto sigillo manẽte, quod nullus poterit reserare. Scriptum est enim per Ezechielem Propheram: *Et cõuerti me ad viam portæ Sanctuarij, quæ respiciebat ad Orientem, & erat clausa; & dixit Dominus ad me: Porta*

D. Hieron. in Ezech. 44. v. 1 & in Apolog. ad Pamachiũ pro libro aduersus Iouin.

hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniã Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa principi. Quem locũ D. Hieronymus, Ambrosius, Augustus. Chrysostomus, Damascenus, & alij Patres de Deipara interpretãtur: & ter dicitur porta clausa, sicut ter hîc clausura eius cõmendatur, ad significandũ quòd fuit Virgo ante partũ

in conceptione filij, & in partu, & poſt partum. Vnde cùm dicitur erit clauſa principi, intelligendum eſt etiam cùm princeps per eam tranſierit, & deinceps. Quod LXX. verſio confirmat quæ ſic habet, *erit clauſa, quia dux ſedebit in ea.* Decebat enim Deum non niſi ex virgine, virgineque clauſa naſci. Et ex quo princeps & dux qui recturus erat populum Iſraël, intra eius vterum ſedit, nullus alius ſedere debuit, nec alteri aperiri vt ingrederetur vel egrederetur per illam. Bona porta Maria (inquit Ambroſius) quæ clauſa erat, & non aperiebatur: tranſiuit per eam Chriſtus, ſed non aperuit. Eſt enim & porta ventris ſicut Iob ait: *Intenebreſcant ſtellæ noctis illius, quia non concluſit portas ventris matris meæ.* Hæc porta ad Orientem aſpiciebat, quoniam verum lumen effudit, quæ genera-
rauit Orientem, peperitque Solem iuſtitiæ: clauſa ergo hæc porta eſt, quæ ſolum recepit Deum Iſraël; non aperietur ab eo cui deſponſabitur. Non licebit enim vt aperiatur per quam Dominus tranſiuit. Porta ergo clauſa virginitas eſt, & hortus clauſus virginitas, & fons ſignatus virginitas. Porta clauſa (inquit Auguſtinus) eſt ſignaculum pudoris, immaculatæ carnis integritas: non enim eſt violata partu, quæ eſt ſanctificata conceptu. Hoc eſt ſtupendum miraculum quod Ieremias vaticinatus eſt vt D. Bernardus perpendit, cùm ait: *Nouum creauit Dominus ſuper terram; fœmina circumdabit virum.* Non (inquit) ab altero viro virum ſuſcipiet: non humana lege concipiet hominem, ſed intra viſcera intacta & integra virum claudet; ita ſanè vt intrante & exeunte Domino iuxta alium Prophetam, porta orientalis clauſa iugiter perſeueret: quod clarius dixerat Iſaias: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomẽ eius Emmanuel*, id eſt, nobiſcum Deus. *Ecce*, rem nouam indicat quod Virgo manens clauſa fructum germinet & pariat, id eſt filium qui vocari poſſit Deus.

De inſtit. Virg c. 7 & 8. Iob 3. v. 9 Viegas in c. 12 A poc. cõm. 3. lect. 23. Serm. 2 in Natiuit. Domini. Idem dicũt Chryſoſt. hom de S. Ioan. Bapt. tom. 3. Damaſc. 4. fidei orthod. c. 15. Epiph. ſerm de laud. Virg. Ierem. 31 v. 22. ſerm 3. de Purificat. V. Virginis. Idẽ D. Hier. in Ieremiæ 31 v 22. Iſai. 7. v. 14. Matth. 1. v. 23. Luc. 1. v. 42

Hoc etiam eſt nouum quod etiam in hoc Cantico inſinuatur cùm dicitur hortus concluſus, ſed non ſterilis, & infœcundus: Nam: *emiſſiones tuæ paradiſus.* Fructum enim protuliſti vnicum, qui ipſe paradiſus eſt, & omnium hominum iucunditas, ac ſumma fœlicitas. Sed tamen non emiſſio, ſed emiſſiones tuus partus, & conceptus dicuntur, quia in hoc vnico fructu omnes fructus continentur, innumerique ſpirituales filij qui ſtellas cæli, & arenas maris ſuperabunt: *Benedicta tu in mulieribus* (ait Elizabeth) *& benedictus fructus ventris tui*: Quoniam etſi venter tuus clauſus ſemper fuerit, Spiritus ſancti potentia cui credidiſti fructum iſtum germinauit.

Dixerat Iſaias Chriſti Domini aduentum annuntians: *Aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.* Quid verò virgultum per metaphoram vocetur, indicant aliorũ verſiones, maximè LXX. quam ſequens Euſebius Ceſarienſis, & alias referens, ſic ait: *Annuntiamus coram eo, quaſi puerulus, & quaſi radix in terra ſitienti*: pro quo Aquila ſic interpretatus eſt: *& prædicabitur tãquam quod vbere nutritur in facie eius, & tamquam radix de terra inuia.* Theodotio verò: *Et aſcendet ſicut quod lacte alitur coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.* Vbi puerulus quidem ille, qui vbere ac lacte nutritur planè ortum Chriſti declarat: terra verò inuia, & ſitiens, Virginem, quæ illum enixa eſt; quam ſcilicet nullus vir adijt, de qua quamuis inuia, laudata illa radix prodijt, & puerulus qui vbere lacteque nutriretur. Hæc ille. Aptè igitur beatiſſima Virgo

Iſai. 53. v. 2. Lib. 3. demonſtrat. Euangelicæ c. 2.

A vocatur terra ſitiẽs, arida, deſerta, inexculta, & inuia ſicut notat D. Hieronymus, vt virginitatis priuilegium demonſtraretur, quod ſine humano ſemine de terra prius inuia ſit creatus paruulus ille, qui tamquam virgultũ, & ramuſculus oritur, ſed in ſublimiſſimam, & fœcundiſſimam arborem excreuit; ſicut ſcriptum eſt: *erumpet radix eius vt Libani: ibunt rami eius*, id eſt, excreſcent & extendentur, *& erit quaſi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani.* Vnde per hoc virgultum, cuius tanta eſt gloria & fragrantia, terra iſta inuia facta eſt, hortus deliciarum, & iucundiſſimus paradiſus eſi ſemper clauſus. In Iſai. 53. Oſeæ 14. v. 6.

Sed quid eſt quòd Iſaias vocat terram ſitientem, id eſt carentem aqua, & tamen hîc ſimul vocatur hortus concluſus, & fons ſignatus? Sed aptè ambo cohærent. Fuit enim virginalis vterus terra ſitiens & ſine aqua, quia nulla ei humana induſtria
B eſt applicata vt fructum ferret; ſed Spiritus ſancti virtute per quem facta eſt fons de cælo recipiens aquam viuam, quam nobis protulit; ſed fons ſignatus, quia nec ad recipiendum, nec emittendum alicuius viri opera apertus eſt. 3.

Sed fortè Deipara vocatur terra ſitiens, ſicut & filius eius virgultum, & radix, ad commẽdandam vtriuſque humilitatem & paupertatem, quam exterius præ ſe ferebant. Vnde & ab hominibus ſuperbis, & elatis deſpecti ſunt, nec in Bethlehẽ inuenerunt hoſpitium, & in monte Caluario nouiſſimi omnium reputati ſunt: qua etiã de cauſa iuxta expoſitionem ſuprà allatam hortus concluſus hîc dicitur Deipara, quia omnis eius gloria ab intus: foris verò fuit hominibus occulta, & ipſa præ humilitatis amore ſe occultare ampliꝰ ambiebat: hæc autem eius humilitas ita virginitatem condecorauit, vt propter vtramque ſtupendam adepta
C ſit fœcunditatem, & ab his tribus ſingularis Dei paradiſus nuncupatur. Nam (inquit D. Bernardus) ſingularis virginitas, quam nõ temerauit, ſed honorauit fœcunditas, & nihilominus ſpecialis humilitas, quam non abſtulit, ſed extulit fœcunda virginitas, & incomparabilis prorſus fœcunditas, quam virginitas ſimul comitatur, & humilitas, quid horum non mirabile? quid non incomparabile? quid non ſingulare? ſed quid mirum, ſi Deus qui mirabilis legitur & cernitur in ſanctis ſuis, mirabilem ſe exhibuit in matre ſua? Hom. in Miſſus eſt.

4.

Tandem gaudeamus omnes cũ audimus *emiſſiones tuæ paradiſus*, quoniam vt D. Hieronymus interpretatur, Virgo hęc perpetua multarum eſt mater Virginum. Hortus hic concluſus alios germinat hortos concluſos. Paradiſus iſte alios ex ſe emittit paradiſos; innumeras enim generat Virgines quæ poſt eam eius ſequentes mores, ad ducuntur ad regem gloriæ, in quibus tamquam in paradiſo voluptatis, & in horto delitiarum commoretur, & ſuas habeat ſpirituales delitias. 5. Quæ bona nobis à Deipara proueniãt. Lib. 1. contra Iouin. circa medium.

Nec tantùm Deiparæ emiſſiones ſunt Virgines, ſed Martyres, & Doctores, omneſque Sanctorum propagines, ac virtutes, quibus fragrarunt, & fructus operum quos tulerunt. Id enim ſignificant arbores Libani & fructus granatorum, & pomorum, ac ſeptem aromaticæ plantæ, quæ hîc commemorantur (vt interpretatur Rupertus Abbas ſic loquens Virgini:) Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cæleſtium mundus accepit, emiſſiones tuæ ſunt: vt vbi prius erant ſpinæ, & vepres, & carduus, lappa, & tribulus, vrtica & paliurus, vniuerſitas nequitiarum: *Ibi ſit cyprus cum nardo, nardus & crocus, feſtula & cinna-*

„ *momum, myrrha, & aloës*; vniuerſitas gratiarum, A
„ iuxta numeri ſeptenarij Sacramentum, *cum vniuerſis lignis Libani, cum omnibus primis vnguentis.* Pulchra valdè varietas harum emiſſionum tuarũ, vbi
„ & altitudo lignorum Libani, & humilitas omnis
„ aromatici germinis, ſpectaculum immune præbebit, ſpirantibus in medio primis vnguentis, id eſt,
„ cunctis operibus pietatis, maximè eleemoſynis; quibus ſuppleri poterit quidquid minus ſpiritualis vitæ habuerint etiam potentes, ac diuites, qui
„ quamuis ſæculi curis impliciti ſunt, noſtri tamen
„ amici ſunt, ait Deus. Hæc ille. Bono ergo animo ſimus, quia Deipara tamquã fidiſſima amica iuxta Nazianzeni interpretationem ſuprà alatam, eſt velut hortus concluſus, plenitudinem cæleſtium diuitiarum in ſe concludens, ac parata habens vt ea emittat, & elargiatur amicis ſuis. Vtinam ita ei obſequamur vt vberes eius experiamur emiſſiones B ad gloriam Filij eius, qui eſt Deus benedictus in ſæcula, Amen. Exhort. 29. §. 1.

EXHORTATIO XXX.

De aquis viuis ſapientiæ & gratiæ, de earum, affectibus, & ſtupenda efficacia ad irrigandas animas; & qua ratione Apoſtolici viri ſint fontes ſignati ſimul, & fontes hortorũ.

Pro Feria 6 poſt Dom. 3. Quadrag. circa Euãg. de Samaritana: & pro Feſto Pentecoſtes, ſimul cum ſequenti.

Hortus concluſus, fons ſignatus, &c.

Fons hortorum, puteus aquarum viuentium quæ fluunt impetu de Libano.

C EXPLICITA iam pulchra horti cõcluſi ſimilitudine, explicare aggreditur ſponſus fontis ſignati non minus iucundam metaphoram; ſiue fons iſte pars ſit horti ad eum rigandum, ſiue alius inſignis ad plures rigandos hortos deſtinatus; cui ſponſa cõparetur. Sed cũ Eccleſia Catholica vnus ſit hortus plures alios particulares ſub ſe continens, nihil mirum eumdem fontem qui in ipſa eſt, fontem horrorum vocari. Ait igitur: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Fontem & puteum pro eodẽ vſurpari in Scriptura teſtatur D. Auguſtinus circa caput 4. Ioannis, vbi fons Iacob vocatur etiam puteus altus, etſi iã hoc inoleuit diſcrimen, vt fons dicatur, qui in ſuperficie terræ eſt, aquamque vltrò per illam emittit: puteus verò qui in profundo latet, vbi eſt manalis fons ebullientis aquæ, quæ vocatur aqua viua eo quod ſuo fonti cõiuncta eſt, vnde iugiter ebullit, ac ſe quaſi mouet: quod ſignum viuentiũ eſt: aquę autẽ ſtagnantes in lacunis, & ciſternis, aquæ mortuæ vocantur. Dicitur autem puteus aquarum viuentium, ob earum abũdantiam; adeò enim eſt ſuperabundans puteus iſte, vt effundat copioſas aquas viuas ad plures hortos irrigandos ſufficientes. Sicut de puteo quodam Moyſi oſtenſo cecinerunt Iſraëlitæ: *aſcendat puteus*, id eſt, abũdans aqua de puteo. Ad denotandam autem hanc abundantiam dicuntur fluere impetu magno ex præcelſo monte Libani: vel forte, quia aquæ ex illo monte deſcendentes, & per terræ meatus ac venas pertenientes iugiter in puteum, inde aſcendebant per anguſtum puteum, & per eius os ſe copioſè diffũdebant. Tanto enim iterum aſcendit aqua viua, quanto ſublimis eſt locus vnde deſcẽdit. Iam quæ ſint iſtæ aquę viuæ, amplius explicemus. Tract. 15. in Ioan Ioan. 4. v. 6. & 11. Num. 1. v. 17.

Quæ dicantur aquæ viuæ, & earum triplex vſus. §. 1.

1.

ETenim ſymbolum aquæ viuæ bifariam ſumitur in Scriptura, nam vel eſt ſapientia cæleſtis, & diuina: quæ per amorem ſuo coniungitur primo fonti qui eſt ſapientia increata, & verbum Dei, vnigenitus Patris, iuxta illud Eccleſiaſtici: *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis.* Et iterùm; *radix ſapientiæ* (id eſt prima origo) *cui reuelata eſt?* Paulò autem pòſt, quaſi reſpondens ſibi ipſi ait: *Vnus eſt altiſſimus creator omnipotens, & c. ipſe creauit illam in Spiritu ſancto.* Vel aqua viua eſt gratia ſanctificans animam, & faciens illam diuinæ conſortem naturæ, charitatem ſecum afferens, & alia Spiritus ſancti dona, quæ ſemper ipſi Spiritui ſancto, qui eius primus fons increata charitas eſt, cõiuncta inuenitur, de qua Chriſtus Dominus Samaritanæ aquam viuam promittens dixit: *aqua, quam ego dabo ei; fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, vt fuſius in libro 1. explicatum eſt. Sed clariùs idem Dominus poſteà dixit: *qui credit in meſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem* (inquit Euangeliſta) *dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Huiuſmodi autem aquæ ab inuicem non ſeparantur. Nã licet ſapientia, quæ ſola nititur fide, & in Doctoribus inuenitur, ſine gratia iuſtificante reperi poſſit, tamen hæc non eſt perfectè aqua viua, ſed illa quæ primum donum eſt Spiritus ſancti; de qua dicitur, *& aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum*: quæ tamen per Doctorum induſtriam valde perficitur. Eccleſ. 1. v. 5. Inexhort. 2. 9. §. 3. Ioan. 7. v. 38. Eccleſ. 15. v. 3.

2.

Ad has autem duas aquas viuas communicandas, duo Deus inſtituit inſtrumentorum genera, quæ ſunt velut ſupremi fõtis venæ, & meatus ſeu canales, per quos aquæ deriuantur, & ideo etiam fontes vocantur, & putei aquarum viuentiũ. Primum eſt Scriptura ſacra, in qua continetur ſapiẽtia & doctrina à Deo reuelata, cuius fides & cognitio neceſſaria eſt ad ſalutem, & vtilis ad omne opus bonum, ad plenamque hominis inſtructionem. Quamuis autẽ vna ſit Scriptura ſacra, vnuſquiſque fons totius Chriſtianæ ſapientiæ & doctrinæ; quia tamen plures continet libros in vtroque teſtamẽto, hinc plures poſſunt dici riuuli; aut fluũij huic fonti contigui: ſicut apud Eccleſiaſt. ipſa dicit; *ego ſapiẽtia effudi flumina.* Alterũ inſtrumentũ eſt ſacramenta, quæ ſunt vaſa, & fontes gratię ſanctificantes, & ex conſequenti, charitatis ac virtutum & donorum quæ illam comitantur, in quo noſtra ſacramenta ab antiquis diſcriminãtur: hæc enim ſigna tantùm erant gratiæ, non cauſæ nec fontes, ſicut noſtra de quibus dicitur, *hauritis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Eccleſ. 24. v. 40. Iſai. 12. v. 3.

Cunctа hæc in ſola Eccleſia Chriſti, quæ verè ſponſa eius eſt inueniuntur intacta, & pura, nec extra illa diffunduntur, niſi ad trahendum homines ad ipſam, vt per fidem & gratiam fiant partes illius. Et quia ad eumdem finem ordinantur, & ex eadem prima origine promanãt, vnus fons & puteus nominantur. Hoc igitur eſt eius inſigne encomium; *fons hortorum, puteus aquarum viuentium.* Sumitur autem continens pro contento, ac ſi diceret; tu dilecta mea cõtines intra te vberem fontem ad irrigandos omnes hortos, & puteum quẽdam aquarum viuentium, vel tu in membris tuis qui miniſtri ſunt humanæ ſalutis, fons es & puteus, quia per illos rigas, & alijs cõmunicas aquas viuas, quibus nihil in mundo inueniri poteſt pretioſius, vtilius & iucundius.

Aquæ enim iſtæ viuæ ſi ad metaphoram aquæ 3.

aſpicias, ad tres potiſſimos vſus, & glorioſiſſimos fines ordinantur, qui ſunt bibere, lauare, & rigare animas, mirabiles in eis operando effectus. Primus, cuius frequentius fit mentio in Scriptura eſt, ad bibendum, & extinguendam ſitim, ſatiandumque animæ appetitum, & deſiderium, iuxta illud: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Et rurſus: *qui ſitit, veniat, & accipiat aquam vitæ gratis.* Et iterum: *omnes ſtuentes venite ad aquas.* Eius autem miram efficaciatem, ſibique tantum propriam explanauit Saluator Samaritanæ dicens: *Omnis qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Quæ ſententia difficilis valde apparet: Nam primum quidem omnes experimur, non ita ſecundum: multos enim credimus iuſtos qui hâc biberunt aquam, nullos tamen videmus ſatiatos, ſed ſemper ſitientes. Cur ergo ait; *Non ſitiet in æternum?* Sed difficultas tollitur, ſi aduertamus duplicem eſſe ſitim in anima, ſicut & in corpore. In quo quædam eſt ſitis ſalubris, qua ſani aquam ſibi conuenientem appetunt, qua hauſta ſatiantur. Altera noxia à morbo procedens, qua febricitantes, vel hydropici inordinatè appetunt aquam: & hæc non extinguitur niſi cùm morbus aufertur: ſic etiá in anima ſitis noxia, eſt nimia & inordinata cupiditas diuitiarum, honorum, & voluptatum, temporaliumque bonorum: quâ tamen per aquam viuam extinguit Spiritus ſanctus, curando & cohibêdo hos effrenatos appetitus. Tantaque eſt huius aquæ virtus, vt ſæpè ſancti faſtidiant quæ antea ſitiebant; & ſint illis amara quæ ante potũ huius aquæ videbantur dulcia. Quãuis autem non ſtatim motus primos concupiſcentiæ ſanet, minuit tamen illos, & vires confert ad comprimendum, ſitimque eius aufert ad modum medicamenti efficacis febricitantibus exhibiti, quod ſitim non extinguit cùm primũ accipitur, ſed interuallo temporis tranſacto, & ſalute reſtituta. Vnde in cæleſti patria hanc ſitim penitus extinguit; ideoque meritò aſſeritur quòd non ſitiet in æternum. Imò, vt D. Auguſt. obſeruat, etiá corpus ipſum tandem non ſitiet; quià virtute huius aquæ viuæ reſurget incorruptũ, nec amplius ſitibundũ.

Altera verò eſt ſitis ſalutifera, nempe vehemẽs cæleſtium bonorum appetentia. Et hanc non extinguit aqua viua Spiritus ſancti, quia eſt ſitis ſui ipſius, ſed potius auget: & quãto plus ex hac aqua bibitur, tãto amplius ſitis creſcit, ſicut ſcriptũ eſt: *Qui bibunt me adhuc ſitient.* Et licet iuſti ex parte aliquando hîc ſatientur, propter torrentem voluptatis diuinæ quo potari ſolent; tamen iterum ſine faſtidio ſitire incipiũt. Saturabuntur autẽ in æternum cùm apparuerit eis gloria Dei, & prębeatur illis præmium illud: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Quæ ſi rectè perpenderes mox diceres cum Samaritana: *Domine da mihi hanc aquam, vt non ſtiam, nec veniam huc haurire.* O Domine, quàm moleſta eſt mihi terreſtriũ bonorũ ſitis! quotidie ſatago aliquid haurire aquę, quę illam extinguat; & tamen amplius inardeſcit. Non enim ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu, nec animus huiuſmodi bonorum poſſeſſione: da mihi aquam viuam, quæ hanc expellat ſitim, & me in æternum ſatiet.

4. Hoc amplius declarat ſecũdus vſus aquæ viuæ, quæ mirabiliùs lauat animam, quàm aqua elemẽtaris corpus. Hæc enim dum lauat, expellit ſordes, & cum ſordibus foras exit, nec nouam mũditiem, aut decorem addit, quem ex ſe corpus nõ habeat. Nec enim nigrũ reddit album, aut deforme pulchrum. At verò aqua viua ſordes peccatorum expellit, quibus animæ ſordidæ, fœdæ, & maculatæ erant; iuxta illud Ezechielis: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Et apud Zachariam legimus: *Erit in die illa fons patens domui Dauid, & habitatoribus Ieruſalem in ablutionem peccatorum, & mẽſtruatæ.* Quod ad Sacramẽta noſtra referendum eſt dum gratiam quam ſignificant, etiam efficiunt. Quæ dum lauat, etiam intus permanet, & animæ faciem quæ denigrata erat ſuper carbones, reddit candidiorem nitue, nitidiorem lacte, & ſapphiro pulchriorem. Ad hanc munditiem etiam confert cæleſtis ſapientia, ſicut Apoſtolis dictum eſt: *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis.*

Sed quid animæ prodeſſet mundities & pulchritudo iſta, ſi perpetuò ſterilis maneret, & infœcunda? Vnde hoc etiam præcellẽtius præſtat aqua viua, quàm corporea; quæ ſi terram rigat, & arbores, earum non mutat naturas. Neque enim ſiccas facit reuireſcere, vel infructiferas fructũ ferre; nec producentes fructus lethiferos, vel amaros facit proferre ſalubres, & dulces; ſed vnamquãque ſibi proprios gignere ſinit, nullam cõferens virtutem vt gignat alios. Nec enim colligunt de tribulis ficus, nec de ſpinis vuas; at verò aqua viua rigãs animas mirabili modo mutat, eleuat, & perficit ſtatũ earum. Mortuas enim per peccatum reddit viuas Deo; ſteriles fœcũdas facit vt fructum plurimum afferant, non ſolùm qui propriæ naturæ conſentaneus eſt, ſed alium etiam ſuperexcedentem & diuinum: vt quæ antea fructificabant morti proferendo fructus æterna morte dignos, iam fructificent Deo per opera vitæ æternæ cõdigna: de quibus Apoſtolus inquit; *Fructus ſpiritus ſunt charitas, gaudium, pax, &c.* Quid ergo pretioſius hac aqua? quid vtilius? quid iucundius? omnes ergo ſitientes, omnes inquinati, omnes ſteriles, & infœcundi venite ad aquas viuas; & qui nõ habetis aurum, nec argẽtum, properate, & emite eas: nam ſi quod pretium diſpoſitionis à vobis exigitur, adeo eſt exiguũ, & inſtar nihili, vt gratis omnino abſq; vlla commutatione dari videantur: *Quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tãquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.*

De mira abundantia & efficacia aquarum viuentium ad rigandas animas. §. 2.

PRopter tertiũ aquæ vſum potiſſimè ĩvocatur hîc ſpõſa, *fons hortorum, & puteus aquarũ viuentium*; alluſione facta ad alios hortos ſeu paradiſos in quibus magna habetur ratio fontium, vel fluminum irrigantium illos. In paradiſo quidem terreſtri omne lignum pulchrũ viſu, & ad veſcẽdum ſuaue continente, etſi fluuium haberet ad irrigandũ illa; tamen potiſſima ratio habetur vnius ligni vitæ, quod non à fluuio, ſed à ſe vim habebat tribuendi immortalitatem, cui additum eſt lignum ſcientiæ boni & mali ad probãdam fidem, & obedientiam hominum, quia locus erat luctatoribus deputatus. At in paradiſo cæleſti potiſſimè commendat D. Ioannes fluuium aquæ viuæ procedẽtem à ſede Dei & agni; in cuius vtraque ripa plurima erãt ligna vitæ, afferentia fructus duodecim per menſes ſingulos, quæ varios beatorũ ordines repræſentãt, cum paradiſum conſtituẽtes; & omnes dicũtur ligna vitæ, nullumque eſt lignũ ſcientiæ boni & mali, quia omnes immortales ſunt: mors enim inde receſſit ſicut & culpa, & omnis experientia

Aqua viua extinguit ſitim. Ioan. 7. v. 37. Apoc. 22. v. 17. Iſai. 55. v. 1. Eccleſ. 15. v. 3. Ioan. 4. v. 13.

Ezech 36. v. 25.

Zach. 13. v. 1

Thren. 4. v. 7.

Ioan. 15. v. 3.

5. Aqua viua rigat.

Duplex ſitis animæ.

Ad Rom. 7. v. 5.

Ad Gal. 5. v. 22.

Iſai. 55. v. 1.

Tract. 15. in Ioan.

Sap. 7. v. 9.

Eccleſ. 24. v. 29.

Pſal. 16. v. 15. Matth. 5. v. 5. Ioan. 4. v. 15

Apoc 22. v. 1.

4. Aqua viua mirabiliter lauat animam.

experiẽtia mali, quoniã nõ eſt locꝰ luctæ, ſed præmij: proferũt autẽ duodecim fructus per ſingulos menſes, quoniam iugis, perpetua, & plena eſt beatorum ſatietas, atque iucunditas, vt nihil deeſſe illis poſſit ad ipſorũ conſummatam felicitatẽ. Cuncta autem bona hęc à fluuio aquæ vitæ procedũt, qui *de ſede Dei & agni manat.* Nõ ait à ſedibus, ſed à ſede, quia agnus vnus eſt Deus cũ genitore, producens hunc fluuiũ diuinã repræſentantẽ ſapientiã, & beatitudinẽ, quæ beatos plenè ſatiat, & replet; ac in clara Dei & Chriſti viſione conſiſtit, iuxta illud: *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Erat autẽ fluuius ſplendidus tãquam cryſtallus, quoniã in Deo cætera clarè videntur quæ ad ipſorum ſtatum ſpectant. Nam quid non videt, qui videntem omnia videt? Vtrũque Pſaltes coniunxit cùm ait: *Quoniã apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

Alluſione ergo facta ad hos paradiſos, Eccleſia Catholica paradiſus Chriſti eſt, & hortus deliciarum eius: aſſimilatur autem terreno paradiſo quatenus ex hominibus conſtat, qui ad modum arborum, fructus & aromata ferentium, in eo plantati ſunt; de quibus dicitur: *Iuſtus vt palma florebit, & ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt.* Non tamen ſunt, nec vocãtur ligna vitæ, quia mortalitati ſubijciuntur, non tantũ quo ad corpus, ſed etiam quo ad animam, ex eo quod quamdiu in hoc ſæculo viuunt, mutabiles ſunt ex bono in malũ, & ex vita in mortem: eſt enim locus viatorum, ac luctãtium proprius, inter eoſque graditur tẽtator, vt eorum probet fidem, & obedientiam circa Dei mandata. Vnicum tamẽ in medio huius paradiſi eſt lignum vitæ Chriſtus Ieſus, qui in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramẽto latet, & nobiſcum vſque ad finem ſæculi permanebit, vt guſtantibus ipſum vitã præbeat ſempiternam: vnde fit virtute ipſius ſanctos etiam lignis vitæ paradiſi cæleſtis aſſimilari, in eo quod per Dei gratiam, & frequentem Sacramentorum vſum animæ immortalitatem participare poſſunt, & à morte culpæ lethiferæ ſe præſeruare, iugiterque duodecim illos fructus ferre, quos Apoſtolus fructus Spiritus nuncupauit.

5. Quamobrem iuſtorum hęc vbertas & felicitas etiam prouenit ex fluuio aquę viuæ procedentem à ſede Dei & agni, cuius participatio per gratiam & diuinam ſapientiam in Eccleſiæ paradiſum deſcendit, eumque rigat & fœcundat: nam teſte D. Iacobo: *Sapiẽtia quæ deſurſum eſt, primũ pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiẽs, plena miſericordia, & fructibus bonis.* Ad hoc enim de cælo deſcendit à ſede magnitudinis Dei, vt nobiſcũ laboret; & tigans nos inſtar fluuij fructibus Sanctorum operum fœcundos reddit. Sicut ipſa deteſtatur cùm ait: *Ego ſapientia effudi flumina, ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluuio: ego quaſi fluuij Diorix, & ſicut aquæductus exiui de paradiſo: dixi, rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum*, id eſt, ego ſapientia in mundũ effudi flumina doctrinæ, ſanctitatis, & gratiæ: ego quaſi trames quidam immenſæ aquæ, & quaſi Diorix ſeu foſſa fluuij, & quaſi aquæductus copioſus exiui de paradiſo cœleſti, vt quæ beatos in cælis rigabam, rigarem etiam in terra iuſtos. Rigabo autem hortum meum qui paradiſus eſt plantationum multarum arborum, & inebriabo eũ vt copioſos fructus afferat: ex eo autem quòd ita copioſè rigem, nõ deficiam, aut diminutionem patiar, ſed potius maius recipiam incrementum: *Et eccè factus eſt mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare*: id eſt, ita excreuit, vt videretur ſicut mare. Eccleſia enim quæ in principio parua erat, creuit & dilatata eſt per vniuerſum orbem, & in omnes nationes diffuſa eſt ſapientia; ſicut de Eſther dicitur: *Fons paruus creuit in fluuium, & in aquas plurimas redundauit:* & Ezechiel commemorat torrentem è templo egreſſum, cuius aquæ à principio pertingebant vſque ad talos, deinde vſque ad renes, tandem ita excreuiſſe, vt non poſſent tranſuadari.

Hinc eſt aquas iſtas non intra limites horti cõcluſi cõtineri, ſed per Euangelij miniſtros diffundi per omnes nationes mundi, vt gentes viuificẽt, & in hortum Eccleſiæ deducant: quod apertè docuit Zacharias Propheta dicens: *Et erit in die illa: exibunt aquæ viuæ de Ieruſalem* (id eſt de Eccleſia Chriſti) *medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouiſſimum.* Sed diſtinctius Ezechiel de aquis quæ egrediebãtur ab interiori parte templi, ait: *Aquæ iſtæ quæ egrediuntur ad tumulos ſabuli Orientalis, & deſcendunt ad plana deſerti, intrabũt mare, & exibunt, & ſanabuntur aquæ, & omnis anima viuens quæ ſerpit, quocũque venerit torrens viuet, & erunt piſces multi ſatis poſtquam venerint aquæ iſtæ, & ſanabuntur, & viuent omnia, ad quæ venerit torrens.* Mare Orientale vocãt (teſte D. Hieronymo) mare mortuum. Egredientur igitur ex Eccleſia & ex electis eius miniſtris, aquę viuæ ſapientiæ, doctrinæ, & Spiritus ſancti gratiæ, vt rigent omnia deſerta gẽtilium; peruenientque vſque ad mare mortuũ, vbi nihil eſt niſi mors & amaritudo, idololatriæ, & omnium vitiorum abundantia; per ingreſſum autem aquarum viuentium, ſanabũtur aquæ infectæ maris mortui, & piſces viuent, quia auferetur omnis ignorantia, infidelitas & peccatum; peccatoreſque viuificabuntur per fidem & gratiam, atque Eccleſiæ coniungentur. Propter quod aquæ viuæ dicuntur in mare intrare, & exire: intrant enim vt exeant, & ſecũ homines in ſortem ſanctorũ ducãt.

O mira & ſtupenda aquarum viuẽtium efficacia! piſces enim multiplicãt, ſanant aquas amaras, ligna pomifera & odorifera plantant, arefactas arbores reuireſcere faciunt, terram ſabuloſam reddunt fœcundam, & deſertum conuertunt in paradiſum. Eccleſiæ enim miniſtri per Sacramẽtorum adminiſtrationem & prædicationem Euangelicæ doctrinæ hæc omnia præſtãt: nam per aquas baptiſmi homines in Chriſto regenerant, multiplicant, & in horto Eccleſiæ tamquam viuas arbores plantant. Per aquas verò pœnitentiæ peccatores mortuos reſuſcitant, languidos ſanant, & amaritudines tollunt peccatorum. Per alia autem Sacramenta fideles tamquã Dei plantationes nutriunt, & ad peculiares fructus, & opera præclara efficiẽda iuuant; copioſius autem per irrigationem doctrinæ Euangelicæ ad hæc omnia diſponunt, illaque ſimul efficiunt, dum enim exhortantur ad fidem, ad caſtitatẽ, ad eleemoſynam, & ad alia virtutũ opera, vel has virtutes in hominibus ſerunt, vel inſertas de nouo amplius germinare faciunt.

Hæc omnia inſinuaſſe viderur Iſaias cùm caput 35. ita inchoat: *Lætabitur deſerta, & inuia, & exultabit ſolitudo, florebit ſicut lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans. Gloria Libani data eſt ei, decor carmeli & Saron, &c.* Et paulò pòſt: *Tũc aperientur oculi cæcorũ, & aures ſurdorũ patebunt. Tunc ſaliet ſicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Reddens autem cauſam horum omnium mirabilium quæ Dominus veniens ad ſaluandum nos, operatus eſt ſubiũgit: *Quia ſciſſæ ſunt in deſerto*

Ioan. 17. v. 3

Pſal. 35. v. 10. 2.

Pſal. 91. v. 13

Iacob. 3. v. 17.

Sapient. 9. v. 10.

Eccleſ. 24 v. 40.

Ad Gal. 5. v. 22.

Eſther. 10. v. 6.

Ezech. 47. v. 1.

4.

Zachar. 14. v. 8.

Ezech. 47. v. 8.

Efficacia aquarum viuentium.

5.

Iſai. 35. v. 1. & 6.

aquæ, & torrentes in solitudine, & quæ erat arida erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. Fontes enim aquarum viuētium, quas Christus attulit, & quas eius Apostoli & ministri per vniuersum orbem diffuderunt, hæc mirabilia operati sunt. Per has aquas lætabitur terra gentilium deserta, & inuia; florebitque sicut lilium emittens flores Sanctorum, & plurimarum Virginum. Per has germinās germinat, id est vberrimè germinat, diuersarum arborum propagines, vt esse videatur quidā glorioſus Libanus, amœnus Carmelus, & Domini paradiſus. Per eaſdem oculi cæcorum aperiuntur vt videant quæ antea ignorabant; aures ſurdorum patebunt, vt audiant veritates fidei quæ nūquam audierant; & ad obediendum illis ſe præparent: lingua mutorum ſoluetur, vt fidem audacter confiteantur & Dei laudes deuotè canant, & peccata ſua manifeſtare non erubeſcant: claudi verò & debiles, per viam mandatorum Dei rectè & fortiter progredientur. Denique ſicut aqua probaticæ
Ioan.5.v.4. piſcinæ non niſi mota ab Angelo vnum ſanabat infirmum à quacumque detinebatur infirmitate (motus autem ille aquæ indicabat eam ſymbolum fuiſſe non aquæ mortuæ, ſed viuæ) ſic aqua viua gratiæ quæ per Chriſtum, & eius Sacramenta datur, obeunte ſacerdote qui ea adminiſtrat, munus Angeli motoris, in virtute ipſius Chriſti, ſanat non vnum hominem, ſed omnes dignè accedentes, à quacumque ſpirituali infirmitate vexante illos. Aptè ergo Eccleſia laudatur tamquam *fons hortorum, & puteus aquarum viuentium*, quæ tanta abundantia vniuerſum repleuit mundum, & tam ſtupēdos in eo per has aquas operata eſt effectus.

6. Vt conſtet autem vnde habeat Eccleſia aquas iſtas, & vim huiuſmodi opera efficiendi, additur, C
Ita Richardus & Apponius. *quæ fluunt impetu de Libano.* Libanus Chriſtum Dominum ſignificat, qui candor eſt lucis æternæ, & vt eſt vnus Deus cum Patre & Spiritu ſancto, & etiam vt eſt homo, has aquas emittit in Eccleſiam: ſicut fluuius æquæ viuæ manare dicitur de ſede Dei, & agni; & quaſcumque aquas habet fons, & puteus Eccleſiæ, ac miniſtrorum eius, ab hoc Libano deſcendunt cum magno impetu amoris, quem etiam ipſis imprimit. Sapiētia enim & gratia, ac feruor prædicantium, à Chriſto Domino eſt; cuius impulſu mirabilia efficiunt in hominibus: & quæ à cæleſti Libano deſcendunt, ad cæleſtem Libanum homines euehunt vt vitam agant cæleſtem & diuinam.

Apoc.22.v.1.

Vnde apud Iſaiam Dominus dicit: *Effundā aquas*
Iſai.44.v.3. *ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam: effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuū, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam, & germinabunt inter herbas quaſi ſalices inter pereffluentes aquas.* Verbum autem *effundam*, copioſam aquarum largitionem denotat: quę autem de ſublimi monte vel loco effunduntur, cum magno impetu deſcendunt, vt aſcendant tamIoan.4.v.13 men, & fiant, *fons aquę ſalientis in vitam æternam.* Salientis inquit, quia eodem impetu aſcendunt, quo deſcendunt. Horret enim tarda molimina Spiritus ſancti gratia.

Quomodo perfecti viri ſint fons ſignatus, & fons hortorum irrigans illos. §. 3.

SEd ſi tanto impetu huiuſmodi aquæ de cælo deſcendunt in Eccleſiam vt eodem impetu exeant ad rigandum, & fœcundandum orbem, & homines in cælum deducendos, vt quid fons & puteus iſte prius, *ſignatus* vocatus eſt? Nam ebullientem aquam quis cohibere poteſt ne exeat, & aſcendat? Sed magno myſterio ſignatus dicitur ſigillo prudentiæ, & diſcretionis, ne (ſicut D. Gregorius ac Richardus notant) aperiatur indignis, quibus ſemper manere debet ſigillatus. Etſi enim Chriſtus Apoſtolis dixerit: *Euntes per vniuerMarc.16. ſum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ*: tamen ſimul dixit eiſdem: *Nolite ſanctum dare cani-* Matth.7. *bus, nec margaritas veſtras mittatis ante porcos, ne for-* v.6. *tè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi diſrumpant vos.* Sanctum vocat vaſa Sacramentorum quæ gratiam ſanctificantem continent: margaritas verò myſteria & veritates arcanas fidei, quæ in ſacra Scriptura continentur: hæc autem clauſa eſſe debent canibus, & porcis, cuiuſmodi ſunt veritatis & virtutis contumaces irriſores, & perſecutores: nimirum ethnici, tyranni, hæretici, Iudæi, ac multi ex gentibus, qui pertinaciter fidei reſiſtunt, & ſacra myſteria velut porci conculcant, & eos qui ea tradunt, velut canes mordere geſtiunt, & dilacerare, de quibus D. Auguſtinus ſic ait: Cauēdum Lib.2.de ſerm. Domini in monte c. 31.tom.4. eſt ne quid aperiatur ei qui nō capit, melius enim quærit, id quod clauſum eſt, quā id quod apertum eſt, aut infectat per odium vt canis, aut negligit per contemptum vt porcus. Quod etiam D. Ambroſius ſic confirmat: Cū dicitur, *hortus concluſus*, „ Lib.de ijs *& fons ſignatus*, ſignificat ſignatum debere apud te „ qui initiā- manere myſterium, ne violetur operibus malæ „ tur.c.9. vitæ, atque adulterio caſtitatis; ne diuulgetur quibus non conuenit, ne garrula loquacitate diſpergatur in perfidos. Bona ergo debet fidei tuæ eſſe cuſtodia, vt intemerata vitæ, & ſilentij integritas perſeueret. Hæc ille.

2. Sed aliquid amplius hæc verba inſinuant. Huiuſmodi enim aquæ viuæ & dona cæleſtia ad duplicem finem perfectis viris conceduntur; vt primò ſibi, deinde aliis profint. Sibi, per vitam contemplatiuam dum Deo vacant, vt aquas viuas ab eo recipiāt: aliis verò, per vitam actiuam dum per prædicationem eas aliis deſtribuunt, & ideo ſimul eſſe debent, *fons ſignatus, & fons hortorum.* Fons ſignatus vt aquam ſibi ipſis retineant, & proprium hortum rigent, & ex ea bibant, ſeque lauent, & ea fruantur: vocantur autem, *puteus aquarum viuentium*, quoniam profundus puteus multum continet aquæ, priuſquam ex ſe illam effundat. Oportet enim magnam acquirere ſapientiam, & gratiam antequam ad alios docendos quis accedat. Puteus item humiliratem & laborem indicat, quia non niſi multo labore cauatur, & mollē terram & arenam foras eijciendo, donec ad profundum perueniatur, vbi fons perenis aquæ manere ſolet. Qui enim diuina ſapientia, & gratia replendus eſt, per ſui abnegationem omnia terrena à ſe proijcere debet, & in ſui ipſius profunda cognitione cauare, donec id perfectè comprehendat, quod ex ſe nihil boni habet, ſed à Deo fonte aquæ viuæ in humili corde exiſtente, vt illud ſuis repleat donis.

Per hæc conciliantur duo loca quæ videbantur ſibi aduerſa: Nam fluuius aquæ viuæ dicitur procedere de ſede Dei & agni, & tamen Saluator ait, quòd *flumina de ventre eius* (ſcilicet qui in eum cre- Ioan.7. dit) *fluent aquæ viuæ.* Etenim cùm cor iuſti (quod v.38. per eius ventrem ſignificatur) ſedes ſit Dei & agni, templumque Spiritus ſancti qui in eo habitat, quid mirum quod ex eo dicantur fluere flumina gratiæ & ſapientiæ vt rigent omnia eius interiora, & omnes inebrient animæ facultates? Et hoc innuit phraſis iſta, *puteus aquarum viuentium quæ fluunt de Libano*, quaſi aquæ ſimul manent à

fonte qui eſt in profundo putei, & deſcendant à A Libano & cæleſti fonte. Vocantur autem flumina, quia tanta eſt earum abundantia, vt poſſint ſicut flumina foras prodire, alios potare, ac multorum rigare hortos: cùm autē Saluator hæc verba proferēs addidit, *ſicut dicit ſcriptura*, teſtimonium inſinuat (vt plures patres aſſerunt) ex prouerbiis
Prou.5.v.15 iam allegatum, vbi dicitur: *Bibe aquā de ciſterna tua, & fluenta putei tui. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* In myſtico enim ſenſu hoc allegat de illo qui fide viua in ipſum credit, & conſequenter fontem continet in ſe aquæ viuæ, de quo vſque ad ſatietatem bibit, & aquas vſque ad proximos deriuat.

3. Hinc fit fugienda eſſe duo vitioſa extrema; vnū eorum qui fontem ſemper habent reſeratum; quibus citò deficiet quod aliis tribuant ſi imprudēter plus debito ſe diffundant. Quod ſtultitiæ ſignum B
Prou.29. v.11. eſſe teſtatur Salomon dicens: *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus: ſapiens autem differt, & reſeruat in poſterum.* Imo nec ipſis proximis id vtile erit, ſicut nec plantis prodeſſet quòd fons apertus eas continuò rigaret. Oportet ergo ſignatum eſſe & opportuno tempore, ſigillo ablato eas rigare; & iterum fontem claudere, vt viciſſim proprio commodo ſtudeat, & alieno, ſuoque & aliorum hortis congruenter prouideat.

Vnde alterum extremum eſſet ita fontem ſibi ſignatum, & concluſum tenere, vt numquā aperiat, & aliis aquas diuidat. Quod à perfecta charitate valde alienum eſt, quæ proximum ſicut ſeipſum diligit, & exijs quæ habet aliqua temporalia vel ſpiritualia bona libēter largitur. Vtquid enim vocatur fons hortorum, ſi cùm horti aqua indigent, fontem ſignatum tenet? Vtquid cum tanto impe- C tu fluunt aquæ de Libano, niſi vt etiam in alios refluant? Aperiendus igitur eſt fons ſignatus, nō pro libito tantum poſtulantium ſi indiſcrete poſtulent, nec ex impetu paſſionis, & volūtatis propriæ in vanos & terrenos fines perpenſæ, ſed iuxta vo-
Apoc.3.v.7 luntatem Chriſti Domini, *qui habet clauem Dauid*; De hoc ſupra lib.7. exhort.6. §.1. *aperit & nemo claudit; claudit & nemo aperit.* Ipſe enim aperit fontem cùm ſpirat, & mouet ad prædicandum, claudit verò cùm id ob peccata populi prædicatoribus prohibet, de quo alibi dictum eſt.

4. Denique perpendendum eſt non ſine myſterio ſemel tantum ſponſam, vocari fontem ſignatum;
1.Cor.9. v.16. bis autem poſtea dicta eſt: *Fons hortorum, & puteus aquarum viuentium, quæ impetu fluunt de Libano*, vt ſciant paſtores, virique perfecti quaſi duplam habere obligationē irrigandi & docendi proximos, non ſolum propter illos, ſed etiā propter ſeipſos. Væ enim illis ſi non euangelizauerint, neceſſitas D enim illis incumbit: & fortè talenta quæ abſcondunt, perdēt, & aquæ viuæ quas ſignatas obtinēt, Lib.de Nabuth.c.12. auferentur ab eis: quod eleganti exemplo de puteis explicat D. Ambroſius. Puteus (inquit) ſi nihil haurias, inerti ocio, & degeneri ſitu facilè cor„ rumpitur; exercitatus autem nitеſcit ad ſpeciem, „ dulceſcit ad potum: ita & aceruus diuitiarum cu„ mulo arenoſus ſpecioſus eſt vſu, ocio autem inuti„ lis habetur. Deriuato igitur aliquid de hoc puteo. Aqua ſtatina cito vermes facit. Ad hūc igitur modum qui puteus aquarum viūentium vocatur à Deo, ſi negligit eas communicare, & aliquid ſapientiæ ſuæ aliis impertiri, inerti ocio corrumpetur, & vermes generabit, & incaſſum domum Dei
Eccleſ.20. v.32. retinet: Nam, *Sapientia abſconſa, & theſaurus inuiſus quæ vtilitas in vtriſque?*

Qualis ſit ſapientia & doctrina Euangelica ad irriganduum animarum hortos. §. 4.

SOlum ſupereſt, declarare qualitates cæleſtis ſapientiæ, & doctrinæ Euangelicæ quæ in ſacra Scriptura continetur, prout inſinuantur in ijs verbis: *Fons hortorum, & puteus aquarum viuentium quæ fluunt impetu de Libano.* Potiſſima autem laus in 1. eo conſiſtit quòd aquas viuas cōtineat ſuo perenni fonti Deo & Chriſto coniunctas, à quo habent vt ſint puriſſimæ & limpidiſſimæ, infallibilis veritatis, & indefectibilis, in quibus nihil errotis, nihil malitiæ, nihil poſſit turpitudinis inueniri, vtpotè quæ à candidiſſimo monte Libano profluūt, & à ſede Dei & Agni, qui ſumma & increata ſapientia eſt ad nos procedunt. Quo ſecernuntur à ſcientia inflāte, & peruerſa doctrina ethnicorum, & hæreticorum, quæ aquæ ſunt mortuæ, & fœtidæ ſicut aquæ lacunarum & ciſternarum, quæ facilè corrumpuntur, vel corruptæ vermes ac ranas generant, cœnū & immunditias contrahunt. Propter quod à D. Iacobo vocatur ſapientia terre- Iacobi 3. na, animalis & diabolica: & à D. Paulo prudentia v.15. carnis, quę mors eſt; mortiferum enim præbet po- ad Rom. 8. tum: *Dereliquerunt enim Deum fontem aquæ viuæ, &* v.6. *foderunt ſibi ciſternas diſſipatas*, quæ hanc viuam Ierem.2. aquam continere non valent, ſed aliam putridam, v.13. turbidam, & lethiferam; à quarū potione auertit & 18. Dominus populum ſuum cū inquit: *Quid tibi vis in via Ægypti vt bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Aſſyriorum vt bibas aquam fluminis?* Etſi autem Philoſophi, & ſapientes ſæculi ac hæretici nonnulla doceant vera, quæ aquæ ſunt à cælo deſcendentes ſicut pluuiæ; quia tamen ipſi ſeparati ſunt à Deo & Chriſto totius veritatis primo fonte, aquæ iſtæ non viuæ dicuntur, ſed mortuæ, recipiunturque in lacunis, & ſtagnis, & ex admixtione cum cœno multorum errorum infectæ manēt. Putei ſunt, non aquarum viuentium & permeantium, ſed conſiſtentium, quæ non intus habent perennem fontem, niſi fortè ex diabolo mendacij auctore, vnde puteus ſunt abyſſi fumum excæcantem ſpirans, non aquam limpidam emittens, à quibus omnino cauendum eſt.

Eſt autem ſacræ Scripturæ doctrina ſimul fons & puteus (vt D. Greg. notat) fons patens in ſuper- 2. In hunc loc. ficie terræ ſecundum aliqua myſteria quæ clare cum. docet, quia omnibus ſunt neceſſariæ ad ſalutem. Puteus autem profundus, ob alia ſecretiſſima & profundiſſima, quæ intra literæ corticem latent, nec à quibuſuis facile penetrari poſſunt. Propterque etiam dicta eſt *fons ſignatus*, ſicut & liber ille Apoc.5.v.5. Apocalypſis, ſeptem ſignatus ſigillis, quem nullus potuit aperire, niſi ſolus Agnus; quia ſolus Chriſtus poteſt horū myſteriorum intelligentiā præ- Lucæ 24. bere; & ipſe aperit ſenſum vt intelligantur Scri- v.45. pturæ: ſine cuius illuſtratione erunt nobis clauſæ, & puteus cuius profunditatem non valebimus penetrare. Cæterùm, & puteus vocatur ad ſignificādum, ſicut ſcriptum eſt in libro Iob, quòd ſapien- Iob. 28. tia de occultis trahitur, & inſuper ſicut ex alto pu- v.18. teo magno cum labore & propria induſtria funе iniecto & hydria aquam educimus, ſic ex hoc ſacræ Scripturæ puteo ingenti ſtudio, meditatione, & oratione, adhibito etiā ieiunio, & gemitu educenda eſt aqua ſapientiæ ſalutaris, & gratiæ quæ intra eam latent. Quod ſic explicat D. Ambroſius: Lib. de Iſaac &c. Si myſteriorum altitudinem perſequeris, puteus tibi videtur tamquam in profundo ſita myſtica

» esse sapientia, si verò haurire velis affluentiã cha-
» ritatis, quæ maior, & vberior est quã fides & spes,
» tunc tibi fons est. Exuberat enim charitas, vt ex-
» haurire eam comminùs, & rigare eius affluentia
» hortum tuum possis spiritualibus fructibus re-
» dundantem.

» Vocatur autem inquit D. Gregorius, fons hor-
» torum, quia illos specialiter rigat, in quorum mẽ-
» tibus virtutum semina oriuntur: dicuntur verò
» impetu fluere de Libano, quia Scripturæ sacræ
» scientiæ electos dum tangit, ab huius vitæ amore
» submoueat, & ad æterna gaudia vi impetus sui
» quosque adhærentes traijciat, sicut in Psalmo scri-
» ptum est: *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei.*
Psal.45.v.5. » Quod tunc fit cùm per donum sancti Spiritus for-
» titer inundans Scripturæ sapientia sanctam Ec-
» clesiam vel cuiuslibet capientes mentem sua infu-
» sione exhilarat.

3. » Consultò etiam non dicitur fontes, nec putei,
sed fons plurium hortorum, & puteus plurium
aquarum viuentium ad significandam vnitatem
seu vnionem eorum quæ in Scriptura docentur;
quę quamuis plurima sunt, tamen omnia vera &
sancta, omnia sibi consona; eo quod ab vno primo
fonte, & magistro Deo & Christo procedũt, iux-
ta illud Ecclesiastes: *Verba sapientium sicut stimuli,*
Eccles.12. v.11. *& quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum con-*
silium data sunt à pastore vno; ab eo nimirum qui di-
Matth.23. v.10. xit: *Ne vocemini magistri, vnus est enim magister vester*
Christus. Et ideo viuentes aquæ dicuntur fluere ab
vno Libano, qui idẽ Christus est vt diximus: quo
discriminãtur à Philosophorum & hæreticorum
sectis, quæ plures habent radices, & inter se aduer-
sas; & ideo etiam inter se sunt repugnantes, quia à
veritatis tramite deuiant; mendacia autem nec si-
bi, nec veritati cohærent.

4. Cæterum quia D. Ambrosius & alij non legunt
pronomen, *qua*, sed quasi nouam laudem referens
sponsus ait: *puteus aquarum viuentium*; *& impetus*
descendens à Libano, duplex insinuatur sapientia, &
Scripturarum cognitio, vtraque ex Deo procedẽs:
Prior, nostra etiã industria & labore parta, & hæc
assimilatur puteo, qui excauatur donec vena repe-
ritur aquæ viuæ. Posterior quæ ex Dei infusione
habetur sicuti Apostolis infusa est in die Pentecos-
stes, & hæc dicitur impetus descendens à Libano,
estque copiosior, & vehementiores habet affectus
& effectus, sicut in ipsis Apostolis videre licuit,
de quo paulò pòst specialis erit sermo. Semper
tamen laborantibus & scrutantibus scripturas, ac
mysteria fidei infunduntur aliquæ illustrationes
vel inspirationes quæ mentem magis lucidam, &
ardentem reddunt, licet non sint impetus vehe-
mentes, sed quasi suauia stillicidia de quibus scri-
Psal.64. v.11. ptum est: *Instillicidiis eius lætabitur germinans.*

Ad hæc autem obtinenda maximè conducit
humilitas cordis quam per putei fabricam desi-
Prou.11.v.2 Matth.11. v.15. gnari diximus. Nam: *vbi est humilitas, ibi est sapien-*
tia, & Deus qui abscondit hæc mysteria à sapien-
Isai.29.v.11 tibus & prudentibus quibus propter suam super-
biam sunt quasi fons, & liber signatus, reuelat ea
paruulis qui propriam agnoscunt infirmitatem &
Psal.138.v.6 ignorantiam, & cum Psalmista dicunt: *Mirabilis*
facta est scientia tua ex me (id est supra me.) *Confor-*
tata est, & non potero ad eam. I. præualere vt assequar
Psal.50.v.8. illam; tamen ex tua benignitate; *Incerta & occulta*
sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Vtinam sicut mani-
festasti per fidem, sic & per claram visionem in sæ-
cula sæculorum, Amen.

EXHORTATIO XXXI.

De progressu Apostolicæ Ecclesiæ vsque ad diem Pentecostes, & de stupendis gratiis, & donis quæ adueniente Spiritu sancto recepit, & per ipsum operata est.

Pro festo Pentecostes.

Hortus conclusus, fons signatus; emissio- Ver.16.
nes tuæ, &c. vsque ad illud, Surge Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum & fluent aromata illius.

MIRO artificio describitur in his verbis Apostolicæ Ecclesiæ progressus ab initio, quo à Christo Domino electa est & fundata, vsquequò per vniuersum mũdum dilatata est. Vocauit quidẽ Dominus ad se duodecim Apostolos, & septuaginta duos discipulos, ex quibus hortum sibi constituit, hasque plantulas tribus annis excoluit vt excresceret & fructum ferrent dũ omnibus virtutibus eos imbuere curauit. Et quia hortus irrigatione indiget, fonteque aquarum quibus irrigatio fiat, eosdem etiam quasi fontes viuis aquis, tũ doctrinæ cælestis & sapientiæ, tum gratiarum & donorum pro suo captu repleuit. Erat autẽ tunc paruulus ille grex, & cœtus discipulorũ quasi hortus conclusus, & fons signatus, quoniam partim ex timore, partim ex propria infirmitate se occultabat, & concludebat, sicut cùm de illis dicitur: *Cùm fo-* Ioan.20. *resessent clausæ vbi erant discipuli congregati propter* v.19. *metum Iudæorum.* Conclusus autem erat cũ dictum est eis: *Vos autem sedete in Ciuitate donec induamini* Lucæ 24. *virtute ex alto.* Vnde post Domini ascensionem in- v.49. troierunt in cœnaculum, vbi quasi concluſi se cõ- Act.1.v.13. tinebant perseuerantes vnanimiter in oratione, in eodemque loco pariter erant in ipso die Pente- Act.2.v.1. costes: in quo hortus iste omnigenis & præcellentissimis virtutibus auctus, & fõs iste copiosissimis aquis viuis è cælo defluentibus repletus est: mãsit autem nouo modo conclusus, & signatus. Conclusus quidem, quoniam circumdatus & circumseptus speciali Dei protectione quæ omnem ab eis timorem expulit, & incredibili fortitudine, ac virtute muniuit ex alto; signatus verò, nõ terreno sigillo, sed cælesti, de quo dicitur: *Signati estis Spiri-* Ad Ephes. *tu promissionis sancto.* Deinde sigillatim explicat 1.v.13. mirabiles emissiones & irrigationes ab vtroque procedentes.

Ecclesiam periisse aduentum Spiritus sancti, & quam præclaras emissiones fecit per illum. §.1.

SEd priùs oportet explicare modũ quo Spiritus sanctus aduenit sub forma vẽti vehemẽter flãtis, & quis traxerit illũ ad hęc patranda mirabilia; quod egregiè postrema verba indicant, scil. *Surge Aquilo, veni Auster, perfla hortũ meũ, & fluẽt aromata illius.* Hæc autẽ precatio iuxta diuersoũ Patrum interpretationes quas postea referemus, attribui potest tam sponso quã sponsæ, tam Christo Domino qui dixit Apostolis: *Ego rogabo patrẽ, & aliũ pa-* Ioan.14. *raclitum dabit vobis, vt maneat vobiscũ in eternum*, v.16. quã Ecclesiæ Apostolorũ & congregationi ferè centũ viginti hominum, de quibus dicitur, quòd Act.1.v.14. *omnes erãt perseuerantes vnanimiter in oratione cũ mulieribus, & Maria matre Iesu & fratribus eius.* Fratres autẽ vocãtur hic nõ tantùm ratione solius cognationis, sed etiã fraternitatis spiritualis: vnanimiter autẽ omnes petebãt duo, quę verba ista significãt; *surge*

Surge aquilo, veni auster, &c. Primum vt fugiat & recedat ab eis, & ab omnibus discipulis spiritus ille pusillanimitatis & timoris mundani qui Petrum compulit ter Christum negare, & alios Apostolos eum deserere: spiritus etiam vitiosæ verecundiæ, & ruboris, qui eos torpentes reddebat ad prędicandum, vel confitendum libere Christi crucem, passionem, & ignominias: spiritus item ille debilis, & infirmus ad labores perferendos, qui eos clausos continebat, reddebatque ineptos ad nomen Christi per vniuersum orbem deferendum. Hæc enim omnia significantur per aquilonem frigidum & horridum, qui homines cogit se domi cõtinere, & ad laborem inertes reddit. Deinde vero petebãt vt veniret auster & perflaret, id est, vt è cælo descenderet Spiritus sanctus, qui per hunc ventum calidum, & meridionalem designatur, vt suo ardore pusillanimitatem, & timorem pelleret, frigidumq; aquilonem fugaret, & corda eorum inflammaret ad præ- Act.2.v.2. dicandum. Decimo autem die exauditi sunt. Nam auster iste est ventus ille de quo dicitur: *Factus est repente de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus ve-*
hementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam
ignis, sedit que supra singulos eorũ, & repleti sunt om-
nes Spiritu sancto. Nõne calidissimus auster erat, qui linguas igneas afferebat? quid est repleuit totam domum, nisi perflauit vniuersum hortum? hoc enim postulauerant, *Perfla hortum meum.* Nam omnes & singulos qui in illa domo morabantur, & partes erant illius horti plantati à Christo, perflauit & impleuit spiritus Domini.

Hom.10.in Cant. Sed quid tunc? *Et fluent aromata illius.* Nam vt inquit Nyssenus, cum plantas perflauit animatas, mouit ad aromatum productionem, vt per os discipulorum fluerent aromata prophetię, salutaria fi- C dei dogmata, & fluenta cælestis doctrinæ, magno spiritus feruore Christi crucem & legem prædicando. Fluebãt autem quæ Spiritus sanctus inspirabat, iuxta illud: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœ-*
perunt loqui variis linguis prout Spiritus sanctus da-
bat eloqui illis. Loquebantur autem magnalia Dei, quia omnia eius mysteria propalabãt, nec solum loquebantur verbo, sed facto, & opere, iungentes stupenda prodigia & signa illius spiritus qui per eos loquebatur, insignibus etiam sanctitatis operibus ea confirmantes: vt vere tunc diceretur: *emissiones tua paradisus.* Emissiones enim etiam sunt aromatum fluxus.

2. Sed quis narrare poterit emissiones istas? dupli-
ces enim emissiones hic considerare licet. Quædam
intra ipsummet hortum cõclusum, quoniam Spiri-
tu sancto adueniente repente in Apostolis nouæ &
mirabiles sunt exortæ virtutum supernaturalium D
propagines, earumq; stupenda incremẽta. Nam sep-
tem illis præcellẽtissima infudit dona, per septem
aromaticas plantulas repræsentata. Fecit item illos
scientia & sanctitatẽ sublimes sicut cedros Libani,
præclarissimis operibus fœcundos, qui malis puni-
cis & pomis designantur, vt vere nouella Christi
Ecclesia esset quidam paradisus voluptatis, & deli-
tiarum hortus, in quo Deus commorabatur, & am-
bulabat, non sicut in paradiso terrestri cum venit ad
corripiendum Adam præuaricatorem, sed tãquam
Gen.3 v.8. in paradiso quodam cælesti in linguis igneis cõuer-
sans cum illis, & eorum corda inflammans, vt tunc
perfectissime impleretur quod scriptum est: *Inha-*
Leuit.28. v. 12. *bitabo in illis, & inambulabo, & ero illorũ Deus.* Hoc
est quod insinuat D. Lucas, dicens. *Repleti sunt om-*
Act.2.v.4. *nes Spiritu sancto*, id est, ipsamet substantiali præsen-

Ita Cassiodorus & Beda.

tia Spiritus sancti, qui est vnctio increata, cũ quo & cuncta aromata, cum *omnibus primis vnguentis in-*
fusa sunt? sed quomodo non cũctis primis vnguentis redundarent, quibus ipsa substãtia sacri se infudit vnguenti? tunc autem emissiones miræ prodierunt iubili, laudis, hymni, gratiarũ actionis, precis, & ignitorum verborum, prout ipse Spiritus sanctus inspirabat illis. Ignis enim qui in corde accẽsus erat, non poterat non foras flãmas emittere, & per apertum os cor respirare. Fluxerunt etiam aromata illa quæ à D. Paulo vocãtur, *Sermo sapientiæ, & scientiæ,* 1.Cor.12. *fides & prophetia, operatio virtutũ, gratia sanitatum,* v.8. *genera linguarũ, interpretatio sermonũ*, & alia huiusmodi vnde prodierunt etiam igneæ emissiones, hoc est conciones ad populum habitæ, in quibus testimonium reddebãt Apostoli de Christi Domini passione, & resurrectione, ac de reliquis fidei mysteriis, & veritatibus, quæ necessariæ erant ad salutem & vocantur, *Emissiones malorum punicorum*, & c. quoniam prædicabant mysteria regni cælestis, & sanguinis Christi pro nobis fusi, ac charitatem & dilectionem mutuam inter omnes, veluti summi nouę legis sacerdotes, qui cum tintinnabulis aureis mala Exod.28. punica gerebant inter mixta. Tintinnabula sonitum v.33. prædicationis; aurum sapientiam prædicantis; malogranata eiusdem charitatem, & omnigenam virtutem, prędicationis item materiam, effectũ & fructum referebant. Emittebant etiam myrrham, & aloëm, nardum, & alia aromata cum prædicabant mortificationem carnis, baiulationem crucis, & alia virtutũ exercitia. Vnde mira processit animarum ad fidem conuersio, stupenduſq; sanctitatis fructus. De quo merito dici possit, *Emissiones tuæ paradisus.* Cœtus enim ille fidelium habebat cor vnum, & animam vnam; omnia erant eis cõmunia, mirabili florebãt fide, & charitate, paupertate spiritus, & humilitate, ingẽti fruebãtur pace, cõcordia & gaudio, vt paradisus Domini esset eorum dulcis conuersatio.

Denique non sine mysterio per verbum de futuro ait: *Et fluent aromata illius*, ex quo enim Spiri- 3.
tus sanctus venit in Apostolos, non cessarunt fluere aromata horti Ecclesiæ: aromata illius fuerunt discipulorum varia dona & prodigia; inuictorũ martyrum gloriosæ pugnæ, & victoriæ; sapientia & doctrina pontificum, & doctorum; immaculata Virginum continentia, Anachoretarum segregata vita, & contemplatio: ieiuniæ & opera pœnitentiæ confessorum: quidquid denique sanctitatis & gratiæ, ac studiosæ operationis fragrauit in Ecclesia, ex sancti Spiritus adiutorio processit, & ex primo illo flatu in die Pentecostes ortum habuit, vt merito Ecclesia eodem spiritu afflata quotannis eius aduentum instanter efflagitet, variis Hymnis, Psalmis, & precibus eleganter compositis; quæ omnes in hanc precem reducuntur; *Surge aquilo, veni auster*, &c.

Legem veterem abolitam, & nouam mentibus inditam in die Pentecostes. §. 2.

SEd nouam modo addamus interpretationem 1.
eidem Pẽtecostes diei satis accommodam, vt per aquilonẽ intelligamus spiritum antiquæ legis, qui fuit spiritus timoris proprius seruorum, qui minis & suppliciis, vel temporalibus bonis ad obediendum cõpelluntur. Quem ob eius rigorem per hyemem, & imbrem significatum fuisse diximus in illa Cãt 2. v.11. verba, *Iam hyems transiit, imber abiit & recessit*, sed Li.5.cap 15. nunc per aquilonem frigidum & siccum indicatur, quia lex illa ex se charitatis calorem, & humorem gratiæ non conferebat, ideoque de ea dicitur: *nihil ad perfectum adduxit lex; & in lege nemo iusti-*

Ad Hebr. 7. v. 19. *ficatur apud Deum.* Nam timor ſine calore charitatis frigidus eſt, quia etſi Deus ad dandam legem in mõte Synai apparuerit in igne, tamen ſimul ſonabãt tonitrua, micabant fulgura, mons fumabat, totuſq; terribilis erat, vt magis timorem incuteret, quam amoris flammam accenderet. Id enim ipſum præſtabat lex. At vero lex euangelica, quæ lex amoris eſt, conuenienter per auſtrum ſignificatur, cuius ſpiritus per Sacramẽta, & ſacrificia humorem gratiæ confert, & ardorem charitatis accendit: *Nam lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, vnde per ipſam legem Chriſti vera confertur iuſtitia, iuxta illud Pauli, *Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum, iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptorem quæ eſt in Chriſto Ieſu.*

Exod. 19. v. 16. & 18.

Ioa. 1. v. 17.

Ad Rom. 3. v. 21.

Optabant ergo tam ſponſus Chriſtus quam ſponſa eius noua Eccleſia, vt lex illa vetus, eiuſque rigidus ſpiritus abiret, ſolaque lex noua & ſpiritus amoris præualeret, vt hortus eius dulces proferret fructus, ſuaueolentiaque ſpiraret aromata, & ideo Apoſtoli decem illis diebus ante Pentecoſten inſtanter orabant: *Surge aquilo, veni auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Seu, *aromata mea*, vt legunt Sept. ac ſi dicerent, recedat iam lex vetus ſcripta in tabulis lapideis, fugiat ſpiritus ille timoris rigidus qui homines præceptis, & ceremoniis grauabat, & opprimebat: veniat iam Spiritus ſanctus qui legem nouam ſcribat in cordibus hominum; & ſpiritum gratiæ, & amoris eis infundat: adſit iam perfecta charitas, quæ foras mittat timorem, & aquilonem releget è mundo, vt abundanter fluant aromata huius legis quę mea ſunt, & mihi valde chara.

1. Ioan. 4. v. 18.

2.

Deut 33. v. 2 Ad Rom. 8. v. 15.

Ad Gal. 4. v. 31.

Ad Hebr 7. v. 18.

Ad Gal. 5. v. 22.

1. Ad Cor. 13. v. 4.

2. Cor. 2. v. 14

3.

Adueniente igitur die Pentecoſtes factus eſt ſonus ſpiritus vehementis, qui terreret Hebræos, ſed excitaret Apoſtolos, & cum vento auſtro apparuit Spiritus ſanctus in linguis tãquam ignis, ferens in manu ſua igneam legem, quam cordibus eorum impreſſit, & ſimul veteri finem impoſuit, eamque aboleuit. Tunc enim factum eſt quod ait Apoſtolus: *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater*: non ſumus iam filij Agar ancillæ, ſed filij liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberauit, cum legem abrogauit veterem, & eius imbecillitatem Spiritus ſanctus patefecit. In eius enim aduentu facta eſt, *Reprobatio prioris mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris ſpei per quam proximamus ad Deum.* Tunc hortus Eccleſiæ emiſſiones protulit ſicut paradiſus, & fragrãtia ſpirauit aromata virtutum. Cœpit enim proferre fructus ipſius ſpiritus nempe charitatem, pacem, gaudium, patientiam, & alios quos Apoſtolus numerat. Cum charitate autem cætera legis amoris propria opera germinauit; nam charitas patiens eſt, benigna eſt, omnia credit, omnia ſpirat, & tũc Apoſtoli fragrantiam aromatum per vniuerſum mundum diffundere cœperunt, gẽtibus etiam Euangelicam legem annunciãtes iuxta illud; *Odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſumus*, in omni loco ait, id eſt, in vniuerſo orbe.

Et hæc fuit etiam ſponſi, imo & ſponſæ mens in hac precatione, fragrantia enim horti ſui concluſa erat intra terminos Iudææ, nec ad gentes extendebatur. Petit ergo vt veniat auſter, & perflet hortum ſuum, vt fluant aromata etiam extra Iudæam, & ad omnes gentes deuenirent, vt ſancti Spiritus gratias & dona participarent. Siquidem & promiſſum erat effundẽdum eſſe Spiritum ſanctum ſuper omnem carnem. Cui ſauet noua quædam expoſitio D. Ambroſij, per aquilonem intelligentis populum gentium, qui inuitatur vt veniat ad fidem euangelicam recipiendam, *Surge* (inquit) *aquilo*, hoc eſt, ſurge qui dormis, & exurge à mortuis populus nationum, qui diu ante dormiſti, euigila aliquando, & illuceſcet tibi Chriſtus. Quæ autem aromata fluxerunt in nationibus gentium cum eas diuinus hic auſter perflauit, quis enarrare ſufficiet? vnico verbo explanauit Iſaias poſtquam gentes terram deſertam & inuiam vocauit, dicens: *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron.* Id eſt, quidquid precioſum & decorum, ſiue in arboribus, ſiue in aromatibus, vel floribus & fructibus eſt in amæniſſimis montibus Iſrael, transferetur ad illam: quia fides, ſanctitas, virtus, gratia, & ſapientia, & omne datum Dei optimum in gentes deriuabitur. De his enim loqui conſtat, ex eo quod ſubiungit: *Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.* Hoc eſt in ſuis operibus & actibus intuebuntur gloriam & decorem Dei qui mirabilis eſt, & glorioſus in ſeruis ſuis, & in iis quæ operatur per ipſos. Tranſacto enim hyeme legis antiquæ pulcherrimi apparuerunt ſanctorum flores in terra noſtra, vt ſuo loco explicatum eſt.

Serm. 12. in Pſal. 118 v. 2 idem dicit lib. 1. de Virginib. circa finem.

Iſai. 35. v. 2.

Lib. 5. exh. 18.

De aquis viuis gratiarum infuſis Eccleſiæ in die Pentecoſtes. §. 3.

1.

SED adhuc amplius cuncta hæc patebunt, ex aquis quas flans auſter Eccleſiæ attulit. Huiuſmodi autem ſunt de quibus dicitur, *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, qua impetu fluunt de Libano.* Per aduentum enim Spiritus ſancti, Apoſtoli cõſtituti ſunt fontes hortorum, & putei pleni aquis viuis, omnium gratiarũ & donorũ à cæleſti Libano magno impetu profluẽtium. Quod indicat modus ille loquendi: *Factus eſt repente de cælo ſonus tãquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes.* Vehementia ſpiritus aduenientis è cælo impetus eſt aquarum viuentium profluentium à Libano. Quod D. Ambroſius ſuam ſequens verſionem ſic eleganter explicat. Deſcendit (inquit) impetus à Libano, quando collectis in vnum Apoſtolis, & pluribus credentibus, factus eſt ſubito de cælo ſonus tanquam vi magna ſpiritus ferretur; & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto diuerſitates donante linguarum, & quia ſimul etiam diuerſitates tribuit gratiarum, ait has gratias per diuerſa nomina quibus hic ſponſus vtitur, ſignificari. Nam aliis (inquit) fons eſt, aliis puteus pro capũ noſtro gratia ſpiritalis; aliis hortus clauſus, fons ſignatus, aliis hortorum fons, qui Eccleſiæ dote numeratur: aliis impetus deſcẽdens à Libano, & magnus impetus qui nunquam deficit, ſed clarius ex D. Paulo habemus plures gratias Eccleſiæ, & Apoſtolis per Spiritum ſanctum datas: propter quas dicuntur puteus, non aquæ viuæ, ſed aquarum viuentium, quia non ſolum repleti ſunt aqua viua ſanctificante, ſed etiam aliis aquis viuentibus, ſapientiæ, ſcientiæ, diſcretionis ſpirituum, doni linguarum, & aliarũ huiuſmodi, quæ neceſſariæ erant ad irrigãdum mundum vt fructus fidei, iuſtitiæ, & ſanctitatis ferret. Propter quod ſimul *fons hortorum* nuncupatur. Sed licet in ſingulari vocetur fons, & puteus propter vnitatem omnium Apoſtolorum & doctorum in vna Eccleſia, & in vno Spiritu ſancto, vnde huiuſmodi aquæ viuæ & gratiæ procedunt, tamen dubium non eſt ſingulare pro plurali vſurpari, cum plura in ſe contineat.

Act 2. v. 2.

Serm. 17. in Pſal. 118. verſu 8.

2. Ad Cor. 12. v. 8.

2.

Exod. 15. v. 23. & 27.

Hom. 7. in Exod.

Apud Lipomanũ, Vide hos Doctores.

Luc. 21. v. 15.

Act. 4. v. 18.

Apud Lipomanum in catena.

Sunt enim duodecim Apoſtoli duodecim fontes hortorum, quorum iucundum ſymbolum præceſſit in eo quod poſtquam Hebræi egreſſi de Ægypto in Maram, vbi amaræ erant aquæ, quæ tamen per lignum in eas miſſum in dulcedinem verſę ſunt. *Inde venerunt in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ, & caſtrametati ſunt iuxta aquas.* Amara aqua, quam in prima manſione inuenerunt Iſraelitæ, legem veterem ſignificat, vt dicit Origenes, quæ amara erat valde, & iugum quod vix poterat portari; & poculum quod vix ob amaritudinẽ potari valebat: ſed per lignum crucis Chriſti conuerſa eſt in dulcedinem, quando mutata eſt in legem nouam, quæ iugum eſt ſuaue, & onus leue. Marath (inquit D. Hieronymus) intellige aquas occidentis literæ, ſcilicet veteris teſtamenti, quibus ſi immittatur & confeſſio crucis, & paſſionis Dominicæ Sacramenta iungantur, omne quod impeccabile eſt, & triſte videbatur, ac rigidum, vertitur in dulcedinem. Vnde tunc vẽtum eſt ad ſecundam manſionem in *Elim*, vbi erant duodecim fontes aquarum dulcium; per quos duodecim Apoſtoli ſignificantur; de quorum fontibus deriuatæ aquæ, totius mundi ſiccitatem rigant; & in cunctas nationes Euangelicæ doctrinæ aquæ effuſæ ſunt; & factæ ſunt omnes veluti horti Chriſti amæni, & fœcundi, & hoc denotant ſeptuaginta palmæ iuxta fontes exiſtentes, nam licet iuxta prædictos patres ſignificent ſeptuaginta duos Chriſti diſcipulos; tamen iuxta Proſperum, Rupertum, & alios potius ſignificant multitudinem martyrum, & etiam Confeſſorum, ac Virginum, quæ pro veritate & virtute vſque ad mortem certantes palmam ſupernæ vocationis accipiunt: locus ergo ille, *Elim* tot fontium & palmarum amænitate & fœcunditate iucundus, hortus eſt Eccleſiæ Catholicæ, plures nationum hortos comprehendens, & plurimas iuſtorum arbores fructiferas, quas palmarum iſte copioſus numerus indicat: duodecim vero Apoſtolorum fontes, & quotquot Apoſtolicum poſt ipſos munus obeunt, iugiter eos rigant, præceptis, conſiliis, exhortationibus, & variis modis iuuant vt fructus copioſos ferant, & palmas obtinere valeant.

3.

Genes. 25. v. 15.

Sunt præterea duodecim Apoſtoli duodecim putei aquarum viuentium quos Chriſtus Dominus fodere cœpit felicius quam Abraham, & Iſaac, quorum puteos Palæſtini obſtruxerunt implentes humo; at in die Pentecoſtes hos puteos repleuit Spiritus ſanctus tanta aquarum viuentium copia, quæ magno impetu de Libano fluxit in illos, vt nullus hoſtium eos valuerit obturare. Nam quo impetu receptæ erant aquę, eodem refluebant, & mundum irrigabant, Euangelium linguis vehementiſſime à Deo impulſis annunciantes, quibus nec tyranni, nec perſecutores, nec inferi poteſtates reſiſtere valuerunt. *Ego* (inquit) *dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Voluerunt principes Sacerdotum horum puteorum ora obſtruere, præcipientes eis ne omnino loquerentur, & docerent in nomine Ieſu, at illi conſtanter dixerunt: *Non poſſumus quæ vidimus, & audiuimus non loqui.* Quid eſt non poſſumus? tantus interior Spiritus ſancti impetus nos ad loquendum mouet, vt nec nos obſiſtere velimus, nec vos cohibere valeatis.

Obſtruxit quidem diabolus, & miniſtri eius in nocte paſſionis Dominicæ puteos iſtos humo timoris, & diffidentiæ, quando omnes diſcipuli Chriſto relicto fugerunt, & eum quidam vel verbo vel facto negauerunt. Sed hinc propriam agnoſcentes imbecillitatem, humiliores facti ſunt, ac redditi capaciores aquarum viuentium; quæ poſtea in ipſos erant infundendæ. Obſtructos ergo puteos, Chriſtus Dominus poſt ſuam reſurrectionem iterũ aperuit, & dilatauit, ac in die Pentecoſtes Spiritus ſanctus impleuit, nunquam deinceps obſtruendos, quia tunc ſingulari priuilegio in gratia ſunt confirmati, vt ſimul eſſent hoc ſigillo fontes ſignati, & inſuper vniuerſo mundo fontes aperti, de quibus intelligeretur etiam quod Iſaias ait: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Has aquas hauſerũt in vno die Pentecoſtes de fonte Apoſtolorum circiter tria millia hominum, in altero die quinque millia: biberunt omnes & ſatiati ſunt; nec tamen fontes ſunt exhauſti; quia Spiritus ſanctus replebat eos aquis magno impetu fluentibus è Libano, vt perennes eſſent hortorum fontes, tum ad potandum, tum ad rigandum illum paradiſum quem Deus in terra plantare decreuerat.

Iſai. 12 v. 3.

Petitio harum aquarum viuentium, & oblationis contrariarum. §. 4.

1.

Hom. 10. in Cant.

HOc igitur eſt quod tam ſponſus quam ſponſa optabant cum dicebant: *Surge aquilo, veni auſter*, &c. Aquilo vt notat D. Gregorius Nyſſenus, quia ab eo oritur loco, qui radiis ſolis non illuſtratur, nec eius calore fouetur, ſignificat principem poteſtatis tenebrarum harum, qui author eſt erroris & peccati, qui mollem animarum naturam inſtar aquæ concreſcere facit, & duram reddit. Sicut è contra auſter qui à meridie oritur, vbi lux & calor viget, indicat vt iam diximus, Spiritum ſanctum, cuius aduentu fugatus eſt diabolus, & princeps mundi huius eiectus foras, ne in mundo per idololatriam regnaret. Et hoc eſt quod precatio iſta ſonat, *Surge aquilo*, id eſt, fuge diabole ab hoc mundo, recede idololatria à gentibus, perfidia à Iudæis, & veniat Spiritus ſanctus qui cuncta hęc poſſideat, illuminet & inflammet.

2.

Iſai 60. v. 8.

Pſ. 147. v. 18

Iſai 11. v. 9.

Vbi ſupra.

Præterea auſter nubes congregat, & pluuias affert quæ hortum aquis inebrient, vt vireſcant plantæ, & fructus vel aromata fluant: ſic Spiritus ſanctus de cælo pluuias aquarum viuentium attulit, quas Apoſtolis communicauit, nubeſque aquis plenas conſtituit, vt vniuerſum mundum rigarent, vnde myſtice dictum eſt: *Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.* Flante enim Spiritu ſancto fluxerunt aquæ cæleſtis ſapientiæ & gratiæ in Apoſtolos, & per eos in omnem orbem, quia, *Repleta eſt terra ſcientia Domini ſicut aquæ maris operientes.* Sed quid eſt quod propheta inquit, *Fluent aquæ*, & de eodem vento ſponſus ait, *Fluant aromata illius*? Nyſſenus diſcrimen hic agnoſcit inter vetus teſtamentum, & nouum, quod propheticus, inquit, fluuius impletus ſit aquis, euangelicus autem aromatibus, taliſque fluuius aromatum ex horto Eccleſiæ fluens per Spiritum ſanctum, erat magnus Paulus, cuius fluẽtum erat Chriſti bonus odor. Talis etiam fuit Ioannes, Lucas, Matthæus, Marcus, & alij omnes irrigantes animatas plantas horti ſponſę, qui perſpirati lucido auſtro meridiano facti ſunt fontes aromatum, ſcatere facientes bonum odorem euangelij. Hæc ille. Sed non negandum eſt flante Spiritu ſancto Apoſtolica flumina impleta fuiſſe aquis viuis, cum putei facti ſint aquarum viuentium, ſed dicuntur flumina aromatum, quoniam aquæ viuæ eorum odoriferæ erant, & aromata fragrantiſſima tam doctrinæ quam præclaræ ſanctitatis continebant.

3. Sed sponsus futurorum præscius aliud etiam optat cum inquit, *Fuge aquilo*, & quid est aquilo ex ore diaboli procedens, nisi scientia inflans, & sapientia terrena animalis, & diabolica, quæ mater est hæresum & errorum, omnium schismatum & scissionum quæ sunt in Ecclesia? hic autem aquilo inflauit antiquos philosophos, & sapientes, quibus Christus crucifixus, stultitia videbatur, & ideo fidem oppugnabant. Deinde inflauit hæreticos superbos, & proprij iudicij tenaces sectatores, qui maxime infestarunt primitiuam Ecclesiam, non minus quam tyranni; modo autem etiam flat per hortos Ecclesiarum Septentrionalium sicut olim flauerat per hortos Orĩetalium, & plãtas adussit, aquas viuas fontium congelauit, hortosq; in deserta conuertit frigida, sicca, & horrida, innumeris erroribus & peccatis tanquam tribulis & spinis referta. Pestilens ventus aquilo hæresis, quæ flores Virginitatis adurit, nec in terris suis Virgines patitur florere, omnem verum Christi cultum exterminat; mala punica fraternæ charitatis dissipat, & quod horribilius est ipsa scripturæ sacræ aquas viuas corrumpere nititur & turbare, suisque mendaciis miscere, vt ad irrigandum ineptæ maneant. Vnde omnem bonũ Christi odorem extinguunt, nam & propter ipsos nomen Dei blasphematur inter gentes. Propter quod Paulus de Apostolis inquit, quod sunt bonus Christi odor, *Aliis odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Nam odoratissima Apostolorum vita, & doctrina quæ electis & fidelibus est odor viuificus, suauis & gratus, ducens eos in vitã æternam, eadem occasionaliter hæreticis & reprobis est odor amarissimus, & mortiferus, ducẽs illos in æternam mortem, dum Apostolorum dicta & facta peruerse interpretantur, reprobant, & in suam prauam intelligentiam retorquent, vt suis concupiscentiis inseruiant. Apte igitur precatur sponsus, *Surge aquilo*, optãs vt ab Ecclesia omnis hæresis & sapientia diabolica & inflata recedat, ne hortum eius exterminet. Dicit autem, *Surge*; tum quia multoties hæresis videtur requiescere, & diu hærere in aliquibus regionibus, tum quia latenter iacet, vel vt qui dormit; excitatur autem vt surgat & recedat, ad denotandum etiam quod tãdem non prevalebunt contra Ecclesiam, sed deficient, & peribũt. Peribit Arriana hæresis, Lutherana, & omnium hæreticorum secta, cunctarumque hæresum hyems transibit, & Ecclesia Domini permanebit in æternum.

Contra hæreses.

2. Cor. 2. v. 16.

4. Sed vnde hoc? ex secundo quod petitur: *Veni auster, & perfla hortũ meum,* auster est Spiritus sanctus, qui est spiritus veritatis, docens Ecclesiam omnem veritatem, & omnem exterminans ab ea errorem. Auster est charitas quæ ædificat, scientiæ inflanti contraria; nam omnia quæ fides docet, credit, tuetur, & pro eorum defensione vitam exponit. Auster autem est sapientia quæ de sursum est modesta, pudica, & pacifica quæ omnium bonorum est mater, & innumerabilis honestas per manus illius; cuius virtus sapientiam terrenam, animalem & diabolicam dissipat, & confundit, & tunc, *Fluent aromata illius.* Quid est fluent? profecto iucundam, & ingentem indicat promissionem perpetuæ durationis Ecclesiæ, & omnium gratiarum ac statuum eius, ac si dicat: flante diuino austro nunquam cessabunt fluere aromata Ecclesiæ, sed continuo fluent quædam post alia: non cessabit fluere fides, spes, & charitas. Fluet iugiter sapientia, & scientia, pietas & fortitudo, ac Dei timor: fluent aromata humilitatis, & obedientiæ, religionis & patientiæ, omniumque virtutum ac gratiarum, etiam earum quæ ad prophetiam & miracula patranda spectant, cum id necesse fuerit, & quemadmodum fluuij perennes sunt, quia ex fonte continuo aquæ aquis succedunt donec perueniant ad mare: sic in Ecclesia ex Spiritus sancti flatu, & auxilio nunquam deficiẽt sanctorum ordines, qui Christi sint bonus odor in omni loco, sed Pontificibus succedent pontifices, Sacerdotibus Sacerdotes, Monachis Monachi, & Confessoribus Confessores, nec portæ inferi, nec Tyrannorum potentia, vel hæreticorum astutia hanc successionem interrumpere valebit, sed fluuius iste sanctorum, vel potius flumina iugiter fluent vsque ad finem seculi, cum nouo semper incremento.

1. Cor. 8. v. 1. Iacobi 3. v. 15. Sap. 7. v. 11.

5. Semper enim verum est, & erit quod Christus Dominus promisit, dicens: *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Hæc autem tam celebris promissio in triplici sensu potest intelligi. Primo de operibus heroïcis virtutum quæ Christus semper operatur in sanctis suis: maius autem quid est & quodam modo præclarius hæc operari per infirmos, & miseros homines, quam per seipsum. Vere (inquit Origenes) maius mihi videtur quod homo in carne positus fragilis & caducus fide tantum Christi, & verbo eius armatus superet gigantes, & dæmonum legiones, quamuis ipse sit qui vincit in nobis; plus tamen est quod per nos quam per se vincit. Hæc ille. Vnde profecto odor Christi cõtinuo diffunditur & fluit cum quodam incremento perenni dum nouos creat vtriusque sexus sanctos præclarissima virtute fragrantes. Alter sensus est de operibus miraculosis, sicut D. Chrysostomus perpendit, explicans quod de D. Petro dicitur vmbram illius sanasse infirmos, quod per Christi vmbram non legimus factum. Sed vlterius D. Augustinus tertium adhibet sensum de conuersione populorum, quæ reuera vnum ex maximis miraculis est; & fuit multo maior quam quæ per ipsum Dominum facta est, quod sic amplificat Origenes, Christũ ita loquẽtem referẽs: His quæ ego feci corporalibus vos maiora facietis. Ego feci resurgere ex mortuis corporaliter, vos resurgere facietis ex mortuis spiritaliter: ego cæcis sensibile hoc lumen infudi, vos spiritalem lucem non videntibus dabitis. Vsque ad hanc autem diem hæc maiora signa à corporalibus quæ fecit, ego video fieri per discipulos fidelissimos Iesu. Hæc Origenes fusius prosequitur. Magna est igitur gloria Christi plures quam per seipsum nationes hominum, per discipulos conuertisse, & in dies conuertere, nouasque emissiones & propagines tanquam paradisum Dei germinare, noua etiam aromata fluere gratiarum, & sanctorum flumina, quæ magno impetu decurrant donec intrent in mare diuinitatis immensum, in diuinæ sapientiæ infinitum pelagus, in æternam felicitatem, & gaudium Dei nostri, cuius clara visione omnes potientur, replebuntur, satiabuntur in secula seculorum. Amen.

Ioan. 14. v. 12.

Vide Toletum ibi.

Hom. 7. in Numeros.

Hom. 12. in Act. Apostolorum. Act. 5. v. 16. Idem Diuus Aug. tract. 72. in Ioannem.

Hom. 6. in Isaiã.

EXHORTATIO XXXII.

PRO FESTO PENTECOSTES

De damnus quæ infert superbia & culpa lethifera: quomodo Spiritus sancti gratia & inspiratio ea reparet, atque de duplici spiritu bono & malo, de modoque se gerendi erga vtrumque.

Surge aquilo, & veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.

QVONIAM plura in hac vltima precatione latent mysteria singulis animabus perutilia, oportet ea radicitus explanare. Sunt autem bipartiti patres non solum in assignanda persona quæ hanc fudit precem, sed etiam in connexione illius. D. enim [a] Ambrosius, [b] Augustinus, Gregorius [c] Nyssenus, Theodoretus, & catena trium patrum apud ipsum, hæc sponsæ attribuunt, & connectunt hanc precem cum sequenti: *Veniat dilectus meus in hortum suum.* Vnde & caput quintum hinc incipiunt; surge aquilo. Cæterum D. Gregorius Papa, Anselmus, Rupertus, & alij plures sponso eam assignant, & præcedentibus connectunt, quod conformius est vulgatæ, nec minor est diuersitas circa significatum prioris partis: *Surge aquilo*, nam plures patres vsurpant aquilonem in malum, cui dicitur, *Surge*, id est fuge, & recede, ne horto noceas, & fluere aromata impedias. Alij nec pauci accipiunt in bonum vt dicatur surgere, ad perflandum hortum, sicut & auster, quia vtriusq; flatus in commodum cedit horti vt fluant aromata illius. Hæc de litera.

[a] in Psal. 1. & lib. de iis qui initiantur, c. 9. [b] Epist. 120. ad Honoratum, c. 2. [c] Hom. 10. in Cant. In hunc locum, & D. Greg. li. 27. moral. c. 23.

De multiplici damno quod infert superbia & culpa lethifera. §. 1.

SPONSVS igitur cælestis pro coronide laudum quas per totum caput quartum, maxime autem sub metaphora horti celebrauit, precatur (vt mos est amantium) quod omnis res noxia cito ab illa recedat, proficua autem prospere adueniat. Illam per aquilonem significat, qui ventus est vehemens, frigidus & siccus, & ideo hortis noxius: hanc vero per austrum, qui ventus est calidus, & humidus, illis, in Palæstina saltem regione valde proficuus.

1. Aquilo ergo quando non indicat situm loci, frequentius in scriptura in malum vsurpatur, nam, *Ab aquilone* (inquit) *pandetur omne malum.* Præcipueque significat superbiam, quæ radix est omnis peccati, & diaboli propria, qui rex est super omnes filios superbiæ: vnde etiam vsurpatur pro quauis culpa lethifera quæ ab illa tanquam à regina vitiorum progreditur. Cuius proprietates aquilonaris ventus apte repræsentat, de quo Ecclesiasticus ait: *Frigidus ventus aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua: super omnem congregationem aquarum requiescet, & sicut lorica induet se aquis, & deuorauit montes, & exuret desertum, & extinguet viride sicut igne.* Cum ergo sponsa esset velut hortus arboribus, plantis, fructibus & aromatibus refertus, & fons vel puteus viuentibus aquis plenus, nihil illi ita noxium esse poterat sicut frigidus, & tempestuosus ventus aquilo flans super illum; siquidem aquas congelat, & omne viride exurit, non parcit aquis viuentibus fontium vel fluminum, sed in gelu ad modum crystalli conuertit, nec montibus vel vallibus indulget, sed omnes plantationes instar ignis absumit: sic superbia cum animam perflat, aquas viuas gratiæ, charitatis, & virtutum congelat: nam vbi abundat iniquitas, refrigescit charitas: pereunte autem charitate, quæ cum hoc gelu esse nequit, cor frigescit sicut glacies, & indurescit velut crystallus, & licet quidam externus splendor maneat, nihil aquæ viuæ remanet, nec eius effectus ad lauandum, potandum, & rigandum præstare valet.

Ier 1. v. 14. Ita Greg. Papa, & Nyssenus, Theodoretus, Ambr. August & alij citati iam.

Ecclesi. 43. v. 22.

Matth. 24. v. 12.

2. Sed illud horribilius, *Quod super omnem congregationem aquarum requiescit*: nam ventus superbiæ omne genus gratiarum, & virtutum, & omnem iustorum sortem congelare, & destruere nititur, vt super omnes requiem & sedem constituat, & suæ subiiciat potestati. Imo maioribus sanctis, & excellentioribus gratiis plus insidiatur, atque vbi sunt copiosiores aquarum congregationes, ibi solet vehementius flare, & requiescere. Nonne aquilo flauit in paradiso terrestri per os serpentis dicentis, *Eritis sicut dij scientes bonum & malum*, tam vehemensque fuit flatus iste, quod requieuit super congregationem primorum parentum, in quibus congregauerat Deus iustitiam originalem, & multiplices gratias quæ illam comitabantur, omnesque congelauit, & in nihilum redegit? sed prius aquilo, à velocissimo volatu instar aquilæ sic dictus, ascenderat in cælum empyreum, vbi flauit ac requieuit super cõgregationem cælestium aquarum, quæ in multis Angelis residebant, omnesque congelauit, indurauit, & è cælo in abyssum proiecit? *Quomodo* (inquit) *cecidisti de cælo Lucifer qui mane oriebaris*? quis te inde præcipitauit nisi ventus aquilo superbiæ quâ elatus dixisti: *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*? voluisti sedere in monte testamenti in lateribus aquilonis, vbi diuinitatis templum situm erat, sed tempestuosus aquilo perflans te inde proiecit in profundum laci: etsi ergo sponsa sit tot laudibus, & præcellentiis exaltata; etsi hortus sit & fons valde conclusus, & signatus, timere debet flantem aquilonem, qui etiam in Sancta Sanctorum, & in fontes valde obsignatos ingreditur, flat, & cuncta penitus congelare solet: & ideo instanti oratione precatur: *Fuge aquilo & recede*, quanto enim quisque sanctior, tanto debet esse timidior, & cautior, ne ipsa cõgregatio aquarum & gratiarum eum eleuet in superbiam; & quod acquisierat, perdat, tantoque fœdius, & periculosius cadat, quanto sublimius ascenderat: sicut in Iob scriptum est: *Si ascenderit vsque ad cælum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent, vbi est?* Sept. autem interpretes ita vertunt. *Si ascenderint in cælum dona eius, & sacrificium eius tetigerit nubes.* Id est, si ita eius dona excreuisse videantur, vt ad cælum vsque ascendant, & munera ac sacrificia eius ita appareant exterius Deo grata, vt nubes penetrare putẽtur, hæc eadem quæ eũ eleuãt, postea deprimẽt, & in sterquilinium deiicient; vt omnes qui eum prius viderant, stupeant casum eius dicẽtes, vbi est ille qui tam excelsus apparebat vt cælum contingere videretur?

Isai 14. v. 12.

Iob. 20. v. 6.

Sed illud adhuc magis horrendum quod, *Sicut lorica induet se aquis.* Superbia enim inflans ipsis aquis congelatis se induit tanquam armis, vt contra Deum pugnet: nam ex donis à Deo acceptis, cum de illis se iactat, vel præsumit, aut sibi arrogat, vel propter illa proximos despicit & conculcat, loricas & arma sumit contra Deum, vt eius legem

transgrediatur, & sua peccata excuſet, vel defendat. Quod ſic explicat D. Gregorius, qui per accepta dona in ſua laude ſe eleuant, ipſis muneribus contra largitorem pugnant. Inde quippe contra dantem ſuperbiunt, vnde ei amplius humiles eſſe debuerunt: ſitque eis amplitudo muneris incrementum damnationis: & iterum, qui accepta dona ſibi arrogat, ſuis contra Deum donis pugnat. Vnde huiuſmodi ſuperbi obſtinatiores ſunt in ſuo errore vel vitio, & quaſi lorica ferrea videntur induti, dum ex donis acceptis illud fouent & tuentur. Iuxta textum Græcum quidam putant ſenſum eſſe; *Tanquam thoracem vel loricam induet aquas.* Frigidus enim aquilo facit aquas ex ſe fluidas induere glaciem, & gelu, ſicut corpus humanum induit loricam. Quod clarius patet cum ſuperiores aquæ fluminis, vel vaſis congelantur, & aliæ inferiores liquidæ manent, ſic ſuperbia ſi quid boni in anima relinquit, id quaſi lorica contectum reddit, vt nulli vſui in ordine ad ſpiritus profectum aptum maneat?

Lib. 8. moral. c. 24.

Lib. 9. moral. c. 2.

Vide Tanſenium.

4. Præterea quod damnum hortis inferat exponit dicens: *Denorauit montes, & exuret deſertum, & extinguet viride ſicut igne.* Quia omnem viriditatem etiam ſublimium montium depaſcitur, gramina eorum arefacit, & virentia quæque deſerti & cuiuſcumque horti exurit, velut ignis, ac conſumit. Portentoſa res videtur vt ventus aquilo frigidiſſimus exurat etiam velut ignis, ſed experientia id in floribus, & arborum tenellis fructibus docet. Cum flante aquilone, vrente pruina pereunt, & combuſta in terram decidunt. Sed id clarius elucet in ſuperbia, propter quam inſurgunt in anima concupiſcentiæ ardentes ſicut ignis, & caſtitatem, temperantiam, aliaſque virtutes adurunt; ex ſuperbia enim Deo permittente oritur vrens luxuria, & vorax carnis concupiſcentia: ait autem prius deuorare montes, quia vt diximus, ſublimiores vehementius tentat, & deuorare appetit, ad montemque Libani vadens etiam cedrorum abſumit medullas, omnem deuotionem & pium affectum diſſipat, vt interius & exterius cedri arefiant. Alij legunt, *Extinguit viride ſicut ignem*, id eſt, ſicut furibundus ventus aquilo diſſipat & extinguit ignem, ita ſuperbia viridantes virtutes & ignem charitatis omnino extinguit.

Ezech. 17. v. 3.

5. Denique ſicut ventus aquilo diſſipat pluuias, & nubes quas auſter congregauerat: ſic omnes gratias quas Spiritus ſanctus congregat in ſanctis ſuis, ventus ſuperbiæ diſſipat, omneſque radices & cauſas earum quaſi diſpergit, & è medio tollit; dum autem pluuias è cælo rigantes hortos aufert, valde eis nocet, quoniam pluuia quæ cadit è cælo, valde fœcundat terram, ſed nec ſolum pluuias diſſipat, & fontes exſiccat, ſed arbores maxime aromaticas cõſtringit, & quaſi poros obſtruit ne aromata fluant; quoniam ſuperbia ſanctorum operum fragrantia aromata impedit, ad eaque emittenda animam torpentem reddit. Videns ergo ſponſus hortum ſuum tot arboribus, & aromaticis plantis inſitum, precatur vt aquilo fugiat, ne eum valde lædat, & hoc ipſum nobis poſtulandum eſt à Deo, vt ventum iſtum abigat, ne ſuper congregationem donorum quæ contulit nobis, perflet, & glacies eius requieſcat; dicentes cum Pſalmiſta; *Non veniat mihi pes ſuperbiæ*: nec hic malignus affectus requieſcat in me, *Ne forte manus peccatoris*, hoc eſt poteſtas diaboli, *Moueat me*, & à loco quem per te poſſideo, me in æternum deiiciat?

Prou. 25. v. 23.

Pſ. 35. v. 12.

Quomodo Spiritus ſanctus, & inſpiratio eius hæc damna reparet. §. 2.

1. Sed vt aquilo fugiat, flatum contrarij venti expoſtulat, dicens; *Et veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Per auſtrum qui calidus eſt & humidus, pluuiaſque ſalutares terræ affert, quando aquiloni opponitur, ſignificatur vt diximus, Spiritus ſanctus omnium cæleſtium donorum auctor, & fons, Spiritus etiam charitatis, feruoris & deuotionis qui ab illo procedit. Vt autem ſpiritus ille adueniat in animam, neceſſe eſt vt recedat aquilo, expellatur ſuperbia, & peccatũ Deo aduerſum: alioqui non ſolũ non veniet, ſed potius fugiet. *Quia Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate.* Oportet enim per aliquos actus pœnitentiæ peccati affectum exuere, & ſe ad recipiendam Spiritus ſancti gratiam præparare. Prius etiam eſt ſecundum rationem remiſſio peccati, quam infuſio gratiæ, & expulſio diaboli ab anima quam ingreſſus ſancti Spiritus in illam. Quod D. Thomas ex parte hominis intelligẽdum eſſe dicit: nam ex parte Dei prius eſt infuſio gratiæ, quam primo intendit, quam remiſſio peccati, quæ ad eam ſequitur. Sicut ex parte aëris prius eſt expulſio tenebrarum, quam lux illuminans, ex parte vero ſolis prius eſt illuminare aërem, vnde ſequitur pulſio tenebrarum. Ad hunc modum vt aquilo fugiat, diabolus plene recedat, ſuperbia abigatur, & omne peccatum, poſtulatur aduentus auſtri flantis, & præſentia Spiritus ſancti, ac gratia ipſius.

Sapient 1. v. 5.

1. 2. q. 113. ar. 8. ad 2.

2. Quod eleganter idem Eccleſiaſticus docet poſtquam aquilonis damna retulit: ſic enim ait: *Medicina omnium in feſtinatione nebula, & ros obuians ab ardore venienti humilem efficiet eum.* Id eſt, omnium malorum quæ aquilo affert, medicina & curatio eſt ſi feſtinãter aduenerit nebula, vel nubes quę flante auſtro aſcendere ſolet, terramque humectat, & glaciem diſſoluit. Ros item excitatus à calore & ardore ſuperueniẽte poſt frigiditatem, efficiet eum humilem, quia eius omnes effectus diſſoluet, & glaciem ac cryſtallũ in aquas reſoluet. En miram contrapoſitionem auſtri & aquilonis, Spiritus ſancti & diaboli, charitatis & ſuperbiæ, ac cuiuſcumq; culpæ. Nam Spiritus ſanctus per gratiam & charitatem quam infundit, quæ nebula eſt humectans animam, & viua aqua eam inebrians, multitudinem peccatorum tegit, expellit, & frigiditatem culpę in ardorem dilectionis conuertit: ab hoc autem ardore excitatur ros cæleſtis deuotionis, & feruẽtis gratiæ, quæ ſpiritũ ſuperbiæ humiliat, omnes eius effectus diſſipat, & animam ipſam corã Deo humilem & ſubmiſſam conſtituit. Virtus enim humiliatis quæ animã humilem reddit, ipſam ſuperbiam humiliat, conculcat & prorſus in nihilum redigit?

Eccleſ. 43. v. 24. Ita Tanſenius.

3. Sed iam ſingula verba expendamus huius precis, quia plurima Spiritus ſancti reſerant myſteria. Primo enim dicitur: *Veni auſter*, non dixit, ſurge ſicut de aquilone, ſed *veni*, ad ſignificandum quod diabolus, ſuperbia, & peccatum quaſi dormit & requieſcit in homine; vitia etiam & tentationes ex nobis oriuntur, & in nobis manent, & ideo precatur vt à loco in quo ſunt ſurgant, & recedant à nobis: Spiritus autem ſanctus de cælo venit, vt animam viſitet, & in ea requieſcat, & ideo precatur vt à ſede magnitudinis ſuæ ad nos veniat. Quando autem ſpiritus iam eſt in anima, ſed quaſi dormit, dum eam adiuuare & conſolari

3.

diſſimulat, tunc ab eo petitur vt ſurgat, ſicut dicebat Dauid, *Exurge, quare obdormis, Domine, exurge, & ne repellas in finem*: dona tamen eius à cælo veniunt & non ex nobis, quia *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à à Patre luminum.*

Pſ. 43. v. 23. Iac. 1. v. 17.

4. Deinde vocatur auſter, qui ab aqua & igne participat humidum eſſe & calidum; ideoque aptiſſimum eſt Spiritus ſancti ſymbolum, qui ignis & aqua in Euangelio vocatur, ſicut cum Chriſtus Dominus ait, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? & ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igne.* Sapius etiam dicitur aqua viua, & fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Ventus igitur eſt auſter, quia eos quos perflat, calidos & humidos reddit; calidos per amorem & feruentem Dei zelum; humidos per deuotionem, & ſpiritus compunctionem, alioſque miros effectus præſtat.

Luc. 12. v. 49. Mat. 3. v. 11.

5. Quid autem eſt perflare, niſi ſuaues, fortes, & efficaces inſpirationes, illuſtrationes in cor emittere, *Spiritus enim vbi vult ſpirat.* Flatus autem ſeu ſpiratio Spiritus ſancti mentem illuminat ad myſteria Dei cognoſcenda, inflammat voluntatem ad diligendum Deum; & quæ ipſius ſunt, cor emollit, & liquefacit per deuotionem, lachrymarum excitat fontes, torporem excutit, ad omne bonum opus impigrum & expeditum reddit, & omnia denique Aquilonis facta diſſipat, iuxta illud Pſalmiſtæ, *Mittit cryſtallũ ſuum ſicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? emittet verbũ ſuum, & liquefaciet ea, flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.* D. Hier. vertit, *Spirabit ſpiritu ſuo, & fluent aquæ.* Verbum vocatur Spiritus ſancti inſpiratio, qua intus animæ loquitur, cuius tanta eſt vis vt cor inſtar glaciei frigidum & induratum ſicut cryſtallum, calefaciat, emolliat, & liquefaciat: eſt enim quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petras; & cum ſpiritus auſtralis flat, diuinaque inſpiratio cor tangit, fluunt gratiarum aquæ, lachrymarum flumina, & affectus compunctionis, quæ animam ad Deum conuertũt, & ipſi coniungunt; & ideò idem Pſaltes dicebat, *Conuertere Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in auſtro*: id eſt, ſicut torrẽs qui in æſtate exſiccatus erat, flante auſtro qui pluuias excitat, & niues diſſoluit, ſuum rapidum curſum reſumit; ita nos qui captiui ſumus, ad te conuerte, adueniente diuino Spiritu, qui nos ſua cœleſti pluuia repleat, & ad te rapiat.

Ier. 23. v. 29. Pſ. 147. v. 6. Pſ. 125. v. 5.

6. Sed iam vbi peculiariter flare debeat, exprimit dicens, *Perfla hortum meum*: idem hortus eſt ſponſi, & ſponſæ; & ideò vtrique verba aptari poſſunt, omnia enim ſunt illis communia, & quæ ſponſæ ſunt, ſponſus reputat tanquam propria: ſi ſponſa, quæ eſt Eccleſia vel anima, oret, idem eſt ac ſi diceret; perfla me ipſam, & quidquid eſt in me. Si verò ſponſus loquatur, id poſtulat vt perflet Eccleſiam, vel piam animam; etſi autem in horto iſto plurimæ ſint arbores fructus & aromata ferẽtes, non ait perfla ligna Libani, vel perfla nardũ, aut cinnamomũ, ſed perfla hortũ meum, id eſt vniuerſas animæ potentias, ac virtutes; memoriæ ſuggere ſanctas cogitationes, intellectui profundas meditationes, voluntati immitte feruentis amoris flammas, & omnibus animæ viribus opera tibi grata, vt intus & foris nihil ſit in ea quod abſcõdat ſe à flatu & calore tuo, ſicut ſcriptum eſt, *Nonne veſtimenta tua calida ſunt, cùm perflata fuerit terra auſtro*; quia dum mens Sancti ſpiritus afflatu perfunditur, cuncta opera etiam externa eundem ardorem participãt.

Lu. 15 v. 31. *Omnia mea tua ſunt.*

Iob 37. v. 19.

7. Sed hoc exprimit amplius quod ſequitur, *Et fluent aromata illius ſeu aromata mea*, quoniam diuina inſpiratione tangente cor hominis, omnes habitus virtutum ſuos emittunt actus, & magnum vndiq; ſpargunt odorem. Flante diuino Spiritu intus vberrimè fluunt aromata fidei, ſpei & charitatis, odoramenta obedientiæ, laudis & gratiarum actionis, nardus humilitatis, orationis thus, myrrha mortificationis, aloës pœnitentiæ, ac reliquæ huiuſmodi plantationes ſuam effundunt fragrantiam, vt quæ videbantur antea quaſi emortuæ, flatu illo reuiuiſcant, & odoriferos per poros ſpirent humores. Quod ſub alia metaphora Dominus diciſſe videtur ad Iob, *Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter, expandens alas ſuas ad auſtrum?* Sicut enim accipiter expandit alas ſuas, & concutit flante auſtro, vt apertis poris veteres plumæ decidant, & aliæ nouæ exoriantur, & ſuccreſcant; ſic (inquit D. Gregorius) vnuſquiſque Sanctorum tactus flatu ſancti Spiritus, concaleſcit, & vſum vetuſtæ conuerſationis abiiciens noui hominis formam ſumit, iuxta illud Pauli, *Expoliãtes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum.* Quod in accipitre eſt nouas emittere plumas, hoc in hortis eſt noua emittere aromata, & per Spiritus ſancti flatum in noua & egregia quotidie prorumpere opera.

Iob 39. v. 26. Lib. 11. Mo. c. 18. Ad Col. 3. v. 9.

Quidam arbitrantur in verbis Iob fieri mentionem accipitrum ſeu vulturum (accipiter enim ſumitur pro genere auium rapacium) de quibus Ælianus ait inter eos non eſſe mares; fœminas verò concipere expandentes alas ſuas, & volantes verſus auſtrum, vel vbi auſter vehementius ſpirat, & ſpiritus venti influens eas implet, & plumeſcentes educunt pullos. Fauet D. Ambroſius, aſſerens vultures ſine vllo maſculorum concipere ſemine, & ſine concubitu generare. Vnde probat myſterium fidei quod beatiſſima Virgo ſine opera viri ex Spiritu ſancto cõcepit. Nos autem addamus, quod ex Spiritus ſancti flatu & inſpiratione concipimus, & parimus ſpiritum ſalutis, & ſanctorum operum, ſicut arbores flante auſtro pariunt aromata quæ conceperant, ſicut in die Pentecoſtes factum diximus.

Bi. 14. c. 12. Vide Pinedam in eum locum Iob. Li 5 Hexa. c. 20.

Quomodo erga bonum & malum ſpiritum nos gerere debeamus. §. 3.

Ex dictis deducitur per aquilonem & auſtrum, & vtrorumq; contrarias proprietates optimè repræſentari duos contrarios ſpiritus, malum & bonũ: ille eſt ſpiritus diaboli, ſeu Antichriſti cum omnibus ſuis malignis ſuggeſtionibus, quę táquam venenati flatus ad diſſipandũ hortũ animæ, & eius fructus congelãdos ordinãtur: hic verò ſpiritus eſt Dei ſeu Chriſti, cum omnibus diuinis inſpirationibus ad eundem animæ hortum plantandum, & perficiendum deſtinatis. Omnis autem noſtra felicitas in eo eſt ſita, vt aquilo ſurgat, fugiat, & recedat à nobis, auſter autem veniat, & hortũ noſtrum perflet. Vtrumque autem tam ad Deum quam ad animam ſpectat, & ideò hæc verba vtrique, vt vidimus, attribuuntur: ad Deum quidem, quoniam ſuauiſſimam prouidentiam & ſolicitudinem de horto ſuo gerit; ideò enim vocat hortum meum; id eſt, quem ego plantaui, concluſi, & inſtar paradiſi feci. Hac autem cura duo includit, vt aquilonem fuget, & ſpiritum malum comprimat, ne noceat: quod ſi aliquando eum flare permittat, antequam lædat eum repellat; è contra verò auſtrum excitet,

1.

& flare opportuno tempore faciat, vt horto profit. Nonnunquam autem circa vtrumq; suam ostendit
Mat.8.v.26 Mar.4.v.39 omnipotẽtem virtutem, cum per modum imperij inquit, *Fuge aquilo*, & mox recedit; sicut quando imperauit ventis & mari dicens, *Tace, obmutesce, & cessauit ventus*; ita vt omnes mirarentur; dicẽtes, *Quis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Cùm autem efficaciter ait, *veni auster*, statim ita spirat, & perflat hortum, vt fluant aromata fragrantium affectuum, riui lachrymarum, & abundantia sanctorum operum. Cæterum iuxta leges communes per hæc verba surge, seu fuge, & veni, solùm explicat suum desiderium, & voluntatem quam habet paratam, vt auxilium præstet ad vtrumque.

Sed si tantam sponsus curam gerit sui horti, cur permittit vt aquilo aliquando spiret, & auster aliquando cesset? nonne melius esset, vt ille nunquam flaret, iste verò semper ac oporteret? sed non est cur anxieris & diffidas, quia citra dubium id permittit B propter plurima sui horti commoda, quæ in Exhortatione sequenti referemus, & oriuntur ex continuo studio precandi Deum, vt fugiat aquilo, & veniat auster, & ex solicitudine fugandi illum, & trahendi istum.

2. Ad animam igitur spectat hæc duo vehementer desiderare, & petere à Deo, ac simul cum ipso cooperari. Primò, vt fuget aquilonem, resistendo diaboli suggestionibus, iuxta illud D. Iacobi, *Resistite*
Iac.4.v.7. *diabolo, & fugiet à vobis.* Oportet enim aduertat quis aquilo insurgat, & incipiat flare hortũ suum; sicut enim Septentrionalis ventus vnus in genere dicitur: plures tamen habet ventos collaterales, qui à nautis variis nominibus nuncupantur; sic etiam quãuis vnicus sit diaboli spiritus, plurimos tamen ventos comprehendit. Primus autem & vehementissimus à Septentrione directè procedens, C est superbia, vt diximus, cuius collaterales secun-
Ex D. Gregor.31.Mo. c.31. Diuus Tho 1.2.q. 84.ad 4. dùm D. Gregorium, ac D. Thomam, sunt septem venti, quos vitia capitalia nominamus; videlicet ventus inanis gloriæ, iræ, & inuidiæ, ventus vrens gulæ, libidinis & auaritiæ; & tandem ventus acediæ, pusillanimitatis, ac timoris mundani: omnes tamen aptè vocantur aquilo, quoniam eius proprietates supra relatæ in singulis inueniuntur: per ea enim refrigescit ardor charitatis erga Deum & proximum, exsiccatur spiritus deuotionis, cor induratur ad pœnitentiam & correctionem, congelantur fontes lachrymarum: aduruntur flores & fructus sanctorum desideriorum, & operum; pigrescit anima ad Dei obsequium, turbatur ex vehementi passionis impetu, obtenebratur ignorantia, vel errore, atque elongatur à Deo sicut Septentrio elongatur à sole, & ab eius luce: hæc sunt mali spiritus signa per quæ cognoscendus est, & à bono D secernendus.

Cùm primùm ergo compereris aliquem ex iis ventis intra te insurgere, mox non segniter, non timidè, non cunctanter, sed magna cum audacia Dei virtuti nixus, quasi imperans dicito, *Fuge aquilo*, recede maligne spiritus, tace, obmutesce. Hoc enim virile, & magnanimum imperium terret diaMat.4.v.10 bolum, & fugat; sicut cum Christus Dominus ei dixit. *Vade Satana*, &c. mox subiũgitur, *& tunc reliquit eum diabolus*: in prima & secunda tẽtatione occultauerat se sub specie boni, & ideò Saluator prudenter cum lenitate quadam respõdit, quæ sat erat ad illum conuincendum; at vbi palam se manifestauit in tertia tentatione, cum imperio dixit, fuge aquilo, vade Sathana, & mox recessit ab eo: vt hinc discas virilem modum resistendi diabolo, & A conculcandi illum virtute Christi, qui dixit, *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebunt.* Lu 10.v.19.

Sed nota phrasim verbi *surge*, sicut enim dixit, veni auster, posset è conuerso dicere, non venias aquilo, sicut Dauid etiam ait, *Non veniat mihi pes su-* Ps.35.v.12. *perbiæ*; noluit tamen vt sciremus non tam pertẽdum esse quod tentatio non veniat, quam quod non succumbamus illi, sed victa fugiat, iuxta illud, *Et ne nos inducas in tentationem.* Quãtumuis enim hortus sit conclusus, sicut paradisus, in hac vita patet aditus tentatori, vt tentet, & aquiloni vt flare possit; nobis tamen incumbit eum statim sine vlla mora fugare: nam verbum *fuge*, hoc indicat, vt nulla cum tentatore misceamus colloquia, sicut Eua miscuit cum serpẽte: est enim callidissimꝰ, & decipiet nos, sicut decepit illam; sed confestim debemus ei dicere, *Tace, obmutesce*; vt quid enim Christus vento & mari, quod linguam non habet, hæc verba dixit, nisi vt moneret nos ea tẽtatori citissimè dicere antequam pedem superbiæ in corde nostro figat, & prosternat nos? Hoc enim est quod de serpente dictum est, *Ipsa conteret caput tuum*: non corpus, quia Gen.3.v.15. nihil curat ibi oriri, sed caput vbi est lingua, per quam loquitur, mordet, & venena diffundit; tunc autem conterimus, cum cum fugere & obmutescere facimus.

Sed ad perfectè fugandum aquilonem, recurren- 3. dum est simul ad petendum contrarium ventum austri, qui illum dissipat, dicentes, *Veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius*; veni, non est imperantis, sed obsecrantis, magna tamen cum fiducia meritis Christi nixa; quomodo Ecclesia ait, *Veni sancte Spiritus, veni pater pauperum,* C &c. Hunc autem aduentum & flatum desiderat, vt sine impedimento copiosa fluant virtutum aromata, sicut iam explicatum est; nec tamen ait, vt fluant, sed de futuro, *fluent*, vt simul indicet voluntatem, & propositum efficax cooperandi cum diuina inspiratione: nam quamuis auster perflet, si tu negligenter & oscitanter te geris, aromata non fluent; quoniam sicut nihil efficere possumus sine Dei auxilio, & Spiritus sãcti flatu, iuxta illud, *Sine* Io.15.v.5. *me nihil potestis facere*; &, *sine tuo numine, nihil est in* Ecclesia in Missa Pen- *homine, nihil & innoxium*: ita Deus nihil efficiet si- tecostes. ne nostro libero consensu; vnde qui hanc fundit precationem, vt verus sit precator, non illusor, ex toto corde dicere debet; fluent aromata mea, fluẽt inquam hodie & cras, & vsque ad mortem: nam, *Iuraui, & statui custodire iustificationes tuas in æternum*: dum tamen diuinæ gratiæ non suis viribus innitantur; ideò enim non dixit perfla hortum, & emittet aromata, sed fluent aromata, vt significaret non à virtute propria horti potissimè, sed à flatu austri id prouenire, sicut Apostolis inquit, 1.Cor.15.v. *Abundantius illis omnibus laboraui, non ego, sed gra-* 10. *tia Dei mecum.*

Conferto igitur duos istos ventos aquilonem & austrum, eorumq; effectus non tantùm vt instanter postules fugam illius, & aduẽtum huius, sed etiam vt si ille intus flauerit prope cordis ianuam, illam statim obstruas, ne per cõsensum illi pateat ingressus; è cõtra verò si flauerit auster, & Spiritus sancti inspiratio cor tuum tetigerit, ostium per consensum aperias, grataner recipias, & foueas vt fluant ex tuo horto fragrantia verborum, & operum aromata. Ad hoc autem non parum iuuat considerare quod intonat Ecclesiastes, dicẽs, *Si ceciderit lignum* Eccl.11.v.3. *ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ce-*

ciderit, ibi erit: id est, si homo per mortem ceciderit A ad partem meridionalem austri, nempe Christi & Spiritus sancti, cuius inspirationibus consensum præbuit, ibi in æternum manebit cum Angelis & beatis, qui in æterna meridie Deum clarè vident, eoque fruuntur: quod si ceciderit ad partem Septentrionalem aquilonis, id est diaboli, & filiorum superbiæ, eorum prauis suggestionibus assentiens: ibidem etiam in æternum permanebit cum dæmonibus & damnatis, qui perpetuis torquentur flam-
Lib. 12. Mo. c. 3. mis; In die mortis suæ (inquit D. Greg.) iustus ad austrum cadit, peccator ad aquilonem, quia & iustus per feruorem spiritus ad gaudia ducitur, & peccator cum apostata angelo, qui dixit, *Sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis*, in frigido suo corde reprobatur. Hæc autem si perpenderis, instanter precaberis, *Surge aquilo, veni auster*, vt flante austro fluant sanctorum operum aromata, quæ te dignum faciant vita æterna. Amen.

EXHORTATIO XXXIII.

PRO FESTO OMNIVM SANCTORVM, in id *Beati qui persecutionem patiũtur*, &c. & pro Festo pluriũ Martyrũ.

De multiplici vtilitate tribulationum, flante simul Spiritus sancti inspiratione, quæ duplici via communicatur.

Surge aquilo, veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.

VBLIMIVS quid indicant hæc sponsi verba, vt dilectam suam tot laudibus exaltatam ad excellentiorem adhuc eueheret sanctitatem. Ad hunc autem scopum, inquit, *Surge aquilo, veni auster*, &c. sumendo verbum surgere pro eodem quo veni, & perfla; per aquilonem verò C intelligens omne afflictionum genus, Ecclesiam, vel piam animam vexantium. Omitto interpretationem Cassiodori & Bedæ, dicentium per aquilonem & austrum significari duo tentationum genera; scilicet per minas & terrores, vel per blandimẽtorum decipulas: quoniam multo magis placet reliquorũ Patrum sententia vsurpantium austrum, iuxta dicta pro Spiritus sancti inspiratione. Solus ergo aquilo vsurpatur in malum, non culpæ, sed pœnæ, vt comprehendit omnes tribulationes, tentationes, terrores, ariditates spiritus, internasque desolationes, ac externas persecutiones, & cætera
D. Anselm. Richardus Apponius. huiusmodi, quæ Deus sapientissimè permittit nobis euenire, vt copiosius & fragrantius fluant virtutum aromata; & ideò ipse sponsus quasi præcipiens, & optans quod iustè permittit, ait, *Surge aquilo*, scilicet vt perfles hortum meum, simul tamen cum austro; nam ita fiet vt fluãt aromata illius. D

Septem vtilitates tribulationum. §. 1.

1. LAudauerat valdè sponsus dilectam suam, quia ob præclaras virtutes magna erat digna laude; oportebat tamen eam in humilitatis profundo altas radices iacere, ideoque petit, vt ventus aquilo surgat & perflet, quo suam agnoscat infirmitatem, dum videt se tribulationibus, & tentationibus vndique concussam, quibus suis viribus resistere non valet, nisi mox austri flatus, & diuini Spiritus inspiratio succurrat. Cum enim vehementer aquilo perflat, quam necessarius sit austri flatus magis in-
Ad Ro. 8.v. 26. notescit; nam spiritus est qui adiuuat infirmitatem nostram: cuius adiutorio sublato, flante aquilone tribulationis, omnes virtutes languescunt, arescit spiritus deuotionis, charitas refrigescit; at flante austro cuncta reuiuiscunt, & reuirescunt, iuxta illud, *Emittes spiritum tuum, & creabuntur, &* Ps.103.v.30. *renouabis faciem terræ*: quæ enim videbantur quasi annihilata, adueniente Spiritu sancto creantur, & renouantur quæ erant inueterata, quæ cum experimento cognoscuntur, profundam sui cognitionem generant, & humilitatem.

Præterea, sicut multi testantur ex aquilone & au- 2. stro moderatè flantibus, fit quædam temperies hortis proficua, vt ferãt fructus & aromata fluant: sic etiam ex tribulationibus, ac tentationibus diaboli concutientibus animam, & ex fauoribus & consolationibus Spiritus sancti visitantis illam, fit quædam spiritualis temperies mirum in modum illi vtilis, ne enim aquilonis asperitas deiiciat fauor austri confortat; & ne iste in altum eleuet, ille vs- 2.Cor.12. que ad profundum humiliat, sicut Paulus ait, *Ne* v.7. *magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ qui me colaphizet*: qui alicuius faciei colaphos impingit, rubore eam perfundit, confusione, & ignominia. Ne ergo iustus ob fauorum magnitudinem de se præsumat, & ambulet erecta nimis facie, & extento collo, Sathanæ permittitur quod eum colaphizet, & humiliet.

Deinde, nisi aquilo simul cum austro perflet ani- 3. miæ hortum, multa virtutum aromata non fluent, nec perfectum suum emittent odorem, aut saltem non dignoscentur, nec magnifient; non enim erit perfecta humilitas, nisi perflet aquilo humiliationis. Quomodo fragrabit patientia, nisi adsit molesta tribulatio, vel affligens persecutio? Tunc amplius redolent virtutes, cum à contrariis vitiis, vel à malignis hostibus agitantur, & contra eos suos exerunt actus; Sicut enim (ait D. Gregor.) vnguẽta "In pro- "logo Mo. nisi commota redolere latius nesciunt: & sicut aro- "c.12. mata fragrantiam suam non nisi cum incenduntur expandunt; ita sancti viri omne quod virtutibus redolent, in tribulationibus innotescunt. Vn- " de rectè in Euangelio grano sinapis comparantur, " Mat.13.v. quod nisi conteratur, nequaquam vis virtutis eius "31 & c.17. agnoscitur: nam non cõtritum leue est, si vero con- "v.19. teratur, inardescit, & quod in se acerrimum latebat, ostendit; sic vnusquisque vir sanctus, cum non " pulsatur despicabilis ac lenis aspicitur; si qua verò " tritura illum persecutionis opprimat, mox omne " quod calidum sapit, ostendit, atque in feruorem " virtutis vertitur, quidquid in illo ante despicabile " infirmumque videbatur, quodque in se per tran- " quillitatis tempora libens operuerat, exagitatus " tribulationibus coactus innotescit.

Laudauerat olim Deus coram Satan insignem 4. serui sui Iob sanctitatem, exprobrat Satan, dicens, Iob.1.v.9. *Nunquid Iob frustra timet Deum? nonne tu vallasti eum ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum?* Ac si diceret; est apud te quasi hortus conclusus, & fons signatus, benignaque tua protectione semper est munitus, quid mirum quod sit tibi fidelis; permitte mihi eum tentare, & magnis tribulationibus afficere; & tunc videbis an in faciem benedicat tibi. Permittit quidem id Dominus, vt viri sanctitas vniuerso innotesceret orbi, dum tam fidelem se exhibuit in aduersis sicut ostẽderat in prosperis. Hoc igitur est quomodo ait de illo sub persona sponsæ *Surge aquilo*, exere vires tuas contra hortum istum, veniat ventus vehemẽs à regione deserti, concutiat domum, & euertat, occidat filios & filias, diripiat facultates, percu-

tiat eum lepra, & mille malis afficiat, vt flante simul austro copiosius fluant aromata illius, & ex ore eius prodeant emissiones sicut paradisus, dicendo, *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum; & si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus.*

Putabat temerè Elyphaz Themanites aquilonem flantem omnem Iobi virtutem congelasse, & exsiccasse, cùm dixit, *Ladetur quasi vinea in primo flore botrus eius, & quasi oliua proiiciens florem suum*: & ideò antea iterum dixit, *Vidi impios flante Deo periisse*: id est, in tribulationibus ab eo immissis. Cæterum Dominus, qui viri constantiam nouerat; potius inquit, surgat aquilo, perflet hortum, vineam & oliuam, & amplius redolebit, & fluent aromata eius, innotescet patientia, & fortitudo, splendebit sapientia & scientia, & quia legitimè certauit, gloriosè coronabitur.

Iob 15.v.33. & c.4.v.9.

B Denique vt hortus esset benè conclusus, ac securè munitus, oportebat aquilonis flatibus esse concussum; securitas enim quæ ex carentia tentationum oritur, negligentiam parit, & inertiam, atque ianuam hostibus aperit, vt subito oppugnates inertem perimant: ideoque Dominus decreuit Chanaæorum gentes inter Israelitas relinquere, vt erudiret eos, & discerent certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi. Quam vtique pu-

5. Iudic.3.v.1.

Collat.4. c 6. gnam, vt est apud Cassianum, non inuidens Deus
" quieti Israëlis, nec malè eidem cõsulens, sed sciens
" esse vtilissimam, reseruauit vt dum gentium sem-
" per istarum impugnatione deprimeretur, nũquam
" se sentiret auxilio Domini non egere, & ob id
" semper in eius meditatione, & in vocatione persi-
" stens, nec inerti otio solueretur, nec bellãdi vsum,
Idem D. " & exercitia virtutis amitteret. Frequenter enim
Greg.l.2. " quos non potuerunt aduersa superare, securitas &
Mo.c.26. " prosperitas deiecerunt. Hæc ille S. Abbas, breuissimè quatuor vtilitates huius pugnę recẽsens, velut quatuor fragrantiora aromata, quæ fluunt flante aquilone. Sicut enim necesse est Spiritus sancti austrum flare vt aquilonem fuget, & animam flatus eius superet; ita oportet aquilonem flare, vt anima sæpius Deum inuocet, & cœlestis austri flatum adducat; ac si dicat sponsus, *Surge aquilo, & veni auster*, quia si ille flat, iste veniet: ille flat, vt hortum destruat, si ad intentionem diaboli aspicias; si verò ad intentum Domini, potius vt hortum perficiat,

6.

7. ad hoc autem statim perflat auster, *Quia fidelis*
1.Cor.10.v. 13. *Deus, qui non patietur vos tentare vltra id quod potestis, sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere*. Corrũperetur (inquit D. Leo) natura nostra mutabilis, nisi spiritali muniretur auxilio; quia
Ser.7.de ieiunio decimi mensis. sicut illi nunquam deest vnde corruat, ita semper D præsto est vnde subsistat.

De promptitudine animæ ad tribulationes cum Dei gratia ferendas. §. 2.

1. PROPTER hæc igitur omnia conuenienter etiam spõsa Dei auxilio nitens eandem potest fundere precationem, dicens, *Surge aquilo*, &c. veniat tribulatio & tẽtatio, dum tamen veniat simul Spiritus sancti inspiratio, & auxilium, perfletque hortũ meum, vt aromata virtutum copiosius fluãt
Ps.25.v.2. ad sponsi mei gloriam, sicut dicebat Dauid, *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum, quoniam misericordia tua ante oculos meos est*: quæ scilicet auxiliabitur mihi, vt tentatio ita vrat, quod non consumat; tribulatio sic torqueat, quod proficiat. Qua spe munitus S. Iob non solùm Satan cupiẽti eum vexare non restitit, sed quasi assentiẽs, & amplius vrgens, ait, *Quis det vt veniat petitio*
Iob 6.v.8. *mea, & quod expecto tribuat mihi Deus? & qui cœpit, ipse me cõterat, soluat manum suam, & succidat me; & hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus sancti*. Nec mirum quod Sancti tribulationes non timeant, sed appetant, sed petant, sed in illis glorientur, quoniam
Ad Rom. 5. v.3. sciunt *Quod tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem; probatio verò spem; spes autem non confundit*; sed ea quæ sperat obtinet, quæ petit impetrat, quæ desiderat adipiscitur. Sed vnde tot bona? vnde tot etiam fragrantia aromata? profecto quia adest auster hortum perflans, quoniam *Charitas diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis*; & curam horti sui gerit, flantique aquiloni se opponit, vt non noceat, sed potius horto seruire cogat, & tunc perflet cum ei prosit.

B

Præterea cum tot sponsa de se audierit laudes, 2.
totq; beneficia ab sponso receperit, nonne gratam se illi exhibere debuit? Quid ergo melius potuit offerre quam se paratam ad tribulationes ferendas præstare? Hoc igitur est quod ait, *Surge aquilo, & veni auster*, &c. veniat tribulatio, insurgat persecutio, vexet hostis, dum tamen mihi Deus adsit, id opto, idque peto vt hac occasione fluant aromata mea, fluant affectus gratitudinis, laudis, & gratiarum actiones, fluant opera insignia fortitudinis & patientiæ, quæ sponso meo sint grata. *Quid* (inquit
Ps.115.v.4. Psaltes) *retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam*: id est, omnes tribulationes & afflictiones quas mihi Dominus euenire permiserit, tanquam salutis meæ poculum libẽter sumam, & sumens nomen Domini inuocabo, gratias pro omnibus ei agendo; nihil enim pretiosius inuenio, quod retribuam, quam multa ab inimicis pro ipsius nomine pati.

C

Sed amplius adhuc suam ostendit virtutem, & 3.
animi gratitudinem. Quid est *Surge aquilo, & veni auster, & perfla hortũ meum*; nisi veniant aduersa, & venam propera; succedant persecutiones vel fauores, perflet spiritus tristis exiccans ossa, vel spiritus hilaris ætatem floridam faciens: abscondat Deus faciem suam, me desolatam relinquens, vel illuminet super me vultum suum me lætificans; nihilominus tamen *fluent aromata eius*, quoniam illius auxilio fulta omni tẽpore hyemis & veris, & quouis vento flante per prospera & aduersa illi inseruiam, virtutis exercitia non deseram, sed continuò fluent, & increscent, ac viriliter pugnare curabo, *Per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam* 2 ad Cor.6. v.7.
& ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, Ad Phil. 4. v. 12.
quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur Ad Rom.8. v.28.
in bonum, tam prospera quam aduersa, & vtriusq; venti flatus. Quod eleganter explicat D. Gregorius Hom.19.in
circa illud Ezechielis, *Et celatæ palmæ erant, vna* Ezech.
hinc, & altera inde in fronte eius. Notandum, inquit, " Ezec.40.
magnoperè est quod dicitur hinc & inde: omnes " v.26.
enim qui ad vitę aditum tendimus, & ex dextro & "
ex sinistro latere habere palmam debemus: quod "
enim hinc & inde dicitur, latus vtrumq; signatur: "
à dextro igitur palmam habet is quem prospera "
non extollunt, à sinistro palmam habet is quem ad- "
uersa non deiiciunt: quasi ex vtraq; parte portabat "
palmam Paulus, cum diceret, *Per arma iustitiæ à* "
dextris & à sinistris, &c. quia in aduersitate fortis, "
& in prosperitate humilis permanebat: quisquis "
enim de prosperis extollitur, habere in dexteram "

" partem palmam nescit; quisquis in aduersitatibus
" frangitur, portare palmam à sinistro latere ignorat.
" Vt ergo hinc & inde palma gestetur in frõte, adesse
" semper nostris mentibus debet, & in aduersis fidu-
" cia, & in prosperis timor, ne aut aduersa in despe-
" rationem pertrahant, aut prospera animum in sui
" fiduciam extollant. Hæc vberius prosequitur D.
Collat. 6.c. 9.& 10. Gregorius, & eleganter satis habentur apud Cassianum similia documẽta, vbi hos iustos ambidextros vocat sicut Aod, qui vtraque manu vtebatur pro dextera, quoniã non solùm prospera, sed etiam aduersa ad partem dexteram pertinere faciunt, dum vtraque in maiorem spiritus profectum conuertunt, & quandam animi participant immutabilitatem, dum siue perflet aquilo, siue auster, semper fragrantia aromata emittunt; & ideò dicit fluent, quia semper vsque ad mortem fluere non
Matt. 20.v. 22. cessabunt; nam qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit.

A

Duplicem Spiritus sancti inspirationem hic etiam signari. §. 3.

1. AD superandas autem tribulationes, & ad cætera quæ horto diximus esse proficua, plurimum cõducunt duplicis generis inspirationes, quę in hac sententia insinuãtur si verbum istud, *Surge aquilo*, in bonum accipiamus, vt scilicet surgat ad perflandum hortum sicut auster, intelligẽdo cum D. Paulino, Diuo Ambrosio, & aliis ipsum Spiritum sanEpist. 3. ad Aprum in fine. ctum, qui simul dicitur aquilo, dum æstuantibus refrigeria præbet, & auster dum duros ad credendum, vel benefaciendum resoluit; non tamen dicit perflate, sed persla, quia vnus est spiritus, & ad eũLib. 3. de virginibus, circa med. & de fide resurrectionis propefinem. dem scopum omnes eius inspirationes tendunt, quæ ad hoc duplex genus reducuntur. Quædam enim refrigerant ardorem, & æstum concupiscentiarum, maximè libidinis, iræ & auaritiæ, siue incutiendo in memoriam dira quæ Christus pro nobis pertulit tormenta, siue etiam alia quæ spem geIustus Orgelitanus. D Bern.in nuit ser. de triplici custodia. nerent æternæ remunerationis vincentibus promissæ. Aliæ verò tendũt ad excitandum Dei amorem, & deuotionis affectum, actusque alios obedientiæ, ac virtutum quę in Dei cedũt obsequium, & multoties hæ duæ inspirationes coniunguntur, vel Spiritus sanctus hos-simul in eadem anima
Dan.3.v.49 operatur effectus; sicuti cum tres pueri proiecti sunt in fornacem Babylonicam, simul flauit ventus roriolus qui ardorem ignis temperauit, ne eis noceret, ac eorum corda in Dei laudes inflammauit; sicut & inflãmauerat ad mortem oppetendã ne ipsum negarẽt. Deinde cum tẽperatus flatus aquilonis & austri, vt iã diximus, magis profit hortis, quia ex qualitatibus eorum contrariis temperamentum D aptum fit vt aromata fluãt; sic etiam vtriusq; generis inspirationes valdè conducunt, vt sanctorum operum fluant aromata; & ideò vtræq; sunt à nobis optandæ & efflagitandæ. Audisti, inquit Am-
Lib.3 de virginib. circa medium, " brosius, quia hortus est clausus suauium pomifera-
" rum refertus fructibus; pete igitur vt aspiret tibi
" Spiritus sanctus, spiret atque odorem piæ mentis
Vbi sup. " & gratiæ spiritalis accumulet. Orate (ait D. Pau-
" linus) vt hortum nostrum introire dignatus Chri-
" stus, exurgere aquilonem iubeat, & austrum veni-

re, quibus auras vitales afflantibus germina nostr "
" virescant. Fauet etiam Ecclesia dum Spiritum san- "
" ctum inuocans, ait, *Veni consolator optime, dulce re-* In Sequentia Missæ.
" *frigerium, in labore requies, in æstu temperies*. Prius
autem nominatur aquilo, quam auster, tum quia prius est ardores concupiscentię extinguere, quam diuini amoris flãmam incendere. Sicut etiam prius dicimus declinare à malo, quàm facere bonũ; tum verò quia initium sapientiæ timor Domini, & inspirationes quæ timorem incutiunt, præcedere solent impellentes ad amorem. Quomodo autem hæc expositio aptetur Deiparæ cum Angelo nun-
Lib. 8 Exhor.3. ciante Dei filium concepit, commodiùs dicetur in initio sequentis libri.

Tandem huiusmodi sententia (sicut D. Bernardus insinuat) extendi potest ad verbum externum 2.
Ser. de triplici custodia. prædicationis, quod etiam à Spiritu sancti instinctu procedit, quasi sponsus cœlestis prædicatores
B suos exhortetur, & doceat prædicandi modum, vtriusque venti munus agentes, vt scilicet aliquando instar aquilonis peccatores acriter increpent, terribilia minentur quæ timorem incutiant, vt eos à vitiis suis retrahant; sicut cùm Ioannes Pharisæis dicebat, *Progenies viperarum, quis demonstrauit vo-* Mat.3. v.7.
bis fugere à ventura ira? iam securis ad radicem arboris posita est, &c. Aliquando verò instar austri suauia & gloriosa annũcient de virtutibus & prẽmiis, ac Dei beneficiis, quę cor ad amorem inflammant, sicut cùm idem dicebat, *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum*. Ex vtroque enim prædicationis modo fluunt in audiẽtibus aromata compunctionis & pœnitentiæ, aliorumque bonorũ affectuum & operũ quæ Deum valdè redolent, & apud homines etiam fragrant: & ideò vterq; familiaris esse debet apud eos, quos hac de causa D.
C Lib.3.Mor. c.36. Gregor. assimilat gallo, de quo Dominus inquit ad
Iob 38.v.36 Iob, *Quis dedit gallo intelligentiam?* id est, quis nisi ego, dedit prædicatoribus, vt sciant quid, quando, & quo modo debeant venturum mane annunciare? Hæc autem scientia maxima ex parte in eo sita est, vt sicut gallus in profundioribus noctis horis valentiores ac productiores edit cantus; postea verò cum maturinũ tẽpus appropinquat, leniores ac minutiores; sic prędicatores cum iniquis & proteruis mentibus prædicant, altis & magnis vocibus æterni iudicij terrores intimãt; cum verò illis quibus iam veritatis lumen illuxit, clamoris sui magnitudinem in lenitatis dulcedinem vertunt, & ea quæ sunt blanda de præmiis proferunt. Sunt enim Mat.13.v.52. tanquam docti patresfamilias, qui de thesauro suo *Proferunt noua & vetera*; id est, ea quæ amorem legis nouæ proprium, vel quæ terrorem, qui est legis veteris, annunciant. Prius autem refert noua, quia lex euangelica ad id ex propriis inclinat: sed prius petitur vt perflet aquilo quam auster, quia necessitas peccatoris ita exigit: vnde etiam de aquilone dicitur, *surge*, quod violentiam quandam denotat ad expergefaciẽdum eos qui in peccatis dormiunt: de austro autem *veni*, quod lenitatem indicat, & magis propria est diuini Spiritus, qui voce quasi
Iob 4. v.16. auræ lenis loqui solet. Vtinam eo nobis loquatur modo, quod plura & fragrantiora Sanctorum operum fluant aromata ad gloriam ipsius in secula seculorum. Amen.

EXPOSITIONIS MORALIS IN CANTICVM CANTICORVM LIBER OCTAVVS,

circa caput quintum.

DE DVLCISSIMIS DEI VISITATIONIBVS, & pulsationibus ad ostium cordis, & de præclarissimis Christi insignibus ad dignoscendum ipsum.

CAPVT V. CANTICI.

Aduentus sponsi in hortũ suũ, mystica messio, & dulce eius conuiuium. Mystic⁹ somnus, seu reuelatio eorũ, quæ euenĩt sponsæ, cũ sponsus spiritaliter pulsat ianuam eius.

1 VENIAT dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi fauum meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite, amici, & 2 bibite, & inebriamini charissimi. Ego dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei gut- 3 tis noctium. Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomo- 4 do inquinabo illos? Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus in- 5 tremuit ad tactum eius. Surrexi, vt aperirem dilecto meo: Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo; at ille declinauerat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est: quæsiui, & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi. 6 7 Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. Adiuro vos, filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei quia amore langueo. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, 8 9

Potissima nota, qui-

A quia sic adiurasti nos? Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum; comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus. Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentiuxta fluenta plenissima. Genæ illius, sicut areolæ aromatum, consitæ à pigmentariis. Labia eius lilia distillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus distinctus sapphyris. Crura illius columnæ marmo- B reæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species eius vt Libani, electus vt cedri. Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, & iste est amicus meus, filiæ Ierusalem. Quo abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum.

10 *hæc sponsus dicit.*

11 *quæsitur, & secernitur ab aliis.*

12 13 14 15 16

17 *Locus vbi quærendus, & inuenien- dus ejus sponsus.*

CAPVT VI.

C DILECTVS meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.

1 2

NOVVM & dulce colloquium inter sponsum & sponsam, suauissimúmque conuiuium continet initium capitis quinti in versu primo; occasione verò conuiuij introducit Salomon sponsam inter vescendum, vel paulò post, narrantem sodalibus & adolescen-

adolescentulis, quid à principio sibi acciderit cum sponso, describendo sigillatim modum quo ille ad suas veniens fores pulsabat, vt ianuam aperiret; quid ipsa cunctans responderit, & quomodo surgens ad aperiendum, iam ille abiisset, quantoque cum labore eum quęsierit, multa patiens à ciuitatis custodibus: addens nonnulla quæ in narratione capitis tertij prætermissa sunt, & insuper refert quæ cum adolescentulis circa sui sponsi eximiam pulchritudinem pertractauerit, donec tandem in initio capitis sexti dicat se eum inuenisse, cùm ait, *Dilectus meus mihi, & ego illi:* sed quia sponsa hanc inchoat narrationem, dicens, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quidam putant hic narrare quæ dormiens somniauit sibi cum sponso accidisse. Somnium autem istud excessum mentis cœlitus immissum denotat, in quo reuelationem accepit eorum quæ desponsationem cum sponso spectabant. In hac autem narratione supplet Salomon quod defuit in B dine agemus, vnicuique petitioni sponsi suam exordio cantici, si ordo quo res gestæ sunt seruandus esset. Certum enim est connubium istud spirituale non cœpisse ab ipsa sponsa, nec ab illa flamigera prece, *Osculetur me osculo oris sui*, sed ab ipso sponso, qui speciali vocatione ad eius fores accessit, pulsauit & excitauit, vt connubium istud desideraret, & peteret, & hoc est quod nunc distinctè narrat. Sed siue hæc narratio eadem sit cum præcedẽte capitis tertij, siue diuersa, vt diuersæ vtriusq; circunstantiæ indicare videntur, ad expositionem moralem quam intendimus, parum refert. Eius autem interpretationem liber hic octauus continebit, quem in tres partes diuidimus, vt prima sit circa versum primum de variis modis quibus Deus visitat Ecclesiam & animam, & de iis quæ mirabiliter operatur in illis: etsi enim de hoc versus vltimus præcedentis capitis agere etiam videatur, consultiùs tamen duxi vulgatam sequens à versu primo librum inchoare. Secunda verò pars erit de variis pulsationibus Dei ad ostium cordis, & de responsione animæ vel pigrescentis aperire, vel surgentis ad aperiendum, & quærendum quem abiisse comperit, & protenditur hæc pars vsque ad versum illum, *Vt nuncietis ei, quia amore langueo.* Inde verò exordietur tertia pars de præcipuis Christi insignibus ad dignoscendum ipsum, & secernendum ab aliis, vt eum quærentes inuenire possint.

PARS PRIMA LIBRI OCTAVI.

De visitationibus Dei, & de iis quæ tunc mirabiliter operatur.

D

Caput 5. Vers. 1. Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum: veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum meum cum melle meo; bibi vinum meum cum lacte meo; comedite amici, & bibite, & inebriamini, &c.

PRIMVM huius capitis quinti inter sponsam & sponsum breue colloquium periucundum est, & vtilissimum: illa desiderium suum exprimit, hic mox explet: illa petit vt veniat in hortum suum, hic se venire, & venisse iam A dicit: illa inuitat eum ad comedẽdum fructum pomorum; hic opulentius parat conuiuium, quo ipse fruitur, & amicos ac charissimos ad eodem potiendum exhortatur. Plena sunt hæc mysterijs, & arcanis sacramentis, in quibus opulentam & iucundam inueniemus mentis refectionem. Quadruplex enim Dei aduentus in suum hortum postulari videtur. Primus per assumptionem carnis, vt cum hominibus conuersetur. Secundus per plenitudinem gratiæ, & donorum cœlestium, quibus electorum replet animas. Tertius per sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, in quo sponsus Christus Deus & homo quotidie contectus venit; & quartus tandem quo ipse vadit in hortum cœlestis paradisi, & venit ad sponsam, vt eam illuc secum deferat. His quatuor petitionibus libenter annuit sponsus, & mirabili modo quæ petuntur perfecisse testatur: de quibus sigillatim, etsi non eodem or-

EXHORTATIO I.

De affectu dilectionis, humilitatis, & gratitudinis erga Deum ob collata nobis beneficia; de petitione diuinæ visitationis, & ad quos fines ordinetur.

Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.

VDIENS sponsa tot encomia, totque sibi ab sponso collata beneficia; (nam quot laudes, tot dona quæ eam reddebant dignam laude) stupens tan- C tam Dei erga vilem creaturam benignitatem, in multiplices humilitatis, gratitudinis, dilectionis, & precis prorumpit affectus, dicens, *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Non ait, veni, quasi imperans, sed veniat, quasi optans, & humiliter precãs, quoniam Dei fauores non faciunt animam temerè audacem, & præsumentem, sed magis submissam & timentem. Reducunt enim in memoriam propriam ipsius inopiam, ac vilitatem; & ideò maiorem ingerunt reuerentiam erga Deum, & tremorem coram ipso. Cæterum nec ait, veniat rex, aut Dominus in hortum suum, sed *Dilectus meus*, quoniam fauores ita excitant reuerentiam, vt magis ingerant amorem. Cur enim non vehementius diligat eum quem tam munificum in se experitur benefactorem, à quo ardentissimo amore prius se agnoscit dilectam?

De affectu dilectionis & humilitatis erga Deum. §. 1.

1.

QVAM autem ex corde diligat, & verè dilectum suum nominet, singula verba testantur, nam ex abundantia cordis os loquitur, *Veniat* (inquit) *dilectus meus ad hortum suum*: ac si diceret; magna mihi contulisti dona, maxima etiam mihi conferre desideras & precaris, fragrantiam nominis mei per orbem diffundi cupis; ego verò hoc vnum appeto, hoc vnum quæro, hoc vnum vehementer efflagito, vt veniat dilectus meus in hortum suum, *Quidenim mihi est in cœlo,* Ps. 72. v. 25. *& à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*: si tu venias ad me, & sis mecum, tecumque me vnitam semper habeas, hoc

vno contenta & ſatiata ero, cætera niſi propter hoc vnum non curabo.

2. Surge aquilo tribulationum & perſecutionum, veni auſter cœleſtium inſpirationum, perflate hortum meum, & fluant copioſa, & fragrantia aromata illius; ſed ad quid hoc? vt veniat dilectus meus in hortum ſuum, vt illum dignetur inuiſere, & in eo commorari; libenter enim omnes tribulationes perferam, vt dignum ipſi præparem habitaculum, & vt gratam illi manſionem exhibeam.

3. Hortus ſum concluſus, & fons ſignatus, nulli creaturæ patens eſſe volo, ſed ſoli Creatori; veniat ergo dilectus meus in hortum ſuum concluſum; introeat in illum, quia ei patens eſt, nec vlla clauſa eſt ianua; imò ideò concluſi, vt ille libentiùs ad eum veniret, & tranquillius intra eum maneret, dum nihil intus inueniret, quod ipſum exturbaret.

Cant.8.v.6. Propter amorem quo eum proſequor, poſui eum vt ſignaculum ſuper cor meum, & vt ſignaculum ſuper brachium meum, vt quidquid intus & foris in me eſt, ipſius ſigillo ſit munitum. Veniat ergo ad cor meum tanquam ad hortum & fontem ſuum, vt potiatur omni bono quod intra illum concluſum & ſignatum eſt.

4. Tu ſponſe dixiſti, *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*, vbi hortus tuus ſitus eſt, omnibus aromatibus abundans, & redolens. Impleat ergo dilectus meus quod decreuit; veniat in hortum ſuum in quo emiſſiones ſunt fructuum & aromatum cum myrrha, nardo, & croco, & omnibus lignis Libani, & thuris; quoniam dum ille abeſt, nihil me habere puto; ideò enim fructus & aromata diligo, vt aliquid habeam quod eum alliciat, vt alacriter ad hortum veniat.

5. Ter etiam me ad coronam inuitaſti, dicens, *Veni, veni, veni, coronaberis*; at hæc eſt mea corona, hæc mea gloria, & laus ſumma, vt tuipſe venias ad hortum tuum, & eius fructibus fruaris. Hæc omnia ad hoc tendunt, vt intelligas non eſſe quieſcendum in Dei donis, ſed in ipſo datore, & æſtimanda eſſe beneficia non tam propter ſe, quàm propter benefactorem, nec hortum animæ excolendum, vt nos eius bonis ditemur, vel nobiſipſis dulces epulas præparemus, ſed vt dilecto placeamus, & ipſe in nobis iucundetur, ex noſtriſque bonis ei conuiuium faciamus; quod amplius explicant ſequentia verba.

Sed quid eſt quod non ait, veniat dilectus meus in hortum meum, ſed *in hortum ſuum*? nec inquit, comedat fructum pomorum meorum, ſed *ſuorum*? profecto magnos per hæc inſinuat humilitatis affectus. Primò quidem quoniam agnoſcit quidquid boni in horto eſt non ſuum eſſe, ſed ſponſi, cuius

1.Cor.3.v.7 totus eſt hortus, ipſe plantauit, ipſe rigauit, ipſe incrementum dedit: quod ſi aliquis alius adiuuit ad plantandum & rigandum, ille nihil eſt niſi inſtrumentum agricolæ, qui eſt Deus, cuius ſunt omnes plantationes, & irrigationes, arbores & fontes, & quidquid animam Dei hortum amœnum & fœcundum reddit, quoniam omnis noſtra ſufficientia

1.Cor.3.v.5. ex Deo eſt, qui dat velle & perficere, infundit virtutes, & dat vſum earum, & omnia opera noſtra

Iſa.26.v.12. operatur in nobis.

2. Præterea ad hortum & poma ſponſi ipſummet inuitat, vt etiam reuerentiæ & humilitati cõſulat, ne audax inueniatur, & præſumens ſi ad ea quæ ſuiipſius ſunt, illum inuitaret. Quidquid enim eſt in nobis, vt à nobis & ex nobis, vile eſt & deſpicabile, dumque id conſiderat potius ſe retrahit, &

Matt.8.v.8. cum Centurione ait, *Domine, non ſum dignus vt intres ſub tectum meum*, nec vt venias in hortũ meum, quoniã vt meum nihil germinat niſi tribulos & ſpinas; vnde potius dicam cum Simone Petro, *Exi à me, quoniam homo peccator ſum, Domine*; veniat tamen dilectus meus in hortum ſuum; nam quia ſuus eſt, dignus factus eſt per ipſum, vt ad eum veniat, comedat fructum pomorum ſuorum; nam quia ſua dulcia illi erunt, & digna quæ ei comedenda offerantur. Lu.5.v.8.

Deinde ſponſa docilem ſe oſtendit, ſponſoque ſuo non ſolùm factis, ſed verbis conformem; ille dixerat, *Veni auſter, perfla hortum meum*, quid ergo illa diceret, niſi *Veniat dilectus meus in hortũ ſuum?* Aſſentior illi, & quod ipſe dicit conteſtor: hortus non eſt meus, ſed ſuus, nec ego iam mea ſum, ſed illius, ſicut ſcriptum eſt, *Iſte dicet, Domini ſum, & ille vocabit in nomine Iacob, & hic ſcribet manu ſua Domino, & in nomine Iſrael aſſimilabitur*: id eſt, poſtquam Dominus effuderit ſpiritum ſuum in ſeruos ſuos, quilibet dicet: iam ego totus Domini ſum illius voluntati & obſequio mancipatus, eius nomine vocari cupio tanquam non liber, ſed ſeruus ipſius, ſtigmate & ſigillo Domini mei inuſtus, cui verbo & opere quàm ſimillimus eſſe contendo: veniat igitur dilectus in hortum ſuum, quia libentiſſime recipiam eum, ne de me dicatur, *In propria venit, & ſui eum non receperunt*; ſed non erant verè, & ex corde ſui, quia ſi ſui eſſent, illum recepiſſent; nam qui ſui erant titulo creationis, ſubtraxerunt ſe ab eius paterno dominio ex cul pa propriæ voluntatis, iuxta illud, *Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* Iſa.1.v.2. Io.1.v.11.

Rurſus ideò ait, veniat in hortum ſuum, & comedat poma ſua, vt teſtetur ſe nihil quantum eſt ex ſe laude & mercede dignum facere. Quid enim quod ſeruus Dominum ipſum horti inuitet, vt ad ſuum hortum veniat? nunquid non ipſe Dominus claues habet horti; & quandocumque libuerit aperire poteſt, & intrare? nunquid ſeruus non tenetur hortum domino ſuo excolere, & quæcumq; in illo ſunt, ei offerre? Ancilla (inquit) ſum inutilis, quod debebam facere feci, cùm ſponſum inuito, vt pomis ſuis fruatur in horto ſuo. Quis enim plantat vineam, & de fructu eius non edit? qui ergo plantauit hortum, ius habet vt fructum ſuorum pomorum comedat: quod ſi hoc rogo, & humiliter precor, hac prece voluntatem meam inſinuo, quam ipſius voluntati conformem eſſe cupio. Lu 17.v.10. 1. Cor.9. v. 7.

Denique cùm prius dixerit, *Veni auſter*, ſi hæc verba ad ſponſam referas, rectè ſubiungit, *perfla hortum meum*, vt propriam confiteretur indigentiam, & inopiam; nam quia ſuus, adiutorio auſtri flantis indigebat: niſi enim ille flaret, hortus nec fructus, nec aromata haberet; at cùm ſponſum ad hunc hortum, vt comedat, inuitat, non ait, ad hortum meum, ſed ſuum, cuius fuit auſtrum flantem mittere, vim horto ad fructus ferendos præbere, vt cuncta bona ei, cuius ſunt, tribuat, *Tria enim ſunt omnia* (inquit Dauid) *& qua de manu tua accepimus, dedimus tibi.* 1.Paral.29. v.14.

De affectu gratitudinis, & gradibus eius. §. 2.

PErpendamvs iam ad quid inuitat dilectum vt in hortum veniat, nunquid tãtùm vt ipſum perambulet, & circunſpiciat, vel conſpectu ipſius delecteturꝰ num vt odoretur ſolùm flores & aromata, nihil tamen ex eis carpat? aut dumtaxat, vt horto benedicat, & ſua benedictione fœcundiorem reddat? ſed amor, & gratitudo vlterius progrediuntur, & ſponſum ad epulandum venire

precantur, *Et comedat fructum pomorum ſuorum*: id eſt, poma qui ſunt fructus. Per poma autem intelligit quidquid pretioſum eſt in horto; quidquid ſuaue, delicatum, & guſtui gratum, vnde alia lectio habet, *Fructum delicatorum ſuorum*, vel *deliciarum ſuarum*. Sunt etiam poma amoris ſymbolum, vnde ad omne quod eſt amanti acceptum inuitat, vt illo planè ſatietur. O vocem liberam (exHom 10. in Cant. clamat Nyſſenus) & confidenter prolatam! ô animam liberalem, & ſplendidam, quę omnem quantumuis magnam ſuperat magnificentiam! quemnam ad conuiuium ſuis excipit fructibus! quodnam per bona propria parat epulum? quemnam vocat ad veſcendum iis quæ ſunt parata? eum ex quo ſunt omnia, & per quem omnia, & ex quo omnia, qui dat omnibus alimentum in tempore ſuo; qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione; panem qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo, & qui ex proprio fonte ad omnia quæ ſunt vitam facit emanare; ita ſponſa apponit menſam: hortus autem eſt menſa, plantatus per arbores animatas: nos quidem ſumus arbores, quandoquidem nos quoque ſumus, qui ei cibum apponimus ſalutem noſtrarum animarum: fructus autẽ noſter eſt noſtri arbitrij electio, Deo, qui nos metit, ac decerpit, tanquam per quendam ramum tradens animam. Hæc Nyſſenus; inſinuans poma & fructus eſſe opera à noſtro libero arbitrio gratia Dei fulto prouenientia, quibus Dominus libenter veſcitur, ſicut ipſe ait, *Ego cibum habeo manducare quem vos neſcitis*; *cibus meus eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me.* Io.4.v.32.

1. Sed clariùs Diuus Ambroſius hunc ſenſum ſequens, quem D. Gregorius Papa, Beda, & alij Patres amplectuntur, ſic ait; Quanto hoc pulchrius quod anima ornata virtutum floribus hortus ſit, vel in ſe paradiſum habeat germinantem? in quem hortum inuitat Verbum Dei deſcendere, vt anima illa Verbi imbre cœleſtis, & eius copiis irrigata fructificet. Verbum autem Dei paſcitur animæ virtutibus, quoties obedientem ſibi, & opimam inuenerit, & carpit fructus eius, atque his delectatur. Perpende igitur gratum animum ſponſæ, quæ cùm inſtar horti onuſtam ſe fructibus ex Dei gratia conſpiceret, & bonis operibus redundaret, ea libenter ſponſa offert; nam, vt poſtea iterum teſtatur, *Omnia poma noua & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi*: id eſt, omnia delicata poma, omnes

Cant.7.v. 13. delitias, omnemque amorem, & quæcumque opera ſunt in me, & ex me, non mihi, ſed tibi ſeruaui, vt tu fruaris illis, & in illis delecteris; non enim propriam quæro delectationem, ſed tuam; ſcio

Pſ.103.v.31. enim quod *Lætatur Dominus in operibus ſuis*: opera autem mea ſua ſunt, & ideò delectatur in illis; hæc autem delectatio eſt eius refectio.

2. Sed cum ſpõſus dixerit, *Veni auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata illius*, cur ſponſa non dixit etiam, veniat dilectus meus in hortum ſuum, & carpat aromata ſua; ſed potius comedat fructum pomorum ſuorum: aut cur non etiam inuitauit eum ad aromata capienda; ſiquidem non minus delectatur aromatibus quam pomis? vnde & mox ipſe in hortum meum veniens, myrrham ſuam cum aromatibus meſſuiſſe teſtatur; & infrà iterum

Cant.6.v.1. ſponſa inquit, *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, ad areolam aromatum vt paſcatur in hortis, & lilia colligat*: vbi vtrumque coniungit paſci in hortis, nimirum ex pomis, & colligere lilia, ac aromata ex areola: ſed eſto ita ſit; ſponſa tamen non ad odorandum inuitat, ſed ad comedendum, non ad aromata, ſed ad poma; quoniam hæc illis præfert, & grati animi eſt ea quæ ſunt meliora benefactori offerre, nec odores & fragrantiam boni nominis æſtimat, niſi propter fructus operum, vnde illa oritur, & magis Deo placent? Caim oblatio reproba fuit, ingratique animi ſignum, dum offerens Deo ex frugibus quas ab eo acceperat, non meliores elegit, ſed communes, aut fortè peiores; ſecus Abel ſe gratũ oſtendit, dum ad offerendum Deum ex gregibus ſuis ſelegit pretioſiora, nempe primogenita, nec quæuis, ſed magis pinguia, *Obtulit* (inquit) *de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum*; & ideò oblatio eius valdè accepta fuit Deo; non quia Deus his indigeat (inquit D. Chryſoſtomus) ſed vult & per hæc oſtendi noſtram gratitudinem: nam eum qui Deo offert, & offert ex iis qui Dei ſunt, & intelligit quantum differat natura; & cum homo ſit, tantum ſit honorem ſortitus, oportebat quantum ſibi conceditur, ſuum teſtari officium, & pretioſiſſima offerre. Gen. 4.v.3. Hom.18.in Gen.

Præterea quis ignorat ex iis quæ ſunt in horto, poma magis neceſſaria eſſe homini, quàm aromata; cùm hæc ad delectationem, illa verò etiam ad vitæ ſuſtentationem conducant: ideò ergo poma offert ſponſa, quia oblatio ex ſibi neceſſariis magis chara eſt Deo, & maioris gratitudinis indicium; ſicut ipſe Dominus teſtatur de vidua, quæ duo minuta miſit in gazophylacium, & plus miſiſſe dixit, quam reliqui omnes diuites qui maiora munera offerebant, *Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miſerunt; hæc verò de penuria ſua; omnia hæc quæ habuit, miſit, totum victum ſuum*; ſic & ſponſa omnia obtulit etiam neceſſaria ſibi. Quod magis expreſſit cùm dixit, *Omnia poma noua & vetera ſeruaui tibi, dilecte mi*: nec vnum quidem pomum ad eſum ſeruaui mihi, quod & religioſi præſtant dum omnia prorſus relinquunt, & Chriſto in pauperibus tribuunt: nec tamen in huiuſmodi donis tantum æſtimandus eſt ſenſus, quam affectus; quia (teſte Diuo Thoma) ſicut beneficium magis in affectu conſiſtit, quàm in effectu: & nonnunquam (inquit Seneca) magis nos obligat qui dat parua magnificè, & qui exiguum tribuit, ſed libenter; ſic etiam gratitudo & recompenſatio magis in affectu conſiſtit: & ille ſummè eſt gratus, qui magno cum affectu cuncta quæ habet offert, etſi parua; daturus plura ſi habuiſſet ea. Matth.12.v. 43. Lu.21.v.3. Cant.7.v.13 2.2 q. 106. ar 3. ad 5.& ar.5. Lib. 1. de beneficiis c. 7.

Hinc conſtat ſponſam omnes gratitudinis gradus percurriſſe, quos D. Thomas ad tres reducit: nimirum acceptum beneficium recognoſcere, laudare, ſeu gratias agere, & aliquid ſecundùm propriam facultatem opportunè rependere: ſic illa poſt tot encomia ac beneficia accepta gratam ſe exhibet, dum ea ab ſponſo promanaſſe fatetur, cum hortum ita amœnum & fœcundum non ſuum vocat, ſed ſponſi, in quo etiam eum tanquam tot bonorum authorem laudat. Rependit autem quantum poteſt, dum eum inuitat, vt quidquid delicatum eſt in horto ſibi accipiat: ſed dum omnia tribuit Deo, melius ſeruat ſibi, perditura ſi ingrata eſſet: Grati ſimus (inquit Diuus Auguſtinus) ex eo quod habemus, ne perdamus quod habemus: ingratitudo enim (teſte Diuo Bernardo) eſt ventus vrens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ: gratitudo verò velut ventus auſter nubes congregat beneficiorum Dei. Sed de hoc alibi vberiùs dictum eſt. 2.2.q 107. ar. 2. Ser.16 de verbis Apoſtoli. Serm. 51. in Cant. Lib. 4. Exhort 2. § 3. & 4.

De petitione diuinæ visitationis. §. 3.

HINC iam ascendamus ad humilem & deuotam precem quam hæc verba insinuant, quoniam (vt inquit D. Thomas) gratiarum actio pro beneficiis acceptis, ratio est impetrandi quod petitur, & animum præbet ad noua petẽda beneficia. His ergo verbis sponsa à dilecto suo postulat vt eam inuisat; nam (vt dicit D. Gregorius) in hortum dilectus venit cùm Christus mentes visitat: etsi enim Deus semper sit in iustis per gratiam, eos tamen, vt sæpius diximus, de nouo visitare dicitur, quando aliquid supernaturale in eis operatur, siue infundendo nouum gratiæ incrementum, aut nouam lucem vel cõsolationem; aut quid huiusmodi. 2.2 q. 83 a. 16.

1. Vocauerat illum sponsus hortum cõclusum, & vndique vallatum: at illa respiciens in potentiorem custodiam, siiique horti fortius septum, ait, *Veniat* B *dilectus meus in hortum suum*: tunc enim verè erit conclusus, vndique securus, & munitus, cùm ipse visitauerit illum: visitatio enim Domini solicitam eius protectionem inuoluit, vt infirma sanet, roboret debilia, remissa erigat, imperfecta perficiat, & in altiorem gradum perfectionis deducat: dixerat paulò ante sponsus, *Surge aquilo, veni auster, perfla hortum meum*, &c. petens vicissitudinem iam tribulationis, iam consolationis, vt hortus per vtriusque venti flatum amplius redoleret, ac fructificarer. Quid ergo sponsa, veniat dilectus meus in hortum iuum? nam aduentus & visitatio eius cuncta hæc opportunè mihi præstabit; & ita securiùs me custodiet, sicut inquit Iob, *Visitatio tua custodiuit spiritum meum.* Humanum quippe spiritum, ait D. Gregorius, visitatio superna custodit, cum hunc virtutibus ditatum vel flagello percutere, vel compungere amore non desinit: nam si dona præ- C stat, & hunc continuè restaurando non subleuat, citiùs bonum perditur, quod non à largiente custoditur. Surgat ergo tempestuosus aquilo, & veniat placidus auster, & vterque perflet hortum meum, semper enim fluent aromata illius, si tamen dilectus meus veniat in hortum suum, ipse hos ventos dirigat, & excitet, vel cõhibeat, prout placuerit illi. Iob 10. v. 12 Lib. 10. Mo. c. 29.

2. Sed maiorem adhuc custodiam gestit, cùm ait, *Et comedat fructum pomorum suorum*: non ait carpat, sed comedat. Quod carpitur manu potest in promptuario seruari; at quod comeditur intra viscera traiicitur. Quid igitur est, comedat sua poma, nisi cuncta opera mea, affectus, virtutes, & actus ipse sibi accipiat, intra seipsum abscondat, & custodiat? ipsemet sit prõptuarium, ipse depositarius qui sub sua fide & protectione cuncta recipiat: D tunc enim erunt bene tuta, sicut Apostolus testatur, cùm ait, *Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem.* Sed vbi depositũ seruat? profecto vbi dilectos absconditos habet. Absondit autem illos, vt Psaltes inquit, *In abscondito faciei suæ à conturbatione hominum*: id est, in latibulo quod est coram ipso, sed mundanis occulto, in quo ab eorum minis & iniuriis sine perturbatione liberi maneant. Hoc autem latibulum est arcanum diuinitatis, & paternæ protectionis, qua suos dilectos, ac eorum omnia circunspicit, protegit, & defendit; intra quod arcanum absondit cum pomorum fructum comedit, & intra viscera misericordiæ suæ benignè reponit. 2. ad Tim. 1. v. 12. Psal. 30. v. 21.

3. Sed aliquid ampliùs comestio indicat; nam A quod comeditur non solùm intra ventriculum traiicitur, & reponitur, sed in substantiam comedentis conuertitur, & quasi vnum cum ipso efficitur. Hoc autem est supremum ad quod diuina visitatio dirigitur, & propter quod anxiè postulatur, vt totus humanus spiritus transmutetur in diuinum, & per intimum amorem ita ei adhæreat, vt vnus cum illo fiat; nam, *Qui adhæret Deo vnus spiritus est.* Tunc igitur sponsus aduenies fructum pomorum comedit, cùm opera iustorum sua grata præsentia deificat, & ad diuinitatis participationem subleuat, eaque sibi accipit tanquam pignora & merita suæ perfectioris vnionis cum anima per gratiam. Postea verò per consummatam gloriam, & hanc vnionem indicat qtiam ipsa dicendi phrasis: nam etsi iusti plurimos habeant fructus, tamen non ait, comedat fructus pomorum, sed fructum; quoniam desiderat per sponsi visitationem, vt omnia opera sua comedat, & in seipso vnum faciat, vt vnum finem intendant, & assequantur, qui est Dei beneplacitum, honor, & gloria: qua de causa Apostolus, etsi duodecim numeret Spiritus sancti fructus, tamen in singulari dixit, *Fructus spiritus est charitas*, &c. (vt supra perpendimus) quoniam per vnum Spiritum sanctum omnes hi fructus deificantur, & in eundem scopum diriguntur. 1. Cor. 6. v. 17. Ad Gal. 5. v. 22.

Hinc autem perspicies cur non dixerit, comedes fructum pomorum meorum, sed suorum: nam ex eo opera nostra digna sunt quæ à Deo comedantur, quia sua sunt, non quia nostra: id est, non ex eo solùm quod à nostro libero arbitrio prodeunt, sed ex eo quod ab eius auxilio & gratia, ac dilectione procedunt, & iuxta illius legem, & voluntatem fiunt, cui nostrum arbitrium conformatur: cuius maior solicitudo esse debet, vt ea opera efficiat, quæ Deo ad comedendum offerri valeant, eiusque sint iucundus cibus. Hortus enim suo Domino fructificat, & qui non est suus, sed Christi, Christo fructificare debet, vt ei cibos dulces apponat, non diabolo, nec mundo, vel carni, à quibus omnino recessit; & hoc est quod D. Paulus ait, *Mortificati estis legi* (scilicet veteri) *per corpus Christi* (subaudi cùm eius membra viua facti estis) *vt sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, vt fructificemus Deo; cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti.* En discrimen inter peccatores, & iustos; illi fructificant morti & diabolo, à quo tandem sunt deuorandi, & in gehennam detrudendi; hi verò fructificant Deo, quorum fructus Deus comedit, sibi accipit, ac in vitam æternam seruat. Ad Rom. 7. v. 4.

Propter quos fines petenda sit diuina visitatio. §. 4.

HINC etiam deduces ad quos fines optanda 1.
sit, & petenda diuina visitatio; sponsa enim & pura Dei dilectrix anima non respicit propriam delectationem, non proprium lucrum, aut commodum, non sui gloriam & honorem, non deniq; seipsam, sed ipsum Deum, eius beneplacitum, gaudium & gloriam, vt sicut dicitur, *Veni auster, vt aromata fluant*; quia diuina inspiratio & fauor suauis ad hoc est quærendus, vt opera virtutis ardentius & præcellentius fiant; sic petatur à dilecto quod veniat, vt ipsemet delectetur, nostrisq; operibus quasi reficiatur: sed nunquid ipsa ieiuna manebit? minimè; sed quanto minus propria quærit,

tanto copiosius ea in Deo inuenit; & cùm inuitat A quidem & placidum Sanctis suis, quod Psalmista vocat, illuminare vultum suum super nos; at iracundum & seuerum hostibus illorum, & hoc vocatur increpatio vultus; nam sola diuina præsentia eos terret, & fugere compellit: *Visita* ergo *nos, Domine, in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, vt laueris cum hæreditate tua.* Hoc est, visita nos tanquam pius pater, vt salutem nobis afferas, & vt experiamur bona quæ dilectis amicis tuis soles elargiri, & vt efficiamur lætitiæ eorum participes: hoc autem petimus, non tanquam propriæ delectationis auidi, sed magis tuæ gloriæ cupidi, vt tu à nobis, & ab omni electorum tuorum bonitate laueris, & glorificeris nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

Apoc. 3. v. 20. dilectum vt veniat, & comedat poma, ipsa plura accipit vt comedat simul cum illo; nam dum inuitat, inuitatur, & dum reficit, reficitur: *Intrabo*, inquit, *ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum*: id est, ego cœnabo cum illo ex pomis & fructibus solidarum virtutum, quas in eo inuenio; & ille cœnabit mecum ex aliis præclaris donis, gratiis, & consolationibus quas impertiar illi: pluraque à me accipiet, quam mihi impartietur. Hoc mox testatur sponsus, cùm huic petitioni annuens, inquit, *Veni in hortum meum, soror mea sponsa*, &c. & postquam se comedisse & bibisse dicit, exhortatur amicos & charissimos, vt comedant, bibant, & inebrientur, sicut illico explicabimus.

2. Denique Psalmista videtur complexus omnes fines petendi diuinam visitationem, cùm dixit, Psal. 79. v. 16 *Deus virtutum conuertere, respice de cœlo & vide, & visita vineam istam, & perfice eam quam plantauit* B *dextera tua, & super filium hominis quem cõfirmasti tibi.* Parabola de vinea & de horto in idem recidit, quia vtrumque tam Ecclesiæ quàm animæ sanctæ aptatur, & plantatum est à dextera, & omnipotentia Altissimi, quem precatur vt è cœlo respiciat in opus manuum suarum, & visitet vineam ad hunc finem, vt eam benignè dirigat, gubernet, tueatur, defendat, & vndique reddat perfectam, quia eius Deut. 32. v. 4 perfecta sunt opera, & qui cœpit opus bonum, ipse perficit, & consummat. Hæc autem præstat dum hortum suum visitat, & benignè illum respicit. Ad Phil. 1. v. 6. Quod autem addit, *Et super filium hominis quem confirmasti tibi*, duplicem habet sensum; prior, vt referatur ad eum qui visitatur, qui vocatur filius hominis, seu filius Adam, quasi repræsentando eius infirmitatem, & indigentiam quam habet visitationis Dei, qua confirmetur in bono ad ipsius gloriam, vt in vase fragili magis diuina virtus resplendeat: posterior est, vt referatur ad Messiam seu Christum Dominum, qui seipsum filium hominis semper appellabat, quem Deus firmissimo consilio decreuit in mundum venire, vt esset firmamẽtum, salus, vita, & protectio hominum: petit autem vt ad eius merita respiciens, eam visitare dignetur, & perficere. Fauet paraphrasis Chaldaïca, sic vertens, *Et super regem Messiam quem confirmasti tibi*: id est, cuius regnum voluisti coram te esse stabilitum & firmum; regnũ autem Messiæ sunt iusti, in quibus ipse regnat, quos stabilitos esse in bono cupit.

3. Ad duo ergo tendit diuina visitatio, vt animam sanctam perficiat, seu ad culmen perfectionis deducat, & vt eam confirmet & stabiliat in bonum propter Christum, & eius merita. Ad vtrumq; autem præstandum mox omnes hostes infestantes fugat, ac perimit; & hoc est quod Dauid subiicit, D *Incensa igni, & suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt*: id est, quantumcumq; vinea videatur incensa igne, & suffossa, hostes qui eam incendunt & suffodiunt, peribunt statim ad præsentiam vultus tui, increpantes illos: Ignis enim concupiscentiæ vel tribulationis animam vrentis, aut spiritus pusillanimitatis & diffidentiæ qui eam deprimunt, & quæcumque dæmonum infestatio præsente Domino fugit, & euanescit, & cuncta tranquilla fiunt. Mat. 8. v. 26 Sicut dum nauis fluctibus operiebatur, cùm primùm imperauit ventis & mari, facta est tranquillitas magna. Tanta est enim eius omnipotẽtia, quod venti & mare obediant ei, & omnis tempestas eius solo iussu statim cesset. Habet autem emphasim Psal. 66. v. 2. phrasis illa, *Ab increpatione vultus tui*; nam cùm Dominus visitat, vultum suum ostendit hilarem

EXHORTATIO II. PRO MARTYRE PONTIFICE.

De variis & admirandis effectibus diuinæ visitationis mouentis ad propriam abnegationem, & tribulationes dulciter ferendas, atque ad opera vitæ actiuæ & contemplatiuæ. *De mortificatione, & lætitia in tribulationibus circa Euangelium.* Vers. 1.

Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum meum cum melle meo, &c.

AVDIENS sponsus dilectæ suæ precationem, mox respondit, *Veni in hortum meum, soror mea sponsa.* Verbum autem, *veni*, iuxta morem Scripturæ, licèt præteritum sonet, & rem iam factam, potest etiam sumi pro præsenti, venio, vel pro futuro, veniam; ad insinuandum enim certitudinem rei præsentis, vel futuræ, aut celeritatem qua fiet, verbo præteriti temporis vti solet. Nunc autem de modo quo venit ad visitandum sanctam animam, cum multis Patribus hæc explicemus. Nyssenus, Theodoretus, tres Patres apud ipsum, D. Ambros. de obi. mortis c. 5. Hom. 10. in Cant. Isa. 38. v. 9. Matt. 12. v. 50. Psal. 144. v. 19

Quoniam igitur desiderium & postulatio sponsæ grata Deo erat; statim, inquit Nyssenus, exaudiuit eam, iuxta illud Isaiæ, *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet, adsum*: & quasi rationem reddens cur tam citò exaudierit ac venerit, vocat eam sororem & sponsam, quia ex intimo amore eius faciebat voluntatem; ipse autem voluntatem timentium se facit; & deprecationem eorum exaudit; sed exauditionem amplificat dixisse de præterito, *veni*: ac si diceret; petis vt veniam, sed ecce iam veni; nam affectum quem habuisti me dicente, *Surge aquilo, veni auster*, &c. aspexi & exaudiui, *Desiderium enim pauperũ exaudiuit Dominus, & præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Psal. 9. v. 17.

Diuina visitatio sui abnegationem, cum aliis virtutum actibus excitat. §. 1.

SED benignus Dominus & munificus, non solùm dat quod petimus, sed abundantius quam petamus, vel intelligere possimus: quod per sequentia verba satis explicat, *Messui*, inquit, *myrrham meam cum aromatibus meis*; id est, veni ad visitandum te, quæ hortus meus es arboribus pomiferis & aromaticis refertus, cuius emissiones sunt velut paradisus, & cœpi myrrham metere; messio abundãtiam significat, & collectionem in manipulos, quos messores facere solent, quasi alludens ad id quod ipsa

Cāt 1 v. 12. antea dixerat, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Cùm igitur Deus animam sanctam visitat, multos ex ea fasciculos & manipulos myrrhæ & aromatum metit, quoniam habitus virtutum actus suos exercere facit, veluti si horti arbusculæ sua aromata emittant, quæ messor colligat; quod enim optauerat quando dixit, *Veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius*; id se feciſſe testatur, cùm ait, *Messui myrrham meam cum aromatibus*, quæ fluxerunt; nisi enim ego veniſſem, & præsens adeſſem, meoque auxilio virtutes ipsas excitaſſem, aromata Sanctorum actuum non producerent: vnde idem est *Messui myrrham*, quod te metere feci, vel in te, & per te messui; sicut cum dicitur quod spiritus postulat pro nobis, id est postulare nos facit. Metit autem myrrham, quia, vt inquit D. Ambrosius, de-

Debono mortis c. 5. „ lectatur eo si quis mortificet peccatum suum, obli-
„ teret culpam suam, sepeliat atque abolefaciat ini-
„ quitates suas: myrrha enim est sepultura mortuo-
„ rum, &c. Metit etiam myrrham cum ex tribulationibus ingentem colligit patientiæ cumulum, & sui mortificationem quæ ad Christi ascendat similitudinem.

2. Sed cùm inquit, *messui*, indicat se etiam seminaſſe; falsum enim est quod piger seruus dicebat, *Metis vbi non seminasti, colligis vbi non sparsisti.* Ipse autem seminare dicitur, cùm intra animæ hortum semina sanctarum inspirationum iacit; semen enim est verbum Dei, verbum autem Dei internū est diuina inspiratio. Hæc etiam est quæ ipsas arbores virtutum quasi fœcundat, mouet & iuuat, vt suorum actuum fructus & odores emittant; cùm petebat vt surgeret aquilo, & veniret auster, ad sementem respiciebat, quæ fit cum labore & sudore; cùm verò veniſſe ad hortum dicit, ad tempus messis attendit, quæ fit cum gaudio, sicut scriptum est, *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*: cùm surgit aquilo tempus est probationis, quia tribulationes animam concutiunt; at cùm sponsus adest in horto, tempus est consolationis & fructus, qui ex labore præcedenti colligitur.

Matt. 25. v. 24.

Pſ. 125. v. 5.

3. Sed quid est quod sponsus septem aromata in horto suo numerans, vltimoq; loco collocans myrrham, & aloëm, solius myrrhæ in speciali meminit: cætera sub generali nomine comprehēdit? non ait, messui cyprum, vel nardum, sed myrrham cum aromatibus: sed causa est, quoniam myrrha quæ mortificationem carnis, sui ipsius abnegationem, ac baiulationem Christi crucis significat, quasi radix est aliarū virtutū, & comes earum. Ferè omnes enim aliquā mortificationē includūt. Quid enim est temperantia, nisi gustus abnegatio? quid castitas & cōtiētia, nisi carnaliū voluptatū extinctio? quid obedientia, nisi mactatio propriæ voluntatis? quid paupertas spiritus, nisi diminutio cupiditatis? qui igitur manipulos myrrhę colligit, simul omnes virtutes metit. Quod sic explicat Richardus, *messui*, inquit spōsus, *myrrham meam cum aromatibus*, quia simul cum amaritudine laborum confecta, & perfecta sunt in te virtutum aromata, & cum seruatis mandatis profecit sapientia; cùm enim mortificata fuerit carnalitas, & propria voluntas, tunc fluunt virtutum aromata, & per consummationem, & triumphum huius laboris, venitur ad culmen perfectionis: myrrham autem metit Christus, quando permissos labores perficit in anima, quibus ad virtutes & perfectionem pertingit, & eam suauiter roborat, vt delectabiliter agat, quæ prius horrebat.

Super Cāt. in c. 32. „ „ „ „ „ „ „

Sic ille. Myrrhę igitur specialem mentionem facit, vt ostendat quanti sui abnegationem faciat, vtpotè quæ culpæ tollit corruptionem, & inducit cordis munditiam: eadem enim de causa discipulis suis dixit, *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Abnegare se, & tollere crucem ad myrrham spectat, sequi verò Christum alia aromata virtutū, quibus ipsum imitamur, comprehendit; vt ostendat autem quanti ea faciat, sua vocat dicens, *Messui myrrham meam cum aromatibus meis*, quoniam omnia opera nostra ipse operatur in nobis, nosque ea ex eius auxilio facimus; vnde non metit aliena, sed propria; & quæ per inspirationem à suo diuino Spiritu procedentem seminauit, metit per operis exhibitionem, quam ipse præstat; sed quia peculiariter grata est sibi myrrha, à qua incipit eius sequela, ideò myrrhā nuncupat meam. Hinc est certum signum diuinæ visitationis, seu aduētus Dei in hortum animæ esse cum myrrha, fluit simul cum aromatibus, quæ ipse abundanter metere dicitur, eo quod ad eius præsentiam omnes sanctitatis pullulant affectus, & exercitia, maximè verò mortificationis quæ ad cæteras virtutes viam parat: qua etiam de causa paulò post sponsa manus suas distillasse myrrham primam inquit, cùm surrexit, vt dilecto qui præ foribus aderat, aperiret.

Matt. 16. v. 24.

Cant. 5. v. 5.

4. Sed adhuc aliquid amplius indicant verba ista; veniens enim sponsus ad inuisendam animam, noua secum affert dona & munera, quibus ditet illam, maximè quod cum Deus sit vbique præsens, tunc dicitur de nouo venire, vel adesse, cùm de nouo aliquid operatur, & animæ nouam gratiam confert. Quid ergo affert, cùm ait, *Messui myrrham meam cum aromatibus meis?* Profecto quidquid pro nobis in hoc mundo egit, & passus est, nimirum merita, & præclara mortificationis, humilitatis, & patientiæ, totiusque sanctitatis exempla: hæc inquit messui quæ sunt myrrha mea, & aromata mea, hæc tibi affero, tibi applico, tibi coram oculis mentis propono, vt corde tuo recolas, meditatione perscruteris, complectaris affectu, & opere sequaris, ex iisque tibi facias fasciculum myrrhæ, quem inter vbera tua portes, cuius odore corroboreris. In hoc igitur cognosces Christum animam tuam in oratione visitasse, si in ea ebullire incipiant huiusmodi virtutum & passionum Christi profundæ meditationes, & ardentia desideria, mortificationem Iesu in corpore tuo circunferendi, & currendi post eius vestigia in odorem vnguentorum eius, *Messui*, inquit, *myrrham meam cum aromatibus meis*, sed non messui mihi, sed tibi, non tam propter me, quam propter te, & propter bonum tuum; & quę messui mecum affero dum ad te venio, vt tu diteris illis, & perfectæ emissiones tuæ fiant sicut paradisus Dei: iunge nardum tuam cum nardo mea, myrrham tuam cum myrrha mea, virtutes tuas cum virtutibus meis, opera tua cum operibus meis; ex hac enim coniunctione maximum recipient valoris incrementum; meis etiam exemplis valdè animaberis ad progrediendum in virtutibus, metens myrrham tuam sicut ego messui meam, & colligēs aromata tua, sicut ego collegi mea, *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

Io. 13. v. 15. De hoc plura in Exhortat. sequenti.

Diuina visitatio dulcedinem prabet spiritualem quæ tribulationes dulcorat. §. 2.

PROSEQVITVR sponsus narrationem suam, dicens: *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici, bibite & inebriamini charissimi.* En cælestę conuiuium in quo Christus intrans in hortum Ecclesiæ, ipse comedit & bibit, & simul cum eo eius amici & charissimi eandem escam & eundem potum: vnde quæ de sponso dicuntur, de sponsa etiam intelligēda sunt. Sept. vertunt. *Comedi panem cum melle meo*, quam translationem non solum Patres Græci, sed ex Latinis nonnulli sequuntur, maxime D. Ambrosius, forte quia nomine panis in scriptura sæpius omnis cibus significatur, cibusque suauis qualis in epulis

Gen. 43. v. 3. datur conuiuis, vt cum Ioseph dixit: *Ponite panes.* Inuitauerat sponsa dilectum suum vt in suo horto comederet fructum pomorum suorum, ille venit & inuitat eam lautiori conuiuio; ad fauum mellis,

1. vinum & lac, sed cur non ait veni, & comedi fructum pomorum meorum sicut sponsa petierat; sed

Hom. 10. in Cant. potius, *Comedi fauum cum melle meo?* Respondet D. Gregorius Nyssenus per hoc significari diuinæ visitationis efficaciam, suo enim aduentu efficit vt arbores pancm ferant mixtum cum melle suo. Ex ipso enim & per ipsum, & in ipso sunt omnia, atq; adeo vbi ipse ingressus est hortum, in omne genus nutrimenti plantas transformat. Aut etiam significat quod suo aduentu nouam quandam dulcedinem cibis apponit, & ea quæ conuiuio desunt, supplet. Inuitatur ad poma, sed ipse affert fauum, mel, vinum, & lac: cum autem ait, *Comedi & bibi*, duplicem habet sensum. Prior vt sonat, quia ipse Dominus spiritualiter hos cibos comedit & bibit cum nostris operibus delectatur ac satiatur; & propter intimam amoris vnionem cum sponsa, quod illa comedit ipse comedere dicitur. Posterior sicut de verbo *Messui*, diximus vt idem sit ac, te feci comedere, & bibere, vel in te & per te comedi & bibi, nam ipse est qui cibos spirituales nobis apponit, & intime auxiliatur vt eos comedamus, eiusque virtute & gratia comedimus, & hic est præcipuus & iucundus diuinæ visitationis effectus.

Per hoc igitur quod ait, *Comedi fauum*, &c. summam spiritualem dulcedinem quam sua visitatione affert, nobis indicat; quæ adeo magna est, vt amara in dulcia cōuertat. Dixerat prius, Messui myrrham meam quæ amaritudinem tribulationis significat: imò inuitatus erat à sponsa vt veniret in hortum, & comederet fructum non solum pomorum, sed (vt Sept. vertunt) nucum eius; nuces autem acerbæ sunt, & insipidę, nisi melle vel saccaro ad ignem decoctæ condiantur, & omnem acerbitatem in mellis vel saccari dulcedinem conuertant. Tam magnam ergo Deus visitans animam infundit ei spiritualem dulcedinem, vt amaritudinem myrrhæ dulcoret, & omne gaudium existimet sicut Apostolus ait, in varias incidisse tribulationes. Et sicut scriptum est,

Iac. 1. v. 2. Deut. 33. v. 19. *Fundationem maris quasi lac sugent.* Quoniam inundans, & amara tribulatio velut mare, ita erit eis dulcis quod sugant illam ac si esset lac. Quemadmodum sugebat Paulus cum dicebat: *Repletus*

2. Cor. 7. v. 4 *sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Et martyres qui in tormentis lætabantur, sicut beatus Laurentius qui in craticula assatus gratias agebat, & Deum laudabat. Tantoque Deus perfunditur gaudio cum electos suos in persecutionibus gaudentes conspicit, vt tunc dicatur come-

Assatus gratias ago. Pſ. 90. v. 15. dere fauum cum melle suo, & bibere vinum cum lacte suo, quo signo testatur cum illis esse in tribulatione, suaque efficere dignos præsentia. Ex eadem causa Christus Dominus passionem suam amariſſimam calicem vocabat, non exprimens quid calix ille contineret; nam licet quod continebat amarum esset velut myrrha & fel ipsi carni & animæ secundum portionem inferiorem, erat tamen sicut vinū & lac portioni superiori, & ideo dilectos discipulos sub hac forma ad suę passionis imitationē inuitabat, dicens: *Potestis bibere calicē quem ego bibiturus sum?* Matth. 20. v. 22.

Hoc tamen aduertere oportet ipsam tribulationis amaritudinem esse à nobis amādam & quærendam, nullo habito respectu in intentione & affectu ad sensibiles consolationes, quas Deus solet superaddere. Nam quærere tribulationes ad experiendum in eis gaudium, magis esset gaudium querere, & non sui abnegationem, & omnimodam mortificationem desiderare. Ideoque prius sponsus ait; *Messui myrrham meam*; deinde addit, *Comedi fauum cum melle meo*, vt significaret eo nos animo esse debere, vt propter Christum myrrham amaram metamus, etsi non sequeretur manducatio faui & mellis. Sequetur tamen ex Dei benignitate quando & quomodo oportuerit. Hæc de sensibili consolatione dixi, qua etiam caruit Dominus in passione sua, siquidem dixit tristem esse animam suam vsque ad mortem. Nam consolatio spiritualis quæ in omnimoda promptitudine, & conformitate propriæ voluntatis cum diuina consistit, semper est optanda & quærenda, & hæc est preciosior fauus ac dulcius mel quod spiritus gustat, etsi non caro. Nam spiritus tunc promptus est, caro autem infirma.

Sed oportet etiam perpendere pronomen illud vtrobiq; repetitum, *Myrrham meam, & mel meum.* Etenim non omnem myrrham dulcorat Christus nisi tātum suam, nec eam dulcorat alio melle quam suo. Peccatores enim & prophani homines etiam metunt sibi myrrham, sed myrrham suam, quoniam multas ærumnas patiuntur propter peccata, quę seminarunt. Qui enim seminat culpam, acerbam metit pœnam, ipsi vero has ærumnas dulces reddere studeant, terrenis quibusdam consolationibus quas mel suum appellare poteris; sed cū non sit pax impiis, non potest esse illis vera lætitia & cordis consolatio. Iusti autem metunt sibi myrrham Christi, cum pro eius honore, & dilectione varias patiuntur calamitates, quas ipse Christus dulces reddit melle suo; diuina de superis infusa lætitia, & gaudio; sicut, *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*; non itaque passio amara, sed passionis causa eos gaudentes reddebat, & passionis amaritudinem dulcorabat. Propter quod inquit Diuus Petrus. *Communicantes Christi passionibus gaudete. Si exprobramini in nomine Christi beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius spiritus requiesset super vos.* Vbi satis insinuat myrrham cum melle, id est, tolerantiam tribulationum cum gaudio signū esse diuini spiritus præsentis qui visitauit & requieuit super iustum. O felix myrrhę messio quam tam dulce sequitur conuiuiū. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo* (canebat Psaltes) *consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*, at Paulus superabundare dicit gaudio. Idque spōsus testatur, nam pro messione myrrhæ opiparum parat conuiuium, in quo apponit fauum, mel, vinum, & lac, vt omnimoda abundet consolatione.

Act. 5. v. 41.

1. Petri 4. v. 13.

Pſ. 93. v. 19.

Visitatio Dei eandem confert dulcedinem bonis operibus, præcipue misericordiæ. §. 3.

SED vlterius etiam diuina visitatio hanc infundit dulcedinem aliis studiosis operibus, ad quæ suo aduentu exhortatur animam, eique esuriem & vehemens eorum desiderium infundit, vt auide ea faciat, & eis pascatur; quibus etiam ipse Deus pascitur, & delectatur, velut comedens fauum mellis, & bibens vinum & lac. Descendat (ait Ambrosius) dilectus in hortum suum, vindemiet fidem, capiat odores, pabulum cælestè reperiat, suauitatem nostri mellis epuletur, dicens: *Vindemiaui myrrham meam cum aromatibus meis, manducaui panem meum cum melle meo.* Quod diuersarum virtutum concretum floribus illarum apum quæ sapientiam prædicant, consono opere congregatam sancta Ecclesia in fauis condit, vt cibus Christi sit, & alibi idem; descēdit sponsus in hortum suum & fructuum eius diuersitate delectatus, lætatur quod inuenerit fortiorem cibum, inuenerit etiam dulciorem; est enim velut panis quidam verbi & mel, alius vehemētior, alius suauorius sermo. Est & fides alia feruentior vt vinum, alia lucidior vt succus est lactis. Hūc cibum Christus epulatur in nobis, hoc poculum bibit, & eius potus ebrietate nos prouocat, vt ad meliora & optima ab his inferioribus faciamus excessum. Hęc ille.

Lib. 3. de Virginibus post medium

Lib. de Isaac & anima, c. 5.

Quatuor dulces virtutes post messionem myrrhæ.

Post messionem ergo myrrhæ quæ virtutes indicat de se amaras carni, quatuor commemorat dulciores quibus maxime delectatur, quia in eis potissime nostra consistit perfectio. Fauus plures cellulas melle plenas continens charitas est fraterna, & vnio proximorum ex corde: mel autem profluens misericordia est, & beneficentia circa alios, nam iucundus & dulcis est homo qui miseretur & commodat. Vinum, vehementem spiritus feruorem significat circa ea quæ Dei sunt: lac autem infantilis innocentiæ candorem sine dolo & malitia, vt nullum decipiat, sed in simplicitate cordis cum aliis conuersetur. Hæc si adsint, præsentiam sponsi intra animæ hortum existentis satis indicant.

Psal. 111. v. 5.

De operibus misericordiæ.

Specialiter autem D. Ambrosius, & Gregorius Nyssenus, opera misericordiæ hic commendari dicunt, loquitur enim sponsus qui in die iudicij testatur, *Esurini, & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere*, &c. *Nam quandiu fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis*; in pauperibus ergo manducat spōsus panem vel fauum cum melle suo, & bibit vinum cum lacte suo, & quod illi comedunt ipse comedere dicitur, & visitans animam, eam exhortatur ad hæc opera patranda quibus maxime reficitur & iucundatur testimonium intus perhibens quod per illam & eius ministerium ipse comedit fauum, &c.

Lib. de iis qui initiantur mysteriis, c. 9.

Hom. 10. in Cant.

Matth. 25. v. 35.

Quatuor autem insignes misericordię proprietates his verbis insinuantur. Prima quod sit hilaris largitio & iucunda beneficentia, *Hilarem enim datorem diligit Deus*: vnde fit quod quidquid tribuit dulce & suaue, velut fauus, & mel, vinū & lac, & quamuis panem tantum det, cum ex hilari misericordia tribuit, panem cum melle dat, est enim misericordia velut fauus fluens qui omnia indulcorat, quæ tangit, inde oritur esse larga & munifica secundum vires iuxta illud Thobiæ: *Quomodo potueris ita esto misericors: simul tum tibi fuerit, abunde tribue, si exiguum tibi fuerit etiam exiguum libenter impertiri stude.* Ac si dicat vt sponsi verbis ea accommodemus: si habes parum mellis, illud libenter elargire, at si habes fauum melle plenum fauum ipsum tribue, vt spōsus dicat, *Comedi fauum cum melle meo*: Id est vberi misericordia pastus sum in pauperibus, & valde iucundatus, nec sat est dare cibum, sed etiam potum, nec potum aquæ si habes vinum, sed potum vini. Si enim potum aquæ frigidæ Deus remunerat vt tribuens illum non perdat mercedem suam, quanto magis si calicem vini exhibeat? at larga hæc benedictio, & eleemosyna debet esse pauperi accommoda, vt lac detur indigenti lacte, panis vero ei qui solido indiget cibo, & sic erit ei vtilior.

2.Cor. 9. v. 7

Tob. 4. v. 8.

Matth. 10. v. 42.

Sed hæc duo facillima erūt consideranti tertium quod significatur pro nomine *meo*, toties repetito. Mel enim, & vinum, & lac, & quidquid pauperibus tribuis, non est tuum, sed Dei, & cum Christus illa accipit & comedit, comedit fauum cum melle suo, & bibit vinum suum cum lacte suo, non tuo, nisi quatenus tu ab illo recepisti quidquid habes, vt etiam ex eis aliis tribuas. Si ergo eleemosynam faciens consideres quod proprio Domino tribuis id quod suum est, nūquid non hilariter, libenter, & affluenter tribues? maxime cum sit tam munificus vt plus retribuat quam à te accipiat, & cum magno fœnore cuncta reddat; nam se inuitantes reinuitat, & dicit: *Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi*, id est, vos qui tanquam amici & charissimi mei mihi tribuistis quod comederem & biberem; comedite & bibite, & insuper inebriamini, id est abundanter & vsque ad satietatem replemini. Sicut scriptum est; *Alij diuidunt propria & ditiores fiunt, &c. anima quæ benedicit impinguabitur, & quæ inebriat inebriabitur.*

Prou. 11. v. 24.

3.

Solum superest vt pura & simplex sit intensio in eleemosyna elargienda propter Dei gloriam, sine vlla inanis gloriæ mixtione, quod deducit D. Gregorius Nyssenus ex illo, *Bibi vinum cum lacte meo*, sic enim ait; sitiui & potum mihi dedistis vinum cum lacte temperatum, non cum aqua vt mos est cauponum; lac autem est primum nutrimētum humanæ naturæ purum, & molle, & vere infantile, & sine dolo, & vere expurgatum ab omni mala causa. Hæc ille. Vinum cum aqua mixtum tribuunt hypocritæ cum opus faciunt misericordiæ quod charitatis imaginem præse fert, sed ex fine inanis glorię quæ velut aqua vinum extenuat, aut corrumpit. Quibus dictum est: *Receperunt mercedem suā*, quia amiserunt æternam. Huiusmodi enim vinum non bibit sponsus, sed respuit. Tantum enim bibit vinum suum cum lacte suo puro quod & aquæ & lacti falso peccatorum aduersatur, de quo dicitur, *Fili, cum te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.*

4.

Mat. 6. v. 2.

Prou. 1. v. 10

D

De operibus vitæ contemplativæ, & dulcedine eorum. §. 4.

SED adhuc iucundius hic latet conuiuium, Deus enim visitat iustos qui versantur in operibus vtriusque vitæ actiuæ, & contemplatiuæ, vt eis in suis operibus auxilietur. Actiua per messionem myrrhæ cum aromatibus congrue significatur, contemplatiua vero per epulas faui, & mellis, vini & lactis. Illa præcedere debet hanc, sicut labor quietem, & operatio refectionem; indignus enim est manducare qui negligit laborare: sicut scriptum est, *Si quis non vult operari, non māducet*, & qui noluerit myrrham cum aromatibus metere, fauum cum melle non manducabit. Propterea sponsus prius se messuisse dixit, deinde comedisse, & qui

Tres partes apud Theodor. & Richard. de S. Vict. 2. ad Thes. 3. v. 10.

myrrham metit, fauum comedit, quia merces laboris qui affligit, est comestio faui qui iucunde per contemplationem reficit. Habet autem contemplatiua vita duos præcipuos actus qui ad cognitionem spectant, vnde amor & affectus voluntatis prodit; nimirum meditationem & contemplationem perfectam. Illa est sedula inquisitio occultæ veritatis quæ fit cum discursu intellectus, non sine labore & mora, & ideo optime comparatur comestioni. Nam qui comedit aliquantulum, etsi cum delectatione laborat, dum cibum intra os versat, dentibus conterit, & per gulam trāsmittit in stomachum. Contemplatio autem est simplex intuitus æternæ veritatis sine multiplicitate discursuum: & ideo dulcior est & facilior, comparaturque egregiè potioni, quæ sine labore & mora molesta fit; & sicut prius est manducare quam bibere, sic meditationis studium præcedit contemplationis perfectæ exercitium, & per illam peruenitur ad istam.

A

B

1. Lib. 7. exh. §. 3. Circa id, *Fauus distillans labia tua, mel, & lac, &c.* Lib. 11. c. 12.

Materiam autem meditationis triplicem prænscribit, cum ait: *Comedi fauum cum melle meo.* Primo fauus cum melle est Christi humanitas cum diuinitate, quoniam vt superius diximus ex Plinio, apes mel colligunt ex rore de cælo descendente super flores, materiam vero faui quæ cera est, ex ipsis floribus vel eorum succo; & ideo merito hic humanitatis, illud vero diuinitatis est symbolum quæ ipsa est dulcedo per essentiam. Vnde cuncta alia dulcedinem participant. Qui ergo meditationi incumbit, curare debet vt fauum cum melle comedat, id est mysteria Christi hominis simul cum deitatis mysteriis scrutetur, & assequatur; singula spiritualibus dentibus conterat, & sibi per intimam cognitionem, & affectionem adiungat, eisque reficiatur, & vires resumat ad Christum sequendum, & Dei implendam voluntatem.

C

2. Ezech. 3. v. 3. Ioan. 10. v. 10. Serm. 69. in Cant.

Deinde materiam meditationi præstat satis vberem scriptura sacra omnia continens fidei mysteria: vnde fauus cum melle est cortex literæ cum spiritu. Litera sola aliquando est velut fauus siccus & aridus, qui vix potest comedi, & nonnunquam occidit, si spiritus melle destituatur, maxime in iis quæ ad vetus testamentum pertinent, & obscuris metaphoris rerum temporalium arcana Christi reuelant. Qui ergo meditatur illa, comedere debet fauum simul cum melle, vt literam penetret, spiritum inuestiget, & gustet, & sic liber comestus erit dulcis tanquam mel, sicuti Ezechieli fuit & Ioanni. Quod præstat diuina visitatio sicut eleganter docet D. Bernardus sic dicens: si sensero aperiri mihi sensum vt intelligam scripturas, aut sermonem sapientiæ quasi ebullire ex intimis, aut infuso lumine desuper reuelari mysteria, aut certo expādi mihi quasi quoddam largissimum cæli gremium, & vberiores de sursum defluere animo meditationum imbres, non ambigo sponsum adesse. Verbi si quidem hæc copiæ sunt, & de plenitudine eius ista accipimus: sic ille.

D

3. Ybi supra,

Tertia denique meditationis materia quæ simul est finis, & fructus, vocatur etiam fauus cum melle, id est veritas cum virtute, seu cum virtutis affectu. In meditatione enim maxime ponderandæ sunt veritates quæ illustrant intellectum, & Christi atque sanctorum virtutes quæ inflammant voluntatem, & ad imitationem efficacius mouent, quæ meditationis est fructus & scopus. Diuina enim visitatio ideo meditationes veritatem manifestantes infundit, vt virtutes generet. Quod idem D. Bernardus docet post recitata verba hæc addens. Quod si pariter se infuderit humilis quædam, sed pinguis intimæ aspersionis deuotio, vt amor agnitæ veritatis necessarium quoddam odium vanitatis in me generet, & contemptum, ne forte aut scientia inflet, aut frequentia visitationum extollat me, tunc prorsus paterne sentio agi mecum, & patrem adesse non dubito. Si autem perseuerauero huic dignationi dignis semper (quod in me est) affectibus & actibus respondere, & gratia Dei apud me vacua non fuerit, etiam mansionem apud me faciet, tam pater nutriens, quam verbum erudiens. Sic Bernardus. Cuncta autem hæc comprehendit quod dicit sponsus, *Comedi fauum cum melle meo*, id est, te eum comedere feci, eo nutriri, roborari, & ad virturem excitari feci. Egoque simul hoc tuo profectu delectatus sum & pastus.

4. Ex meditatione ad contemplationem ascenditur quæ significatur per potum: *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Vinum & lac idem significant quod mel & fauus: nam meditatio & contemplatio circa eadem mysteria versantur, illa inquirendo, hæc intuendo, & inuentis fruendo. Vinum fortiora mysteria Dei & Christi repræsentat. Lac vero infantilia ipsius. Vinum sublimiorem doctrinam Euangelicam, & maiora dilectionis præcepta, lac autem faciliora, & omnibus communia. In vtrisque contemplatio proficit, sed maior eius perfectio in affectu & amore vehementi consistit, quod vinum indicat cum abundantia diuinæ consolationis quæ in lacte designatur, sicut D. Thomas testatur cum D. Gregorio dicente: contemplatiua vita est charitatem quidem Dei & proximi tota mente retinere, ab exteriore actione quiescere, soli desiderio conditoris inhærere, vt nihil iam agere libeat, sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem sui creatoris animus inardescat. Et aliquantulum post subdit; contemplatiua vita amabilis valde dulcedo est, quæ per semetipsam animam rapit, cælestia aperit, terrena autem debere esse contemptui ostendit. Qui igitur perfectam obtinet contemplationem vinum cum lacte bibit, quia amorem Dei vehementem cum cælesti eius dulcedine adipiscitur, tanquam introductus in cellam vinariam, vbi charitatis vexillum eleuatur, & eius ordinata acies more construitur, sicut suo loco dictum est.

2. 2. q. 180. ar. 1. & 7. Hom. 14. in Ezech.

Cant. 2. v. 4. Lib. 4. in id, *introduxit me in cellam vinariam.*

Ad hæc autem nullus idoneus est nisi ipse sponsus inuitet, apponat mensam, exhibeat proprium fauum suum, vinum & lac, suum inquit, vt discriminet à fauo, vino & lacte quod propinat diabolus, mundus, & caro, quod dulce videtur, sed in nouissimo mordet vt coluber, & sicut regulus venena diffundit. Suum autem cor hominis lætificat, & omnibus bonis replet: est enim vinum Spiritus sancti à quo est omnis gratiarum plenitudo.

Qui potissime ad hoc conuiuium spiritale inuitentur. §. 5.

SED iam quos inuitet perpendamus. *Comedite* (inquit) *amici, bibite & inebriamini charissimi.* Septuaginta vertunt, *Comedite proximi, bibite & inebriamini fratres*, amor enim vehemens cuncta epitetha dilectis suis tribuit, quæ solent esse dilectionis signa; amicos vocat qui eum diligunt, & ex amore eius implent voluntatem; charissimos vero specialiter ab illo dilectos qui singularem coram eo gratiam inuenerunt. Illi inuitantur ad comedendum & bibendum ex fauo & vino, quod communiter ad refectionem iustis exhibetur. Ac si diceret (inquit) Diuus Ambrosius) *Gustate & videte quo-*

Lib. de iis qui initiantur mysteriis, c. 9. & 15. Psal. 33. v.

niam suauis est Dominus.* Et hoc spirituali cibo & poculo saturamini. Hi autem ad maiorem vocantur gratiam, quod est inebriari, id est cum magna plenitudine & abundantia vsque ad satietatem refectionem istam sumere. Charissimis enim suis vberiora Deus cum eos in contemplatione visitat, elargitur dona; vt illo musto quo Apostoli in die Pentecostes inebriati erant, repleantur: de quo Apostolus inquit, *Nolite inebriari vino in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.* Hoc enim vinum sponsi non inebriat fœda ebrietate, quæ iudicium rationis euertit, & discretum linguæ vsum tollit; sed diuiniori modo dum rerum temporalium efficit obliuionem, & cor expeditum reddit vt soli Deo colloquiis vacet, & affectibus diuini amoris, eiusque effectibus superabundet, & supereffluat. Vnde quia vox Hebræa *Dodim*, quam vulgata transfert charissimi, significat amores, & quia nominum Hebræorum casus non distinguuntur terminatione, multi legunt, *Inebriamini amoribus*, phrasis enim est vsitata scripturæ vt cum dicit: amores eius inebrient te, *Et vini inebriemur vberibus*, id est amoribus. Quid est autem inebriari diuinis amoribus, nisi inebriari Spiritu sancto & omnibus affectibus & operibus illius? vt nihil in anima vrgeat nisi Dei amor, ille totum cor repleat, & omnes potentias ad se rapiat.

Ad Ephes. 5. v.18.

Vide Rio, Genebrardum, & alios.

Prou. 5. v.29. & c.7. v.18.

Ad tria ergo quasi gradatim inuitare videtur. Primo comedite amici fauum cum melle meo, cuncta mea mysteria meditantes, & opera sanctitatis & misericordiæ largiter exercentes: deinde bibite vinum meum cum lacte meo: ad perfectionem conuiuij adiungentes quietam contemplationem cum feruenti charitatis amore, & spirituali dulcedine, & tandem inebriamini amoribus, ad supremum dilectionis gradum ascendentes, vt nihil nisi quod dilectio exigit operemini.

Sed cur quæso non inuitauit ad metendum sicut ad comedendum? non enim ait, metite & comedite, sed tantum comedite. At hoc vehementiam amoris indicat, quæ dilectam ad dulcia inuitat, sibi reseruans aspera. Certus enim est quod dilecta videns eum laborem metendi assumere, illius vestigia sequetur, maxime cum sciat nonnisi per laborem peruenire posse ad conuiuium; vnde dum ad cõuiuium inuitat, tacite ad metendum prius inuitasse censendus est. Imo hic ideo ad prandium vocat, quia labor messis præcesserat, cui requies debebatur & refectio.

Sed non displicet alia interpretatio D. Anselmi, vt per amicos intelligamus iustos qui propriæ tantum perfectioni incumbunt; per charissimos autem pastores & doctores, perfectosque viros, qui tam propriæ quam proximorum vacant saluti. Cui fauet versio D. Ambrosij, qui legit, *Inebriamini patres.* Quos non tantum comedere & bibere sed inebriari oportet. Verbum enim inebriandi in scriptura nõ solum refertur ad potum, sed ad cibum affluenter & opipare sumptum: sicut cum dicitur, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Quidquid ergo per fauum mellis & vinum cũ lacte significari diximus, abundanter comedere & bibere debent præsules & doctores, vt alios doceant, & ex abundantia cordis os loquetur: propter illos enim dictum est vt supra exposuimus, *Fauus distillans labia tua, mel, & lac sub lingua tua*; ideo enim, mel, & lac, sub lingua habent, quia prius comederant, & intra cor retinebãt illud. Vnde D. Ambrosius supra iam citatus varios hic sermonum gradus intelligit, quos doctores concipiunt, & ore proferunt, vt aliis prosint. Quod amplius alibi sic explicat. Sermones (inquit) cibos esse docet Salomon, dicens; *Faui mellis sermones boni.* In illo ergo horto sermones boni sunt; est sermo fortior, qui cõfirmat cor hominis validioribus scripturæ cælestis alimentis: est etiam sermo suasorius dulcis vt mel, & tamen peccatoris conscientiam in ipsa suauitate compungens. Est etiam feruentioris spiritus sermo, qui inebriat sicut vinum, & cor hominis lætificat; est etiam lacteus, sermo purus & candidus. Hos cibos dulcium vtiliumq; sermonum epulandos sponsus proximis suis dicit, *Edite proximi mei, bibite & inebriamini fratres mei.* Bona ebrietas quæ ad meliora, atque iucunda facit quendam mentis excessum, vt immemor solicitudinum animus noster vino iucunditatis hilaretur. Hæc Ambrosius, & plura alia in hunc scopum prosequitur. Cum autem Deus ad has epulas inuitat, congruum etiam auxilium offert ad eas sumendas, imo visitatione sua, desiderium huiusmodi infundit, vt hilariter se ad his bonis fruendum præparent, per vberem myrrhæ suæ messionem. Audiamus ergo sponsi vocem, & tales nos exhibere curemus, vt dignetur nos inuisere, hoc nobis dulcissimum conuiuium faciens in terris, donec plenissime eo fruamur in cælis, in secula seculorum. Amen.

Pro Doctoribus, ita D. Anselmus, & Iustus Orgelitanus

Lib.1 de Caim & Abel, c.5.

Ps.67. v.18.

In §.4. Lib. de Isaac c.5. Lib. de Bono mortis, c.5.

Prou. 16. v.24.

Serm. 13. in Ps. 118. vers.7.

EXHORTATIO III.

De desiderio Aduentus Domini in carne quo flagrabat Ecclesia, & B. Virgo Maria; de modo quo in eius vtero conceptus est, & de ijs quæ egit & pertulit vt electos sibi aggregaret.

PRO ANNVNCIATIONE B. MARIÆ.

Veniat dilectus meus in hortum, &c.
Veni in hortum meum soror mea, &c.

EGREGIE his depingitur verbis ardens desiderium quo flagrabat Ecclesia Aduentus Christi, & beatissima Virgo, potissime eo iamiam appropinquante; quo etiam flagrat quotidie vt veniat ad opus suæ redemptionis in omnibus electis consummandum vsque ad finem seculi: vt constat ex adiuncta protinus responsione sponsi, *Veni in hortum meum.* In qua eleganter describit modum quo sponsæ desiderium expleuerit. Vocatur autem hortus vel vterus Virginis quę fuit illi instar horti conclusi, & Dei paradisi, vel ipsa Ecclesia quam plantauerat in mundo, vel mundus quem creauerat ad gloriam suam, ex quo desumẽdi erant electi aggregandi sibi & Ecclesiæ per fidem & dilectionem. Quoniam autem de hoc mysterio plurima sæpius dicta sunt, vt breuitati consulamus ab eo tẽpore inchoemus, quando iam venire decreuerat, & Angelum misit ad B. Virginem Mariam vt suum aduentũ per assumptionem carnis ex ea illi annunciaret.

Quomodo facta annunciatione Dominicæ incarnationis, incarnatio ipsa desiderata sit à Virgine, & effecta à Deo. §. 1.

PERACTA igitur ab Angelo huius mysterij annunciatione eo modo quo D. Lucas eam narrat; Luc 1. v.26.

cælestis sponsus verba paulo ante commemorata, ita locutus est: *Surge aquilo, veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Diximus ad calcem libri præcedentis ex D. Ambrosio, & D. Paulino Spiritum sanctum secundum duos eius effectus per hos duos ventos designari. Per aquilonem quidem, vt refrigerat, vel prorsus extinguit ardorem carnalis concupiscentiæ; per austrum vero, vt ad Dei amorem & obsequium inflammat. Vtroque modo venit in beatissimam Virginem cum annunciata ei fuit conceptio filij Dei. Cum enim Angelo dixisset: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* respondit ei Angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Hoc est, Spiritus sanctus, nouo modo superueniet in te, vt maioribus te cumulet donis, cõceptionemque istam operetur, & sanctam faciat: virtusque omnipotens Altissimi obumbrabit tibi, & in hac conceptione omnem prorsus extinguet ardorem carnis, vt nihil in ea carnale sit, nihil quod libidinis vel concupiscentiæ æstum excitet. Ita interpretantur D.[a] Ambrosius, & D.[b] Augustinus. Sicut enim vmbra corporis opaci protegit à solis ardore, ita virtus Dei obumbrauit Virginem dum concepit, ne ardor concupiscentiæ eam tangeret. Nam licet hic æstus ab initio in ea esset extinctus, tamen quia in conceptione filij solet in fœminis excitari cum modo sit naturali, ad explicandum conceptionem istam supernaturali, & insolito modo fore perficiendam, dicitur Virgo obumbrata fuisse, sicut prędixerat Abachuc. *Deus ab austro veniet, & Sanctus de monte Pharam, seu monte vmbroso.* Ad hunc igitur austrum respiciens cælestis sponsus inquit; surge spiritus diuine, & perfla hortum hunc meum instar aquilonis refrigerantis. Veni etiam, & perfla illum instar austri humidi & calidi qui arbores suo fœcundat humore ac parturire facit. Et sic fluent aromata illius. Quæ aromata? quæ Virgo gloriosissima eructauit ore suo, cum dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* En fragrantissima aromata humilitatis & fidei, obedientiæ & charitatis, omnimodæque resignationis in Domini voluntatem, quæ miro modo multo ante corde conceperat; sed flante austro diuini spiritus in hac annunciatione foras prodierunt, tanquam aromata quæ ex arbore fluunt; quorum tanta fuit fragrantia vt quod Angelus nunciabat in opus deduceret, vt ex ea flueret diuinum aroma Verbum Dei caro factum, in quo omnia aromata continentur.

1. Lib.7. exh. 33. § 3.

Quomodo Spiritus sanctus superuenit in B. Virginẽ.

a Lib. de iis qui initiantur, c.3.
b Lib. 50 hom. homilia 44 & Epist 57 ad Dardanum. de quo supra in id, *Lectulus noster floridus, seu ad lectulum nostrum vmbrosus.*

Abacuch 3. v 3.

2. Hinc deducendum est Virginis desiderium & humilis precatio audito Angeli nuntio, vt Deus ad eam veniret, & carnem ex ea assumeret. Possunt enim prædicta verba ei optime tribui. Quod enim dixit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum:* idem est ac si dixisset, *Surge aquilo, & veni auster,* surge diuine spiritus, vt munus tuum in me perficias, perfla virtute tua hortum meum vt iuxta verbum Angeli, fluant aromata illius, & ex meis sanguinibus verbum assumat carnem, & ego concipiam filium Dei. Fluant etiam ex meis vberibus riui lactis, sicut riui aromatũ, vt nutriam illum: & fluant denique omnia ministeria quæ decent tanti filij matrem. Et hoc ipsum etiam est quod nunc ait clarius, *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum?* quid est veniat, nisi quod dixit Angelo, fiat mihi secundum verbum tuum? nam vox, *Fiat*, vel est optantis & desiderantis id fieri sicut docet D.[a] Ambrosius, vel potius orantis & deprecantis, vt dicit D.[b] Bernardus; est etiam cõsentientis vt testatur D.[c] Augustinus. His etiam modis ait; veniat dilectus meus in hortum istum suum, & quidquid in eo est pretiosum & delicatum sibi accipiat, comedat & in vsus suos transferat. Id enim vt diximus, complectitur fructus pomorum. Quid autem hæc precatio includat, melius intelligitur ex eo quod mox factum est, cum verbum diuinum venit in hortum Virginei vteri: tunc enim fructum eius comedit, quando purissimum Virginis sanguinem in suam substantiam conuertit; quando nouem mensibus intra ipsam existens ab ipsa ex proprio alimento nutritum est; quando tribus annis lac ex eius vberibus sugebat; & (quod ipsi Christo multo suauius erat, eamque reddebat feliciorem) quando ex præclarissimis & iucundissimis eius affectibus, & operibus spiritualiter reficiebatur, epulabatur, & delectabatur. Nullus enim Angelorum vel sanctorum hominum pretiosiores, & suauiores Deo epulas obtulit quam Deipara, vnde etsi ad omnes vt diximus veniat, & eorum fructus comedat, nullos tamen auidius quam quos mater offerebat.

a In Lucã.
b Hom.4. in Missus est.
c Serm.17. de Sanctis.

3. Sed peculiarem emphasim habet vox, qua Septuaginta vtuntur: *Descendat fraternus meus in hortum suum,* quo verbo *descendat*, vsa est sponsa iterum cum dixit: *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum*: nam cum descendere sit de alto in imum venire, expressius significat mysterium incarnationis quo Dominus propter nostrã salutem descendit de cælis; & insuper exinaniuit & humiliauit semetipsum, formã serui accipiens, vt nos exaltaret & saluos faceret. Sic D. Nyssenus ait, descensum istum significare opus benignitatis & charitatis in homines, quoniam fieri non potest vt aliter assumamur ad altissimum, nisi inclinetur ad humilitatem & depressionem ipse Dominus qui mites assumit. Summa autem Dei humiliatio & depressio fuit cum descendit vt frater noster per assumptionem carnis mortalis efficeretur, & ad hoc insinuandum ait: *Descendat fraternus meus in hortum suum,* non solum in vterum Virginis, sed etiam in hortum Ecclesiæ vt tanquam verus Deus & homo inter homines conuersetur.

Cant. 6. v.1.

Hom.10. in Cant.

Et insuper, *Comedat fructum pomorum suorum,* scilicet eorum quæ ipsemet producturus est; ad cuius intelligentiam oportet aduertere Christum Dominum qui vt Deus sponsus dicitur, & frater vt homo per assumptionem carnis in vtero Virginis, etiam factum esse velut præcellẽtissimam arborem fructiferam, seu pomiferam, de qua supra sponsa dixerat; *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios*: & rursus, *& fructus eius dulcis gutturi meo.* Fructus autem huius mali vt suo loco diximus, fuit quidquid mirabile gessit, vel passus est ex nimia sua erga nos dilectione, & pro nostra salute, hunc fructum auide comedebat, eo quod ita delectabatur vt cibum corporalem negligeret, sicut Apostolis dixit. *Ego alium cibum habeo manducare quem vos nescitis, cibus meus est vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius.* Scilicet patiendo, orando, docendo, laborando, & cuncta peragendo quæ necessaria sunt ad hominum salutem & mundi redemptionem. Ad hunc autem cibum comedendum de cælo venit, sicut idem testatur, dicens: *Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.*

Altera expositio fructus pomorum.

Cant. 2. v.2.

Ioan. 4. v.32.

Ioan. 6. v.38.

Hoc igitur est quod sponsa ait; veniat dilectus meus per assumptionem carnis in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum, id est omnium operum quæ pro salute nostra facere, vel

afflictionum quas perpeti decreuit; tot enim protulit poma, quot passiones pertulit, quot sermones prædicauit, quot patrauit miracula, quot fudit orationes, quot denique actus humilitatis, obediétiæ, misericordiæ, & patientiæ exercuit, eadem comedit, cum illis maxime delectabatur, & reficiebatur aliquid sibi adquirens ad gloriam patris.

Quomodo Deus assumpsit carnem mortalem, & amara pro nobis dulciter pertulit.
§. 2.

HÆc præcellentius explicat ipsa sponsi responsio: *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus.* Septuaginta vertunt, *introiui in hortum meum soror mea sponsa, vindemiaui myrrham meam cum aromatibus meis.* Veni, inquit, quia in eodem instanti quo Virgo assensit, perfecta est incarnatio. Sororem vocat vt homo, propter communionem in eadem natura tunc factam: sponsam vero vt Deus, quia per eam mirabilem istam operatus est conceptionem, deinde circunstátias explicat carnis assumptæ. Assumpsit enim non quamcumque carnem, sed mortalem & passibilem quæ per myrrham designatur, quam omnium virtutum & gratiarum aromata quæ ex vnione ad verbum prodierũt, comitata sunt. Quod sic explicat D. Athanasius, in proprium hortum creaturam videlicet ingressus Deus, carnem sibi ex Virgine assumpsit, & homo factus est, mortale quidem corpus erat, verum cum fragrantia sacrosanctissimi verbi coniunctum. Hoc est quod Psaltes vaticinatus erat: *Ingrediens mundum dicit, hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, &c. tunc dixi ecce venio,* corpus aptum vocat corpus mortale quod mactari & offerri posset in holocaustum pro totius mundi peccatis, in suauissimum suauitatis odorem, ex eo quod corpus erat diuino verbo vnitum, & omnium aromatum continens immensam fragrantiam.

2. Sed diuersum quid insinuant hæ duæ sententiæ, *Ingrediens mundum, & veni vel introiui in hortum meum*; nam illa generalem aduentum significat, quo ad omnes homines venit, quorum multi eum negarunt iuxta illud, *In propria venit, & sui eum non receperunt*, imo dixerunt. *Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius.* At venire in hortum suum, & introire in illum specialem quandam rationem indicat veniendi vt possessionem ipsius capiat, nam per introitum in prædium vel domum aliquam ibi actionem exercendo capitur illius possessio. Quo sensu dicitur, *Agros populorum ne introeas.* Scilicet ad capiendos eos tibi. Sic verbum diuinum introiuit in hortum Ecclesiæ, capiens per assumptionem carnis possessionem illius tanquam primogenitus in multis fratribus, cuius hortus iste hæreditas erat.

3. Mox autem cœpit metere myrrham suam cum aromatibus suis, quoniam immensos collegit manipulos dolorum, ignominiarum, & tribulationum quas propter mũdi redemptionem pati decreuerat. In ipso autem incarnationis momento adhuc intra maternum vterum hos primùm myrrhæ manipulos collegit, saltem mente & affectu; omnia enim quæ vsque ad finem vitæ passurus erat, præuidit, voluit, acceptauit, & tunc spiritualiter calicem suæ passionis integrum bibit. Decursu verò temporis opere ipso varios myrrhæ manipulos metebat, tum in diuersorio vbi natus est & circumcisus, tum in Ægypto, quò fugit ob Herodis persecutionem, tum vero in Galilæa & Iudæa inter Scribas & Pharisæos degens, pauperem agens vitam, & multis afflictionibus, & fatigationibus expositam, donec tandem in passione sua omnem suam myrrham messuit, (de hac namque messione hic loqui testantur D. [a] Cyrillus, Ruffinus, [b] Rupertus, & alij patres.) In horto enim Gethsemani messuit myrrham tristitiæ, agoniæ ac sanguinei sudoris; sed copiosissime in domo Caïphæ, in prætorio Pilati, ac tandem in monte Caluario, prope quem hortus erat, in quo myrrha delibutum corpus eius defunctum sepultum est.

Hanc autem myrrham vocat suam, quoniam etsi vnusquisque propriam colligat myrrham, & ferat crucem viribus suis proportionatam: at Christus messuit myrrham ita suam quod nullus alius potuerit eam metere, nec tot perpeti afflictiones, iuxta illud, *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiauit me vt locutus est Dominus in die iræ furoris sui*, vtitur vocabulo, *vindemiauit*, quo etiam vtuntur Sept. dicentes, *vindemiaui myrrham meam*, vt copiosam & plenam dolorum multitudinem, & acerbitatem significaret. Cæterum vindemia ista & messio tribuitur aliquando Deo permittenti persecutores in Christum sæuire, & cũctis bonis etiam vita maximo cum dolore & ignominia expoliare: aliquando vero ipsi Christo qui voluntarie hæc omnia pertulit, *Oblatus enim est quia ipse voluit*, & ideo ipse etiam messuit, & vindemiauit, sicut & amarissimum hunc calicem à Iudæis propinatum libenter bibit.

4. At porissime dicit, *Messui myrrham meam cum aromatibus meis*, ob præclarissimam & fragrantissimam patientiam, humilitatem obedientiam, & charitatem, aliasq; virtutes quas tunc mundo manifestauit, fragrantissimum suæ diuinitatis & sanctitatis odorem emittens. Quæ aromata eorumque odor sic erat suus, vt nullæ puræ creaturæ cum eadem fragrantia potuerit communicari. Potuit dicere sponsa, *Dum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum*, quia dum considceramus Christi in crucis accubitu humiliationes & cruciatus, nardus humilitatis nostræ, vel myrrha patientiæ nostræ dant odorem suum, id est sibi proprium, & propriæ fragilitati commensuratum. At nardus, myrrha & aromata Christi dederunt odorem suum qui omni caret mensura, quia aromata sunt Dei & hominis quibus reliqua nequeunt comparari?

5. Sed quoniam ad nostrum exemplum cuncta hæc fecit & pertulit, vt ea imitemur, perpende nouam huius sententiæ interpretationem vt verbum, *veni*, sit imperatiuum, quasi inuitans sponsam vt veniat ad contemplandum quæ ipse in horto mundi huius ad quem propter nos descendit, fecit & passus est. Ac si dicat, tu, ô sponsa precaris me dicens: *Veniat dilectus meus in hortum suum*, ego potius dico tibi, *veni*, ô soror mea sponsa tu in hortum meum, & contemplare quomodo messui myrrham meam cum aromatibus meis, quanta pro te passus sum, quomodo sanguinis guttas in horto sudaui, & riuulos copiosos in cruce fudi. Intuere myrrham amarissimam & vinum myrrhatum seu cũ felle mixtum quod dederunt mihi, acetum quo in mea siti potauerunt me; perpende myrrham patientiæ meæ in doloribus, humilitatis in ignominiis, & mansuetudinis in blasphemiis, cunctaque virtutum mearum aromata meditare, illis te vnge, à putredine serua, eorumque odore confortare, vt alia similia in te per imitationem studeas transferre.

Sed

[a] Catech. 13.
[b] In symbolum inter D. Cypriani opera.

Ioan.1.v.11. Matth.22. v.38.

Lib.3.ff de adquirenda possessione. Prou.23. v.10.

In synopsi idem Cæsarius apud Nazian eius fratrẽ dialog 3. Rupertus item. Ad Heb.10. v.5. Ex Psal. 39. v.7.

Thren.1. v.12. Ex D.Tho. 3. p. q.46. ar.6.

Cant.5.v.1.

6. Sed iucundius est quod sequitur. Confirmat enim sponsus, & amplificat quæ dixerat subiiciens:

Isai.7. v.15. *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo*, quibus verbis alias duas inuoluit suæ incarnationis circunstantias. Primo enim suam infantiam describit: de qua dictum erat: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, butyrum & mel comedet*, butyrum autem pro lacte pingui ponitur, quo & melle infantes nutriri solent. Sed ipse sponsus hic non tantum mel, sed fauum comedisse testatur, nec tantum lac suxisse, sed bibisse vinum vt probaret quod nomen eius est *Emanuel*, seu *nobiscum Deus*, id est, quod non tantum est infantulus, sicuti alij homines recenter nati, sed est simul homo & Deus, omni sapientia, sanctitate & fortitudine prædituς. Et hoc modo inquit D. Athanasius, verbum incarnatum, vinum cum lacte bibit, quia licet lactis cibum corpori suo admiserit, tamen illi & vinum suæ perfectionis impertiit. Et ficut lac comedit, ita diuinitatis opera in ipso perficit. Vnde ita oritur infans quod simul est perfectus vir, sicut scriptum est, *Ecce vir oriens nomen eius.* Et, *nouum creauit Dominus super terram, fœmina circundabit virum.* Tanquam infans ergo lac & mel comedit; at tanquam vir fauum manducauit, & vinum potauit, perfectorumque cibum & potum sumpsit, heroïcos actus amoris, & omnigenæ virtutis perficiens.

In Synopsi super Cant. " " "

Zach.6.v.12. Ier.31. v.22.

Sed quando perfecit? stupenda dulcedine, & suauitate. Etenim cum in diuersorio vel in præsepio iacens, ac fugiens in Ægyptum, myrrham messuit amaram paupertatis, frigoris, & doloris, iuxta dicta, simul tunc comedebat fauum cum melle, & bibebat vinum cum lacte, quia mira iucunditate cordis pro nostra salute has ærumnas patiebatur, illisque reficiebatur, & delectabatur ex vehementia amoris, quo homines tunc puerulus diligebat. Vnde tempus istud vocatur dies lætitiæ cordis illius, sicut supra visum est.

Quid ergo, *Retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*? calicem profecto salutaris, id est, Christi Domini accipiam, myrrham & omnes virtutes eius mihi metam, intra cor meum traiiciam, comedens illas tanquam fauum cum melle, bibens tanquam vinum cum lacte.

Ecclesiam desiderasse aduentum Christi, vt sibi aggregaret omnes electos. §. 3.

NOVAM iucundamque rationem explanemus, ob quam Ecclesia Christi aduentum desiderabat, vt scilicet comederet fructum pomorum suorum. Sunt autem hi fructus cætus omnium suorum electorum, quos suis meritis lucratus est, & salus omnium hominum quos proprio sanguine redemit; eos autem comedere dicitur, quando corpori suo mystico aggregat, & per fidem & gratiam sibi vnit. Atque hoc modo quasi in suam substãtiam per eximiam similitudinem transformat, hunc cibum comedere iugiter esuriebat, & eo satiandum fore testatus est pater cælestis, dicens: *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos.* Id est, quia multo sudore, & fatigatione laborauit excolendo vineam suam, & hortum suum, multa agendo & patiendo pro salute hominum, vberes videbit & colliget fructus quibus suam longam famem saturabit; nam per suæ doctrinæ prædicationem multos iustificabit, & saluos faciet.

Isai.53. v.11.

Vt autem hoc melius intelligatur, aptemus hanc precationem, *Veniat dilectus meus in hortum suum*, &c. & vtrique Ecclesiæ antiquæ, & nouæ, illa quidem quæ nunc dicitur hortus, ab Isaia vocatur vinea Domini Sabbaoth, & germen eius delectabile, cuius vna pars expectata est, vt faceret vuas, fecit autem labruscas & spinas, quia plurima & enormia perpetrauit scelera, cuiusmodi fuit cætus Scribarum & Pharisæorum ac Sacerdotum qui Christo Domino restiterunt, & nullum attulerunt fructum iustitiæ, quos repræsentari voluit per siculneam, ad quam esuriens accessit, & non inueniens in ea fructum, sed tantum folia maledixit ei, & statim aruit: cum enim in eis esuriret fructus bonorum operum, quibus reficeretur, nihil virtutis inuenit, sed tantum folia verborum & externarum ceremoniarum, esui inutilium, propter quod maledictione mulctati, aruerunt omnes. At in illa Ecclesia aliqui erant iusti simplices, & dociles, ac bene morigerati; qui ex corde aduentum Christi desiderabant, & petebant, vt veniret in hortum suum, comederet fructum pomorum suorum, ex eo nimirum populo Israelitico seligens sibi multos, qui eius fidem & doctrinam reciperent, & nouæ Ecclesiæ quæ corpus mysticum est, cuius ipse est caput, aggregaret. Spiritualis enim comestio nihil aliud est quam animarum tractio, conuersio, & in corpus Christi trãsmutatio. Sicut quando infideles reducuntur ad fidem, alij peccatores ad gratiam, aut iusti etiam cum nouo modo transformantur in Christum per nouum gratiæ incrementum, & maiorem cum ipso vnionem, & similitudinem.

1. *De Ecclesia veteri.*

Isai.5 v.27

2. *De Ecclesia noua.*

Hinc etiam est Ecclesiam nouam à Christo Domino ex suis Apostolis, & discipulis congregatam, & quotquot in ministerio conuersionis animarum eis succedunt, eodem modo orasse, & orare. *Veniat dilectus meus in hortum suum*, quem ipse plantauit & rigauit sanguine suo; ipse nos quotidie inuisibiliter visitare dignetur, qui semel visibiliter per viscera misericordiæ suæ visitauit nos oriens ex alto. Veniat autem, *Vt comedat fructum pomorum suorum*, & quoscumque electos per vniuersum mundum habet dispersos, congreget, & ad se accipiat; & in se conuertat. Quod per ipsos ministros Euangelij qui os eius sunt, continuo facit: sicut ostensum fuit D. Petro esurienti, & volenti aliquid gustare. Vidit enim in mentis excessu vas linteum in quo erant quadrupedia, volatilia & serpentia, audiuitque vocem dicentem sibi: *Surge Petre, occide, & manduca*, id est (sicut alibi fuse explicuimus) gentes per has bestias significatas spiritualiter occide, interficiendo in eis bestialem vitam, & quidquid in eis vitiosum est, & spiritaliter etiam manduca, traiiciendo in corpus mysticum Ecclesiæ, illique per fidem, & gratiam aggregando. Dicebatur autem linteum illud, quod symbolum erat Ecclesiæ, continere animalia illa intra se, non quia gentiles tunc actu pertinerent ad Ecclesiam, sed quoniam per mysticam occisionem, & manducationem efficienda erant membra ipsius.

De conuersione peccatorum.

Act.10.v.10.

Lib 7.exh. 21 §.4.

Ad hunc modum inuitatur sponsus vt comedat, sicut Sept. vertunt, *Fructum nucum eius.* Nuces crustam habent duram, amaram, esui prorsus ineptam quæ frangi debet, & conteri, vt interior me-

dulla edatur. Quod igitur in animalibus est occisio, vt manducentur, hoc in fructu nucum est fractio vt comedantur; conterendo: & comminuendo in peccatoribus, quidquid durum & amarum est ac vitiosum, Dei gustui, & manducationi prorsus aduersum, vt eorum spiritus per iustificationem comedatur, & Christo eiusque Ecclesiæ aggregetur.

Quod si nobis obiicias, gentiles & peccatores quidem apte significari per quadrupedia, & serpentia lintei, qui spiritualiter occidendi erant vt manducarentur: at quomodo possunt dici fructus pomorum suorum siquidem nondum sunt fructus Ecclesiæ? profecto sicut D. Ioannes vocauit filios Dei gentes quæ dispersæ erãt pro quibus Christus mortuus est, vt eos congregaret in vnum, scilicet in vnam Ecclesiam, non quia tunc essent filij Dei, sed quia electi erant, vt dignitatem filiorum Dei consequerentur cum Ecclesiæ essent per Baptismum aggregati, sic nunc inuitatur Dominus ad hortum suæ Ecclesiæ, vt comedat quotquot præordinatos & electos habet vt sint meritorum suorum fructus.

Ioa.11.v.52.

B

3. *De maiore perfectione iustorum.*

Sed vlterius & suauius dici potest his verbis Christum Dominum ab Ecclesia inuitari ad inuisendum hortum suum, & plantas fidelium ac iustorum, quas per sacramentum Baptismi habet insertas, & bonis operibus fœcundas vt fructum pomorum suorum comedat, illis delectetur, & satietur, ac in seipso multo præcellentius transformet. Quod eleganter sic explicat D. Ambrosius, peculiarem sequens versionem. Gaudet (inquit) Ecclesia redemptione multorum, & astare sibi familiam candidatam, id est baptismo lotam) spirituali exultatione lætatur. Læta inuocat Christum, paratum habens conuiuium, quod dignum cælesti epulatione videatur. Ideoque ait: *Descendat frater meus in hortum suum, & edat fructum pomiferarum suarum.* Quæ sunt istæ pomiferæ? lignum aridum factus eras in Adam, sed nunc per gratiam Christi pomifera arbor pullulasti: rursus idem, bonas arbores & fructiferas habet Ecclesia quæ radices suas tinxerint in sacri fontis irriguo, & in bonos fructus nouæ fœcunditatis germine pullulauerint, vt non iam prophetica cædantur securi, sed euangelica vbertate fœcundentur.

Lib.5. de Sacramentis, c.3.

Hic ipse legit, carpat, sed in alio loco citato, legit, edat.

Lib de iis qui sacris initiantur, c.9.

C

4.

Sed plus multo est quod hæc precatio continet quam quod foris sonat. Cum enim Christus Dominus descendit in hortum Ecclesiæ, vt eum visitet, duo illi præstat bona. Primum vt arbores vberiores fructus & poma edant, id est vt fideles sui plura & gloriosiora sanctitatis opera peragant. Quod supra vocauit, *Fluent aromata illius.* Nam quod in arboribus pomiferis est pomum, in aromaticis est aroma, & hinc est quod hæc poma vocentur ipsius sponsi fructus. Cum enim opera nostra ex virtute per Christum accepta progrediantur, & nostra sunt, & ipsius, sicut fructus palmitũ est etiam fructus vitis: qua similitudine vsus est ipse Dominus, dicens: *Ego sum vitis, vos palmites: sicut palmes nõ potest ferre fructũ nisi manserit in vite, ita & vos nisi in me mãseritis,* & sicut à vite deriuatur in palmites humor & succus ac fœcunditas producendi fructus, sic à Christo Domino cum animas visitat, inspirationes procedunt, & illustrationes cælestes, ac feruentes affectiones quibus quasi fœcundatæ vberrimos sanctorum operum fructus ferunt quos ipse comedere dicitur, quando eos seruat, perficit, & in meliores commutat, iuxta illud, *Ego veni vt vitam habeant, & vt abundantius habeant.*

Ioa.15.v.4.

Ioan. 10. v.10.

Quomodo Christus messuit & aggregauit sibi electos. §. 4.

QVOMODO autem hoc sponsæ desiderium impleuerit explicat Dominus, dicens: *Veni in hortum, messui myrrham meã cum aromatibus,* &c. virtute enim amaræ myrrhæ quam sibi in passione messuerat vt iam vidimus, aliam præclaram & copiosam fecit messionem myrrhæ & aromatum, ad quam faciendam in mundum venerat. Supponendum autem est ex eiusdem Saluatoris sententia, conuersionem animarum per messionem significari, sicut cum dicitur: *Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam*: & iterum, *videte regiones quoniam albæ sunt iam ad messem.* Hoc autem interest inter messionem corporalem & spiritualem, quod in illa præsupponuntur segetes & fructus maturi & perfecti, & tunc metuntur, vt reponantur in horreum, vel ad vsum. In hac vero non intelliguntur segetes animarum iam perfectæ, sed tantum animæ capaces gratiæ, & sanctitatis, ad quam ex Dei ordinatione sunt destinatæ in tempore ab ipso præstituto; & quando hoc tempus adest, dicuntur messes aptæ, & maturæ vt metantur. Sicut clarius insinuatur in Apocalypsi cum ad filium hominis Angelus dicit, *Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit messis terræ,* id est, quoniam est dispõsita non ex suis meritis, sed ex Dei ordinatione, quia venit hora vt à Christo per falcem prædicationis metatur? perfecit autem messionem partim per seipsum, quandiu in terris vixit, partim per Apostolos, & alios discipulos & prædicatores quos messores constituit, & ipsius nomine, & virtute metebant animas quæ per ipsam messionem constituuntur perfectæ & in seipsis maturæ ex Dei gratia.

Ioan.4.v.35.

Apoc 14. v.15.

C

2.

Cum ergo hic inquit, *Messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Myrrham & aromata sua, vocat electos, quos decreuerat prædicatione sua & ministrorum suorum & iustos & sanctos efficere mortificatione, & omnigena virtute fragrantes. Ac si diceret, messui & collegi mihi plurimos sanctorum manipulos, qui sunt mea myrrha, quatenus mortificationem meam in suis corporibus circunferunt; sunt aromata mea quatenus aliis virtutibus flagrãt, & bonus mei odor sunt in vniuerso mundo; nec sui sunt, sed mei quem in omnibus imitantur, *Nam qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.*

Ad Gal. 5. v.24.

D

Rupertus Abbas, putat hic insinuari quod Christus Dominus per obedientiam vsque ad mortem crucis, quod eius fuit fragrantissimum aroma, traxit ad se omnia, & acquisiuit sanguine suo omnes electos à constitutione mundi. Nec refert quod de præterito dicat messui, quoniam infallibilem conuersionem gentium futuram designat. Apte autem conuersio peccatorum appellatur myrrha, quia fit cum lachrymis & gemitibus, cum contritione cordis, & amaritudine animæ de peccatis perpetratis. Post myrrham autem pœnitentiæ sequuntur omnia virtutum aromata quæ simul cum gratia pœnitentibus infunduntur.

Hoc tamen non obstat quin myrrham suam vocet etiam quosdã ad insignes mortificationis actus præelectos, alios enim messuit & collegit ad martyrium, vt sanguinem suum pro ipso funderent. Propter quos videtur dictum, *Vindemiaui myrrham meam.* Nam vindemia ad compressionem

vuarum refertur. Vnde mustum instar sanguinis A profluit: alios vero colligit ad perpetuam virginitatem vel paupertatem voluntariam, quæ iuge quoddam est martyrium, & continua crucis baiulatio: alios ad vitam cœnobiticam perpetuæ obedientiæ mancipatam, quæ perennis est propriæ voluntatis abnegatio. Hi & alij huiusmodi sanctorum manipuli, sunt propria myrrha Christi, quia eius euangelicam perfectionem sectantur, de iis specialiter gloriatur, cum ait, *Messui myrrham meam,* &c.

3.

Hoc ipsum amplius explicat dulciori metaphora sponsæ precationi directe respondens. Dixerat illa: *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum,* quem diximus esse omnium hominum salutem & animarum conuersionem: respondet ipse, *Veni in hortum meum soror mea, & comedi fauum,* &c. id est, comedi iam cibum illum: de quo dixi, *Cibus meus est vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius,* plurimos ad fidem & legem meam conuertens, hic autem cibus dulcissimus est mihi, sicut mel & fauus, vinum & lac; nam propter hunc libẽter obliuiscor corporei cibi quantumuis sit corpori suauis. Sicut ergo messuit myrrham cum aromatibus suis, quando tam per se quam per discipulos magnum congregauit aceruum iustorum, qui pœnitentia, mortificatione, & aliis virtutibus floruerunt; ita etiam dicitur comedisse fauum cum melle, quando sibi corporique suo mystico aggregauit multitudinem iustorum qui charitate, & vnione fraterna florebant, vel integritate mentis & corporis vt Virgines, vel intra claustra concluſi vt monachi, vel aliis benefici vt misericordes. Similiterque vinum cum lacte bibit, quando fortes spirituque feruentes, & cum eis debiles, aut simplices, & innocentes pueros sibi incorporauit. Qui enim dulces ficos in ficulnea ad comedendum quærebat, hos fauos & lac esuriebat: & tandem inuenit, eduxitque mel de petra, oleumque de saxo durissimo, cum ex lapidibus fecit filios Abrahæ, & eos qui duro erant corde, & acerbo animo, mollefecit, & dulcorauit, vt in corpus suæ Ecclesiæ per fidem & charitatem transmitteret.

Ioa.4. v.32.

B

Deut.32. v.13.

Mat.3.v.9.

Act.10.v.10

Et qui Petro dixit, *Occide & manduca*, nunc pastoribus & doctoribus quibus animarum conuersio amandata est inquit, *Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi,* comedite vos huiusmodi fauum cum melle meo, bibite vsque ad ebrietatem magna cum abundantia vinum meum cum lacte meo. Curate cibum hunc animarum manducare, & bibere, quia meus cibus iste fuit, & animæ omnes meæ sunt; & ego per vos manducabo & potabo eas, vestra tamen indigeo cooperatione vt opus istud modo conuenienti perficiam, & quod per me cœpi, per vos consummem.

D

4.

Sed subtilius hic duplex admirandum conuiuium describitur, quod Christus Dominus fecit sponsæ suæ, vt vires ei ad supradicta peragenda præberet vnum sacramentale, de quo integer erit sermo sequens; alterum spirituale, in quo iuxta dicta in præcedenti exhortatione, §. 5. tribuit fauum cum melle, id est mysteria humanitatis & diuinitatis Christi, aq; vinum cum lacte, id est maiora diuinæ sapientiæ arcana & fortiora amoris præcepta, cum iis quæ clariora sunt & faciliora. Cuncta hæc Christus comedisse dicitur: tum quia illa plenissime comprehendit, & quæ operanda erant, perfectissime peregit priusquam doceret: *Cœpit enim facere & docere.* Tum vero quià cum ea docebat, & tradebat discipulis, eadem in ipsis & per ipsos comedebat, vt D. Ambrosius explicat, virtutem eis largiebatur, vt ea intelligerent & opere complerent, in quo valde delectabatur. Quod amplius sic declarat Theodoretus. *Comedi pãnem meum cum melle meo,* id est solidum & dulcem cibum qui apud perfectos inuenitur. *Bibi vinum meum,* hoc est perfectum ex me vite vera expressum. *Cum lacte meo*: ab infantibus imperfectioribus, & lactantibus ætati eorum congruentem percepi fructum. Omnibus enim aptum cibum spiritualem exhibebat quo proficerent, & nutrirentur, & ipse proficeret, & nutriretur non in se, sed in illis. Vt autem intelligeremus necessariam etiam esse nostram cooperationem cum ipso subdit apertius: *Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi.* Id est vos etiam curate comedere, bibere & inebriari, hæc mysteria percipere, vobis aptare, eisque vos reficere.

Act.1. v.1.

Lib. de iis qui initiantur mysteriis, c.9.

Coronidem apponamus verbis D. Ambrosij, eleganter animam ad hoc conuiuium exhortantis, sequens enim propriam versionem, sic ait: vis manducare & bibere? veni ad conuiuium sapientiæ quæ inuitat omnes cum magna prædicatione, dicens: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis*: audi hortantem, in Canticis Canticorum: *Manducate proximi mei, & bibite, & inebriamini patres*: sed hæc ebrietas sobrios facit, hæc ebrietas gratiæ, non temulentiæ est, lætitiam generat non titubantiam, nec verearis ne in conuiuio Ecclesiæ, aut grati odores tibi, aut dulces cibi, aut diuersa potus, aut conuiuæ nobiles desint, aut decentes ministri. Quid Christo nobilius qui in conuiuio Ecclesiæ & ministrat, & ministratur ei? istius conuiuæ recumbentis annecte te lateri, ac te Deo cõiunge, nec fastidias mensam quam Christus elegit, dicens: *Introiui in hortum meum, soror mea sponsa, vindemiaui myrrham meam*, &c. in horto, hoc est in paradiso, est conuiuium Ecclesiæ, vbi erat prius Adam quam peccatum committeret, vbi erat Eua prius quam culpam crearet, & pareret, ibi vindemiabis myrrham, hoc est, Christi sepulturam, vt consepultus cum illo per baptismum in mortem, quemadmodum ille resurrexit à mortuis, & tu resurgas, ibi manducabis panem qui confirmat cor hominis, mel gustabis, quo tuarum dulcescat meatus faucium, vinum bibes cum lacte, hoc est cum decore & sinceritate, siue quod meri pura simplicitas sit, siue quod immaculata gratia quæ in remissionem sumitur peccatorum, siue quod paruulos consolationis suæ lactet vberibus, vt ablactati in delitiis in plenitudinem perfectę ætatis adolescant. Succede ergo in hoc conuiuium. Hæc ille. Addens quo modo per hoc conuiuium peruenitur ad conuiuium cælestis gloriæ, de quo postea, ad quod vtinam nos perducat, qui cum Patre & Spiritu sancto, viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

Li. de Caim & Abel, c.5.

" Prouerb. " 9.v.5.

C

EXHORTATIO IIII.

PRO FESTO CORPORIS CHRISTI.

De dulciſſimo Euchariſtiæ conuiuio, de iis qui digne accedunt ad illud, & eius dulcedine fruuntur vberius.

Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo, comedite amici, bibite, & inebriamini chariſſimi.

VENIENS ſponſus Chriſtus in hortum ſuæ Eccleſiæ, nouum, prodigioſum & ineffabile parauit illi ſacroſanctæ Euchariſtiæ conuiuium, quod B ſub prædicta metaphora explicauit. Aduenerat hora metendi omnem myrrham paſſionis tuæ, & quia iam inchoata erat meſſio, & citiſſime & certiſſime perficienda, vere ante conuiuium iſtud dixit: *Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis*, Ioa. 17. v. 4. quo ſenſu eadem vltimæ cœnæ nocte cum patre loquens ait. *Opus conſummaui quod dediſti mihi vt faciam.* Loquitur enim de præterito propter certitudinem rei futuræ, & quia valde proxima mors erat, nam quod minimum diſtat, quaſi nihil diſtare videtur. Oportebat enim prius mentionem paſſionis ſuæ facere ſub metaphora metendi myrrham, tum quia Sacramentum & conuiuium iſtud inſtituebat in memoriam paſſionis ſuæ. Ideo enim Apoſtolis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, Lucæ 22. v. 19. & expreſſe D. Paulus, *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*; 1. Cor. 11. v. 26. tum vero vt ſui C amoris magnitudinem Eccleſiæ patefaceret, cum eodem tempore amariſſimam ſibi metebat myrrham, & dulciſſimum parabat illi conuiuium, ad quod etiam perpendendum dixit Apoſtolus: *Quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem*, &c. non enim horrebat nec fugiebat mortem, qui ſciens illam ſibi iam inſtare, iucunde cum amicis ſuis epulabatur, etſi ſciret adeſſe proditorem, ſic enim ait: *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa.* Lucæ 22. v. 21. cap. 3. Eccleſiaſt. Hierarch. p. 3. tract. 6. in Ioa. to. 9. D. Thom. 3. p. q. 81. ar. 2. Vide Suarez tom. 3. diſput. 41. ſect. 3. Vnde D. Dionyſius, D. Auguſtinus, multique alij Patres deducunt Iudam traditorem huius dulciſſimi conuiuij participem fuiſſe; quia etſi perfidus homo dulcedinem eius non perceperit, magiſter tamen amantiſſimus dulcedinem & charitatem ſuam per hoc vberrime declarauit, inimicum diligens, ingrato benefaciens, D occultum hactenus peccatorem nolens manifeſtare, at denique quanti mortem ſuam faceret & diligeret oſtendens, dum tale amoris ſignum traditori ſuo non negabat. Sed iam formam conuiuij explicemus.

Quid contineat Euchariſtiæ Sacramentum ſub accidentibus panis & vini. §. 1.

1. DVPLICEM huius Sacramenti, & conuiuij portionem delineat; priorem cum inquit, *Comedi fauum cum melle meo*, Sept. non ſine diuino inſtinctu loco faui vertunt, vt diximus, *Panem cum melle meo*, vt ſignificarent hunc panem de cælo nobis præſtitum omne delectamentum habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem ſub veris accidentibus panis latitantem. Fauus autem cum melle, eſt caro Chriſti cum eius diuinitate, iuxta iam dicta. Fauus In exhort. 37. §. 3. A caro eſt, quam apis neſciens concubitum, id eſt puriſſima Virgo Spiritu ſancto, & virtute Altiſſimi obumbrãte, ex puriſſimis ſui ſanguinis floribus collegit, genuit, efformauit. Sed addit cum melle meo, id eſt, cum diuinitate, quæ de cælo eſt, & mea eſt ab æterno, mihique eſſentialiter propria, quam ego carni coniunxi, vt vnus eſſet cibus hominis, ſicut fauus mellis. Poteſt etiam per fauum cum melle meo intelligi corpus cum anima, vel caro cum ſpiritu viuificante, nam ſicut integer fauus conſtat ex cellulis ceræ, & ex melle, ſine quo fauus eſſet aridus: ſic homo conſtat ex corpore & anima, quę non fit ex terreno ſemine ſicut corpus, ſed à ſolo Deo per creationem infunditur, & ideo dicitur venire de foris: in hoc igitur conuiuio datur corpus ex vi verborum conſecrationis, ſed cum anima concomitante vt totus Chriſtus ſit in ſacramento, & vere dicatur panis viuus qui de cælo deſcendit: nam perſona verbi cui corpus & anima vnita ſunt, deſcendit de cælo. Panis autem dicitur non tantum quia ſub accidentibus panis exhibetur, ſed quia veriſſime exercet munus panis, adeo vt Chriſtus Dominus dixerit; *Pater meus dat vobis panem de cælo verum*: & iterum, *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus*: nam vere & multo excellentius quam panis, & vinum gerunt eorum munus, quod eſt nutrire, & ſuſtentare vitam. Panis enim ſuſtentat vitam corporis, quæ tandem per mortem finietur; & panis hic cæleſtis ſuſtentat vitam animæ, quæ in æternum durare poteſt, & poſtea reddet vitam corpori in reſurrectione quæ ſempiterna erit. Hoc enim indicant verba illa, *Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem viuet in æternum*, ſicut ſupra à nobis explicatum eſt. Quanto ergo diſtat vita æterna à temporali, tanto panis cæleſtis excedit C terrenum. Hic non dat vitam de nouo, ſed tantum ſeruat, & auget; ille etiam, *Dat vitam mundo*, & potens eſt de morte transferre ad vitam peccatorem qui accedit attritus, putans ſe eſſe contritum, nec lethifero ſubiacere peccato, de quo alibi.

Ioa. 6. v. 51.

Verſ. 32. & 56.

Verſ. 59. & 55.

Denique vocatur fauus cum melle ad ſignificandum omnem ſpiritualem dulcedinem in illo nobis exhiberi, cũ ipſo fonte vnde promanat. Nam Chriſtus vt homo fons eſt dulcedinis & gratiæ per modum meriti, vt Deus autem, eſt primus fons, & cauſa illius ſuprema; & ipſa dulcedo per eſſentiam; quæ volens dulcedinem amoris, quo nos proſequebatur manifeſtare, totum fauum cum melle dignatus eſt nobis præbere, vt egregie quadret illi quod inquit Sapiens, *Subſtantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes, oſtendebat*, & quæ eſt ſubſtantia huius diuini Sacramenti, niſi ſubſtantia corporis Chriſti, in quam ſubſtantia panis conuerſa eſt? hæc velut fauus cum melle ſummam dulcedinem ſuam, id eſt, diuinitatis dulcedinem, & dulciſſimum amorem quem erga filios ſuos habet, oſtendit, cum eis ſe communicat. Vt vere de hoc cibo dicatur, *Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus*, & quoniam dulcis eſt Chriſtus.

Sap. 16. v. 21.

Pſal. 33. v. 9.

2. Sed quoniam in conuiuio ſimul cum dulci, & opiparo cibo datur etiam precioſus potus, ſubditur: *Et bibi vinum meum cum lacte meo.* Vinum ſuum vocat ſanguinem ſuum, ſicut è contra ſcriptura vinum maxime rubrũ, (quod frequentius erat in Paleſtina) vocat ſanguinem vuæ præcipue, quia ſanguis Chriſti ſub accidentibus vini exhibetur in potum: nam, *Sanguis* (inquit) *meus vere eſt potus*; vt autem oſtẽderet vinum iſtud quod dat, ſecũdum ſubſtantiam non eſſe ex vite, ſed aliunde genitum, nẽpe ex

Deut 32. v. 14.

ſubſtantia carnis humanæ addit, *cum lacte meo*, id A eſt cum carne mea, progenitum ex illa. Lac enim non eſt aliud quam ſanguis cum perfectiori concoctione. Vnde purus & candidus efficitur, ſumiturque per modum cibi & potus. Nam Paulus ait; *Quis paſcit gregem, & de lacte eius non manducat*: & iterum, *lac vobis potum dedi.* In hoc autem differt à vino, quod hoc nutrimentum eſt virorum, & fortium, lac vero omnium, ſed maxime infantium. Chriſtus ergo dat vinum ſuum quod eſt ſanguis diuinitati vnitus, ſed dat vinum attemperatum cum lacte ſuo, quoniam eſt vinum de carne ſumptum, fortibus & debilibus ac infantibus accommodum.

1. Cor 9. v. 7. & c. 3. v. 2.

3. Imò vox, *cum lacte meo*, ad totum conuiuium referri poteſt, ac ſi verbum diuinum dicat; manducaui panem meũ, ſeu fauum cum melle meo, & bibi vinum meum, ſed totum hoc conuerſum in lac, B quia per aſſumptionem carnis, & ſanguinis, aptus cibus & potus hominum factus ſum, velut lac. Quod eleganter ſic explicat D. Auguſtinus exaggerans humilitatem Dei cum factus eſt homo, & cibus noſter Vnde inquit, cõmendauit corpus & ſanguinem ſuum? de humilitate ſua. Niſi enim eſſet humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Reſpice altitudinem ipſius, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ecce cibus ſempiternus: ſed manducant Angeli, manducant & ſupernæ virtutes, manducant & ſaginantur, & integrum manet, quod eos ſatiat & lætificat. Quis autem homo poſſet ad illum cibum? vnde cor tam idoneum illi cibo? oportebat ergo vt menſa illa lacteſceret; & ad paruulos perueniret: vnde autem fit cibus lac? vnde cibus in lac conuertitur niſi per carnem traiiciatur? nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans, ſed quia minus idoneus eſt infans qui pane veſcatur, ipſum panem mater incarnat, & per humilitatem mammillæ, & lactis ſuccum, de ipſo paſcit infantem. Quomodo ergo de ipſo pane pauit nos ſapientia Dei? *Quia Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Videte ergo humilitatem, quia ſicut ſcriptum eſt, *Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo*, id eſt, verbum illud quo paſcuntur Angeli ſempiternum quod eſt æquale patri; manducauit homo cum ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, factus obediens vſque ad mortem crucis, vt de cruce commendaretur nobis caro & ſanguis Domini nouum ſacrificium. Hæc Auguſtinus.

Concione 1. in Pſal. 33.

Ioan. 1. v. 1.

Ioan. 1. v. 14.

Pſal. 77. v. 25.

Ad Phil. 2. v. 6.

Cant. 1. v. 1.

D Sed plura inſinuat myſteria quam explicat; nam ſicut mater cibum fortem ſumit quo paſcitur, & illum calore vberum conuertit in lac quo paſcit infantem, ita verbum diuinum quod ab æterno ſeipſo paſcitur, ſicut ſeipſo beatum eſt, per materna ſua vbera, de quibus ſuperius dictum eſt, *Meliora ſunt vbera tua vino*; ſeipſum quodammodo conuertit in lac, cum carnem & ſanguinem aſſumpſit, quibus homines paſceret. Sed quoniam horribile erat hominibus humana carne & ſanguine veſci, texit ea accidentibus panis & vini, quę reſpectu hominum munus gererent aptum cibi & potus, & totum hoc circumſcribit per commemorata verba, vt idem ſit, *Cum lacte meo*, ac cum meipſo, qui per aſſumptionem carnis, & ſanguinis factus ſum velut lac.

4. Sed vltra hoc, *Cum lacte meo*, idem eſſe poteſt, ac cum lacte proueniente ab vberibus meis, quæ ſunt meliora quam vinum. Diximus autem in libro primo, duas ſpecies Sacramenti Euchariſtiæ eſſe quaſi

Exhort. 15.

duo Chriſti, & verbi incarnati vbera, à quibus procedit lac gratię, ſapiętiæ, & dulcedinis ſpiritualis, ac omne bonum ſalutis noſtræ quæ omnia ſimul cum ſacramento conferuntur. Ideoque vocatur vinum cum lacte candido lauande; & dealbante animas inſtar lactis. Nam de ſanctis dicitur quod lauerunt, & dealbauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. De quo lacte D. Petrus ait: *Sicut modo geniti infantes rationabile ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem.* Rationabile lac vocat quod ab vberibus Chriſti procedit, quo nutriuntur fideles, & incremẽtum ſanctitatis accipiunt. Clemens Alexandrinus legit, *verbale lac*, quia à verbo diuino, quod mamilla eſt patris, procedit. Sed noſtra tranſlatio, quæ habet *rationabile lac*, ſignificat hoc lac eſſe ſapientiæ, homines ſapientes reddens & degentes ſecundum rationem, & legem Dei.

Apoc. 7. v. 14. 1. Petr. 2. v. 2.

Lib. 1. de pedago. c. 6. iuxta vulgatam correctam non legitur rationabilis, ſed rationabile.

5. Denique ſi iuxta D. Athanaſium ſupra allegatum, intelligas per vinum diuinitatis perfectionem, per lac vero aſſumptam humanitatem ſeu carnem, vel etiam ſanguinem, qui in carne, & cum carne generatur; ſenſus poteſt eſſe, *Bibi vinum meum cum lacte meo*; id eſt diuinitatem meam coniunctam ſanguini meo, & carni meæ; nam in ſacramento ſub accidentibus vini cum ſanguine etiam corpus, & anima ac totus Chriſtus continetur: vnde fit quod manducãs fauum cum melle, ſimul accipiat vinum cum lacte, & bibens vinum cum lacte ſimul ſumat fauum cum melle; & per quamlibet partem ſacramenti toti Chriſto vniamur: nam, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo*, non ait, manet in mea carne, vel in meo ſanguine, ſed in meipſo, qui verus ſum Deus, & intra me illum perpetuo recipio, & mihi vnio.

In ſynopſi. 1. Ioa. 6. v. 57.

Quid ergo poteſt cogitari hoc conuiuio iucundius, vtilius & excellentius? hoc præſtat Chriſtus veniens in hortum Eccleſiæ deſcendens re ipſa de C cælo, vbi ſedet ad dexteram patris non relinquens illam; vt adſit præſens in Sacramento, & inuiſat hortum ſuum, & conuiuium faciat ſponſæ ſuæ, tribuens ſeipſum in cibum & potum; quo nihil maius & melius ipſa potuit deſiderare: ipſa dicebat: *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum*: at ille qui quamlibet naturam poteſt in alteram tranſmutare, & poma in fauum mellis conuertere, venit in hortum, tranſmutans panem in carnem ſuam, diuinitati vnitam, ráquam fauum cum melle ſuo, & vinum in ſanguinem ſuum diuino lacti coniunctum vt ſponſæ ſatiet eſurienti, & omne repleat deſiderium.

Qui ad hoc conuiuium inuitentur. §. 2.

SED iam qui hoc conuiuio fruantur, explicemus. Etenim cum inquit, *Comedi fauum, & bibi vinum*, non tantum intelligendum eſt ſicut hactenus diximus ſpiritualiter, quia in nobis & per nos comedit & bibit, aut nos comedere & bibere facit: ſed quia re ipſa ipſe primus cum hoc conuiuium inſtituit, illius voluit eſſe particeps, ipſe proprium corpus ſub ſpeciebus panis manducauit, & proprium ſanguinem ſub accidentibus vini bibit, & ideo propriiſſime dixit, *Comedi fauum*, &c. vt probat D. Thomas, tum ex patribus, tum ex ratione ac ex diuina ſcriptura id inſinuante. Nã qui manducauit agnum typicum legis veteris, multo magis debuit manducare Agnum myſticum legis nouæ, vt legem impleret veterem, & nouam ſuo exemplo inchoaret: vnde multo magis de hoc quã de illo dixit: *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum* Lucæ 22. v. 15.

1. 3. p. q. 81. a. 1. Vide Suarez, tom. 3. diſput 75. ſect. 2. vbi plures citat.

e In Mat. 26
b Lib. 4. contra Marcionem, c. 40.
c Citatur à D Thoma.
d Mat 26. v. 29 Lucæ 22. v. 18.
e L. 1. de cõsensu Euangelistarum, c. 11
f in Mat. 26.
g Hom. 83. in Matth.

antequam patiar. Vt D.[a] Hieronymus,[b] Tertullianus, & Eusebius [c] Emissenus testantur. Præterea accepisse poculum satis insinuat, cum inquit,[d] *Non accipiam de hoc genimine vitis, donec bibã illud nouum in regno patris*, vt [e] D. Augustinus, & alij patres deducũt. Qui autem accepit poculum, vtiq; & panem, vt Euthymius ac [f] Theophylactus inferunt. Quod inquit D.[g] Chrysostomus oportebat facere, ne Apostoli auditis illis verbis, *Accipite & comedite, & bibite*, &c. perturbarentur dicentes; quomodo carnem comedimus, & sanguinem bibimus? Primus ipse hoc fecit vt tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret; & insuper vt formam sumendi suo exemplo eis præberet, nimirum summa reuerẽtia, amore & alacritate prout in vultu magistri sui fumentis splendebant.

Matth 22. v 9 Lucæ 14. v 21.

Postquam ergo ipse comedit & bibit, inquit ad Apostolos, *Comedite amici, bibite & inebriamini charissimi*: nam Euangelistæ testantur eis dixisse, *Accipite & comedite, & accipite & bibite*, &c. Apostolos autem amicos vocat & charissimos. Nam eo nomine sæpius in illo sermone cœnæ etiam nuncupauit: vere enim erant amici loti, & mundi, iam ad mysticam cœnam præparati: nec refert tunc adfuisse Iudam, vt supra diximus, quoniam sat est reliquos omnes fuisse amicos; & quia mens sponsi in his verbis est indicare solos amicos, & charissimos ad hoc conuiuium digne accedere, eosque solos inuitare, ideoque ait, comedite vos amici.

Prou. 9. v. 5.

Sed quid est quod in parabolis iubet Dominus vocari ad cœnam quoscumque inuenerint etiam pauperes & debiles, cæcos & claudos? & sapientia ipsa, *Inspicientibus locuta est, venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis?* Sed hoc tantum indicat omne genus hominum ad hoc conuiuium vocari, quantumuis abiectus, & vilis appareat: ita tamen vt libenter peccata deserat, & ex inimico amicus fiat: vnde & sapientia insipientibus loquens mox subiecit; *Relinquite infantiam, viuite & ambulate per vias prudentiæ.* Viuite (inquit) resurgendo ad vitam gratiæ, quia hic panis nonnisi à viuis digne manducatur. Vnde & in parabolis acriter increpatus est, qui ausus fuit in nuptias introire, & ad mensam sedere non vestitus veste

Matth. 22. v. 12.

nuptiali, quæ est stola gratiæ, & vestis charitatis.

1 Cor. 1. v. 28.

Quamobrem D. Paulus ad hanc vestem habendam vt digne conuiuio intersint, exhortatur, dicens: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit, indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Probare autem se est seipsum examinare vtrum amicus sit vel inimicus, an indutus sit veste nuptiali vel careat illa; an mundus sit à peccato lethifero, vel eo inquinatus: nam saltem hoc vltimũ dignoscere potest, etsi cętera lateant, & tunc tenetur per sacramentalem confessionem, vt Tridentinum declarauit, se à peccato purgare, & sic tanquam amicus, veste nuptiali indutus digne accedet.

Sess. 13 c. 7.

3. De præcepto communicandi.

Ioa. 6. v. 54.

Sed cum ait, *comedite*, verbum hoc præceptum sonat & consilium. Aliquando quidem præceptum habemus manducandi panem istum, vt vitam gratiæ conseruemus: quoniam Saluator inquit: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.* Vbi necessitatem huius cibi in re vel in voto præscribit. Votum autem istud aliquando opere complere voluit; alioqui inane esset. vt bene probat D. Thomas, quem alij doctores sequuntur, & insinuat A Tridentinum dicens: sumi autem voluit (scilicet Christus Dominus) sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vita illius qui dixit, *Qui manducat me, ipse viuet propter me.* Ecclesiæ autem iudicio reliquit, vt tempus huic præcepto implendo præscriberet; præscripsit autem omnibus fidelibus paschale tempus singulis annis.

« 3. p. q. 80. « art 11. « sess. 13. « c. 2. « Vide « Suarez, « tom 3. « disp. 69. « sect. 1.

Cæterum quod ait, *Comite amici, & bibite*, non ad laïcos extenditur, quantumuis sint amici & charissimi, vt comedant & bibant, sub vtraque specie communicantes: hoc enim solis sacerdotibus iniungitur. Reliqui autem dum fauum cum melle comedunt, ibi vt diximus, vinum cum lacte accipiunt, & sat est illis sub specie panis Sacramentum sumere, vt fusius Theologi confirmant contra hæreticos post concilij Tridentini decretum, quod hoc egregie declarauit?

4. De consilio frequenter communicandi. Sess. 21. c. 1. Vide Suarez, tom. 3. disp 69. per totum, cum D. Tho. 3. p. q 80. ar. 12. in ar. 10. de frequenti vsu ait Suarez supra, sect. 4.

At verba ista etiam consilium & exhortationem sonant, vt amici, & charissimi sæpius comedant, & bibant vsque ad ebrietatem & satietatem, in hocque sponsi voluntati maxime erunt conformes, qui tanto affectu eos ad comedendum & bibendum exhortatur, affirmans cum ipsi comedunt & bibũt, simul cum eis comedere, & bibere, valdeque iucũdari: nam hoc significat, quod ait: *Comedi fauum cum melle meo*: quando scilicet vos comeditis illum. Ideoque hunc panem quotidianum vocauit; vt qui digni amici sunt, & charissimi quotidie possint illum manducare, iuxta illud Augustini: accipe quotidie vt quotidie tibi prosit; sed ita viue, vt quotidie merearis accipere. Qui autem ita viuunt vt non solum amici sed charissimi habeantur, hanc merito consequuntur dignitatem vt ad mensam sponsi & cælestis regis quotidie cum ipso sedeant, & cum eo panem hunc manducent. Sicut enim Dauid volens benignitatem suam ostendere Miphiboseth, propter Ionatham patrem eius, dixit ei, *Tu comedes panem in mensa mea semper*: & filiis Berzellai cupiens benefacere, præcepit Salomoni, dicens, *Reddes eis gratiam, erunque comedentes in mensa tua*: ita Christus Dominus vt quanti amicos & charissimos suos faciat, nobis ostendat, ait illis, comedite, bibite, inebriamini ex eodem cibo & potu quo ego comedo, & bibo in mensa mea. Quod & Apostolis insinuauit, cum dixit: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mẽsam meam in regno meo.* Quod etiam de hac mensa intelligitur, quam in regno Ecclesiæ militantis paratam habet Christus aduersus eos qui tribulant nos, & ideo præmiserat: *Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Quasi diceret, propter hoc dispono vt super mensam meam sedeatis, in qua contra tentationes recipiatis virtutem, & pro tribulationibus remunerationem, dum conuiuio faui & mellis, vini & lactis fruimini, quod amaras omnes tribulationes dulces reddat.

2. Reg. 9. v. 8. & c. 19. v. 28. 3. Reg. 2. v. 7 Lucæ 22. v 28. Psal. 22. v. 5.

De inebrietate quæ fit in Eucharistiæ sumptione, vbi feruens est præparatio. §. 3.

Osee 4. v. 8. Lib. 4 exh. 28. & 31.

SED perpendamus amplius quod ait, *Inebriamini charissimi*, quod nõ solum ad potum vini referri potest, sed ad totum conuiuium, & ad mãducationem panis sicut supradiximus, quod maxime in hoc sacramento verum est, cum simul species panis contineant quidquid est sub speciebus vini. Propter quod apud Oseam Prophetam legimus, *Viuent tritico*, seu *inebriabuntur tritico*, quod de hoc mysterio

Psal. 22. v. 5.

Epist 63. ad Cecilium.

suprà explicauimus. Sed quia inebriatio proprius A pertinet ad potum, ideò illi attribuitur: quanta verò sit verbis explicari nequit; nam quale vinum, talis eius inebriatio: vinum autem infinitæ virtutis est & excellentiæ, iuxta illud Psalmistæ, *Et calix meus inebrians quàm præclarus est*, seu *quàm peroptimus est* (vt legit D. Cyprianus) qui eleganter hunc locum ita interpretatur; quia ebrietas Dominici calicis & sanguinis, non est talis qualis ebrietas vini secularis, cùm diceret Spiritus sanctus in psalmo, *Calix tuus inebrians*, addidit, *quàm peroptimus*; quod scilicet calix Dominicus sic bibentes inebriet, vt sobrios faciat, vt mentes ad spiritalem sapientiam redigat, vt à sapore isto seculari ad intellectum Dei vnusquisque respiscat: & quemadmodum vino isto communi mens soluitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur; ita epoto sanguine Domini, & poculo salutari exponatur memoria veteris hominis, & fiat obliuio conuersationis pristinæ secularis, & mœstũ pectus ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, diuinæ indulgẽtiæ lætitia resoluatur. Hæc Cyprianus.

2. Sed amplius adhuc significat vox *Inebriamini charissimi*, maximè iuxta lectionem suprà allegatam, *inebriamini amoribus*. In hoc enim sacramento ineffabili quodammodo iusti diuinis amoribus inebriantur; nam ad præsentiam dilecti sui cõtemnunt cuncta terrena, respuunt carnalia, rapiuntur ad cœlestia, & suipsorũ obliti, intra ipsum Deum immergũtur, & cum illo cuius delitiæ sunt esse hic cum filiis hominum, dulcia miscent colloquia; ibi delectationes quæ omnem sensum superant, iubila, raptus, secretorum reuelationes, & alij vigent anagogici actus, quos nemo nisi expertus valet explicare; ibi denique summa in Christum transformatio & vnio, vt dicat anima, *Viuo, non ego, viuit in me Christus*; & *qui adhæret Deo vn⁹ spiritus est.* Vnde mutua resultat spiritualis comestio, cùm anima comedit Christum in sacramento, sed Christus comedit spiritualiter ipsam animam, & in se commutat sicut Augustino dixit; non me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Hoc inquit idem Cyprianus significari, cum in calice aqua (quæ symbolum est populi, iuxta illud, *Aquæ multæ, populi multi*) miscetur vino, quia nimirum Christo populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credidit, copulatur, & coniungitur: quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, vt commixtio illa non possit ab inuicem separari: vnde Ecclesiam, id est, plebem in Ecclesia constitutam fideliter & firmiter in eo quod credidit perseuerantem, nulla res separare poterit à Christo, quo minus hæreat semper, & maneat indiuidua dilectio. Sic ille: & cõfirmat Apostoli sententia dicentis, *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia?* &c. Et quid quod nihil valeat separare, cùm intus maneat Christus cõiunctionem hanc conseruans? nam *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*; dum ille voluerit hanc mãsionem retinere: vt autem velit ipsa caro & sanguis vires dabit: etsi autem verba ista sponsi ad omnes Ecclesiæ iustos dirigantur, & inebriatio ad valdè perfectos; tamen peculiari ratione spectant ad Sacerdotes qui sub vtraq; specie comedunt, & bibunt; & æquum esset, vt inebriarentur tanquam Dei ministri charissimi, quibus tantam est elargitus gratiam, vt virtute ipsius sacramentum conficiant, & panem hunc de cœlo afferant, ac vinum cum lacte suo.

Ad Gal. 2. v. 20. 1. ad Cor. 6. v. 17.

Vbi supra. Apoc. 17. v. 15.

Ad Ro. 8. v 35.

Ioa. 6. v. 57.

Ceterum, nec ipsi nec alij quantumuis perfecti id assequentur propriis viribus nisi eos gratia sponsi preueniat, cuius est introducere in cellam vinariam, quam Eucharistiam esse supra diximus, vbi charissimi inebriantur à moribus, & plenitudinem diuinæ gustant suauitatis.

Lib. 4. Exhor. 28. & 31.

Oportet tamen eos non esse segnes, sed diligẽter se ad hoc cõuiuium præparare, eo modo quo ipsam sponsam præparatam intelligimus. Etenim præter communem præparationem quam supra diximus necessariam, & ad omnes amicos pertinet; alia est specialis, quæ maximè inuenitur in charissimis, & in actibus feruentissimę deuotionis consistit: quam explicant verba sponsæ, quæ, vt diximus, feruenter orabat petens Spiritus sancti aduentum, cuius est cor præparare, & cuncta impedimenta auferre, dicens, *Surge aquilo, veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius*: id est, vtinam fugiat à me spiritus superbiæ & pigritiæ, & adueniat spiritus gratiæ & feruoris Spiritus sancti, qui perflet hortum animæ meę, vt fluãt aromata deuotionis, amoris, & sanctorum affectuum, quorum fragrantia attractus dilectus in hortum suum venire dignetur. Simul autem instar accipitris extendere debes alas discursuum & meditationum versus austrum Spiritus sancti, ea considerans & contemplans quæ illum excitent, vt te suis inspirationibus perflet, & iuuet, vt exuas veteris Adami plumas, & terrenos affectus, induasq; Adami cœlestis mores, quæ sunt vestis nuptialis; qua dignè ad hoc conuiuium intratur.

3. *Specialis præparatio ad communionem.*

Iob 39. v 26 Supra perpensum est hoc.

Deinde autem cum ipso sponso Christo loquens, ardentia desideria aduentus ipsius excitare debes, dicens, *Veniat dilectus meus in hortum suum.* Oportet enim ad hoc conuiuium cum maxima fame & siti accedere, vt consequaris saturitatem; nam, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Et cùm ipse Christus desiderio desiderauerit hoc pascha manducare nobiscum, etiam ingenti desiderio debemus nos desiderare illudmet manducare cum ipso. Huiusmodi autem desiderium procedat ex amore qui præsentiam rei dilectæ summè exoptat. Hoc enim denotat dictio illa, *Veniat dilectus meus*, quem diligit anima mea; & ideò cupit esse cum illo. At qualis esse debeat huius desiderij, & petitionis intentio, indicat sequens verbum, *Et comedat fructum pomorum suorum*: non enim desiderat aduentum Christi in sacramẽto, vt fauum mellis comedat, & dulcedine illius fruatur, quasi propriam quærens voluptatem, sed potius vt ipse spõsus in ea comedat, & accipiat sibi quidquid pretiosum inuenerit, eoque delectabiliter fruatur.

Mat. 5. v. 12.

Denique proxima præparatio ad conuiuium faui est copiosa myrrhæ messio, colligendo manipulos, tum mortificationum & abnegationum, quibus à sẽ reiiciat quidquid terrenum est, & Christo dissimile: tum verò meditationum mortis & passionis Christi, amaritudinum ipsius, simul & virtutum quæ in eo fragrarunt, vt eas per imitationem sibi faciat proprias. Hoc enim est comedere hunc agnũ paschalem cum lactucis agrestibus, quę valdè amaræ sunt. Sed ipsa manducatio faui seu corporis Christi talem infundet dulcorem, qui temperet myrrhæ amaritudinem, & ad mellifluos eleuet mentis affectus, quibus tam Christus quàm anima mirabiliter pascantur. Sicut de Samsone scriptum est occidisse leonem, in cuius ore inuenit fauum mellis, ex quo comedit, & partem dedit parẽtibus suis, vnde formauit problema, *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Quod duplicem

4.

Exod. 12. v. 8.

Iudic. 14. v. 8. & 14.

habet allegoriã nostro proposito satis aptã. Samson enim (quod interpretatur *Soleius*) significat filium Dei qui leonem fortem, & comedentem occidit, cùm corpus proprium diuinitati vnitũ, sponte sua amarissimæ tradidit passioni & morti, in quo fuit fauus mellis, cùm ipsum in dulcissimum nostrum cibum conuertit, quem ipse gustauit, & discipulis gustãdum præbuit. Sed rursus idem Christus quasi metens myrrham vt comedat fauum, leonem occidit, cùm iustum leonina auiditate eum comedere gestiẽtem, tribulationibus, & amaritudinibus concussum, mundo reddit mortuum, & tunc in ore eius inuenit fauum mellis, quia hunc cibum cœlestem illi communicat, per quem omnis amaritudo in dulcedinem conuertitur, quo ipse etiam pascitur, dum nostris profectibus delectatur. Vtinam sic nos eum comẽdamus, & ipse nos comedat, vt in æternum gloriæ conuiuium perducat. Amen.

Hoc ex glossa ibi. Lib. 4. Exhort. 8. §. 4 de hoc etiam dictũ est.

EXHORTATIO V.

De ascensione Christi in cœlum, & de messione iustorum vt ibi sint cum ipso, ac de dulcissimo conuiuio gloriæ quo satiantur beati.

PRO ASCENSIONE DOMINI, vel PRO FESTO OMNIVM SANCTORVM.

Veniat dilectus meus in hortum suum, &c.
Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui, &c.

POSTQVAM Christus Dominus per mortem & resurrectionem suam opus redemptionis nostræ perfecerat, oportebat eum iam glorioſum in cœlos ascendere ex duplici potissime capite, tum vt regni sui possessionem caperet in loco Beatis designato, iuxta illud, *Oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Intrare autem cœpit cùm à mortuis resurrexit, & accepit corpus glorioſum & immortale: cui tamen proportionatus locus debebatur à corruptione & miseria liber; & ideò tunc plenè & perfectè intrasse dicitur cùm in cœlum empyreum ascendit, & sedit ad dexteram Patris; sed quia regnum istud non solùm sibi, sed nobis promeruit, & obtinuit; ideò etiam ascendit vt sedes nobis in eo loco præpararet, sicut testatus est cùm dixit, *In domo patris mei mansiones multæ sunt; vado parare vobis locum; & si abiero & præparauero vobis locum, iterum veniam, & assumam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis.*

D.Tho.3.p. q.57.art.1. Lu.24.v.26

Io.14.v.2.

De ascensu Christi Domini in cœlos. §. 1.

Vide infra l.10. exhor. 21.§.2. in id *Fuge dilecte mi.* §. 1.

AD hæc igitur duo respiciens Ecclesia ait, *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum*; cuius duplex sensus ad hunc scopum esse potest. Prior intelligẽdo per hortum cœlestẽ paradisum voluptatis, vbi beati æternis delitiis perfruuntur: de quo dicitur, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Verbum autem, *veniat*, non solùm significat accedere ad nos, sed idem quod ire & vadere: sic ergo Ecclesia post Christi resurrectionem, memor eorum quæ in vltimo sermone cœnæ ei dixerat de ascensione eius in cœlos, vt locum ei præpararet, vt Spiritum sanctum inde mitteret, vt apud Patrem pro ipsa intercederet. Hæc omnia transcendens, & requiem, tranquillitatem, & regnum suo sponso desiderans, ait, veniat, seu vadat iam dilectus meus in hortum suum, & ibi comedat fructum pomorum suorum, scilicet quæ paradisus ipse germinat. Scimus enim in paradiso cœlesti ad ripam fluminis procedentis de sede Dei & agni, esse plurima ligna vitæ afferentia duodecim fructus per singulos menses, quæ cœtum beatorum significant, & propria cuiusque gaudia, & singularia præmia, quæ consecuti sunt. Illorum enim plena felicitas sub illa metaphora designatur: at Christus Dominus fructum horum pomorum comedit, quia illis valdè delectatur, & reficitur, & in eius cedunt plenam & integram felicitatem, vt tunc melius impletum sit quod Isaias vaticinatus est, dicens, *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur.* Phrasis autem ista in Scriptura magnã insinuat saturitatem, sicut cum idem Isaias ait, *Tunc videbis & afflues, mirabitur, & dilatabitur cor tuum.* Pro eo igitur quod Christus immenso labore peregit in terris, videt nunc innumeram Sanctorum multitudinem secum regnantem in cœlis; quorum felicitatibus, & gaudiis ipse saturatur, & summam capit ex illis voluptatem.

Apoc.2.v.7 Ita Calepinus adducens Terentium, *Ego ad mercatũ venio.*

Isa.55.v.11. Isa.60.v.5.

Non vocat autem beatos fructus, sed fructum, sicut in Apocalypsi non dicuntur ligna, sed lignum, ad denotandam eorum vnitatem in visione & dilectione vnius Dei, vnde singuli aliorum felicitatum participes fiunt. Vocat autem fructum pomorum suorum, quoniam omnes illius beatitudinis gradus Christi Domini sunt, cuius præcipuè meritis fuerunt acquisiti: siquidem de omnibus Beatis dicitur, *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni.*

Apoc.7.v. 14.

Sed quoniam Apostolus de eodem Saluatore inquit, *Quod autem ascendit quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ?* cùm dicit sponsa, *Veniat dilectus meus in hortum suum*; seu (vt Septuaginta legunt) *descendat*, de duplici horto quem extra cœlum habebat, sponsus potest intelligi. Alter erat in inferioribus partibus terræ, qui limbus Patrum dicitur, vbi in sinu Abrahæ requiescebant omnes iusti, qui ab Abel vsque ad mortem Christi defuncti sunt; quorum cœtus spiritualis quidam erat hortus innumeris floribus, liliis, arboribus pomiferis & odoriferis refertus; & si in loco esset obscuro, transferendus tempore opportuno in cœlum empyreum: quem in ipso momento mortis suæ Saluator noster conuertit in paradisum delitiarum, dum omnes cœlesti satiauit beatitudine; de quo latroni adhuc in cruce pendenti dixit, *Hodie mecum eris in paradiso.* Orat igitur sponsa, vt dilectus descendat in hunc hortum suum, & ibi comedat fructum pomorum suorum, omnes illos sanctos Patres ad se accipiens, & per visionem beatificam sibi vniens, & in suam quasi transmutans deitatem. Et hoc clarius sub eadem metaphora insinuat iterum, cùm ait, *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis & lilia colligat.* Cùm enim descendit in limbum, quem mysticum hortum appellauimus, lilia Sanctorum sibi collegit, & qui pascitur inter lilia, ibi pastus est fructus illorum Patrum comedens, & famem animarum quam patiebatur, abundanter satians. At quia locus ille obscurus indecens erat beatis postquam eos modo dicto comedit, ac in se transformauit, inde secum eduxit, & deduxit in supremum paradisum sicut scriptum est, *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Hinc fit hæc verba etiam attribui posse Ecclesiæ Angelorum inuitanti Christum, vt ascendat in suum cœlestem hortum: ac si diceret; *Ascende, Domine, in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ*: id est, tu filius Dei cum sanctissima humanitate tua, & reliqua sanctarum animarum te comitantium caterua.

Isa.3.v.10.

Ad Phil. 2. v.9.

Apoc.22.v. 2.

De descensu in limbum.

Ad Ephes. 4.v.8.

Ad Ephes. 4.v.8.

Psal.131.v.8.

Ad Ephes. 4.v.8. Cant 6.v.1. Ita Philo Carpathius & Apponius.

De desiderio vnionis cum Deo in gloria. §. 2.

1.

SED quoniam etiam in terris habet Deus hortum Ecclesiæ militantis, quę vehementer cupit in triumphantem deduci, vt cum sponso suo regnet in cœlis; ex hoc affectu (vt Beda & Hugo de S. Victore testantur) ait, *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum*: id est, veniat iam vltimo ad nos sicut promisit, & accipiat nos plenè ad seipsum, vt sicut nos fructus iustitiæ ferre curauimus, ita nobis mercedem retribuat, in abscondito diuinitatis suæ nos colloçando, vt eius præclaræ visionis participes simus, & in eius perfectam similitudinem transformemur, *Tunc enim similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Quod declarat amplius metaphora ista comedentis; nam quandiu fructus sunt in arbore, quantumuis hortus sit conclusus, non sunt omnino tuti: ex multis enim causis possunt perire, vel corrumpi, aut ex gelu, vel grandine, vel à ventis, aut vermibus, vel ex interno aliquo humore qui generet corruptionem. Cùm autem ex arbore carpuntur, & à Domino comeduntur, suum consequuntur finem, propter quem progeniti sunt. Ad hunc igitur modum quantumcumque Ecclesia militans, vel religiosa familia, aut anima sancta sit hortus conclusus, & vndique munitus, dum tamen degit in terris, etsi vberes habeat fructus, innumeris tamen patent periculis propter ingruentes tentationes diaboli, vel carnis, aut mundi in maligno positi. Quid igitur est petere à Deo vt veniat in hortum, & fructus comedat, nisi vt eos ad se accipiat, in tuto loco diuinitatis constituat, & in se transformet? nam propter hunc finem iusti creati sunt, fecisti enim nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec perueniat ad te.

Lib. 3. de arca morali c.14.

1.Io.3.v.1.

Aug. lib.1. confes. c.1.

2.

Vnde patet quàm purus sit affectus iste quo æternam cupit beatitudinem; non enim eam petit vt ipsa comedat, vt satietur, etsi scriptum sit, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*, sed potius vt ipse sponsus comedat, & suam famem satiet, qua nostram æternam salutem desiderat, & vt ipsa suum vltimum finem consequatur, propter quem creata est, quod in ipsius cedit gloriam Creatoris; nam sicut graue naturali appetitu fertur deorsum, & leue sursum; sic anima sancta vehementer appetit esse intra Deum, & in eo quiescere: proprium enim est amantium, vt sæpius diximus, mutuam appetere vnionem, & adhæsionem, vt ex ipsis meliori modo quo possint, fiat quasi vnum. Quod plenè beati consequuntur in gloria, & egregiè significatur per similitudinem comestionis, qua sæpius vtitur Scriptura. Idque ipsa sponsi responsio expressius docet, vt mox videbimus. Comedit igitur beatus diuinitatem, quia illam sibi vnit, & ea satiatur; & diuinitas comedit illum, quia eum in se transformat, & sui omnino participem reddit. Vnde hoc discriminatur corporalis comestio à spirituali, quod in illa id quod comeditur propriam amittit naturam, dum transit in substantiam comedentis: in hac verò anima suam retinet naturam, & nobiliorem superinduit formam, nimirum nouam cum diuinitate vnionem & similitudinem.

Psal.16.v.15.

Latet etiam mysterium in eo quod vertunt Septuag. *Et comedat fructum nucum*, quoniam sicut prius confracta testa nucis separatur ab ea medulla, & hæc tantùm comeditur; ita modò prius anima sancta per mortem separatur à corpore terreno & mortali, & ipsa sola comeditur, & ad beatitudinem assumitur: in die autem iudicij corpus illud mortale resurgit glorioſum, & coniunctum animæ assumetur in gloriam, & quasi integræ nuces à cœlesti sponso comedentur. 3.

Sed id magis perpendendum est, cur animæ liceat hoc desiderium & hanc precem fundere, *Veniat dilectus meus in hortum suum*: non enim quæuis id auder dicere, sed illa maximè quæ hortus est conclusus, profunda humilitate, & vigilanti sui custodia vndique munitus, quæ emissiones habet sicut paradisus, vt quæ in terris cœlestem iam vitam degat, quæ plurima emisit aromata myrrhæ, & aloës, & nardi, & omnium virtutum fragrat odoribus, quæ digna est vt ab sponso vocetur ad coronam, dicaturque ei, *Veni de Libano, Sponsa mea, veni coronaberis*; quæ huiusmodi est, ardenter amat videre Deum, & illi vniri vtit; & ideò fidenter dicit, *Veniat dilectus meus in hortum suum.* 4.

De messione iustorum ad gloriam, & conuiuio quo fruuntur. §. 3.

AD cuncta hæc quæ sponsa petit, respondit sponsus, dicens, *Veni in hortum meum, soror mea sponsa; messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Quid Christus egerit, agatque postquam in hortum suum cœlestem venit, explicat per metaphoram messionis quæ ad mortem iustorum, & ad finem mundi referri solet, sicut constat ex parabola zizaniorum & tritici, in qua dicitur, *Sinite vtraq; crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus, colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.* Quod triticum metendum vocat, & à zizania separandum, nuncupat etiam myrrham suam cum aromatibus à tribulis & spinis mundi huius segregandam: ait ergo, veni & introiui in paradisum meum, possessionemque illius cæpi (hoc enim, vt diximus, introire denotat) atque tanquam rex & Dominus sedeo in throno meo, & delitiis paradisi mei fruor. Messui myrrham meam cum aromatibus meis, cùm descendens in infernum collegi omnes Sanctorum animas, quæ ibi detinebantur, & eas mecum in cœlum adduxi: deinceps etiam quotidie mero

Mat 13.v.30

manipulos iam Martyrum, iam Virginum & Confessorum, pluriumque iustorum qui in terris degebant, quorum contubernio & fragrantia delectabor in cœlis. Myrrham (inquit Diuus Gregorius) cum aromatibus dilectus metit, quando Christus mortificatione vitæ ad perfectionem perducta electum suum ab hac vita succidens ad cœleste horreum cum sancta opinione inducit. Myrrham verò peculiariter nominat, quoniam per mortificationem & afflictionem carnis ac spiritus potissime digni efficiuntur, qui ad cœlestia regna metantur: sicut scriptum est, quoniam *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Ex huiusmodi autem electa Sanctorum myrrha manipuli fiunt & fasciculi, quos Deus charissimos apud se habet, sicut quondam Dauidi dixit prudens Abigaïl, *Erit anima domini mei custodita, quasi in fasciculo viuentium apud Dominum Deum tuum.*

Idē Cassiod Beda, Ansel. & alij. Act.14.v.32 2.Reg.25.v.29.

Hinc est verba ista ad animam referri posse cum gemitibus & lachrymis ardenter desiderat ad sponsi paradisum duci, dicens cum Dauid, *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lachrymæ meæ panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Hanc igitur afflictionem ex nimio amore procedentem, qualis in Deipara prope morrem sine dubio fuit, respiciens sponsus, eam vt ad se veniat inuitans, ait, *Veni in hortum meum, soror mea sponsa*; veni enim, vt suprà diximus, in imperatiuo potest desumi, sicut supra dixerat illi, *Veni de Libano, soror mea sponsa, veni de Libano, veni coronaberis.* Veni igitur & tu, ô soror & sponsa, in hortum meum, vbi floribus coronaberis, vt eius delitiis fruaris, quoniam in te iam messui myrrham meam cum aromatibus meis; tuas vidi, approbaui, & accepi lachrymas, gemitus, mortificationes ac virtutes, quas tecum deferam in hortum meum, *Beati enim mortui qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur illos.*

2. Psal.41.v.1. Exhor.3.6.1 Apoc.14.v.13.

3.

Quod sub metaphora messionis dixerat, noua similitudine confirmat, & amplificat, dicens, *Comedi fauum cum melle meo; bibi vinum meum cum lacte meo*: ac si dicat; tu inuitas me vt veniam in hortum meum ad comedendum poma mea, ecce veni, *Et comedi fauum*, &c. in horto meo sunt poma & aromata, fauus & mel, vinum & lac ex vitibus & gregibus: comedi & accepi ad me dulcissimos fructus meos, & in gloriam meam iustos perduxi. Cassiodorus, cui Beda & Diuus Anselmus consentiunt, per fauum cum melle, eos intelligit qui in corpore & anima cœlesti felicitate gaudent; quales illi sunt qui cum Domino surrexerunt. Per vinum verò cum lacte, cæteros adultos vel paruulos, quorum animæ eadem beatitudine perfruuntur, quos omnes sponsus comedit cùm ad æternam vitam per mortem vocat, & corpori suo mystico iam glorioso, id est, societati in illa felicitate iam lætantium coniungit. Confirmat ferè idem Diuus Gregorius in hæc verba; Fauum cum melle comedit, quando desiderium sanctum in sanctis operibus latens perficit, & ad Sanctorum conuiuium sanctam animam sua delectatione impinguandam transigit: vinum verò suum cum lacte bibit, quando & perfectione quorundam se reficit, & innocentiam aliorum cum pietate diligens, vtrosque ad æternum conuiuium dirigit. Aptissimè autem post messionem myrrhæ huius conuiuij messionem facit, quoniam per tribulationes & amaritudines huius vitæ patienter toleratas, per magnosque labores ad illud peruenitur, sicut Christus insinuauit in loco superiùs allegato, cùm Apostolis dixit, *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis*: & subdens remunerationem, addit, *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Dum ait, super mensam meam, etiam se sessurum & comesturum eundem felicitatis cibum significat, sicut cùm dixit, *Cœnabo cum illo, & ille mecum*: non ait prandebo, sed cœnabo, vt vltimam gloriæ cœnam comprehendat. Vterque enim locus de esu & potu cœlestis beatitudinis intelligi etiam potest. Hæc enim frequenter in Scriptura declaratur per huiusmodi metaphoram; sicut cùm dicit, *Beatus qui manducabit panem, in regno Dei*; &, *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*, quod per duas parabolas Saluator explicuit.

Lu.22.v.28. Apoc. 3.v. 20. Lu.14.v.15. Apoc.19.v. 9.

4.

Sed quid est quod Dominus per similitudines cibi & potus beatitudinem nostram declarare voluerit, cùm Apostolus dixerit, *Regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto.* At qui seipsum fecit cibum & potum sub accidentibus panis & vini latentem (vt iam vidimus) quid quod per has visibiles epulas inuisibiles declarauerit, & seipsum inuisibilem beatorum esse cibum ostenderit; de quo Raphaël Angelus ad Thobiam, dixit, *Ego cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Inuisibilia autem Dei ab hominibus non satis percipiuntur, nisi per similitudines à visibilibus desumptas, quæ cum illis aliquam habeant proportionem: plures autem habet iucundus cibus, & potus cum Sanctorum gloria.

Ad Ro.14. v.17. *Cur beatitudo explicetur per similitudinem cibi & potus.* Thob.12.v. 19.

Etenim homines naturali appetitu qui esuries & sitis dicitur, vehementer appetunt cibum & potum, tum ob necessitatem, tum ob delectationem, nihil enim inter sensibilia, quæ sensuum obiecta sunt, ita necessarium est ad vitæ conseruationem quam cibus & potus; ideoque delectatio naturalis eis annexa maxima est, quæ non solùm sensui gustus, sed omnibus & singulis membris corporis proficua est, cùm omnia ex eo nutrimentum, robur, & vitæ conseruationem recipiant. Ad hunc igitur modum omnes vehementi appetitu nostram beatitudinem concupiscimus, in qua sita est vita non temporalis, sed æterna, cum summo gaudio coniuncta; vnde omnes animæ facultates satiatæ manent, nec aliud vlterius bonum desiderant; intellectus satiatur & delectatur Dei visione; voluntas saturatur, & iucundatur ipsius amore; totus spiritus intrat & immergitur in gaudium Domini sui; & ideò hæc satietas vocatur ebrietas, cùm dicitur, *Inebriamini charissimi*, quia superabundantissima est, & omnem famem propellit, ac omne desiderium sine fastidio replet, sicut Psalmista testatur, dicens, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

In hunc locum. Psal.35.v.9.

Quibus verbis delineata est essentialis nostra felicitas, quæ iuxta Theologorum sententiam plenè consistit in clara Dei visione, cum summo eius amore, summaque delectatione ex vtroque proueniente. Hæc est quæ vocatur vita æterna, cuius fons est ipse Deus, & ideò vocatur fons vitæ. Sola enim hæc vita per antonomasiam hoc nomine

gaudet, vt patet ex eo quod Saluator dixit, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Huius autem vitæ prima & potissima pars vel portio est visio Dei clara, de qua dicitur, quoniam *in lumine tuo*, scilicet nobis infuso, *videbimus lumen* increatum, quod est tuipse, quia visione te possidebimus, & intra nos retinebimus intimè coniunctum. Particula, *quoniam*, denotat reliqua ex hac visione procedere; nam inde prouenit quod vino diuini amoris tui, & bonorum quæ in te sunt inebriemur, & torrente copiosissimo voluptatis & delectationis tuæ potemur, & satiemur.

Matt.19.v. 17.

Beatitudinem per manducationem faui mellis, & potum vini cum lacte optimè designari. §. 4.

1.

HÆc autem eleganter explicantur per metaphoram istam, *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo*, &c. Comedere fauum cum melle ad visionem diuinitatis spectat, quæ est lumen & dulcedo per essentiam, & per ceram nutrientem lumen, ac per mel quod primatum dulcoris habet, designatur. Comeditur autem per visionem, per quam Deus possidetur, & intimè animæ coniungitur, in quo gustus reliquos excedit sensus. Visus enim, auditus & olfactus non ipsum obiectum sibi accipiunt, & possident, sed vel speciem eius, seu imaginem, vel aliquam qualitatem ex eo euaporatam: at gustus ipsum cibum & potum sumit, atque ita homo intra se recipit, vt in suam substantiam conuertat, cum qua semper vnitus manet: & ideò Psaltes gustum cum visu coniungens, dixit, *Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus*, quod in beatitudine nostra perfectissime contingit, nisi quod anima non transmutat in se Deum qui cibus eius est, sed ipsa transmutatur in illum, & illius visione deificatur, miroque modo Deum possidet, & possidetur ab illo, dicitque *Tenui eum, nec dimittam*; sed magis Deus tenet eam, & intra se ac in se transformatam habet.

Psal.33.v.9. Cant.3.v.4.

2.

Bibere autem vinum inebrians ad beatificum amorem refertur, bibere cum lacte ad abundantiam consolationis, & delectationis, quæ ex illo procedit; & hoc est inebriari ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potari: vbertas enim Dei summè dilecta animam satiat, omnem famem & sitim extinguit, quia in vno Deo cuncta bona inuenit; & ideò dicitur, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua, & non esurient; neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque vllus æstus, quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarū.* Potest autem iuxta supra dicta lac referri ad Christi humanitatem sicut & fauus; mel autem & vinum ad diuinitatem, quoniam ad cōplementum nostræ beatitudinis & vitæ æternæ spectat etiam visio & amor Christi; nam de cœlesti ciuitate scriptum est, quod *Claritas Dei illuminat illam, & lucerna eius est agnus.*

Ps.16.v.15. Apoc.7.v. 17. Isa.49.v.10 Io.17.v.3. Apoc.21.& 23.

3.

Cæterum, sicut in conuiuio corporeo omnes conuiuæ lætantur, & omnes comedunt & bibunt vsque ad satietatem; non tamen omnes æqualiter, sed vnusquisque mensuram cibi & potus ibi competentem accipit, quæ illum satiat, etsi minor sit quam ea qua robustiores indigent, vt satientur; ita in conuiuio gloriæ omnes Sancti lætātur, sicut scriptum est, *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis; exaltationes Dei in gutture eorū*; omnes etiam comedunt & bibunt, sed iuxta quantitatem meritorum, maiorem vel minorem mēsuram cibi & potus diuini accipiunt, & plus aut minus vident

Pf.149.v.5. 1.Cor.15.v. 41.

A Deum, & eius bonis ac dulcedine fruuntur; nam *Sicut stella differt à stella in claritate, sic erit in resurrectione*; &, *in domo Patris mei* (ait Dominus) *mansiones multæ sunt*, tam magnis quām paruis accommodæ; & ideò omnibus dicitur, *Comedite amici, & inebriamini charissimi.* Quod D. Ambrosius ad hoc conuiuium appetendum exhortās, sic explicat; An metuisne angustior domus, & breuis conuiuij locus te comprimat, *O Israel, quàm magna est domus Dei, & quam ingens locus possessionis eius, magnus & non habet finem; excelsus & immensus*: sed ne forte incomptam domus magnitudinem putes, & diuersoria te columnata delectent, sapientia ædificauit sibi domum, & sculpsit columnas septem: ipse etiam Dominus Iesus multas mansiones apud Patrem suum esse commemorat. In hac ergo domo epulaberis animæ cibo, potuque mentis, vt postea non esurias, neque sitias vnquam; qui enim manducat, manducat vsque ad satietatem, & qui bibit, vsque ad ebrietatem bibit; sed hæc ebrietas pudicitiæ custos est, &c. Sic ille; quibus adde hanc ebrietatem contingere in cella vinaria cœlesti, vt suo loco diximus, vbi beati diuinis inebriantur amoribus.

Io.14.v.2. " Lib.1. de " Cain & " Abel c.5. " Baruch 3. " 24. " " " " " Prou.9.v. " 1. " " " " " Idem D. " Ber ser. " de natiu. " Virg. de " aquæ du- " ctu.

4.

Sed hoc vlterius perpendere oportet, omnes beatos comedere totum fauum cum melle, sed non totaliter, vt Theologi dicunt, quoniam totum Deum vident, possidēt, diligunt, & summa delectatione fruuntur, sed non totum Deum comprehendunt, nec omnia quæ in eo sunt, & hac ratione portio partem faui comedere dicuntur; & hoc insinuat phrasis illa qua vtitur Dominus in hoc conuiuio explicando, cùm inquit, *Amen dico vobis quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Præcingit enim Deus se, quia totus capi à creatura non potest, & iuxta vniuscuiusque capacitatem præcinctus, cibum & potum beatitudinis illis administrat. Solus autem sponsus seipsum comprehendit, & totum fauum cum omni melle comedit, vniuersumque vinum cum omni lacte bibit; & ideò absolutè dicit, *Comedi fauum cum melle meo, & bibi vinum meum cum lacte meo.* Christus enim Dominus, quà Deus est ab æterno, hoc conuiuio fruitur; quà homo verò, à primo suæ conceptionis instanti beatus fuit secūdùm animam, vt Deus quidem per omnimodam comprehensionem, vt homo verò quantum possibile est rei creatæ, & sine mensura; non enim ad mensuram dat Deus spiritum Christo filio suo. Post resurrectionem autem cœpit esse beatus, etiam secundùm corpus; & quia fauum cum melle significare etiam diximus corpus cum anima, tunc comedit fauum cùm corpus gloriosum assumpsit: in cuius signum post resurrectionem discipuli obtulerunt ei ad comedendum partem piscis assi, & fauum mellis, vt per partem piscis assi reuocaretur in memoriam (sicut ait Beda) passio ipsius præcedens; per fauum autem mellis omnimoda gloria illius secundùm corpus, & animam diuinitati vnitam.

Lu.12.v.37. Io.3.v.34. Lu.24.v.42

Cæterum limitatio cuiusque beati ex parte supletur per beatitudinem aliorum; nam propter communionem Sanctorum, quod omnes beati comedunt, singuli comedere dicuntur dum de eorum beatitudine, ac de propria lætantur. Vnde Cassiodorus, Beda, & D. Anselmus, hæc verba, *Comedite amici*, &c. ad Angelos & reliquos beatos dici putant, quoties aliquis de nouo in hoc conuiuium ingreditur, vt congratulentur ei, & cum illo comedant & bibant; nouum enim de illius felicitate recipiunt gaudium.

TAndem hoc est celeberrimum cõuiuium de quo A Isaias vaticinatus est, dicẽs, *Et faciet Dominus exercituũ omnibus populis in monte hoc conuiuiũ pinguiũ, cõuiuium vindemiæ* (id est vini) *pinguiũ medulatorũ, vindemiæ defæcatæ.* Cùm dicit in monte hoc, vel signat montem oliuarum valli Iosaphat proximum, vbi futurum est vniuersale iudicium vel cœlum, ad quod mens Prophetæ eleuata erat. Conuiuium autem pinguium & medullatorum, est quod hic vocatur faui mellis, id est ciborum, qui sint delicati, dulces, & pretiosi valdè, ac sine vllo labore comeduntur, sicut medullæ ab ossibus extractę. Conuiuium autem vindemiæ defæcatæ est vini purissimi & pretiosissimi, ab omni fæce & terrestri substantia expurgati, quod hic vocatur vinum cum lacte. Hoc conuiuium dumtaxat beatis exhibetur in futuro seculo, quoniam in isto mortali statu semper admiscetur aliquid amarum, durum, vel asperum, quod ad crucem spectat: & sicut Hebræis non B
Exod. 12. v. 8. permittebatur agni paschalis ossa frangere, & intus latentem medullam comedere, sed tantùm carnes assas quæ cum aliquo labore dentibus conteruntur, & cum lactucis amaris; ita conuiuium iustorum in hac vita mixtum, habet aliquid amaritudinis & doloris, quia ad crucem & certamen præparat; at conuiuium beatorum medullatum est, ab omniq; duritia, crassitudine, & fæce penitus expurgatum; ab illa maximè quam in eodem monte & valle Iosaphat, reprobi potaturi sunt, iuxta
Ps. 74. v. 9. illud, *Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini mere plenus musto, inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fæx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ*; vbi sermo est de diuina remuneratione & portione tam iustis quam impiis tributa, quæ per calicem significari solet; & quia Deus hos humiliat, & illos in iudicio exaltat, rationem huius reddit, quia in manu Domini est ca- C
lix vini meri & purissimi quem propinat iustis, & calix plenus musto quem tribuit peccatoribus. Inclinat autem ex hoc in hoc, quia in die iudicij ex manu dextera inclinat ad sinistram; & postquam iis qui à dextris sunt, propinauerit calicem vini
Matt. 25. v. 34. meri, dicens, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Propinabit iis qui à sinistris sunt calicem iræ Dei fæcibus mixtum, inquiens, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Infelices reprobi qui in hortum Ecclesiæ intrare noluerunt, aut si intrarunt, sola fide contenti charitatem neglexerunt, & opera misericordiæ, quoniam cogendi sunt inebriari calice isto turbido & fæculento,
Apoc. 14. v. 9. sicut scriptum est, *Si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure*, &c. Vinum iræ Dei non est mixtum lacte, sed mero: ac si dicat; est sine vlla consolatione, purum iræ Dei vinum bibet; at felices Sancti, qui fidem charitate & bonis operibus exornarunt, quos sponsus inuitat, vt de calice suo bibant vinum suum cum lacte suo vsque ad satietatem, sine fastidio, & sine fine in secula seculorum. Amen.

EXHORTATIO VI.

De Christi Domini vigilantia circa iustos, maximè tribulationibus oppressos, etsi dormire videatur, & de fiducia in eo collocanda.

PRO DOMINICA 4. POST EPIPHANIAM. Vers. 2.

Ego dormio, & cor meum vigilat.

INCEPS est persona hæc verba proferens. D. Ambrosius, ac Diuus Gregorius Papa, aliique nonnulli connectentes ea præcedentibus sponso tribuunt: ipsi tamen & cæteri ferè Patres tam Græci quàm Latini, sponsæ, quorum sententia, etsi præferenda sit, prior tamen haud est contemnenda, quam in hac Exhortatione prosequemur; quia tamen iuxta vocem Hebræam lectio est per participia temporis præsentis, *Ego dormiens, & cor meum vigilans*, ad omnia tempora extendi potest. Vnde Diuus Ambrosius legit, *Ego dormiui, & cor meum vigilat*: alij, *Ego dormiebam, & cor meum vigilabat*; quæ si ad Christum referas, dormiebat quidem aliquando vt homo, sicut legitur dormiisse in nauicula, cum tempestas orta est in mari; & tamen cor eius vigilabat, non tantùm quia diuinitas eius semper erat vigil, sed etiam anima secundùm partem superiorem, quæ cuncta clarè vbique & semper intuebatur: præterea dormiuit in sepulchro, mors enim somnus vocatur, vt patet ex illo, *Ego dormiui, & sꝑoratus sum*: & tamen tunc vigilabat cor eius; quoniam anima expoliabat infernum, illuminabat inferiores partes terræ, & beatificabat Patres. Postquam autem ascendit in cœlum quasi dormire videtur, quia absens est corporaliter; & quia ibi in summa pace & tranquillitate quiescit (vt Diuus Gregorius explicat) vigilat tamen quoniam è cœlis cuncta prospicit, & Ecclesiæ curam gerit. Denique in Eucharistia existens dormit, quatenus intra accidentia sacramenti latet, nec corporeis sensibus vtitur, vigilat verò, quia vt Deus & homo per intellectum omnia contemplatur. Omnes autem hi sensus qui veri sunt, ad vnum reducuntur, quem etiam ipsi Deo scriptura tribuit.

Lib. 3 de virginib in hunc locũ, etiam Philo Carpathius, Apponius, & pseudᵒ apud Theodoretum. Hugo de S. Victore institut. monast. de bestiis, & aliis rebus l. 2. c. 1. Mat. 8. v. 24

Pſ. 36. v. 6.

Ita Philo. Ita Apponius.

Quomodo in tribulationibus nostris Deus dormire, & vigilare dicatur. §. 1.

ETENIM Deus dormire dicitur, quatenus videtur absens esse, & quasi curam nostrarum rerum non gerere, maximè cum tribulationibus premimur, & persecutiones patimur; à quibus cum possit, minimè liberat, & orationes ac gemitus nostros quasi dormiens non audit, nisi vehementioribus clamoribus excitetur: quo sensu dicebat Psaltes, *Exurge, quare obdormis, Domine? exurge, & ne repellas in finem: quare faciem tuam auertis, obliuisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ?* Ad quod significandum Christus Dominus, cùm nauicula operiretur fluctibus maris, dormiebat in ea, donec Apostoli timore perterriti, excitarunt illum; imò ideò dormiuit, vt fidem discipulorum probaret, & ipsis manifestam redderet. Parua autem eorum fides ob quam increpati sunt, detecta est; putabant enim eum ita dormire, quod vel tempestatem ignoraret, vel dormiens sedare nequiret; & tamen verè vigilabat animo, vt Origenes notat hunc locum cantici citans; &, vt inquit D. Ambrosius dormiebat corpore, sed virtute vigilabat.

I. D

Pſ. 43. v. 23.

Mat. 8. v. 24

Hom. 6. in diuersos. In Psal. 43.

Quantum-

Quantumcumque ergo Deus dormire videatur, A cor eius vigilat, quia electorum suorum calamitates cernit, eosque ne obruantur protegit, suaque protectione munit & custodit; sed quia aliquod sensibile auxilium & subsidium conferre dissimulat, dormire putatur.

Vnde sicut Christus Dominus non necessitate, sed voluntate obdormiuit, vt quasi ipso non aduertente tempestas insurgeret, quæ fiduciam discipulorum probaret; & tamen dormiens sua præsentia etiam nauem seruabat; sic Deus quasi dormiens se gerit, & sensibiles retrahit consolationes, vt insurgant tentationes, & acrius tribulationes vexent, quibus experimento iustus cognoscat suarum virium imbecillitatem, & diuinæ protectionis indi-
Lib. 23. Mo. c. 16. gentiam: Nam (vt egregiè docet D. Gregor.) cum " sicut cupimus ad Deum proficimus, si profectum " nulla tentatio pulsaret, alicuius nos esse fortitudi- B " nis crederemus: tentamur autem, vt & in profectu " nostro, quid de diuino munere, & in tentatione " cognoscamus quid de propriis viribus sumus, quæ " nos tentatio ad plenum raperet, nisi protectio su- " perna seruaret, sed pulsat, nec frangit, impellit, nec " mouet, quatit nec deiicit, vt de nostra infirmitate " sentiamus esse quod quatimur, & de diuino mu- " nere esse quod stamus. Et paulò post sic ait; Nemo
In c. 18. " quippe vires suas in pace cognoscit; si enim bella " desunt, virtutum experimenta non prodeunt. Im- " prouidus miles est, qui fortem se in pace gloriatur; " adducitque illud quod habetur in libro Iob, *Tabescet caro eius, & ossa quæ tecta erant, nudabuntur.*
Iob 33. v. 21. " Cùm enim flagellis prementibus omnis exterior " voluptas atteritur, internæ fortitudinis ossa nu- " dantur. Nemo quippe quantum profecerit, nisi in- " ter aduersa cognoscit: cùm enim adsunt prospera, " cerni virium documenta non possunt; tabescat ergo caro, vt nudentur ossa, feriamur paternis per- C " turbationibus, vt quantum proficimus, agnoscamus. Hæc carptim ex D. Gregorio.

2. Hinc fit istum somnum vel dormitionem Dei etiam esse nostram custodiam, dum cognitionem sui & humilitatem generat, per quam reliquæ virtutes custoditæ manent: dormit vt tentemur, sed vigilat, vt cum tentatione prouentum humilitatis faciat: dormit, vt trepidemus cum quatimur, sed vigilat ne labamur. Quid enim sumus, ait idem
In cap. 19. " Gregorius, si à conditoris nostri protectione de- " seramur? quæ protectio minus necessaria credi- " tur, si semper habeatur (nempe sensibiliter;) sed " vtiliter plerumque subtrahitur, vt sibimet ipsi ho- " mo quam sine illa nihil sit, ostendatur: & vt do- " ctrina sit quod in lapsu trepidamus, & custodia " quod in statu permanemus.

3. Hoc ipse Christus eleganti docuit parabola, di- D
Marci 4. v. 26. cens, *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo faciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increscat dum nescit ille.* Saluator enim semen verbi Dei, & euangelicæ doctrinæ iecit in mundo, & nunc iacit in anima; dormit autem cùm nos finit graues persecutiones, & tribulationes pati, sed dormit in nocte, quia in aduersis dormire videtur: exurgit verò in die, quia in prosperis se vigilare ostendit, sed vtroque tempore semen germinat, & increscit, quia iustus tam in aduersis, quàm in prosperis proficit; aut fortè melius dicetur Deum exurgere simul nocte & die, vt significetur tam in aduersis quàm in prosperis vigilare. Simul enim dormit permittēs aduersa, & simul exurgit faciens vt per profectum conuertantur in prospera. Sed dicitur nescire, vel (vt inquit

Verbum *exurgat* D. Hier. refert ad semen, D. Chrys. ad hominē.

Diuus Hieronymus) quia nos id ignorare facit; ne superbiamus; vel (vt ait Diuus Chrysostomus) quia ita nos sua gratia præuenit, vt liberæ nostræ voluntati committat opus, & gerit se quasi dormiens, & nesciens, nostrum expectans consensum, & profectum; & ideò subiecit, *Vltro enim terra fructificat primùm herbam, deinde spicam, deinde frumentum plenum in spica*, quoniam anima sponte sua, sed virtute diuini seminis & gratiæ, paulatim in virtutibus proficit.

Propter hæc ergo sponsus de se inquit, *Ego dormio, & cor meum vigilat*, vt sponsa & dilecta anima intelligat, ita eam diligere, vt etiam cum dormire videtur, non dormit cor eius, id est virtus, potestas, & amor ipsius, qui nec est extenuatus, nec illius est oblitus, sed intra cor suum habet illam; illudque applicat, vt eam tueatur. Dixerat paulò
Cāt. 4. v. 16. ante, *Surge aquilo, & veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Præcipiens aquiloni tempestuoso & rigido, vt perflaret hortum, non vt fructus congelaret, & fluxum aromatum impediret, sed potius vt esset copiosior. Sed vnde hoc? quia etsi dormiat, dum aquilo perflat, cor eius vigilat, vt illum moderetur ne noceat, sed potius iuuet. Cùm autem nocere iamiam attentauerit, surgens, imperabit ventis & mari, & fiet tran-
Mat. 8. v. 26 quillitas magna: est enim omnipotens imperium eius, cui venti ac mare mox obediunt.

Quomodo Deus simulat se dormire, vt nos amplius vigilemus. §. 2.

SED adhuc subtilior ratio in iis verbis insinuatur, nimirum Christum dormire vt probet, an nos verè vigilemus, vel vt nos faciat amplius vigilare. Cùm enim dicitur, *Ego dormio, & cor meum* X
vigilat: D. Gregorius putat sponsum vocare cor C suum ipsam sponsam, & sanctam animam. Mos enim amantium est hisce nominibus se inuicem compellare, cor meum, anima mea, & vita mea, maximè quia iustus vocatur vir secundùm cor Dei, & per amorem & obedientiam vnum cor cum Deo efficitur. Ait igitur, dum ego dormio, cor meum, quod est mea sponsa, non dormit, sed vigilat, in quo suum erga me amorem ostendit. Etenim cum nobis cuncta prospera succedunt, & magnis fouemur consolationibus, visitationibusque diuinis roboramur, quid mirum quod vigilemus in orationibus, in ieiuniis, in eleemosynis, & in aliis sanctis operibus hilariter incumbamus? Hæc enim omnia facillime tunc fiunt, & diem istum omnes desideramus, dicentes cum sancto Iob, *Quis mihi tribuat vt sim iux-*
Iob 29. v. 2. *ta menses pristinos secundùm dies quibus Deus custodiebat me? quando splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris, sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo*, &c. Quid quod Iob vigilaret vt Deo seruiret, cum semper Deus vigilaret vt eum custodiret, & benefaceret? nam & Satan dicebat, *Nunquid Iob fru-*
Iob 1. v. 10. *stra timet Deum? nonne tu vallasti eum*, &c. At vt Satan intelligeret, & nos etiam sciremus Iob & iustum quemque perfectum, non seruire Deo dumtaxat propter eximia quæ illi largitur dona, cuncta hæc solet auferre, & quasi dormiens eum derelinquere videtur, tribulationibus illum vexari permittens, vt dicat cum sancto Iob, *Clamo ad*
Iob 30. v. 20 *te, & non exaudis me, sto, & non respicis me, mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ*

aduerſaris mihi. Qui clamat orãdo, & ſtat perſeuerando, ac intuendo quid dicatur ei, profectò vigilat; qui verò non exaudit, nec reſpicit quaſi dormientem ſe gerit: at ſanctus vir non dormit, non pigreſcit, non deſperat, vigilat animo, auget virtutum ſtudia, ieiunia protendit, multiplicat orationes, creſcunt clamores ad Deum, non ex diffidentia, ſed cum magna fiducia, in ſpem contra ſpem credens, & dicens, *Domine, ſalua nos, perimus.* Propter quod ipſe Deus quaſi à ſomno excitatur, vt amplius ei ſuccurrat, & inimicos eius proſternat; ſicut fecit cum ſeruo ſuo Iob, quod & Pſalmiſta inſinuat cùm ait, *Et excitatus eſt tanquã dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino*: id eſt, ſicut homo fortis qui crapula & vino oppreſſus, grauem ſomnum dormierat, nihil agens; poſtea verò digeſtione cõſumpta, exurgit ipſo vino inſtauratus & calefactus; ita Deus qui dormire videbatur, non ex vino ire, ſed ex vino amoris, vt dilectos ſuos probaret; poſteà exurgit quaſi maiorem oſtentans virtutem, & vnico verbo ventos & mare feruens compeſcit, aduerſaque in proſpera commutat, quia *Facile eſt in oculis Domini ſubito honeſtare pauperem*, vt cum te conſumptum putaueris, oriaris vt Lucifer.

Pſ.77.v.71.

Eccl.11.v.23.

Iob 11.v.17.

2.

Præterea multoties proſperitas gignit ſecuritatem, ſecuritas verò negligentiam parit, & ſegnitiem; celeritas etiam obtinendi dona in cauſa eſt, quod minus ea æſtimemus, vel ſegnius cuſtodiamus: ideò autem Deus ſe dormire oſtendit, dum tribulamur, vel dum oramus, vt fortius vigilemus, & oremus inſtantius, vt poſſit ſponſus de nobis gloriari, & dicere; quando ego dormio, cor meum vigilat, & iuſtus meus amplius orat, & laborat, maioremque ſuæ ſalutis curam gerit. In hoc autem diſcriminantur perfecti ab imperfectis, quod iſti dormiente Deo, dormiunt, & vigilante, vigilant; cùm eos conſolatur, impigre ei obſequuntur: cùm verò eos derelinquit, valdè pigreſcunt: illi autem etiam Deo dormiente vigilant, & ſolicitè ei obediunt, quia etſi dormire videatur, præſentem & omnia intuentem eſſe cognoſcunt, & ideò vbique & ſemper ei placere ſatagunt. Hoc autem diſcrimen colligitur etiam ex parabolis, in quibus refertur quod Dominus dedit ſeruis ſuis talenta, & minas vt negotiarentur cum eis, & profectus eſt ſtatim in regionem longinquam. Cùm autem Deus nunquam ab vllo loco abſens eſſe poſſit, abſentia iſta eſt quaſi dormitio diſſimulantis non videre quæ fiunt, ac ſi abſens eſſet. Fideles autem ſerui non dormierunt, ſed vigilarunt, & lucrati ſunt plura talenta & minas; pigri verò negotiari neglexerunt; nam *Pigredo immittit ſoporem.*

Mat 25.v.13 Lu.19.v.12.

Prou.10.v.15.

Sed cur iuſtus continuo feruentius non vigilabit in Dei obſequio, qui cor eius vocari meretur? quid enim ita homo diligentius cuſtodit, ac cor ſuum? quod in medio pectoris ſitum eſt à natura, vt vndique circumuallatum ſit, & valdè munitum. Si iuſtus ergo eſt cor Dei, intra ipſum Deum eſt ab ipſo vndique protectus & munitus. Vnde ſicut cor hominis nunquam ceſſat à ſuo motu, & actione naturali, ſiue homo dormiat, ſiue vigilet; ſic iuſtus qui iuxta cor Dei eſt, ſemper quæ ſunt ei placita operatur, nec acediæ ſopore opprimitur, ſiue Deus dormiat, ſiue vigilet, ſiue eum derelinquere videatur, vel potius conſoletur: ipſa enim intima coniunctio cum Deo, ipſiuſque Dei iugis protectio, eum vrget, vt nunquam dormiat, ſed ſemper vigil coram eo aſſiſtat.

A

B

C

D

Quomodo Deus ſemper vigilet pro iuſtis. §. 5.

Ita multi Doctores iuniorũ ex antiquo Rabbino.

SED vt hoc amplius confirmemus, & explicemus, nonnihil accedamus ad veriorem interpretationem quæ verba hæc ſponſæ tribuit; ita tamen vt vice verſa cor ſuum vocet ipſum ſponſum Chriſtum, qui eſt eius amor, vita, & ſalus, vnicum ſolatium, & fons omnium bonorum. Dormitio autem in Scriptura aliquando ſumitur in malum pro ſomno peccati, vel pigritiæ, vt cùm ait, *Exurge qui dormis*; aliquando verò in bonum pro quiete & tranquillitate, vel contemplatione, vt mox videbimus. Cùm igitur ſponſa ex præcedẽtibus laudibus magnam de dilecto ſuo conceperit fiduciam, & ſingularem circa ipſam experta ſit prouidentiam, hanc mirabilem protulit ſententiam, *Ego dormio, & cor meum vigilat*: id eſt, ego vitam quietam & tranquillam ago, nec erit qui me perturbet, & exterreat, quia ſponſus meus Chriſtus, qui eſt cor meum, vigilat pro me, & gerit curam mei, ac omne malum à me longè propellet, nec vnquam me derelinquens dormiet, ſicut ſcriptum eſt, *Ecce non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſrael; Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua, ſuper manum dexteram tuam.* Habens ergo tam potentem & vigilem cuſtodem, cur non ſecura degam? *In pace enim & in idipſum dormiam & requieſcam; quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me*: ſic etiam promiſſum eſt Iſraëlitis, *Si in præceptis meis ambulaueritis, &c. dabo pacem in finibus veſtris, dormietis, & non erit qui exterreat.* Nihil enim ita animam ſecuram & tranquillam reddit, ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis, ac certa fides & fiducia de ſolicita vigilantia, & prouidentia ſui ſponſi erga illam, dummodo ita eum ex corde diligat, vt poſſit eum vocare cor meum: nam, *Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe: & rurſus multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus: Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur.* Quid eſt quod D. Petrus cùm eum eſſet producturus Herodes, in ipſa nocte, erat dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus; ac ſi nihil mali ſibi poſtero die timuiſſet? profecto quia ſciebat quod etiam ſi dormiret, cor eius Chriſtus pro eo vigilabat; nec fefellit ſpes, quia eadem nocte miſit Angelum ſuum, qui eum eriperet de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorũ.

Ad Eph.5. v.14.

1.

Pſ.120. v.4.

Leuit.26.v.3.&6.

Pſ.144.v.20

Pſ.33. v.20.

Act.12. v.6.

Diuina enim vigilantia & protectio omnem pellit timorem, pericula remouet, mala impedit, & bona trahit, vnde cùm Abraham multis eſſet circundatus periculis, & hoſtibus, apparuit ei Dominus dicens, *Noli timere, Abraham, ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Apparitio facta eſt in viſione noctis, vt Lxx. vertunt, quia nocte pericula magis premunt, & increſcunt timores. Sed quid eſt quod timeat cuius protector eſt omnipotens Deus? *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* pro nomine protector Hebraicè eſt *ſcutum*, ſeu *clypeus*: vndique circundans & protegens, ſicut Dauid dicebat, *Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos*: id eſt tua beneuolentia, & gratia eſt nobis inſtar ſcuti, quod nos circundat & protegit, cuius ope coronam obtinemus & victoriam.

Gen.15.v.1.

Ad Ro.8.v.31.

Pſ.26.v.1.

Amplificat hoc valdè quod cum Iacob in itinere anxius & timidus fugiens iram fratris, dormiret ſuper terram, vidit Deum vigilantem, qui ei itineris progreſſum per ſcalam oſtendit, Angelorumque cuſtodiam, & protectionem quam

Gen.28.v.15.

de eo habebat, dicens, *Ero cuſtos tuus quocumque perrexeris.* Sed quare viſionem hanc dormienti oſtendit, & non potius vigilanti? vt ſciret vtique etiam ipſo dormiente illius curam gerere, & pro eo tam Angelos quàm Angelorum Dominum vigiles eſſe, itineris comites, & cuſtodes. Reliquerat Iacob paternam domum, prædiuitiſque patris omnem ſubſtantiam contemſerat, ſolus, & inops ibat per deſertum, tranquillam vitam quam ab ineunte ætate elegerat, colere inſtituens: tunc opere ipſo expertus eſt quod teſtamur, *Ego dormio, & cor meum vigilat*: nam qui quietam & puram vitam propter Deum eligit, ipſum Deum quem intra cor ſuum retinet, pro ſe iugiter vigilantem habet.

A

2. *Contra pigritiam.*

Sed ſi dormire in malum vſurpetur pro pigritiæ ſopore, habes in his verbis quo te excites, & ſoporem deponas, ac ſi tuam ſtupens pigritiam, & increpans teipſum, dicas: Quid hoc eſt, quod *ego dormio, & cor meum vigilat?* dilectus meus vigilat pro me, & ego dormitabo? ille me excitat, & ego adhuc dormire ſatagam?

B

Nyſſenus.

Confirmat hoc Nyſſenus in principio homiliæ vndecimæ, dicẽs illum hic vocari ſomnum & dormitationem, per quam iis, qui in vitæ errore profundo immergũtur, falſa fingũtur inſomnia rerum temporalium quas concupiſcunt. Quem ſomnum cupiens à nobis arcere Chriſtus Dominus in Euangelio ſæpe monet, vt vigilemus, iam minis & terroribus, iam ſuauioribus promiſſis nos excitans, vt cùm ait, *Vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis.* Propter quod ſponſa, id eſt Eccleſia, quatenus virgines dormientes vel dormitantes continet, inquit; ego dormio, at ſponſus meus Chriſtus qui eſt cor meum, ſemper vigilat, vt me excitet, cuius vox eſt, *Aperi mihi, ſoror mea*, &c. Munus enim illius eſt excitare dormientes, & monere eos, vt à peccati vel pigritiæ ſomno ſurgant, in operibuſque bonis ſemper ſint vigiles, expectantes eius aduentum, quia neſcimus diem nec horam; & beati erunt quos cùm venerit, inuenerit vigilantes, quia verò admonitio iſta ex amore procedit, ideò cor ſuum vocat eum qui vigilat, & dormientes excitat: ſed qui vigilat ad excitandum dormientes, vt reſipiſcant, vigilabit etiam ad puniendum acriter eos qui eius voci obedire contemnunt; ſicut Ieremiæ dicenti, *Virgam vigilantem ego video*; reſpondit, *Bene vidiſti, quia vigilabo ego ſuper verbum meum, vt faciam illud.* Virgam vigilantem vocat Dei iuſtitiam, & iram iamiam appropinquantem vt rebelles peccatores puniat. Vigilat enim Deus dum cuncta hominum opera conſiderat: vnde virgam vigilantem vocat virgam oculatam, ſeu oculos habentem, quomodo in vno lapide dicitur etiam eſſe oculos ſeptem, vt per coniunctionem oculi & virgæ denotet diuinam iuſtitiam non dormire, ſed ſemper oculos habere apertos, & vigilare. Vigilat autem ſuper verbo ſuo vt faciat illud, cum vnicuiq; retribuit iuxta merita, largiens præmia vel infligens ſupplicia, iuſtos protegens & remunerans, peccatores verò de terra diſperdens. Vtrumque enim ad eius perfectam prouidentiam & vigilantiam ſpectat, vt vel timore ſupplicij, vel amore præmij à ſomno ſurgentes, vigilemus in operibus bonis.

Lu.21.v.36.

Ier.1. v.12.

C

Hinc igitur faciamus aſcenſum ad legitimam horum verborum interpretationem, quæ cuncta hæc verba ſponſæ de ſeipſa loquenti tribuit, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Ac ſi dicat (ſicut Theodoretus interpretatur) etſi à natura cogar oculos claudere, & capere ſomnum, mente tamen vigilo, & ignauiæ ſomnum minimè ſuſcipio, cum ſponſi aduentum expectem, iuxta conſilium ipſius dicentis, *Vigilate, quia neſcitis quâ hora Dominus veſter venturus ſit.* Cupio enim vt cùm venerit inueniat me vigilantem, vt ſuper omnia bona ſua me conſtituat in ſecula ſeculorum. Amen.

Mat.24.v.42 & c.25. v.13.

EXHORTATIO VII.

De vita quieta quæ Dei contemplationi & orationi vacat; de extaſi, & ſomnis à Deo immiſſis; ac de Paſtoribus & Doctoribus qui ſunt cor vigilans Eccleſiæ.

IN EVANGELIO DE MARTHA ET MARIA, ET PRO DOCTORIBVS.

Ego dormio, & cor meum vigilat.

D

ESCRIBIT ſponſa quid ſibi poſt præcedens conuiuium acciderit, cum tanquam chariſſima vino & lacte inebriata eſt. Poſt ebrietatem enim ſpiritualem ſequitur ſomnus & quies. Elegit ergo ſibi optimam partem Mariæ, quæ *Sedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius*, & magna cum tranquillitate diuinæ vacabat contemplationi. Hanc autem tranquillam & Deo vacantem vitam circunſcribit, ſicut communiter Patres interpretantur per hæc verba, *Ego dormio, & cor meum vigilat*: quæ dicuntur per ſimilitudinem ad eos qui dormiunt, & aliquid ſomniant; ſomnia enim dormientium vocantur vigiliæ, & idem eſt, *Ego dormio, & cor meum vigilat*; ac dormiens ſomnio, etſi autem omnes iuſti generali ratione vigilare dicantur, quatenus propriæ intendunt ſaluti, & diuinæ voluntati ſolicitè explendæ. Cæterum qui vitæ actiuæ incumbunt, non ſolùm vigilant animo, ſed corpore & ſenſibus, quibus rebus externis & operibus, ac negotiis exterioribus inſtar Marthæ inſudant, non ſine ſolicitudine & turbatione, quia verſantur circa plurima, etſi etiam bonum ſomnum dormire dicantur, quatenus ad ea quæ in hoc mundo iucunda videntur, per contemptum eorum, & ſui abnegationem, ſenſus conſopitos habeant: at qui vitæ contemplatiuæ vacant, optimum ſomnium dormiunt, quatenus externis negotiis valedicunt, & conſopitis ſenſibus corde vigilant, cæleſtium & æternorum vacantes contemplationi. Vigilanti enim corde (ait D. Gregorius) dormit, quia per hoc quod interius cõtemplando proficit, ab inquieto foris opere quieſcit.

Lu.10.v.39.

Hom.14.in Ezec.

Quis ſomnus, & quæ vigilia pertineant ad contemplationem. §. 1.

HABET igitur contemplatiua vita duas partes; altera ſignificatur per verbum, *dormio*; altera verò per verbum, *cor meum vigilat*, & maximam inter ſe habent connexionem; nam qualis eſt dormitio, talis ſolet eſſe cordis vigilantia; & quidem prima dormitio eſt omnibus neceſſaria, in qua vitia dormiunt, vt vigilent virtutes: & hæc ad vitam actiuam ſpectat, quæ contemplationem præcedit, de qua ſic Diuus Ambroſius ait; Cùm Chriſtus venerit, vigilantem te inueniat, vt paratus ſis: dormiat caro tua, vigilet fides: dormiant illecebræ corporis, vigilet cordis prudentia, membra tua redoleant crucem Chriſti, & ſepulturæ odorem, vt nihil iis ſomnus caloris

I.

« In Exhort. ad « virgines. « « « «

„ infundat, nullos exciret motus: ipsa est anima quæ
„ se Christo aperit, quam nulli vapores carnis exa-
„ gitant. Sed alius perfectior est somnus quo negotia externa alioqui licita cessant, & mens se ab illis
„ continet, vt internæ vacet sapientiæ, quam quietem elegisse videbatur sponsa, dum etiam ab opere prædicationis se abstinebat. Quod eleganter sic explicat D. Augustinus; Tutius (inquit) veritas
Tract 17. in Ioan. „ auditur, quam prædicatur; quoniam cùm auditur, humilitas custoditur: cùm autem prædicatur, vix
„ non subrepit cuiuis hominum quantulacumque
„ iactantia, in qua vtique inquinantur pedes. Et paulò post. Proinde in iis qui libenter & humiliter audire nouerunt, & vitam quietam in studiis dulcibus & salubribus agunt, sancta deliciatur Eccle-
„ sia, & dicit, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quid
Lib. 4. Exhor. 3 §. 2. „ est hoc, nisi ita quiesco, vt audiam? otium meum
„ non impeditur nutriendæ desidiæ, sed percipiendæ sapientiæ, *Ego dormio, & cor meum vigilat*; vaco
„ & video, quoniam tu es Dominus, *quoniam sapientiam scribo in tempore otij*; & qui minoratur actu, ip-
Eccl. 38. v. 25. „ se percipiet eam. Ego dormio, & cor meum vigilat; ego requiesco à negotiosis actibus, & animus
„ meus diuinis se intendit affectibus. Sic Augustinus. Postea subdens quomodo Ecclesia ab hac
„ quiete excitetur, vt prædicationi attendat. De quo statim.

3. Sed adhuc tertia est, eaque perfectissima dormitio, per quam omnibus rebus sensibilibus anima dormit, & est quasi mortua, vt tantùm cœlestia & æterna contempletur. Quam egregiè depingit D. Greg. Nyssen. dicens, Sõnus est mortis similitudo;
Hom. 10. in Cant. in eo enim soluitur omnis sentiens corporis operatio, cum nec visus, nec auditus, nec odoratus, nec
„ gustus, nec tactus somni tempore suo fungatur
„ munere. Procreat autem obliuionem solicitudinum & curarum quæ sunt in homine, sopor, metum & iram lenit, & efficit, vt nullus sit omnium
„ malorum sensus, quandiu dominatur corpori. Hoc ergo dicimus per ea quæ dicta sunt, quod seipsa
„ euasit excelsior, quæ sic magnificè gloriatur, & dicit, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Reuera enim
„ quandiu sola anima in se viuit à sensibus minimè perturbata, tãquam sub soporifero aliquo impedimento teneatur natura corporis, & verè potest dici
„ quod dormiat visus: per cessationem ab opere, &c. ita etiam mortuus est auditus, & cessans ab operatione, cùm in his quæ sunt supra rationem occupetur anima. Hæc fusiùs prosequens concludit.
„ Quod anima omni sensu corporali exuta nuda & pura mente per diuinam vigiliam Dei suscipit apparitionem. Hanc perfectionem confirmare videntur verba illa Apostoli, dicentis, *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram; mortui enim estis,*
Ad Col 3. v. 2. *& vita vestra est abscondita cum Christo in Deo*: nam sapere quæ sursum sunt pertinet ad vigiliam, non sapere quæ sunt super terram ad dormitionem & mortem, intra quam latet spiritualis vita.

Confirmat hoc amplius Diuus Ambrosius, sic dicens, Est Sanctorum somnus operarius, de quo dicitur, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Secundùm
Epist. 60. ad Anysium. „ quod sanctus Iacob diuina dormiens videbat mysteria, quæ vigilans non viderat: de cœlo ad terras
Gen. 28. v. 12. „ aërem peruium sanctis Angelis, respicientem Dominum, & pollicentem terræ eius possessionem:
„ itaque breui somno dormiens impetrauit, quod
„ magno labore postea acquisiuit: hæreditas enim
„ eius est somnus Sanctorum feriatus ab omnibus
„ corporis voluptatibus, ab omni animi perturbatione tranquillitatem menti inuehés, placiditatem animæ tanquam soluta nexu corporis se ableuet, & Christo adhæreat. Sic Ambrosius; cui Diuus Gregorius, Richardus de sancto Victore, & alij adstipulantur. Lib. 23. Mo. c. 12. In c. 33. super Cant. 4.

Ex his ergo habemus verbum ego *dormio*, ad potentias, sensus, & motus externos referri. Verbum autem *cor meum vigilat*, ad facultates internas, memoriam, intellectum & voluntatem, quibus etiam interni phantasiæ sensus & appetitus sentientes auxiliari solent. Hæ autem potentiæ, quæ ad spiritum pertinent, suos actus vigilanter exerunt circa diuina & cœlestia; comprehenduntur tamen sub nomine cordis, quoniam (vt sæpius diximus) contemplatio magis nititur dilectioni, quàm cognitioni; & amor intrat, vbi scientia foris stat. Cuiusmodi autem sit hæc cordis vigilia, & quàm necessarius aut vtilis sit contemplationis somnus, explicuimus supra circa illud, *Adiuro vos, filiæ Ierusalem*, &c. *ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam quoadusque ipsa velit.* Hoc tamen perpendendum est, vt hæc duo loca conciliemus. Sponsus enim prohibet ne sponsam faciant euigilare, & tamen ipsa etiam cùm dormit se vigilare testatur. Sed ille loquitur de vigilia ad opera vitæ actiuæ, ad actionesque circa proximos: ipsa verò de vigilia contemplationis, quæ in ipso somno intime est imbibita, de qua dicitur, *Vacate, & videte quoniam ego sum Dominus*: vacate ab aliis, sed non à visione; imò videte & contemplamini quod ego sum Dominus, & non est alius præter me. Cant. 2. v. 7. In l. 4. Exhor. 43. Plura de hoc in l. 10. Exhor. 4. §. 2. Psal. 45. v. 11.

De molesta vigilia cogitationum quam patiuntur orantes, & de bona cordis vigilia in oratione. §. 2.

C SED ex ipsa dormitionis & somniorum similitudine amplius hoc declaremus. Quidam enim dormientes molestè vigilant, alij verò placidè, sicut & diuersa sunt insomnia; quæ enim ex nimio vel prauo humore, vel capitis imbecillitate procedunt, vaga sunt & vana, molesta & tristia, & aliquando impudica, & furibunda. Placida autem & suauia si ex sana & proportionata origine prodeant: sic in oratione & contemplatione contingit, qui enim se ad orandum & contemplandum recipit, intratque cubiculum suum, & sensuum suorum ostium claudit, vt in abscondito Patrem suum oret, dicere vtrumque potest, *Ego dormio*, quo ad externos actus, & negotia ac sensuum operationes; cùm verò subdit, *cor meum vigilat*, aliquando molestè & laboriosè, aliquando verò placidè & suauiter fieri potest; multi enim in isto somno molestas patiuntur cordis euagationes & distractiones, quæ sunt velut molestæ vigiliæ, & grauia dormientium somnia, quas reprimere nequeunt, nisi potentissimo Dei fulciantur auxilio, iuxta illud Ecclesiastici, *Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio; ne dederis in illis cor tuum, multos enim errare fecerunt somnia.* Perpende autem miram sapientis phrasim in duplici verbo, quo hic vtitur. Aliud enim est cor pati phantasias, somnia, & distractiones, aliud dare cor suum in illis: illud fit nobis etiam inuitis, & sine culpa vlla accidere potest: hoc autem nonnisi nobis consentientibus, & ideò imputatur ad culpam: illud quidem molestum valdè, sed ad probationem & exercitium à Deo permissum; hoc autem nimis noxium, quoniam est in probatione deficere, I. Matt. 6. Eccl. 34. v. 6 De hoc supra l. 3 Exhor. 3. § 3.

& hostibus manum dare: illud ineuitabile est nobis, si proprias vires attendamus, & nisi ab Altissimo adsit visitatio, quæ tamen in nostra libertate non est sita: hoc autem euitari potest, nec vnquam deest diuina gratia, etsi vix euitetur omnis culpa ex aliqua negligentia vel mora.

Hanc molestam vigiliam multi iusti patiuntur inuiti, sed patienter tolerant, ad Deum tamen clamantes, vt eam in tranquillam vigiliam cordis, & mentis quietem conuertat. Quod de se
Iob 17. v. 11. Iob testatur, dicens, *Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum, noctem verterunt in diem*: id est, in ipso somno cogitationes, & somnia molestissima patiebar, quæ cor meum vexabant,
Iob 7. v. 13. & laboriosam instar diei faciebant noctem quieti deputatam: & rursus, *Si dixero consolabitur me lectulus meus, & releuabor loquens mecum in stratu meo*: id est, aliquid mecum meditans quod meum releuet dolorem, & angorem, *Terrebis me per somnia, & per visiones terrore concuties.* Tribuit Deo quod ipso permittente Satanæ astutia fiebat, dum terribilia illi incutiebat somnia, & visiones cum in lectulo dormiebat; sic & istæ turbulentæ cordis vigiliæ in oratione, tum ex natura corrupta, & instabili vis imaginatiuæ conditione, tum ex diaboli industria, & suggestione proueniunt, ita vt cor orantem deserinquat,
Psal. 39. v. 14. & ad vana, inutilia, & noxia se conuertat. Oporteatque iugiter cum Psalmista orare, *Cor meum dereliquit me, complaceat tibi Domine vt eruas me; Domine ad adiuuandum me respice*: nec cessandum est ab hoc importuno clamore, donec ab Altissimo emittatur visitatio, quæ cor tranquillum reddat, & placidè ac fructuosè in oratione vigilare faciat.

2. De hac igitur tranquilla vigilia sponsa loquitur, quoniam ab sponso fuerat visitata; nam paulò ante dixerat, *Veni in hortum meum, soror mea sponsa*: cùm autem ait, *ego dormio*, non solùm ad sensus externos refert, sed ad importunas phantasiæ cogitationes, quas ex Dei gratia tunc sopitas & compressas habebat, vt nihil terrenum, nihil carnale, nihil ab oratione & contemplatione alienum phantasia reuolueret, sed menti & spiritui in omnibus subiiceretur, & fideliter ministraret: quod si aliqua aliena cogitatio subrepat, & aliquas phantasias cor patiatur, id summopere curandum est ne cor abeat post illas, & libere admittat, quod inuitum tolerabat; tunc enim cor non verè vigilaret, sed potius dormiret, etsi voce longas proferat orationes, & psalmos ac hymnos in Ecclesia canat. Quod eleganter ex hoc loco deducit Diuus Cyprianus increpans eos qui sola voce orant, sed mente ad inutilia vagantur:
Tract. de orat. Dominic. prope finem. „ Hoc (inquit) est vigilare oculis, & corde dormire,
„ cum debeat Christianus, & cum dormit oculis,
„ corde vigilare: sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quapropter
„ solicite & caute Apostolus admonet, dicens, *Orationi instanti, vigilantes in ea*; docens scilicet, &
Ad Col. 4. v. 2. ostendens eos impetrare posse quod postulant,
3. quos Deus videat in oratione vigilare. Sic ille. In cuius confirmationem aducere possumus Christi
Mat. 26. v. 40. increpationem, quando ipso orante Apostoli dormiebant, *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum? vigilate & orate vt nõ intretis in tẽtationem*: cùm ait, *vigilate & orate*, clarè insinuat eam vigiliam Apostolis commendare, quæ fit non solùm oculis corporeis, sed mentis, orationi instando. Increpa ergo teipsum dum Christum sic vigilantem & orantem conspicis, & dicito, Christus qui est cor meum, & amor meus in oratione vigilat, & cor meum proprium dormiet in ea. Absit; sed potius ore & corde vigilabo, *Orabo Spiritu, orabo & mente*, psallam spiritu, *psallam & mente*: nam si orem dumtaxat lingua, orat quidem spiritus vocis, sonitus emittens, sed mens sine fructu est, quia non vigilat, sed in oratione dormit. Et quæ segnitia est (ait idem Cyprianus) alienari, & capi ineptis cogitationibus & prophanis, cùm Dominum deprecaris? quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quàm cum de eo loquaris. Quomodo te audiri à Deo postulas, cum te ipse non audias? vis esse Deum memorem tui cùm rogas, quando ipse memor tui non sis? Cùm ergo ad orandum te contuleris, intra in cubiculum tuum, dicito corpori & sensibus, ac omnibus terrenis curis & cogitationibus, manete foris ad ostium, & requiescite
B ibi donec ego orem, & cor meum coram Deo vigilet, ac ita obtinebis quod Psalmista dicebat, *Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine.* Tunc autem totum cor ad Deum clamat, cum ipsum solùm omni suo conatu ad ea quæ sunt Dei vigilat, & reliquas vires ad idem secum trahit; quæ tamen ad cætera dormiunt, & silent. Plura de hoc in libro 3. dicta sunt. Nec prætermittẽdum est quod Diuus Cyprianus innuit à Deo attentam, deuotam ac frequentem debere esse orationem, vt etiam dum corpus dormit, cor vigilet, & ea quæ sunt Dei somniet, & cogitet: nam ex iis quæ interdiu homo vehementer cogitat, similes in somno ebullire solent cogitationes. Anima (inquit Climacus) quæ verbum Domini quotidie sine intermissione meditatur, solet per soporem quoque in
C eodem immorari. Somni ipsi (inquit Basilius) pietatis exercendæ meditationes quædam sunt, quæ enim nobis sopore depressis occurrant imaginationes, consueuerunt vtplurimum contingere ex curis quas tecum agitaueris interdiu. 1. Cor. 14. §. 15. Exhort. 3 §. 3. Gradu 19. ad fi. em. Ho. in sanctã Idem Greg. 23. Mor. c. 12.

De extasi, & somniis supernaturalibus quæ immittuntur à Deo. §. 3.

SED illud subtilius quæres cur sponsa non dixerit, sensus meus dormit, & cor meum vigilat, sed, *ego dormio*; nam pronomen ego totam ipsam, & etiam cor internasque facultates comprehendere videtur. Facilis esset responsio, si ab iis quæ foris apparent hominibus, se totum dormire dicat; ij enim totum hominem dormire putant, cum nihil exterius eum agere vident. Sed forrè eleuatissimum modum contemplationis hic insinuat, in quo eleuat se supra se; & tota dormit non tantùm secundùm sensus, sed etiam secundum internas facultates quoad actus ex propriis viribus, aut iuxta naturam suam prodeuntes; quoniam tunc non agit, sed agitur, non se mouet, sed à superiore spiritu mouetur, & est velut patiens diuina, ea ex Dei illustratione & infusione recipiens. Tunc enim verè inquit; ego dormio, & ex me vel à me nihil ago, & tamen cor meum vigilat, quia Deus vigilare illud facit, & operari; & ipse sponsus qui cor meum est, intra me vigilat, & mirabilia intus operatur. Stupenda enim mysteria ostendit, dulcissima verba ad cor loquitur, ingentia promittit dona, reuelat futura, & alia eiusmodi operatur, quæ totam excedant naturam: & ideò vocantur in Scriptura vel excessus mentis, seu extasis, vel raptus, vel visio, aut somnium: sicut Ioël testatur, in-

Ioel. 2. v. 28 Act. 2. v. 17. D. Petrus prius refert iuuenes.

quiens, *Prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt*: vbi duplicem prohetiam & reuelationem Propheta commemorat, vnam quæ fit per visionem imaginariam; & hæc (teste D. Thoma) perfectior est cum fit in vigilia, quam cum in somno; indicat enim maiorem esse vim luminis diuini: nam efficacius esse debet, vt abstrahat hominem circa sensibilia occupatum, & ad supernaturalia eleuet, quam cum anima per somnum à sensibilibus est abstracta. Altera verò reuelatio fit absque vlla visione imaginaria, cum veritas per lumen intellectuale purè manifestatur, & solet vocari locutio Dei veritatem manifestans: & hæc perfectior est quam præcedens, etiam cum fit in somno, & ideò tribuitur senibus tanquam perfectioribus, altera verò iuuenibus tanquam minus perfectis: vnde per amplificationem alibi dicit, *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*: & in libro Iob dicitur, *Semel loquitur Deus*, &c. *Per somnium in visione nocturna quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instituit disciplina.*

2 2. q. 174. ar. 3.

Nu. 12. v. 6. Iob 33. v. 15.

2.

Vbi duplex somnus commemoratur, & in vtroque solet Deus secreta reuelare, quod est aperire aures, vt ipsum loquentem audiant, & eruditionem diuinam percipiant: prior est qui irruit super hominem ab ipso Deo immissus eo fine, vt ei inter dormiendum aliquid manifesteret. Quo modo Scriptura dicit Deum misisse soporem in Adam, Septuaginta legunt, extasim, in qua fine dubio reuelauit ei mysterium formationis Euæ ex latere suo, & soporem irruisse dicit super Abraham, cum illi magna secreta reuelauit: posterior est, cum ipse homo spontè dormit in suo lectulo, & tunc Deus dormientis aurem aperit. Quomodo Iacob cum humi cubaret dormiens, cœlestem scalæ visionem percepit, & Dei ingentes promissiones. Sed quoniam somnia ex pluribus causis prouenire possunt, & tam à malo, quàm à bono spiritu (vt fusè docet D. Gregor.) ex eo dignoscenda sunt quod Deus in somniis quæ immittit, aures virorum aperit, vt diuinas audiant iussiones, & eius voluntati obediant, eòsque instruit, corripit, & dirigit circa ea quæ agenda sunt, & semper ea dicit quæ consentanea sunt iis quæ in sacra Scriptura & antiquis Patribus dixerat; nam idcò præmisit, *Semel loquitur Deus*: quidquid enim per somnia loquitur, solùm tendit ad confirmandum id quod semel locutus est.

Gen. 2. v. 21.

Gen. 15. v. 12

Lib. 8. Mor. c. 23. & l. 4. dial. c. 48.

Vide Pereiram fusiùs in me lib. 2. in Danielem.

3.

Illud autem est mirabilius, quod in huiusmodi somniis ita Deus cum anima colloquia miscet, quod ipsa etiam ei respondeat, oret, bona petat, & obtineat, sicut Scriptura narrat de Salomone, cui apparuit Dominus per somnium in nocte, dicens, *Postula quod vis, vt dem tibi.* Ille verò multis verbis petiuit sapientiam, Deúsque, cui postulatio hæc valdè placuit, respondit annuens, & alia plura ei dona promisit. Agebatur autem tunc Salomon ab ipso Deo, qui precem ordinabat & inspirabat, iuxta id quod in vigilia rex concupierat, & sæpius postulauerat: sed dona quæ ei dare decreuerat eo modo concessit, vt certo sciret Salomon, non suis meritis, sed ex Dei benignitate recepisse.

3. Reg. 3. v. 5

Pereira vbi supra tractat, an Salomon tũc habuerit perfectam arbitrij libertatem. Act. 10.

Id ipsum contingit in extasi & raptu qui somnij formam refert, qualem habuit D. Petrus dum vas linteum descendens è cœlo vidit, & vocem audiuit, cui & respondit; ac D. Paulus cum raptus est in tertium cœlum, & audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui. In huiusmodi autem mentis excessibus, qui aliquibus contemplationi deditis, ex speciali Dei gratia crebrò euenire solent, etsi mens & corvigilet; nam intellectus plurima mysteria diuino lumine circunfusus intuetur, Deiq; verba dulcissima audit, & volũtas vehementis amoris, aut gratitudinis, vel etiam timoris affectus elicit, suamque obtinere libertatem D. Thomas testatur: tamen fortè liberum arbitrium, saltem quoad perfectum vsum, aliquo modo dormit, non enim est omnimoda libertas, qua se homo agat, & moueat, vel cessare ab actu possit, sed à diuino spiritu agitur, illustratur, inflammatur, illosque affectus recipit. Postquam autem in se reuertitur, iam cum plena libertate ac ingenti merito similes actus elicit, & in Dei amore ardet, miraturque se multa in extasi coram Deo dixisse, petiisse, & fecisse; quæ si sui compos extra raptum esset, dicere, & facere non auderet.

2. Cor. 12.

1. 2. q. 113. art. 3. ad 2.

Huiusmodi autem fuit somnium istud sponsæ, quod D. Bernardus extasim alibi vocauit, & vitalem, vigilemque soporem, qui sensum interiorem illuminat, & morte propulsata vitam tribuit sempiternam: vocat etiam eum mortem iuxta supra dicta, quæ tamen non vita, sed vitæ eripiat laqueis, & animam Angelis similem efficiat, dum à cupiditatibus & cogitationibus terrenis, inutilibusque imaginibus cor auertit, pluraque adducit quæ suo loco à nobis explicata sunt.

Serm. 52. in Cant.

In Cant. 2. v. 7.

Illud tamen nosse oportebit quomodo hunc soporem mysticum sponsa obtinuerit, vt inde discamus qua ratione nos ad illum valeamus præparare. Etenim postquam introducta est in cellam vinariam, & vino amoris inebriata, vt in cap. 2. narratur, dormiuit super læuam sponsi, qui adiurauit filias Ierusalem ne eam euigilare facerent: nunc autem postquam conuiuio interfuit, in quo sponsus dixit, *Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi.* Ipsa etiam inebriata est, post ebrietatem verò (inquit Nyssenus) somnus sequitur; sed clariùs D. Ambrosius: Audiens (inquit) hoc anima, hausit mysteriorum ebrietatem cœlestium, & velut sopora à vino, & quasi in excessu vel stupore posita, dicit, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Vnde fit ex vehementia amoris erga Deum hunc spiritualem soporem, & cordis vigilantiam prouenire; nam qui tepidè & remissè amat, & segnis est in Dei obsequio, nec dignus habetur hoc conuiuio, nec potabitur vsque ad ebrietatem, quæ huiusmodi adfert somnium amicis & charissimis reseruatum.

4.

De hoc mystico somno plura iterũ inf. lib. 10. Exhort. 4.

Sed quoniam sponsus est qui introducit in cellam vinariam, & qui amicos ac charissimos ad comedendum & bibendum inuitat, ad ipsum etiam spectat hunc somnum tribuere, cuius donum est supernaturalis hæc contemplatio, quies, & cordis vigilantia, quæ sine diuino fauore non poterit impetrari, nec conseruari postquam fuerit impetrata: vnde ipse dignatur magno zelo custodire, quod prius dignatus fuerat elargiri: nobis autem ab illo humili & feruenti oratione gratia petenda est, vt mentem quietam & tranquillam reddat, corque ad vigilandum coram ipso disponat. Cætera verò quæ singularia sunt, priuilegia eius prouidentiæ committamus, qui probè nouit quis modus contemplationis vnicuique electorum suorum magis expediat.

" Ho. 10. in " Cant. " Lib. de Isaac c. 6. "

Supradicta aptantur Deiparæ. §. 4.

QVÆ diximus singulari excellentia conueniunt Deiparæ, quæ cum duplici somno duplicem coniunxit stupendam vigiliam, id est duplicem contemplationis modum, vt insinuat Rupertus. Prior in quo omnes sensus interni & externi, ita circa tẽporalia sopiti erant, vt nec minimam in vita pateretur cogitationem ab oratione alienam. Quod singulare eius fuit priuilegium, vt sæpe diximus. Et ideo cor eius perpetuo vigilabat in oratione, obtutum mentis in Deum fixum habens, itaut nec ipse somnus corporis eum omnino interciperet, sicut D. testatur Ambrosius, de ea dicens: cum quiesceret corpus eius vigilabat animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænunciat. Quod D. Basilius, vt iam vidimus, aliis etiam consulit; eo quod imaginationes quæ in somno fiunt, veluti extremæ quædam resonantiæ sunt curarum diurnarum. Imo Nabuchodonosor cogitanti in strato suo, quid esset futurum post se ostendit Deus per somnium statuam, quæ quatuor regna futura significabat, & regnum Christi nasciturum ex Virgine, qui per lapidem excisum è monte sine manibus repræsentabatur, id est, genitum ex sublimissima matre sine virili opera, vt D. [a] Augustinus, & D. [b] Gregorius interpretantur.

1.

Lib. 2. de Virgin.

In §. 2. ad finem, orat. 2. de precatione, & hom. in Iulittam Martyrem. Dan. 2. v. 29.

[a] Concione ad Cathec. contra Iudæos, pagan. & hær. & tract. 9. super Ioan. [b] Ioel. 2. v. 12. Lib. 33. Mor. c. 1. Num. 12. v. 17.

Multo ergo præcellentius huic Virgini sanctæ, complures factæ sunt reuelationes sublimissimę circa diuina mysteria, tum in somniis, tum in vigilia, iuxta Ioëlis vaticinium. In quo Moysem superauit, qui aliis prophetis prælatus est, tanquam seruus in domo Domini fidelissimus, cui Deus ore ad os loquebatur, & palam, & non per ænigmata Deum videbat. Quanto ergo magis glorioſissima Virgo prælata est illi tanquam fidissima mater in domo Domini filij sui? nam sicut incomparabiliter sublimius quam ille nomen & munus suscepit, ita ad multo sublimiorem euecta est prophetiam.

Sed alacrius audio Deiparam in somno suæ contemplationis dicentem: *Et cor meum vigilat.* Non tantum pro me, sed pro omnibus fidelibus, & filiis meis curam illorum gerens, sicut Christus qui est cor meum vigilat pro illis. Nam vterque idem habemus cor, & cor meum est iuxta cor ipsius, ad quid autem vigilat, nisi vt sicut scriptum est; *Conuertat cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Id est, vt parentes nostri Christus & Christifera, ac Patriarchæ, & Apostoli, ac sancti patres qui nos præcesserunt, transferant in nos filios suos, cor suum & mores suos. Nos verò cor nostrum transferamus per amorem, & imitationem in illos, vt omnes etiam idem habeamus cor, nostrumque semper sit vigilans in eorum obsequium, sicut ipsorum vigilat in nostrum commodum. Beatus eris, si vigiles ad Deiparæ fores quotidie, quia ipsa vigilabit pro te, & per eam inuenies salutem à Domino.

2.

Malach. 4. v. 6.

Prou. 8. v. 34

3.

De Eucharistia.

Tandem ne despondeamus animum, nam qui dixit: *Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi:* inuitans nos ad sumendum Eucharisticum cibum vbi Christus, & cor ipsius continetur, ipse cum ingressus per dignam communionem fuerit, faciet nos tranquille dormire in ipsum, & cor nostrum vigilare ad illum. Legimus Angelum bis dedisse panem Eliæ, qui post primam commeſtionem obdormiuit; post secundam vero non dormiit, sed vigilauit & ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei Oreb, vbi miras accepit reuelationes.

3. Reg. 19. v. 6.

A Hæc autem in figura contigerunt illi vt duos effectus cælestis panis indicarent, dormire nimirum ad ea quæ carnis sunt, & mundi, vigilare vero ad ea quę sunt Dei, donec ad supremam eius ascendamus familiaritatem.

Pastores & Doctores esse cor vigilans Ecclesiæ. §. 5.

Pro Doctoribus.

TANDEM quæ dicta sunt, etsi omnibus perfectis viris conuenire possint, maxime tamen pastoribus & doctoribus Ecclesiæ, qui eius cor sunt, à quo aliorum vita procedit, & duplici titulo vigilare dicuntur, quia vtramque vitam ex contemplatione & actione mixtam degunt, semperque debent vigilare Deo in oratione & cõtemplatione non quauis, sed perfectissima iuxta sui muneris dignitatem, vt omnibus visibilibus sint quasi dormientes. Iuxta illud D. Gregorij, sit Rector prę cunctis contemplatione suspensus. Sed præterea tempore opportuno

2. P. pastor. c. 5.

B vigilare debent proximis, & eorum instructioni attendere: nam ideo (sicut supra diximus) vigiles ciuitatis nuncupantur: vigilant enim quasi rationem reddituri pro animabus nostris. Quare etsi prohibeantur suscitari à contemplationis somno quoad vsque ipsi velint, tamen tempore opportuno surgere volunt; & Deus ipse etiam excitat illos per vocem, de qua mox subiungitur, *Vox dilecti mei pulsantis.* De qua statim.

In id Cãt. 5. *Inuenerunt me vigiles.* Ad Hebr. 13 v. 17.

Sed hoc amplius intelligitur, si aduertamus Ecclesiam Catholicam duas cõtinere partes fidelium; alteram dormientium somnum veritum peccati, alteram vigilantium iuxta Christi mandatum, inter quos potissimi sunt perfecti pastores & doctores, qui in medio huius corporis mystici sunt tanquam cor calorem charitatis & deuotionis aliis impertientes, & spiritus vitales sanę doctrinę & scientiæ refundentes in illos. Sicut autem corpus magnitudine excedit cor, at cor virtute & efficacitate corpus excedit, ita cætus dormientium multo maior est; *Quia stultorum infinitus est numerus*, & maior pars fidelium, vel dormit, vel dormitat, & sæpius in suum noxium soporem relabitur, ideoque ait, *Ego dormio*, sumpta denominatione ista à maiori parte dormiente. Cæterum quia nobilior, pretiosior, & efficacior est pars sanctorum virorum, eam vocat cor suum vigilans, de quo gloriatur: qua ratione ergo superius de se dixit, *Nigra sum, sed formosa*, nunc ait; ego dormio, sed cor meum vigilat.

Eccl. 1. v. 15.

Cant. 1. v. 4

Præterea cum cor sedes sit amoris, cor vigilans dicuntur, vt sciant vigilãtiam eorum etiam circa proximos ex amore charitatis procedere, quæ in eorum cordibus est diffusa: & quæ à Deo magna esse solet, vt etiam somnum ab oculis corporis repellat, vel de re dilecta somniare faciat. Quod de se testatur D. Chrysost. hunc locum Cantici allegans. Quod (inquit) Salomon ait; *Ego dormio, & cor meum vigilat* idipsum & nobis contingit. Nam somni necessitas palpebras ipsas contrahit. Tyrannis vero amoris vestri oculos nostræ mentis excitat, atque sæpenumero per somnum vobiscum loqui visus sum. Etenim consueuit anima quæ interdiu cogitat eadem in somniis per phantasiam cernere.

D

Hom. 10. de " pœnit. à " pri. 10. 5. " " " " "

Denique propter hoc præsules & prædicatores gallo assimilantur, qui valde vigil est & dormientes excitat, vt sciãt munus eorum esse semper vigilare, & dormientes vt vigilent excitare. Vnde quam turpe sit eos dormire dignoscent, nam si vigiles dormiant, quis excitabit eos? *Et si sal euanuerit in quo salietur? ad nihilum valet vltra.* Vnde cuidam dormienti, & segni Episcopo dicitur: *Esto vigilans, &*

Iob 38. v 36. Ibi D. Gregorius, & nos supra. Mat. 5. v. 13. Apoc. 3. v. 2.

confirmæ cætera quæ moritura erant. Id est opera, quæ deinceps facturus es, & fideles tuæ curæ cõmissos; qui morientur si tu dormis: *Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo*, quia non impleo ministerium tuum, quod est vigilare & confirmare alios. Quod si non vigilaueris (inquit) *Veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam*; subitoque de te vindictam sumam. Hęc dicit vt illum à somno excitet, & munus suum impleat. Quomodo autem implere debeat in sequentibus docebit ipsa sponsi excitatio, qui est Deus benedictus in sęcula. Amen.

PARS SECVNDA
LIBRI OCTAVI.

De variis pulsationibus Dei ad ostium cordis, & de responsione cooperationeque animæ cum illis.

EXHORTATIO VIII.

PRO DOMIN. XXXI. POST PENTECOST.

De vocatione Dei pulsantis ad fores peccatoris, vt pœnitentiam agat, & eum intra se per gratiam recipiat, & de miris rationibus quibus hæc pulsatio nititur.

Vox dilecti mei pulsantis; aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.

In id, ephphetha, quod est adaperire: & in id, *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* V. 2. Cant. 2. v. 8.

NARRAT sponsa, quid sibi in illo somno, vel illico post illum acciderit, dicens: *Vox dilecti mei pulsantis*, &c. id est, visa sum mihi audire vocem dilecti mei ad fores meas pulsantis. Similem autem vocationem in capite secundo retulerat, etsi diuersis metaphoris adumbratam. Ibi refertur sponsus stans post parietem domus, hic stans ad ianuam. Ibi foris respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, quasi hoc signo excitare volęs sponsam vt surgeret, & fores aperiret: hic vero pulsans, & tangens fores, vt illo strepitu eam excitaret. Ibi sponsus loquitur ei, dicens: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni*: petit autem vt surgat ad aperiẽdum ianuam, & veniat vbi est ipse, vel cum ipso; hic autem etiam sponsus loquitur, dicens: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Ibi rationem surgendi reddit, *Quia iam hyems transiit, imber abiit, & recessit*, &c. hic vero, *quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Vnde multa quæ hic dici possent, fuse nimis tractata sunt, in lib. 5. & ne bis eadem repetamus, in iis quæ nunc sponsa superaddit, tantum immorabimur. Cum autem Ecclesia duplicem contineat partem, dormientium vel vigilantium, vt paulò ante diximus, vtrisque possunt hæc verba aptari. Vnde triplex hic insinuatur Dei vocatio: prima delinquentium, vt per pœnitentiam Deo cor aperiant, vt in eos intret per gratiam. Secunda iustorum, vt ad noua incrementa gratiæ se præparent. Tertia doctorum & concionatorum, vt vtrosque sua doctrina, & prædicatione adiuuent.

Quomodo Deus pulset ad fores peccatoris. §. 1.

REFERT igitur sponsa quod sibi acciderit, quando erat in numero dormientium, vel quo modo eueniat membris suis, in quibus adhuc dormit. Deus enim misericors, qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat, qui etiam nollet eum profundo peccati somno amplius teneri, sed statim surgere, & euigilare, tendit ad fores eius vt illum excitet. Et hoc est quod ait sponsa, *Vox dilecti mei pulsantis*, vere dilectus, & ab omnibus diligendus, qui etiam inimicos suos diligit, & in suam amicitiam redire suadet. Vere dilectus, qui cum posset peccatorem punire, domumque eius euertere, potius pulsat vt intret in eam, & salutem illi afferat: & qui rogandus erat vt intraret, rogat vt aperiatur illi ianua ad hoc vt intret. Sed cur rogat cum Dominus sit, & in cuiusque domum intrare possit etiam clausis ianuis? sed rogat, quia neminem cogit, nec inuitum ad se trahit, sed qui voluntate propria Deo cordis fores claudit, libera voluntate aperire debet. Nam qui creauit te sine te (ait D. Augustinus) non iustificabit te sine te. Scilicet libere volente, & consentiente. Hoc tamen est discrimen quod homo sola sua volũtate per peccatum claudit ostium cordis Deo, at illa sola nequit aperire, nisi à Dei gratia præueniatur, vt diffinitur in Tridentino. Hæc autem gratia excitans & præueniens omnibus offertur, vt pœnitere & conuerti possint, si velint ei consentire, & ideo Apostolus inquit: *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.* Non ait ne alicui desit gratia Dei, nam gratia omnibus præsto adest, sed ne quis desit gratiæ, quia nos pro nostra libertate gratiam Dei repellere possumus, & vocanti non consentire, vt in eodem Tridentino decretum est.

Hunc primũ sensum de vocatione ad pœnitentiam sequitur Cassiodorus, Beda, D. etiam Ambr. ser 1. in Psal. 118. versu 1. & alij.

Serm. 15. de verbis Apostol.

Sess. 6. c. 6. & Can. 3.

Ad Hebr. 12. v. 15.

Cant. 4.

Hoc expresse docet Dominus in Apocalypsi cuidam peccatori loquens: *Æmulare, & age pœnitentiam. Ego sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum.* Æmulare inquit amorem istum meum, quo te indignum visito, & ad tuas fores pulsans sto: vt sicut ego libenter pulso, ita tu libenter statim velis audire, & aperire. Dum autem ait, *Si quis*, insinuat satis aliquos nolle audire, & aperire, in suaque esse libertate aures & fores non reserare. Allusionem autem facit ad hunc locum Cantici, in quo sponsa inquit: *Vox dilecti mei pulsantis*, subaudi, ad meas aures peruenit. Vox autem dicebat, *Aperi mihi soror mea*, &c.

Apoc. 3. v. 20. De hoc supra, lib. 5. exhort. 11.

Sed iam qualis sit hæc vox, & pulsatio videamus. Solet enim pulsatio ad fores alicuius dupliciter fieri, vel vehementer tangendo & percutiẽdo fores vt eo sonitu & strepitu excitẽtur qui intus sunt, & hic sonus solet in scriptura vocari vox; est enim vox quædam inarticulata: de quo plura diximus supra in illud: *Vox dilecti mei: Ecce iste venit*, &c. Vel vocibus articulatis, & verbis vocando sicut cum dicit, *Surge, propera amica mea*, &c. *vel aperi mihi soror mea.* Vox autem Dei quæ non est aliud, quam illustratio mẽtis & inspiratio, ac motio cordis, vtrumq; munus exercet. Est enim verbum Dei internũ: viuus est autem sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti, cor penetrans, tangens, & concutiens, nunc inspiratione terrifica, & comminatoria terret: nunc suaui & blanda mulcet, & liquefacit, sicut ex iis quę sponsa mox subiũgit, patebit: sed plura de hac voce,

2.

Lib. 5. exh. 1. & 6.

Ad Hebr. 4. v. 12.

& inspiratione superius dicta sunt; multoties autem contingit Deum etiam cum hac interna pulsatione adhibere prius aliam externam, quæ ad eam disponat, vel suppliciis corpus affligẽdo, vel fouendo beneficiis, vt fusiùs dictum est circa illud: *Trahe me, post te curremus*, sed quoniam supplicia, & beneficia communia sunt crebro bonis & malis, & ad varios fines ordinantur, additur vox internæ inspirationis, quæ intus suggerit illa à Deo peccatoribus infligi, vt reuertantur à via sua pessima, & conuertantur ad Dominum, qui vehementius potest illos punire, vel vberius remunerare: De ijs enim scriptum est. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*: & rursus, *confitebitur tibi cum benefeceris ei.* Ignominia autem vel beneficium cum interna Dei locutione cõiuncta, cor aperire faciunt, & illud mouent, vt Deum quęrat.

Lib. 5. exh. 7.

Lib. 2. exhort. 5.

Psal. 82. v. 17. & Psal. 48. v. 19.

3. Sed aduertere oportet vocem dilecti, *aperi mihi* bifariam posse sumi iuxta duplicem modum auxilij & vocationis, quam Theologi vocant efficacẽ, vel sufficientem. Post illam semper sequitur consensus & affectus: Post hanc non semper, etsi vires præbeat, rationesque adducat sufficientes, vt quis si velit, consensum præstet. Priori modo vox illa, *aperi*, accipienda est per modum imperij efficacis, ad modum quo Christus Dominus homini surdo & muto dixit. *Ephphetha quod est adaperire, & statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur recte.* Cum autem Dominus per miracula sua totum hominem foris & intus sanare consueuerit, efficacitas illius vocis erga corpus indicabat efficacitatem vocis internæ erga animam, cui etiam dixit adaperire ad audiendum, & loquendum quæ tibi iubeo, virtute cuius statim anima, etsi liberè, voci Domini obediuit, & implere iussa decreuit. Efficacia etiam huius vocis ostenditur cum Christus Dominus tres mortuos vnica voce suscitauit, dicens: *Puella, vel adolescens, surge.* Vel cum magna voce clamauit, *Lazare veni foras.* Et bene vocatur vox magna; quia vox Domini in virtute, & vox Domini in magnificentia? quid enim magnificentius? & quid prodigiosius, ac potentius hac voce: quæ vsque ad inferos penetrauit, & inde traxit animam, ac vnitam corpori è sepulchro foras eduxit? & qua facilitate hos tres mortuos suscitasse legitur, poterat suscitare quoscumque veller, & è sepulchris educere. Nam de virtute quæ huiusmodi voci inerat ad suscitãdos tunc mortuos dixit Iudæis, sicut D. Chrysostomus interpretatur, *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent.* Quod etiam D. Augustinus, & D. Cyrillus ad mortuos spiritualiter extendunt. Mortuus enim erat Matthæus, cum ei dixit, *Sequere me*, & hac vnica voce ei largitus est vitam, quia mox gaudens consensum præstitit. Vix etiam Saulo dixit: *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris*, cum aperuit ostium cordis, dicens, *Domine quid me vis facere.* Sic igitur cum Deus efficaciter peccatori inquit, *Aperi mihi*, mox aperit ostium cordis, ita enim vox illa sonat in corde ipsius, vt sine mora velit aperire Vnde ita homo aperit ianuam, quod ipse Deus dicatur etiam aperire; quoniam homo nõ nisi per auxilium gratiæ à Deo prouenientis aperit: sicut D. Lucas insinuauit loquens de muliere Lydia nomine, *Cuius Deus* (inquit) *aperuit cor intendere iis quæ dicebantur à Paulo.*

Marc. 7. v. 34.

Ioa. 7. v. 23.

Luc 7. v. 15. & c. 8. v. 54. Ioa. 11. v. 43. Psal. 28. v. 4.

Act. 16. v. 14

Posteriori autem modo illa vox, *Aperi*, dirigitur ad animam per modũ exhortantis, suadens quidem apertionem, rationesque sufficientes, & de se valde efficaces adducens, vt consentire velit: quibus tamen multoties resistit, vel obedire pigrescit, & differt. Et ideo Dominus in Apocalypsi dixit. *Si quis mihi aperuit*, insinuans vt diximus, aliquos id nolle. De vtroque autem vocationis modo in sequentibus agemus, sed hunc posteriorem, qui omnibus peccatoribus communis est, modo amplius propalemus.

Rationes ad suadendum peccatori vt aperiat Deo. §. 2.

SINGVLA sponsi verba causas varias insinuant apertionem suadentes. Inchoemus ergo, à pronomine *mihi*, cum ait, *Aperi mihi*, insinuat enim aperuisse ianuam aliis, vel aperire solere. Etenim ad ianuam cordis stat etiam diabolus pulsans, sed alio longe modo quam Deus. Sicut enim in palatiis, & ædibus regum plures sunt ordines foriũ, antequam perueniatur ad secretum cubiculum; ita cor & spiritus hominis plures continet ordines portarum. Nam quinque sensus externi sunt velut portæ quæ etiam appellantur fenestræ, per quas aliquãdo intrat mors, vt inquit Ieremias, cũ diabolus aliquid obscænum & prohibitum sensibus offert, quod ab illis perceptum mentem excitat, & in consensum, etsi liberũ trahit. Vltra has portas, sunt aliæ magis intimæ, nimirum sensus interni, phantasia, & appetitus sentientis partis, per quas etiam intrat diabolus, & vehemẽtius pulsat, cum fædas cogitationes, vel affectiones excitat, & immittit, quas Dauid vocat, *Immissiones per Angelos malos.* Et hoc modo diabolus misit in cor Iudæ vt traderet Christum. Diabolus quidem immisit, sed Iudas admisit, & consensit, & ideo ad possidendum cor eius intrauit, cum tamen illã immissionem & suggestionem potuisset repellere. Vniuersa enim potestas diaboli nõ amplius se extendit quam ad pulsandum per has ianuas, quę in parte hominis inferiori sunt; at vlterius est intimior cordis ianua ad superiorẽ spiritus partem pertinens, ad quam solus Deus immediate pulsare potest immittendo in intellectum vel voluntatem pias cogitationes, & feruentes affectus, quibus anima excitetur, & per consensum liberum sui arbitrij, à gratia pulsante adiuti, ianuam cordis aperiat, vt Deus intret, & per gratiam sanctificantem in ea habitare incipiat?

Ier. 9. v. 21

Pf. 77. v. 49. Ioa. 13. v. 2.

1. Hinc igitur sumitur prima ratio, primumque motiuum ad aperiendum quod diuina vocatio allegat, cum ait: *Aperi mihi.* Ac si dicat, aperuisti ianuam cordis tui diabolo, & hosti, qui tuum sitiebat interitum, & æternam condemnationem; cur ergo non aperies mihi creatori, redemptori, ac protectori tuo qui tuam cupio salutem, & æternam quæro saluationem? aperuisti tyranno, & adultero, aperi legitimo Domino, & sponso; aperuisti lupo qui intrauit vt perderet, & mactaret, aperi proprio pastori, qui intrare cupit, vt te pascat, & tueatur. Hoc autem amplius confirmat per quatuor epitheta, quibus coniungit per nomen *mea*, ac si diceret, mille titulis es mea, & non aliorum, eisdem teneris aperire mihi, non enim pulso ad ianuam alienæ domus sicut diabolus, sed ad ianuam proprię domus, quam ego creaui, feci, refeci, & plurimum intus & foris exornaui?

Ioa. 10. v. 11.

Lib. 5. exh. 14

2. Sed fortius vrgent ipsa quatuor nomina, *Soror mea, amica mea, colũba mea, & immaculata mea*, quæ vt alibi diximus, etiam in vocatione animæ peccatricis sunt vera. Indicant enim quatuor insignia beneficia generalia vniuersæ Ecclesiæ collata, cuius peccatores fideles membra sunt, & ius habent vt fruantur illis. Facta enim est Christi soror per incarnationem, cum eiusdem rationis naturam hu-

manam assumpsit, ex quo nos vocauit fratres. Amica vero per eius passionem, qui reconciliauit nos Deo, & in amicitiam per peccatum Adæ perditam restituit. Columba autem per missionem Spiritus sancti, quem meruit, & promisit vt habitaret in nobis; & tandem facta est immaculata per omnia sacramenta, quorum participatione fit Ecclesia gloriosa, non habens maculam, aut rugam, omnibus virtutibus condecorata. Eadem etiam nomina referri possunt, non ad id quod anima peccatrix modo habet, sed ad id quod habuit par baptismum, & conferre ei iterum cupit per pœnitentiam: quod quatuor prædictas complectitur excellentias. Ac si dicat, aperi mihi tu quæ in Baptismo effecta es mihi soror per gratiam meæ diuinæ consors naturæ; amica per charitatem, qua mutua inter nos fuit familiaritas, & amicitia: columba per infusionem Spiritus sancti, qui requi euit super te; immaculata per munditiam ab omni macula tam originali, quam actuali in eo tibi collatam. Hæc omnia per peccatum perdidisti; æmulare igitur amorem quo te prosecutus sum, age pœnitentiam, & aperi mihi vt cũcta hæc tibi restituam. Allicit ergo Christus animam vt aperiat, tum ex beneficiis collatis, ea reducens in memoriam, tum ex conferendis si aperire non recusauerit. Volens eam ad se trahere in funiculis Adam, & in vinculis charitatis. Eadem etiam phrasi in Apocalypsi insignem cœnam promittit ei qui sibi aperuerit, dum ait. *Cœnabo cum illo, & ille mecum.* Sub hac autem cœna comprehendit omnia conuiuia quæ supra commemorata sunt, de quibus dixit, *Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi.*

Ad Ephes. 5 v 25.
Ad Titum 3.v.5.
Oseæ 11. v.4.
Apoc 3. v. 20.

Rorem gratiæ & misericordiæ offerri peccatoribus, si aperiant Deo. §. 3.

1. Ratio.

SED ad suadendum quod ei aperiat, alias apertius adducit causas, dicens: *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni capitis mei guttis noctium.* Cæterum quia ros & guttæ noctium vsurpantur à quibusdam patribus in bonum, ab aliis vero in malum, vtrinque varias deducemus rationes. Sumuntur enim in bonum, quatenus (sicut notat D. Paulinus) Epist 4. ad Serenum. Ros de cælo descendere videtur, nec est imbris humor, sed refrigerij, quo reficiuntur arida ab æstu diurno gramina, huiusque roris lucidis guttis, nonnisi serena nocte stellis micantibus spargitur terra. 1. Cor. 12. v.3. Caput autem sponsi est eius diuinitas. Nam teste Apostolo, *Caput Christi est Deus*; & verbum diuinum caput est Christi vt homo, vel eius humanæ naturæ; aut caput suum vocat Spiritum suum qui est pars hominis superior, hoc autem caput plenum est rore gratiæ, misericordiæ, & sapientiæ, sicut vocatur à Ioanne plenum gratiæ & veritatis, de cuius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia, cincinni autem capitis Christi sunt cogitationes, & affectiones ipsius ab eo procedentes, & pendentes sicut crines à capite, quæ etiam plenæ sunt guttis huiusmodi roris, quæ dicuntur noctium, quia peccatoribus offeruntur, vel iis qui in huius sæculi noctibus degunt: nihil enim ita Christus cogitat, ac desiderat, ac huiusmodi guttas omnibus stillare. Ioan 11. v.14. & 16. *Ego* (inquit) *cogito super vos cogitationes pacis & non afflictionis.* Ierem. 29. v.11.

Ait igitur sponsus ad peccatricem animam, *Aperi mihi*, quia totus ego plenus sum rore gratiæ, & misericordiæ, quam tibi libenter præstare cupio, & omnibus qui in peccato degunt: non enim, *Veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Eleganter hoc amplificat D. Ambrosius his verbis, Sicut ros cœli nocturnas amouet siccitates, ita ros Domini nostri Iesu Christi nocturnis & secularibus tenebris æternæ vitæ stillauit humorem. Hoc est caput, quod æstu mundi nesciuit arescere, vnde ait: *Quia si in humido hæc faciunt, in arido quid facient?* hoc igitur caput rorat aliis, sibi abundat, & bene abundat caput Christi, quia caput tuum Christus est, qui plenus est semper, nec liberalitatibus exhauritur suis, aut diuturna deficit largitate. Cincinni autem sunt in eo guttarum noctis. Cincinnos Nazaræus habet, in quibus ferrum non ascendit, quos nemo præcidit, qui non calamistris compositi, & arte digesti, sed multiplici crispantes virtutum nitentium gratia refulserunt. Disce in historia quales Nazaræus cincinnos habeat; quos quandiu Sanson habuit intactos, nunquam vinci potuit. Cincinnos perdidit, & meritum virtutis amisit. Hæc carptim ex Ambrosio egregie explicante plenitudinem gratiæ Christi, & inuictas eius virtutes, & cogitationes ad benefaciendum nobis, si ei voluerimus aperire.

« Lucæ 5, « v. 32. « Lib. 3. de « Virgini. « bus post « medium. « Lucæ 23. « v. 33. « « « « « « « « « Iud. 16. « v. 17. «

Sed peculariter, vt notat Ricardus de sancto Victore, caput Christi dicitur plenum rore, gratiæ, & misericordiæ, quia maxime propensus est ad præstandam nobis misericordiam, vt nos eruat ab omni miseria, ideoque ei aptat, quod ait Psalmista: *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Hermon, (inquit) est lumen exaltatum, à quo descendit ros gratiæ, & misericordiæ in montem Sion, id est Ecclesiam, vt vbi abundat delictum, superabundet ipsius gratia. Sed quoniam verbum, *Qui descendit*, ad vtrumque montem refertur, qui ita inter se distat, vt ros vnius non perueniat ad alium, legitimus sensus est, sicut ros qui descendit in Hermon, & in montem Sion, ita est gratia & misericordia Dei, quæ diffunditur, & offertur infidelibus & fidelibus, peccatoribus, & iustis, qui per duos illos montes significatur, dum tamen ipsi aperire velint corda sua ad rorem istum recipiendum, quoniam in cor obsecratum, & Deo rebelle nũquam descendet, nec intrabit. In eo autem quod dicitur, *Caput plenum*, erigitur spes nostra, vt insinuauit D. Ambrosius. Ne dissidamus, etsi rorem gratiæ semel aut pluries acceptum perdiderimus. Nunquam enim exhauriuntur liberalitates, & miserationes Domini, si reuertamur ad ipsum, & aperiamus ei corda, nec monere desistit, quod aperire velimus. Increpat quidem eos qui acceptam gratiam cito amiserunt, dicens: *Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? misericordia vestra sicut nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens.* Quod D. Hieronymus, de misericordia non ab illis exercita, sed illis à Deo exhibita interpretatur. Misericordia vestra (inquit) qua vobis misertus sum, quasi nubes matutina pertransiit, & quasi ros mane cõsurgens, qui orto sole siccatur; nisi autem oriretur sol exsiccans, terram madefaceret, & fœcundaret: sic misericordia & gratia à Christo nobis exhibita, cito periit multoties, quia ab æstibus concupiscentiarum exsiccatur, & comburitur. Sed in ipso capite Christo ros nec exsiccari, nec exhauriri potest: & ideo quoties ad illum accesseris, etsi septuagies septies, toties rorem inuenies, quem recipies. Vtinam ita constanter retineas, vt semper irroratus maneas.

2.
In cap. 33.
Psc. 132. v.3. D. Aug. ibi.
3.
De hoc rore elegans locus Isaiæ refertur in exhort. sequenti. §.3.
Oseæ 6. v. 4
4.

Confirmat hoc alia interpretatio cincinnorum, vt per eos intelligamus iustos Christo capiti vnitos, qui ab eo rorem gratiæ participant, etsi guttatim. In ipso enim est fons roris, & gratiæ; in aliis guttæ eius. Ait ergo, aperi mihi per veram pœnitentiam, quia caput meum plenum est rore gratiæ, & qui aperiunt mihi, fiunt vt cincinni mei mihi intime vniti, & eiusdem roris r plentur guttis, ac magnis cumulantur misericordiis.

Peccata nostra esse valde molesta & onerosa Deo. §. 4.

1.

SED noua ratio desumitur ex his verbis, si ros & guttæ noctium in malum accipiantur. Ros enim quatenus frigidus est, & nocte frigida descendit, frigiditque guttis & distillationibus infrigidans, superbiam significat quæ caput est omnium vitiorum illam comitantium. Nam sicut ros vapor est quidam tenuis à solis æstu ex imis terræ in aërem eleuatus, & frigore serenæ noctis coactus, iterum descendit: ita ab æstibus concupiscentiæ nobis ex peccato originis innatæ, quæ ad res sensibiles nimis afficitur, eleuatur appetitus iste inordinatus propriæ excellentiæ, inanis gloriæ, & ambitionis, necnon inuidiæ, iræ, & aliorum eiusmodi, velut guttæ noctium. Et apte dicuntur noctium, tum ob frigiditatem, quia charitatem expellunt: nam, *Quia abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Et etiam ob obscuritatem ignorantiæ, & tenebras errorum quas secum afferunt; vnde promanare solent horribiliora scelera idololatriæ, hæresis, & infidelitatis, ac plurimæ proprij iudicij illusiones, & imprudentiæ. Huiusmodi autem rore & guttis, quæ ex carne & concupiscentiis ascendũt, repletum est miserum caput hominis, nempe eius spiritus qui totus est gelidus, & obscurus extincto lumine & calore charitatis, & gratiæ, imo aliquando etiam ipso lumine fidei. Vnde fit cincinnos eius, id est, cogitationes & affectiones, facultatesque inferiores, huiusmodi frigidis guttis etiam esse refertas. Iuxta hæc possent explicari verba sponsi, ac si diceret: propter vnionem eiusdem corporis mystici, caput meum non in se, sed in te plenum est rore, & cincinni mei in te pleni sunt guttis noctium, & quia caput tuum, & spiritus tuus meus est, quidquid iniuriæ illis infers, mihi infers?

Matth. 24. v.12.

2.

Sed maior multo est querela sponsi, dum ait: *Caput meum plenum est rore*, quia diuinitas quæ caput meum est, rore tuorum peccatorum quasi cooperta, & valde despecta, dum mihi vilissimas præponis creaturas; & me vero vltimo fine relicto illas tibi assumis in Deum, & quasi super me eleuare præsumis. *Et cincinni mei*, id est attributa, & perfectiones meæ plenæ, *Sunt guttis noctium*; quoniam à te etiam despiciuntur. Contemnis meam misericordiam, bonitatem, & patientiam, iustitiam, & liberalitatem meam; tuasque voluptates & concupiscentias præfers illis. Cincinni etiam mei, id est beneficia & opera, quæ à me in tui bonum prodeunt, plena sunt tuis ingratitudinibus, & sceleribus, quoniam ea vilipendis, & contra me illis abuteris? Deniq; caput meum plenum est rore nocturno, quasi gelidũ dum non amatur à te, nec à multis fidelibus meis, sed videor in mundo esse velut in nocte, rore & gelu frigida, & omnis ros & gelu peccatorum super me decidit, & est contra me. Quod explicari potest ex eo quod ait Salomon eum qui inimico esurienti & sitienti tribuit cibum & potum, congerere prunas & carbones ignis super caput eius; quoniam his beneficiis eum accendit, & inflammat ad ipsius amorem. E contra vero, si eum nouis lacessit iniuriis, congerit super caput eius rores, gelu, & grandines, quia eum infrigidat, & potius prouocat ad odium. Ita iustus bonis operibus quasi prunas ignis congerit super caput Dei, quibus eum mouet vt plius ipsum diligat: peccator autem operibus iniquis congerit rores, guttas noctium, & gelu, & quasi eum infrigidat, & facit ne eum amet. Vnde etiam hæc opera sunt Deo molesta, & onerosa, illis quasi grauatus & oneratus incedit. Ad modum quo de Hebræis qui sacrificia prauo corde, & modo indebito peragebant, inquit per Isaiam: *Quo mihi multitudinem victimarũ vestrarum dicit Dominus? plenus sum, &c. festiuitates vestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta; laboraui sustinens.* Quid ergo diceret de homicidiis, adulteriis, & furtis? quid de periuriis, blasphemiis, & idololatriis ac cæteris peccatis valde enormibus? propter hæc ergo ait, cælestis sponsus; aperi mihi ô anima præuaricatrix, quoniam caput meum plenum est rore tuorum delictorum, illis est grauatum, & infrigidatum; quod mihi quidem creatori tuo valde est permolestum; tibi autem erit valde noxium. Nam quod tu congeris super caput meum, recidet in caput tuum.

Isai. 1. v. 11.

3.

Ita D. Aug. tract. 57. in Ioan. infra citandus.
Prou. 25. v.21.
Ad Rom. 12. v.20.
Simile.

4.

Sed adhuc crescit querela, si hæc verba referas ad Christum, Dei verbum pro nobis carnem factum: cuius caput plenum est rore & cincinni guttis noctium, quoniam ros & guttæ omnium peccatorum ceciderunt super caput eius, eaque tanquam onus grauissimum portauit, & pro eis pretium soluit sicut scriptum est: *Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum*: & rursus, *opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Omnia enim mundi scelera ceciderunt super verbum carni vnitum, quod est caput cum cincinnis. Vnde illa vocat, *Verba delictorum meorum*, quasi ipsius sint, propterea quod sunt sui corporis mystici delicta. Omnia autem vocantur guttæ noctium, quoniam fiunt in nocte frigida & obscura ignorantiæ, erroris, & imprudentiæ excludentis charitatis ardorem.

Isai. 53. v. 6. Ps. 68. v.10. Ps. 21. v.2. & Psal. 68. v.6.

5.

Et insuper ex quo natus est in mundo, caput & cincinni eius pleni fuerunt rore, & guttis ærumnarum, & molestiarum sine numero, cum per varia loca peregrinabatur fatigatus ex itinere, hominum quærens conuersionem, iuxta illud „ *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea, exaltatus autem, humiliatus sum, & conturbatus.* Donec tandem in nocte passionis videres caput ipsius, & cincinnos madefactos rore, & guttis sanguinis decurrentis in terram per sudorem, etsi vberius pleni fuerint his guttis, cum caput est spinis perforatum. Præterea tunc plenum fuit blasphemiis, contumeliis, opprobriis, sputis, & immensis iniuriis ac doloribus, quæ ceciderunt super caput eius, propter nostram salutem. *Nam vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.*

Psal. 87. v. 16
Isai. 53. v. 4.

6.

Denique augetur querela, quod cum tot tantaque perpessus sit pro nobis, pauci sunt qui ei aperire, & recipere velint. Vnde adhuc multitudine delinquentium grauatus, & oneratus incedit, & vel hoc solum nos mouere deberet, vt pulsante mox aperiamus. Quod sic perpendit D. Ambrosius: aperi (inquit sponsus) ipsam te mihi, quia decurso orbe terrarum plus molestiarum & offensionis reperi, nec facile habui, vbi requiescerem. Ideo tu aperi, vt in te filius hominis reclinet caput suum, cui non est requies, nisi super humilem & mansuetum?

Lib. de Isaac & anima, c. 6.

Diu Deum perseuerare ad fores animæ pulsando.
§. 5.

1. NOVAM adhuc insinuat rationem, tacite etiam ei exprobrans morã & tarditatem in aperiendo. Nam dum ait: *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*, indicat per multas noctis horas (hoc enim innuit vocabulum noctium) stetisse ad fores pulsando iugiter, adeo vt ex mora tam longa totum caput, omnesque cincinni pleni fuerint rore & guttis illius: cum tamen debuisset ad primam pulsationem statim surgere, & aperire.
Luc.11. v.5. Audimus Dominum in Euangelio dicentem, amicum quendam media nocte pulsantem ad ianuam domus amici sui, vt tres illi panes commodaret. Etsi autem amicus nollet surgere è cubili, subdit tamen Dominus, *Si perseuerauerit pulsans, etsi non quia amicus eius sit, propter improbitatem tamen surget, & dabit illi quot quot habet necessarios.* Hoc igitur ait sponsus fidelissimus animarum amicus. Aperi mihi ô anima, etsi non quia mea soror, & amica, & ego tuus frater & amicus; saltem propter improbitatem, quia diu perseueraui pulsans; quod ex eo perspicies, quia caput meum plenum est rore, &c. dum pulsans te surgentem expecto.

2. Sed perpende quæso, quomodo eisdem verbis suum erga animam amorem amplius commendet. Ac si dicat, etsi tot tantaque incommoda passus sim extra fores tuas manens, etsi tandiu me feceris expectare, nolens mihi pulsanti aperire, cæterum tanti te facio, tantumque te diligo vt perseuerauerim pulsans, donec vniuersum caput meum plenum fuerit rore, & cincinni mei guttis, vel ex hoc ergo me debes redamare, & pulsanti iam aperire. O mira Dei benignitas! ô stupenda charitas! non pulsat propter suum commodum, sed propter nostrum. Nihil illi interest quod aperiamus, sed nobis; & tamen ita nos diligit & pulsat, ac si res ageretur sua, non nostra, propter quod ad multorum peccatorum fores diu stat, crebro pulsans, longanimiter eos expectans, vt aperiant ei cordis ianuam, nec pulsare desinit opportune, & importune, donec tandem aperiant, ostendens in hoc diuitias patientiæ suæ, vt glorificetur in hoc quod tandiu expectat sibi resistentes, sicut Isaias propheta testatur, dicens:
Is.30.v.18. *Propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis. Quia Deus iudicij Dominus. Beati omnes qui expectant eum.* Ac si dicat, propterea Deus ô rebelles, non statim vos disperdit, sed diu patienter, & auide vestram pœnitẽtiam expectat, vt misereatur vestri, sic enim (vt notat D. Hieronymus) maxime exaltatur Dei gloria, virtus & potentia, dum vobis parcit. Qua ratione vtebatur Moyses ad Dei implorandam misericordiam, cum dixit:
Num 14. v.17. *Magnificetur ergo fortitudo Domini, sicut iurasti dicens, Dominus patiens, & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem, & scelera*, &c. in quem sensum explicat D. Anselmus illud Apostoli,
Ad Rom. 8. v.23. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*, id est egent quod Deus miserendo, & parcendo eis, glorificetur. Propterea beati sunt omnes illi qui etsi peccant, non desperant, sed Dei expectant misericordiam.

A Aliud tandem ponderemus huius ingentis amoris iucundum signum, quod in hac Dei præstolatione ad fores sponsæ insinuatur. Licet enim hic contemplari sponsum ad has fores stare nudo capite, cum nulla hic tegumenti mentio fiat, & rorem ac guttas super ipsos cincinnos decidisse, quia cooperti non erant. Cum autem victis hostibus in prælio aliqui captiui ducuntur, solebant antiquitus nudo capite incedere. Sicut colligitur ex eo quod Moyses in Cantico inquit de ipso Deo; debellante hostes: *Gladius meus deuorabit carnes de cruore occisorum, & de captiuitate nudati inimicorũ capitis.* Quid igitur est sponsum ad ianuas animæ venire nudato capite, & rore & glacie pleno, nisi venire quasi captiuum, non ab alio quam ab amore ipsius. Propter quem immensos pertulit labores? ac si dicat; en ad ianuas tuas sto tanquam captiuus, & seruus tuus; quia charitas mea erga te, me fecit tuum seruum, vt te à malis & miseriis tuis liberarem. Sic
B enim ait per Isaiam: *Seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis:* Nam propter te formam serui accepi, & humiliaui me vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter te caput meum spinis coronatum, plenum fuit sanguineo rore, & cincinni mei purpureis guttis mei cruoris. Intuere igitur hoc caput mei erga te amoris summum signum, & aperi mihi cor tuum. O stupenda diuinæ charitatis dignatio! ô incredibilis hominum obduratio, qui tam amanti sponso aperire renuunt, vel pigrescunt.

Væ illis, & millies væ, qui per mentis obstinationem cordis fores Deo fortiter occludunt, nec eius pulsationi & inspirationi vllum dant locum; sunt enim velut corpus Leuiatham multorum scelerum, squammis se comprimentibus compactum,
C quarum vna ita alteri coniungitur, vt ne spiraculum incedat per eas. Contra quos Apostolus inuehitur, dicens: *An diuitias bonitatis eius, & patientia, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius.* Etenim qui nolunt in hac vita ostium cordis Deo pulsanti aperire, cum ipsi pulsent in morte, & dicant Deo sicut virgines fatuæ; *Domine, Domine aperi nobis.* Respondebit illis, *Nescio vos*: quia clausa est iam ianua diuinæ misericordiæ vobis. Hæc enim peccatoribus aperta est dum hic viuunt; post vitam autem iis qui non intrarunt per eam, in æternum manebit occlusa. Propter quod Ecclesiasticus inquit, *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.*

Audi ergo benignam Dei te amantis pulsationem ad fores tuas, vt exaltetur in te parcens tibi, & elongetur à te vindictam, & supplicium, vt thesaurizes tibi non iram, sed misericordiam, nam si aperueris illi, ingredietur in te, & cum eo introibunt omnia bona, largiens tibi modo gratiam, & postea gloriam in sæcula sæculorum. Amen.

3. Nota.

Deut. 32. v.42.

Matth.25. v.11.

Ecclus.5.v.8.

EXHOR-

EXHORTATIO IX.

De alia triplici Dei pulsatione qua vocantur iusti vt amplius proficiant, perfecti vt alios lucrentur, & vtrique in hora mortis vt præmium recipiant.

Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi, &c.

1. RIPLEX Dei pulsatio ad ostium cordis in iis verbis insinuatur, qua iusti gradatim opportuno tempore ad sublimiora vocantur. Non enim solum ad ianuam peccatoris, sed etiam iusti stat dilectus pulsans, quoniam etsi intus iam sit per gratiam, cu-B pit de nouo intrare per noua gratiarum incremẽta, ad quę recipienda eius consensus, & cooperatio exigitur. Ideoque quantumcumque in operibus vitæ actiuæ, vel contemplatiuæ vigilet cor eius, ibi percipiet vocem dilecti pulsantis, & dicentis sibi;
Serm.2. Quadrages. *Aperi mihi soror mea*, &c. & quotidie audiet hanc inspirationem, cui quotidie oportet obedire, & ad sublimiorem Dei cognitionem & amorem ascendere, maioresque in virtute progressus facere. Nam vt inquit D. Leo Papa, natura nostra etiamsi ad summa quæque studia prouehatur, semper tamen sicut potest habere quo recidat, ita potest habere quo crescat, & hæc est perfectorum vera iustitia, vt nunquam præsumant se esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant deficiendi periculum, vbi proficiendi deposuerint appetitum; cui subscribit D. Augu-C
In Psal.69. ad finem, Epist.163. stinus dicens: vbi dixerit sufficit, ibi hæsit. Sed amplius D. Bernardus; nolle proficere est velle
Iob.14. v.2. deficere; quia in hac vita nihil diu in eodem statu permanet teste Iob; sed est velut vmbra quæ semper crescit aut decrescit, ne ergo decrescat, crescere appetat, sequens Christum, qui ad crescendum vocat, & pulsat ad ostium vt in eum admittentibus, intus operetur incrementum.

Præscribitur modus proficiendi, & media ad profectum. §. 1.

Hom.11. in Cant. 1. HOc autem eleganter ex his verbis deducit D. Gregorius Nyssenus peculiariter de anima contemplationi vacante loquens. Idem autem est de quauis alia. Anima (inquit) quæ perpetuo aspicit ad beatitudinem, suis bonis euigilans, sentit sponsum stantem ad ostium & dicit, *Vox patruelis*
Iuxta Septuag. *mei, pulsat ad ostium.* Quomodo posset quispiam pro dignitate considerare sponsæ ascensum ad ea quæ sunt diuiniora, & quemadmodum non est definitus ac terminatus cursus his qui accedunt ad Deum; sed id quod semper comprehenditur, est principium superioris. Cuius rationem reddit; nam etsi aliquid Dei cognoscamus in contemplatione, semper plus supereset agnoscendum. Sicut
Gen.2.v.6. & 10. videns fontem aquæ, qualis ille fuit, quem scriptura refert ascendisse è terra in paradiso, qui tantus est multitudine vt vniuersam terram circumeat; etsi videat aquam illam quæ ex eo effunditur, non ideo diceret se totam vidisse aquam; sed plus semper videndum restat eius aquæ quæ adhuc occulta manet, & nondum scaturiuit; non enim cessat aqua, sed semper est fluens. Eadem etiam ra-

A tione, etsi multum Deum amemus, amplius eum adhuc amare possumus: nam sicut cognitio bonitatis & pulchritudinis in dies potest crescere, sic & dilectio quæ in illam fertur.

Præterea cum ex parte animæ sit quædam velut capacitas infinita ad recipiendum cuncta dona gratiæ, quæ ei Deus voluerit elargiri; ex parte vero Dei sit etiam immensa virtus & infinita bonitas, suorum donorum prout libet diffusiua, continuo inquit animæ dilectæ, *Aperi mihi soror mea*: aperi cor tuum per consensum & præparationem ad mea dona recipienda; nam quanto magis te aperueris, & cor tuum dilataueris, tanto intimius ad te intrabo, & ampliora tibi conferam dona, quibus melior & sanctior fias? Subdit autem egregie Nyssenus 2.
quod dum sponsus inquit, *aperi*, simul cum exhortatione suggerit, quemadmodum oporteat aperire ostium, veluti præbens quasdam claues per quas aperiatur. Claues autem sunt horum nominum significationes, quæ clausa aperiunt; nempe, *Soror & propinqua, & columba & perfecta.* Si vis (inquit) aperire ostium & attollere portas animæ, vt rex ingrediatur, oportet te meam fieri sororem, faciendo voluntatem patris mei, qui in cælis est, & appropinquare veritati, & adeo exacte esse propinquam, vt nullo intermedio disiungaris. Oportet etiam habere in natura columbæ perfectionem, & nulla in re deficere; & esse plenam omni innocentia, & puritate. Hæc ille? habes ergo quatuor claues ad aperiendum cordis ostium Deo tuo; quoties ad insigne efficiendum opus te vocat. Prima quidem quę omnes antecedit est obedientia quæ Christi perfectam sororem, & fratrem constituit. Nam qui paratus est diuinis præceptis, & inspirationibus obedire, statim ac Dei vocem audit, ianuam cordis aperit dicens Deo: *Paratum cor meum Deus, paratum tu cor meum.* Tu Domine pulsa, & ego per te illud aperiam. Altera clauis est amica familiaritas, & conuersatio cum Deo, quæ per vnionem amoris ei semper appropinquat, & adhæret. Tertia vero simplicitas intentionis instar columbæ soli Deo placere studens in omnibus operibus suis, quæ plurima esse oportet, vt sit etiam sicut columba fœcunda quæ singulis mensibus prolem creat: ita fructus sanctorum operum sicut lignum paradisi singulis etiam mensibus ferat, iugiterque sua opera in Dei obsequium renouare satagat. Tunc superest quarta clauis, nempe puritas vitæ immaculatę, quæ ab omni macula etiam leuis quoad possit, se omnino vindicet, aut purget, immaculatum se custodiés ab hoc seculo, nec est cur despondeas animum: nam ipsa sponsi vox, eiusque inspiratio, ad hæc omnia vires præstat. Nam dum hæc quatuor nomina refert, virtutem & sanctitatem per ea significatam, conferre decernit, auxilium opportunum ad eam obtinendam exhibendo.

Sed præter ostium cordis alia etiam ostia aperire Dominus inspirat ad eundem spiritualem profectum valde conducentia. Dicerat enim sponsa; *Ego dormio, & cor meum vigilat*; quoniam in quiete contemplationis dormiunt sensus ad externa, & solum mens vigilat ad interna: at non semper internis inuigilandum est, sed oportet ad externa opera prodire in Dei gloriam, propriamque & proximorum vtilitatem; ideoque mox sonat sponsi vox dicẽtis; *Aperi mihi soror mea.* Aperi sensus quos clausos habes, sed aperi mihi, non apertas diabolo, vel mũdo, nonvt tibi vel hominibus tãtum placeas, sed aperi eos ad gloriã meam, in obsequium meum, vt tibi & proximis profis. Aperi oculos vt recta

3. *Aperiendæ esse Deo ostia sensuum.*

Ita Theodoretus.

videas & opereris, ac palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Aperi aures, vt verbum Dei audias, & maiorum iussa & consilia, illisque obtemperes, aperi os vt me laudes, psalmos canas, & preces voce fundas, vt etiam peccata tua confitearis, te accuses, proximis verbo succurras vel consilio & solatio, vel etiam prædicatione & doctrina. Aperi manus vt inopi subuenias, & eleemosynas pauperibus elargiaris. Aperi denique te ipsam, vt te totam in mei obsequium, & tui spiritus profectum, ac proximi commodum promptam exhibeas. Hoc enim modo in dies proficies, & intrabo amplius in te, vt tibi vberius benefaciam.

Epist. 22. ad Eustochiū post dimidium. Hunc sensum confirmat D. Hieronimus, citans hunc locum: *Vox fratruelis mei pulsantis, & dicentis, aperi mihi*, &c. quid necesse est, (inquit) vt cordis tui ostia clausa sint? sponso aperiantur Christo, claudantur diabolo, secundum illud: Eccles. 10. v. 4. *Si spiritus potestatem habentis super te ascenderit, ne dimiseris locum tuum.* Dan. 6. v. 9. Daniel in sublimi cænaculo suo (neque enim manere poterat in humili) fenestras apertas ad Ierusalem habuit, & tu habeto apertas fenestras, sed vnde lumen introëat, vnde videas ciuitatem Domini, neque aperias illas fenestras, de quibus dicitur; *Intrauit mors per fenestras nostras.* Ierem. 9. v. 21. Hæc ille. Insinuans quod per eosdem sensus, qui ianua sunt & fenestra cordis, intrare potest mors & vita; claudendi autem sunt ad ea quæ mortem trahunt; aperiendo vero ad ea quæ vitam conciliant.

De Isaac, & anima, c. 6. Idem amplius explicat Diuus Ambrosius dicens, etsi dormias, si modo deuotionem animæ suæ nouerit Christus, venit & pulsat eius ianuam, & dicit: *Aperi mihi soror*, quia spirituales sunt nuptiæ verbi & animæ; aperi mihi, sed extraneis claude; seculo claude. Neque ipsa foras ad illa materialia prodeas, neque tuum relinquens lumen, alienum requiras. Quia materiale lumen tenebrosam infundit caliginem, vt non videatur lumen veræ gloriæ. Noli aperire aduersario, neque locum des diabolo. Aperi ipsam te mihi: noli coarctari, sed dilatare, & adimplebo te. Videtur Ambrosius alludere ad illud Psalmi: Ps. 80. v. 12 *Dilata os tuum, & implebo illud.* Dilatatur autem cum aperitur, iuxta dicta ad orationem, & Dei laudes, ad confessionem peccatorum, & ad impetrandam Dei misericordiam tum sibi, tum proximis, nam benignus Dominus desideria timentium se largissime implet, sed alibi addit idem sanctus doctor; Lib. 3. de Virgin. ad med. ianua nostra os nostrum est; Christo prope modum soli, debuit aperiri, nec aperiatur nisi antè pulsauerit Dei verbum, ideo ante dictum est: *Hortus conclusus*, &c. nec facile aperiat os suum, ne vulgari designet alloquio. Quid tibi cum cæteris? soli Christo loquere, soli fabulare Christo (loquitur ad Virgines.) Rursus. Est & illa ianua quam vult patere vt aperiatur, vt resonet os tuum laudem Domini, gratiam sponsi, crucis confessionem, cum symbolum recenses, psalmos in cubiculo tuo concinis, &c. *Fides virtutū ianua.*

4. Sermo 12. in Ps. 118. versu 1. Denique cum virtutes varia munia exerceant intra animam, fides (vt docet idem D. Ambrosius) gerit vicem ianuæ respectu aliarum, ad quam tanquam ad portam stat Christus, dicens, *Aperi mihi soror.* Id est, aperi fidem tuam, exere illam, prorumpat in actus tuos, ne illam detineas quasi occlusam temporalibus, & terrenis cogitationibus obtectam; nam qui militat Deo non debet se negotiis, & secularibus cogitationibus implicare. Hæc igitur

A est prima pulsatio, quæ ad plura virtutum studia viam aperit, quoniam à fide omnia inchoant. Tunc autem fides aperitur, cum mysteria quæ in confuso credimus, sigillatim perpendimus, & perscrutamur; per quod patet ianua vt Deus ingrediatur cor, animam visitet, & suis illustrationibus repleat?

Per Dei visitationem infundi rorem gratiæ, & auferri rorem nocturnum pigritiæ. §. 2.

RATIONEM adhibet statim sponsus vt apertionem suadeat, dicens: *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Duplex autem ratio his verbis tangitur. Prior si ros & guttæ accipiantur in bonum iuxta supradicta, ac si dicat; aperi mihi soror, quoniam caput meum ac diuinitas mea plena est rore gratiæ, & misericordiæ. 1.

B Cupio autem de plenitudine mea teipsam etiam replere, & nouis te cumulare sanctitatis incrementis: quæ omnem à te languorem pellat, & pigritiam. Explicat hoc egregie D. Gregorius Nyssenus, intelligens per rorem spiritualem curationem, iuxta illud Isaiæ secundum versionem Sept. *Ros qui à te, est illis curatio*, vel *ros tuus sanitas eorum.* Vbi vulgata legit; *Ros lucis, ros tuus.* Id est ros antelucanus qui decidit ante ortum solem. Nam quemadmodum hic ros decidens super herbas facit eas virescere, & fœcundiorem reddit agrum; sic ros diuinæ gratiæ, & cælestis inspirationis animam renouat & fœcundat, ac vires ad omne bonum opus superaddit; siccitates mentis curat, & passionum sanat languores. Hom. 11. in Cant. Is. 26. v. 19. Triplex huius loci expositio in tota exh. adducitur.

Imo quod amplius est, animam per peccatum mortuam, viuificat per iustificantem gratiam; & tepidam accēdit vt nouum recipiat vitæ feruorem: per guttas autem noctium intelligit idem Nyssenus stillas sapientiæ, scientiæ, & doctrinæ à Deo de C seipso nobis infusæ, quæ stillæ vel guttæ dicuntur, quia quidquid de Deo cognoscimus, velut gutta est respectu eius quod superest cognoscendum, licet in se sit magnum. Nam ex guttis his fit maximus fluuius sapientiæ, quo Apostoli & Ecclesiæ doctores pleni sunt. Dicuntur autem guttæ noctium, quoniam omnis nostra cognitio in hac vita obscura est cum fidei lumini nitatur. Vnde cum istę guttæ sint guttæ roris nocturni, siue antelucani, etiam de illis intelligi potest Isaiæ locus; *Ros lucis* (seu vt D. Is. 26. v. 19. Hieronimus legit iuxta verbum Hebręum) *ros luminum, ros tuus.* Ros enim à Deo procedens est ros 2. *Expositio.* luminum, nempe mirabilium illustrationum quæ mentem animæ perfundunt, diuina mysteria detegunt, & terram cordis nostri etiam fœcundam ad Deut. 32. v. 2. D bona opera efficiunt. Iuxta id quod Moyses insinuat cum ait: *Fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.*

Inquit igitur sponsus, aperi mihi soror mea cor tuum, pie sanctequé iuxta meam voluntatem viuendo, quia si id feceris, ad ingressum meum descendet in te ros gratiæ, sapientiæ, lucis, & consolationis. Vnde è corde tuo fluant flumina aquæ viuæ; maximumque sanctitatis, & diuinæ cognitionis, ac amoris recipies incrementum.

2. Sed quoniam ianua cordis non solum clauditur à peccatoribus per peccatum, sed etiam à iustis per segnitiem & pigritiam, ac perniciosam tepiditatem, quæ interdum solet Deum ad vomitum prouocare, dum contemnentes modica, permittuntur labi in grauiora, ad hos dirigitur posterior ratio quæ in iis verbis insinuatur, intelligendo per rorem nocturnum, & guttas noctium, hos

pigritiæ & tepiditatis defectus, qui ardorem charitatis infrigidant, de quo Ecclesiasticus ait: Eccles. 18. v. 16. *Nonne ardorem refrigerabit ros?* sicut enim ros teste Lib. 1. Met. Aristotele, solum fit in nocte serena eo anni tempore, quo nec magni sunt æstus, nec ingens frigus, ita ros iste tepiditatis spiritualis non descendit in animam, quando feruentissima ardet charitate, nec quando omnino frigida est per absentiam sanctificantis gratiæ à glacie peccatorum expulsæ. Non item quando multis æstuat diuinæ visitationis ardoribus, nec cum multis concutitur tribulationibus, & tentationibus, quæ ad Deum animum redire compellunt: sed quando media incedit via, & tranquillitate quadam frui videtur conscientiæ, qua abutitur ad remissam vitam agendam, carnales concupiscens consolatiunculas, & confabulationes, ac alia terrena; quæ etsi gratiam non destruunt, quia modica; eius tamen feruorem diminuunt, quia multa, & negligenter admissa? Ad hanc igitur animam sponsus loquens ait: *Aperi mihi soror*, quia caput meum in te plenum est rore nocturno, quo tu abundas, & cincinni mei guttis noctium, seu multis tepiditatibus, ac pigritiis, quibus diu detenta es. Aperi vt ingrediens in te, excutiam rorem istum, & huiusmodi guttas; nouumque concipias charitatis ardorem, quo ego etiam in te calefiam.

3. Hoc etiam amplius poterit explicari, iuxta supradicta de variis virtutum muniis. Nam sicut fides vocatur ianua reliquarum, ita charitas quæ omnium est maxima, dici potest caput, cuius reliquæ virtutes ab ipsa pendentes, dicentur crines & cincinni: de quibus loquitur sponsus dum conqueritur dicens; caput meum, id est charitas, quam tibi infudi, & cincinni mei, hoc est reliquæ virtutes supernaturales, quæ illi annectuntur, sunt in te plenæ rore nocturno illas frigefaciente; ne ergo in te omnino charitas refrigescat, & pereat, aperi mihi Apoc. 2. v. 4. cito, vt pristinum ardorem recuperes. Similis hæc obiurgatio videtur alteri quæ refertur in Apocalypsi contra episcopum vere probum, & multis virtutibus fulgentem, qui tamen à feruore charitatis ob humanam fragilitatem aliquantulum deciderat. *Habeo*, inquit, *aduersum te quod primam charitatem reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo.* Conqueritur Dominus quod pristinum feruorem amiserit, non extinguendo charitatem, sed remittendo opera, quæ ad illius ardorem spectant, monet ergo blandè vt referuescat, & antiquum feruorem in bonis operibus renouare contendat: alioqui auferet ab eo tranquillitatem, qua potitur, permittetque candelabrum, hoc est Ecclesiam quam regit, multis perturbationibus concuti, & commoueri, quæ ipsum etiam conturbabunt. Huiusmodi igitur remissio animi in iis qui deferuescunt, & à prima charitate corruunt, est nocturnus ros, quo plenum dicitur caput sponsi, quoniam multi sunt iusti re- Matth. 20. v. 16. missi, pauci tamen spiritu feruentes: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Qui tamen si blandæ increpationi, & vocationi non parent, acriori comminatione terrentur: nam quos tranquillitas fecit remissos, tribulatio, & tentatio concutiens, & commouens, solet facere feruentes, vt mox Deo aperiant ianuam, qui illis pristinum restituit charitatis ardorem, quo omnem pellunt remissionem.

4. Serm. 12. in Ps. 118. v. 1. Nouam ad hoc intentum accipe D. Ambrosij interpretationem, qui per rorem & guttas intelli-

A git tribulationes & tentati[illegible]torum, quæ ipsum Deum mouent vt vehementius ad eorum ianuas pulset eo fine vt fortius eis auxilietur. Considera (ait) quando maxime pulsat ianuam tuam Deus verbum, cum nimirum repletum est caput eius rore nocturno. In tribulatione etenim, & tentationibus positos visitare dignatur, ne quis forte succumbat victus ærumnis. Repletur ergo caput eius rore vel guttis, quando corpus eius laborat. Tunc ergo vigilandum, ne cum sponsus venerit, recedat exclusus: sic ille. Quando ergo te videris tribulationibus concuti, scito Deum adesse pulsantem, vt omnem propellas pigritiam & remissos senescentis hominis abiicias mores; cui si cooperari volueris, ingredietur ad te nouis gratiæ auxiliis, & renouabitur vt aquilæ iuuentus tua? Ps. 102. v. 5.

B *Perfectos, maxime Præsules & Doctores vocari ad lucrandos alios.* §. 3. *Pro Doctoribus.*

EX iis deducitur altera vocatio quæ viris perfectis conuenit, precipue vero pręsulibus & doctoribus, per quorum prædicationem solet Deus aliorum corda pulsare, vt pœnitentiam agant, vel in virtutibus proficiant. Ij enim sunt de quibus dicitur diuinam sapientiam misisse ancillas suas vt alios vocarent ad arcem, & ad mænia ciuitatis Ecclesiæ, quia ad Deum spectat prædicatores eligere, & ad prædicandum mittere. Prou. 9. v. 3. Vnde ad hos potissime, qui præcipua sunt pars Ecclesiæ, dirigitur quod sponsa ait: *Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror*, &c. quæ verba ad ipsos relata duplicem possunt habere sensum, nimirum vel quod ipsi aperiant proprij cordis ianuam ad audiendam Dei vocem præcipientem, vel inspirantem eis vt munus suum erga proximos exerceant: 1. vel quod præci- C piat illis vt proprio labore ac prædicatione aperiant non in se, sed in peccatoribus ac tepidis ianuas quas habent obseratas, vt ipse sponsus ingrediatur ad illos. Ac si diceret, aperi mihi corda aliorum, sicut aperuisti tuum. Vterque autem sensus verus est, & ex priore sequitur posterior. Nam ideo multi prædicationem, ad quam tenentur refugiunt, quia clausam habent ianuam cordis Deo, nec eius voci volunt obtemperare ex timore aliquo humano, vel ex horrore laboris, & periculi annexi: quia ergo sponsa nimium videbatur addicta somno & otio contemplationis, dum inquit, *Ego dormio, & cor meum vigilat*; sponsus illam vigiliam in aliam proximis vtiliorem commutare cupiens, à somno excitat sua pulsatione, & voce dicens: *Aperi mihi soror.* Quod sic explicat Diuus D Augustinus, quem plures alij Patres secuti sunt. Tract. 57 in Ioan. Idem D. Greg. Beda, Anselmus, Cassiodorus, Ricardus, In iis qui in otio contemplationis suauiter & humiliter requiescunt, dum otiose oblectatur Ecclesia, ecce pulsat ille qui ait: *Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Mat. 10. v. 27. Vox ergo eius pulsat ad ianuam, & dicit: *Aperi mihi soror mea, proxima mea, columba mea, perfecta mea*, &c. pulsat vt excutiat quietem sanctis otiosis, & clamat, aperi mihi de sanguine meo soror mea, de accessu meo proxima mea, de spiritu meo columba mea, de sermone meo quem plenius ex otio didicisti perfecta mea. Iuxta versionē Sept. Aperi mihi, prædica me. Ad eos quippe qui clauserunt contra me, quomodo intrabo sine aperiente? quomodo enim audient sine prædicante? Ad Rom. 10. v. 14. Hæc Augustinus.

2. Sed amplius quatuor hæc nomina explicemus,

que quatuor considerationes mouentes ad fidem Christi promulgandam, quas aliis quatuor nomi-
1.Pet.2.v.9. nibus expressit D. Petrus, dicens: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.* Annunciatio autem ista fit vel exemplo, & vita Christiano homine digna, & hæc omnibus fidelibus competit; vel etiam doctrina & prædicatione; & hæc solum iis qui ad id electi sunt. Hi autem omnes vocantur genus electum, non iam quia genus Abra-
Act.17.v.18 hæ sint, sed Dei per Christum, à quo per baptis-
Ipsius & genus sumus. mum sunt progeniti, & cui per imitationem vitæ conformantur. Ideoque fratres & sorores merito dicuntur, ad quos spectat primogeniti patris sui gloriam zelare. Sunt etiam regale sacerdotium,
Exod. 19. v.5. propter singularem excellentiam qua sunt peculiare Dei peculium, de cunctis populis electi per Christum, vt eius regiæ dignitatis, & sacerdotij spiritualis participes sint. Et ideo singulariter amici & proximi vocantur, quorum est non quæ sua sunt quærere, sed quæ amici sui; sunt autem gens sancta propter inhabitantem Spiritum sanctum in illis, ideoque columbæ assimilantur, quæ fœcunda est, & virtute Spiritus sancti debet spiritualem prolem Christo generare. Denique populus acquisitionis sunt, quia acquisitus est Christo & Deo, per separationem à diabolo & ab omni peccato, ideoque appellantur immaculati, & perfecti, quorum est non tantum sibi, sed aliis prodesse. Hæc igitur vos excitare debent, vt annuncietis, & prædicetis, virtutes, perfectiones, & opera insignia Christi, qui tanto vos affecit beneficio, vt vocaret de tenebris in admirabile lumen suum, & faceret genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, & populum acquisitionis, & consequenter fratres, amicos, columbas, & immaculatos Deo. Vt ergo ei grati sitis, curate illius fidem prædicare, vt plures alij cor ei aperiant, vobisque adiungantur, qui earum sint dignitatum participes. *Ex quibus fiat vna Ecclesia gloriosa non habens maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed quæ sit sancta, & immaculata coram ipso.*
Ad Ephes. 5. v.27.

3. Hæc autem dona simul indicant proprietates & conditiones eorum qui digni sunt, & idonei ad hoc munus obeundum, iuxta ea quæ ex D. Nysseno retulimus. Nam qui peccatis est obnoxius, & non est frater Christi, sed extraneus, non amicus sed hostis, non columba, sed lupus rapax, non immaculatus, sed inquinatus, quomodo audebit Christum prædicare, cui tam dissimilis esse profitetur? similis enim à sibi simili laudari, & prædicari gaudet. Propter quod Deus in peccatorem inuehitur, dicens:
Ps. 49. v.16. & 22. *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? existimasti iniquè quod ero tui similis. Arguam te, & statuam contra faciem tuam,* id est putabas quod ad tui similitudinem ego non odi, sed approbo iniquitatem, eo quod tacere, & dissimulare me conspicis? sed ego te aperte increpabo, & qualis sis, & quam mihi dissimilis, tibi & omnibus ostendam. Esto igitur per supradicta dona Christo similis, vt digne eum prædicare valeas, & vt dignus sis, qui ad hoc ipsum ab eo exciteris.
Lib.5. exhort. 15. Plura de hoc dicta sunt in libro quinto.

Rationes mouentes ad obsequendum huic vocationi.
§. 4.

IAM rationes quas expressius adducit sponsus perpendamus: *Quia* (inquit) caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Primo enim proponit illi diuinitatem suam, vt iam diximus, peccatis hominum grauatam esse, iis maxime quæ fideles suos per cincinnos significatos, infrigidât; & charitatis ardorem extinguunt. Nam qui deberent esse filij lucis, facti sunt iterum filij tenebrarum, gelidis guttis noctium oppressi, suum grauantes caput. Hoc autem quasi gemens inquit, vt duplicem in ea zelum excitet, nimirum gloriæ ipsius Dei, qui ab hominibus despectus est, & conculcatus; & salutis proximorum, qui tot scelcribus grauantur, & misere pereunt. Hoc enim zelo excitata contemplationis quietem relinquet, pigritiamque pellet, vt ad prædicandum se accingat, vt optime perpendit Diuus Gregorius, sed aliter Diuus Tract. 57. in Ioan.
Augustinus sic dicens: nox quippe iniquitas est, ros, & guttæ hi sunt qui refrigescunt, & cadunt, « & faciunt refrigescere caput Christi, hoc est vt « non ametur Deus; sed portantur in crinibus, hoc « est, in sacramentis visibilibus tolerantur, nequa- « quam interiora sensus attingunt. Pulsat ergo, dicens, *Aperi mihi*, ac si diceret, tu vacas, & contra me ostium clausum est? tu studes otio paucorum, & contra me refrigescit charitas multorum? & quæ anima Dei amans videns eum ab idololatris, & hæreticis contemni, & à fidelibus grauissimis sceleribus & iniuriis lacessiri, torque animas in æternum perire, non vritur & torquetur valde, dicens cum regio propheta: *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Opprobria enim Dei reputat Ps.68. v.10.
quasi propria, & illam vrunt, viscera que depascunt. Ait autem, *Zelus domus tuæ*, quoniam maxime affligunt eam peccata fidelium, quæ in maiorem Dei cedunt iniuriam, *Nam propter vos* Isai.52.v.5.
(inquit) *blasphematur nomen meum inter gentes*: & iterum, *& polluerunt nomen sanctum meum* Ad Rom.2. v.24.
cum diceretur de eis, populus Domini ipse est, & de Ezech.36. v.20.
terra eius egressi sunt. Tu igitur soror mea compatere mihi, intuere incommodum & damnum quod patior quamdiu foris maneo. Sum enim inter peccatores velut qui habet caput rore plenum, frigore oppressum, & vexatum; non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, non est qui me diligat, vel me ad amorem prouocet; sed potius ipsi qui mihi coniuncti sunt, suo frigore me frigefaciunt, & amorem meum erga ipsos conantur extinguere. Aperi ergo ianuam vt intrem, & totum istum rorem & guttas noctium excutiam, & ab hoc molesto pondere releuer dum peccatores ad me conuerto.

2. Sed adhuc amplius vrget ex sui exemplo, & Apostolorum, ac sanctorum qui præcesserunt, quos etiam per cincinnos sponsi possumus intelligere, & omnes grauissimas passi sunt tribulationes, dum veram fidem prædicabant, satagentes per prædicationem hominum aperire corda, vt illam reciperent. Aperi ergo, & tu mihi huiusmodi intuens exempla, ac sequens vestigia. Quis enim hæc conspiciens otio indulgebit? & non potius dicet sicut Vrias, *Arca Dei, & Israel, & Iuda habitant in* 2.Reg.11.
papilionibus, & Dominus meus Ioab, & serui v.11.
Domini super faciem terræ manent, & ego ingrediar in domum meam, vt comedam & bibam?
De hoc dictum est exhort.8. §.4.

3. Sed nouam audi Christi querelam secundum interpretationem D. Anselmi, qui per caput intelligit aliquos qui hoc corpore mystico munus capitis gerunt, & tamen pleni sunt rore in nocte cadente, id est plurimis ignorantiis, & peccatis; per cinnos vero licet ipse intelligat distortos fideles; tamen Iustus Orgelitanus hanc metaphoram sequens, inquit esse aliquos malos ministros, qui à prælatis dependent, & sacramenta administrant, qui similiter pleni sunt guttis noctium, id est multis delictis ex ignorantia, & cæcitate prouenientibus; illi quidem male Deum annunciant, & Christum ac fidem eius prædicant; isti vero indigne sacramenta administrant, vnde sicut per Malachiam
Malach.1. v.i. dicitur, despiciunt nomen Dei, & mensam eius polluunt. Esse autem nonnullos ex his in Ecclesia res est comperta. Ad Ecclesiam igitur vt bonos prælatos sedulo vigilantes continet, sic ait sponsus, aperi tu mihi, quoniam multi qui in meo mystico corpore vicem gerunt capitis, & cincinnorum, indigne sua obeunt munia. Ideoque te decet surgere, & horum defectum supplere, ita tuum implendo ministerium vt me glorifices, & aliis profis. Ad quod
Cor. 6. v.3. inspexisse videtur Apostolus cum inquit: *Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros*, &c.

4. Sed quomodo sponsus præcipit illis vt aliorum corda aperiant, cum opus hoc proprium sit solius Christi, qui habet clauem Dauid: aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Sed qui præcipit vt aperiant, eorumque cognoscit imbecillitatem, decreuit eos potenter adiuuare. Sicut expresse testatur in Apocalypsi quendam Episcopum sic allo-
Apoc.3.v.8. quens, *Ecce dedi coram te ostium apertum quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem.* Id est, quia scio te exiguas habere vires ad lucrandos alios: Ego tibi eas præstabo, ego auferam impedimenta cuncta; & corda subditorum præparabo vt facile eos lucrari valeas. Quod si per modicam virtutem intelligamus modicam scientiam, vel sanctitatem minus robustam, hunc etiam defectum supplet Deus in seruis suis, qui simplici corde huic muneri incumbunt. Cum ergo audis sponsum dicentem, *Aperi mihi*, corda aliorum, eius virtuti fidere debes, & gratiæ, quam præstabit; dum tamen aperire satagas non tibi, sed illi. Sicut indicat, vox *mihi*, id est non ad gloriam tuam, sed meam, non propter lucrum & commodum tuum, sed propter lucrum animarum quæ meæ sunt: non vt tu introeas in eorum corda per inordinatum amorem, & diligaris ab illis; sed vt ego introeam, & ab eis diligar; sic enim ego tibi vires addam, sed quas vires?

5. Hoc etiam indicant verba Cantici, si ros & guttæ in bonum accipiantur pro rore sapientiæ & gratiæ,
Psa.26.v.19. in §.2. quem Isaias vocauit, *Rorem luminum.* Exhortatur enim sponsus prædicatores vt corda hominum ei aperiant; quia caput habet plenum rore ad irrorandum illos, & replendum gratia, sapientia & virtute ex alto, per quam possint munus suum fortiter & fructuose obire, sicut in die Pentecostes Apostolos repleuit Spiritu sancto, & reliquis gratiis, gratis datis velut guttis roris cælestis in nocte huius seculi eis concessis, vt regnum Dei euangelizarent. Hoc autem magis confirmatur, si iuxta interpretationem D. Paulini per caput sponsi diuinitatem, per cincinnos vero insignes & eleEpist. 4. ad Seuerum. ctos viros intelligamus. Ex eo autem quod caput est plenum rore fit quod roris guttæ repleant cincinnos, & crines eius, ad modum quo Dauid
Psal.132.v.2 ait: *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius, sicut ros Hermon*, &c. id est, sicut vnguentum preciosum quo vnctum erat caput Aaron, descendebat in barbam eius, & perfun-

debat capillos; sic (ait Diuus Augustinus) vnctio gratiæ quæ est in Christo capite, descendit in Apo-
Ibidem. stolos, quos per barbam significari dicit, ex iis autem deriuatur ad reliquum corpus Ecclesiæ: ita etiam quia caput sponsi plenum est rore huius gratiæ & sapientiæ, participes illius fecit suos cincinnos, id est Apostolicos viros, guttis variis perfundens eos; guttæ enim sunt omnes gratiæ quas habent respectu eius quæ in Christo est, etsi in se magnæ, horum autem exemplo alios exhortatur, & vires eis addit ac animum, vt opus lucrandi animas aggrediantur; quia, *Dominus*
Ps.67.v.12. *dabit verbum euangelizantibus virtute multa.*

Signa ad dignoscendam pulsationem Dei.
§. 5.

SVPEREST, vt explicemus signa quibus dignoscere possimus sine errore vocem dilecti pulsantis hoc duplici vocationis genere, vt aperiamus illi. Contingere enim potest vt inimicus ad ianuam pulset, amici indutus vestimentis, eius pulsationem & vocem æmulari gestiens, ne possit agnosci. Siquidem Angelus Sathanæ transfigurat
2.Cor.11. se in Angelum lucis, & animam adhuc imperfe-
v.14. ctam astute decipere conatur, compellans eam sororem, amicam, columbam, & immaculatam, suggerens illi iam esse perfectam, vt in superbiam elata, & præsumptionem, intempestiue alios docere aggrediatur, quæ adhuc indiget edoceri, & quę nondum nouit cor suum vt par est, Deo aperire, aliorum curet aperire corda; vt tam suum, quam
Matth.15. v.14. aliorum clausa maneant. Quia, *Si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadent.* Multoties etiam ad cor pulsat, instigans ad ingentia virtutis opera, quæ vires excedunt, vt animam temere aperientem præcipitet, & perdat quæ hactenus lucrata erat. Quasi suadens multum mel comedere, vt cogatur euomere totum, abutens eo quod sponsus dixerat, *Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi.* Cum hæc ergo ita sint, quomodo sponsa inebriata, & in sopore posita, tanta securitate affirmat dilecti sui audiisse, & cognouisse vocem? plura de hoc di-
Lib.5.exh.1. & 7. & 13. cũ sequent. ximus in aliis locis maxime, circa illud Cantici 2. *Vox dilecti mei, ecce iste venit*, &c. quare solum hic proponemus signa quæ ex huiusmodi verbis deducuntur.

1. Et quidem anima, cuius cor semper est vigilans, & diuinis assueta confabulationibus, sicut probe nouit Dei bonitatem & sapientiam, ita experimento ipso nescit non solum vera esse quæ loquitur, sed modum quo ea intus loquitur, & vocis ipsius qualitatem, quæ in quadam speciali suauitate, tranquillitate, & efficacitate consistit, quam in « Lib.4. voce inimici non agnoscit. Sicut testatur D. Gre- « dialog. gorius dicens: sancti viri inter illusiones atque re- « c.48. uelationes, ipsas visionum voces, aut imagines « quodam intimo sapore discernunt, vt sciant, vel quid à bono spiritu percipiant, vel quid ab illuso-
Plura de hoc habes in duce spirituali, tract.1.c.24. re patiantur. Et huic fauet parabola Christi Domini de proprio pastore dicentis: *Oues vocem eius audiunt*, id est eum ex voce discernunt ab alienis, &, *Oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alie-*
Ioa.10.v.2. *num autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum.* Hoc oues irrationales naturali instinctu agnoscunt, & discernunt, at rationales ex Dei gratia, & lumine ipsis desuper infuso, ex crebraque cum Deo conuersatione. Nam quibus dicitur, gustate & videte, id est ex gustu videbitis & cognoscetis Dominum, Psal.33.v.9.

ex eodem deducunt fontem gustum ab hoste immis- A
Iob.34.v.3. & 6.12.v.11. sum, longe ab illo diuersum. *Auris enim verba probat, & guttur escas gustu diiudicat*: hoc autem in iis peculiariter inuenitur, qui vehementius ex toto corde Deum super omnia diligunt. Nam ipse vehemens amor, qui animam Deo similem reddit, quædam est dilecti per assimilationem cognitio, Ideoque sponsa tam asseueranter ait: *Vox dilecti mei pulsantis*. Nam quia valde mihi dilectus, agnosco satis vocem illius.

2. Præterea ipsis quatuor nominibus, quibus Deus suam sponsam compellat, etiam suam esse vocem manifestat. Nomen sororis indicat vocem Dei dignosci ex pudicitia & castitate, quam præ se fert, & suggerit semper. Quidquid enim libidinem, aut delectationem carnis sapit, non est vox dilecti, sed diaboli, qui auctor est omnis spurcitiæ. Deinde nomen amici obseruantiam sonat diuinorum mandatorum, ad quam vox Dei exhortatur: nam quæ eam in propriam detorquet voluntatem, vox est spiritus proprij ad seipsum, & ad malum proni. Rursus vox Dei ad columbæ simplicitatem inclinat, omnem horret dolum, & duplicitatem; manifestum B
Psal.84.v.9. denem præ se fert, & pacem, iuxta illud: *Audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & in sanctos suos*. Denique vox Dei animam conatur reddere immaculatam, omnem excludit culpam, & defectum contra proprij status debitam perfectionem: nam vox diaboli aliquam semper conatur inferre maculam.

3. Vlterius etiam vox dilecti dignoscitur ex subiuncta ratione, *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*, quæ sententia vt vidimus, sub vna similitudine multiplices continet rationes diuersis hominum statibus aptas; quia spiritus sapientiæ est vnicus, & multiplex. Et eandem sententiam ita solet disponere, vt quadret in peccatores & iustos, in magistros & C
discipulos, in prælatos & subditos. Vox ergo Dei ea vnicuique suggerit, quæ illi expediunt; & eam adducit rationem iuxta cuiusque status, & instituti magis consentaneam. Peccatoribus suadens pœnitentiam, tepidis feruorem, iustis vt magis proficiant, imperfectis vt seipsos à defectibus propriis purgent, præfectis vero & præsulibus, vt aliis etiam prodesse satagant. Vox autem quæ hunc ordinem inuertit, non est à dilecto, sed ab hoste, qui sub specie melioris boni ordinem à Deo præscriptum auferre molitur.

4. Denique vox Domini semper suggerit, quidquid ad vnionem & similitudinem cum proprio capite, quod Christus est, inducit. Nam vtrumque insinuat metaphora cincinnorum, qui & capiti sunt D
vniti; & simili rore sunt perfusi, etsi guttatim. In quo certissimum tangitur signum diuinæ vocis & inspirationis, quæ ita ad supremam cum Deo similitudinem procurandam, animam inducit, vt tamen simul profundissimam ingerat humilitatem, & cognitionem propriæ paruitatis, vt vere sciat nihil gratiæ, nihil roris spiritualis à se habere, sed à Christo capite; respectu cuius, imo etiam respectu aliorum sanctorum, id quod habet tantum esse quasi guttas, vnde vltimum inter illos sibi locum elegit. Quare etsi miras de se laudes audiat, etsi appelletur soror, amica, columba, & perfecta, non inflatur, sed timet, & profundius se demittit.

Memoriam vocationis quæ fit in morte inducere ad obediendum reliquis. §. 6.

Pro confess. non ponit. in Euangel. *Sint lumbi* &c. adiunctis præcedentibus. 1.

TANDEM ab obediendum reliquis Dei vocationibus, conducit valde memoria vltimæ quæ fit in hora mortis, & in iis verbis etiam insinuatur, vt interpretantur Cassiodorus, & Beda, deducentes ex illo quod Dominus præcepit in Euangelio; *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptiis, vt cum venerit, & pulsauerit ianuam, confestim aperiant ei.* In hunc locum. Luc.12.v.5
Nam (vt inquit Diuus Gregorius) venit Dominus " Hom 3. in Euag.
cum ad iudicium properat. Pulsat vero cum iam " per ægritudinis molestias mortem vicinam esse de- "
signat. Cui confestim aperimus, si hunc cum amo- "
re suscipimus, &c. qui enim de sua spe & operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia B
lætus iudicem sustinet; & cum tempus propinquæ "
mortis aduenerit, de gloria retributionis hilarescit. Considera ergo felicitatem sanctæ animæ, cuius cor semper vigilat, & ingrauescente vltima infirmitate læta dicit. *Vox dilecti mei pulsantis*, vox est iudicis, sed iudicis dilecti: & id eo non tam timeo, quam diligo. Pulsat vt ingrediatur, non ad perdendum, & condemnandum, sed vt me saluet, & secum ducat. Vox est dulcis, & suauis, quia vox est eius quem ex toto corde dilexi, & cui totis viribus placere studui. Quid ergo inquit. *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Quæ talis est, non est cur timeat, non est cur non confestim aperiat, quia regnum cœlorum apertum est illi. Condigne enim illud promeruit, quia soror, & amica, quia columba, & immaculata. Si soror est Christi, filia est Dei patris, ius habet iam ad hæreditatem, si amica ad conuiuium cæleste admittenda est, vt cum Christo sedeat ad mensam. Si columba Spiritus sancti sponsa est, & desponsatio est perficienda, & cõsummanda in cælis. Si immaculata, nihil habet quod eam ab illo regno excludat, in quo sicut nemo intrat habens maculam, ita omnis ingreditur qui ea caret.

Plura de hac voce in lib.5.cap.9. §.2. in id, *Vox dilecti mei, Ecce iste venit*, &c.

2. Aperi iam quoniam in te ipsa, *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*, id est, iam spiritus tuus, & omnes vires tuæ adeptæ sunt eam plenitudinem gratiæ & iustitiæ ad quam erant prælectæ. Iam charitas tua, & virtutes peruenerunt ad eam mensuram perfectionis, quam illis dare decreui, iam noctes huius sæculi transierunt, iam tenebræ afflictionum & tribulationum finitæ sunt, iam appropinquat dies æternitatis, & sol diuinitatis meæ oritur tibi, qui omnes tenebras, D
& ignorantias à te pellet, omnes ærumnas absumet, & te rore lucis nouæ visionis beatificæ lætificabit, & satiabit, ac tandem corpus tuum quod aresçit in sepulchro, reuiuiscere faciet in nouissimo, vt animæ reunitum eadem gloria potiatur in sæcula.

3. Eleganter declarat hoc Isaias in loco iam citato, Is.26.v.19. *Ros lucis ros tuus*. Qui secundum sensum literalem de vltima remuneratione, & de efficacia diuini 3. *Expositio.*
verbi ad resuscitanda ossa arida intelligendus est. Ait enim Isaias: *Deo viuent mortui tui, interfecti mei resurgent, expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere, quia ros lucis, ros tuus, & terram gigantem detrahes in ruinam.* Eosdem vocat prophetamortuos Dei, & interfectos suos. Dei quidem, quoniam propter eius fidem, amorem, & obsequium mortui sunt, sicut Martyres, & etiam

Apoc.14.v. 13. Confessores, de quibus dicitur, *Beati mortui qui* A
in Domino moriuntur: id est, qui propriis concupiscentiis mortem indixerunt, & hac felici morte vita finierunt. Iidem verò dicuntur ab Isaia mortui sui; id est, sui socij, & similes in morte pro Domino oppetenda, qui omnes viuent, & resurgent in vltimo die, vt nouam & gloriosam vitam consequantur. Diuus Augustinus duo verba, *viuent, & resurgent*, refert ad resurrectionem carnis, & ad
Lib. 20. de ciuit c. 21. Tertull. lib. de resurrect. carnis c 3. præmium conferendum iustis, de quibus Propheta loquitur. Vnde eos qui adhuc habitant in puluere, seu in sepulchris, exhortatur vt expergiscantur, & lætentur, quoniam ros Dei est velut ros antelucanus, qui herbas siccas reuirescere facit; sic verbum Dei, vel eius imperium & gratuita voluntas, quæ est ros gratiæ & lucis, ac lætitiæ, ossa arida viuere faciet, & perfectam illis conferet sanitatem, quæ omnem in æternum languorem pellat: at terra gigantum, id est superborum, ac potentium in sæculo, manebit arida & sicca, sicut fœnũ; B
Ita intelligitur quod in hoc c. v. 14. dicitur gigantes non resurgent. non quia non resurgent, sed quia non redibunt ad gloriam florescentem, quam antea habebant; resurgentque in condemnationem cum corporibus ærumnis & languoribus depressis. De vtroque igitur Sancti Dominum laudant, eo quod gigantes & peccatores ob scelera sua, quia diuinæ noluerunt obedire vocationi, exusti manserunt, nec diuini roris erunt participes: ipsi verò tanquam florentia germina ad vitam & gloriam è sepulchris pullularunt, quia ros lucis & gratiæ, quo Christi caput abundat, eos viuificauit. O ter quaterque beatus, qui ita vitam suam componit, vt pulsanti Domino in morte confestim gaudens aperiat ei: deducet enim illum secum in paradisum, & in nouissimo die corpus illi restituet innouatum, & glorioſum, in quo plenè cum Christo gaudeat in secula seculorum. Amen.

EXHORTATIO X.

De his quæ Deo resistunt per obstinationem in peccatis. §. 1.

PRO PARABOLA DE FILIO PRODIGO, vel eorũ qui vocati ad cœnam noluerũt ire. Vers. 3. *De peccatoribus ex obstinatione, vel ex pigritia renuentibus ad Deum conuerti; & de efficaciore Dei pulsatione interna vel externa per flagella, vt conuertantur.*

Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.

VERBA sunt sponsæ dilecto suo pulsanti respondentis, quæ à Patribus diuersimodè sumuntur, vel in bonum per modum consentientis, & affirmantis se iam ex parte pulsanti aperuisse, vel in malum per modum se excusantis, tanquam nolendo, vel pigrescendo surgere ad aperiendum illi; quæ excusatio tam à peccatoribus, quàm à iustis, & à contemplatiuis iuxta triplicem vocationem supra relatam, adhibetur: aduerbium autem, *quomodo*, potest sumi vel affirmatiuè, id est, non induar illa, nec inquinabo illos; vel hæsitanter, id est, vereor ne fortè induar, vel inquinem eos; vel nescio, aut non inuenio modum quo modo induar, vel inquinem iterum illos. Iuxta hæc ergo de singulis vocationibus aliquid consequenter ad supra dicta dicamus à peccatoribus inchoando.

De his quæ Deo resistunt per obstinationem in peccatis. §. 1.

ETSI vocatio peccatoris ad pœnitentiam tam suauis sit, torque rationibus fulta, vt mox illi oporteret parere, & sponso aperire, non desunt tamen qui hoc renuãt, quorũ nomine dicitur, *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* vbi duabus similitudinibus explicant grauem, quam in se cõuertendo patiuntur difficultatem ortam, ex duobus malis quæ in peccato inueniuntur, & à Theologis vocantur, auersio à Deo bono incommutabili, & conuersio ad creaturam, seu bonum commutabile: de quibus Dominus apud Ieremiam inquit, *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ non valent continere aquam.* Ex auersione autem à Deo oritur priuatio gratiæ & charitatis, ac virtutum, & donorum supernaturalium quæ illi annectuntur, & hoc est expoliare se tunica illa, quæ in Scriptura vocatur stella prima, vestis nuptialis, vestimenta salutis, & indumenta iustitiæ: imò ipse Christus quo induuntur quicumque in ipso baptizantur. Vnde prouenit maxima elongatio à Deo, & denudatio quædam à bonis moribus, & operibus studiosis, cum eorum tædio & fastidio; maximè autem ab iis quæ pœnitẽtiam respiciunt, & corporis afflictionem ac castigationem; horrent enim ieiunia, aspera quæque indumenta, & carni molesta: cum tamen hæc sint vestimenta eorum, qui peccarunt, in cuius figuram post peccatum primorum parentum, fecit Deus tunicas pelliceas, quibus induit eos, quo (vt inquit D. Chrysostomus) docuit nos vt mollem & dissolutam vitam C
fugiamus, neque inertem & remissam sectemur, sed magis austeram amplexemur: quam tamen vestem valdè horret peccator, & aliam mollem & blandam appetit, & solicitè sibi facit per conuersionem ad bonum commutabile, nimirum ad delitias, & diuitias, ad carnis voluptates, & mundi inanes honores, quærens semper quod sibi est lautum, opiparum & suaue; & hoc significat lauare pedes ad recumbendum in lecto, auferendo sc. à suis actibus & gressibus quidquid putat sordidum & horridum, graue & molestum; veluti qui se nudat pelliceis, vel coriaceis calceamentis, & postea pedes lauat, fouet, tergit, & ita in molli lectulo recumbit. Qui autem huiusmodi mollibus & lautis assuetus est moribus, difficillimè relinquit eos, nam per diuturnam consuetudinem versi sunt in alteram quasi naturam: propter quod Ieremias de huiusmodi peccatoribus dixit, *Si mutare potest* Ier.13.v.23. *Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum.*

Ad igitur peccatrix anima, Deo ad eius ostium 2.
pulsanti respondens, *Expoliaui me, tunica mea*; id est, gratia, charitate, & virtutibus mihi concessis, exui me tunica bonorum operum, & actuum pœnitentiæ, ac asperæ vitæ, *quomodo induar illa?* non possum iterum me illa induere, *laui pedes meos*, assuescens rebus mollibus & suauibus, *quomodo inquinabo illos?* nolo iterum eos sordidis & austeris pœnitentiæ operibus inquinari. Hæc autem quidam peccatores asserunt ex complacentia in suis peccatis, & delitiis, ac mollibus vitæ moribus, in quibus velut in lecto iacent, & hi sunt omnium pessimi. Alij autem ex pigritia, desidiaque animi, & ex timore difficultatis, quam sentiunt in sua ad

Deum reuersione: ac si dicat anima, pigrescо iterum me induere, aut non inueni, quomodo me induam vt resurgam, & Deo aperiam quæ sunt lota, & mollibus, ac blandis gressibus assueta, horresco iterũ per aspera, & lutosa pœnitentiæ opera gradi: vnde fit vt suas sẽper retineat sordes, iuxta illud, *Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui*: nihil curans mortis suæ, nec iudicij diuini iam vrgentis, ac si sordes non haberet.

3. Infelix anima quæ sic respondet Deo pulsanti, cuius certa erit damnatio, si relinquatur ab eo in
Thren. 1. v. 9. ea qua gaudet nuditate: nam qui nudatus est veste nuptiali, proiicietur in tenebras exteriores, vbi
Mat. 22. v. 12. erit fletus & stridor dentium. Sola enim hæc vestis calorem animæ cõfert; qua sublata frigore, & dentium stridore in æternum torquebitur, & præterea nuditas eius continuò augebitur, donec reliqua indumenta, si quæ relicta erant, penitùs illi auferantur; sicut minatur Dominus per Oseam, dicens,
Oseæ 2. v. 2. *Auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum, ne forte expoliem eam nudam, & statuam eam secundum diem natiuitatis suæ*: id est, ne eam qua nuda est sine veste gratiæ & charitatis, amplius ego expoliem, permittẽs vt nudetur etiam fide, spe, & aliis virtutibus moralibus, ac bonis operibus, quæ facere solebat; ita vt maneat sicut erat in die natiuitatis, quo in peccato originali sine vlla prorsus virtutum veste nata est; vnde tandem in æternum pereat; dicit autem *ne forte*; quoniam comminatio ista & permissio pendet à libero hominis arbitrio, qui in suis sibi complacet iniquitatibus, & propria amat pericula, in quibus ruit, & aliquando naufragatur à fide, & obruitur desperatione. Denique ablato tegumento bonorum operum, & veste aspera pœnitentiæ, statim arescit omnis virtus animæ, sicut excorticata arbore paulatim arefit; quoniam cortex qui instar vestis eam protegebat, est illi ablatus, sicut
Ioel. 1. v. 7. scriptum est, *Hostis ficum meam decorticauit, nudãs spolianit eam, & proiecit, albi facti sunt rami eius.* Sicut autem albor iste ramorum ablato cortice, etsi videatur in decorem eorum cedere, verè tamen est in perniciem; sic albor peccatoris qui lauit pedes suos, & mundo splendidus videtur, ac sibi iucundus, dum corticem pœnitentię abiecit, in eius verget condemnationem, quia forte perpetua ariditate mulctabitur, vt ex ea ficu amplius fructus non
Matt 21. v. 19. nascatur in æternum.

De his qui ex pigritia conuerti renuunt. §. 2.

SED iam contra mentem pigram, desidiosam, & inurbanam agamus, quæ futilibus de causis se excusat, ne dilecto pulsanti aperiat; verba enim ista D pigritiam redolent, & pigri hominis statum mire depingunt, simul & delitiosi, qui vt suauius requiescat & dormiat, non vestitus cubat, sed etiam ipsam tunicam exuit, & ante cubitum pedes lauat, quod voluptatem & mollitiem indicat; cum autem pulsat Dominus ad ianuam, friuolas & vanas excusationes affert, ne à lecto surgat; quasi difficile esset iterum se tunica induere, vel pedibus terram terere, vt tantum hospitem domi suæ reciperet; maximè cum ex ingressu illius vita, salus, victus, & omnis substãtia domus suæ pendeat? Sed hoc est pigrorum ingenium, vt quæ facillima facta sunt, & necessaria videntur corpori, vel ánimo, detrectent, ne minimum subeant laborem, vel delectationem, qua potiuntur, relinquant. Quod egregiè depingit Salomon, dicens, *Abscondit piger ma-*

A *num suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam, &* Prou. 19. v. 24 & c 26. v. 15.
laborat si ad os suum eam conuerterit. Hyperbolica est locutio ad insinuandam stupendam quorũdam pigritiam, qui si abscondunt manum suam sub ala A'iij iegunt *sub axilla.*
brachij (Hispanè *El sobaco*) vel in sinu suo, ob declinandum frigus, & otij amorem, nolunt tantillo tempore, calore illo, & otij suauitate carere, vt manum applicent vel ad abstergendum os impurum, vel ad ingerendum cibum, & breuissimum motum à sinu ad os laboriosum putant: sic pigri quemcumq; vel minimum horrent laborem, & magnum putant, nec suam relinquere volunt iucũdam otiositatem, vt se à peccatis purgent, vel salutarem animæ cibum sumant. Et prẽterea cum manus in Scriptura symbolum sit operationis, manum abscondere sub ascella est ab operatione cessare, vt otiosa quiete fruatur. Nolle autem eam applicare ad os, est nolle opera verbis conformare. Solent enim pi-
B gri, iactãter de virtutibus & bonis operibus loqui, & legis præcepta magnificare, ac prædicare, cùm Mat. 23. v. 4
tamen nec digito velint tangere illa. Quod sic explicat D. Gregorius; Pigro labor est manum suam "Lib. 22.
ad os porrigere, quia desidiosus prædicator nec "Mor. c. 5.
hoc vult operari quod dicit: manum quippe ad os " "
porrigere est voci suæ opere concordare. Sed aliud
hic insinuatur pigrorum ingenium, qui opus bonum inchoant, sed facilè quauis suborta difficultate imperfectum relinquunt. Nomen enim Hebræum quod Vulgata vertit *ascella*, vel *axilla*, signi- Vide Ianficat lebetem, vel caldariam. Est autem adeò in- senium.
gens pigri torpor, vt cum manum suam posuerit intra lebetem, vt escam inde capiat, tædeat eum inde educere illam cum cibo ad os; & hoc est opus bonum etiam necessarium inchoatum relinquere, vel Christianæ religionis cultum inchoare, assumendo fidem & ex pigritia negligendo opera bona, quibus ædificium consummatur. Quo sensu pigri apud Isaiam secundùm versionem Lxx. vbi Isa. 51. v. 20.
Vulgata habet, *Sicut oryx illaqueatus*, dicũtur esse In eum lo-
Sicut beta semicocta. Vbi Diuus Hieronymus, qui cum.
semel incredulus est, appellatur beta cruda; Porrò "
qui inter vitia atque virtutes medius fluctuat, re- "
ctè vocatur beta semicocta, ad quem in Apocalypsi loquitur Deus, *Vtinam aut calidus esses, aut frigidus, nunc quia tepidus es, euomam te.* Non nullum "Apoc. 3. v.
enim concipit calorem, sed tepidus sine feruore "15.
charitatis manet. Huiusmodi ergo sunt qui inanes "
excusationes fingunt, ne delitias suas relinquant, Lu. 14. v. 20.
vt surgant ad aperiendum Deo vocanti: velut ille qui vocatus ad cœnam magnam ire renuit, ne tantisper vxoris quam duxerat consortio careret.

Sed conferenda est immensa Dei charitas & solicitudo cum stupenda hominum desidia, & ignauia. Deus enim ad fores hominum dormientium Ad Ro. 10.
non vocatus venit, & pulsat; gratia eius nos præue- v. 20.
nit, & inuitat, ac non cum quærentes quærit, & non interrogantibus apparet. Homo autem adeò est inurbanus & piger, suique amator, vt aperire nolit, ne carnis deserat illecebras, vel aliquas patiatur molestias. Clamat sponsus dum pulsat, *Aperi, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*: Sed hinc piger occasionem arripit, vt pigritiam suam nutriat, & lectulo fortius adhæreat, vel in ipso se vertat sicut ostium in cardine Prou. 26. v.
suo. Timeo (inquit) rorem, & guttas noctium, hor- 14.
resco frigus, & glaciem, ærumnasque, & labores virtutum; nolo surgere à lecto, nec foras exire, ne Prou. 22. v
ab illis opprimar, *Leo est foris, in medio platearum* 13.
occidendus sum. Ros videtur illi leo, nox leæna, guttæ noctium catuli leonum, & minimum laborem

æstimat maximum, quoniam inanis timor dementat eum; ibiq; trepidat timore, vbi non est timor,
Ps. 13. v. 15. Iob. 6. v. 16. nescitque miser quod *qui timet pruinam irruet super eum nix.* Quia dum Deo non aperit vt fugiat paruam & momentaneam ærumnam, irruet è cælo in eum, alia maxima, & sempiterna. Quoniam
Math. 25. v. 30. inutilis & piger seruus proiiciendus est in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium; vtilius ergo esset illi considerare rorem immensum laborum, & ærumnarũ quas caput nostrum Christus passus est propter nos, quarum comparatione omnes nostræ ærumnæ & virtutis labores sunt veluti paruæ guttæ, ad easque tolerandas se libenter accingere, vt magistri sui sequatur exemplum, qui tam ingens laborantibus promisit præmium, vt
1. Cor. 4. v. 17. eius respectu quasi guttula videatur omnis labor: iuxta illud Apostoli, *quod momentaneum est, & leue tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Sicuti etiam omnis ærumna & afflictio hu- B ius vitæ respectu gehennæ sempiternæ leuis est, & momentanea, & guttula noctium iure vocari potest. Vnde in scriptura per verbum stillandi significatur, sicut cum Daniel ait: *Stillauit super nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in libro Moysi serui Dei, quia peccauimus ei.* Et vbi maledictiones Moysis quæ omnium horribilissimæ sunt, vt in
Deut. 28. v. 15. Deuteronomio continentur, stillæ à Daniele vocantur. Micheas etiam ait: *Stillabo tibi in vinum, &*
Micheæ 1. v. 11. *in ebrietatem, & eris super quem stillatur populus iste*: etsi enim abundantissimæ sint afflictiones huius vitæ, & multoties vsque ad ebrietatem, at respectu æternarum stillę nominantur. Quid ergo stolidius
De hac pigritia iterũ in exhort. sequenti. §. 1. quam pigrescere ad conuersionem ob timorem laborum qui siue ad præmia, siue ad supplicia æterna comparentur, guttæ & stillæ nuncupantur.

De vehementiori interna pulsatione tangente peccatoris cor. §. 3.

SED audi iam immensam Dei benignitatem qui cum iustissime peccatores huiusmodi posset derelinquere, ac vltimo mulctare æterno supplicio, sicut dereliquit ac mulctauit illos, de quibus dixit:
Luc. 14. v. 24 *Amen dico vobis quod nemo virorum illorum gustabit cenam meam*; multoties tamen potentiori vocatione ad ostium pulsat, vt deposita obstinatione, & pigritia ei appareant: & hoc est quod sponsa subiicit: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & intremuit venter meus ad tactum eius.* Id-
est, per foramen ostij misit manum suam nitens pessulum reuoluere, aut seram referare; foramen autem vocatur illud per quod clauis, vel aliud instrumentum intrat ad auferendum pessulum. Loco au- D tem clauis misit manum vel digitum ad tollendum illud: aut foramen dicitur rimulæ inter duas eiusdem ostij portas existentes, quas pessulus obserabat, ad tactum autem eius quo tetigit pessulum vel ostij foramen, intremuerunt vel commota sunt mea viscera, & præcordia, seu cor, quæ in scriptura per ventrem sæpius significantur. Sept. vertunt, *Conturbatus, vel tumultuatus est venter meus.* Theodotio (referente Theodoreto) vertit, *calefactus est*, alij, *insonuerunt viscera mea.*

Per hanc igitur phrasim vehementiorem & efficaciorem Dei impulsum & inspirationem denotat: si enim manus, vt quibusdam placet, sumatur per Synecdochẽ pro digito, qui eius est pars, digitus inspiratio est Spiritus sancti & virtus eius, vt
Luc. 11. v. 20 patet ex illo, *Si in digito Dei eiicio dæmonia.* Vtitur autem nomine manus quæ diuinam omnipotentiam denotat, per quam cuncta operatur vbi, &

A quando, ac quomodo vult; quoniam in huiusmodi inspirationibus maxime splendet omnipotens Dei virtus transmutans corda, ad auferendum ergo pessulum obdurationis, seu obstinationis, aut pigritiæ, quo ostium cordis obseratum est, mittit fortiorem inspirationem & illustrationem mentis, aliquas clarius & fortius detegens veritates, quæ vehementer excitent, & commoueant voluntatem; siue detegendo peccati fœditatem, & terribile eius supplicium, siue vitæ breuitatem, celeritatem mortis, & diuini iudicij; siue quæ Christus pro peccatis nostris est passus, siue collata beneficia, & ingratitudinem contra illa, vel quid eiusmodi: mittitur autem per foramen ostij vel cubiculi, id est per intellectum quem tangit diuina illustratio, & per eam tangitur cor & voluntas hominis, aut foramen vocatur quidquid internum, vel externum Deo est patens, vnde occasionem sumit ad vehementius pulsandum hominem, siue sit ipsa synderesis, siue alicuius rei terribilis imaginatio, & apprehensio; siue corporis auris, vel oculus, vel sensus quo aliquid tremendum auditur, vel videtur, aut sentitur. Ad tactum autem istum contremiscit venter, quoniam omnia præcordia hominis commouentur, & conturbantur per vehementem affectum excitatum in corde, vel timoris Dei & supplicium eius, vel doloris de peccatis commissis, aut de præcedenti obduratione & pigritia, aut de ingratitudine contra Deum à quo tot bona recepit; vel commiserationis & compassionis dolorum Christi, quorum ipse causa fuit; vel amoris erga tam benignum benefactorem, qui cum eum posset vltimo plectere supplicio, nouo ac ineffabili afficit beneficio. Hanc omnipotentem manum misit Act. 9. v. 5.
Dominus in Saulum per foramen auris, cum ei dixit: *Saule, Saule cur me persequeris?* & rursus, *Ego*
C *sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris, durum est tibi contra stimulum calcitrare*, statim autem contremuit venter eius ad hunc tactum, & abstulit obstinationis pessulum, nam *tremens ac stupens dixit*; *Domine, quid me vis facere?* O virtus omnipotens diuini contactus, quæ ita cor hominis indurati immutat, vt eum quem persequebatur, mox diligat, eique se omnino subiiciat. Saulus tremens tam omnipotentem vim quæ eum vsque ad terram prostrauit, stupens tam immensam bonitatem quæ suum persecutorem non occidit, cum posset: sed in meliorem vitam traducit, totus in Christi amorem, & obedientiam incaluit, *venter meus calefactus est ad tactum eius.* Iste enim tactus ex duro cordis silice scintillam ignis eduxit, quæ totum cor inflammauit, de Christo offenso dolet, Christum amare proponit, eique pro iniuria illata satisfacere, ad omniaque paratum cor suum reddit. *Venter meus conturbatus est super ipsum.* Vertunt Sept. id-
est ipsius gratia, ipsius amore, non alia de causa nisi propter ipsum, quem me offendisse pœnitet, & cui deinceps gestio placere.

Merito hæc inspiratio tactus vocatur (qua voce Sess. 6. c. 5.
vtitur etiam Tridentinum Concilium) ad significandam vehementiam impulsus, & commotionẽ, quam etiam sensibiliter intus facit, & coniunctionem Dei cum anima, quæ per hanc inspirationem inchoatur, & per consensum perficitur.

De pulsatione externa per flagella. §. 4.

SED quoniam sæpius Deus externa vtitur vocatione & signo, vt tam fortes immittat inspirationes, quasi aperiens viam, & tollens obstacula, vt recipiantur, hoc eleganter exprimitur per phrasim

iſtam: *Dilectus meus miſit manum per foramen.* ſ. ad tollendum peſſulum oſtij mei: nõn inquit confregit fores, vel euulſit clauſtra, licet facile poſſet, ſed miſit digitos per foramen, vel rimam oſtij vt aperiret, quia non ſtatim peccatores deſtruit, ſed aliis modis ad ſe trahere conatur, & manum ſuæ omnipotentis virtutis oſtendet multoties dum tribulationibus & ærumnis concutit peccatores ſibi rebelles, vt eos ad ſe conuertat; vel etiam iuſtos tepidos & ſegnes, vt eos feruentiores reddat; vel feruidos adhuc vt eos amplius purget, & perficiat, & hoc ſignificat ſcriptura cum ait Deum mittere manum ſuam, aut extendere illam; etſi mittere manum mitiorem pœnam & tribulationem indicet; extendere vero ſeueriorem & duriorem, ſiue in hoc ſeculo, ſiue in futuro, vt D. Hieronimus notat explicans illud quod Dominus per Ezechielem minatur impiæ & obſtinatæ Ieruſalem: *Ecce ego* Ezech. 16. v 27.
extendam manum meam ſuper te. Et Iſaias cum Iſai.5.v.24. B
plures eidem calamitates inflictas retuliſſet, addidit, *adhuc manus eius extenta*: Mittere autem manum, mitius affligere eſt; ſicut cum Sathan cupiebat Iob à Deo flagellationibus vexari, dixit: Iob.1.v.11. Iob.2.v.4.
Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet, & iterum ait: *Mitte manum tuam, & tange os eius & carnem.*

1. Iuxta hæc igitur dicendum eſt in hoc loco non loqui ſponſam de manu Domini per iram, & vindictam flagellantem peccatores in perditionem, quæ grauiſſima ſolet eſſe, & diuturna; vt quæ in hac vita inchoatur, & conſummatur in altera: ſed de ea quæ ex miſericordia eos tangit vt reſipiſcãt; & ideo vtitur nomine dilectus dicens: *Dilectus meus miſit manum*: Nam priori modo non vt dilectus, ſed vt iudex iratus manum extendit, & flagellat. Quod diſcrimen egregie aſſignat ſapiens Sap.11.v.11. C
comparans afflictiones Hebræorum in deſerto cum flagellationibus Ægyptiorum. Sic enim ait: *Cum enim tentati ſunt, & quidem cum miſericordia diſciplinam accipientes ſcierunt quemadmodum cum ira iudicati impij tormenta paterentur. Hos quidem tanquam pater monens probaſti, illos autem tanquam durus Rex interrogans condemnaſti.*

Hinc fit hanc peccantium flagellationem quæ ordinatur ad pœnitentiam cum à dilecto procedat, & ex dilectione, paruam eſſe & moderatam, non tantum comparatione ad æternam, qua de cauſa guttam & ſtillam nuncupari diximus: ſed etiam quoniam commenſurata eſt viribus, vt vertatur in bonum ipſius flagellati, ad auferendum peſſulum oſtij & conuerſionis obſtaculum. Et ideo dicitur miſiſſe manum per foramen oſtij quod paruum eſſe ſolet, & per illud potius mittitur digitus quam tota manus, & præterea cum homo tunc dignum ſe fateatur multo maiori pœna, illam quam patitur tanquam paruam libenter amplectitur. D
Luc.23.v.41 Quod videre licet in duobus latronibus cum Chriſto Domino crucifixis, cum enim vtriuſq; æqualis videretur afflictio crucis, tamen bonus latro, cuius cor diuina tetigerat manus, eam paruam reputauit cum dixit, *nos digna factis recipimus*. Alter vero impatientiæ furore actus in Chriſtum blaſphemabat.

2. Ex eadem etiã dilectionis radice prouenit quod huiuſmodi vexatio quæ auditui dat intellectum, Iſai.28.v.19 non diu durat, ſed quandiu oportet ad peſſulum oſtij auferendum, ſeu donec peccator Deo conſentiens ad ipſum Deum reuertitur, & ideo vocatur tactus, *ad tactum* (inquit) *eius*. Mittit enim manum tranſiens per foramen, & tangens, & cum effectum ſortitur à tangendo deſinit. Quomodo de ſupra dictis Hebræis ait idem ſapiens: *Tetigit tunc* Sap.18.v.20
iuſtos tentatio mortis, & commotio in eremo facta eſt multitudinis, ſed non diu permanſit ira tua. Quod Pſalmiſta explicat in Pſalmo 106. dum narrans co- Pſal.106.
rum tribulationes ait, mox vt clamabant ad Do- Pſal.77.v.
minum liberatos eſſe. *Nam cum occideret eos, quæ-* 34.
rebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum, & c. Quod ſi diu durat vexatio, ideo eſt vt perfectius pro peccato ſatisfaciat, & ab illo amplius expurgetur, & cautius deinceps procedat. Vnde ſæpius Dauid conqueritur de ſua graui flagellatione propter peccata dum ait, *Quoniam ſa-* Pſal.37.v.2.
gitta tua infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam. Et rurſus, *Quoniam die ac nocte gra-* Pſal.31.v.4.
uata eſt ſuper me manus tua; conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. Ideſt, dum ſpina tribulationis configitur in carne mea.

Sed nota conſonantiam ſcripturæ ſacræ in iis locis. Nam cum ſagitta vel ſpina configitur in carne, 3.
foramen aliquod aperit in illa; per illud autem foramen intrat manus Domini, & eius inſpiratio cor penetrans, vt conuertatur ad Dominum. Foramen voco ſenſum illum doloris quem efficit ſpina, & ſagitta tribulationis, quo excitatur mens vt cauſam afflictionis quæ peccatum eſt, agnoſcat, & foras per confeſſionem, & ſatisfactionem expellat. Et ideo Dauid ſubdit, *Delictum meum cognitum tibi feci, & peccatum meum non abſcondi: dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* En quot bona ex foramine quod ſpina aperuit promanarunt. Nam peccatum quod ante intus latebat, iam aperit, & manifeſtat; & dum confiteri proponit, veniam obtinet. Nam propoſitum cordis, & apertionem illius acceptauit Dominus. Scimus enim ad remiſſionem peccati ſufficere contritionem cum propoſito confitendi, C & aperiendi illud ſuo tempore. Nec myſterio caret, quod vbi nos legimus *dum confingitur ſpina*, D. Hieronimus vertit ex Hebræo, *cum exardeſceret meſſis iugiter*, quaſi diceret, *Conuerſus ſum in ærumna mea*, dum conſpiciebam quod meſſis mea, & quæcumque congregaueram, per ignem tribulationis exardeſcebant, & comburebantur. Dum exardeſcebat meſſis exterior, ardebat intus cor vt ex Dei amore ſe ad ipſum conuerteret: *Nam venter meus calefactus eſt ad tactum eius.* Ignis tribulationis calefecit viſcera mea, ſed non ille ſolus, ſed manus Domini & inſpiratio eius, qui tangens cor per tribulationem, inflammauit illud.

Tandem omnipotẽs Dei manus non eodem mo- 4.
do omnes peccatores tangit, ſed iuxta vniuſcuiuſ- *Quomodo*
que indigentiam prout expedit ad auferendum *peſſulus*
peſſulum, quo obſeratum eſt cor. Peſſulus autem *cordis au-*
eſt nimius & inordinatus amor erga creaturas, *ferur per*
creatoris amorem extinguens, aut retardans, aut *tribulatio-*
impediens: eſt autem diuerſus in diuerſis homini- *nes.*
bus, ſicut ſunt diuerſi amores, diuitiarum vel honorum, vel voluptatum, vel vxoris, & filiorum, vel cuiuſque rei quæ homini eſt occaſio peccãdi. Tunc autem Deus mittit manum, cum tangit illas res, vel deſtruendo eas, aut auferendo, aut ſeparando, dum autem tãgit res ita dilectas, eriam tangit peccatoris cor, qui diligebat illas, & per amorem hærebat eis, eratque in ipſis: *Nam vbi eſt theſaurus* Math. 6 v.
tuus, ibi eſt cor tuum. Ergo qui tangit theſaurum, 21.
tangit & cor. Vnde tactus iſte maximum efficit dolorem, & triſtitiam cordis de illius rei amiſſione, vel deſtructione. Senſus autem doloris huiuſmodi foramen eſt, per quod diuina inſpiratio vehementius cor tangit, vt amorem creaturæ præſcindat, &

expellat, ac peſſulum illũ tollat, quo clauſum erat. A
Sic ab hypocritis aufert nomen ſanctitatis quod ambiebant; à diuitibus diuitias quibus confidebãt, vt per foramen ignominiæ & paupertatis intret diuina inſpiratio illo impedimento ablato, iuxta
Pſ.82 v.17. illud, *imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Qua de cauſa ab impiis Iudæis qui ſuis Moſaïcis ceremoniis nitentes Chriſti fidem inſectabantur, abſtulit templum, & ſacrificia, vt ad ipſum Chriſtum reuertantur. Quod forte inſi-
Ezech.16.v. 27. nuat Ezechiel cum ait: *Ecce ego extendam manum meam ſuper te, & auferam iuſtificationem tuam.* Ideſt id, quo te iuſtam putabas, & in quo confidebas. Et
Oſeæ 2.v.5. eidem Ieruſalem, quæ dicebat, *Vadam poſt amatores meos qui dant panes mihi & aquam meam*, & c. Reſpondit Dominus: *Sepiam viam tuam ſpinis* multarum tribulationum, quæ pungant & perforent pedes tuos, vt per ea foramina ingrediatur illuſtratio mea. Vnde cum abſtuliſſet ab ea frumentum, oleum, & lanam, magnaque vexata eſſet calamitate, tunc in ſe reuerſa ait, *Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc, magis quam nunc.* Et hic videtur magis proprius ſenſus
Ezech.16. v.27. eius quod Ezechiel prædixit. Nam cum eadem Ieruſalem pretioſa vaſa, & diuitias quas à Deo acceperat, contra ipſum cõuerteret, ait illi, *auferam iuſtificationem tuam*, ideſt legitima tua, vel eius quod ad hæc omnia habebas, vt miſera & pauperrima maneas, & agnoſcas me Deum verum à quo cuncta bona receperas.

5. Sed perpendendum eſt valde quod innuit verſio Sept. *& venter meus conturbatus eſt ſuper ipſum*, ideſt ipſius cauſa & amore, quia non ſat eſt viſcera conturbari & commoueri ob dolorem quem vexatio infert, ſed propter amorem vel timorem dilecti qui vexat, & manũ extendit vt percutiat, & ſanet. C
Itaut cor aliquo modo ex tactu illo calefiat; hac enim de cauſa etſi Rex Antiochus flagellatus à Deo aperuiſſe videatur foramẽ, per quod diuina ingre-
Mach.6.v.8 & lib.2.c.9. v.12. deretur illuſtratio, ſic enim dixit, *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo*, & c. tamẽ peſſulum cordis non abſtulit, nam mox ſubditur; *Orabat ſceleſtus ad Dominum, à quo non eſſet miſericordiã conſecuturus.* Quoniam illa interior commotio & oratio ac oblatio votorum nõ oriebatur ex affectu erga Deum, & ex odio peccati, ſed tantũ ex odio pœnæ, & languoris qui eum vexabat, nec orabat pro remiſſione culpæ, ſed pro ablatione pœnæ. Secus Dauid qui à Deo flagellatus dolebat de culpa, ſed propter Deum, di-
Pſ.50.v.6. cens, *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci*, ac fi-
Luc.15.v.17 lius prodigus, etſi famem ac miſerias ſuas præſentiret, quæ ianuam aperuerunt vt diuina lux cor eius perfunderet, tamen ad patrem rediens ait: *Pater peccaui in cælis, & coram te. Iam non ſum dignus vo-* D
cari filius tuus. Plura de hac vocatione per flagella
Lib.2.exh. 5. dicta ſunt circa illud, *Trahe me, poſt te curremus.*

Ex his concludimus ſub his verbis ſecundum varias verſiones, omnes actus pœnitentiæ quos Deo tangente fortiter cor peccatoris exercet, deſignari, venter enim tremet, cum prodit in actum timoris; conturbatus eſt, cum ſolicitus eſt de ſua conuerſione peragenda, calefit, cum Dei amore incaleſcit, & zelo vindictę contra propria peccata tumultuatur, vel inſonãt viſcera, cum eructant gemitus, ſuſpiria, & fontes lachrymarum ebulliunt, verbaque perſonant confeſſionis peccatorum; & precis pro eorũ remiſſione, vt virtus manus Dei tangentis ſatis per hanc mutationem innoteſcat, de qua dicitur: *Hæc* PP76.v.11. *mutatio dexteræ excelſi*, qui obduratum fecit docilem, excæcatum illuſtrauit, excitauit pigrũ, & for-

uentem fecit, ac currentem per opera pœnitentiæ; donec perfecte reconciliatur ſponſo qui eſt Deus benedictus in ſecula. Amen.

EXHORTATIO XI.

De iuſtis qui firmum habent propoſitum non peccandi, & de iis qui ex timore lapſus vel laboris ſe excuſant ne Deo ad lucra animarum vocanti obediant.

Expoliaui me tunica mea, &c. Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, &c.

SI ad iuſtos referatur hæc ſententia, *expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa. Laui pedes meos quomodo inquinabo illos?* Duplicem ſenſum patitur à multis patribus traditum, & vtrumque ſatis vtilem. Prior eſt animæ piæ aſſeuerantis ſe iam ex parte feciſſe, quod ſponſus ab ea poſtulat, quando in fonte baptiſmatis expoliauit ſe tunica originalis culpæ, aliorumque peccatorum & actuum veteris Adami, iuxta illud Apoſtoli, *Ex-* Ad Col.3.v.
poliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis. & 9.
induentes nouum qui ſecundum Deum creatus eſt in Ad Epheſ.4
iuſtitia & ſanctitate veritatis. Et inſuper lauit pe- v.24.
des ſuos, ideſt omnes ſuas potentias & affectus ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, vt maneret Hom.11.in
coram Deo lota, candida & ſpecioſa ſicut colum- Cant.
ba. Recte (inquit Nyſſenus) ſpõſa audiuit eum qui « B
iuſſit ipſam fieri, & propinquam, & columbam «
perfectam, vt per eam ad animam introducatur «
veritas: Fecit quæ audiuit, vt quæ exuerit pelli- «
ceam illam tunicam, quam induit poſt peccatum, «
& à pedibus abluerit terrenas illas ſordes, quibus «
erat inuoluta; vt quæ à vita quam degerat in pa- «
radiſo, reuerſa eſſet in terram, quoniam audiuit, «
terra es & in terram reuerteris. Tunicam pelliceam «
vocat veſtem veteris hominis, & naturam peccato «
infectam, quam ab ipſo hæreditauimus. Et bene in-
quit tunicam meam, quoniam peccatum noſtrum
eſt, & à noſtro libero arbitrio ortum. *Nam perditio*
tua (ait Dominus) *tantummodo ex me auxilium* Oſeæ 13.v.9
tuum, exuta autem hac tunica noſtra, induimus aliam precioſiorem quæ Chriſti eſt, ciuſque auxilio & fauore nobis collata?

De firmo propoſito nunquam peccandi. §. 1

CVM autem inquit *quomodo induar illa?* firmum animi decretum inſinuat non ſe iterum 1.
induendi illa, ac ſi dicat; nullo modo induar, quoniam non poſſumus (inquit Nyſſenus) iuxta præce- Math.10.v.
ptum Domini duas ſimul habere tunicas, imo nec 10.
veſtimento veteri nouum pannum aſſuere. Sic qui Marci 2.v.
ſemel induit veſtem ſplendiſſimam Chriſti, non 21.
debet induere veſtem veterem, quam exuit. Quæ eſt enim ſocietas obſcuræ & tenebricoſæ tunicæ
cum luminoſa & ſplendenti? & quæ participatio 1.Cor.6.v.
gratiæ cum fœdo peccato? nullo igitur modo me 14.
induam iterum illa, nec aliquid illius, cum noua hac veſte aſſuam. Vnde in baptiſmo non ſemel, ſed ter profiteretur homo ſe abrenunciare omnibus operibus, & pompis Sathanæ, vt conſtet quam firmo animo abrenunciet cum voluntate ex Dei gratia non iterum aſſumendi quod renunciat.

Hanc animi firmitatem eleganter ex iis verbis De Iſaac &
deducit B. Ambroſius multis in locis. Iam (inquit) « anima c.6

» non sentit carnis exuuias. Iam quasi spiritus exues A
» se corporis coniunctione, iam quasi oblita, & quæ
» si velit copulæ illius meminisse non possit, ait, *exui*
» *tunicam meam, quomodo induam eam?* Exuit enim
» tunicam illam pelliceam, quam acceperunt Adam
» & Eua post culpam, tunicam corruptelæ, tunicam
» passionum, quomodo induam eam? non requirit
» vt induat, sed ita significat abiectam, vt iam indu-
» mento sibi esse non possit. Hæc Ambrosius, quæ in
1. Ioan. 3. v. 9. eo sensu intelligenda sunt, quo D. Ioannes dixit: *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniã semẽ ipsius in eo manet: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Quia nimirum manente gratia quæ semẽ est Dei, peccare nequit, & gratia quãtum est ex se peccato aduersatur & illud impedit.

Præterea sic anima se Deo sentit ligatam, & addictam vt videatur nescire, nec esse modum quo se ab illo separet, & gratiam quam inuenit à se proiiciat. Quod sic perpendit idem Ambrosius: vete- B
Serm. 22. in Psal. 118. à principio. ris hominis vestimentum vitiis erroris intextum, in lauacri regeneratione depositum, nescit quomodo possit induere. Studio enim correctionis inoleuerat obliuio peccatorũ. Tanta vis consummatę emendationis est, vt in quandam pueritiæ redeat spiritalis ætatẽ, quæ vias erroris ignoret, crimen etiamsi velit, non possit admittere, quia desseuerit peccandi vsum nosse rursus, sic se actus corporis, & terrenos exuit mores, vt nesciat quomodo etiam si velit, rursus possit induere. *Quomodo induam illã?*
Lib. 3. de Virginibus circa medium. Hoc est qua verecũdia? quo pudore? qua postremo memoria? Consuetudo enim boni vsum prauitatis veteris amisit. Quod ait Ambrosius etiã si velit, hyperbole est, ad significandam nimiam animæ cum Deo adhæsionẽ, à quo nullo modo vult recedere.

2. Idipsum confirmat secunda similitudo *laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* intelligendo per pedes animæ facultates, maxime intellectum & C voluntatem quæ sunt pedes hominis vt rationalis est; hæc autem similitudo præcedentem includit, & aliquid addit, nam ad lauandum pedes, prius calceamentis illos nudamus, & postea à sordibus emundamus illos. In baptismo autem sicut exuimus tunicas pelliceas, quæ ex pellibus animalium mortuorum fiunt, & ideo peccatum significant; sic etiam calceamenta ex simili corio facta tollimus, quæ iterum non sunt induenda, quod triplici ex figura deducit Nyssenus, quoniam postquam Moy-
Hom. 11. in Cant. Exod. 3. v. 5. ses diuino iussu soluit calceamenta à pedibus suis, quoniam terra in qua stabat sancta erat, non legitur ea iterũ induisse. Et inter sacerdotalia indumenta, nullum assignatur pedibus, quia sacerdotalis pedis ornamentum erat nudum esse, & liberum ab omni D
Luc. 10. v. 5. Ioan. 14. v. 6. indumẽto. Discipulis etiam Christus interdixit calceos, quando eis præcepit ne irent in viam gentiũ, sed per viã sanctã, qui ipse est, quam non licet tangere eũ qui hominis mortui non soluit indumẽtũ.

Hæc autem denudatio calceorum mortuorum coniungitur in baptismo cum lotione pedum, quæ fit per gratiam, & virtutes supernaturales, quibus anima purificatur à sordibus, & dealbatur, quos iterum inquinare non debemus, sed impollutos seruare, Christo inhærentes: iuxta illud Psalmistæ:
Ps. 39. v. 3. *Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fœcis, & statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos:* Ad hoc autem statuit supra petram, qui Christus est, ne iterum eodem luto inquinarentur.
Lib. 3. de Virginibus. Hoc igitur est quod sponsa dicit: *quomodo inquinabo illos?* non ait (inquit Ambrosius) quomodo
» iterum lauabo eos? sed quomodo iterum inquina-
» bo eos? quasi oblita maculæ veteris, oblita conta-
gij. Admonet igitur in ministerio corporali, quem- “
admodum debeamus actuum nostrorum diluere “
vestigium. Itaque pedes cum semel laueris æterni “
fontis irriguo, & mysterij mundaueris Sacramento, “
caue iterum corporeæ cupiditatis illuuiem, ne “
lutulenti actus sordibus inquinentur; subdit postea “
hos pedes non corporis, sed animæ, inquinatos ser- “
uari, obseruando illud Psalmistæ: *Stantes erant pe-* “ Ps. 121. v. 8.
des nostri in atriis tuis Ierusalem, stant autem in “ Ad Phili. 3. v. 10.
cœlesti Ierusalẽ, cum iuxta Apostolum, *nostra con-* “
uersatio in cœlis est, conuersatio morum, conuersa- “
tio factorum, conuersatio fidei: hæc ille. Nomẽ autem *quomodo* summũ denotat animi decretum, & firmissimum non peccandi, iuxta dicta, quo sensu dixit Ioseph: *Quomodo possum hoc malum facere, &* Genes. 39. v. 9.
peccare in Deum meum? Laudandus autem nimis est affectus iste non inquinãdi pedes, nec graui macula, nec etiam leui quantum per vires licuerit, ne dũ paruula inquinamenta admittimus, in turpiora ruamus. Quod si aliquas maculas leuiter cõtraxerimus, mox lauemus eas, nã propter has dictũ est Apostolis; *qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet.* Ioan. 13. v. 10.

De his qui ex timore lapsus, vel laboris se excusant ne ad lucra animarũ ex Dei vocatione prodeãt. §. 2.

HINC deducere licet posteriorem horum verborum sensum textui magis consentaneum. Nimirũ quod pia anima diuino iam obsequio dicata, & præcipue quieti contemplationis dedita, timet Deo pulsanti aperire cum vocatur ad externa negotia Marthæ, vel ad aliqua egregia virtutis opera cum solitudine peragenda, (vt est prælatiæ munus, vel opus prædicationis, vel audiẽdi confessiones, & alia huiusmodi quæ in lucrum animarũ destinantur) ne forte in aliquam labatur culpam, vel perturbationem quæ eam coinquinet; & in pristinã C quam abiecit conuersationem, redire cogat, & hoc est quod ait: *Expoliaui me tunica mea*; quia deposui Ad Ephes. 4. v. 22.
secundum pristinã conuersationem veterem hominẽ, & omnes eius actus, reliqui carnis curas, solici- Ad Colos. 3. v. 8.
tudines seculi, & mundana negotia; quomodo induar illa? id est vereor, ne forte iterum in peccata ruam, & quod deposui resumam, respiciens retro. Contra id quod scriptum est, *qui in agro est* (vitæ Math. 24. v. 18.
quietæ) *non reuertatur tollere tunicã suã*. Ne lædatur in Ciuitate, & opprimatur ab eius turbatione, *laui pedes meos* à sordibus quas antea contraxerã, quotidianis lachrymis & gemitibus mea peccata planxi, affectus meos purificaui, lutũ & puluerẽ terrenarũ curarũ excussi; *quomodo inquinabo illos?* cõtremisco ea negotia agere, in quibus iterũ possim inquinari.

D Hæc autẽ excusatio ex multiplici causa prouenire 1.
potest. Videlicet vel ex pio zelo nõ labẽdi in culpã, vel ex spiritu pusillanimitatis, & nimij timoris, vel ex aliqua adiũcta pigritia & horrore laboris, vel ex nimio amore quo quis afficitur ad propria, & min⁹ ad aliena; sed illa est omniũ pessima, quæ ita palliat metũ perdẽdi gratiã acceptã, quod in ipsum Deum causã refundit, qui nimio rigore de collatis donis rationem exigit, & deficientes seuerè punit. Vel vt seruus ille qui accepta mina à Domino suo vt negociaretur, cũ id recusasset respõdit illi: *Ecce mina* Luc 19 v. 20.
tua quã habui repositã in sudario. Timui enim te, quia homo austerus es, tollis quod nõ posuisti, & metis quod non seminasti, ac si diceret, malui incolumẽ tibi seruare minã, quã periculo exponere, ne si male cessisset negotiatio, tuã incurrerẽ indignationẽ, metui enim te austerũ, & lucri adeò cupidũ, quod etiã inde tollas vbi nihil posuisti; & inde messem colligas, vbi nõ feci sti sementẽ, quare multũ à me exigeres,

vel pu-

vel punires si periisset mina. En seruum pigrum, A
& Domini sui insimulatorem, qui accipiens à Christo minam, id est doctrinam Euangelicam, & dona gratiæ, vt negotiaretur, & lucrum faceret animarum, quæ à vitiis respiscant, & ad veram fidem & pietatem conuertantur, id renuit agere suæ pusillanimitati & ignauiæ, prætexens metum diuinæ iustitiæ, & strictæ rationis exigendæ ab iis qui infœliciter munus suum obeũt, quasi Deus plerumque requirat ab hominibus quæ nõ dederit, requirat fructum laborum, cùm non dat voluntatẽ & oportunum auxilium ad laborandũ.

Sed optimè respondet Dominus obmutescere eum faciens: *Ex ore tuo te iudico, serue nequam.* Si putabas talem esse morem meum, *quare non dedisti* B
pecuniam meam ad mensam, vt ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam? id est: Si negotia periculosiora aggredi timebas nauigando maria, & peragrãdo longinquas terras, cur saltem faciliora & certiora non tentasti, cõmittens pecuniam mensariis, vt cum illis particeps lucri fieres, aut ego veniens, si non à te, saltem ab illis vtique exegissem pecuniã cum vsura & lucro? Increpatur ergo iustè, quia timor diuinæ iustitiæ non eum impulit vt faceret id quod sibi facilè factu esset, sciens quod Dominus suppleret defectum illius; sed ineptè satis sibi consuluisse putauit, si contra voluntatem & præceptum Domini minam in sudario repositam custodiret. Et bene reposuit in sudario, quo
C defunctorum, vel dormientium capita obteguntur, quia mina apud pigrum est quasi mortua, dum ociosè sine negotiatione seruatur. Et qui exuit se veste prægrauante vt suauiùs in cubili suo dormiat, caput linteo & molli sudario tegit, quod symbolum est pigræ mentis, quæ dona accepta ociosa retinet, & ideò auferuntur ab illa; sicut scriptum est, *Auferte ab illo minam.* Permittit enim Deus eum labi in culpas lethales, quas fugere putabat, propter quas accepta dona perdat.

Sed ne in tam horrendum corruamus malum, ex hac ipsa parabola has sponsæ & piæ animæ excusationes sub specie boni palliatas diluamus, D
quę ignorantiam indicant mentis in proprium commodum propensæ, magis quàm in id quod Deo est gratum, & proximis proficuum. Etenim cõseruatio cælestium donorum, præcioſę tunicæ, & lotionis pedum, sine vllo inquinamento, & detrimento, non tam pendet ex nostra industria, vel ex loco tranquillo, & officio, vel statu quieto, & à conuersatione hominum segregato, quàm ex Dei voluntate, & protectione speciali; quæ si nobis adsit, vbique erimus securi, bene induti, & incoinquinati; si verò absit, vbique facilè corruemus, & perdemus quę lucrati fuimus. Diuina autem hęc protectio præsto est obedientibus, & contradicentibus negatur. Quare si ex Dei voluntate, iussu, & inspiratione contemplationis E
quietem, & locum tranquillum relinquis, vt progrediaris foras ad negotia cum proximis, & ad lucrandas animas, securus ibi eris; propter hoc tunicam gratiæ non exues, pedes tuos non inquinabis, immò ampliùs perficientur ab eo qui perficiet tuos pedes tanquam ceruorum, & super excelsa statuet te, sicut scriptum est: *Quàm speciosi* Psal. 17. v. 34. Isa. 22. v. 7. ad Rom. 10 v. 5.
pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona! Videmus quosdam contemplationi deditos, in superbiam, illusionem, & libidinem prolapsos, tunicam iustitiæ exuentes, & lotos pedes inquinantes, & si alij multi induti, candidi, & loti permanserint: quod & eis qui actione incũbunt con-

tingere etiã perspeximus; quoniã mirum non est per eandem viam planam, vel asperã, mundã vel lutosam, alios sine offensione & macula strenuè progredi, alios verò passim offendere, quia vel segnes sunt, vel sibi nimis fidũt: at diuina protectio eos quos per hanc vel illã viã ducit, si eius se subiiciant volũtati, & cooperẽtur prouidẽter, illæsos & incoinquinatos seruare valet. Ex decem enim seruis qui singulas minas à domino suo acceperũt vnus dixit, *Domine, mina tua decẽ mnas tuas acquisiuit*: alter verò, *mna tua fecit quinque mnas*, qui tanquam prudentes & humiles lucrũ attribuerunt non tã suæ industriæ, quã minæ ipsi; quoniã Dei gratia & auxiliũ potissima est lucri causa, iuxta illud Apo- 1. Cor. 15. v. 10.
stoli, *Abundantiùs omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum.* Vnde tacitè redarguitur piger, qui similem minam accipit, qua si vti vellet, lucraretur alias: sed proprio nixus iudicio, immemor fuit diuinæ protectionis & auxilij, & ideò eius non obediuit iussioni.

Non inficio plus pulueris peccatorũ venialium 3
ex negotiatione seu actione circa proximos contrahi, quã ex contemplatione & vita solitaria: sed
Lib. 10. mor. c. 5. hęc faciliùs dimittũtur, vt inquit D. Gregor. quia ex fragilitate carnis procedũt, & igne amoris qui in corde quærentiũ aliorum salutẽ ardet, consumuntur: & ex magnitudine operũ quę faciunt, recompensantur, vt interdũ maiora, & prælariora coram Deo merita habeat, qui pluribus culpis venialibus ex fragilitate inquinatur, quàm alius qui paucioribus. In cuius confirmationẽ adducit D.
Serm. 12. in Cant. Eccles. 42. v. 14. Bernardus illud Eccles. *Melior est iniquitas viri, quàm bene faciens mulier*: intelligens per mulierem illum qui domi manet, contẽplationi tantùm vacans; per virũ verò, prælatum, concionatorem, & Euangelicũ operarium, qui tanquã strenuus Christi miles certat contra diabolũ, & peccatores, vt eos à peccatis eruat, etsi leuia inde contrahat vulnera. nam tu quidẽ (inquit) in tui custodia vigilãs bene facis; sed qui iuuat multos, & meliùs facit, & viriliùs. Temerè obiurgat militem de bello reuertentẽ mulier nens in domo. Quod si aliquãdo contingat in graue aliquod peccatũ ruere, vt sæpiùs contigisse constat, ipsa Dei prouidentia quæ ex occulta causa id permisit, eos protegit vt mox
Zach. 12. v. 8. resurgant, & validiores fiãt, iuxta illud prophetæ Zacharię: *In illa die protegit Dominus habitatores Ierusalem, & erit qui offenderit ex eis in illa die sicut Dauid.* Quod de principibus & primoribus Ecclesiæ
præcipuè intelligitur, qui dum labũtur & offendunt ex fragilitate, tamen ex Dei protectione pœnitentiam agunt, & vires resumunt, sicut Dauid postquam offendit Deum.

Sed quoniã satis nobis cõstat sanctiss. viros Basiliũ, Nazianzenũ, Ambrosiũ, Chrysost. Augustinũ, 4
Gregoriũ mag. & alios eiusmodi animarũ regimẽ vehemẽter fugisse, nõ ex pusillanimitate spiritus, sed ex periculi magnitudine, & propria imbecillitate, ne dũ alios lucrari conantur, seipsos perde- Tract. 57. in Ioan.
rent; ideo D. August. hunc locum interpretatur de Ecclesia lamentante suorũ periculum, quasi à Deo poscat copiosius auxilium, & efficaciorẽ vocationẽ, quę fortes efficiat operarios, & mittat eos in messẽ suã. nam respiciẽs ad Apostolos & discipulos qui iam obierũt, ait; *Expoliaui me tunica mea*, i. mẽbris illis meis, quę Christo aperire euãgelizando excellẽtissimè potuerunt; *quomodo induar illa?* i. quomodo ad corpora quib⁹ exuta sũt, redire nũc possunt? deinde respiciẽs ad eos qui prædicare, & populos Christo afferre vtcũq; posśũt, sed in illis

difficultatibus actionũ peccare metuunt; *Laui*, inquit, *pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Quisquis enim non offendit, hic perfectus est vir: & quis est perfectus? quis est qui non offendit in tanta abundantia iniquitatis, tanto frigore charitatis? quandoquidem lego, & audio, *Nolite plures magistri fieri, fratres, scientes quoniam maius iudicium sumitis, in multis enim offendimus omnes.* Sic Augustin. Iacob. 3. v. 1.

Tandem quæ de pigritia diximus contra peccatores in præcedenti Exhortatione, eadem militant contra iustos, qui circa aliorum salutem pigrescunt, vel circa proprium profectum; de quo etiam sufficiant dicta in Exhortatione 9. In § 2.

De efficaciori Dei vocatione ad tollenda hæc obstacula. § 3.

SED iam Dei benignitatem fortiùs vocantis animam perpendamus. *Dilectus meus* (inquit) *misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius*, id est misit impulsum omnipotentis manus & virtutis suæ ad auferendum pessulum pusillanimitatis, diffidentię, nimiique timoris, quo occlusum erat cor Deo vocanti; per foramen enim intellectus intrat diuina illustratio, quæ eum ampliùs illuminat, vt cognoscat rorem illum, & guttas noctium, quibus sponsi caput & cincinni perfusi sunt, id est quàm grauissimæ iniuriæ Deo irrogentur, quanta & quot Christus passus sit pro redemptione hominum, quàm vehementer sitiat nostram salutem, quàm ingens sit hominum calamitas, & perditio; & quot à Deo ipse acceperit beneficia, oropter quæ diuinæ teneatur parere voluntati. Hac igitur luce perfusus, tangitur cor eius, & ad tactum istum omnia intremiscunt præcordia, excitatur vehemens affectus doloris de iniuriis Deo à peccatoribus illatis, compassio de perditione hominum, ardens zelus salutis eorum, & ingens desiderium sequendi Christum, cooperandique cum eo in conuersione peccatorum: quibus affectibus cor iam commotum & incalescens pessulum timoris auffert, magnam concipit spem, vires resumit, & opus sibi iniunctum aggreditur. Tunc etiam verè ait, *Venter tuus tumultuatus est, vel insonuit super eum.* Quid insonuit? Primò vocem resignationis, & promptę oblationis, ad prędicandum cùm opus fuerit, dicens cum Isaïa: *Ecce ego, mitte me.* Nam qui paulò antè gemebat, quia vir pollutus labiis erat, & in medio populi labia polluta habentis, habitabat, nec audebat loqui, sed magis elegerat tacere, quia loquendo pollui sibi videbatur; iam alacriter se ad loquendum offert, quia Seraphim calculo ignito tetigerat labia eius, & ab illis abstulerat immunditiam. Sic cùm sponsus manum mittit, & cor tangit, tacto illo incalescens insonat super eum, quasi dicens; Paratum cor meum ad loquendum, paratum ad prædicandum. Isa. 6. v. 7.

Deinde viscera insonuerunt, & venter tumultuatus est gemitibus, singultibus, & suspiriis, tum propter præcedentem ignauiam, & resistentiam, tum maximè propter peccata hominum, quibus mederi desiderat: ad modum quo Isaïas inquit: *Super hoc venter meus ad Moab, quasi cythara sonabit.* & Ieremias: *Propterea cor meum ad Moab, quasi tybia resonabit, & cor meum ad viros muri fictilis dabit sonitum tibiarum*: Id est, viscera mea sonabunt luctu, & singultu, quem edent tacta dolore ex Moabitarum calamitate concepto: Isa. 16. v. 11. Ierem. 48. v. 36.

sicut sonos suos edit cythara & tybia à plectro pulsata. His enim instrumentis musicis lugubrem sonitum edentibus, mortuos plangebant olim: sic & iusti tacti à Deo, mortem iniquorum plangunt; & quia non est desperata plaga, eos ad vitam reuocare curant.

2 Cæterùm quoniam nonnulli timoris vel pigritiæ pessulo ita cor obseratum habent, cùm eos Deus ad prędicandum mittit, vt actioribus stimulis indigeant, solet alio modo manum mittere, iuxta suprà dicta, permittendo eos aliquibus concuti tribulationibus, & ærumnis, quę oculos mentis aperiant, vt diuinæ circa hoc ministerium se subiiciant voluntati: quod in Iona propheta intueri licet, cui primò blandè dixit Deus: *Surge, & vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in ea, quia ascendit malitia eius coram me.* Ipse tamen mox surrexit, non quidem vt Deo pareret, sed vt fugeret in Tharsis à facie Domini, obserans ianuas cordis diuinæ voci, nec ianuas Niniuitarum aperire volens, vel audens, ex timore quodam humano; ne si Niniues conuerterentur, & Deus ei parceret, ipse propheta falsus haberetur. Fugit autem in Tharsis, quod secundùm D. Hieronymum interpretatur *exploratio gaudij*, quoniam quicumque recedit à Dei voluntate implenda, aliquod gaudium & voluptatem propriam quærit, quam per fugam illam inuenire putat. Sed mentitur iniquitas sibi, melius aliquid Domino prouidente pro illius salute. Nam qui blandè primò ad ostium Ionę pulsauit, extendit manũ suam vt eum tangeret, & reduceret flagellis, & pressuris, permittens quod gaudium verteretur in luctum, dum grauis in mari oritur tempestas, propter quam in profundum missus, & à præparato cete deuoratus est. His autem pressuris intremuit venter eius, commota sunt viscera, & insonuerunt gemitus, preces, & vota coram Domino; propter quæ à cete euomitus, pessulum cordis abstulit: & cùm iterum per eadem verba Deus ei in Niniuem ire præcepit, mox libenter iuit, & prædicauit. Ionæ 1. v. In Isa. 23. & Ezec. 27

3 Etenim summæ prudentię est, si semel Deo obstitisti, cùm fortiùs vocat, & flagellis pulsat, sententiam mutare, & illi obedire: *Quis enim restitit Deo, & pacem habuit?* quod etiam proprio experimento edoctus ipse Ionas, adhuc in ventre piscis positus, testatus est, dicens: *Qui custodiunt vanitates frustrà, misericordiam suam derelinquunt.* Non ait qui faciunt vanitates, & peccata frustrà, superuacuè, & sine vllo vero commodo; quod omnibus peccatoribus commune est, ne omnes damnare videatur: sed qui custodiunt vanitates frustrà, id est qui obstinatè hærent illis, & intra se retinent, ita vt etiam à Deo inuitati & excitati eas relinquere nolint; hi misericordiam suam derelinquunt, id est, ipsi se priuant diuinâ misericordiâ, & vltrò propriam damnationem quærunt. Iob 9. v. 4. Ionæ 2. v 9

Ne autem diffidamus opera hęc insignia & difficilia ex Dei vocatione aggredi, oportet manum Dei quantę sit virtutis & potentiæ considerare, quę vnico temporis momento debiles mirè potest corroborare: propter quod dicebat Psaltes: *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi*: id est, Adsit tua omnipotens virtus super virum ex se fragilem tanquam filium hominis, quem elegisti & confirmasti vt sit vir dexterę tuę, in quo tua dextera, & omnipotentia manifesteretur. Atque in hunc sensum explicat Beda verba ista: *Et venter meus intremuit ad tactum eius*: ventris nomine intelligendo mollitiem & infirmitatem eorum qui prędicandi munus sumere recusant, vel quia minùs se sentiunt idoneos, vel quia ocio suæ quietis delectantur; sed ad tactum dilecti venter Ecclesiæ intremuit, cùm ad instinctum diuinæ compunctionis infirmi ignauię torporem discutiunt, seseque ad exercitium boni operis accendunt, atque ad prædicandum proximis assurgunt. Psal. 79. v. 18

Luc. 14. v. 49.

4 Sed meliùs hoc intelligemus, si Apostolos debiles consideremus, quibus dictum est, *Sedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto.* Virtus autem ista erat Spiritus Sanctus, qui eos suâ præsentiâ fortissimos effecit, & eum significari per manum dilecti testatur hîc Catena trium Patrum apud Theodoretum. Hęc autem manus mittitur à dilecto per foramen mentis, id est per consensum voluntatis desiderantis & expetentis illum. Ad tactum autem eius venter animæ intremuit, calefit, insonuit, quia tota mens ex præsentia Spiritus Sancti inflammatur, & incipit loqui magnalia Dei, prout Spiritus Sanctus dat eloqui illis. Serm. 12. in Psal. 118. v. 1

Sed adhuc metaphora ventris aliquid amplius innuit. nam (vt inquit Diuus Ambrosius hunc locum interpretans) non turbatur vterus fœminarum nisi cùm fuerint aluo graues: vnde hîc quædam spiritualis conceptio in vtero mentis insinuatur, ex eo quòd manus Spiritus Sancti intrat in illam: cuius quasi semen est fortis eius inspiratio, ex qua fit conceptus, seu proles, id est amor quidam vehemens erga Christum, & proximos, qui nutritur, & inolescit, & suo tempore paritur, dum per insignia opera manifestatur. Prætereà cùm Sponsa per prædicationem filios spirituales generet, & intra se concipiat, sicut de muliere quæ Ecclesiam repræsentabat, dicitur, quod erat in vtero habens. Quid est sponsum manum mittere per foramen, nisi Spiritus Sancti virtutem ei secretò infundere, qua venter eius intumescat, & filios spirituales concipiat, vel se ad illos concipiendos per prædicationis munus accingat? quod ampliùs patebit ex iis quæ mox de Deipara dicemus. Apoc. 12. v. 2. In Exhort. 13.

5 Ex his tandem deducamus cum diuo Gregorio Nisseno in huiusmodi verbis insinuari etiam efficacem Dei vocationem euehentem animam ad sublimiorem Dei cognitionem, & amorem. Quæ enim ex firmo decreto Deo semper placendi dixit: *Exui me tunica mea, quomodo*, id est nunquam induar illa? digna est vt Deus per foramen intellectus ipsius, propter hunc tam nobilem affectum mittat manum omnipotentiæ suæ, & virtutem tam Filij quàm Spiritus Sancti; ostendens illi tum opera naturalia creationis, tum opera supernaturalia gratiæ, maximè opus incarnationis & redemptionis mundi; ad cuius illustrationis tactum omnia viscera intremiscant, & commoueantur, nouos & ardentissimos producentes affectus amoris & gaudij, admirationis, & laudis, ac gratiarum actionis, eleuans se supra se, & exiens à se vt se Deo coniungat. & vniat in sæcula sæculorum. Amen. In Exhort. 13. hoc de Incarnatione vberiùs explicatur.

EXHORTATIO XII.

De myrrha mortificationis necessaria ad obsequendum cuicumque vocationi Dei, siue ad pœnitentiam, seue ad proprium profectum, vel lucrum animarum.

PRO CŌMVNI VNIVS MARTYRIS ET PONTIFICIS CIRCA EVANGELIVM.

Surrexi vt aperirem dilecto meo: manus meæ stillauerunt myrrham, &c. Versu 5. Versu 6.

INCIPIT narrare sponsa quemadmodum surrexerit è lectulo, vt aperiret dilecto suo, ferens manus stillantes myrrham, & digitos plenos myrrha probatissima, seu prima, & electa, quæ voce Hebræa vocatur Transiens: quia cùm pretiosa esset, facilè diuendebatur in nundinis, & ex his in alios deferebatur: & si quidam hoc dictum esse putent, quia myrrha à manibus transiuit in ipsum pessulum, vnde diuersam sequuntur distinctionem à vulgata: quam etiam secuti sunt Septuaginta Interpretes, & plurimi Patres, qui eâ vtuntur. sic enim vertunt: *Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei myrrham plenam super manus pessuli*, id est super pessuli manubria: & adhibito ibi puncto, addunt, *aperui ergo fratrem meo.* Manus autem stillabant myrrham, vel quia ea illas vnxerat tendens ad lectulum, sicut & pedes lauerat; vtrumque enim Hebræę fœminæ iungere consueuerant: vel quia vadens ad aperiendum dilecto, accepit vas mirrha probatissima plenum, qua inter eundum manus eius perfusæ sunt. ita enim erat plenum vt per manus diflueret, dum properans ibat. Acceperat autem vt dilectum vngeret, vel coram eo fragrans appareret; vel tandem vt aliis placet, quia sponsus hac probatissima myrrha vnctus incedebat, dum manum misit ad pessulum, eum plenum myrrha reddidit; vnde manus sponsæ tangentes illum, eadem myrrha perfusæ sunt. Hæc de litera. Tropologiam inspiciamus: sed quia longum esset, & eiusdem sententiæ repetitione molestum, tribus vocationibus suprædictis hęc verba sigillatim aptare, ea quæ communia illis sunt duntaxat proponemus. Omnia enim comprehendit verbum *surrexi*: quod fit variis modis. Nam peccator surgit à cæno culpę in statum gratiæ, tepidus verò à somno pigritiæ ad feruorem spiritus; iustus etsi feruidus, ab vno gradu virtutis surgit in alium excellentiorem, sicut contemplatiuus ex vno modo contemplandi diuina, ascendit in alium sublimiorem; & à quiete etiam contemplationis surgit, vt proximis siue regendo, siue docendo, aut prędicando prosit. Hanc autem phrasim multis sacrę Scripturæ locis in libro quinto confirmauimus, circa illud, *Surge, propera amica mea.* Surrectiones verò istæ omnes ad hoc tendunt, vt aperiamus dilecto vocanti, id est vt consensum eius vocationi prębeamus, firmo animi decreto non ei ampliùs resistendi, nec vlteriùs permanendi in eo statu vel gradu vnde euocamur; sed tendendi ad exequendum quod nobis iniungit, non lentè, & segniter, sed festinè & feruenter, sicut ipse ait, *Surge, & propera.* Ruth 3. v. 3. Iudith. 10. v. 3. Dani. 13. v. 17. Ita Genebrardus, & alij. Lib. 5. exhort. 13. & sequentibus

Qualis mortificatio necessaria sit ad obediendum Dei vocationibus. §. 1.

AD hoc autem inchoandum primus vocationis fructus est vehemens mortificationis propriæ studium animo impressum, quale significatur his verbis, *Manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.* nam antequam aperiret ostium dilecto, quod ad plenam executionem pertinet, ex impulsu auocante sibi indito hunc recipit fructum, vt mortificationis myrrham distillarit: quod egregiè perpendit D. Ambrosius in hunc modum: Surge, aperi, ad ianuam Christus est, vestibula domus tuæ pulsat. Si aperueris, introibit, & introibit cum Patre: nec solùm cùm ingressus est mercedē relinquit, sed etiam priusquam ingrediatur mercedem præmittit. Adhuc anima turbatur, adhuc parietes domus suę palpat, adhuc ostium quærit, vbi Christus est, adhuc soluit vinculum carnis, & corporis claustrum, adhuc foris Christus pulsat: *Manus* (inquit) *meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni in manibus clausuræ.* Ecce vbi abundantiam myrrhæ vocat mercedem, vel fructum, quem diuina vocatio præmittit antequam plenè Christus ingrediatur: Quia necessaria est ad surgendum, & relinquendum ea quibus cor adhæret, & nos detinent ne ad Deum tendamus.

Lib. 3. de virginibus post mediū

Surgens ergo anima ad aperiendum Deo, ex eius inspiratione accipit vas myrrha plenum. Vas autem istud est obedientia, seu obseruantia legis diuinæ, quam primò & prę omnibus proponit; sub lege autem comprehendimus omnia mandata, etiam Ecclesiæ, vel sui status, aut officij propria. Hoc vas plenum est myrrhâ probatissimâ, quoniam præcellentem continet mortificationem propriæ voluntatis, amoris proprij, passionis, & sensuum, ac omnium quæ Diabolus, caro, & mundus contra Dei legem suggerunt. Horum autem abnegationes myrrha dicūtur, rationibus sæpiùs dictis, quia amara sunt corpori, & quia animæ corruptionem sanant, vel ab ea vindicant, nimisque corā Deo & Ecclesia fragrant. Vas igitur myrrhæ in manu, est lex in executione. Manus autem eam distillant, quoniam vires animæ actus abnegationis exercent, iuxta illud: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, &c.* & *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*: & rursus, *si quis venit ad me, & non odit patrem suum, &c. insuper & animam suam, non potest meus esse discipulus*; &, *qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Quæ omnia internam mortificationem affectionum, & cæterarum rerum circa quas illæ versantur, apertè indicant.

ad Coll. 3. v. 5.

Math 16. v. 14.

Luc. 14. v. 25

Ait autem manus meæ, & non manus mea, vt vtramque manum comprehendat, dexteram, & sinistram; quia abnegatio necessaria est à dextris, & sinistris, in prosperis, & in aduersis. Quoniam in vtrisque deordinatę insurgunt affectiones, quæ rescindendæ sunt, & abnegandæ, ne in prosperis prævaleat superbia, præsumptio, iactantia, aut vana lætitia, vel aliorum contemptus; nec in aduersis opprimat impatientia, ira, diffidentia, pusillanimitas, & nimia tristitia. Et cum obseruantia legis putat necessario ne declinemus ad dexteram, vel ad sinistram, oportet vtramque manum destillare mirrham abnegationis, quæ nos per viam mediam, & rectam legis vsque ad Deum deducat, abnegando quæ nos versus vtrumque latus impellunt, vt non transgrediamur legem, neque per excessum, neque per defectum, nec amore amicorum, nec ex odio inimicorum, nec ex desiderio voluptatis, vel honoris, nec ex timore alicuius doloris, vel ignominiæ.

Deut. 5 v. 32 Prou. 4. v. 27. Isa. 30. v. VI

Sed vlteriùs vtriusque manus digiti esse debent myrrhâ pleni, quia non solùm in magnis seruanda est abnegatio, sed etiam in paruis, & minimis, vt sit plena, & secura: nam *qui soluerit vnum de mandatis minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum*: & sicut omnes digiti necessarij sunt ad integritatem manuum, &si inter eos quidam sint maiores, alij minores; ita obseruantia decem mandatorum Decalogi, ad quę cætera reducimus, etsi inter ea quædam sint aliis maiora, necessaria est ad perfectam salutem: sine abnegatione autem & myrrha impleri non valent. Et si autem mortificatio leuium culparum, quæ veniales dicuntur, non sit omninò necessaria ad adquirendam vel conseruandam Dei gratiam; tamen si hæc contemnitur, vix conseruabitur, & nunquam inolescet: nam qui ex contemptu desinit mortificare modica, facilè ruit in grauiora, nec in virtute proficiet. Pleni ergo mirrha digiti esse debent, ne dicat nobis Christus, *Non inuenio opera tua plena.* Nam quomodo plena, quæ vacua sunt myrrhâ, & deficientibus debitis circumstantiis manca & defectiua?

Matth. 5. v. 19.

Eccle. 19. v. 1

Apoc. 3. v. 2.

Vnde & myrrha vocatur probatissima, quia mortificatio debet esse vndique valde probata coram Deo, & hominibus; nec enim sufficit ab hominibus approbari, nisi approbetur à Deo. Illa autem probatissima dicitur quæ fit integrè, plene secundùm omnia requisita iuxta exigentiam legis vel instituti, eo fine, vt Deo placeamus, dum ea quæ sunt ei minùs grata amputamus. Si enim fiat vt placeamus hominibus sicut hypocritæ, qui exterminant facies suas vt appareant hominibus ieiunantes, reproba myrrha erit, & Deo ingrata; habent enim reprobi suam myrrham, sed falsam & apparentem; nam cùm externa aliqua mortificent, internos affectus inordinatos tenaciùs retinent, siquidem in illa externa mortificatione suam gloriam, vel lucrum quærunt. *Est enim qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo.*

Math. c 16.

Eccles. 19. v. 23.

Sed quid est quod manus dicuntur stillare myrrham, digiti verò non stillare, sed pleni esse myrrhâ? Respondet Nissenus, per manus facultates animæ, per digitos verò operationes designare. Illæ distillant myrrham in digitis, quia non coactè, sed spontaneè producunt perfectam myrrham in suis operibus. Accipe nonnulla verba ex ipso decerpta, quę omnia suprà dicta eleganter explicant. Non potest (inquit) alia ratione fieri vt viuum verbum sit in nobis, nisi quis necando membra suæ terrena, carnis cortinam sustulerit, atque ita verbo ostium aperuerit, per quod animam ingrediatur. Nec surrectio quicquam efficacitatis habuisset, nisi mortificatio voluntaria præcessisset. Voluntarij autem indicium est stillicidium illud myrrhæ fluentis ex ipsius manibus, & quod hoc aromate digiti eius abundare dicantur. Non enim aliunde ipsa in vita myrrham in manum ipsius ait peruenire, sed manus ipsarum, id est, motus

Hom. 12 cant.

animi qui actionum effectores sunt, ex sese stillasse vltrò myrrham, quam in omnibus digitis vberem esse ait, id est in omnibus virtuti consentaneis conatibus.

Explicat deinde quomodo per hanc stillationem myrrhę fiat omnium vitiorum mors, quam significat plenitudo myrrhæ in digitis. Etenim (inquit) videre est eos qui non perfectè virtutem colunt, vni quidem illos vitio mortuos esse, sed in cæteris viuere: quemadmodum videmus nonnullos intemperantiam in seipsis quasi morte multare, sed magno studio superbiam alere, vel cupiditatem opum, vel iracundiam, vel ambitiōnem, vel quid aliud eiusce generis, quod dum malè viuit in animo, fieri non potest, vt quis digitos suos myrrhâ refertos ostendat. At cùm digiti omnes huiusmodi myrrhâ repleti sunt, tunc surgit anima, & aditum sponso patefacit. Propterea dixit Apostolus, *Quod semmas non viuificatur nisi prius moriatur.* Cùm enim homo duplici constet vitâ, carnali & spirituali, oportet quod moriatur vitæ carnali, & extinguantur vitia, vt vita spiritualis & virtutes refloreant: propterea quod oportet verbum illud imitari Psalmistæ dicentis: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ vt disperderem de ciuitate Domini,* (quæ anima est) *omnes operantes iniquitatem*: & hoc modo per mortem viuimus, cùm ea quæ sunt in nobis, quēadmodum Moïses loquitur, Deus partim occidit, partim viuificat. quo pacto Paulus etiam mortuus viuebat, & semper mortificationem Iesu in corpore suo circumferebat; semperque vitam eius in se declarabat. Hęc fusiùs prosequitur Nisenus, ostendens necesse esse animam omnibus vitiis emori, cuius symbolum est plenitudo myrrhæ, vt verbo, quod ipsa vita est, aditum patefaciat.

1. Cor. 15. v. 36.

Psal. 100. v. 8.

Deut. 32. v. 39.

2. Cor. 4. v. 10.

Breuioribus verbis eadem comprehendit D. Ambrosius dicens: Surrexit aperire, & opera eius, & facta mortificata sunt mundo. Talis enim debet esse anima, quæ verbum est receptura vt moriatur mundo, & consepeliatur in Christo; sic enim Christus inuenitur, & tale sibi quærit hospitium. Deinde ipsa ministeria operationum, id est manus & digiti, quibus comprehenditur Christus, mortificantur, quos digitos velut eminentia factorum nostrorum, opera possumus æstimare, sic ille vt intelligas non te apprehensurum Christum, nec eius gratiam, & perfectionem sanctitatis, nisi per manus & digitos electâ myrrhâ plenos: quoniam *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Homo enim mortificationem respuens, manet sine virtutibus, & donis cælestibus, sine fructu sanctorum operum, & lucro animarum: *si verò mortuum fuerit, multum fructum affert* instar ipsius Christi. Mortificatio enim affert copiosum fructum gratiarum & meritorum, actuumque ad alios lucrandos potentium. Sicut autem granum frumenti sub terra absconditur, & quasi sepelitur: ita perfecta mortificatio non solùm tendit ad mortem, sed ad sepulturam cum Christo, vt sicut mortuus mox sepelitur, & sepeliri solet myrrhâ vnctus, quemadmodum Nicodemus centum libras myrrhæ tulit vt corpus Christi defunctum vngeret; sic abnegatio sui ipsius hunc habere debet scopum, vt moriaris mundo, & amori proprio, atque sepelaris, & absondaris cum Christo, vbi nihil re mundi contingat, lædat, & ab ipso iterum separet; quod sola plena

Lib. de Isaac & anima cap 6.

Ioan. 12. v. 24.

Ionn 19. v. 39.

mortificatio, quæ per centum libras myrrhæ intelligitur, valet obtinere.

Ad hanc autem tam perfectam abnegationem perueniendum est prudenter, suauiter, & paulatim, non temerariè, violenter, & vno impetu aggrediendo omnia. Quis enim sicut Dauid sapientissimus inter tres qui vno impetu occidit octingentos? nec septem nationes Philistinorum eradicandæ sunt simul, sed paulatim & per partes: & discretè, vt rationabile sit obsequium nostrum, ne dum carnem castigamus vt spiritui subiiciatur, illam omninò necemus: & hoc significat etiam quod ait Sponsa: *Manus meæ stillauerunt myrrham.* Stillare enim suauitatem indicat, & per stillas paulatim myrrham emittere. sed & quod subdit; *& digiti mei pleni myrrha probatissima.* Idem confirmat secundùm interpretationem D. Gregorij, & aliorum, qui per digitos discretionem intelligunt, qua discernitur qualis, & quanta, & quo fine debeat esse mortificatio.

2. Reg. 23 v 8.

Deut. 7. v. 22.

ad Rom. 12. v. 3.

Omnem mortificationem applicandam ad tollendum pessulum, ostium cordis Deo claudentem. §. 2.

HOC tamen potissimè obseruandum, vt omnis nostræ mortificationis scopus sit auferre quod pessulus est cordis, ostium Deo claudens. Hoc enim significat Sponsa cùm manus & digitos impleuit myrrhâ, & mox ait: *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo.* Etsi autem Sponsus dixerit, aperi mihi soror; ipsa non respondet tantùm, aperui dilecto, sed pessulum aperui: insinuans quod radicem clausuræ & præcipuam illius causam, per manus myrrhâ plenas penitus abstulerit.

Sed multò clariùs hoc explicat versio LXX. suprà relata, cui variatâ distinctione confirmari posset vulgata; sic enim ait: *Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei myrrham plenam super manus pessuli*: quasi dicat omnem myrrhæ stillationem à manibus & digitis fuisse super manubrium pessuli ad auferendum illum. Inspice ergo diligenter quod vitium, quæ passio, vel affectio, aut quis defectus sit tui ostij pessulus; nam etsi multa habeas vitia, & affectiones prauas, vna tamen præ aliis magis cordi hæret, aliarumque est dux, & nutrix, cordique prædominans. nam in quibusdam pessulus est auaritia & diuitiarum cupiditas, propter quam plura alia patrant scelera, & Deo vocanti resistunt. In aliis pessulus ostij est ambitio honorum, in aliis verò voluptas carnis, vel nimius amor vxoris, sicuti in illis tribus qui inuitati ad cœnam venire noluerunt. Hæc enim sunt tria spinarum genera, quæ Christus vocat voluptates, delitias, & sollicitudines huius vitæ, quas germinat terra cordis humani propter Adæ peccatum maledicta, & suffocant semen verbi Dei, quod est diuina inspiratio, & vocatio, nisi fortiter euellantur. Omnis ergo mortificatio tum interna, tum externa, etsi circa varias materias versetur, ad hunc tamen scopum dirigatur, vt hic pessulus & spina auferatur, & diripetur: propter quod B. Pater noster Ignatius præter examen generale conscientiæ quotidie singulis noctibus faciendum, aliud instituit singularis vitij, quod pessulus esset cordis, vt illud cōtinua solicitudine & vigilātia eradicaretur.

Luc. 14. v. 18. & c. 8. v. 14.

De hoc sup lib. 6. exh. 35. § 1.

Obseruat autem optimè Ricardus, quod sicut pessulus paruus quidem est, & tamen ostium

magnum fortiter tenet obseratum; sic multoties paruum vitium animo hærens, fortissimè claudit ostium cordis, & hominem alioqui magnanimum ineptum reddit vt Dei iussa impleat. Quod libenter comparauerim pisciculo, qui Remora vocatur, non maioris ferè quàm pedalis magnitudinis, qui magna nauigia stare cogit etiamsi venti sæuiant, nullo alio modo quàm adhærendo carinæ pinnis in transuersum dilatatis: sic etiam viri alioqui graues, parua affectione, vel timore humano fortissimè detinentur, ne ingentia opera Deo grata faciant, nec in virtutibus insignem aliquem progressum peragant. Magnanimus videbatur Petrus, qui in nocte passionis dicebat Christo; *Tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire*; & tamen parua ancillula tanquam remora, timore quodam humano iniecto, detinuit eum ne iret, sed potiùs vt negaret quem sequi debebat. Nullum ergo contemnas vitium, nullam parui pendas affectionem quia parua; nam si cordi hæret, maximum impedimentum diuinę vocationi, & tuo profectui affert, quoniam peccata quæ ex infirmitate & ex surreptione committuntur, quia citò transeunt, non sic impediunt; nec muscæ tangentes vnguentum, sed morientes eius perdunt suauitatem.

Vide Pierium lib 30. c. de Remora.

Lucæ 22. v. 33.

Eccles. 10. ver. 1.

Ad hoc autem obtinendum eadem verba remedium insinuant, si admittamus sponsum dum manum suam misit per foramen ostij ad tollendum pessulum, eum perfudisse myrrhâ, quâ manus eius vncta erat, vnde sponsæ manus eadem myrrhâ perfluxæ sunt. Christus enim Dominus myrrham passionis suæ nobis applicat, vt nostris operibus & mortificationibus virtutem & efficaciam tribuat.

Habetur tom. 3. Cõcil. cap. 13.

Fauet alio modo concilium secundum Hispalense, hæc verba tribuens Sponso Christo. Salomon inquit in canticis canticorum passionem » carnis Christi prædicens ait: *Manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei guttam.* vbi specialiter » ostenditur in manibus ac digitis solam carnem » Christi in stipite infixam, sicut in psalmo dicitur: *Confige clauis timoris tui carnes meas.* Quidquid tamen sit de hac interpretatione huic loco applicita, hoc certum est quod sicut de Christo Dominõ paulò post hîc dicitur, *Labia eius distillare myrrham primam*, sic etiam verum est manus eius distillasse myrrham probatissimam; *nam cepit Iesus facere & docere*, & cuius labia perfectissimam prædicauerunt mortificationem, manus etiam operatæ sunt illam, ad quam intuentes magnum capiemus animum, vt manus nostrę ac digiti pleni illâ fiant.

Cant. 5. v. 13

Act. 1. v. 1.

Quomodo peccatores surgunt, vt Deo aperiant.
§ 3.

HInc facilè erit quæ diximus singulis vocationibus applicare; nam si de peccatoribus qui ad pœnitentiam vocantur, sermo sit, cum triplici actu plenè & perfectè Deo aperiant, nimirum contritione, confessione, & satisfactione, hi tres actus in his verbis insinuantur. Surgere quidem ad contritionem cordis pertinet, aperire pessulum ostij ad oris confessionem: satisfactio verò operis ad manus stillantes myrrham. Per contritionem enim pœnitens à peccato recedit, dum illud odio habet, non propter aliquod temporale damnum quod metuat, sed vt dilecto quem à se repulerat, ostium aperiat, quia ex dilectione procedit contritio, quæ vera est à peccato resurrectio, iuxta illud; *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Surgens autẽ portare debet myrrham instar Marię Magdalenę quę ab omnipotente Dei manu tacta, & ad eius tactum intus commota, & amore calefacta surrexit, vt ad Christum intùs vocantem vaderet, portans in manibus vas myrrhæ amaræ, proferens pœnitentiæ signa per lacrymas, gemitus, & singultus, qua myrrhâ Christi pedes vnxit, eique adeo fuit fragrans, & grata, vt mox cuncta peccata remitteret.

Ad Ephes. 5. ver. 14.

Luc. 7. v. 37.

Sed vlteriùs apertio ostij peccatorum confessionem aptè denotat, quoniam peccata quæ intra cor abscondita latebant, aperiendo os ad confessionem, manifestantur sacerdoti, qui loco Dei ea remittit. Ad hoc autem tollere oportet pessulum verecundi silentij, quod os habet obseratum. erubescentia enim & timor confusionis, est velut ferreus vectis os claudens ne peccata aperiat. Necesse autem est vt Deus ipse per foramen aliquod manum omnipotentiæ suæ mittat, & forti illustratione cor tangat, vt manus nostræ manui Dei coniunctę, myrrham mortificationis stillent, & illam confusionem, & ignominiam, quam ex confessione peccatorum timent, parui pendant & extinguant. Probatissima enim myrrha est quę pro salute animę non veretur dicere verum, & peccatum confiteri non erubescit, de qua myrrha gloriabatur Iob cùm dixit, *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celani in sinu meo iniquitatem meam.*

Eccles. 4. v. 24. & 31.

Iob 31. v. 33.

Oportet autem vtramque manum, & omnes digitos stillare myrrham super pessulum istum, quoniam omnia peccata sunt aperienda, & nullum omninò cælandum: quot sunt autem peccata, vel peccatorum genera, tot sunt erubescentię, & confusiones, vnum repagulum oris efficientes, & omnes auferendę sunt, singula peccata viriliter manifestando: Etsi autem manifestatio hæc amara sit sicut myrrha, est tamen valde salubris, nam à peccati corruptione sanat, & insuper nimis odorifera coram Deo & angelis eius, imò & coram prudentibus confessariis magnam spargit virtutis fragrantiam, quia vt D. Gregorius testatur, per infirmitatis verecundiam plerumque grauioris est certaminis commissa peccata prodere, quàm non admissa vitare: & vnumquodque malum quamuis robustiùs viretur, tamen humiliùs proditur. quare honor per lapsum amissus, per confessionis humilitatem & per victoriam verecundię reparatur.

Lib. 22 Moral. c. 10.

Si autem inter peccata aliquod sit turpius, quod maiorem ingerat verecundiam & confusionem, illud priùs aperiendum est, quia illud est vel vt pessulus os claudens, ne prodantur cætera. Nec tamen graue erit aperire, si intelligas quod inquit sponsa, *Pessulum aperui dilecto meo*: peccata enim aperiuntur in confessione Deo, non vt iudici ad puniendum, sicut in extremo iudicio; sed vt dilecto Patri ad ignoscendum. Aperiuntur autem ei non quasi ipse ignoret, cùm ipse scrutetur renes & corda, sed quia ipse iubet vt nos aperiamus, & per hanc humilem apertionem ad indulgentiam præparemur, iuxta illud, *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Stillanda est etiam myrrha, vt versio LXX. dicitur, super pessulum, quia peccata aperienda sunt stillando amaras lacrymas, gemitus, pectoris tunsio-

Psal. 31. v. 5

nes, & quæcumque sunt amari & contriti cordis indicia, iuxta illud: *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Sed quoniam remissa culpa & pœna æterna, adhuc manent vitiosi habitus, passiones, & affectiones prauæ, ac temporalis pœna tanquam peccatorum reliquiæ, oportet quod manus distillent myrrham, & digiti sint pleni myrrha probatissima, vt plenè & integrè peccatum destruatur: Passiones & affectiones prauæ mortificentur, vitia omnino expellantur, & omnis soluatur pœna per condignam satisfactionem, sicut scriptum est: *fatite dignos pœnitentiæ fructus*, vt digiti qui anteà pleni erant melle & lacte in obsequium carnis, eo expulso repleantur amara myrrha in obsequium Christi. *Et sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibite membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem*, vt omnes manus & digiti qui apposuerunt pessulum, applicentur etiam ad auferendum illum. Plura de hoc in libro 5. dicta sunt.

Lucæ 3. v. 8.

Ad Rom. 6. v. 19.

Exhort. 27. de voce cõfessionis.

Quomodo surgendum sit ad quodlibet insigne opus, maximè prædicationis. §. 4.

HInc etiam satis liquet qua ratione ad quodlibet insigne opus patrandum cum à Deo vocamur, statim surgere debeamus, manus habentes & digitos probatissima myrrha plenos, alioqui vel inanis erit noster labor, vel parũ proficuus & stabilis. Si surgis ad orandum, leua cor tuum ad Deum cum manibus, sed cum manibus myrrha plenis, alioqui cito lassabuntur, & corruent. Myrrha enim voluntariæ mortificationis manus graues reddit leues, vt in oratione suauiter leuarę perseuerent. Monet quidem Apostolus, *viros orare in omni loco leuantes puras manus sine ira & disceptatione*, sed hoc sine myrrha manuum præstare nequit, hæc enim manus puras reddit, iram extinguit, disceptationem tollit, & omnem locum ad orandum sibi pacatum facit.

1. Thren. 3. v. 41.

1. Ad Tim. 2. v. 8.

Si manus tuas aperis inopi, & palmas tuas extendis ad pauperem, aperi illas myrrha plenas, nam myrrha quæ diuitiarum cupiditatem mortificat, manus liberales reddit; cum hilaritate aperit & extendit, vt mendicis eleemosynas elargiatur: non tamen aperit pauperi propter se, sed propter dilectum, cui soli placere studet; à myrrha enim probatissima manuum prouenit vt nesciat manus sinistra quod facit dextera: nam myrrha vtramque vngens facit, vt dextera hilariter det, & sinistra occultare gestiat.

2. Prou. 31. v. 20.

Math. 6. v 3

Cum iterum iubemur lucernas ardentes in manibus tenere expectantes Dominum, vt cùm venerit, & pulsauerit confestim aperiamus ei, profecto manus myrrha esse plenas oportet, vt ardentes lucernas valeant retinere, ne tenendo lassentur, & si Dominus tarder, & sine mora aperiãt cum primùm pulsat. cur enim sponsa dilecto pulsanti respondit: *expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* profecto, quia manus tunc sine myrrha erant, at cumprimùm myrrham mortificationis accipere decreuit, tunicam expoliatam induit, & surrexit vt aperiret.

3. Lucæ 12. v. 35.

4. Potissime tamen qui ad opus prædicationis à Deo vocantur vt delinquentium corda ei aperiant, quoniam docere debent nón tantùm verbo, sed opere & exemplo, nam sermo quidam viuus & efficax, teste D. Bernardo, exemplum est operis, facile persuadens quod intendimus dum factibile probat esse quod suademus, ideo simul labia eorum instar sponsi stillent myrrham primam, & etiam eorum manus & digiti stillent myrrham probatissimam; perfectissimamque sui ipsorum abnegationem, quę necessaria est ad hoc munus sine proprio detrimento, & cum aliorum profectu præstandum; propter hoc enim, inquit Apostolus, *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar.*

Serm. 3 de resurrect. Dom.

1. Cor. 9. v. 27.

Surgant ergo ab otio contemplationis vt aperiant, primo quidem os suum, auferẽdo pessulum silentij, vt prædicent verbum opportunè, & importunè; doceant, arguant, increpent, obsecrent vt corda peccatorum referent, orando etiam Deum, vt eius auxilium ad hoc implorent. Surgant autem ad aperiendum non manibus vacuis, sed portantibus vas myrrhæ, ita vt vtraque manus dextera & sinistra stillent myrrham, exhibentes se sicut Dei ministros in omnibus per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, viriliter se abnegantes in prosperis & in aduersis, vt prosperis prædicationis euentibus non inflentur, Deo illos tribuentes; nec aduersis frangantur, suis peccatis imputantes; diuinæ tamen fidentes misericordiæ, quæ eorum vtetur tolerantia, vt aperiat contumacium corda. Repleantur etiam myrrha probatissima, vt si oportuerit mortem ipsam subeant pro Christi ouibus, non timentes faciem potentis, nec minas Tyrannorum, sed sicut Ieremiæ dictum est: *Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi, ne formides à facie eorum.* Accingere autem lumbos non tantùm fortitudinem, & animi promptitudinem indicat, sed sui ipsius abnegationem, qua carnis voluptates omnes, ac delitiæ comprimendæ sunt. Sed quid est quod sponsa prius dixit, *surrexi*, deinde, *manus meę stillauerũt myrrham*: Ieremiæ autem prius dicitur vt lumbos accingat, deinde quod surgat? fortè quoniã mortificatio in ipsa quiete contemplationis acquirenda est, vt dignè præparet ad opus prædicationis; post illud autem, & in illo non deferenda, sed simul cum verbis per opera etiam stillanda.

Ierem. 1. v. 17.

Sed præcipuè illa, quæ probatissima est, etsi amarissima, de qua Paulus ait: *Tristitia mihi magna est continuus dolor: optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis, & quis scandalizatur, & ego non vror?* myrrham enim zeli, labia & manus prædicatorum debent iugiter stillare, vt peccatores faciant pessulum ostij Deo aperire. Denique iuxta aliam versionem myrrham plenam stillent super manus pessuli, omnem doctrinam, omnemque conatum tum verbo, tum exemplo, ad hæc obstacula tollenda applicantes; pessulum enim aperire, est parare viam Domino volenti in corda hominum ingredi, sicut scriptum est de D. Ioanne, quod fit dum vallis impletur, mons, & collis humiliatur, praua fiunt indirecta, & aspera inuias planas. Pusillanimitas enim profũda vallium, & elata superbia montium, praua & aspera via iniquorum, quæ vias reddunt ineptas vt Deus ambulet per illas, sunt etiam velut vectes obserantes corda, ne Deus ingrediatur in ea. Munus ergo prędicatoris est has vias præparare, & hos vectes confringere, & corda apta ac Deo patientia reddere, vt lubens intret, & in eis requiescat ad gloriam suam in sęcula seculorum. amen.

Ad Rom. 9. v. 1.

Lucæ 3. v. 4.

{De hoc plura in lib. 5. exhort. 19

EXHORTATIO XIII.

PRO FESTO ANNVNCIATIONIS.

De miro modo quo Deus consensum exigebat à B. Virgine, cùm Angelus ei nunciabat mysterium incarnationis, & in eius vtero operatus est illud; atque de Ioanne Baptista Christi aduentum Iudæis annunciante.

Aperi mihi soror mea, &c.

Dilectus meus misit manum suam, &c. *vsque ad illud* manus meæ distillauerunt myrrham, &c.

PERVCVNDVM erit succincte has vocationes Deiparæ aptare, cùm sublimissimum Dominicæ incarnationis mysterium in ea peractum est; cùm enim quadam die dulcissimum dormiret contemplationis somnum, in quo cor eius vigilabat, vehementer aduentum Christi in mundum desiderans, missus est Angelus qui nunciaret ei diuinum verbum ex ea velle carnem assumere, quod in ipsa salutatione insinuare cæpit cùm dixit: *Aue gratia plena, Dominus tecum, &c.* Cum ait: *Dominus tecum*, aliquid præsens & futurum innuit, nempe est, & erit. Est modo præsens per gratiam, sed nouo modo cupit esse in te, & ex te carnem assumens, ideoque ad fores tuas stat expectans tuum consensum vt intret, & superueniat in te, opusque hoc perficiat, quod sic explicat Andreas Archiepiscopus Hierosolymitanus, qui ab æterno est ante te, hodie tecum est, & paulò pòst erit ex te. O immensam humanitatem! non fuit contentus gaudij signa prodidisse, nisi lætitiæ quoque autorem in vtero Virginis prædicasset: & Gregorius Neocesarienſis, Dominus tecum, (inquit) non terrenus sponsus, sed ipse Dominus sanctificationis pater, castitatis autor, immortalitatis dator, & libertatis, procurator salutis, & verus pacis conseruator, & distributor: qui ex terra virgine fecit hominem, & ex costa eius Euam, hîc Dominus tecum, & rursus ex te. Hæc autem cum beatissima virgo diuino lumine penetrasset, turbata est in sermone eius; sed Angelus clariùs Dei illi declarauit voluntatem, dicens: *Ecce concipies, & paries filium, &c.* interim autem dum hæc Angelus loquebatur foris, ipse Dei filius quasi ad ostium stans cor Virginis pulsans dicebat; *aperi mihi soror, &c.* id est aperi mihi qui te elegi in matrem, quia soror mea es per virginitatem & gratiam, quia amica per intimam familiaritatem, quia columba à Spiritu sancto fœcundanda, quia immaculata sine originali labe concepta, aperi cor tuum vt fidem præstes verbis Angeli, aperi labia vt consensum præbeas præclara confessione testatum, quia sine tuo consensu in ventrem tuum intrare nolo.

Lucæ I. v. 28.

Serm. de salut. Angelica habetur. To. 2. Bibliothecæ.

Hom. de annunciat. habetur inter hom. patrum Græcorũ. Salmeron. To. 3. tr. 5.

§. 1.

VT autem eam ad consensum alliceret, addit: quia *caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Vbi duplicem affert causam: priorem ex parte diuinitatis, quæ plena erat rore misericordiæ, & gratiæ, cupiebatque illam in omnes effundere, communicando illis non tantùm dona sua, sed seipsum infinitæ virtutis rorem; per quem irrorarentur alij, oportebat autem vt iuxta signum à Gedeone expetitum, ros prius esset in solo vellere, deinde vt terra sicca fieret ipso rore madens, id est, vt priùs diuinitas & misericordia, ac gratia ipsius per assumptionem carnis esset intra vterum virginis, inde verò ad irrorandum per gratiam sanctificantem homines, progrederetur, sicut scriptum est, *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Ad hoc enim inclinabant etiam Deum eius cincinni eiusdem roris guttis pleni, id est sua ipsius attributa, videlicet omnipotentia, bonitas, iustitia, liberalitas, pietas, & alia huiusmodi, quæ in hoc opere manifestari cupiebant, vt hominibus benefacerent. Hanc ergo rationem affert sponsus virgini vt ei per cõsensum aperiat, quam insinuasse videtur Isaias cùm dixit: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem*, id est dimittant cæli rorem diuinitatis diu desideratum, & nubes pluuiam Christi Dei & hominis saluatoris mundi; aperiatur terra virginea non per læsionem virginitatis, sed per consensum liberę voluntatis, vt generet nobis illum; non ait aperiat se terra, sed aperiatur, vt denotaret virtutem generandi non inesse virgini à se, sed à Spiritu sancto, nec etiam posse consensum præstare nisi diuina præcederet inspiratio, dicens aperi mihi. Idem ergo est aperiatur terra, quod vtinam iam dispesita sit vt recipiat cæli rorem, & germinet saluatorem.

Iudic. 6. v. 37.

Psal. 71 v. 6.

Isai. 4. sup. v. 8.

De hoc in lib. 1. exhort. 5. § 2.

2.

Posterior verò ratio eisdem verbis insinuatur, si per cincinnos intelligas vniuersos homines à Deo creatore & conseruatore pendentes, sicut crines à capite, vel fideles ex populo Hebræo, qui tamen pleni erant guttis noctium, id est innumeris ignorantiis, peccatis, & miseriis, quæ licèt iram mererentur, & vindictam, tamen diuinam commouebant misericordiam vt mederetur illis, iuxta id quod ait Psalmista: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus: ponam in salutari, fiducialiter agam in eo.* Id est constituam inter illos saluatorem potentissimum, qui eos ab omni eripiat miseria, in quo confidenter efficiam, quidquid ad eorum spectat salutem, & hãc etiam rationem proponit Deus virgini vt consensum præstet, ne tot homines pereant, sed salui fiant; ac si diceret, ex quo mundo promisi aduentũ meum in carne, opportunum tempus expecto, vt perficiam illum; iam misericordia mea, & miseria illius me vrget, vt succurram illi; aperi ergo mihi soror, consensum præbens vt in te, & ex te carnem summã. Quid tardas? (ait D. Bernardus ad Virginem) quid trepidas? crede, confitere, & suscipe, sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam, aperi virgo beata cor fidei, labia confessioni, viscera creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus foris pulsat ad ostium. O si te morante pertransierit, & rursus incipias illum quærere quem diligit anima tua, surge, curre, aperi; surge per fidem, curre per deuotionem, aperi per confessionem. Sic Bernardus. Sed cum ait quid tardas? non est quod vere tardauerit, & si tardasse videatur, nam opportuno tempore consensit.

Psal. 11. v. 6.

Serm. 4. in Missus est

§. 2.

ETENIM cum audisset Angelum dicentem: *Ecce concipies filium*, suam zelans pudicitiam

1. Luc. I. v. 78.

ait: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* quod clarius ipsa expressit Angelo dicens: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Iam (inquit) per virginitatis votum expoliaui me voluntate mea, & potestate, quam habebam, sicut reliquæ mulieres generandi filios, qui essent velut indumentum meum, quomodo hanc volũtatem resumere possum vt virgo filium habeam? Laui affectus meos ab omni cogitatu & sollicitudine placendi circa hîc viro, & nutriendi filios, quomodo inquinabo illos iterum his me curis immergendo? Respondit Angelus vt hoc tollat dubium, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Ecce præ foribus stat Spiritus sanctus, tuum consensum præstolans vt superueniat in te; & similiter virtus altissimi, vt tibi vmbram faciat, ac sine concupiscentiæ ardore concipias filium. Idem etiam confirmat filius Dei intus dicens, *Aperi mihi soror*, Virgo immaculata, quia *caput meum plenum est rore* refrigerante æstum concupiscentiæ, & fœcundante terram vt germinet saluatorem: è cœlo venit iste ros, sine viri opera te fœcundam faciet, & illæsam seruabit virginitatem tuam, sicut ros penetrat vellus, non lædens illud. Citò ergo consensum præsta, quia præstolor illam. Eleganter explicat hoc D. Athanasius coaptans salutationi Angeli illud Psalmistæ; *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus*: vbi Dauid consensum optabat Beatæ virginis ad nuntium Angeli, vnde pendebat conceptio filij Dei. *Audi* (inquit) filia, quæ tibi dicit Angelus, & intùs suggerit Deus, vide & perpende rationes quas tibi proponit. *Inclina autem tuam* per fidem, & obedientiam, vt dictis credas, & pareas, quia concupiuit rex decorem tuum, eo quòd *es gratia plena*, & quoniam ipse est Dominus Deus tuus; qui est tecum, & ex te nasci desiderat, vt vniuerso mundo succurrat. O Domina, (inquit D. Bernardus) respondeverbum quod terra, quod inferi expectant, & superi. Ipse quoque omnium rex & Dominus quantùm concupiuit decorem tuum, tantùm desiderat, & responsionis assensum, in qua nimirum proposuit saluare mundum, & cui placuisti in silentio, magis placebis ex verbo, cùm ipse tibi clamet de cœlo, ô pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem nostram.

Luc. I v. 34.

Isai. 48. v. 18

Epist. ad Marcellinũ de interpre Psalmorũ.

Pf. 44. v. 11.

Vbi suprà.

Quid ergo tunc virgo? iam non tanquam dubitans, sed tanquam certissimè affirmans, & consentiens ait: *Expoliaui me tunica mea, quomodò induar illa? &c.* Quod clarioribus verbis respondit Angelo, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Vtrumque enim mirè concordat, ac si diceret, semel expoliaui me omnibus vestimentis veteris Adami, non solùm externis quæ ad actus appetitus animæ sentientis, & sensus pertinent, sed ipsa tunica interiori voluntatis propriæ, quã decreui semper exuere, vt diuinam implerẽ, nunc non induam illam, sed ecce ancilla Domini omni exuta propria voluntate & affectione, vt quodcumque iusserit, & voluerit faciam: fiat in me, & de me quidquid ei placuerit iuxta verbum tuum *laui pedes meos*, firmiter proponens numquam inquinare affectus meos, nec polluere munditiam, quam in primo instanti conceptionis recepi, quomodo nunc inquinabo illos? imo incoinquinatos seruabo, faciens quod Deus per verbum tuum testatur velle: voluntas enim eius est mea perpetua tunica, vestis, & ornatus, est mea munditia & candor, ac pulchritudo meorum pedum & gressuum, illam sequens numquam inquinata ero, sed valde munda.

Luc. I. v. 48.

§. 3.

QVOD autem tunc euenerit indicant sequentia verba: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.* Vbi iuxta interpretationem D. Gregorij Nyseni, Cassiodori, & Bedæ, opus dominicæ incarnationis insinuatur. Foramen autem ostij dicitur vel virginis intellectus, quem maxima Dei illustratio penetrauit, vt penitus auferretur pessulus difficultatis propositæ, & non solùm crederet verbis Angeli testantis sine detrimento pudoris fore matrem saluatoris, sed quasi certo experimento id cognosceret, vel foramen vocatur consensus virginis explicitus illis verbis, *Ecce ancilla Domini, &c.* Quo apertum præbuit foramen ad hoc opus efficiendum, quoniam per hunc consensum decreuerat Deus hominem fieri intra vterum eius, & non aliter. Manus autem sponsi iuxta supradictа triplicem hîc habet significationem, aut enim est ipsa omnipotens Dei virtus, quæ missa est ad hoc opus, quod proprium fuit diuinæ omnipotentiæ, quia teste D. Damasceno, inter Dei opera nihil est maius quàm Deum fieri hominem: quod agnoscens Deipara in suo cantico cecinit, *Quia fecit mihi magna qui potens est.* Sed vltra hoc magnus significat vel Spiritum sanctum, cui opera gratiæ peculiariter attribuuntur, vel verbum diuinum per quod facta sunt omnia. Quod ergo Angelus promiserat dicens, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrauit tibi.* Hoc tunc impletum esse verba ista indicant: misit enim Deus Pater manum suam, hoc est Spiritum sanctum suum, ac Verbum suum vnigenitum in virginem iam consentientem, vt hoc opus efficerent, qui vnico temporis momento ex purissimis eius sanguinibus perfectum efformarunt corpus, illudque anima rationali informatũ Diuini Verbi hypostasi vnitum est; & hoc est quod ait, *Venter meus intremuit ad tactum eius.* Nam vt citauimus ex D. Ambrosio, venter fœminæ intremiscit, cùm grauida fit. Non igitur ad tactum viri, sed ad tactum Spiritus sancti virgineus venter intremuit, quia de Spiritu sancto concepit.

Lib. 3. fidei c. 1.

Luc. I. v. 49.

Luc. I. v. 35.

Serm. 12. in Psal 118. v. 1 in exhort. 11 ad finem.

Tunc Princeps ingressus est per portam Orientalem Ezechieli ostensam, quæ aperta est illi, non per læsionem pudoris, sed dumtaxat per prædictum consensum voluntatis, nunquam vlterius aperienda etiam per consensum vt alium haberet filium: & quia virginalis porta strictissima erat, & Deus ad se constringendum descendebat è cœlo, intrasse dicitur per foramen. Tunc (inquit Nissenus) manus Dei missa est per foramen, quando venit in mundum, & seipsam velut arctiùs contraxit, sicut qui intrat per angustum foramen, quia *semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Intrauit igitur in virginis vterum ipse Sponsus, caput habens rore plenum, quod carne vestiuit: secumque mente portabat cincinnos electorum guttis noctium refertos, vt pro eorum peccatis satisfaceret, eosque patri & sibi reconciliaret, quod tunc cœptum est, in cruce autem consumatum.

Ezech. 44. v. 2.

Ad Philip. 2. v. 7.

Hæc autem omnia in eodem instanti reuelata sunt B. Virgini, quæ in magnum stuporem rapta ait, *Et venter meus commotus est super ipsum.* Com-

mota enim ſunt omnia eius præcordia, & A cunctæ internæ vires exuberrimis donis gratiæ, lucis, & ſapientię illi infuſis, vnde ardentes prodiere affectus admirationis, iubili, gratitudinis, & laudis ob tam ingens opus, & ſtupendum beneficium, tunc nouo modo *calefactus eſt venter* eius ab hoc igne intra ſe concepto, vehementiſſimas amoris emittens flammas: tunc etiam *inſonuerunt viſcera eius.* & quid inſonuerunt niſi iucundiſſima laudum cantica, quale poſtea inſonuit corã Elizabetha cùm dixit, *Magnificat anima mea Dominum*? vt poſſet tunc aſſerere non ex lugubri affectu, ſicut Iſaias, ſed ex ſummo mentis iubilo, *Venter meus quaſi cythara ſonabit.* Tacta enim plectro B diuini impulſus, & omnipotentis Dei manu propheticum ſonitum, & gaudij canticum edidit, quod vniuerſo mundo lætitiam attulit & ſolatium.

Iſai. 16. v. 11.

Nos autem oportet tantæ virginis nixos patrocinio, Deum humiliter ſupplicare, vt è cœlo mittat ſuæ diuinæ virtutis & illuſtrationis manum, quæ cor noſtrum tangat, & commoueat, vt immenſum hoc opus intelligere, in eiuſque amorem exardeſcere valeamus. Et ſi enim (inquit Niſſenus) Deus dicatur mittere manum per foramen, quando ad cognoſcendum mirabilia opera ſua, quæ verbo Domini facta ſunt, intellectui humano ex ſe paruo, ſtricto, & limitato lumen infundit, ad cuius contactum, & cognitionem mens C conturbatur, & expaueſcit ſuper ipſum; tamen peculiariter hoc fit quando hoc opus cognoſcitur, in quo ſe ipſa Dei manus contraxit, vt in ſtrictum virginis vterum intraret, & ſemetipſum exinaniret. Tunc enim mens in magnũ agitur ſtuporem, iuxta illud, *Domine conſideraui opera tua, & expaui.* Cuius enim viſcera non commouebuntur, & incaleſcent, nouum hoc & inauditum opus conſiderando, in quo diuina immenſitas ita eſt pro nobis conſtricta, & quaſi coarctata? Addit præterea manum Domini vocari vim miraculorum effectricem, qua verbum caro factum ſtupenda prodigia in mundo efficit, vt homines traheret ad ſe, ſuamque diuinam & omnipotentem virtutem eis patefaceret. Cùm autem Deus horum omnium cognitionem per foramen mentis intra ipſam mittit, venter etiam commouetur ſuper ipſum, nam debilem ſuam naturam in fortiſſimam commutat; quia vnita omnipotenti Dei manui, omnia poteſt in eo qui eam confortat.

Vbi ſuprà. Abacuch. 3. n. 2. iux. a lxx.

At hęc Deiparæ precibus ſunt nobis obtinenda, in cuius auribus quotidie reſonabat vox dilecti dicentis, *Aperi mihi ſoror mea*, &c. vt Rupertus notat, non tantùm vt ingrederetur in illam per noua gratiæ incrementa, ſed quaſi ſollicitans, & vrgens eam vt precibus ſuis aperiret ei corda fidelium, in quæ per fidem & dilectionem intrare cupiebat, quod nunc etiam diligentiſſimè exequitur erga ſibi deuotos, omnia ſaluationis media illis adminiſtrans, iuxta illud, *In habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui*: Id eſt cuncta munia apud Deum geſſi conducentia ad ſalutem eorum qui reſident in habitatione ſancta, quæ eſt Eccleſia.

Eccleſ. 24. v. 14.

§. 4.

Sed perpendamus amplius quæ Virginis cõſenſum comitata ſunt, cùm Deo vocanti aperire decreuit, quod explicant ſequentia verba, *Surrexi vt aperirem dilecto meo, manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima.* Hoc autem includitur in illis verbis, *Ecce ancilla* *Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Nam cuncta ad quæ ſe offerebat paratam, ex Dei illuſtratione tunc penetrauit. Triplicem ergo abnegationis propriæ myrrham alacriter acceptauit.

1\. Prima fuit ignominiæ circa virginitatis pudorem, ſciebat enim à multis non credendum ſalua integritate concepiſſe, & peperiſſe filium ſuum, quod cito experire cœpit, cùm Ioſeph ſponſus eius voluit occultè dimittere eam, quoniam adulterij ream ſuſpicabatur. Deinceps verò ſicut Ieſus, vt D. Lucas refert, putabatur filius Ioſeph, ſic ipſa ex eodem concepiſſe credebatur: ſed puriſſima Virgo licèt magni faceret virginitatem, eius tamen nomini & honori diuinam præferebat voluntatem, cui ſuum committebat honorem.

Math. 1. v. 19. Lucæ 3. v. 23.

2\. Altera myrrha fuit omnium dolorum, & tribulationum quas paſſura erat propter filium, quarum per Scripturas plenam habebat notitiam, quod etiam citò ei Simeon patefecit, dicens: *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, &c. & in ſignum, cui contradicetur, & tuam ipſius animam pertranſiuit gladius.* Hac ergo myrrha plenæ erant eius manus, & digiti, cùm dixit: *Ecce ancilla Domini*, id eſt parata ſum ad agendum & patiendum quidquid ſpectat ad verbum tuum, id eſt ad hoc quod eſt matrem eſſe Chriſti redemptoris mundi.

Lucæ 1. v. 35

3\. Tertia tandem fuit myrrha ex zelo gloriæ Dei, & ſalutis animarum proueniens, quæ amaricabat eius cor, dum tot Dei offenſas, totque conſpiciebat perire animas, quæ tamen ſub eius erant cura, ex quo facta eſt redemptoris mater. Etenim cùm cordis ſui oſtium aperuit per conſenſum, vt in eius intraret vterum Sponſus caput habens rore plenum, & cincinnos guttis noctium, etiam aperuit materna viſcera, vt intra ſe omnia peccata, & miſerias cincinnorum Chriſti, id eſt electorum, ſimul cum eo per cognitionem & compaſſionem portaret; vt ſuo modo etiam diceret ſicut filius eius, *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.* Ceciderunt etiam ſuper illam peccata noſtra, & iniuriæ Dei, vt ea D pellere curaret tanquam Chriſti coadiutrix, & noſtra mediatrix. En quàm aptè in Deiparam quadret verſio illa: *& digiti mei myrrham plenam ſuper manum peſſuli*: quoniam omnem abnegationis myrrham annexam huic conſenſui effudit ſuper id quod tanquam peſſulus poſſet eam retardare, ne conſentiret, admittẽs cõſenſum tota illa myrrha plenum, vt diſcas à virgine quod ſuprà diximus, omnem abnegationem dirigere vt peſſulum auferas, & eam amplecti cùm Deo tua propoſita, & vota offers. Magnificamus ergo valde iſtum Deiparæ conſenſum tanta myrrhæ multitudine plenum, & pro eo immenſas illi rependamus gratias, ſtudeamuſq; eius ęmulari virtutes, E & hac myrrha noſtras vngere manus, vt eius meritis & interceſſionibus, omnipotens manus Dei ita corda noſtra tangat, & mentes illuminet, quod hæc altiſſima myſteria cognoſcere, magni facere, & venerari valeamus, in eius exardeſcentes amorem qui talia pro nobis operatus eſt, cõfeſtimque alacriter myrrha pleni ſurgentes vt ei oſtium cordis aperiamus.

Pſal. 68. v. 10. Ioan. 2. v. 17. Pro Dom. 3 & 4. Aduentus.

De Ioanne Baptiſta Chriſti aduentum Synagogæ teſtificante. §. 5.

1\. APPLICEMVS tandem huius vocationis ſeriem ad glorioſum præcurſorem Domini Ioannem Baptiſtam, de quo interpretati ſumus

Lib. 5. exhort. 1.

ſimilia verba capitis ſecundi, *Vox dilecti mei, ecce A iſte venit, &c.* Etſi enim in præſenti loco vox proprius ſit ipſa interior dilecti locutio ad cor, tamen quia hæc multoties fit mediante locutione externa prædicatorum, eis etiam poteſt aptari, qui nomine ipſius & tanquam ipſum repræſentantes dicunt, *Aperi mihi ſoror*, &c. Hoc autem peculiariter quadrat in Ioannem Baptiſtam, quem Eccleſia antiqua confitetur vocem eſſe dilecti clamantem in deſerto, & monentem nomine ipſius vt ei aperiret cordis ianuam, & reciperet eum tanquam verum Meſſiam qui in mundum venerat propter ipſam. Dixerat paulò ante: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, quia maxima eius pars in peccatis dormiebat, iuxta illud Ieremiæ, *A minore vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudẽt.* Pauci B tamẽ qui vt cor eius erant, vigilabant Meſſiæ aduẽtum expectantes, tunc ſonuit vox dilecti Ioannis ad expergefaciendum dormientes, dicens illis: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Aperite per pœnitentiam cor veſtrum Deo, qui iam appropinquauit vobis, per aſſumptionem carnis, ipſeque eſt rex cœlorum, & eorum portas vobis aperiet. Hoc autem ipſum eſt quod Salomon ait: *Aperi mihi, &c.* non quaſi ipſe eſſet ſponſus, ſed amicus, & legatus eius, qui vice ipſius loquitur, quamuis tanta eſſet eius ſanctitatis opinio, vt populus exiſtimaret eum eſſe Chriſtum, qui nomine ſuo illa prædicabat: at ille confeſſus eſt, *Quia non ſum ego Chriſtus, ſed ipſius præ- C curſor, & vox clamantis in deſerto, parate viam Domino.* Paratur autem via Domino aperiendo cordis ianuam, & tollendo peſſulum incredulitatis, & impœnitentiæ, qui claudit eam, quod per fidem & pœnitentiam præſtatur.

Cant. 2. v. 8. Iſai. 49. Ierem. 6. v. 13. Matt. 3. v. 1. Iuxta dicta in exhort. 8 Ioan. 3. v. 29 Luc. 3. v. 15. Ioan. 1. v. 20

2\. Allegat autem Ioannes ſuæ vocis & prædicationis rationem, quia *caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* quod periphraſis eſt auſteræ & hirſutæ ſuę vitæ, quam agebat in deſerto, non domum habens propriam, ſed in antris degens, & diu gelu, glacie, & rore perfundente caput, & cincinnos eius, vt hac aſpera vita Iſraë- D litas alliceret ad credendum eum verum eſſe prophetam, verumque teſtimonium quod de Chriſto Domino reddebat, qua de cauſa ipſe Chriſtus eum laudans, hanc eius vitam commendat dicens: *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? aut hominem mollibus veſtitum? &c.* Ideo enim Ioannes ſignum fecit nullum, quia vita eius prodigioſa fuit ſufficiens vt ei fidem adhiberent, & omnes crederent per illum.

Matt. 11. v. 8 Ioa. 10. v. 41 Ioan. 1. v. 7.

3\. Aliam tamen rationem eiſdem verbis inſinuat ad ea quæ prædicabat ſpectantem, caput eius plenum erat rore, quoniam annunciabat rorem cœleſtis gratiæ quem Chriſtus afferebat mundo. Prædicabat enim *baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*; Conferendam quidem non per E ſuum baptiſmum, ſed per Chriſtum, & baptiſmũ eius, quem ſuus præfigurabat. Cincinni autem pleni erant guttis noctium, quoniam acribus minis, & increpationibus Iudæos terrebat, vt à malo recederent, dicens eis: *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira, &c. iam ſecuris ad radicem poſita eſt, &c.* Prædicatorum enim munus eſt proferre noua & vetera, mouereque auditores iam proponendo gratiæ dona & præmia cæleſtia, iam ſeuerè increpando vitia, & minando ſupplicia.

Lucæ 3. v. 3. Luc. 3. v. 7. Matt. 3. v. 7.

4\. Sed quid ſynagoga ei reſpondit? *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quo- A modo inquinabo illos?* Verba ſunt Phariſæorum, & eorum qui apparentem dumtaxat profitebantur ſanctitatem, ac Chriſtum recipere noluerunt ex duplici cauſa, nimirum quia in ſecreto domi delitioſam agebant vitam, atque horrebant crucem, & abnegationem quam Chriſtus prædicabat: in publico autem foris magnam pretendebant mũditiam, & ſanctitatem, ob quam multis vtebantur lotionibus, & baptiſmatibus etiam antequam manducarent: *Iudęi enim* (inquit D. Marcus) *niſi crebro lauent manus ſuas, non manducant, tenentes traditiones ſeniorum.* Ideoq; Saluator dixit illis: *Væ vobis Scribę & Phariſæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis eſt calicis, & paropſidis, intùs autem pleni eſtis rapi- B na, & immunditia.* Aiunt ergo, exui me omni veſte vſque ad tunicam, vt in lecto meo dormiam, & requieſcam, quomodo induar illa vt ſurgam ad laborem, & portandam crucem, quam Chriſtus prædicat? Laui pedes meos meis baptiſmatibus iuxta traditiones ſeniorum, quomodo inquinabo illos ſequens Chriſtum, qui hæc reprobare videtur?

In exhort. 8 Matt. 5. v. 1. Marci 7. v. 2. Matt. 23. v. 25.

5\. Videns autem Chriſtus Dominus ſynagogæ proteruam reſiſtentiam, nec teſtimonium Ioannis recipere voluiſſe, *miſit manum ſuam per foramen*, ſcilicet ad tollendum peſſulum oſtij, *Et venter meus intremuit ad tactum eius.* Hoc eſt cæpit per ſe ipſum prædicare, & ſuam omnipotentiam oſtendere, ſtupendis miraculis, & prodigiis, vt incre- C dulitatis peſſulum auferret. Hoc enim eſt quod diſcipulis Ioannis quærentibus, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Reſpondit, dicens; *Cæci vident, claudi ambulant, &c. pauperes euangelizantur*, &, *Beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me*, id eſt qui me incredulus non reiecerit quia pauperem & humilem ago vitam. Ad tactum autem eius, id eſt ad inſpirationem, quam hęc miracula incutiebant, *intremuit venter*, non contremuerunt, nec conturbata ſunt oſſa fortia, ſed venter qui pars mollior & debilior eſt hominis: quoniam non Principes Sacerdotum, nec primores populi, ſed D humiles, & fragiles ex plebe pœnitentiam egerunt, & receperunt Chriſtum Dominum, vt conſtat ex illo: *Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis? ſed turba hæc quæ non nouit legem*, quod & in diebus Pentecoſtes prædicantibus Apoſtolis ſimiliter contigit. De his ergo humilibus dicitur, *Surrexi vt aperirem dilecto meo, manus meæ ſtillauerunt myrrham, &c.* Egerunt enim pœnitentiam, abſtulerunt peſſulum incredulitatis, & obſtinationis, vt per fidem & dilectionem in ipſorum corda intraret.

Matt. 11. v. 3 Ioa. 7. v. 48.

6\. Gratia exempli confirmemus hæc noua (& ſi minus propria) interpretatione Philonis Carpathiorum Epiſcopi explicantis hæc verba de vocatione, & pulſatione Chriſti ad cor Thomæ in- E creduli, cùm de eius dubitabat reſurrectione. Intuens autem eius duritiam dixit ei, & in perſona eius omni animæ incredulæ: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & nolli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Hoc autem eſt quod hîc dicitur: *Frater meus* (ita ipſe legit) *miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius*, id eſt Thomas miſit manum ſuam per foramen lateris, & digitos ſuos per foramina ex clauis relicta; & ad tactum eius non ſolùm intremuit venter, id eſt mens ſeu animus ipſius Thomæ, Chriſti reſurrectionem credens, & clamans, *Dominus meus, & Deus meus*: ſed etiam venter Eccleſię, quoniam multi propter

Habetur in 1. To. Bibliothec. Ioan. 20. v. 27.

eius exemplum & testimonium in Christum crucifixum, & resuscitatum crediderunt: vnde ipse Thomas mox ac in Christi vulnera manum & digitos intulit, surrexit vt pessulum incredulitatis tolleret, & aperiret; manusque eius & digiti propter illum contactum pleni fuerunt myrrha probatissima perfectæ abnegationis proprij iudicij, & omnium carnalium affectionum. Sed vltra hoc surrexit etiam vt eandem Christi resurrectionem prædicaret, & eundem pessulum incredulitatis ab aliorum cordibus auferret; cuius prædicatione multi crediderunt, quorum nomine Ecclesia ait, *Surrexi vt aperirem, &c.* Quare plus Ecclesiæ Thomas dubitando profuit, quàm Mariæ Magdalenæ statim credendo contulit. Vtinam nos tantis proficiamus exemplis, & Christi benignitate allecti, eiusque inspiratione tacti, confestim surgamus, myrrham electam distillantes, vt eius impleamus voluntatem in secula seculorum. Amen.

EXHORTATIO XIV.

PRO DOM. IV. POST EPIPHAN. ET PRO OCTAVA APOST. PETRI ET PAVLI IN EVANG.

De variis causis ob quas Deus declinat, & abscondit se à iustis, etiam cùm ei aperiunt cor, & quærunt illum.

Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat, &c.

STVPENDVM sanè est quod diuinus sponsus tã ardentis amoris vocibus sponsam vocauerit, tam constanter ad multam noctem circa fores eius pulsans steterit, manumque ad aperiendum per foramen miserit, tot illam ad se machinis attrahere concupiscens; & tamen postquam illa abiecta desidia è lecto surgit ad aperiendum, & ablato pessulo ostium aperit, iam sese subduxerit, aliò declinauerit, imò transierit, longeque recesserit, quasi laboris suscepti ipsum pœnituisse videatur. Numquid hoc mysterio carere putãdum est? minimè, sed latet: ipse tamen dignetur aperire qui dixit: *Pulsate, & aperietur vobis*: ipse pulsat inspirationibus, vt cor ei aperiamus; nos pulsemus orationibus vt arcana mysteria nobis aperiat. Matt. 7. v. 7.

Ob quas causas Dominus declinet, & transeat ab anima. §. 1.

SED primo quid sit Deum declinare, atque transire, breuiter explanemus. Cùm enim Deus semper sit per gratiam sanctificantem præsens iustis, quam præsentiam aliquando signis internis testatur, & manifestat, cùm eis de nouo infundit peculiares illustrationes, & consolationes, ardentesque charitatis & deuotionis affectus; at cùm eos desinit intùs operari, permittens iustos variis tristitiis, desolationibus, & præsuris intus angi, maximè si exteriùs etiam vexent tribulationes & persecutiones inimicorum, tunc absens dicitur; sed declinare incipit, cùm adhuc prope ianuam manet, & aliquid relinquit solatij, & lucis spiritualis, quod animam recreat, & Dei præsentiam in memoriam reducit. Sed tunc transisse dicitur, cùm quasi longe recessit, & animam desolatam, & afflictam de eius absentia relinquit. Nullus autem iustus est in hac vita mortali degens, qui has Dei absentias aliquando non patiatur: quoniam sicut continua est successio diei & noctis per præsentiam & absentiam solis corporei; ita sol iustitiæ suos dies & noctes efficit, etiam in viris iustis, & ex vtrarumque successione earum vitam texit, vt probatum est circa illud cantici, *Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem.* Cant. 1. v. 4.

Hoc igitur est quod nunc testatur sponsa quæ ad tantam peruenerat pulchritudinem & perfectionem, vt audierit ab sponso: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Cumque incredibilibus sit aucta fauoribus, tamen in capite tertio conqueritur quod diu quæsiuit eum, & non inuenit. Et licèt dixerit, *Tenui eum, nec dimittam*: modò tamen dum eum se tenere putabat, subitò elabitur, & cogitur dicere, *Aperui dilecto meo; at ille declinauerat, atque transierat.* Li. 2. exhor. 18. & sequẽt. maxime 23.

Hoc tamen nobis totis viribus curandum est quod Dauid enixè à Deo petebat, postquam ei ex toto corde dixit: *Exquisiui te facies mea, faciem tuam Domine requiram*; subdit enim statim; *Ne auertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à seruo tuo.* Non petit quod non declinet absolutè, quia in hac peregrinatione nec ei concederetur, nec expediret; sed ne declinet in ira: ac si diceret; quoniam ex animo tuam quæro faciem, & præsentiam, ne quæso tu eam à me auertas, & per conceptam in me iram ob aliqua mea delicta ita recedas, quod me tuo fauore, & ope destituas, quod sequenti versu magis explicat dicens: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me, nec despicias me Deus salutaris meus*: auferendo scilicet auxilium opportunum vt tibi inseruiam, & feruentiùs quæram. Alibi dicit idem Psaltes: *Non me derelinquas vsquequaque*: quod egregiè sic explicat Cassianus; Non rogo vt nunquam me paululum derelinquas ad probationem, vel vt exercitium habeam præliandi, vel vt meam sentiam infirmitatem, sed magis peto ne me deseras vsque ad nimietatem, seu plus nimio. Nam sicut illud expedit mihi, ita hoc valde noceret. Psal. 26. v. 9. Psal. 118 v. 8. collat. 4. c. 6

Hinc ergo inchoemus inuestigare huius Dei absentiæ, & declinationis causas, quæ in hac narratione insinuantur. Prima causa fuit, vt puniret moram, torporem, & ignauiam surgendi à lecto, vt pulsanti aperiret, cùm oporteret mox celeriter surrexisse; cupit enim Dominus vocationi ac inspirationi suæ citissimè nos obedire, & genus irreuerentiæ, ac inobedientiæ est, aliquid immorari. Laudabilis plane Apostolorum obedientia dum vocati à Christo continuo, & statim relictis retibus, & patre, secuti sunt illum. Talem enim (inquit D. Chrysostomus) à nobis obedientiam Christus efflagitat, vt neque punctum temporis differamus, etiam si nos aliquid necessarium vrgere videatur, qua de causa alium quem vocauerat, non permisit ire ad sepeliendum patrem suum. iusta autem pœna pigritiæ est, vt qui in mora fuit aperire Deo pulsanti, cùm aperuerit non inueniat illum, nec sat fuit sponsæ sub specie virtutis suam tegere excusationem, quia nulla maior virtus, quàm Dei citò obedire iussioni. Vnde Petro qui humilitatis specie Christo Matt. 4. v. 20 Hom. 14. in Matthæum.

sto dixit: *Non lauabis mihi pedes in æternum*, acriter respondit Dominus, *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Quid est non habebis partem mecum, nisi declinabo & transibo à te, atque te deserto ad alios me conuertam qui mihi non repugnent, sed celeriter obediant? Ioan. 13. v. 8

1. Iniustè quereris quod tardet Deus audire orationem tuam, si tu moraris audire vocationem suam. *Quæsiui illum* (inquit nunc sponsa) *& non inueni, vocaui, & non respondit mihi.* Digna factis recipis, ô sponsa; quia dilectus tuus priùs te quæsiuit, & noluisti ad eum exire; vocauit te, & non respondisti ecce adsum, sed potius te excusasti; iniustum ergo est vt dum modò eum quæris, non inuenias; dum voces, non exaudiat. Quid mirum (inquit D. Gregorius) si postulantes tardè à Domino audimur, qui præcipientem Dominum tardè, aut nullo modo audimus. Cum igitur in longa oratione tarde Dei præsentiam & consolationem inuenis, te ipsum incusa, quod tarde & remisse diuinis inspirationibus obedieris, & te ipsum accinge, vt deinceps Dei voluntati velocius, & in ictu oculi obedias. Lib. 3. dial. c. 15.

2. Quia tamen multoties citra vllam culpam nostram Deus declinat & transit, id maxime intendit, vt humilitatem doceat, ne nostris operibus strenuè factis, nostrisq; meritis diuinã visitationẽ ascribamus, sed ipsius gratiæ, & beneplacito. Quapropter gratia visitationis, quæ salubriter negatur cum te extrenue præparasti, & manus tuæ stillabant myrrham, quia fortè superbe tibi eam ascriberes si tunc recepisses, alio tempore subito tibi conceditur vt eam Deo ascribas, qui spirat vbi vult, & cuius vult miseretur, atque dona ista quæ inter gratias gratis datas computantur, pro libito elargitur, negat vel differt, vt nos in humilitate contineat, & dependentiam quam ab ipso habemus, hoc experimento agnoscamus, nec tantùm superbia præcedens causa est subtractionis huiusmodi gratiæ, sed etiam vt notat D. Bernardus, superbia futura, quæ sequeretur si tunc temporis non esset subtracta. Prima quidem subtractio pœna est condigna talis culpæ. Superbia (inquit ille) inuenta est in me, & ideo declinauit Deus in ira à seruo suo. Secunda autem non est pœna, sed medicina præseruatiua culpæ, ne insurgat superbia, sicut Paulus ait; *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ.* Nec sine mysterio sponsa vtitur hoc verbo, declinauerat, quia Deus cùm aliquem deserit quasi ex alto loco declinat, & tendit ad imum; fugit superbum, & declinat ad humilem: aqua enim viua cœlestis gratiæ & consolationis instar aquæ naturalis descendit à montibus sublimibus vt profundas repleat valles. Serm. 54. in Cant. 2. Cor. 12. v. 7.

3. Sed esto nulla timeatur superbia, adhuc sponsus declinat vt auidiùs quæratur, ametur ardentius, & vtilius postea atque iucundius inueniatur: ea est enim hominum conditio, vt quæ præ oculis semper habent, suoque illis vruntur arbitrio, vsu nimis familiari minùs æstiment, minusque ex eis percipiant suauitatis, propter quod Sapiens ait: *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando satiatus oderit te.* Et iterum *aduocatus à potentiore, discede* (id est ne iugiter sis cum illo,) *ex hoc enim magis te aduocabit.* Deus igitur qui nostrum ingenium probe nouit, aliquando à nobis se subtrahit, & abscondit vt pluris faciamus eius visitationem, vehementiusque sitiamus, & quæramus illam, quæ omnia complexus est D. Augustinus, in Pro. 25. v. 17. Eccles. 13. v. 12.

sua Scala paradisi. Sponsus (inquit) venit ad consolationem, recedit ad cautelam, ne magnitudo consolationis extollat te; ne si semper apud te sit, incipias contemnere sodales, & hanc continuam visitationem non iam gratiæ tribuas, sed naturæ; non enim iure hereditario possideretur. Vulgare prouerbium est; Nimia familiaritas parit contemptum. Recedit ergo ne forte nimis assiduus contemnatur; & absens magis desideretur, desideratus auidiùs quæratur, diu quæsitus tandem gratiùs inueniatur. To. 9. Habetur etiã idem a pud D. Bernard. in Scala claustraliũ.

Vberiorem & perfectiorem abnegationis myrrham prodire in huiusmodi absentiis Dei. §. 2.

SED nouam ex contextu proferamus causam, accedebat sponsa ad aperiendum manibus stillantibus myrrham, & digitis plenis myrrha probatissima; scit tamen sponsus quod ipso presente amaritudo myrrhæ non sentitur, dulcedo enim diuinæ visitationis, quamuis mortificationem, etsi de se carni valde amaram, conuertit in dulcem, ideoque præsente diuina consolatione parua est, & fere nulla quæcumque tribulatio; Gloriatur enim anima tum in tribulationibus, & omne gaudium existimat incidisse in illas, quomodo ergo amara myrrha & tribulatio vocanda est, quæ non tristitiam infert, sed gaudium? Oportet ergo quod diuina consolatio subtrahatur, vt myrrhæ amaritudo sentiatur, & corpus per illam vexetur, qua de causa Christus Dominus in passione sua omnem exuit sensibilem consolationem, vt amariorem calicem gustare posset, & sicut arbuscula quæ myrrham sponte stillat, inciditur, decorticatur, & quasi hostiliter denudatur, vt plus myrrhę fudit: sic Dominus à iustis se aliquando subtrahit, eosque incidi, percuti, & vulnerari permittit, vt subtracta consolatione acerbior sit pœna, & copiosior ac fragrantior fluat mortificationis myrrha. Videbatur sibi sponsa plena myrrha probatissima, sed quia hanc sponte elegerat, aliquid ei deerat vt esset plenior, & myrrha probatior: declinat sponsus vt eum quærat, & dum quęrit permittit eam percuti & vulnerari: *Inuenerunt me* (inquit) *custodes qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Sed vt quid hoc? nimirum vt manus quæ antea stillabant myrrham, nunc per patientiam & tolerantiam dolorum, vulnerum, & contumeliarum stillarent multo copiosiorem & fragrantiorem. Cant. 5. v. 7.

Hinc deducere licet alia quatuor ingentia bona quæ ex huiusmodi recessu sponsi prouenire solent, in ea enim detegitur puritas amoris Dei, quem constat non amare propter consolationes vel delectationes spirituales, sed propter seipsum: siquidem illis ablatis, adhuc eum amat, & quęrit: quod si aliquando plus nimio his consolationibus hæret, consulto Deus eas aufert vt priùs eum amare discat, & cœlestium donorum capacior fiat: *Quem enim docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.* Vnde etiam detegitur fidelitas, fortitudo, & constantia animæ conseruantis firmiter amorẽ, etiam cũ Deus est quasi absens, & cùm variis magnisq; concutitur doloribus, ac tribulationibus, siquidem aquæ multæ non potuerunt ex- Isai. 28. v. 9

tinguere charitatem, nec flumina obruere illam. Hinc etiam patefit solertia, solicitudo, & perseuerantia in quærendo sponsum adhibitis quibusque mediis ad quærendum aptis, increpans vehementer seipsam ob præcedentem ignauiam & socordiam, quam tandem maioribus incrementis & virtutum progressibus reparare satagit. Hæc autem omnia indicant sequentia verba, *anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est, quæsiui & non inueni illum*, &c. quæ in sequentibus sunt explicanda.

Hoc vnum præmittendo, cuncta hæc fuisse ab sponso præordinata vt sponsa eius experimento cognosceret, quanta ipse passus sit cùm stetit pulsans ad eius ostium, expectans vt aperiret per B plures noctis horas, donec (inquit) *caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Declinauit autem vt ipsa etiam egrederetur, & eum quæreret in reliqua noctis parte, & vt perstans quærendo caput eius eodem rore plenum fieret, & cincinni eius etiam eisdem guttis noctium, id est sicut ipse venit in mundum peccatores quærere, ad quorum fores stabat pulsans per prædicationem, propter quod innumeras & terribiles passus est tribulationes, & persecutiones vsque ad mortem crucis; ita etiam ipsa eum quæreret, & pulsaret vt gratiam apud eum inueniret, proximos etiam suos similiter propter eorum salutem quæreret, etsi grauissimas propter hoc oporteret pati tribulationes, addens myrrham myrrhæ, tribulationem C tribulationi, & abnegationem abnegationi, vt sic inter vtrumque præclara esset assimilatio, & correspondentia. Ille ait: *Caput meum plenum est rore.* (ista dicit,) *manus meæ distillauerunt myrrham*: ille inquit; & *cincinni mei guttis noctium*, ista ait: *Et digiti mei pleni myrrha probatissima.* Eandem enim habent proportionem cincinni ad caput, & digiti ad manum, vt quidquid in illis est, plenum sit aut frigidis roris guttis, aut amaris guttis myrrhæ (myrrha enim etiam vocatur gutta; & sudor eius lacryma: sicut ergo Christus vndique fuit mortificatione plenus, Patris absentias quoad sensibiles consolationes perferens, & hominum tolerans persecutiones: sic & anima quæ illum imitari studet, ad easdem tolerandas se hilariter præcingat: *quia non est discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum suum, si patremfamilias Beelzebuth vocauerunt, quanto magis domesticos eius? si me persecuti sunt, & vos persequentur*: & hoc insinuant sequentia verba, dum sponsa à dilecto suo derelicta eum noctu quærens, inuenitur à custodibus ciuitatis, & murorum, à quibus percutitur, vulneratur, & expoliatur, sicut Christus Dominus à Iudæis percussus, vulneratus, & expoliatus est, non solùm à vestibus, & tunica, sed etiam proprio corpore, quod per mortem exuit anima.

Matt. 10. v. 24.

Ioa. 15. v. 20

Quomodo Deus simul absit, & adest iustis, maxime in afflictionibus. §. 3.

EX his conciliari possunt duo insignia Scripturæ loca, quæ prima facie videntur aduersa; sunt autem valde sibi consona. In Apocalypsi enim, inquit Dominus: *Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum.* Et tamen sponsa inquit, quod pulsante sponso ad fores eius, quando illa aperuit, iam ille declinauerat atque transierat, cùm tamen iuxta promissum debuisset intrare, & cœnare cum illa, & illa cum eo. Cæterum cum huiusmodi ingressus & recessus sponsi non sint per mutationem loci, sed per mutationem alicuius operationis, vel effectus, quem in seruis suis operatur simul esse possunt circa eandem animam, secundùm diuersas Dei operationes in illa.

Apoc. 3. v. 20.

Cùm igitur sponsa aperuit dilecto suo pulsanti, simul spiritualiter Deus declinauit ab illa, & ingressus est ad illam: declinauit quidem quatenus gratiam abstulit sensibilis consolationis, & permisit eam tribulari, percuti, vulnerari: & quantumuis vocaret eum non respondebat illi; sensibilem tribuens consolationem & lætitiam, nec inimicorum mitigans furorem. At ingressus est ad illam, & intra illam erat, quatenus nouo quodam & ineffabili modo eam protegebat, & continua ac validissima præbebat auxilia, vt cum quæreret, & tot dolores, & iniurias perferret; quod nisi ipse esset intus protegens & auxilians, nullo modo facere, aut perferre valeret. Nam ideo ait, *cum ipso sum in tribulatione*, & vt inquit D. Gregorius, qui mente integra Deum desiderat, profectò iam habet quem amat, & cum opera suas vires superexcedentia ex Dei amore perpetrat, intus habet qui eum iuuat. Ingreditur igitur Deus ad animam, quæ ei cor aperit, vel vt consoletur, vel vt ad desolationes perferendas auxilietur, & vtroque modo cum ea cænat & ipsa cum illo, quia ipse delectatur valde operibus, quæ in vtroque statu consolationis vel desolationis efficit, & ipsa etiam eisdem valde roboratur, & proficit. Gerit enim se tunc Deus ad modum regis vel ducis, qui sciens arcem suam ab hostibus oppugnari, ingreditur in eam, vt milites qui illam defendunt, dirigat, iuuet, & sua præsentia vires eis addat.

Psal. 90. v. 15. Hom. 30. in Euang.

Vnde in Euangelio bis legimus nauiculam discipulorum magnis ventis & procellis concussam, prima vice cùm ipse Dominus intus esset, sed dormiens; Secunda verò cum esset ab illa absens, quia remanserat in monte orans: vtrumque autem prædictum indicat mysterium, vt sciamus Christum Dominum in tribulationibus nostris, & præsentem, esse & absentem, sed cùm adest videtur dormire, cùm vero abest, non cessat orare, & quasi intercedere, quoniam præsens est ad efficaciter auxiliandum & cohibendum ventos ne nauim obruant, etsi dormiat quatenus eos insurgere permittit: & hac ratione dicitur absens, sed orans, quoniam aduocatus est noster ne venti prævaleant: cùm verò eos cessare facit, tunc excitari à somno dicitur, vel præsentem fieri, quia suæ præsentiæ & omnipotentiæ signa certa exhibet.

Matt. 8. v. 24. & c. 14. v. 24 Iob. 9. v. 11.

Et hinc nascitur aliud discrimen cùm Deus ad visitandum & consolandum ingreditur, vel cùm tantum ad auxiliandum, quod priori modo intrat vultu, vel ut disco operto signa & indicia suæ præsentiæ præstans, & tunc anima Deum quasi reuelata facie contemplatur: at posteriori modo intrat quasi vultu cooperto, ita auxilia præbens, vt tamen abesse censeatur, quomodo Magdalenæ, & discipulis euntibus in Emaus præsens quidē erat, & eorum corda inflāmabat; & tamen nō agnoscebatur, quia vultum proprium sub specie hortulani, & peregrini tegebat, tametsi ōnis Dei accessus & recessus, qua parte est obscutus ambulantibus per fidem, & non per speciem, sub hoc velo fiat, & ideo inquit Iob: *Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam.* Nam siue veniat

ad consolandum, vel ad puniendum, vel ad operandum aliqua insignia ipsius opera, siue recedat, & ab iis cesset, & in alia commutet, non comprehendam vestigia ipsius, nec sciam qua via & modo veniat, aut recedat; vel an sim dignus odio vel amore, aut si est mihi per gratiam præsens, vel absens, sed hæc omnia occulta mihi manent.

2. Hom 52. in Cant.

Et iuxta hunc sensum interpretatur D. Gregorius Nissenus, Cassiodorus & Beda quod dicitur; *At ille declinauerat, atque transierat*: Nam cum anima plurimùm conatur vt Deum cognoscat, & eius magnalia apprehendat, quo plus cognoscit, eo plus scit infinitum esse quod latet, & ideo ipse declinare dicitur, quia adhuc occultus manet, & quasi nihil est quod de ipso cognoscitur: iuxta illud Salomonis: *Dixi sapiens efficiar; & ipsa longius recessit à me.* Et illud Psalmi, *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* Nam quo altius homo in cognitione videtur ascendere, eo altius Deus eleuatur, vt nequeat illum comprehendere. Vnde fit quod amplius desideret eum cognoscere, & diligentius quærat, vt eum possit inuenire: & si nunquam perfectè inueniat, & ideo subiecit, *quæsiui eum, & non inueni.*

Eccles. 7. v. 24. Psal 63. v. 8.

3. Cùm autem Deus sit infinitè amabilis, & in hac vita nullus sit amandi & in virtutibus proficiendi finis, hinc etiam est quod quanto quis ardentius amoris & virtutum perfectionem cupit, & quærit, tanto illa magis fugere videtur: *Nam qui edunt me* (inquit diuina sapientia) *adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient*, ac si non edissent; *Et qui bibunt me, adhuc sitient*, ac si non bibissent; quia semper amplius & amplius illis restat edendum & bibendum, idque gustare concupiscunt, vnde mirabili quodammodo Deus in hac vita omnibus sanctis simul est præsens, & absens, simul accedit, & recedit, & quasi declinat ab illis: est præsens, quatenus illum edunt & bibunt, & noua incrementa gratiæ ab illo accipiunt: est absens, quatenus adhuc esuriunt & sitiunt maiora incrementa recipere, quasi nihil esse quod acceperunt iudicantes, *Nam cùm consummauerit homo, tunc incipiet.* Et cum apprehendere putat, oportet quod denuo currat, recedit enim Deus & quasi elongatur ab eo, vt eum amplius currere faciat, veluti si homo super arborem pulcherrimam videret auem mire canentem, & curreret vt apprehenderet illam; cumque iam tangeret vt teneret, illa relictis quibusdam plumis in manibus apprehendentis, elaberetur, & volaret in aliam arborem, distantem, & cùm iterum curreret vt illam apprehenderet, eodem modo illa elaberetur & in alteram volaret arborem: sic Deus homines ad se vocat & trahit, illi autem currunt vt eum teneant, & apprehendant; cum se autem tenere putant, quia aliqua dona ab eo acceperunt, altius volat, declinat & pertransit, vt ipsi iterum currant, & apprehendere curent, donec tandem finita huius peregrinationis via, cùm firmiter teneant, & apprehendant in gloria, quam nobis præstare dignetur. Amen. Hoc amplius in sequenti exhortatione constabit.

Eccles. 24. v. 29.

Eccles. 18. v. 6.

Simile.

Ex eodem Nisseno.

EXHORTATIO XV.

De mira efficacia internæ locutionis Dei, & de variis effectibus amoris, & doloris, ac lacrymarum ab ea procedentibus qui per liquefactionem animæ designantur.

Anima mea liquefacta est vt dilectus meus locutus est.

NOVA & stupenda sententia sponsæ, cuius vim capias connexionem cum præcedentibus, nobis proponitur. Si liquefacta est anima cùm dilectus primo locutus est, dicens illi, *Aperi mihi soror mea*, &c. cur non statim ita liquefacta, surrexit vt aperiret, sed tot moras traxit vt dilectus declinaret & præteriret? Quod si cum declinauit & præteriit hæc dixit, quid tunc dilectus locutus est, quod animam eius liquefaceret, vtrumque tamen tempus respicere verba ista varij doctores testantur. Vnde multiplices oriuntur sensus, sed in duos reducemus plus solito in hac connexione explicanda immorantes, quoniam valde conducet ad mores.

De variis causis liquefactionis animæ ex Dei absentia vel locutione. §. 1.

PRIMO igitur referamus hæc verba ad id quod immediatè præcessit, nimirum cùm sponsus declinauit, & præteriit illam, tunc autem vt quibusdam Hæbreis placuit, abiens sponsus indignabundus locutus est illi: hæc vel similia verba, non ingrediar domum tuam, quia ab initio aperire noluisti. His autem verbis anima eius tota commota est, & perterrita, ac quasi deliquium ex mœrore passa, & hoc vocat animam fuisse liquefactam, & extra se stupore quodam & pasmo positam. Nec nouum est sponsum dilectam increpare, siquidem superius dixit illi: *Si ignoras te, egredere, & abi post vestigia gregum*, sed hoc diuinare est, nec hanc increpationem verbis factam reticuisse, si istiusmodi liquefactionis causa fuisset.

Non igitur increpatio per verba, sed ipsa sponsi declinatio, & præteritio, seu absentia, hunc mœrorem, stuporem & deliquium effecit, nam vt inquit D. Augustinus, quem ad hoc refert D. Thomas, amor non ita sentitur esse cum eum non prodigit indigentia, quoniam non semper præsto est quod amatur, sed clariùs D. Ambrosius, Quidquid, inquit, est desiderabile, si non contingat desideranti, deficit in illud, & quasi ipsam deponit animā; si autem absentia sit dilecti, eo ipso quo absentem desiderat, animæ suæ patitur defectionem. Et in hunc sensum aptatur LXX. versio, quæ iuxta proprietatem vocis Hebreæ sic habet: *Anima mea egressa est in sermone eius*, id est egressa est à me, & quasi me dereliquit, & penè sum facta exanimis. Hic autem mœror, & dolor maxime increscit, cùm ex propria negligentia, & incuria vel culpa, est absentia dilecti subsecuta, & facilè potuit impediri; ac tanto est intensior, quanto vehementior est dilecti amor; nam nimio cum dolore perditur, quod nimio cum amore possidetur. Vnde & Dauid dicebat:

1. Mœror ex Dei absentia est liquefactio, Lib. 10 de Trinit. c. 12. post med. tom. 3. 1. 2 q. 29. ar. 3. Serm. 11. in Psal. 118. versu 1. cc cc

Psal 83. v. 3.

Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini: quia multum concupiſcebat Dei præſentiam, multum deficiebat ex eius abſentia; & mœrore, quaſi liquefactus diffluebat in lacrymas dicens: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus?* Sed omnium grauiſſimus eſt dolor, & liquefactio ac reſolutio in lacrymas cùm ex Dei inſpiratione ſentitur eius abſentia, quæ ex graui peccato eſt ſubſecuta, quomodo anima Magdalenæ tota liquefacta eſt ad pedes Chriſti Domini iacens, & eos lacrymis rigans, quia amore eius ſaucia quàm grauis fuerit culpa quæ eum à ſe repulit, perpendebat.

2. Vnde non incongrue forte dici poſſet cum ſponſa ait; *anima mea liquefacta eſt cum dilectus meus locutus eſt.* Verbum locutus eſt, non referri quidem ad præcedentia quę dixerat exteriùs proferendo, *Aperi mihi*, &c. ſed ad verbum internum quod per inſpirationem locutus eſt facto illo externo, ſeu ſubito receſſu, qui habuit vim vocis arguentis & increpantis eius tarditatem, & inanes moras, quas prætexuit, & ita tantum mœrorem & dolorem incuſſit, vt anima pene liquefieret, & deficeret admodum, quo Dauid referens internos Chriſti angores in ſua paſſione ait; *Factum eſt cor meum vt cera liqueſcens in medio ventris mei.* Cæterùm hic dolor & mœror non efficit diffidentiam, & deſidiam, nec vires animi tollit ad quærendum dilectum, qui receſſit, ſed potiùs auget: *Nam triſtitia quæ ſecundùm Deum eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*, & ideo ſponſa, et ſi hoc mœrore affecta, egreſſa eſt ad quærendum illum: vnde ſubdit, *Quæſiui illum, & non inueni.* Quod ſic explicat D. Ambroſius proſequens quæ ſuprà retulimus; “ quanto longius eſt quod deſideratur, tanto magis “ deficit qui deſiderat: deficere ergo eſt in id vnum- “ quemque totis viribus migrare quod diligat, il- “ lud cogitat, illi affectu adhæret, illud perſonat “ quod receperit diligendum; in id quadam animæ “ defectione tranſfunditur; vt ſi mater filij expe- “ ctet præſentiam, quemadmodum expectabat “ Tobiæ vxor filium peregrinantem, deficiens à deſiderio, & in anguſtiis conſtituta, & tanquam reſoluta viribus, ſed quo magis laſſatur affectus, eo amplius amor creſcit; & quo diutius abeſt qui “ deſideratur, eo expectantis deſideria maiore qua- “ dam vi amoris igneſcunt: caro deficit, ſed cupidi- “ tas alitur, & augetur. Quod autem creſcat ſollici- “ tudo quærendi, etiam exemplum matris Tobiæ indicat, de qua dicitur quod *quotidie exiliens circumſpiciebat, & circuibat vias omnes per quas ſpes reuertendi videbatur.* Sic & ſponſa circuibat per vicos & plateas ciuitatis quærés quę diligebat anima eius.

3. Miſſam facio aliam explicationem quorundam, qui huiuſmodi verba dicunt eſſe ſponſæ increpantis ſeipſam, eo quòd moras prætexuerit ſurgendi ad aperiendum ſponſo, & loqui de alio modo deliquij, vel alienatione animi metaphorica, quomodo vir prudens qui ex incuria vel inaduertentia aliquid perutile opus omiſit, vel indignum quid fecit, ſeipſum inculat, & acriter reprehendit, dicens: quomodo ita amens & excors fui, & à me alienatus vt talia facerem? Non eram mei compos, nec ego ipſe intra me eram, cùm id feci. Sic ſponſa videns ſponſum ſuum illa reliquiſſe, ſeipſam increpat dicens; cùm dilectus meus locutus eſt mihi ſuauiſſima illa verba, *Aperi mihi ſoror mea*, &c. *anima mea liquefacta eſt*, id eſt videbar eſſe quaſi diſſoluta, excors, & mẽte alienata, anima mea egreſſa eſt à me, & quaſi me dereliquit mens, & ratio. Nam ſi in me eſſet, mox ſurgerem vt debebam, cùm ſponſus pulſauit, & mihi locutus eſt; digna quidem increpatio noſtræ tarditatis, nam excors eſt, & amens extra cor ſuum poſitus, qui Deo pulſanti non aperit, & vocantem ac loquentem non audit: & ideo Iſaias præuaricatoribus ait, *Vt redeant ad cor.* Nam extra illud vagantur, & ideo Deum ad cor loquentem non auſcultant; at hunc ſenſum mitto, quia liquefactionem apud patres hîc ſemper in bonum ſumi conſpicio.

4. Hinc ad poſteriorem huius ſententiæ ſenſum tranſeamus, referentem illam ad prima verba quę ſpõſus locutus eſt dicens: *Aperi mihi ſoror mea*, cum primùm vero (ait) has voces tantæ dulcedinis, benignitatis, & amoris plenas accepi, *Anima mea liquefacta eſt*, id eſt vehementiſſimo amoris ipſius æſtu ardere cœpit, & liquefieri, & egreſſa eſt à me, ac quaſi rotã in ipſum trãſtuli, ſed cur mox nõ exiuit, adaperiendum. Reſpondent quidam hæc verba dicta eſſe ab ſponſa in ſui excuſationem, ac ſi diceret, ita fui abſorpta, & alienata ex dulcedine locutionis dilecti mei, vt pene non aduerterem quid dicerem, & quid facerem, cùm in lecto manſi, & reſpondi: *Exui me tunica mea*, &c. admodum quo cùm D. Petrus in Chriſti transfiguratione dixit, *Domine, bonum eſt nos hîc eſſe*, ſubdunt Euangeliſtæ; *Non ſciebat quid diceret, erant enim timore exterriti.* Nam ex ſtupore, & timore concepto de magnitudine gloriæ Chriſti, & ſimul ex vehementi gaudio de pulchritudine & ſplendore ipſius protulit illa verba, non bene attendens quid diceret; quæ tamen conuenientia non erant: ita ſponſa de ſe inquit, ita fui ſtupefacta ob tantam illorum verborum charitatem & dulcedinem, vt verba illa excuſationis proferrem neſciens quid dicerem. Vnde opus fuit quod ipſe manum mitteret per foramen, & ad tactum eius iterum intremuiſſet venter meus, & cor meum contremiſceret ac commoueretur. Et tunc quaſi euigilans ſurrexi vt aperirem dilecto meo; id etiam ſæpe contemplatiuis contingit, vt ex nimia contemplationis dulcedine quam percipiunt, minùs attendant ad aliqua quæ dicunt, vel faciunt, quæ ſi plene aduertiſſent, aliter diſpoſuiſſent, nec tamẽ per hoc ab omni culpa liberè manent, nec pœnam euadunt, & ideò ſponſa cùm aperuit dilectum ſuum, quia tranſierat non inuenit.

5. Sed aliter hęc verba accipienda videntur, cùm ſponſa quæ perfectioni ſtuder, non tam ſe nouerit excuſare quàm accuſare, & arguere; quare potiùs verba iſta protulit vt ex vehementia amoris in corde ſuo accenſi, ſui doloris magnitudinem de abſentia ſponſi deduceret, & explicaret, ac ſi diceret, cùm vidi dilectum meum declinaſſe, atque tranſiiſſe, anima mea grauiſſimo mœrore & dolore affecta eſt, & liquefacta. Nam ſi cùm primùm mihi locutus eſt liquefacta etiam eſt, & extra ſe poſita ob amoris vehementiam, quanto magis nunc cùm ſimul amori coniungitur dolor de abſentia ipſius? vtrumque ergo affectum amoris, & doloris per liquefactionem explicat, quæ tamen à locutione, & verbis ſponſi initium ſumpſit.

6. Tandem per hæc verba rationem reddit ſponſa eius quod ſtatim ſe feciſſe teſtatur cùm ait, *Quæſiui illum*, &c. ac ſi dicat, cumprimùm dilectus locutus eſt, anima cœpit amore liquefieri, & egreſſa eſt à ſe, vt ſe transferret in illum: at nunc cùm video illum declinaſſe

& præteriiſſe, alio modo anima mea liquefit, & egreſſa eſt à ſe, & à ſuo quieto loco vt illum quærat donec inueniat. Et ideo ſurrexi quærere, ſed *quæſiui illum & non inueni*, &c. Hæc de connexione dicta ſufficiant.

Locutionis Dei ad cor mira efficacia, & effectus eius. §. 2.

1. POSTERIOREM igitur ſenſum proſequentes, oportet priùs metaphoram liquefactionis plenius enodemus. Per eam enim explicuit Salomon mirabilem diuini verbi, & locutionis internę efficaciam, inſtar ardentis ignis metalla & ceram duram liquefacientis, iuxta illud: *Nonquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus.* Metallum autem & cera per liquefactionem ex igne duo peculiariter habent. Fiunt enim mollia, vt aliquid intra ſe facile recipiant, quod dum erãt dura recipere nequibant; & præterea facilè fluunt, & à ſuo in alium locum decurrunt; amor autem qui inſtar ignis eſt, cor amantis liquefacit: quem effectum ſic explicat D. Thomas, quæ ſunt congelata in ſeipſis conſtricta ſunt, vt non poſſint „ facile ſubintrationem alterius pati; per amorem „ autem coaptatur appetitus ad receptionem boni „ amati prout amatum eſt in amante; & ideo cordis „ congelatio vel duritia eſt diſpoſitio repugnans „ amori: liquefactio autem importat quamdam mollificationem cordis qua ſe exhibet habile vt amatum in ipſum ſubintret. Si autem contingat amatum eſſe abſens, fit triſtitia & dolor de abſentia, & multo maior, ſi ſua negligentia abſentia ſecuta eſt, & hæc triſtitia & mœror animi vocatur langor amoris, de quo ſponſa mox ait; *amore langueo.* Vnde autem ſequitur intenſum deſiderium quærendi, & poſſidendi bonum amatum, qui vocatur feruor; nam inſtar aquæ nimis calefactæ ab igne ebullit, & quaſi extra ſe ſupra ſe exilit, & hoc etiam contingit metallis dum liquefiunt, & extra ſe quaſi exeunt, & ſe dilatant, & in alium locum defluũt, & hac de cauſa ait hîc Sponſa, *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus meus locutus eſt*, vel vt LXX. vertunt, *Anima mea egreſſa eſt in ſermone eius*, id eſt inſtar metalli liquefacti egreſſa eſt à ſe, vt transferret in dilectum ſuum, & hæc egreſſio vocari ſolet extaſis, vt inquit idem D. Thomas, cùm anima extra ſe rapitur & exit, & tranſit per affectionem in rem dilectam, ſed vlteriùs etiam egreſſa eſt, vt illum abſentem quæreret, vnde ſubdit, *quæſiui illum, & non inueni*, &c.

Ex his ergo deducenda eſt mira, & ſtupenda vis eius verbi, quod æternum Verbum à Patre progenitum loquitur intra animam ad cor ipſius, ſiue per ſolam inſpirationem & locutionem mentalem, quæ verbum internum eſt, ſiue media voce prædicatorum externa, qua vtitur vt inſtrumento ad loquendum intus verbum ſuum, quod eſt efficax, & penetrabilius omni gladio ancipiti, & velut ardens facula totum cor inflammans, vt vehementes amoris flammas emittat. Inquit igitur ſponſa, *Vt dilectus meus locutus eſt, anima mea liquefacta eſt*, quod antea dixerat, *Venter meus intremuit*, vel *calefactus eſt ad tactum eius*, nunc amplius explicat, cùm ait ab igne amoris quem in me accendit, anima mea eſt liquefacta, ex frigida facta eſt calida, ex dura mollis, ex conſtricta in ſe dilatata, vt extra ſe exeat, ac ſupra ſe tendat ad illum.

1. Etenim ſi peccatores culpæ gelu frigidos, corde duros & obſtinatos, ac ad ſeipſos valde conuerſos ob bona delectabilia quę ſibi concupiſcunt, diuina locutio intus tangat, mox corda eorum ſuo inflãmat amore, vt peccati frigus expellãt; mollefacit & liquefacit, vt Deum quem à ſe expulerant intra ſe recipiant, & ſe totos ad ipſum conuertant, recedendo à ſui inordinato amore, & rerum quas prauè diligebant vt vniuerſum amorem in ipſum Deum transferant. Mens hominis, (inquit D. Gregorius) conditoris ſui ſpeciem non quærentis, male dura eſt, quia in ſemetipſa frigida manet. At ſi ardere iam ex deſiderio cœperit, ad ſequendum quem diligit liquefacta per ignem amoris currit, fit deſiderio anxia, vileſcunt in ſeculo cuncta quę placebant; nihil eſt quod extra conditorem libeat, & quæ priùs delectabant animum, fiunt poſtmodum vehementer onoroſa. Mœret mens, talique igne in mente decoquitur rubigo culpæ, & ſuccenſus animus quaſi auri more, quia per vſum ſpeciem perdidit, per incendium clareſcit. Hæc ille. Sicut enim ſol ſuo igneo calore lutum humidum indurat, & ceram duram liquefacit: ſic Deus dum cor hominis tangit, terrena quæ amabat, & illi erant delectabilia, exiccat, & indurat; facitque vt illi iam dura & aſpera videantur: è contra verò, virtutis bona quæ ſibi dura apparebant, mollia reddit, & blanda, corque afficit ad illa.

Hom. 25. in Euang.

Ita Ricardus.

2. Cor autem ita amore liquefactum, in ſeipſo recipit Deum, cui intimè vnitur, & fit vnus ſpiritus cum eo. Nam ſicut duæ ceræ liquefactę facile ſe coniungunt, & penetrant, & ex eis fit quaſi vna; ſic animæ cor hoc diuino igne calefactum, cùm coniungitur Chriſti cordi quod ſimiliter amore noſtri liquefactum eſt; nam & ipſe dixit: *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei*; ita illi vnitur, vt fiat ex illis quaſi vnum cor, vna voluntas, & vnus amor; ita tamen quod anima exuto proprio amore, tota ſe transferat in cor Chriſti, cui omnino ſe conformem facit, vt ipſe de ea dicat; *Inueni Dauid filium Ieſſe virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Eſt enim cor eius blandum, aptum, & paratum vt faciat quidquid Deus illi præceperit.

Pſal. 11. v. 15.

Act. 13. v. 22.

3. Vnde ſicut metalla liquefacta facilè aſſumunt ſpeciem quam habet forma, quæ Hiſpane dicitur *Molde*, vt patet in vaſis fuſilibus, quæ ex ære liquefacto fiunt, & varias figuras ſecundùm vas prototypum cui metalla infunduntur, accipiunt: ſic anima per amorem liquefacta, omnes Chriſti virtutes in ſe recipit, & iuxta ipſius humilitatem fit humilis, iuxta illius obedientiam, obediens, & hoc eſt quod alia verſio habet; *anima egreſſa eſt in ſermone ipſius*; egreditur à ſe in Chriſtum, & à vitiis in virtutes, vt quidquid Chriſtus præcepit, faciat vt eum moribus & greſſibus ſectetur: nonne cùm Chriſtus locutus eſt Saulo verbum illud: *Cur me perſequeris? Ego ſum Ieſus Nazarenus quem tu perſequeris*; mox cor eius frigidum & durum liquefecit, & ſic molle & docile reddidit, vt diceret, *Domine, quid me vis facere?* Moxque à ſeipſo egreſſus, & in alterum virum mutatus, omnes Chriſti induit virtutes, vt imitatione & ſimilitudine vitæ, alter Chriſtus videretur. nec ſolus Saulus, ſed multi alij ex gentibus inſtar metalli, liquefacti ab igne amoris, quem prædicatio Chriſti, & Apoſtolorum incenderat, ad ipſum fluebant, vt eiuſdem fidem, legem, & mores profiterentur, ſicut ſcriptum eſt: *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper omnes*

Act. 9. v. 3.

Iſai. 2. v. 2.

colles, & fluent ad eum omnes gentes. Perpende myſterium verbi fluendi, nam etſi fluida deorſum tendant, non ſurſum; tamen quia corda gentium fluida facta ſunt ab ignis liquefacientis virtute, qui ſemper ſurſum agitur, eamdem vim fluidis cordibus imprimit, vt ad montem ſublimem, & eleuatum Chriſtum fluendo currant, & aſcendant, & illi ſimilitudine morum coniungantur.

4. Hinc deducit Niſſenus iugem in virtutibus progreſſum, quem Dei verbum intus operatur, connectens hæc verba cum præcedentibus hoc pacto: *Præteriit cognatus meus*, non tamen animam ſequentem ſe prorſus dereliquit, ſed ad ſe verbo traxit. *Anima*, inquit, *mea egreſſa eſt in ſermone eius.* O felicem egreſſum, quo egreditur anima ſermonem ſecuta. *Dominus cuſtodiat ingreſſum tuum, & egreſſum tuum*, ait vates. Hæc illa eſt, qua dignus à Deo cuſtoditur egreſſio pariter, & ingreſſio. Egreſſio ex eo in quo ſumus, ingreſſio eſt ad bona ſupra nos poſita: egreditur autem verbo duce, quod dixit, *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ingredietur, & egredietur*: ita vt nunquam neque ingrediendi, neque egrediendi finem faciat, ſed ſemper proficiendo ſuperiora ingrediatur, & extra percepta procedat. Sic Niſſenus, & apte quidem, quoniam à flammigeris verbi diuini inſpirationibus, progreſſus noſtri per omnes virtutis & amoris gradus procedunt, vt dum ſumus in minori egrediamur ab illo, & ingrediamur in maiorem; & rurſus, nec ſtemus in iſto, ſed à Dei impulſu agitati egrediamur ab illo, & progrediamur ad alium ſublimiorem; ſic iugiter procedentes, donec ingrediamur in vltimum gradum, & ex hoc in Deum clare viſum, qui eſt terminus omnis profectus.

Hom. 12. in Cant. Sic legit iuxta lxx. Pſal. 120. v. 8 Ioan. 10. v. 9

Diuinæ locutionis, & bonarum lacrymarum ſigna.
§. 3.

1. EX his deducemus ſigna quibus ſecernitur locutio Dei, à locutione Diaboli transfiguratis ſe in Angelum lucis, videlicet ex igne, ardore, & liquefactione, & egreſſione diuerſa quam efficiunt. Diaboli enim locutio, & interna ſuggeſtio ad hoc tendit, vt accendant concupiſcentiæ ignem, qui cor liquefacit ad blanda, & mollia, ac delectabilia carnis recipienda; vnde paulatim indureſcit circa opera ſtudioſa, & inde etiam egreditur vt à minori vitio in peius proficiat; à maiori verò virtute in minorem corruat. Cæterùm Dei locutio, etſi occulta videatur, per ardorem circa cuncta ſtudioſa, & ſancta ſe prodit, ſicut diſcipuli qui Chriſtum audiebant, & ſi eum non agnoſcerent, inflammabantur ab illo cùm eis interpretabatur Scripturas. *Nonne* (inquiunt) *cor noſtrum ardens erat in nobis dum loqueretur nobis in via?* Ardor autem ille expellebat ab eorum cordibus frigiditatem, puſillanimitatem, triſtitiam, & timorem, quem ex Chriſti paſſione conceperant. Fugabant etiam tenebras infidelitatis, & ſtultitiam ac duritiam cordis, de qua increpauerat eos dicens: *O ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt prophetæ.* Denique liquefaciebat cor, mollesque reddebat, & aptum vt quod illis loquebatur, reciperent, & cum illo manere iugiter vellent; vnde & dixerunt: *Mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit.*

Luc. 24. v. 32

2. Deinde cùm ait ſponſa: *Anima mea egreſſa eſt in ſermone eius*; non tantùm ſignificat egreſſam eſſe à ſermone illius excitatam, ſed vt abiret poſt ſermonem eius, ſequeretur eius doctrinam, & ſalutis monita, ac conſilia, currens poſt illius veſtigia: at locutio diaboli quæ tenebras ignorantiæ efficit, impellit animam ignorantem ſe, vt egrediatur, & abeat poſt veſtigia gregum vitiorum, & paſcat hædos ſenſuum & appetituum circa tabernacula paſtorum, amplectens quæ illi ſuggerunt falſi Chriſti ſodales, & veri ſathanæ paſtores: ſed locutio Chriſti, ab omnibus his retrahit, & ad ſolum Chriſtum impellit: *Ad quem ibimus?* (ait Petrus) *verba vitæ æternæ habes.* ita hunc locum interpretatur D. Ambroſius, ſic dicens: *Exiuit anima mea in verbo eius*, ſic ipſe legit, hoc eſt verbum eius ſecuta exiuit de corpore, eleuans ſe de eius habitaculo, & peregrinam ſe faciens ei, vt adeſſet Deo, & eſſet ciuis ſanctorum; ſimul enim & carnis domeſtici, & ciues ſanctorum eſſe non poſſumus: ergo in hoc loco exire ſignificatur quando anima abducit ſe à corporis voluptatibus. Et in alio loco ait, bonus exitus, quando anima relicta corporeæ voluptatis fallaci illecebra, Chriſto coniungitur. Bonus exitus, cùm ad Dei verbum anima de vitiis ad virtutes ſe transfert, cùm contemptis rebus terrenis cæleſtium amore liqueſcit.

Cant. 1. v. 7 Ioan. 6. v. 69 Li. de Iſaac c. 6. Cant. 7. v. 4 Lib. 9. Exhor 14.

3. Hinc etiam per liquefactionem donum lacrymarum intelligit D. Gregorius, quod ex dilecti interna locutione procedit. Ad verbum (inquit) ſponſi liquefactam ſe dicit, quia dum Chriſtus ſe per Spiritum ſuum animæ deſideranti infundit, & omnem duritiam cordis mox diſſoluit, & aliquando mentem in tantas lacrymas liquefacit, vt vix capere poſſit, hoc quod ſe capere intra ſe exultat. Forte de his lachrymis explicari poteſt quod ait Pſalmes: *Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea; flauit Spiritus eius, & fluent aquæ.* Huiuſmodi enim lachrymæ ſpontaneæ ſunt, & ſine vlla cordis anxietate, aut capitis violentia ab interno affectu per diuinam inſpirationem excitato profluentes; quarum quinque genera refert Caſſianus, iuxta quinque cauſas vnde prodire poſſunt, quas diuina locutio menti ſuggerit, vt dum eas interni oculi contemplantur, liqueſiant, & per externos oculos aquarum exitus mittant, nimirum vel ob peccata à nobis commiſſa, vel ob deſiderium cæleſtis patriæ, vel ob timorem gehennæ ac damnationis propriæ, vel ob peccata proximorum, eorumque perditionem, vel ob ærumnas huius exilij, ac vitæ pericula in quibus verſamur. Ad has autem reducuntur lacrymæ quæ ex contemplatione paſſionis Chriſti promanant. Sed quoniam multę lachrymæ ex naturali complexione, & proprio ſpiritu procedunt, aliæ verò ex ſuggeſtione diaboli, vt inſtar Iſmaëlis fingentis ſe plorare triſtes & plorantes decipiat, oportet cautè & vigilanter cauſas, & effectus lachrymarum inſpicere, vt à fructibus earum cognoſcamus eas.

In hunc locum. Pſ. 148. v. 8. Collat 9. de oratione. c. 28. Ierem. 41. v. 6.

Quæ enim à dilecto loquente liquefactio lachrymarum fit, dum cor aridum rigat, dilecti amorem purum, fortem, & conſtantem generat; ſimulque ſui ipſius efficit defectionem, & exinanitionem, vt in profundum humilitatis radices figat. nullum enim certius ſignum eſt quorumcumque donorum Dei, & liquefactionis ab ipſo procedentis, quàm huiuſmodi ſui exinanitio, & vilipenſio; quæ in hoc potiſſimè fundatur, vt certiſſimè ſcias, & quaſi experimento cognoſcas te eſſe inſtar metalli, quod quantumcumque ſit liquefactum, ſemoto tamen igne in priſtinam paulatim reuertitur

duritiem, quia ex ſe durum eſt, tantùm verò ex præſentia ignis ſit liquidum, ſicut aqua etſi nimis calida, cùm ſeparatur ab igne ſenſim ſit ſicut anteà frigida: ita etiam anima, etſi nimis ſit deuota, & amore accenſa, ac liquefacta, non id ſibi tribuat, ſed dilecto, & locutioni illius; qui ſi recedat, & intùs loqui & inſpirare deſinat, ad omnem perfectionis opus frigeſcet, dureſcet & inepta fiet. nam *perditio tua*, ait Dominus, *tantummodò in me auxilium tuum*: quod vtinam nobis præſto ſit, donec ipſo Deo fruamur in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oſeæ 13. v. 9

De lactymis plura dicentur in id; *Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon*, &c.

EXHORTATIO XVI.

PRO SS. MARTYRIBVS, SEV VIRGINIBVS ET MARTIRY. ET PARTIM PRO FERIA V. POST DOM. I. QVADRAG.

De ingenti virtute & fortitudine animæ Dei amore liquefactæ ad quærendum ipſum, & ad ferenda omnia aduerſa quæ in eius inquiſitione occurrunt.

Quæſiui, & non inueni illum, &c.

IRAM efficaciam diuinæ locutionis ad inflammandam & liquefaciendam animam vt ſe Deo vniat, & coaptet, explicuimus; iam ingętem explicemus eiuſdem animæ ita inflammatæ & liquefactæ virtutem & fortitudinem ad quærendum Chriſtum omnibus viis, & modis quibus quæri valet, perferendo varios & acerbos labores, ignominias, & tormenta propter ipſum. Quæ omnia inſinuantur verbis commemoratis, *Quæſiui illum*, &c. quorum ſimilia habentur in initio capitis tertij; & per plures exhortationes ſunt à nobis explanata: nunc verò ea ſuperaddemus, quæ conſequenter addicta in duabus exhortationibus præcedentibus videntur aptura.

De hoc plura lib. 6. Exhort. 4. §. 1. Lib. 6 Exhort 1. vſq; ad. 14.

De vehementia, & conſtantia amoris diuinici circa quærendum Deum. §. 1.

1. ET in primis quis non ſtupet tantam animæ virtutem, & fortitudinem, qualis hîc depingitur in tenera virgine, & nubili, quæ ſurrexit vt ſponſo pulſanti aperiret? Cùm enim agnouit eum declinaſſe, ac præteriiſſe, non ſtat attonita, non reuertitur ad lectulum, vel ſtratum, expectans ſi forte reuertatur ſponſus; ſed audacter è domo egreditur vt illum quærat. Non timet noctis tenebras, quæ muliebri ſexui horrorem incutiunt; non metuit glaciem, & frigus rigidæ noctis, quæ tunc vrgebant, ſiquidem ſponſi caput plenum erat rore, & cincinni guttis noctium: non pauit occurſum cuſtodium circumeuntium ciuitatem, nec damna quæ illi poſſunt inferre; ſed potiùs cùm apprehenderent pallium eius, vt eam tenerent, ipſa relicto pallio fugit ab eis, vt ſponſum quærat: & quæ paulò antè dicebat, *Laui pedes meos, quomodò inquinabo illos?* timens inquinari dum à lecto tendit ad ianuam, iam non timet per vicos & plateas lutoſas incedere, dummodò quærat quem diligit anima eius, & fugientem inſequatur, ſi forte poſſit inuenire. O ſtupenda virtus diuini amoris quæ ſub hac metaphora delineatur! cùm enim animam tangit, inflammat, liquefacit in quouis ſexu, in quauis ætate, in quouis ſtatu, ingentem illi præbet fortitudinem, & audaciam, vt diuinæ nitens vocationi, & gratię, cuncta bona quæ poſſidet, relinquat, dulcia contemnat, amplectatur amara, aggrediatur aſpera & difficilia vt Chriſtum quærat, & inueniat. Hoc clamant monachorum cœnobia, hoc teſtantur clauſtra monialium, quotidie Chriſtus loquitur ad cor iuuenum, & virginum, quæ diuitiis & delitiis affluunt. *Si vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes, & ſequere me*: & tamen non triſtantur ſicut iuuenis, cui primò hæc verba dicta ſunt, qui abiit triſtis; ſed potiùs abeunt alacres vt mox id opere perficiant, & Chriſtum ſequantur. Nihili faciunt ſuarum deliciarum, lectulum contemnunt propriæ quietis molle ſtratum, relinquunt paternam domum, omnia pericula aggrediuntur, ærumnas libenter perferunt, & ad cuncta aduerſa paratos ſe exhibęt, dummodo Chriſtum ſibi lucrifaciant. Nam cùm videant illius caput & cincinnos rore & guttis noctium plenos, hoc ipſum eos delectat ſimili rore & guttis propter ipſum quærendum repleri, vt ipſius laborum mereantur fieri participes.

Matth. 19. v. 21.

2. Sed quid eſt quod ait, *Quæſiui illum, & non inueni; vocaui, & non reſpondit mihi.* En primam probationem perfecti amoris, nam qui vehementer amat, & dilecti præſentiam deſiderat, cuperet cumprimùm egreditur ad quærendum, mox eum inuenire, & quod illicò reſponderet cùm illum vocat, maximè cùm dicat ipſe, *quærite, & inuenietis*, & qui non quærentibus etiam apparet; quanto magis quærentibus & clamantibus ad ipſum cõfeſtim dicet: *Ecce adſum.* At volens Deus dilectæ ſuę conſtantiam probare, quærenti ſe occultat, vocanti nihil reſponder, vt diſcat in quærendo & vocando diu perſeuerare, quę ipſum Deum, dum eam quærebat, & vocabat, diu fecit expectare. Sic probabat patientis Iob amorem, qui dicebat, *Clamo ad te, & non exaudis me; ſto* (id eſt expecto) *& non reſpicis me. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduerſaris mihi.* Querimonię ſunt nimiùm ſe amantium, qui mox obtinere cupiunt quod poſcunt; ſed qui crudelis & durus apparet, dum ſe abſcondit, pius eſt & blandus, dum intus cor ad fortiùs clamandum accendit, vt perſeuerer clamando, & copioſiùs quod petit accipiat, & quod quærit inueniat: Sicut ille qui petens ab amico tres panes commodatos, & ſi durum acceperit reſponſum, non ſtatim tacuit, ſed ampliùs clamauit, & perſeuerauit petens, & ideò obtinuit non tantùm tres, ſed quotquot habebat neceſſarios. Aptè autem homo iſte media nocte petiiſſe panes dicitur, & ſponſam in nocte dilectum ſuum quæſiiſſe conſtat, quoniam nox quæ abſentiam lucis perfert, abſentiam diuinæ conſolationis ſenſibilis indicat, & triſtitiam animi ac mœrorem. Parum ergo eſt Deum in die lætitię quærere, niſi etiam quæras in nocte. Minimum eſt fulgente luce diu expectare, ſed maximum eſt nocte & gelu præmente orando & quærendo perſeuerare, inſtar Chananææ, quæ à finibus ſuis egreſſa, veluti quæ idololatriam, patriam & domum reliquerat, vt Chriſtum quæreret, & ab eo ſalutem filię efflagitaret, etſi ille non reſponderet ei verbum, non deſiit ſequi illum, clamans poſt Apoſtolos, illis importuna erat, & duram repulſam paſſa, adhuc quęrens & clamans

Iſai. 50. v. 6 Iob. 30. v. 20. Luc. 11. v. 8 Matth. 15. v. 12. Hoc explicatur amplius in §. 4.

post Apostolos, illis importuna erat, & duram repulsam passa, adhuc quærens & clamans persteuerauit. Quæ omnia Christo Domino valdè placuerunt; cupit enim dilectos suos omni tempore illum quærere, & inuocare, nec propter vllas moras exauditionis in hoc deficere.

Sed quid tunc sponsa? ibat per vicos & plateas ciuitatis quærens quem diligit anima eius. Suprà in cap.3 hoc expresè habetur: hic citra dubium supponitur, siquidem inuenitur à custodibus qui circumeunt ciuitatem, imò ad muros vsque accedit, & vltra illos transgreditur, per agros dilectum quærens, nam & a custodibus murorum expoliatur. Hoc autem indicat solertiam, & vigilantiam quærendi per omnia media quæ fides præscribit, & ratio dictat, tum in ciuitate, tum in solitudine, tum in vita actiua conuersando cum hominibus, tum in contemplatiua, separando se ab illis vt vacet Deo, inspiciendo etiam exempla per vtramque viam gradientium, vt ab eis discat modum quo Deum quærat, vt gradientes per illas suo exemplo & verbo exhortando, vt fideliter & constanter Christi vestigia sectentur. Plurima circa hæc verba superiùs sunt dicta.

De percussionibus & vulnerationibus inimicorum. §. 2.

DVRIOREM adhuc amoris probationem audi. *Inuenerunt me* (inquit) *custodes qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum custodes murorum.* Duplices refert custodes, qui vel ciuitatem custodiunt circumeundo per vicos & plateas illius, vel qui muros ipsos peculiariter seruant: hi autem in malum & in bonum à diuersis Patribus vsurpantur. Primò igitur per eos intelligamus dæmones, quos Apostolus vocat Principes & Potestates, ac Rectores mundi tenebrarum harum, & insuper eorum coadiutores, nempe tyrannos, & præsides, hæresiarchas, & nequissimos Ecclesiæ ac sanctorum persecutores; qui mundi ciuitatem, & eius execranda iura custodiunt, & è peccato in peccatum corruunt: nam *in circuitu impij ambulant*: sicut sathan qui circuiuit terram, & peragrauit eam, & modo circuit quærens quem deuoret. De huiusmodi videtur propriùs loqui sponsa, ideoque ab illis non interrogauit, sicut à vigilibus; *Num quem diligit anima mea vidistis*? quia illum exosum habent, illumque & eum quærentes, triplici, diraque persecutione infectantur, quæ explicatur illis verbis, *percusserunt, vulnerauerunt, tulerunt pallium.* Percutiunt linguæ gladio, & nauacula acuta cum contumeliis, opprobriis, maledictis, & innumeris lacessunt iniuriis. Vulnerant, cùm verbera, vincula, & carceres, immaniaque adhibent tormenta: tollunt pallium cùm expolliant diuitiis & dignitatibus, ac honoribus, & vitâ ipsâ, tollentes à martyribus pallium corporis quo tegebatur anima. hæc tamen omnia patienter, constanter, & hilariter tolerauit Ecclesia Christi sponsa, & tolerant sanctæ animæ, quæ illum diligunt, nec teneri possunt, vel detineri, aut impediri quominus eum quærant: sicut D. Paulus testatur Hebræis, dicens, *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum: & in altero quidem opprobriis, & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem socij taliter conuersantium facti, nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.* En quomodo hanc triplicem persecutionem passi, constantes permanserunt in fide, & dilectione. Qui enim vehementer Christum diligit, velut alter Ioseph pallium relinquit in manu adulteræ, calumnias illius patitur, & carceres sustinet, ne fidem Domino suo violet; sic vt anima Christo fidem seruet, auferenti tunicam largitur & pallium, ac audacter inquit: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia?* &c. Profectò nec opprobria, nec vulnera, nec bonorum rapina poterit nos separare à charitate Dei quæ est in Christo Iesu.

Sed emphasim habent singula verba. *Inuenerunt me*, inquit, & non ego inueni eos. Duplex enim est tribulationis genus, vt ex psalmis deducit D. Augustinus: Alterum quod nos ipsi quærimus, & inuenimus, iuxta illud, *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui.* & huiusmodi sũt mortificationes & dolores propriâ electione & sponte assumpti. Alterum est quod è contra nos inuenit, etsi nos non quæramus illud: de quo dicitur, *Tribulatio & angustia inuenerunt me*: cuiusmodi sunt persecutiones inimicorum & hostium fidei & religionis, qui non quærendi, sed potiùs iuxta Saluatoris præceptum fugiendi sunt, quoad vsque Deo permittente ipsi persecutores nos inueniant, percutiant, vulnerent, & pallium corporis auferant: quod martyres & doctores, vt D. Athanasius probat, communiter obseruabant.

Sed inter hos persecutores illi crudeliores sunt qui falsò sibi nomen custodum ciuitatis accipiũt, nimirum qui à fide naufragantes, hæresum fiunt patroni, & veram Ecclesiam ac Fidem custodire putant, dum illam acriter impugnant, de quibus suprà dixit, *Filij matris meæ pugnauerunt contra me*: quorum sæua pugna ibi à nobis est explicata. Quid enim sæuius quàm inermem virginem nocta sponsum quærentem, percutere, vulnerare, & expoliare? Et quid inhonestius quàm hæc mala inferre, qui nomen gerunt fratris, & custodis? Sed quanto sæuiores hostes siue externi, siue domestici, tanto præclarior inuicta virginis inermis fortitudo, quæ potuit percuti, vulnerari, expoliari, sed non ab incepto deterreri?

Persecutiones tendere ad auferendum pallium fidei, & charitatis. §. 3.

SED quoniam in gradatione persecutionum post percussiones & vulnera, ponit ablationem pallij tanquam quid sibi grauius, & molestius, de hoc paulò fusiùs philosophemur. Supponit parabola sponsam pallio obtectam aperuisse fores, & egressam esse domo vt sponsum quæreret. Pallium autem istud, vt D. Hieronymus testatur, erat genus quoddam veli, quo virgines & nouæ nuptæ vtebantur pro insigni pudicitiæ, quo Rebecca se operuit cumprimùm sponsum Isaac vidit, quod LXX vocant *Theristrum.* Sed si ad spiritum hæc referas, pallium istud, vt D. Ambrosius notat, significat vestem nuptialem charitatis, quæ operit multitudinem peccatorum, & valde ornat animam, quæ (inquit ille) nuptialis vestis præmittebat insignia, ne fortè reiiceretur à sponso quasi vestem non habens nuptialem.

Est autem pallium istud quasi duplex, aliud internum soli animæ inhærens, eam tegens & ornans, quod complectitur non tantùm charitatem in cordibus iustorum diffusam, sed fidem, prudentiam, & reliquas virtutes, quæ pretiosi sunt

Pſal 11.v.9. Iob. 1 v.7. 1.Petri.5,v.8.

ad Hebreos 10,v.32.

Genes 39.v. 12.

Math.5.v.4.

ad Rom.8. v.5.

2

In Pſal 59.

Pſal 118 v. 143.

Math.10.v. 35.

Inapologia pro ſua fuga

Can.1.v.5. Lib. 2. Exhort.26.

ad Epheſ.6 v.7.

Geneſ.24. v.65

ita D. Hieron in Iſa 4 & Epiſt 7 ad Lætam.

animæ amictus: sed vltra hoc est pallium quasi externum quod est fidei & religionis signum, ac testimonium, vt vsus sacramentorum, ac sacrarum cæremoniarum, religiosi habitus, & opera bona externa quę ab internis virtutibus procedunt.

Omnes ergo dæmonum, tyrannorum, ac hęreticorum percussiones, ac vulnerationes ad hoc tendunt, vt verum pallium fidei, & charitatis, ac sanctimoniæ, ab Ecclesia, & pia anima tollant: at internum, ipsa non consentiente, seu repugnante auferre non prævalent; sed semper fidelis, pura, & sancta suo sponso adhæret, nec Catholica Ecclesia vnquam consentiet, nec expoliabitur; *quia portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* Pallium verò extetius, quod ipsam ornat, aliquoties Deo permittente ad probationem aufertur, cùm persecutionibus vexatur. Tyranni enim & hæretici quibusdam in locis veræ religionis signa externa conculcant, & fideles eis vti non sinunt, vt interna auferant: de quo conqueritur sponsa cùm suprà dicit: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Nam exteriùs & in manifesto apparebat nigra sicut ipsa infidelium tabernacula; sed interiùs & in occulto erat formosa sicut Salomonis candidæ & pulchræ pelles, immò quanto vehementiùs foris præmebatur & fœdabatur persecutionibus, tanto maioribus & præclarioribus intùs fulgebat virtutibus omni fuco & imperfectione nudatis. Abstulerunt quidem ab illa pallium suum, sed nunquam potuit cogi vt acciperet pallium eorum, & falsæ religionis signa vel exteriùs vsurparet, nunquam in manu sua vel in fronte accepit characterem bestiæ, sed potiùs conculcauit, despexit, & radere conata est: quomodo etiam à virgine per violentiam ipsa repugnante auferri potest integritas corporis, sed gloriosior manet integritas mentis.

Non tamen negandum qui in Ecclesia in quibusdam suis membris hoc passa sit detrimentum, quòd tulerit ab ea pallium: quia imbecilles quidam metu vulnerum, & tormentorum amictum fidei & charitatis perdiderunt: quod & modò sæpiùs contingit, cùm aliqui in tentationibus & tribulationibus deficiunt; & ne percutiantur, aut vulnerentur in corpore, vel ne pallium alicuius boni temporalis amittant, vulnerantur in anima, & pallio charitatis nudantur. Non in se filiæ (inquit D. Ambrosius ad virgines) sed in nobis vulneratur Ecclesia. Caueamus igitur ne lapsus noster vulnus Ecclesiæ fiat: ne quis à nobis pallium auferat, hoc est amictum prudentiæ, quo molliores ambitio vestis exuitur. Qui enim mollioribus vestibus induuntur, in domibus regum sunt: nobis autem pallium dedit Christus, quo Apostolos suos & corpus suum ipse vestiuit, &c. Caue igitur ne quis à te auferat pallium charitatis, & pudicitiæ insigne, nec te periculo labendi temerariè exponas sub prętextu quærendi Christum. Qua de causa D. Hieronymus Lætam instruit vt domi contineat filiam. Nunquam (inquit) exeat foras, ne inueniant eam qui circumeũt ciuitatem, ne percutiant, & vulnerent, & auferant theristrũ pudicitię, & nudam in sanguine derelinquant.

Sed ne nimiùm nitentes humanæ prudentiæ, meticulosi, & pusilanimes simus, sciendum est multa ex Dei inspiratione ac impulsu fieri, quæ sine illa stulta viderentur, cùm tamen prosperum habeant euentum ex auxilio eius, qui permouit ad illa. Si enim corticem huius literæ inspicias, nonne genus amentię esset puellam nubilem egredi è domo noctu, & solam sine comite, per vicos ac plateas ciuitatis vagari, & vltra muros exire vociferando, & inuocando dilectum suum? Quid ergo quod custodes ciuitatis tanquam amentem eam percusserint, & custodes murorum apprehenso pallio voluerint tenere illam tanquã furore actam? Et quid hoc innuit, nisi multa à sanctis fieri ex Spiritus Sancti impulsu & directione, quæ mundus stulta & insana putat, & ideò eos persequitur, & tanquam amentes tenere, ligare, & in catcerem coniicere studet? Nam & de Christo Domino scribit D. Marcus; *Et cùm audissent sui, exierunt tenere eum; dicebant enim, quoniam in furorem versus est.* Vnde & Christianorum vita à principio stulta & amens videbatur gentibus, dum cuncta mundi prospera contemnebant, vt Christum crucifixum sequerentur: & quia abominationes Ægyptiorum sacrificabant Deo suo, lapidabantur ab illis. Mundus colebat diuitias, honores, voluptates carnis, inanem philosophiã, & vitę superbiam: hæc mactabant sancti coram ipsis, & ideò amentes reputabantur, & percutiebantur ab illis.

Sed *stultus seruiet sapienti*, vt Salomon ait, & mundus qui verè stultus est, dum persequitur sanctos, apud quos vera est sapientia, seruit illis, etsi inuitus, dum per ipsas persecutiones plurima illis adfert bona, & feruentiores reddit, vt Christum quem quærunt meliùs inueniant. Si vis tenere Christum (inquit Ambrosius) quære iugiter, nec pœnam metuas. Inter enim supplicia frequẽter corporis, inter ipsas persecutorum manus, meliùs Christus inuenitur: & ideò suprà dixit, *Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea.* exiguo enim spatio, breuique momento cùm persecutorum manus euaseris, nec succubueris potestatibus mundi, tibi Christus occurrit, nec te diu tentare patitur, sed potiùs faciet cum tentatione prouentum: de quo mox plura.

Sed quid est quod hîc non subiungit sponsa; *Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea*, sicuti in cap. 3. de vigilibus dixerat? an forte, quoniam teneri & imbecilles paululùm vexantur & probantur ne deficiant, ideóque citò illis aduenit visitatio & consolatio diuina vt vires resumant; at fortiores & perfectiores qualis nũc describitur sponsa, diutiùs tribulationibus concutiuntur, & longiùs eorum protrahitur probatio; quia sic magis purificantur, ampliùs proficiunt, & vberiùs quod desiderant posteà inueniunt. Sed quia aliena se indigentem ope sentit, ad filias Hierusalem se conuertit, vt suppetias ferant. Sed de hoc posteà.

Math.16 v. 18.

Cant.1.v.4.

Apoc.13.v 16.&.c.14. v.9.

2

Lib.3.de virginibus poſtmed.

Epiſt.7.ad Lætam idem Epiſt. 22.ad Euſtochium

3

Marc 3.v.21

Exod.8.v. 26.

Prou.21.v. 29.

Lib.3.de Virgin.

1.Cor.10. v. 13.

In 5 ſequęſt

Cant.3.v.3.

Lib 6.Exhort.5.& 8.

De percussione, vulneratione, & ablatione pallij quæ fit per Ecclesiæ custodes. §. 4.

IAM hæc verba de bonis custodibus interpretemur sicut & multi Patres. De Angelis quidẽ D. Gregorius Nissenus, Ambrosius, & alij. De prælatis verò, doctoribus, & prędicatoribus D. Gregorius Papa, Cassiodorus, Beda, Anselmus, Ricardus, & plures alij, quos suprà idem Salomon vocauit vigiles: de quorum muniis affatim in lib.6 tractatum est, vbi etiam aliqua de huius loci interpretatione dicta sunt: sed nunc nonnulla superaddemus, supponendo custodes ciuitatem Ecclesię circumeuntes, esse doctores, seu prędicatores, ac operarios Euangelicos, qui non

semper vni hærent loco, sed per plura vagantur omnium saluti procurandæ inuigilantes. Custo- A
Ita Anselmus & alij. des autem murorum dici Episcopos & maiores Præsules, qui alios inferiores prælatos & doctores dirigunt: fortè tamen non incongruè eorumdem præsulum & doctorum duplex munus hîc insinuatur. Vnum est circuire ciuitatem, & omnes vicos ac plateas, singulos fideles sibi subdi-
Prou 27. v. 23. tos inuisendo, vt agnoscant vultum pecoris sui, mores corrigant, coerceant discolos, iuuent pusilanimes, tepidos excitent, & omnes vrgeant vt in dies proficiant. Alterum est custodire Ecclesiæ muros, vt integri & illæsi permaneant. Huiusmodi autem muri sunt sacramenta & sacrificia, præcepta legis, ac consilia perfectionis, & cuncta B
quæ ad conseruationem Ecclesiæ spectant, quorum cura peculiariter pertinet ad prælatos & doctores, de quibus dicitur: *super muros tuos Ierusa-*
Isac. 62. v 2. Supra explicatus est locus iste. *lem constitui custodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt*, id est omni tempore ministerium suum implebunt.

Ministerium autem eorum tria complectitur, quæ his verbis explicantur: *Percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum.* Percutiũt quidem gladio verbi diuini, quod prædicant, & docent, maximè cùm peccantes arguunt; increpant, cùm pungunt, & vsque ad cordis intima penetrant. Nam vt inquit Ecclesiastes, *Verba sa-*
Eccles. 12. v. 11. *pientum sunt quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi.* Vulnerant cùm ardentis amoris sagittas infi- C
gunt, de quibus dicitur, *Vulnerata charitate ego sum*; vel cùm ad corporis castigationem spontaneam exhortantur, vt stigmata Iesu in ipso splendeant; vel etiam cùm probationis causa subditos increDe Confessariis explicita sunt hæc in lib. 6. exhort. 8. §. 4. patiónibus aut asperis obedientiis exercent. Pallium denique tollunt, cùm rerum terrenarum ab eis affectus auellunt, & cuncta perfectionis obstacula vt expeditiùs in Dei obsequium currant.

Sed pulchrè D. Ambrosius circa hoc pallium philosophatur, quod per tribulationes à Deo, vel eius ministris, probationis ergo inflictas, auferri dicitur, quatenus per illas primò detegitur anima puram & veram habeat sanctitatem, an verò palliatam & fucatam. Ex patientia enim vel impatientia tanquam à signo probè dignoscitur. Nam impatiens apparentem tantùm & fucatam habuisse virtutem conuincitur, & non tam virtutem quàm virtutis honorem, & sui æstimationẽ, vel voluptatem quæsiisse propriam. Nam qui veram sectatur virtutem, ab omni terreno & humano affectu nudam, his probationibus sicut aurum in fornace fit splendidior, aut eius splendor ampliùs manifestatur. Custodes (inquit Ambrosius) Lib. de Isaac c. 6. percusserũt eam vt probaretur. Exercentur enim
» animæ tentationibus; tulerunt ei pallium, quærẽ-
» tes si verum decorem nudæ virtutis afferret: vel
» quia sine integumento quis in illam cælestem ci-
» uitatem debeat introire, nulla deferens secum o-
» perimenta fucorum. Huius vestigium apparet in
» Chananæa clamante post Christum, quam ipse percussit, ac vulnerauit diro illo verbo: *Non est*
Math. 15. v. 25. *bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*; quo vulnere abstulit pallium, seu tegumentum eximię humilitatis, fidei, & constantiæ, quæ in ea latebat, vt hoc exemplo omnes proficerent. Mox enim tanto feruore has propalauit virtutes dicens, *etiam Domine. Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensis dominorum suorum*, vt Dominus dixerit ei: *O*
Vbi suprà. *mulier magna est fides tua.* Magna submissio & constantia tua, fiat tibi sicut vis. Præterea cùm sancta

Quadruplex bonũ ex ablatione pallij. D

anima virtutes suas occultare satagit, quasi pallio quodã ac velamine se tegens, ne eius pulchritudo & sanctitas hominibus fiat manifesta, his & tribulationibus & probationibus fit vt pallium istud auferatur, & virtus omnibus pateat, tunc enim tã splendidos emittit radios, vt ab omnibus conspiciatur, & Deus in ea glorificetur, plurimúque heroico eius exemplo proficiunt. Deinde cùm sancta anima vehementer cupiat penitus exuere veterem hominem cum actibus suis, nec quicquam illius in ea permanere, hoc percutientes & vulnerantes efficiunt, dum hac via pallium vel etis Adã omnino tollunt. Sunt etiã (inquit ille) qui requirant. Neque anima exuuias secum vehat carnalis illecebræ, & concupiscentiam corporalem, nudatur pallio cùm eius conscientia manifestatur. Sed est quæ bene nudatur, cui licet imitari dicentem. *Venit enim princeps huius mundi, & in me inueniet nihil,* Ioan. 14. v. 30. quia certè in illo solo nihil inuenit, qui peccatum non fecit. Beata & illa est in qua non grauia, aut multa inuenit, sed inuenit in ea amictum fidei, & sapientiæ disciplinam, quam auferre non potest nisi ipsa velit. Hæc Ambrosius.

Sed adhuc subtilius, etsi difusius philosophari videtur D. Nisenus dicens verba ista sponsæ, *per-* Hom. 12. in Cant.
cusserunt me &c. non esse lugentis, sed iactitantis sese ob res pulcherrimas; quia ablatum est ab illa pallium, seu velum, quod clariorem sui sponsi cõtemplationẽ impediebat. Putabat (inquit) se nudam esse cum dixit: *Expoliauerunt me tunica mea, quomodo induar illa?* Hic dicit se habere peplum, seu pallium, quo vna cũ capite faciem quoque obuelat; quo significat quantum ab eo tempore in sublime pergendo profecerit. Nam quæ veterem tunicam exuerat, & ab omni pallio immunis erat, ita fit pura, vt hac recenti puritate ad præcedentem comparata, non ante hac exuisse pallium videatur, sed rursus inueniat post nudationem priorem quod deponat. Custodes autem circumeuntes ciuitatem verberando, ac vulnerando peplum adimunt, vt oculus liberatus à velamine, pulchritudinem desideratam absque impedimento intueatur. Alludit Nisenus ad id quod dicit Apo- 2. Cor. 3. v. 13. & 18.
stolus, nos iam ablato velamine reuelata facie gloriam Domini speculari, in eandemque transformari imaginem, quasi per percussionem auferatur velamen, quod animã tegebat, ne ita distinctè & clarè Dei maiestatem, & eius pulchritudinem posset intueri. Vnde percussio hæc valde (inquit) salutaris est, quę à morte liberat, iuxta illud quod de iuuene dicitur, *si virga percusseris eum, non* Prou 23. v. 13.
morietur, tu virga percutics eum, & animam eius de inferno liberabis, & vates ait Deum eradendo viuificare, & Dauid non vulnus, sed consolationem Deut. 32. v. 39.
oriri de huiusmodi virga testatur, cùm ait: *Virga* Psal. 22. v. 4
tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Bonum igitur est virga, etsi quæ tantorum bonorum fertilitatem, & copiam contineat. Addit tamen hanc E
percussionem potissimè fieri à Deo, qui est omniũ custos, sine quo frustra vigilant qui custodiunt ci- Psal. 126. v. 1.
uitatem. Hęc vberius Nisenus prosequitur, & extendi possunt ad omnem percussionem, & vulnerationem à quouis quocumque animo siue paterno, siue hostili factam, quę tamen ex Dei prouidẽtia prouenit, omnes tribulationes, & probationes moderante, vt stimuli sint electis suis ad auferendum quodcumque velamen, & impedimentũ, vel contemplandi diuina, vel expedite currendi post Christũ, & in virtute progrediendi: ad quod potissime destinatur munus tum Angelorum, tum

prælatorum, & doctorum circa electos: quod & A
persecutores etsi inuiti etiã præstãt. Quamuis autem anima Deum inueniendi cupida percutiatur, & vulneretur, maximamq; patiatur afflictionem, cùm videt plenè se cõsequi nõ posse quod desiderat: verũtamen (inquit Nisenus) admittur ei hoc
Hom. 12 ad finem. mœroris pallium, dum discit verã desiderati fruitionem esse semper inquirendo proficere, neque vnquã in progressu cessare, semper ea cupiditate, cui quouis tempore satisfit, aliam cupiditatẽ sublimiorem gignente. Vtinam sedulo & iugiter ita progrediamur, donec plene tribuat nobis Domi-
Isa. 61 v. 3. Psal. 83 v. 5. nus pro spiritu mœroris pallium laudis, quod nunquam auferatur à nobis. Nam beati qui habitant in domo tua Domine in secula seculorum laudabunt te, qui es laus, & beatitudo nostra, nunc & B
semper, & in æternum. Amen.

EXHORTATIO XVII.

Pro Festo Angelorvm, vel omnivm Sanctorvm.

De implorando suffragio Angelorum, & iustorum, siue qui in cælis, siue qui nobiscum sunt in terris, & quis fructus inde sequatur.

V. 8 Adiuro vos filiæ Hierusalem, *&c.*
V. 9 Qualis est dilectus tuus ex dilecto, *&c.*

PERTRANSIENS Sponsa C
custodes ciuitatis, & murorum, filias Ierusalem obuias habuisse perhibet, quas alloquens inquit: *Adiuro vos, filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis illi, quia amore langueo.* Emphasim autem maiorem habet LXX versio dicens, *Aduraui vos, filiæ Hierusalem, in virtutibus & viribus agri, si inueneritis fraternum meum; quid annunciabitis ei? quoniam vulnerata*
Lib 4. exhort 37. & 38 & 39. *charitatis ego sum.* Quę dicantur filiæ Ierusalẽ, quæ sit ista adiurandi forma, quis languor amoris, & D
vulnus charitatis, copiosè circa caput 4. Cantici, vbi similia verba habentur, tractatum est. Præter
In id *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo &* Exort. 42. Psal. 83. v. 1. quæ peculiarem nunc perfectionis doctrinã, quæ sub hoc cortice latet, enodabimus, aduertẽtes hęc verba posse bifariam intelligi, & de languore quẽ efficit vehemens desideriũ proficiendi & placendi Deo, éque omninò adhærendi per intimã cordis vnitionem, vel videndi ipsum clarè in gloria, iuxta illud Psalmistæ, *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* De vtroque autem procedent quæ nunc dicemus.

De vehementi amore Dei, & virtutibus illi annexis. §. 1.

ET imprimis mirabilem contemplare sponsæ, E
piæque animæ virtutem, quæ sodales suas alloquens nullam querimoniam prætexit, nec de sponso à quo frustrata videtur, nec de custodibus à quibus percussa est, vulnerata, & expoliata; nec de propria defatigatione in quærendo, vel de rore, & guttis noctiũ ac glacie quæ tunc premebat, nec etiam excusationem affert, vel rationem reddit eius quod insanum videtur, vt fœmina nubilis & honesta sic nocte vagetur, & clamet. Sed horũ omnium oblita, suum dumtaxat amoris languorẽ, & charitatis vulnus narrat, nec ista annunciari dilecto suo petit, vt illum placet, & ad se trahat; nõ enim ait, nunciate ei quia vulnerata à custodibus sum, sed quia ab ipso qui est meus amor, & mea charitas sum vulnerata, & præ illi⁹ amore deficio.

Et ne videatur hæc temerè dixisse, sed magna adhibita deliberatione, quasi intra se conferens quid dicendũ sit, vtitur verbo Hebreo, quod dubitationẽ innuit, & LXX vertunt: *quid nunciabis ei?* Hoc cupio vt nuncietis, non quæ ab aliis recepi vulnera, sed mei vulnus amoris. Illa nihili duco, iacturam mei honoris vilipẽdo, hoc vnum doleo si illum offensum habeo, si à me ob ingratitudinẽ meam recessit. Hoc vnum nunciate, quia amore lãgueo, & vulnerata sum, nã in hoc vulnere omnia vulnera continẽtur; quæ ille facilè nosset; anima enim quæ diuino amore saucia dilectum quærit, quia omnes Dei hostes contra se prouocat, non potest non multa pati ab illis.

Quatuor igitur virtutes in his verbis insinuãtur, B 1
quę nobis magnificiendę, & optãdę sunt. Prima est vehementia amoris quæ omniũ aliarum rerum obliuionem efficiat, & animam languentẽ ad terrena, cęlestium desiderio fauciam, & Dei vnionẽ ac præsentiam ardenter sitientem reddat; quæ denique totũ cor, totam animam, totam mentem, & omnes vires rapiat vt in Deum transferat. Hinc oritur inuicta patiẽtia, quę omnes persecutiones, dolores, & ignominias pro dilecto quęrendo amplectitur, per illasque transit & irrumpit, ac si nihil pateretur, nec detineretur ab illis, sed potiùs vrgetur, vt dilectum quærat. Primũ enim charitatis in- 1. Cor. 13. v. 4.
signe est quod sit patiens, & quod multæ tribulationum aquæ non obruant illam. Hinc prouenit quædam mirabilis fiducia in dilecto suo, cui hoc solum cupit nunciari, quod amore languet: certò enim confidit hoc sat illi esse ne eam deserat. Ideo non ait, nunciate illi vt citò veniat, & mihi opituletur, quia amore langueo, sed tantùm quia charitatis vulnerata ego sum: admodũ quo sorores Lazari miserunt ad Christum Dominum qui ei diceret: *Ecce quem amas infirmatur.* Quarta denique Ioa. 11. v. 2.
omnimoda est & plenissima resignatio in dilecti voluntatem, in quam omnino transtulerat suam. Propter quod neque petit quod celeriter veniat, vel se inueniri sinat, vel de custodibus ipsam persequentibus vindictam sumat; sed omnia eius cõmittit voluntati; hoc solo contenta, vt sciat quod eius amore languet, & quod illi soli placere desiderat. Propter quod etiam non ait modo sicut Cant. 2. v. 5.
priùs dixerat, *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Nam tunc tenera erat, & imbecillis adhuc in amore, ideoque fulcimentis florum & malorum indigebat; nunc verò ad vehementiorẽ amorem prouecta, nullum fulcimentum requirit; sed sola sui dilecti præsẽtia stipari desiderat, prius adhuc desiderabat viuere vt amplius dilecto insetuiret, & pro ipso pateretur, & ideo ne amoris Nota.
languore vita deficeret, fulciri floribus & stipari malis expostulat: nunc autem potiùs cum Apostolo cupit dissolui, & esse cum Christo; & ideò E
nihil de prolonganda vita curat, sed ipsi Deo id committit, inquiens, *Nunc magnificabitur Christus* Ad Philip. 1. v. 20.
in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem; mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. Etsi autem desiderium habeam dissoluendi, & esse cum Christo, sat est mihi vt sciat ipse desiderium meũ, & quandiu voluerit permanebo, quærens illum. En sublimẽ resignationem, sed non facilem his qui vehemẽter diligunt, & ardenter Dei præsentiam quęrũt: cuius absentia valdè eos torquet. nam spes quę differtur, affligit animam, sed hanc afflictionẽ libenter tolerant, quandiu sponsus non se manifestat, quia proprię voluptati illius præferunt voluntatem.

De inuocatione Angelorum & Sanctorum. §. 2.

SED alias præclarissimas virtutes sponsæ contemplemur in eo quod filias Ierusalem alloquitur. Primò enim se conuertit ad filias cœlestis Ierusalem, angelicas, s. hierarchias, & beatorum animas, qui diuinæ essentiæ pacifica visione fruuntur, & illas orat vt desiderio suo dilecto annũtiẽt.

Constat enim ex Scriptura angelorum munus esse nostras preces, vota, desideria, & opera Deo nunciare, & offerre, vt satis indicant verba illa quæ habentur in libro Iob: *Si fuerit pro eo Angelus loquens vnus de millibus, vt annunciet hominis æquitatem, miserebitur eius*, &c. Angelus loquens & angelus intercessor, aduocatus, & patronus noster, vn⁹ de millibus, quia millia millium ministrauit Deo, & quilibet ex illis sat est ad intercedendum: sed quiliber est vnus de millibus, id est vnus selectissimus inter plurimos. Huius munus est annunciare Deo hominis æquitatẽ, iusta vota, desideria, & opera, non quòd Deus hoc nuncio indigeat, qui omnia nouit, & corda ac renes scrutatur; sed vt inquit D. Hilarius, infirmitas nostra ad rogandũ & promerendum spiritualis intercessionis ministerio indiget: vnde Raphael Angelus Thobiæ dixit: *Quando orabas cum lacrymis, & sepelichas mortuos, &c. ego obtuli orationem tuam Domino.* Et Angelo habenti thuribulũ aureum data sunt incẽsa multa, *vt daret de orationibus sanctorum.* Cùm autem preces offerunt, & desideria nũciant, rationes etiã Deo allegãt, vt nos exaudiat, & suas preces nostris cõiungunt, vt frigidiores calidioribus, & ignauiores efficacioribus adiunctæ meliùs exaudiãtur: & tamen quo preces nostræ feruentiores sunt, & ardẽtiora ac putiora desideria, eo libentiùs illa Deo annunciant, quoniam maiorẽ inueniunt hominis æquitatem, quam gratam esse Deo sciunt. Nulla autem maior est æquitas, nullum feruentius desiderium, quàm quod spõsa illis proponit, cùm ait, *vt nuncietis ei, quia amore langueo*: Vnde nihil sic libenter & hilariter Deo nunciant ac istum amoris langorem, & vulnus charitatis; quare summoperè curare debemus preces nostras ex hoc vehemẽti amore procedere, vt libẽter ab Angelis Deo offerantur; hoc enim significat orationes sanctorum quas angelus in thuribulo offerebat, vocari incẽsa, ad modũ quo thus & thymiama super ignis prunas incenditur vt fumus eius ascendat.

Pia igitur anima quæ hoc amore flagrat, & humiliter de se sentiens propriã agnoscit imbecillitatem, intercessores quærit ad filias cælestis Hierusalẽ conuertitur, & illas orat vt dilecto suo sua desideria annunciẽt, vt sic citiùs eum placet, & ad se trahat, sicut ad sanctũ Iob dixerat quidam amicus: *Voca, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere.* At sponsa non ad vnum sanctorũ, sed ad plures filias Ierusalem se conuertit, vt multiplicatis intercessoribus citiùs exaudiatur.

Nec segniter sanctos orat, sed nimis ardenter, cùm ait, *adiuro vos*; Adiuratio enim & obtestatio per ea quæ cuique grata sunt, vehementẽ indicant obsecrationem: nam *cũ obsecrationibus loquitur pauper*; eius enim inopia & desiderium eleemosynæ impellit eum humiliter, sed instanter petere, & per sacra quędã alios adiurare. Ad hoc etiam spectat quod non adiurat ciues, & viros Ierosolymitas, sed filias Ierusalẽ; nam quia fœminæ proniores sunt ad compassionẽ & misericordiam, beatos qui nimis sunt misericordes, vt eos ampliùs moueat filias vocare maluit, ac si dicat; O vos filiæ Ierusalem, quæ iam vestro sponso Deo fruimini, & cum eo nuptias celebratis, nũciate dilecto meo quia ego langueo amore ipsius, & desiderio fruẽdi eo quem iam vos possidetis.

Sed cur ait *si inueneritis dilectum meum*? siquidem præsentẽ illum semper habent: *nam angeli eorũ semper vident faciẽ patris mei qui in cœlis est.* At quamuis sancti semper Deum videant, non tamen semper inueniunt aditum ad orandũ illum pro quibuscũque hominibus, imò cùm aliquos Deus decreuit deserere, vel punire, sanctos suos auertit ne orent pro illis; ad modum quo dixit Ieremiæ: *Noli orare pro populo hoc*, &c. *quia non exaudiãte.* & per Ezechielẽ inquit: *si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas, filium & filiam non liberabunt*: id est eos quos propter sua peccata vltimo supplicio decreuit mulctare. Sponsa igitur, quia humilis erat, & pristinam suam ignauiam, & moram in mentem reducebat, sanctos orans ait; *si inueneritis dilectũ meũ*, id est, si vobis fuerit permissum pro me loqui, & intercedere apud ipsum. Hic autem spiritus humilitatis maxime decet orantes, etsi perfecti sint. *Nam beatus vir qui semper est pauidus*, præcipuè si conscius sibi est alicuius præcedentis negligentiæ quam Deus punire solet obturando aures suas ne audiat orationes nostras. Veluti quia Moyses, & Aaron non sanctificauerunt Deum ad aquas contradictionis, non intrauerunt in terram promissionis; nec Moyses oratione id potuit obtinere. Non ergo sine causa, particula, *si*, quæ dubitantis est, additur, *si inueneritis*, vel vt apud Iob dicitur; *vocа si est qui tibi respondeat*, non quia de diuina dubitandum sit misericordia, sed de nostra culpa ne forte propter illam exauditio differatur.

Sed versio LXX aliud sonuit mysteriũ, *adiurauí vos* &c. *si inueneritis fraternum meum.* Cum inquit adiurauí, denotat sæpius adiurasse, imò & consuetudinem hanc habuisse: iusti enim non semel, aut iterũ, sed crebrò sanctos rogant, vt pro ipsis orẽt, & hanc in animo insitam habent consuetudinem, vt eorum patrociniis adiuuentur. in eo autẽ quod ait, si inueneritis fraternum meum, Christum significat Deum & hominem, qui vt homo frater noster est, aduocatus, patronus, & mediator; cui⁹ nomine oramus, & cuius meritis impetramus postulata; & ideo suum languorem ei nunciari cupit, nam voluit fratribus assimilari, vt misericors fieret, & compateretur languoribus nostris. *Quia verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Probe autem nouit vnicuique languori propriam adhibere medicinam. Si languor est noxius, vt eum auferat: si verò est salutaris, sicut languor amoris, vt eũ perficiat, & desideriũ expleat.

Ex his deducimus in hac sponsæ prece omnes perfectæ orationis conueniſſe proprietates. Fuit enim instans, & vehemens, humilis etiam & submissa, valde fida, & resignata. Ideoque repulsam non est passa vt post videbimus; huiusmodi enim preces, & si ad sanctos dirigantur, libenter exaudiuntur à Deo. Si enim filius à Patris sui amico peteret vt pro ipso apud Patrẽ intercederet ipso patre vidente, & audiente precum instantiam, & feruorem, citra dubiũ preces huiusmodi paterna viscera cõmouerent, vt eas exaudiret, etsi ad amicum dirigerentur; quoniam tacitè diriguntur ad ipsũ. Cùm igitur pater noster cælestis qui vbique est præsens, videat & audiat preces quas instanter ad sanctos fundimus vt intercedant pro nobis, clementer exaudit nos, & quod postulamus affluenter, elargitur cùm expedit nobis

De petitione

De petitione orationum à iustis quibuscum degimus. §. 3.

ADHVC admiratio ista referri potest ad filias Ierusalem terrenæ, seu Ecclesiæ militantis. Pia enim anima amore languens, non tantùm cælicolas orat, sed & terrigenas insigni sanctitate pollentes, vt etiam ipsæ Deo eius nuncient langorem, & offerant desiderium, deprecantes illum vt eius misereatur. Nouit enim sponsum charissimos amicos habere in terris, quorum intercessio multùm apud ipsum valet. Vnde regi Abimelech commendans Deus sanctitatem serui sui Abrahæ dixit: *Propheta est, orabit pro te, & vines.* & propter eius orationem pepercisset Sodomæ, si decem iusti inuenirentur in illa: & forte pro minori numero iustorum pepercisset, si orare nõ cessasset. Amicis etiam sancti Iob dixit: *Iob seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, ne vobis imputetur stultitia.* Et D. Iacobus monet infirmos vt inducant presbyteros Ecclesiæ qui orent pro illis; & insuper omnes pro se mutuo orare hortatur, dicens: *Orate pro inuicem vt saluemini, multùm enim valet deprecatio iusti assidua.* Quare per filias Ierusalem non solùm insigni sanctitate pollentes, sed quaslibet iustas animas intellige, quas sponsa deprecatur, maiores, perfecta imperfectas; tum quoniam seruat Apostoli consilium dicentes, *Per humilitatem superiores inuicem arbitrantes*, & ideo se omnium minimam putans aliis, & si reuera minores, tamen obsecrat tanquam maiores: tum vero quoniam Christus cui summè placet humilitas, exaudiet minorem, propter humilitatem maioris qui ei se submisit, & eius preces efflagitauit. Vnde Apostolus Paulus ab omnibus fidelibus orationẽ subsiduam efflagitabat, & adiurando petebat. *Obsecro* inquit, *vos fratres per Dominum Iesum Christum, & per charitatem Sancti Spiritus vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.*

His etiam verbis commendatur consuetudo piarum mentium, quæ dum iustos insignes prope mortem existentes vident, eorum se orationibus commendant cùm ad Dei conspectum peruenerint. Et hoc est quod dicitur, adiuro vos, ô filiæ Ierusalem, quę iam ad cælestem patriam tenditis, vt si inueneritis dilectum, & faciem eius desideratam conspexeritis, nuncietis ei languores meos vt medeatur illis.

Iuxta hunc sensum Rupertus hæc verba Deiparæ aptat dicenti ad sanctos viros & fœminas cum quibus habitabat; Adiuro vos, ô filię Ierusalem, vt si ante me è corpore exieritis, & videritis dilectum filium meum, dicatis ei quia vehementi desiderio eum videndi langueo. Addit tamen Rupertus hęc Deiparam dixisse non vt filio notum eius desiderium fieret, quem nihil latet, sed quia charitate erga proximos flagrabat, & eos eodem amoris vulnere sauciare cupiebat, vt conspicientes in ea tam vehementem videndę patrię cęlestis ardorem, aliquid simile ipsi conciperent.

Vnde dubium non est quin maiores multùm suo exemplo minoribus prosint cùm ab eis orationes petunt: nam ab eis discunt humilitatem quæ inferioribus se subiicit, & alias virtutes quæ verbis suis manifestant dum illos alloquuntur: & sicut D. Paulus in epistolis ardentia sua fidelibus manifestabat desideria, vel patiendi pro Christo, vel lucrandi proximos, vel dissolutionis suæ vt esset cum Christo, & alia eiusmodi, non quidem ex inani gloria, vel iactantia, sed vt fideles illa audientes, & contemplantes, similia desideria in se excitarent, ac instar ipsius omnia contemnerent, & arbitrarentur sicut stercora vt Christum lucrifacerent. Sic sancti viri iam perfecti, & qui aliorum curam gerunt, multoties prudenter coram illis suos inflammatos affectus patefaciũt, vt suo igne alios inflammet, & suo vulnere alios vulnerent: sic & sponsa filiabus Ierusalem suum amoris languorem manifestat, vt ipsę etiam concupiscant dilectum suum agnoscere, & totis viribus diligere, quod & consequuta est. nam mox responderunt ei: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto quia sic adiurasti nos?*

Quomodo sancti nos stimulent ad laudandum Deum, & cognoscendum illum. §. 4.

RESPONSVM continent verba ista filiarum vtriusque Ierusalem, quamuis non eodem modo sint illis aptanda. Cælicolæ enim, etsi probe qualis sit Deus & Christus nouerint, tamen tanquam ignaræ & noscendi auidæ qualis sit dilectus ex dilecto interrogant, id est qualibus virtutibus ornatus, quas eximias prærogatiuas, & quæ insignia præ cęteris dilectis habeat, quibus ab aliis secernatur. Hoc autem interrogant, vt ei laudandi Deum occasionem præbeant, & manifestandi magnificentissimum, quem de ipso conceptum formauit, vt sic etiam vehementior accẽdatur amoris flamma. Nam sicut dicitur: *Da sapienti occasionem, & sapientior erit*: ita si damus amanti occasionem, vehementiùs amabit. Tum verò vt ipsi qui ardenter etiam eundem sponsum diligunt, ex hac auditione & commemoratione laudum, magnam percipiant iucunditatem. Quam insinuant dum non tantùm semel, sed bis idem interrogant, vt sic etiam eam amplius stimulent. Qua etiam de causa vocant eam pulcherrimam mulierum; ac si dicant. Cùm te nouerimus pulcherrimam inter mulieres, & inter sanctas sanctissimam, scimus te pulcherrimum elegisse sponsum, quem anima tua sic diligit, sed nuncia nobis qualis sit, vt id ex ore tuo audiamus.

Sed dum sponsum vocant *dilectum ex dilecto*, materiam laudis administrant insinuantis (vt Patres dicunt) Christum verum esse Deum ex Deo, à Patre dilecto filium dilectum; de quo dixit Pater: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Nam sicut à Patre recipit eandem Deitatem, ita eandem dilectionem qua diligitur, & diligit. Vnde qui diligit filium, diligit & patrem; & vterque est nobis vnus dilectus. Quia tamen Christus simul est homo, non interrogant modò de humana natura, sed de persona quę Verbum est Dei, vnde omnis laus & magnificẽtia spõsi procedit. Sciunt enim ipsam inde ansam arrepturam, vt vtramque in illo naturam laudet, sicut & mox fecit, aut forte in priori interrogatione primam insinuant Christi generationem æternam, in secunda verò temporalẽ ex Virgine de Spiritu Sancto obumbrante, vt D. Nilenus insinuat.

Sed cur cælestes Hierosolymitæ non annuerunt statim sponsæ adiurationi, dicentes; nunciabimus vtique dilecto tuo languorem tuum: sed moras prætendũt, interrogãtes qualis est dilectus tuus? quasi dicant hoc primũ dicito, vt postea nunciemus ei. Sed miro id artificio egerũt, vt ipsa per

multiplicatos amoris ingentes æſtus, amplius in amore proficeret, & dignior ex auditione fieret; quot enim protulit ſponſi laudes, tot flammigeros affectus deprompſit, qui magnam precis vim habent, & ad aures ſponſi cœleſtis feſtine perueniunt; nos autem valde decet cælicolas iſtos in eo imitari, quòd auidi ſemper ſimus audiẽdi diuinas laudes, omnesque ad Deum laudandum ſtimulemus; occaſionesque ad id opportunas aliis præbeamus. ad modum quo regius vates poſtquam
Pſal.33.v.1. dixit: *Benedicam Dominum in omni ſemper laus eius in ore meo*; ſubdit, *audiant manſueti, & lætentur. Magnificate Dominum mecum, exaltemus nomen eius in id ipſum.*

1. Explicatio. Sed & aliud hîc inſinuatur conſilium vt magiſtri ſpirituales ac pręſules, cùm ardentes aliorum affectus audiunt, non ſtatim ſine præuio examine probent, annuant, & quod petunt elargiantur; ſed
2 Ioan. 4. v.1. priùs examinent, ſicut ſcriptum eſt: *Nolite credere omni ſpiritui, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.* Tunc autem interrogare oportet: *qualis eſt dilectus tuus ex dilecto?* id eſt indica nobis quale eſt id quod diligis? & quas radices in anima habeat, vndeque tua hæc dilectio procedat? nam ex reſponſo & verbis, tanquam ex quibuſdam notis & indiciis verus dilectus dignoſcetur, & ſecernitur à falſo. Vnde tres Patres apud Theodoretum, notant duplici interrogatione iſta, denotari duplex imminere animæ periculum errandi, tum in contemplando, tum in agendo, vel mendacium pro veritate amplexando, vel vitium pro virtute; ideóque ex notis & ſignis quæ hîc Eccleſia præſcribit de ſponſo ſuo, quid de illo ſentiendum ſit, quid in illo contemplandum, quid pro eo agendum deducere debemus ad gloriam ipſius in ſæcula ſæculorum, amen.

Pro Cathedra S. Petri circa Evang.

PARS TERTIA

LIBRI OCTAVI.

De præcipuis Chriſti Domini inſignibus ad dignoſcendum ipſum, & ſecernendum ab aliis.

EXHORTATIO XVIII.

Verſu 9.

De deſiderio cognoſcendi qualis ſit Deus & Chriſtus, à quo, & quomodo ſit quærenda hæc cognitio.

Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum?
Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto quia ſic adiuraſti nos?

DIALOGVS iſte inter ſponſam & filias Ieruſalẽ duplicem nobis repræſentat Eccleſiæ partem, & vtriuſque munus, & deſiderium. Alteram docentem, diſcentẽ alterã. Illa omnes præſules, doctores, & cõcionatores cõplectitur, quorũ perſonã ſponſa gerit: hæc reliquos fideles, necnon & Catecumenos, quorũ vices obeunt filiæ Ieruſalem. Ad illos ſpectat inſtar ſpõſę, domi quietẽ & trãquillitatẽ qua Deo vacãt & ſuis profectibus tãtũ attendunt, ad tẽpus relinquere, & vagari per vicos & plateas excitantes filias Ieruſalẽ, quæ dormiũt, & animas fideliũ prouocare vt Deũ quęrant, donec perfectè inueniãt; hoc enim denotat clamor ille ſpõſæ; *Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectũ meũ*, vbi tacitè eas exhortatur, quòd exeant ad quærendum illum, alioqui quomodo inuenirent niſi exirent vt quærerent? Si autem fortè inuenirent (quia nõ omnes ob earum ſocordiam eum inueniunt) clamat, & petit vt dilecto proponant languorem ſuum, id eſt vehemens deſiderium quod habet tum gloriæ ipſius dilecti, tùm ſalutis ipſarum: (ita tres Patres apud Theodoretum) ac ſi diceret; ideo vos exhorto illum quærere, quia charitate erga vos ſum ſaucia, & veſtram ſalutem exopto ad gloriam mei ſponſi, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Filiæ autem Ieruſalem hoc clamore excitatæ duplicem faciũt interrogationem; ſed ſecundam poſtquam reſponſum eſt ad primam. Ad vtramq; autem ſponſa reſpondet, & plenè eas ſuo ordine inſtruit. Prior interrogatio eſt, *qualis eſt dilectus tuus? &c.* qua ſuum primum deſiderium, quod eſt totius ſalutis initium permanens vſque ad conſummationem, ſignificant; nempe ſcire qualis ſit dilectus, & omnes eius proprietates. Ad quod pleniſſimè ſponſa reſpondet, diſtinctè enumerãdo ſingulas. Quibus auditis, amore dilecti exardeſcentes, poſteriorem faciunt interrogationem, quæ finis eſt & fructus prioris, & in qua ſalus conſumatur: nimirum, *quo abijt dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quo declinauit dilectus tuus, & quæremus illum tecum.* quo alterum deſiderium exprimunt ſciendi vbi, & quomodo dilectum poſſint inuenire, offerentes ſe promptas ad quærendum illum ſimul cum ipſa ſponſa; quæ huic interrogationi etiam plenè prout oportebat ſatisfecit, dum in exordio capitis ſexti ait, *dilectus meus deſcẽdit in hortum ſuum &c.* Verſu 17.

Modus rectè interrogandi neceſſaria ad ſalutem, & reſpondendi. §. 1.

HINC conſtat mira Chriſti diſpoſitio circa hominum ſalutem procurandam: venit enim è cælo propter nos, congregauit apoſtolorum & diſcipulorum Eccleſiam quam exhortatus eſt, vt ſurgeret ad aperiendum illi corda hominum, in quæ per fidem & charitatem introire cupiebat. Cùmprimùm autem ipſa egredi cępit vt aperiret, ipſe declinauit, & tranſiuit, quia ad Cœlos vnde venerat reuerſus eſt (ſic hanc declinationem, & tranſitum interpretantur Rupertus & Philo Carpathius.) Poſt aſcenſionem autem Chriſti cępit Apoſtolorum & diſcipulorũ Eccleſia perambulare omnes regiones non tantùm Iudæorũ, ſed & gentiũ, excitans per prædicationem filias Ieruſalẽ, id eſt animas

ad Dei viſionem creatas, & ab ipſo præelectas vt in eum crederent, & eum diligerent, eique obſequerentur. Quod & Apoſtolorũ ſucceſſores, tum Epiſcopi & Prælati, tũ Magiſtri & Doctores, ac Pręedicatores quotidie proſequuntur: Qui dum amore Chriſti languent, & charitate ipſius vulnerati ſunt, etiam languent, & vulnerãtur amore ſalutis animarum, propter quas Chriſtus mortuus eſt: & hunc ſuũ languorem qui nõ eſt ad mortem, ſed ad vitam, in omnes transferre cupiunt, vt omnes Chriſtum quærant, & ſalui fiant. Hoc autẽ & ſi potiſſimùm ex ipſius Chriſti gratia, fauore, & auxilio proueniat, quia tamen humanam requirit cooperationem, tam eorum qui docent, quàm eorum qui diſcunt; quomodo vtrique ſuum munus gerere teneantur explicare oportet, ſacri textus ordinem ſequentes.

Et quidem filiæ Ieruſalem, id eſt animæ à gratia præueniente excitatæ, ſuæ ſalutis, vel perfectionis auidę, à ſponſa & doctorum cœtu inquirunt: *qualis eſt dilectus tuus &c.* quo ſuum vehemens exprimunt deſiderium cognoſcendi qualis ſit dilectus & ſponſus Chriſtus Dominus. Forma autem in-
1. terrogandi, quæ diſcipulos & fideles valde decet, his verbis pręſcribitur. Primò enim interrogatio fuit breuis, & paucis verbis, cùm tamẽ ſponſæ reſponſio longa fuerit, multiſque ſententiis protra-
Eccleſ.32.v.4.& 10.& 12 cta, iuxta illud; *Loquere maior natu, decet enim te. Adoleſcens loquere in cauſa tua vix. Audi tacens ſimul & quærens.* Nã ad diſcentẽ magis ſpectat tacere, & audire, eaque ſolùm interrogare quæ ſcire cupit, ſed breuiter, quoniam prudens magiſter perfectè nouit quid opus habeat, & ſat eſt illi dubium inſinuare. Nam & Chriſtus Dominus cùm duode-
Lucæ 2. v. 4. 6. cim eſſet annorum, quia eorum qui diſcunt in tenera ætate perſonam agebat, erat in medio doctorum audiens & interrogans illos, & ſi etiam quia magiſter ſimul erat, reſponſa ſtupenda ad interrogata dabat.

2. Pręterea interrogatio hæc & ſi breuis, nõ tamẽ ſegnes & remiſſa, ſed auido ardentique animo facta, vt ſic magiſtrum ad reſpondẽdum & docendũ vehementiùs ſtimulet; ardor autem iſte animi gemina eiuſdem interrogationis repetitione manifeſtatur. Bis enim dicunt *qualis eſt dilectus tuus ex dilecto!* quo etiam inſinuant plenè ſe velle edoceri de omnibus quæ ad dilectum ſpectant, magnamque huius doctrinæ habere æſtimationem.

Lib. 2. de Virginibus 3. Et quoniam teſte D. Ambroſio, primus ardor diſcendi nobilitas eſt magiſtri: ideoque quanti ſponſam faciant, & quantum magiſtram reuereantur, & venerentur oſtendunt, cùm dicunt; *O pulcherrima mulierum*, id eſt quæ omnes mulieres pulchritudine excedis, imò omnes alios ſuperas decore ſapientiæ, & prudentiæ, ſanctitatiſque ſplendore. Quo etiam beneuolum reddunt docẽtem, vt grato animo doceat, nec docendo laſſetur; nam ipſi etiam ſe paratos præbent ad audiendum, non fictè, & doloſè, ſed corde ſimplici & docili, vt veram doctrinam aſſequantur. Quod filiæ Ieruſalem opere ipſo comprobarunt, dum vniuerſam ſponſæ reſponſionem, & eruditionem magno ſilentio auſcultarunt, non interrumpentes ſermonem longum donec ipſa finiret, iuxta illud;
Eccleſ. 32. v. 9. *Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia*: id eſt pro reuerentia quam erga magiſtrum oſtendis audiendo & tacendo, erit tibi à Deo hęc bona gratia, vt docentem percipias, doctrinam amplectaris, & gratiam Dei, quę ſola per antonomaſiam bona gratia nuncupari poteſt, inuenias, qua illi ſemper placeas.

Tandem vt ſponſam magis ad reſpondendum alliciant, rationem vltimam afferunt, dicentes; 4.
Quia ſic adiuraſti nos: ac ſi dicant, Tua nos pręedicatio, & exhortatio pręuenit, excitauitque à ſomno, & dilecti tui nonnullam notitiam dedit; age iam, perfice quod cæpiſti, & doce nos qualis eſt dilectus tuus. Quia enim ipſum deperis, adiuraſti nos cupiens nos etiam eum quærere, & inuenire, ac coram ipſo dignè apparere. Dicito ergo qualis ſit, quia nec amãtem id latebit, nec moleſtum erit id narrare. Hoc etiam monemur maximè oportere vt magiſtri ſe propenſos oſtendãt ad docendum; inde enim diſcipuli animum capiunt ad interrogandum, & diſcendum: quem tamen deſpondent cùm magiſtrum moleſtè docentem vident.

Quàm neceſſarium ſit cognoſcere Deum, & Chriſtum. §. 2.

IAM quàm neceſſarium & expediens ſit quod interrogatio hæc ſuggerit, explicemus. Meritò 1.
enim vehementer ſcire appetunt qualis ſit dilectus, quoniã ipſemet teſtatus eſt: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*: i. hæc eſt cauſa vitæ æternæ, & hac ſolâ viâ perueniendum eſt ad illam, nempe credendo, & cognoſcendo te vnicũ Deum verũ qui ſolus es Deus. nam cæteri ſunt falſi dij: & quem miſiſti Ieſum Chriſtum eſſe etiam Deum ſolũ verum, quia vnus eſt Deus cum Patre. Ita enim ferè ſancti Patres antiqui interpretantur contra Ariũ. Vita igitur æterna inchoatur à fide diuinitatis, quæ verè tantùm vna in tribus diuinis perſonis inuenitur, & à fide myſterij incarnationis, quo Deus vnigenitus Patris pro nobis homo factus eſt. Cùm autem hæc cognitio perficitur vt eam ſequatur affectus, & practica fiat, opere complens quod manifeſtat, vitam conſequitur æternam, & conſummatã ſanctitatem. Nam vt inquit Sapiẽs: *Noſſe te conſummata iuſtitia eſt, & ſcire iuſtitiam & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis*: i. Vera & perfecta tui notitia affert perfectam & conſummatam iuſtitiam, quæ omnem errorem & culpam excludit. Scire autem tuam iuſtitiam, ſanctitatem, potentiam, & reliquas tuas perfectiones, eſt radix vitæ æternæ, & immortalis. E contrà verò iſtorũ ignorantia eſt mors æterna, & radix damnationis perpetuæ. Nam vt ait Apoſtolus: *Qui ignorat, ignorabitur*, i. reprobabitur à Deo, qui dicet illis; *Neſcio vos* eâ ſcientiâ qua cognoſco electos, & dilectos meos, quos noui ex nomine; quia ipſi perfectè agnouerunt me, non tãtùm cognitione quaſi ſpeculatiua ſolius fidei, ſed etiam cognitione affectiua & factiua diligendo me, venerando, colendo, obſequendo, & agendo quidquid eis præcipio.

Ioa.17.v.3. Refert hos Toletus in hunc locũ. Sap.15.v.3. I. Cor. 14. v.38. Math. 25. v. 12.

Hæc eſt ſcientia Dei & Chriſti quæ omnibus rebus mundi eſt præferenda, de qua apud Ieremiam inquit: *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitiis ſuis: ſed in hoc glorietur qui gloriatur ſcire & noſſe me.* Vbi tria commemorat bona quæ homines magni faciunt, nimirum præclaras dotes animæ ſecundùm partem intellectiuam, vel corporis, quantum ad ſalutem & fortes vires, vel bona exteriora diuitiarum, & honorum: quę tamen omnia ſine ſcientia Dei indigna ſunt, quibus gloriemur. *Vani enim* (ait Sapiens) *ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.* Omnes, inquit, & ſi reges ſint, & diuites, ac fortes, humanaque ſcientia

Ierem. 9. v. 23. Sap. 13. v.1.

fulgentes. Explicans autem Dominus quid sit scire, & nosse ipsum, vel quę sint de illo scienda & cognoscenda; subiungit, *Quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, iudicium, & iustitiam in terra. Hæc enim placent mihi, ait Dominus*; i. in hoc glorientur, quòd probè sciant me esse Dominum vniuersorum, & quod semper facio misericordiam, iudiciũ, & iustitiã, mihique facientes ista, placent, & sunt amici mei. Vnde & hæc agnoscentes, debent etiam probare, diligere, & facere illa. Et hoc significat duplex verbum, scire, & nosse; vt scire referatur ad cognitionem fidei, nosse ad cognitionem approbationis. Hæc sapientia est vera gloria nostra, cuius comparatione nihil est omnis sapientia humana; contemnenda est omnis fortitudo, & potentia, ac parui pendendæ omnes sæculi diuitiæ; quoniam ipsa est *omnium bonorum mater, & institutus thesaurus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei propter disciplinæ dona commendati.* Quid ergo hac scientia potest esse sublimius? quid iucundius? quid ditius, & appetibilius? Quoniam igitur vita æterna est cognoscere Deum, & Iesum Christum, bis interrogant: *qualis est dilectus tuus ex dilecto?* vt prior referatur ad mysteria vnius Deitatis in tribus personis, quarũ vna ab alia procedit, & omnes sunt vnus & solus Deus vetus, ab Ecclesia super omnia dilectus; posterior ad mysteria humanitatis Christi Saluatoris nostri, à Deo missi, qui etiã summè dilectus est à sua sponsa. Lxx. vertunt: *Quid fraternus tuus à fraterno, pulchra in mulieribus? quid fraternus tuus à fraterno?* Fraternus autem vocatur, vel generali ratione qua his nominibus se amantes nuncupant, vel quia dilectus cùm esset Deus, factus est frater noster quando carnem assumpsit. Particula autem *quid* hunc sensum facit: quid, seu in quo secernitur dilectus ab aliis dilectis? Deus verus ab aliis qui dicuntur dij, & verus Christus à pseudo christis? sed clarius expressit vulgata cùm ait: *qualis est dilectus*, id est quales habet proprietates, & perfectiones vt Deus, & quales vt homo; vel qualis est dilectus in se ipso, & qualis erga nos. In se ipso, quàm sit Deus, sapiens, omnipotens, æternus, immensus, bonus, & amabilis; quàm sit Christus vt homo, humilis, mitis, obediens, misericors, & patiens. Erga nos autem, qualis sit Deus cùm nos creat, conseruat, regit, prouidet & saluat. Qualis sit Christus, & quãta pro nobis in hac vita fecerit, & pertulerit, vt nos redimeret. Hæc & alia huiusmodi continet geminata ista interrogatio, quia scire, & nosse hęc, consummata iustitia est.

Sap. 7. v. 14.

Ab Ecclesia petendam esse hanc Dei, & Christi veram cognitionem. §. 3.

Etsi autem huiusmodi dilecti notitia, sit donum Dei, à quo potissime petẽda est, qui initium eius per gratiam præuenientem, & mentis aliquam illustrationẽ gratis infundit, iuxta illud: *Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui iis qui me non interrogabant*: tamen iuxta suauem eius prouidentiam, qui semel sunt ab eo permoti, interrogare debent eius sponsam Ecclesiam, postulantes à prælatis & doctoribus illius, vt verã illis Dei fidẽ, notitiã, & cognitionẽ cõmunicẽt, iuxta illud; *Interroga patrẽ tuũ, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicẽt tibi.* Patrẽ nostrũ dicimus quẽ Christus loco sui reliquit in terris, qui est Romanus Põtifex, & Petri successor; maiores autem nostros, reliquos Episcopos, & Doctores qui sub illius degunt obedientia; & pertinent ad veram Ecclesiam quæ est Christi sponsa, ad quam fit ista interrogatio: quia hæc sola, & non alia congregatio, potest nobis vere annunciare *qualis est dilectus ex dilecto?* reliquę autem sectæ & congregationes, ignaræ sunt, & multis erroribus deceptæ. Vnde soli illi conuenit insigne Epiteton, *pulcherrima mulierum*, vt alibi iam probauimus; nã reliquæ potiùs sunt fœdissimæ, & execrabiles, à quibus fugiendum est, & ad hanc solam Ecclesiam confugiendum, quæ ab ipso Deo per reuelationem accepit qualis sit dilectus, vt interrogantibus responderet, & omnibus manifestaret.

Lib. 3. Exhort. 15.

Quod Christus Dominus clarè nos docere voluit Apostolis loquẽs, duplici adhibita interrogatione. Primò enim interrogauit eos, *Quem dicunt homines esse filium hominis? at illi dixerunt: alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnũ ex prophetis.* Ecce quid respondeat ignorans hominum congregatio, quæ Christum putum hominẽ putabat; & vt plurimùm eum honoraret, alij similem eum faciebãt Baptistæ, aut Eliæ, aut Ieremiæ, aut vni ex præteritis prophetis. Hi autem mitiùs errabant, & minùs impiè de Christo sentiebant. Nam alij execrandi cæci, & obdurati Iudęorum, eum Samaritanum, Dæmoniacum, & Blasphemũ putabant: quod tamen prudenter discipuli reticuerunt, quoniam sciebant eos ex liuore in meridie cæcutire. Videns igitur Magister quàm fallax esset hominum responsum, ignorantium prorsus qualis ipse esset, & in quo differret dilectus à dilecto, Christus verus ab aliis prophetis, interrogauit eos secũdò: *Vos autem quem me esse dicitis?* sed perpendo diuersum interrogandi modum. nam cùm quærit quid homines sentiãt, vocat se filium hominis, veram suam humanam naturam ostendẽs, & si insinuet, vt inquit D. Hilari⁹, aliquid pl⁹ esse in illo, quod scire oporteret, & ideo ait, *quẽ dicũt &c.* Cæterũ cũ Apostolos interrogat, ad sublimiora eos euehẽs, nõ repetit filiũ hominis, sed *me*, personã insinuãs, in qua illud sublimi⁹ latebat.

2.

Math. 16. v. 13.

Canon. 16. in Math.

Petrus nomine omnium, qui Ecclesiam Christi repręsentabant, respondens ait: *Tu es Christus Filius Dei viui.* En qualis est dilectus, & quo secernitur à dilecto, id est à Ioanne Baptista, ab Elia, & Ieremia, & ab omnibus prophetis, isti puri homines, ille verus Deus; isti Filij Dei per adoptionem, ille filius Dei per naturam: Fili⁹ Dei viui à Deo viuo, ab æterno genitus, & hoc Petrus non à se potuit cognoscere, sed ex Dei accepit reuelatione; quod Christus Dominus manifestans ait: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est: & ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; id est super te, qui es petra fortissima à me erecta, & super hanc tuam confessionem, fidem, & firmam, veram, ac certam mei cognitionem, quam ex Spiritus Sancti reuelatione accepisti; ædificabo, & fundabo Ecclesiam meam, quæ in perpetuum permanebit, hanc fidem seruans, vt eam aliis possit tradere.

3.

Math. 16. v. 17. & 18.

Id igitur est quod Christus Dominus facto isto nos docet, vt non ab hominibus quæramus, qualis ipse sit, sed à discipulis suis, à Petro, & ab Ecclesia super ipsum erecta; quæ est ipsius sponsa: nã illi vt homines, cùm ex propriis loquuntur, mẽdaces sunt, vani, & ignorantes, ac deceptores: hæc verò vt à Deo edocta, nec falli potest, nec fallere, sed vera respõdet interrogãtibus: quoniã De⁹ loquitur in illa, & per illã. *An experimentũ quæritis* (inquit Paulus) *eius qui in me loquitur Christus? nec vos estis qui loquimini* (ait Saluator) *sed Spiritus Patris vestri*

Psal 115. v. 2.

2. Cor. 13. v. 3

Mahc. 10. v. 20.

qui loquitur in vobis. Propter quod dixit Petro, *Caro & sanguis non reuelauit tibi*; quia nec philosophi, nec sæculi sapiẽtes, nec vllus intellectus carni immersus hoc responsum potuit assequi: sed Pater meus qui dixit mihi: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; Respondit per te; Tu es Christus filius Dei viui, ab illo hodie & semper genitus: ideoque *beatus es Simon Bariona.* Iona secundùm D. Hieronymum est columba, vel demptâ per syncopẽ vnâ litterâ, est idem quod *Ioana*, & interpretatur *gratia.* Beatus ergo es Simon, qui cùm sis filius naturalis Ioãnis, eleuatus es vt sis filius columbę; id est Spiritus Sancti, & gratiæ ipsius, ac petra super quam fundabo Ecclesiam meam, quæ huiusmodi respõsum & cognitionem aliis præbeat. Ab hac igitur Ecclesia interrogandum est, *qualis est dilectus tuus*, quia sapiẽtissima & pulcherrima es inter omnes. Nec refert aliquos prælatos & doctores nõnullis vitiis esse defœdatos, nã propter hos dixit Christus, *Super cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi, quæcumque dixerint vobis facite.* Cùm autem isti sedeant super cathedram, non iam Moysis, sed Christi; ille per eos docet vera quæ sunt credẽda, & bona quæ sunt operanda, nec Ecclesia desinit esse pulcherrima: quia etsi in iis sit nigra, in aliis est formosa, & ad sponsi prouidentiam spectat, vt nunquam veri desint pastores & doctores, per quos reliquos sine vllo errore instituat.

Math. 16. v. 13.

Math. 2. 3. v. 2.

Ab expertis & Spiritualibus etiam est petenda hæc cognitio. §. 4.

Per hoc tamen non negamus quin filię Ierusalẽ perfectionis auidę ab ea spõsa quæ amore sponsi sui languet, *qualis sit dilectus eius*, quęrere studeant: multò enim vbertiùs & vtilius iuxta earũ indigentiã respondebunt, qui non tantùm ex fide & speculatione, seu scientia speculatiua sciũt quis, & qualis Christus sit, sed etiã ex proprio gustu, & experimento, quia ardenter Deum diligunt, & eius amore languent, ac charitate vulnerati sunt, gustantesque viderunt quàm suauis est Dominus. Multoties enim sanctus minùs sapiens, plura de his arcanis Dei cognoscit, & docere potest quàm sapiens inexpertus, iuxta illud Ecclesiast. *Anima viri sancti enunciat aliquando vera quàm septem circũspectores sedentes in excelso ad speculandum*: i. magis quàm plures alij qui officium habent docendi & dirigendi alios. Nec hoc dicimus quia sapiẽtes & docti viri quærendi & consulendi non sint, sed quoniam optandum vt vtraque scientia polleant, theorica & practica, ac experimentali: nec contemnendi sunt qui in hac fulgent, etsi minùs illâ polleant.

Eccles. 37. v. 18.

Vnde etiam fit, multoties Deum minotibus manifestare quod maioribus occultat, sicut scriptum est: *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*: vt maiores humilitatem discãt, nec dedignentur minores interrogare, & ab eis aliquid discere, sicut Moïses didicit à Ietro, qui eum aliquid docuit quod ipse non fuerat assecutus: propter quod apud Cassianum legitur minores in collationibus seniorum esse interrogandos, quoniam aliquando à Deo accipiunt quod sapientes adhuc latet.

Matth. 11. v. 25.

Exodi 18. v

Collat. 16. c. 12.

Denique non sine mysterio interrogatio ista fit ad sponsam quæ amore languebat, vt ipsamet nũciaret qualis esset eius dilectus, ad significandum nihil ita conducere ad perfectè cognoscendum Deum, quàm vehementer illum diligere; quoniã charitas, vt inquit D. Thomas, quandam efficit cum Deo quasi connaturalem assimilationem, ob quam sapientia, quæ donum est Spiritus Sancti, sublimiter sentit & iudicat de Deo, ac de diuinis: propter quod D. Paulus optabat Christum habitare in cordibus fideliũ non solùm per fidem, sed etiã per charitatem, in qua essent radicati, & fundati vt possent comprehendere omnia Dei sublimia, & scire charitatem Christi supereminentem omni scientiæ humanę; ac D. Ioãnes inquit, *Omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum: qui non diligit, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est.* Loquitur autem de perfecta scientia quæ ex experientia & gustu diuinarum rerum habetur: multo enim meliùs cognoscit dulcedinẽ & saporẽ mellis, & pomi, qui ea gustauit, quàm qui tantùm ex speculatione vel relatione aliorũ cognouit. Quo sensu in Apocalypsi dicitur manna absconditum, & nomẽ nouum iustis dandũ; neminem scire nisi qui accepit. Sponsa igitur quæ nouit vehementer amare dilectum, qui charitas ipsa est, nouit etiam qualis sit, & ea potest id nobis enarrare.

2. 2. q. 45 art. 2.

Ad Ephes. 3. v. 17.

1. Ioan. 4. v. 7.

Apoc. 2. v. 17

Nobis autem incumbit eam in amore isto imitari, & ex his quę hic refert veram, propriã, integram, & plenam Christi notitiam formare, singulas ipsius proprietates prout in ipso sunt, penetrãtes, vt perfectè secernere possimus dilectum à dilecto, i. verum Christum nobis dilectũ ab omnibus aliis qui diliguntur à reliquis hominibus, imò etiam à Ioãne Baptista, ab Elia, & Ieremia, & quolibet ex Prophetis, & cæteris sanctis; quia hos omnes infinitè antecellit; & ideo præ omnibus est magni faciendus, & diligendus. In hac autem cognitione nihil ei debemus alienum, & indignum Deo tribuere; nihil proprium & Deo dignum negare, vt qualis est dilectus in seipso, talis sit in cõceptu nostro. Infideles enim & hæretici ac peccatores propriis carnis passionibus excæcatè, nõ verum Christum im mente, & conceptu suo formant, sed idolum ipsius, vt D. Bernardus testatur. Mentitur enim iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo quod non est Christus. Nam & multi modo ignorantiam Dei habent, vt inquit Apostolus, & iuxta ignorantiam suam ac affectionem deordinatam eis prędominantem, innumeta fingũt Deii idola, dum erronèe aut diminutè, & longè quàm res est, sentiunt de diuina misericordia, aut iustitia, vel prouidentia; non talem eam concipientes, qualis est in se ipsa, sed qualis sibi videtur. Qui cùm adhuc cæcutiant, vident homines quasi arbores, & Christum phantasma putant; vt posset illis dicere Dominus: *existimasti iniquè quod ero tui similis, & cui similem fecisti Deum? cui assimilasti me, & adæquasti, dicit? Sanctus.* Querela autem ista, & si præcipuè sit contra idololatras, & infideles, contra Iudęos & hæreticos, qui male sentiunt de Christi diuinitate, vel sanctitate; tamen etiam est contra quosdam qui cùm veram habeant fidei cognitionem, practicè tamen errant, dum ex nimio timore, vel confidentia plus debitò exagerant rigorem diuinæ iustitiæ, aut suauitatem diuinæ misericordiæ. Audiamus ergo & perscrutemur quæ nobis de dilecto suo docet sponsa, & tunc plenè sciemus qualis sit, & quantum aliis præstet, & quanto sit ardore diligendus, & quærendus, qui est Deus benedictus in sæcula.

Serm. 38. in Cant.

1. Cor. 15. v. 34.

De hoc plura diximus lib. de duce spirituali tract. 2. c. 11. Marci. 8. v. 14. & c. 6. v. 49. Psal. 40. v. 21. Isai. 49. v. 18 & 25.

PRO FESTO INCARNATIONIS VEL TRÆFIGVRATIONIS.

EXHORTATIO XIX.

De mystico candore & rubore Christi Domini, & de miris combinationibus perfectionum vt Deus & homo, quas repræsentant, in quibus supereminet omnes sanctos.

Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.

INCHOAMVS panegyricam sponsæ concionem in conuentu filiarum Ierusalem habitam, ad sponsi sui promendas laudes, & insignes perfectiones. Interrogauerant: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* id est præ aliis dilectis? Respondet primò in genere: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus*, i. præ omnibus, siue angelis, siue hominibus, qui dilecti possunt nuncupari; si ad colorem respicitis, candorem habet, & ruborem, qui cæteris coloribus præferuntur; si ad totius corporis magnitudinem & staturam, supereminet omnibus, sed cũ admirabili partiũ proportione: & inde membratim singularum partium pulchritudinem delineare incipit. nam ex hac resultat integra, & perfecta, seu omnimoda dilecti pulchritudo. De candore igitur & rubore Christi quinque, aut plures facere possumus combinationes, in quibus singulariter est electus ex millibus, quia vnicus est inter omnes, nec alius ei potest æqualis inueniri: iuxtà illud Ecclesiast. *Virum de mille vnum reperi*: quod de solo Christo sine hyperbole vlla potest affirmari.

Eccles. 7. versu 29.

De natura diuina & humana Christi Domini. §. 1.

PRIMÒ igitur Christus Dominus candidus dicitur & splendidus ac fulgidus propter naturam diuinam; rubicundus autem propter humanam, quę in vna persona coniunguntur. Cãdidus (inquit D. Ambros.) quia splendor est patris; rubeus, quia partus est virginis; Color in eo fulget & rutilat vtriusque naturæ. Dicitur autem cãdidus à nimio splendore lucis, & à iucundo fulgore sibi connaturali: vnde de se inquit per Isaiam; *Quiescam in loco meo, sicut lux meridiana clara est, & sicut nubes roris* (id est rorans) *in die messis*. Et Sapiẽs inquit: *Candor est lucis æternæ, Speculum sine macula.* & Apostolus, *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Non solùm autem vocatur cãdidus, sed candor ipse, quia essentialis est illi candor, & splendor iste. Solus autem ipse est candidus à se, & nullo modo candidatus; reliqui verò qui vocãtur candidi sunt candidati ab ipso, qui fons est totius candoris.

Lib. 1. de Virginibus & serm. 5. in Psal. 118. v. 1. & in fragmento de Resurre. Idẽ Theodoretus & Anastasius Sinaita lib. 4. de opere sex dierum Habetur 1. tom. Bibliothecæ. Isai. 18. v. 4. Sap. 7. v. 26. ad Heb. 1. v. 3. Lococitato

Est autem rubicundus propter assumptionem carnis Adæ, qui de terra rubra formatus dicitur, & ideo vocatus est Adã, vt Theodoretus & Anastasius Sinaita notant, quia de terra formatus, & Hebraicè Edom, quasi rubeus, & sanguineus, ex rubra terra effectus. Vnde Isaias inquit: *Quis iste qui venit de Edom?* id est ruber de rubro populo. Ruber etiam optime aptatur incarnationi, quia caro cum rubicundo sanguine assumpta est, iuxta illud *quia pueri communicauerunt carni, & sanguini, ipse similiter participauit eisdem.*

Isaiæ 63. v. 1.

Ad Heb. 2. v. 14.

Priùs autem vocatur candidus quàm rubicundus, quoniam vt notat D. Ambrosius, antiquiora sunt in Christo diuinitatis insignia, quàm corporis sacramenta, quia non cæpit à Virgine, sed qui erat, venit ad Virginem. Vnde Ioannes primò ait, *In principio erat Verbũ, & Verbum erat apud Deũ, & Deus erat Verbum*, & posteà subdit, *& Verbum caro factum est.* Præterea cùm quispiam vocatur candidus & rubicundus, intelligimus candorem per totum corpus diffusum, ruborem verò in modica parte, nempe in genis; sic etiam Christus candidus est à diuinitate quæ immensam habet lucẽ & splendorẽ; & totus vndique candidus est sicut pater eius, de quo inquit Daniel, *vestimentum eius candidum quasi nix.* Rubicundus verò ab humanitate, quæ de nouo ei aduenit, & limitatam habet dimensionem. Etenim vt Deus vbique est Christus, non sic vt homo.

Lib. 1. de Virgin.

Ioan. 1. v. 1.

Dan. 7 v. 9.

Propter hæc autẽ merito vocatur *electus ex millibus*, quia nullus est qui ei possit comparari, cùm cæteri puræ sint creaturæ, & omnes in eius comparatione quasi nihilum reputentur; & quidquid candoris & ruboris ac pulchritudinis habent, ab ipso recipiunt. De selectis Nazareis dicebat Ieremias, *Fusse candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, & saphiro pulchriores*; At Christus Deus & homo electus ex millibus Nazareis, infinitè illos candore & nitore superans, ac rubore, & pulchritudine. Sed metaphoram eboris perpende quod ex se candidum est, successu verò temporis aduenit illi purpureus rubor, qui mirabilem ei affert venustatem; sic Deus qui ab æterno ex se est candidus, cùm pro nobis ruborem carnis assumpsit, venustissimus nobis apparuit, & sub hac ratione merito ab sponsa vocatur dilectus; nã propter hanc stupendam candoris & ruboris coniunctionem dignissimus est qui ab omnibus diligatur, sicut per illam manifestauit quàm eximiè nos dilexerit.

Threu. 4. v. 7.

De Innocentia Christi, & eius passione. §. 2.

ALiter ad Christum etiam vt homo est, vtrumque cognomen referre possumus, potissimè verò in die Circuncisionis, vel tempore Passionis. Candidus enim dicitur quia innocens, impollutus segregatus à peccatoribus, & omnino impeccabilis, ac ex se sanctus. Cæteri quidem aut peccarunt, aut peccare potuerunt, quia ex se mutabiles, maxime qui in radice Adæ continebantur, quę posteà peccati macula infecta est: at Christus peccare nõ potuit, quia per vnionem hypostaticã Deus erat: nec de semine virili Adę, sed de Spiritu Sancto conceptus est, & tamen rubicundus dicitur propter sanguinem quem pro peccatis totius mundi effudit, quo totus ipse in possessione sua perfusus est: hanc combinationem celebrant D. Hieronymus, D. Gregorius, & plures alii patres; & est verè mirabilis, & stupenda non solũ hominibus, sed ipsis Angelis. Nã si candidus & sine peccato, cur rubicundus fuso sanguine propter peccatum? si rubicundus quia proprio sanguine tinctus, quomodo candidus & formosus? *Quis est iste* (inquiunt Angeli) *qui venit de Edõ, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua*: & rursus, *Quare rubrũ est indumentũ tuũ, & vestimenta tua sicut calcantiũ in torculari?*

PRO FESTO CIRCVNCISIONIS, VEL DOMINICA PASSIONE

in Isai. 53. Hic & in 4. Psal. pœnitent. Caſſiod. Beda Anſelmus Rupertus Iſa. 63. v. 1.

At oportebat Christũ candidũ esse vt rubor sanguinis ipsi° in cruce fusi nobis prodesset. quęnim (ait quidã) vtilitas in sanguine eius esse potuit ad exhauriẽda peccata multorũ, si & ipse fuisset de numero peccatorũ? inaniter pro nobis martyrio rubuisset, nisi etiã singulari naturę, & vitæ mũdi-

Guillelm. apud Martin. Delrio.

tia canduisset. His duobus insigne opus humanæ redemptionis expleuit: quia cãdidus, redemptioni perficiendæ suffecit; quia rubicundus, eandem potẽter perfecit. Neutrum sine altero sufficisset, propterea vtrumque hîc dicitur: verum quia rubor ille non potuit esse salutaris, nisi & candor ille fuisset singularis; ideo adiicitur, *electus ex millibus*, omnes enim declinauerant, simul inutiles facti fuerant, nec erat qui magnum illud bonum redemptionis facere posset, non erat vsque ad vnum electum ex millibus Christum.

Psal. 13 v. 1.

2. A triplice ergo sanguine potest Christus Dominus dici rubicundus. Primo à sanguine proprio pro peccatis nostris fuso, & iste reddidit illũ formosiorem: sicut homo cãdidus tunc est pulchrior cùm ex sanguine superueniente ad genas fit rubeus. Secundo est rubicundus à sanguine nostrorum peccatorum, quæ in Scriptura sanguis vocãtur, & super ipsum posita dicuntur, ac propter illa vulneratus, & percussus. Nam vt ait Paulus, *eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Sed hic sanguis non potuit illũ coinquinare, imo ideo percussus est propter illud, & omnium iniquitates & peccata super se tulit, vt ipsius sanguine omnes mundarentur ab illis, & redderentur candidi, sicut scriptum est de sanctis: *Qui lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni.* Vnde tertio vocatur rubicundus, à sanguine metaphorico inimicorum quos occidit, s. mortis, mundi, dæmonis, & peccati, sumpta translatione ab iis qui hostes debellant, quorum sanguine vestes conspergunturs & de hoc loquitur apud Isaiam cùm ait: *Conculcaui eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* Hic tamen sanguis potiùs auget pulchritudinem, & commendat fortitudinem illius. Et ideo dixerunt Angeli. *Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine fortitudinis suæ.* Plura de hac pulchritudine Christi in passione sua diximus in lib. 4. & 6.

Isai. 53. & 8. 1. Cor. 5. v. 22.

Apoc. 7. v. 14.

Isai. 63. v. 3.

Lib. 4. exhort. 14. §. 2. & 4. Lib 6. exhort. 31. §. 3. & 5.

3. Propter hæc ergo merito dicitur Christus, *electus ex millibus*, tanquam vnicus omnium fortissimus Saluator, cui nomen electum ex millibus: videlicet Iesus, seu Saluator, cum ipsa sanguinis effusione coniunctum, & impositum est in circuncisione, & in titulo crucis exaratũ, vt suo loco diximus. Lxx. vertũt electus ex millibus, quia ipse solus melius quã Dauid pro decẽ millibus cõputatur; & id perficit quod nullus hominũ, vel Angelorũ perficere potuisset. Habet autem emphasim vox Hebræa *Dagul*, quæ vertitur *electus*, & significat idẽ quod vexillatus, seu vexillũ erectũ gestãs, ad significãdum, quod sicut vexillum erectum supereminet milites, sic dilectus supereminet alios, quod ad vexillum crucis referre possumus, quod Christus gestauit, imo in quo ipse erectus, & affixus est, & exaltatus super omnes, vbi etiam supremam meruit exaltationem, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.

Ad Philip. 2. v. 9.

Iste autem electus ex milibus candidus & rubicundus, proponitur omnibus eius mililibus in exemplum, vt sequantur ipsum; vnusquisque iuxtà proprias vires, eius amplectens candorem, munditiam, & sanctitatem, atque ruborem etiam passionis eius; peccato resistens ac diabolo cùm opus fuerit vsque ad sanguinis effusionem, & tunc etiam erit electus ex millibus, quia erit de numero paucorum. *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Gloria autem est dilecti, candidos & rubicundos habere socios, eius vexillum & imaginem gestantes, sicut D. testatur Ambrosius, sic dicens, Valentinianus meus candidus, & ruber, habens in se imaginem Christi, nec iniuriam putes, si charactere Domini inscribuntur & seruuli, & nomine imperatoris signantur milites.

Oratione de obitu Valentiniani post medium.

De veste alba & purpurea Christi in eius passione. §. 3.

CONFIRMEMVS hæc referendo hæc verba ad duplicem vestem qua Christus in passione sua indutus est, vt dicatur candidus propter vestem albam, qua indutus est ab Herode, rubicundus verò propter chlamydem coccineam seu vestem purpuream qua indutus est à militibus in prætorio Pilati; illa etsi irrisionis causa opposita sit; sic enim ait Lucas, *& illusit indutum veste alba*: id est candida & splendenti, vt ex textu Græco & aliis locis Scripturæ constat. Significabat autem hæc vestis splendidissimam eius diuinitatem, qui amictus est lumine sicut vestimento, etsi homines insani deriderent illam, indicabat etiam puritatem eius sanctimoniam, & innocentiam quam vel inuiti eius inimici testati sunt, cùm iniquus iudex lauans manus suas ait, *Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Non ociosè (inquit D. Ambrosius) quod veste alba induitur ab Herode, immaculatę tribuens indicia passionis, quod agnus Dei sine macula cum gloria, mundi peccata susciperet. Portauit autem hanc vestem albam per vicos & plateas Ierusalem à regia Herodis vsque ad prætorium Pilati, vt significaretur sanctum fuisse, & immaculatum in omni sua cum hominibus conuersatione, & prædicatione cùm pertransibat omnes ciuitates Iudeæ & Galileæ: itaut auda cter diceret hostibus suis, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* tandem vestis illa alba alludebat ex intentione Herodis ad eos qui apud Romanos ambiebant consulatum, vel aliquam dignitatem, & vocabantur candidati, quasi Christus tanquam fatuus ambiret dignitatem Messiæ; & tamen signum erat glorioſissimæ vestis, qua per passionem suam induendus erat, quamque ad breue tempus induit in transfiguratione, cùm *resplenduit facies eius sicut Sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.* Vnde & D. Hieronymus arbitratur Christum vocari candidum propter resurrectionem, sicut & rubicundum propter passionem, at sicut mox deposuit hanc vestem gloriæ vt descenderet ad excessum quem complecturus erat in Ierusalem, de quo ibi loquebatur cum Moyse, & Elia; ita & hac veste alba exutus est cùm peruenit ad domum Pilati, vt daretur locus passioni, per quam hæc vestis gloriæ resumenda erat in æternum duratura.

I. Luc. 23. v. 11. Matth. 27. v. 28 Ioan. 19. v. 2 Iacobi 2. v. 2. & 3. Ex Ioan 20 v. 12. & Marci 16. v. 20. Matt. 27. v. 24. Lib. 10 in Luc.

Mat. 17. v. 2. Luc. 9. v. 21 In Isai. 67.

Vestis autem coccinea vel purpurea, à qua dicitur rubicundus, passionis eius symbolum erat, quod diuersus modus induendi vtramque vestem etiam subindicat; etenim vt indueretur veste alba non est exutus propria veste, sed desuper apposita, nec vestis illa tincta est proprio sanguine, quia nondum erat flagellatus, & sanguineus sudor precedentis noctis iam exciccatus erat, at verò vt indueretur veste purpurea, priusquam exutus est propriis vestimentis, vnde credibile est eam vestem proprio cruore qui è corpore flagellis vulnerato effluebat, tinctam fuisse. Primum indicabat nihil habuisse Christum quod exueret, vt innocentiam & sanctitatem seruaret, ac gloriam sibi debitam adipisceretur, nec vllo modo in passione sua commaculandum, & inquinandum fore; at secundum potius significabat omnes ignominias expoliatio-

2.

Matt. 27. v. 28.

nes,& dolores propter peccata nostra susceptos; A quia non solùm vestibus,sed honore & fama sanctitatis,sapientiæ,& potentiæ, cum ignominia ab hostibus expoliatus est, & à planta pedis vsque ad verticem capitis vulneratus.

Quod autem hac veste indutus , eductus est foràs à Pilato dicente coram omni populo : *Ecce homo , ecce rex vester* , licèt ab ipso in opprobrium diceretur, tamen à Spiritu sancto in gloriam Christi ordinabatur, ac si diceret vniuique nostrum Ecce dilectus, *candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Ecce homo plusquam homo, electus inter omnes homines vt mundum per mortem suam redimat. Ecce rex desideratus cunctis gentibus, &si spretus modo,quia ignotus:ecce quem B debes imitari,& vtramque eius vestem induere si cupis cum eo regnare.

Sicut igitur Christus exutus est propriis vestimentis vt purpuram indueret , ita te oportet omnibus renunciare vt possis eius esse discipulus , & Christo crucifixo conformis fieri : solus ille potuit indui veste alba nihil exuens,at tu non indues
Ad Col.3. v. 9. vestem innocentiæ & gratiæ,nisi exuas indumenta culpæ. Oportet expoliare te veterem ho-
2.Ad Cor.5 v. 4. minem cum actibus suis , vt induas nouum & sanctitatem eius,si nolis expoliari; sed supervestiri,non id consequeris, quia cum propriis vestibus ab Adam veteri acceptis , non coniungitur purpura Christi. Plura de hoc circa illud, *ascensus eius*
Lib.6.exhort.32. *purpureus.*

De carne & sanguine Christi, maximè in Eucharistia, & de virginitate ac charitate. §. 4.

I. Hom. 13 in Cant. SED nouam & iucundam combinationem adamus ex D. Gregorio Nisseno hæc verba referente ad carnem & sanguinem Christi pro nobis assumptam, vt sicut supra comparatus est malo,cuius forma ex vtroque colore temperato conspicitur ; sic modò dicatur candidus propter carnem,& rubicundus propter sanguinem,quæ ad similitudinem aliorum hominum,vt ex D. Paulo
Ad Heb. 2. v.14. diximus,assumpsit ; quia tamen hæc caro non est genita sicut aliorum hominum, sed singulari modo ex virgine , ideo superadditur electus ex millibus.

2. Sed hanc ego interpretationem ad sacratissimam Eucharistiam eueho ; in qua sub accidentibus panis & vini, caro & sanguis Christi continentur;candidus est Christus propter purissimam & sanctissimam eius carnem , quæ sub albo velo triticei coloris , & aliorum accidentium panis latet;talis enim debebat esse caro , quæ offerenda erat in hostiam immaculàtam, & præbenda nobis in cibum;rubicundus autem est , propter preciosissimum eius sanguinem , qui sub rubicundo colore vini , & aliorum accidentium eius absconditur,vt fieret nobis potus salutaris. Hoc est quod
Zach. 9.v. 17. Zacharias vocat,*frumentum electorum,& vinum germinans virgines.*Ipse etiam Christus ibi contentus est electus ex millibus, vt electos suos cibareti.cibus autem est non quomodocumque electus , sed electus ex millibus;cuius comparatione nihil est
Abacuch 1. v 16. manna,nec reliqui cibi. Solus enim hic est panis viuus,& verus,qui descendit de cœlo , & dat vitam mundo,generans homines electos, & germinans puras virgines,constituens eos candidos per gratiam,rubicundos per charitatem,& electos ex millibus per singularem supra alios profectum.

3. Quod vt melius intelligatur,scito Christum Dominum alia etiam ratione vocarià sponsa candidum & rubicundum;est enim candidus à virginitate quam semper coluit,carnis immaculatam integritatem simul cum immensa spiritus innocentia seruans:& ideo agnus vocatur,quem sequũtur quocumque ierit qui virgines sunt, & immaculati in throno eius,vt in Apocalypsi dicitur.Est autem Apoc.14. v. 1. rubicundus ab ardentissima charitate,qua semper flagrauit.Vnde à Septuaginta Græco vocabulo dictus est igneus, vt notauit Anastasius Synaita, qui Christum dicit candidum à candore lucis solaris, Vbi suprà. quia est candor lucis æternæ: rubicundus verò ab igne,eiusque ardore, qui symbolum est charitatis:ratione autem vtriusq, vocatur *electus ex millibus* , seu vt suprà diximus , vexillatus ex millibus, quoniam charitatem , de qua superius sponsa dixerat , *Vexillum eius super me charitas* , super Circa id Cant.2. v.4 *Ordinauit in me charitatẽ* omnes erexit,atque verbo &exemplo mirabiliter eleuauit,maximè autẽ cum crucem ascendit propter nos,& cùm hoc venerabile sacrificium & sacramẽtum Eucharistiæ instituit, vt suam erga nos charitatem hoc signo testatam relinqueret;cũque comedentes & bibentes in semetipsum transformaret,vt sicut ipse est candidus & rubicundus,ita nos faceret candidos per pudicitiam, & rubicundos per ardentem dilectionem, hinc est virtute passionis Christi,& huius diuinissimi sacramenti duos potissime sanctorum ordines floruisse in Ecclesia,nẽpe virginum & martyrũ ,in quibus eminenter fulsit cãdor pudicitiæ, & charitatis rubor; Serm.28. in Cant. quod eleganter sic perpendit D. Bernardus ; Formosus plane,quem circũdant flores rosarũ,& lilia conualiũ,hoc est martyrũ, virginũq; chori: & qui « medius residet , vtrique non dissidet choro virgo « & martyr, quomodo candidis non congruit vir- « ginum choris,virgo virginis filius,virginum spõ- « sus? quomodo non roseis martyrum, causa, vir- « tus,& forma martyrijtalem,talis,taliterque tan- « ge,& dic:*dilectus meus candidus & rubicundus,electus* « *ex millibus*,millia millium cum dilecto , & decies « centena millia circa dilectum , & nemo ad dile- « ctum,&c. sic ille.

Hunc igitur sponsum candida & rubicunda veste in Eucharistia latentem tota mente tange , & D manduca; cuius cãdore super niuem dealbaberis, cuius rubore super ignem accenderis , & illi efficieris similis , vexillatus ex millibus , quia vexillum charitatis supra multos in te eriges, vt ipsum agnum sequaris.

Hinc D. Hieronymus dilectum putat vocari cãdidum & rubicundum , quia & in pace & in præ- 4. Epist.27 ad Eustochiũ. lio vincentibus præmia tribuit, nimirum virginibus &martyribus,iis qui vitam tranquillam agũt, & iis qui multis tribulationibus cõcutiuntur, omnibus imponens glorioſas coronas vel de pudicitia candidas,vel de patientia purpureas : *Vidi* (inquit Esdras) *in monte Syon turbam magnam quam dinumerare non potui , & in medio eorum erat iuuenis statura celsus,eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas , & magis exaltabatur.* Et cũ Esdras interrogaret Angelum, quis esset hic iuuenis?respondit ; hic est filius Dei , quem in seculo cõfessi sunt,& hic ipse est quem sponsa vocat dilectum suum electum ex millibus omnibus eminentiorem , qui vnicuique reddit coronam iuxta ipsius merita. Esdræ 4.c.2 v. 42.

At ne segnes efficiamur dum dilecto tãtum magnificam benignitatem contemplamur , vltimam addamus combinationem,vt Christus dicatur cãdidus propter misericordiam, rubicundus autem propter iustitiam vindicatiuam , de qua interrogatur:*quare rubrum est vestimentum tuum* ? Nam ipse

de se candidus est , & in misericordiam propen- A sus;ac misericordia eius omnes præuenit, & excitat vt salui fiant:at rubicundus est ad modum quo homo sit rubeus ex sanguine ascendens in genas; quia à nostris peccatis prouenit, quod ipse rigorem iustitiæ exerceat; & quasi coactus ab illis velut nollens ad puniendum accedit, ac si erubescerer hostes habere , quos compulsus à iustitia debeat punire.Ideoque gemens ait,*Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabo me de inimicis meis* , vt
Isai.1.v.24. Lib.1.exh. 15.§.3. alibi vberiùs diximus. Cura ergo iuxta consilium
Eccl.9.v.8. Ecclesiastes, vt omni tempore vestimenta tua sint candida, ne experiaris rubicundũ vultum furoris sui, sed potius candidũ & benignũ misericordiæ suæ,vt te coronet in miserationibus, & repleat in B bonis desideriũ tuum in secula seculorũ.Amen.

EXHORTATIO XX.

De eminentia capitis Christi ratione Deitatis, & vt ipse est caput Ecclesiæ , de eius attributis, cogitationibus , & operibus, atque de fidelibus qui ei adherent & assimilantur.

v.9. Caput eius aurum optimum, comæ capitis, &c.

INCIPIT sponsa membratim delineare sponsi pulchritudinem,ferè de- C cem eius præcipuas partes commendans , nimirum caput,comas,oculos, genas,labia, manus,ventrem , crura, staturá , ac guttur , quibus omnimoda eius pulchritudo & perfectio plenissimè designatur , quæ in duplici sensu possunt explanari. Prior & potissime hic intentus quem prosequemur,ad ipsum Christum Deum & hominem spectat,& ad eius excellentias ac perfectiones:posterior ad membra corporis eius mystici , quæ sunt diuersi sanctorum gradus : & iuxta hunc sensum D coincidunt cum iis quæ in c.4.&6.de eisdem spõsæ membris referuntur, vbi plura de eis dicta sũt, quibus nonnulla addemus quæ hìc nouis similitudinibus explicantur. Quoniam autem sponsa dilectum audierat dicentem: *Aperi mihi,quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium,* laudes inchoat ab hoc capite , & cincinnis ; quasi perpendens quàm preciosa essent illa membra quæ rore & guttis perfusa erant.

Quomodo caput Christi sit aurum optimum ratione diuinitatis. §. 1.

1. Cor. 11.v. 3. INQVIT ergo,*caput eius aurum optimum*,quia caput Christi, vt sæpius diximus ex D. Paulo, Deus est; primum & præcipuum Christi enco- E mium ab eius diuinitate desumitur,quæ recte per caput intelligitur , quod præstantissimum est in homine,& nobilissimum eius principium , vertice in corpore tenens. vnde interrogatus Christus à Iudæis,*tu quis es* ? respondit; *principium qui & loquor vobis.* Describitur igitur hìc sũma Dei perIoan.8 v.25 fectio , aut ipsa Christi diuinitas , vt ferè omnes patres interpretantur, & comparantur auro;quoniam sicut in metallis nihil est auro preciosius , & fulgentius , vel quod ei possit comparari: sic (in-
Lib 34. mor.c 13.& hic,vbi etiã quit Gregorius Magnus)nihil est Deo sublimius, nihil splendidius,nec est quod ei valeat assimilari.
1. Theodor. Sed quoniam vnum aurum melius est alio ; caput istud vocatur aurum omnium optimum , cuius tã

Beda, Anselmus, Ricardus,& alij. præcelsa est bonitas , vt reliqua eius comparatione tali nomine non sint digna. Vnde cuidam qui Christum Dominum credens purum hominem, dixit ei, *Magister bone*,respondit ipse : *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.* Multo ergo magis nemo optimus , nisi Deus solus;ipse aurum optimum,in quo omnes gradus bonitatis eminentissime continentur.

2. In lib. quis rerum diuinarum hæres,postmedium, Habet autem hoc singulare optimum aurum, quod dici solet obrizum , vt notat Philo Iudæus, quod non sentit rubiginis iniuriam,& nihil sordidum trahit ex situ, longoque squalore loci , nec vetustate splendor eius adimitur : ita Deus multo excellentius cùm vbique sit,quia immensus,vbiq; purus est,vbique sanctus,vbique splendidus,vbique immutabilis, quia apud ipsum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio; vnde cũ humanitati per vnionem hypostaticam coniunctus est,fecit eam puram , & impeccabilem, omnis rubiginis,& imperfectionis incapacem.

3. Rursus vt notat idem Philo,& ipsa experientia testatur,aurum in tenuissimas bracteolas, & quasi fila sine scissura deducitur, quod illi singulare est: vt cùm tam solidũ sit, & forte,ita possit extenuari , ac ita extenuetur vt non frangatur ; sic autem extenuatum ad innumeros hominum vsus accomodatur; sic Deus omnium fortissimus; *Nam quis* Exod.15.v. *similis tui in fortibus Dominе?* nostris se accommodat vsibus,magnis & paruis ; præsto est vt omnes ornet,viuet,exhilaret : facile flectitur cùm ab eo aliquid postulatur , vel cùm peccator per pœnitentiam se illi submittit,nec indignum putat sua immensa maiestate, quasi exinanire semetipsum , & formam serui accipere,& intra breuissimum infãtuli corpusculum se coarctare:& quibusque minimis officiis inseruire;& tamen in iis omnibus semper aurum optimum nuncupatur,quia nihil illius gloriæ deperit , imo sicut aurum quanto in subtiliores laminas fuerit productum , tanto splendi- Ita Apponius. dius redditur : Sic quo Deus magis ad hæc opera quæ videntur minima propter nos se demittit,eo splendidior apparet,vt rèdemptionis opus manifestè testatur.

Sed quoniã Hebræi aurũ multis nominibus explicãt,desumptis à terra, vnde afferebatur, noster interpres vsus est nomine generali optimũ,vndecũq; esset allatũ;sed Lxx. vertũt *aurũ Cephaz*, siue Genes.2.v. à loco vbi optimũ aurũ nascitur,siue quia Cephaz 12. interpretatur Petra,vt significarent aurum firmũ, solidũque instar petræ :vnde teste D. Ambrosio Serm.15.in Aquila vertit,*caput eius lapideũ auri* , vel *Petra auri*: Psal.118. Symmachus,*lapis aureus*,vel lapis precios⁹,alludẽs ante vers.1. forte ad lapides preciosos auro inclusos , vel ad aurũ affabre elaboratum , quod nos dicimus , *Esmaltado.* Congruit autẽ hæc expositio ex eo quod hìc non tã cõparatur caput auro propter colorem flauũ,vel ruffũ; nam cùm capillis densis sit contectum,qui dicuntur nigri quasi coruus, non posset caput flaueſcere vel rubeſcere sicut aurũ.sed comparatur auro optimo & artificioso perfecto , vel ob fabricã preciosam & elegãtẽ capitis, vel caput sumitur pro eius ornamento, quod est corona aurea lapidibus preciosis ornata:sæpius enim in hoc Cantico mẽbra laudantur non à natiua perfectione,sed ab adscititio exornatu,vt cum dicitur,*caput tuum carmelus.*

4. Duo ergo insignia Christi,qua Deus est per hoc significãtur, videl.caput eius esse aurũ optimũ lapidibus pretiosis in eo inclusis ornatũ , quoniam diuinitas præcellentissima cõtinet attributa scié-

tiæ, omnipotẽtiæ, miſericordiæ, iuſtitię,& fortitudinis, & alia huiuſmodi , quibus quaſi-ornatur,& precioſiſſima, ac ſplendidiſſima nobis apparet. Alterũ eſt caput eius eſſe ornatũ precioſiſſimo diademate , ex optimo auro,tanquã qui ſit ſupremus omniũ Monarcha,&Rex regũ ac Dominus dominãtiũ, cuius regnũ totũ eſt aurũ ſolidiſſimũ,& firmiſſimum,quia eius regni non erit finis; ſed erit regnũ omniũ ſeculorũ: & nihil eſt in illo quod non ſit aurũ optimũ:optima ſapientia,optima miſericordia,optima iuſtitia:imo ſingula ſunt ipſum aurum optimum , quia ſunt ipſamet diuinitas,ipſemet Deus:ipſe eſt rex & regnum;ipſi ſibi eſt corona,& gloria; præhabens omnia intra ſe alterius non indigens.

Apoc. 19. v. 17. Dan. 7. v. 14

Sed quoniã in Scriptura ſæpius aurũ ſymbolum eſt diuinæ ſapientiæ , & charitatis, quæ quaſi caput ſunt omniũ diuinarũ perfectionũ ; vnde à patre filius quaſi ſapientia , & Spiritus ſanctus quaſi charitas procedit , caput eius ſingulariter dicitur aurũ optimũ , & aureo diademate coronatũ, propter ſplendidiſſimã ipſius ſapientiã, & fulgentiſſimã eius in nos charitatẽ. Quid ergo filiæ Ieruſalẽ à me quæritis dicentes , *Qualis eſt dilectus tuus?* Ecce talis eſt dilectus meus ; *caput eius aurũ optimũ*; quo nihil maius, precioſius , iucũdius,& ornatius poteſt excogitari. Et ſicut homines aurũ præ aliis diligũt,ſic dilectus meus præ cæteris eſt habẽdus, & ſummè diligendus;quia ipſe eſt Deus verus, & rex magnus ſuper omnes Deos, eſt ipſamet ſapiẽtia, ipſamet charitas , ipſa bonitas, & omnimoda perfectio.Iſtum amate , & quærite, & hoc aurum vobis acquirite:*Suadeo* (inquit ille) *emere à me aurũ ignitum probatum vt locuples fias*: id eſt meipſum,in quo omnes theſauros habebis , & ſine quo locupletari non vales.

Apoc. 3. v. 18

Profeſto ſ. Petri.

Quomodo Chriſtus vt homo ſit caput aureum Eccleſiæ. §. 2.

Hom. 13. in Cant. Serm. 15. in Pſal. 118. ante verſ. 1. apud Theodoretum.

Hoc amplius explicatur ſi cũ D. Gregorio Niſſeno, Ambroſio, & Pſello hæc verba ad Chriſtũ Dominũ,etiá qua homo eſt, applicemus, quia caput eſt corporis Eccleſiæ,& dicitur aurum optimum eiſdẽ ferè rationibus : quia ita ſe habet Chriſtus erga Eccleſiã, ac Deus erga humanitatẽ aſſumptã.Sed quoniã textus facer de capite ipſius ſponſi loquitur, vt hęc interpretatio meliùs ſtare poſſit,caput Chriſti vt homo , id erit quod in hominibus habet rationẽ capitis , nẽpe mens & ſpiritus , ac pars illa ſuperior in qua eſt imago Dei. Huiuſmodi autẽ caput in Chriſto eſt aurum optimũ,quia ſuper omnia precioſiſſimũ,& ſublimiſſimũ,omnibus ſe accõmodãs , quia factus eſt nobis ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio,& redẽptio:& tamen conſtitutus eſt à Deo Patre rex , ſuper quem poſuit coronã de lapide precioſo, & aureum diadema tantæ excellentiæ vt omnes ſancti coronas habentes aureas,ad pedes illius eas proiiciãt. Denique caput eius dicitur aurum Cephaz, vel Cephas , quia ipſe eſt Petra auri , & lapis precioſus Eccleſiæ fundamentum, & fundamentum fundamentorum ; de quo ſcriptum eſt : *Ecce pono in Sion lapidem ſummum,angularem, electum,precioſum.*

I. Petr. 2. v. 6 Iſai. 28. v. 16

Hinc perſpicies artificium mirabile Eccleſiæ Chriſti Spõſæ , inchoãtis eius laudes à ſui dilecti capite,quod proprium etiá ipſius caput eſt.totus enim Chriſtus cõſtitutus eſt *caput ſuper omnẽ Eccleſiã quę eſt corpus ipſius*,& omnis gloria,& excellentia capitis,in corpus redundat: quod ſic eleganter perpendit D. Ambroſ.docens etiã quãti faciendũ ſit nobis caput iſtud. Caput (inquit) eſt quod fouet mẽbra omnia , & dirigit, atque implet ſenſibus:inde ductus venarũ , meatuſque ſpiritus,ſanguinis vires in totius partes corporis deriuantur. Luſtrat omnia , ornat omnia , ſublato capite corpus ſine nomine eſt: non agnoſcitur , nec vlla ſupereſt vſura viuendi : propterea,qui in aliquo dãnatur crimine, eo quod ornamentũ eſt totius corporis,capite abdicatur. Fertur coluber cũ vrgetur periculo , caput sẽper abſcondere, & in orbem ſe colligens obiecta reliqua parte corporis hoc ſolũ tueri.Myſticum caput Chriſtus eſt, quia omnia in ipſo conſtãt , & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ. Hoc caput qui amiſerit , viuendi vſum habere nõ poterit:hoc ſolo diſtamus à beſtiis, ad imaginem Dei,& ſimilitudinẽ virtutũ vigore formati. Hoc caput ſeruate , etiã ſi omnia mẽbra cædãtur. Hoc tamen capite cuſtodito vita integra eſt, ſalus tuta eſt.Nemo enim poteſt perire,cui non ſublatus eſt Chriſtus.Sic ille:Quibus addamus,omnem benedictionem ſpiritualem, omnes ſpiritus vitæ , gratiæ,& virtutis,omnem ſapientiam, charitatem,& pulchritudinem ab hoc capite nobis prouenire.

Pſal. 118 à principio capitis proprietates.

Vnde vlterius tanta eſt eius virtus & potentia,vt in hoc corpore viſibili Eccleſiæ pręclaros viros conſtituat , qui loco ipſius munus gerant capitis, faciatque vt ad ſui ſimilitudinẽ ſuo modo *ſint aurũ optimũ,& aurũ Cephaz*. Sic Petrus quem vocauit Cephaz,factus eſt ab ipſo caput vniuerſæ Eccleſiæ,& Petra ſuper quã fundaretur ; caput aureum & petra auri. Apoſtoli, Epiſcopi , & Doctores caput ſunt etiã ſingularũ Eccleſiarũ,& generatim in quibuſcũque præcelſis viris,id quod in illis habet rationẽ capitis,nẽpe mens,eſt aurũ optimũ,purũ, forte,ſolidũ, ſplendidũ , & ipſi Chriſto Domino perſimile, per virtutẽ quã ab ipſo recipiũt. Quod egregiè ſic explicat D. Paulinus docens ſanctos per vnionẽ ad Chriſtum fieri etiam vt aurum optimum , ſeu vt ipſe legit *aurum paz*, caput (inquit) eius vt aurũ paz.Hoc aurũ forma ſanctorũ eſt,qui in capite corporis vt lumina micant, & ſunt aurũ ignitũ Dei,quia videlicet eos per examina paſſionũ in huius mundi fornace conflatos inuenit,ſicut ſcriptũ eſt,dignos ſe, & in his ſacrã imaginis ſuæ percuſſit monetã, imprimens cordibus & linguis eorũ veritatis ſuæ verbũ :Eoſdẽque ipſos ſtatuens nũmularios , vt ſecundùm ſuam formam probabiles Domino cuderent nũmos, & abolita de nobis figura Cæſaris , viuum regis æterni numiſma ſignarent. Summa igitur ope enitamur ita nos cõparare, vt diuini capitis , quod nobis per gratiam Dei Chriſtus eſt,crines & aurum eſſe mereamur. ſic ille. Ex eo autem quod ait crines eſſe mereamur,ſequentem innuit ſimilitudinem quæ diuerſa eſt ab auro , niſi forte ſanctos vocet crines aureos Chriſti,vt mox dicemus.

Epiſt. 4. ad Seuerum.

Sap. 3. v. 5.

2.

Negãdus tamen non eſt infinitus exceſſus Chriſti ſuper alios qui capita dicuntur, qui inſinuatur in iis verbis,*caput eius aurũ optimũ*.Non vocatur aureũ,vel deauratũ,ſed aurũ ipſum , idque optimũ, vt diſcriminetur ab aliis ſanctis , qui capita ſunt Eccleſiarũ,vel à cuiuſque mente,quæ caput eſt ipſius;&non aurum eſt,ſed deauratum,quia gratia, charitas,& ſplendor virtutis,non ineſt ſanctis per naturam , ſed ſuperadditur gratuito ex Dei benignitate,ſicut ligno vel ferro ſuperponitur aurum cùm deauratur. Ideo de Eccleſia dicitur:*Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato*, & iterum.*Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbriis aureis* , quoniã omnia eius ornamenta ſunt per aurum ſuperad-

3.

Pſal. 44 v. 10. & 14.

ditum naturæ quæ de ſe diuinæ expers eſt gratiæ: at Chriſti caput non deauratum , ſed ipſummet aurum eſt optimum,ipſamet eſſentia bonitatis, & ſanctitatis;à ſeipſo,à ſuaque natura diuina aurum eſſe habet, & in hoc omnes alios infinitè ſuperexcellit.

Exod. 25. v. 10 & 17.

Quod præfiguratum fuit in arca fœderis , & in eius propiciatorio , quod erat ſuperior pars arcæ illam operiens. Arca enim compacta erat de lignis ſetim , ſed deaurata auro mundiſſimo intus, & foris: at Propiciatorium non ex ligno , ſed totum erat ex auro mundiſſimo : ſic etiam Eccleſia ſanctorum,imo & Chriſti humanitas, quæ creatura quædam eſt , non eſt tota ex auro, ſed eſt natura per ſuperadditum aurum deaurata intus & foris. Deaurat autem illam Deus cùm gratiam, charitatem , & reliquas ſupernaturales virtutes confert:at Chriſtus propitiator noſter , qui Deus eſt,& Verbum patris , eſt ipſummet aurum optimum,& mundiſſimum,cuius participatione omnes iuſti deaurantur,quia de plenitudine eius omnes accipimus gratiam pro gratia.

De attributis , cogitationibus, & operibus Chriſti Dei & hominis. §. 3.

Elate elates nomẽ Græcum, elatæ Latinum. Li. 12. c. 18.

Pergit ſponſa ornatum capitis dilecti, qui à capillis prouenit commendare dicens : *Comæ capitis eius elatæ palmarum nigræ quaſi coruus.* Elate elatæ teſte Plinio, quẽ ſecutus eſt D. Ambroſ. & Paulinus , arbor quædam eſt quæ vocatur abies, ab aliis ſpathen,vel palma, quod tamen à reliquis non probatur. Caſſiodorus verò quem ſequuntur Beda, Rupertus, & alij, elatas dicit ramos palmæ productiores , excellentiores,interdum aurei coloris criſpantes , & ſemper ad excelſa tendentes: vt comæ ſponſi dicantur denſæ,& criſpæ, (ſupra enim vocati ſunt cincinni) ſicut ſunt ipſæ comæ, & rami palmarum. Cæterum vt placet Galeno, Dioſcoridi , & aliis, elatæ ſunt tenerum palmæ germen, quoddamque profilientis fructus operimẽtum,ſeu inuolucrum;è quo dum aperitur, erũpunt numeroſi villi , ſeu fili , quibus appendunt floſculi,à quibus paruuli dactyli virides vuarum botros,vel racemos imitantes producuntur. Sicut ergo elatæ in culmine ſunt palmarum,ſed põdere ſuo verſus truncum dependent;ſic ſponſi capilli qui Nazareus putatur, paululum hirti, & aſcendentes à radice, poſteà deorſum pendebant, quia longi erant; & cùm eſſent criſpi , in imo etiã cincinnis retortis flores referebant. Fertur corticem prædicti operimenti eſſe nigrum,& aliquantulum ſubfuluum , & ideo capilli dicuntur nigri, quaſi coruus , quod indicat Sponſi ætatem non ſeneſcentem,ſed virilem , & robuſtam : ad decorem enim virorum nigredo capillorum ſpectat, maximè inſtar corui , cuius nigredini ſol aduerſus irradians nonnullum pallorem auri in extremis partibus referre facit. hæc de metaphora.

Lib. 8. de ſimplicib. Lib. 1. c. 116

Lyricus lycum nigris oculis, nigroque crine decorũ.

I. Apoc. 1. v. 14.

Sed non modicam ingerit difficultatem quod in Apocalypſi de Chriſto Domino dicitur : *Caput eius,& capilli erant candidi tanquam lana alba , & tanquam nix*: hic autem dicitur caput tanquam aurum,ſed capilli nigri quaſi coruus.Sed hanc difficultatem ſoluit nobis magnus Dionyſius dicens, Scripturam aliquando repræſentare nobis Deũ, quaſi ſenem , & antiquum dierum , quo denoter eius æternitatem : aliquando tanquam iuuenem & ætate florentem,vt ſignificet cum eius æternitate coniunctam eſſe immarceſſibilem pulchritudinem,& vigorem, iuxta illud Pſalmi , *Ipſi peribunt,tu autem permanes , & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.Tu autem idem es , & anni tui non deficient.* In Apocalypſi autem , & apud Danielem repræſentatur tanquam ſenex habens capillos albos, tanquam lanam mundam , & ideò vocatur antiquus dierum,quia agebat perſonam iudicis , vel paſtoris,ad quam ſpectat canities, ſenectus venerabilis,autoritas,& reuerenda maieſtas. At in hoc Cantico agit perſonam ſponſi , & ideò caput habet aureum , & capillos nigros , virilem ætatem floreſcentem indicantes. Obſeruat autem Rupertus apud Danielem, vbi de Patre agitur , & in Apocalypſi vbi filius apparet,capillos albos vtrobique referri,quia Pater & Filius eandem habent antiquitatem , & æternitatem , nec vnus eſt alio prior,aut poſterior;nam *Chriſtus* (ait Paulus) *heri, hodie , ipſe & in ſecula.*

C. 10 de diuinis nominibus.

Pſal. 101. v. 27. Daniel. 7. v. 9. Ad Heb. 13. v. 8.

Præterea per comas & capillos Chriſti , ſiue vt Deus , ſiue vt homo , conuenienter intelligimus eius attributa & perfectiones , vt dicunt tres patres apud Theodoretum; aut eius mirabiles cogitationes , iudicia , & conſilia , imò beneficia , & opera quæ ad nos deriuantur , quoniam ſicut capilli à capite procedunt , & illud tegunt , ac ornant; ita quaſi ab eſſentia diuinitatis procedere videntur,& illam pulcherrimè ornant.Huiuſmodi autem perfectiones , vt miſericordia , iuſtitia, bonitas , &c. ſunt ſicut elatæ palmarum propter celſitudinem,& eminentiam : Et licèt vnum quid ſint in Deo,quia omnes ſunt ipſa diuinitas,tamen dicuntur quaſi innumeræ, quotquot per creaturas videmus diſperſas. Omnes etiam deorſum verſus nos propendunt,quia ſe nobis communicant , & miris modis benefaciunt ; nam de plenitudine Dei Chriſti omnes recipimus : eius ſapientia nos regit, prouidentia nutrit , miſericordia medetur, liberalitas locupletat,lætificat benignitas , cuſtodit fortitudo,omnipotentia auxiliatur,& participes nos ſui facit ipſa diuinitas, omneſque Dei cogitationes quæ innumeræ ſunt , & velut capilli minutiſſimæ ,etiam circa res noſtras minimas, quia nihil eius ſubterfugit ſapientiam , & prouidentiam,eleuatæ ſunt & prominentes ; nam *ſicut exaltatur cœlum à terra,ſic cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.* Et ex ſe ſunt cogitationes pacis,ſalutis , & beneficentię, non afflictionis. Cæterum cuncta hæc ſunt comæ nigrę quaſi coruus , vt obſcurus color nigredinis earum denotet obſcuritatem,quoniam profundiſſimæ ſunt , & inueſtigabiles nobis, noſtramque ſcientiam ſuperant. Poſuit enim Deus tenebras latibulum ſuum , & quis inueſtigabit magnalia ipſius ? iudicia enim Dei ſunt abyſſus multa : vnde Apoſtolus exclamat: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ , & ſcientiæ Dei , quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius , & inueſtigabiles viæ eius?* Sunt etiam huiuſmodi comæ aliquando albæ ſicut lana munda , aliquando nigrę ſicut coruus:quoniam aliquando blanditiem , & ſuauitatem oſtendunt, aliquando verò rigorem & ſeueritatem : eſt enim Deus terribilis in conſiliis ſuper filios hominum : ſemper tamen ſunt mundiſſimæ , & puriſſimæ , quia omnia iudicia eius iuſta,& ſancta,ac ſapientiã plena , & tandem ſunt ſicut elatę palmarum,quę ſymbolum ſunt victorię, quoniam per huiuſmodi comas , perfectiones,& cogitationes de hoſtibus ſuis palmam fert, victoriamque reportat ; & in cœlo ac in terra omnia quęcumque voluit, fecit;& aliquando beneficiis tanquam capillis ſicut lana albis, aliquan-

Pſal. 17. v. 12. Eccleſ. 18. v. 3. Pſal. 35. v. 7. Ad Rom. 11 v. 33.

Pſal. 65. v. 5.

do minis & terroribus tanquam capillis nigris, sicut coruus, nos ad se trahit, & suæ subiicit voluntati: nec huic dissonat bina similitudo alboris, tanquam lana, & tanquam nix, quoniam lana fouet, & calorem corpori conciliat; nix è contra frigefacit: sic per huiusmodi cogitationes aliquando Deus mulcet, fouet, & ad sui amorem excitat; aliquando verò ardores concupiscentiæ extinguit, quod minis & terroribus etiam perfrat, & sic animam candidam sicut niuem reddit.

3. Sed mysterium Dominicæ incarnationis his similitudinibus mirè depictum intueamur, à capite enim aureo Christi Domini processerunt tanquam comæ plurimæ virtutes, cogitationes, voluntates, & opera, dicta & facta, passiones & ærumnæ pro nobis assumptæ, & perpessæ; quibus optimè quadrat quod dicitur: *Comæ eius sicut elatæ palmarum nigræ quasi coruus.* Erant quidem sicut elatæ palmarum propter pulchritudinem, celsitudinem, & eminentiam super omnia, quæ ab hominibus vnquam patrata sunt; quæ certissimum reddebant testimonium ipsius capitis aurei, & diuinitatis vnde procedebant, iuxta illud: *Ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me.* Cuncta autem erant in commodum hominum propter eorum salutem, innumeris eos cumulando beneficiis; nihilominus erant nigræ quasi coruus, tum in opinione inimicorum suorum, tum propter similitudinem carnis peccati, quam assumpsit ex Adam peccatore, & nigro vt coruus. At Christus non vt coruus, sed quasi coruus, quia tantùm ad similitudinem illius assumpsit peccatoris nigram figuram, & peccati ærumnas, vnde & cum sceleratis reputatus est tanquam coruus niger, maledictus, blasphemus, & execrandus, inter latronesque est crucifixus: at sicut corpus corui versus solem obliquans, aureum quid in pennis rutilat; sic omnia ista quæ Christus passus est, ex coniunctione ad Verbum diuinum, aureum quid diuinitatis rutilabant, vt etiam inter ipsas nigerrimas passiones & afflictiones, eius diuinitas non omnino absconderetur; imò à quibusdam fidei oculis sit agnita, sicut à latrone, cùm dixit: *Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum.* Et à Centurione dicente: *Verè hic homo filius Dei erat.* Vnde hæ ipsæ quæ nigræ videbantur, erant sicut elatæ palmarum propter virorem gratiæ, & sanctitatis, nullo tempore marcescentem, nec se dimittentem ad peccati infimam vilitatem instar palmæ, quæ nullo pondere flectitur, & signum est victoriæ; nam & per ea quę nigra visa sunt mundo, Christus vicit illum: *Confidite* (inquit) *quia ego vici mundum.* Vicit & peccatum, mortem ac diabolum, & gloriam resurrectionis obtinuit; cùm manifestatus est candor qui latebat in comis; de quo Ioannes intuens eum iam à mortuis suscitatum, ait: *Caput & capilli eius erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix.* Erant, inquit, quia semper hunc candorem habuerunt etsi aliquando absconditum sub corui nigrore, vt fidelibus suis formam viuendi præscriberet.

Ioan 5. v. 36

Ad Rom. 8. v. 3.

Luc 23. v. 42

Matth 15. v. 39.

Ioa. 16. v. 33.

Apoc. 1. v. 14.

De sanctis Christo vnitis quomodo simul sint vt elatæ palmarum, & nigri quasi coruus. §. 4.

Hoc licet videre iuxta interpretationem D. Gregorij Papę, & aliorum multorum Patrum, qui per comas capitis Christi, ad mysticum eius corpus attendentes, intelligunt Apostolos, Discipulos, & Sanctos, omnesque illi per fidem & dilectionem vnitos, de quibus suprà eleucidauimus quod de sponsa dicitur: *Capilli tui sicut greges caprarum, qui ascenderunt de monte Galaad.* Et infrà iterum, *Caput tuum vt Carmelus, & coma capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus.* De quo suo loco dicetur.

Cant. 4. v. 1 Lib. 7. exh. 2 Cant. 7. v. 5. & lib. 9. exhort. 16

Hîc tamen duabus hisce similitudinibus quales sint ampliùs declarat, siue eodem simul tempore conueniat illis esse sicut elatas palmarum, & nigros quasi coruus, siue pro diuersis temporibus: vt qui nunc sunt instar elatarum, aliquando fuerunt instar coruorum, quomodo superiùs interpretati sumus quod de se ipsa sponsa asseruit: *Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem sicut tabernacula Cedar, & sicut pelles Salomonis.* Vterque enim locus egregiè sibi consonat. Nam vnde Ecclesia est nigra sicut tabernacula Cedar, inde comæ eius sunt nigræ quasi coruus: vnde autem formosa sicut pelles Salomonis, inde comę eius sicut elatæ palmarum; pulchras enim comas palmæ in vertice habent.

Cant 1. v. 4. De quo lib. 2. exhor. 18. & sequent. & in exhor. 23 §. 6. dicitur aliquid de hoc loco.

Sancti igitur per virtutem & gratiam quam à Christo capite instar auri optimi recipiunt, sunt sicut elatæ palmarum, pulchrum Christi ornamentum in modum coronæ victoriam, & palmam eius attestantes, semper ad excelsa tendentes, nec se dimittentes ad ima peccati, etsi per compassionem ad miseros subleuandos se inclinent, & sicut elatę seu inuolucra paulatim se aperiunt, & erumpũt plures flosculi à quibus prodeunt dactyli parui, qui dum crescunt, & maturescunt dulces sunt gustui; sic intra se sanctas concipiunt cogitationes, quæ in magna desideria se expandunt, vnde procedunt opera quę paulatim excrescunt, & dulcissima sunt Deo; per quæ tandem gloriosam palmam & victoriam reportant.

1.

2. ¡Sed quomodo dicuntur nigri quasi coruus? obseruat D. Paulinus quod hæc auis interdum forma peccati in Scripturis, interdum gratię species inuenitur. Videtur enim esse mortifera cùm ad supplicium producitur impiorum: Vt cùm dicitur; *Oculum qui subsannat Patrem, &c. effodiant eum corui de torrentibus.* Laudabilis autem eadem auis, vel cùm Prophetam panibus mane, & carnibus, ac etiam ad vesperam alit; vel cùm puli coruorum inuocant nomen Domini. Sed & color eius aliquando in sanctis, aliquando in impiis dicitur. Sponsa namque se dicit fuscam & decoram, & Dominus tenebras posuit latibulum suum. At è contrario à Domino admonemur, ne tenebræ nos comprehendant. sic ille. Quod optime propriam sequens versionem prosequitur.

Epist. 4. Prou. 30. v. 17. 3. Reg. 17. v. 9. Psal. 146. v. 9 Psal. 17. v. 12 Isai. 12. v. 25

Hinc igitur desumimus sanctos bifariam dici nigros quasi coruos. Primo quidem quia agnoscunt se aliquando fuisse peccatores, & nigros à nigro parente terreno Adamo progenitos, & quia per proprium peccatum se ampliùs denigrarunt, sicut Petrus, & Paulus, Magdalena, & alij eiusmodi, quos Dominus permisit his culpis denigrari vt humiles forent, & fortiùs capiti Christo hærerent, sublimiusque maiori cum securitate ascenderent, sicut elatæ palmarum, & victoriam obtinerent de illo à quo victi sunt.

Alio tamen modo dicuntur nigri quasi coruus ad Christi similitudinem, tum qui obscuri apud homines habentur, ab illisque despiciuntur tanquam peccatores; tum quia multis ærumnis & tribulationibus concutiuntur in hac vita, in quibus tamen crines nigri sunt quasi coruus, propter virilem vigorem quem semper retinent. Non enim in studio proficiendi senescunt, non veterascunt, non repescunt, sed iugis est eorum viuentus, quæ in dies renouatur sicut aquila; & longæua est sicut coruus, cuius longa est vita immutato colore: in quo etiam palmæ assimilantur, de qua dicitur, *& sicut palma multiplicabo dies.* Vnde & multiplicantur elatę palmarum, & plurimos afferunt fructus in patientia. Omnia autem hæc capiti suo deferre debent; nam sicut capilli omne suum incrementum, omnem decorem, colorem, & crispitudinem à capite recipiunt, sic iusti à Christo omnem virtutem, & gratiam, cunctaque spiritualia bona, & incrementa virtutum habent, quibus ad eius similitudinem possint peruenire. Nec sine mysterio in Apocalypsi nulla fit differentia inter caput, & capillos, sicut in hoc loco, sed de vtrisque simul dicitur: *Caput & capilli eius candidi tanquam lana alba*, &c. ad significandam maximam vnionem, & similitudinem inter Christum & sanctos in candore gratiæ, & albore sanctitatis; quæ tamen in sanctis ab ipso Christo procedit. Cæterùm vt infinitus excessus Christi super electos suos denotaretur, in isto cantico tum hîc, tum in capite 7. distincta fit mentio, & laus capitis, & capillorum, sicut iam suprà ponderatum est.

Iob. 19. v. 18

Apoc 1. v. 14.

3. Denique tota hæc sententia explicari etiam potest de iis qui in corpore Christi mystico rationem capitis sortiuntur, nimirum Episcopi, Prælati, Pastores, & Doctores, qui in hoc Cantico comparantur monti Galaad, & Carmelo, nunc autem ex vnione maiori ad Christum auro optimo, quia per ipsum mira sunt sapientia & sanctitate fulgentes: oportet enim eos inter fideles, & bonos esse optimos, & supremum virtutis apicem attigisse. Comæ verò eorum dicuntur sicut elatæ palmarum, & nigri sicut coruus, ad modum quo in §. 3. hęc diuinis cogitationibus attribuimus, proportione seruata; sunt enim cogitationes eorum sublimes, fortes, semper virentes, & profundæ. *Nam cogitationes iustorum iudicia*, de quo plura dicuntur, cum aliæ similitudines capillorum Ecclesiæ explanantur; ideo hæc attigisse sufficiat. Vtinam & nos semper charismata æmulemur meliora, & sanctiores conemur habere cogitationes, quæ talia pariunt opera per quæ æternam palmam consequamur, & victoriam. Amen.

Cant. 4. v. 1. & c. 7. v. 5.

Prou 11. v. 5. Li. 7 exh. 2. & li. 9. exh. 16.

Post laudatum caput mirificè commendat sponsi oculos, non tã corporeos, quàm spirituales, de quib⁹ Salomon inquit: *Oculi sapientis sunt in capite eius*: & quale caput, tales oculi erunt. Cùm verò sponsi caput sit aurum optimum, oculi eius optimum aurum erunt: maxime cùm aurum sapientiam designet, quæ potissimè internos ornat oculos, de quibus laus ista explicanda est.

Eccl. 2. v. 14

De oculis Christi Domini quibus electos conspicit, gubernat, & prouidet. §. 1.

Bini igitur Christi oculi, bina est eius sapientia: increata, quæ conuenit illi vt Deus est; & creata, qua mens ipsius ornatur vt homo: in ipso enim, teste D. Paulo, *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ abscondili.* Sapientia refertur ad cognitionem quam habet sui ipsius, omniumque suarum perfectionum, quas innumeris modis suis poreſt communicare creaturis; scientia verò ad cuncta creata præterita, præsentia, & futura, ita vt nihil prorsus illum lateat, quantumuis videatur occultum. Nam scrutatur corda, & renes; nec circa præterita vlla in eum cadit obliuio, vel circa præsentia vlla inauertentia, nec eius præuisionem fugit aliquid futurum: imò quæcumque ex quauis hypothesi & conditione posita futura forèt, & quid quidque in hac vel illa occasione, vel periculo quisque constitutus agerer, certissimè nouit.

Ad Colos. 2. v. 3.

Sed quoniam hæc Dei scientia in bonum ipsarũ creaturarum ordinatur, maximè verò animarum, propter quas sponsi cognomentum accipit, merito per oculos eius intelligimus sapientiã & scientiã qua nos gubernat, & dirigit, generalique nomine prouidentia nuncupatur, qua cũcta circumquaque conspicit, regit, & prouidet, attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter, in pondere, numero, & mensura. Ad explicandam autem huius prouidentiæ perfectionẽ in Christo Domino, non tãtũ duos, sed septẽ oculos assignat Scriptura, sicut Zacharias Propheta ait: *Super vnũ lapidem septẽ oculi sunt.* Et Ioannes vidit *agnum stantem tanquã occisum habentẽ cornua septẽ, & oculos septẽ, qui sunt septẽ spiritus Dei missi in omnem terrã.* Per numerũ autem septenarium vniuersitas scientiæ, & potestatis, quã repræsentant oculi & cornua, designatur: ad perfectam enim prouidentiam & gubernationem nec potestas sine scię. tia, nec scientia sine potestate sufficerer. Oportet enim vt disponat omnia suauiter per sapientiã, & attingat fortiter per potestatem. Septem igitur oculi qui omnem terram lustrant, spiritus vocantur ob subtilitatem, agilitatem, & penetrabilitatem; nam Spiritus Domini replet orbem terrarũ. Sed quoniam spiritus sapientiæ, & intelligentiæ vnicus vocatur, & multiplex, qui vnicus est in se, non potest dici multiplex, nisi vel à multiplici obiecto quod respicit, vel à multiplici effectu quem efficit in nobis, nimirum à septẽ bonis quæ electis confert, & omnibus offert hominibus, inde oculi septemplices dicuntur. In quolibet autem obiecto & effectu plurima media continentur, quibus executioni mandantur.

Zach. 3. v. 9. & c. 4. v. 10. Apoc. 5. v. 6.

Sap. 8. v. 1. & c. 11. v. 21.

Primum est conseruatio & gubernatio, ac prouidentia eorum quæ ad corpus spectant: secundum regeneratio & sanctificatio animæ vt notiam inchoet supernaturalem vitam: tertium eius conseruatio, nutritio, & deductio in debitũ augmentum: quartum reparatio illius si contingat per peccatum emoti, patienter, & longanimiter peccantes expectando, misericorditer peccata

Septem effectus diuinæ prouid.

EXHORTATIO XXI.

De oculis Christi Domini, quibus Ecclesiam & iustos gubernat, de eorumque insignibus; atque de Prælatis & Doctoribus qui sunt eius mystici oculi.

v. 10. Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentiuxta fluenta plenissima.

condonando, ac vitam perditam restituendo. Quintum, comminatio iusta, nonnullorumque suppliciorum aut pœnarum inflictio, vel ad correptionem, vel ad exercitium, vel ad maiorem purificationem. Sextum, benigna promissio, & elargitio aliquorum præmiorum, fauorum, ac donorum, quæ animam alliciant, exhortentur, corroborent, & ex parte remunerent. Denique donum perseuerantię, post quod sequitur collatio gloriæ consummatæ, vbi & ipsa prouidentia circa electos quæ prædestinatio dicitur, consummatur. Hoc autem donum reprobi sua culpa non habẽt, illis enim non negaretur à diuina prouidentia, si obicem voluntarium non apposuissent per suam peccatis complacentiam. B

His oculis Christus Dominus suam sponsam intuetur, suam Ecclesiam gubernat, & electos suos immensis & innumeris replet bonis, & gratiis, ac
Psal.31.v.18. de illis dicitur: *Ecce oculi Domini super timentes in*
Psal.33.v.16 *eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Et rur-
Psal.10.v.8. sus: *Oculi eius in pauperes respiciunt, & palpebræ eius interrogant filios hominum.* Quibus verbis mysterium oculorum Dei indicatur. Palpebræ enim tegumentum sunt oculorum; illis clausis nihil videmus, sed apertis. At Deus oculos suos palpebris rectos aliquando habere videtur, quia multa prouidentiæ ipsius nobis occultat, & quasi res nostras non videtur curare, nec inspicere; & tamen istæ ipsæ palpebræ interrogant filios hominum, certissimeque illos penetrant, & diiudicant, veritatemque manifestant: quomodo iudices interrogando, veritatem inquirunt, & propalant; interrogant autem quoniam probant fidelitatem hominum, quia iusti, & si Deus videatur eos deseruisse, curamque eorum non gerere, semper tamen firmiter credunt oculos eius videre illos, & prouidentiam circa eos iugem, & si occultam benigne habere. C

Hos oculos esse sicut flammam ignis, & sicut columbas.

§. 2.

Apoc.1.v. 14. IAM quales hi oculi sint, conspiciamus. Si Apostolum Ioannem in Apocalypsi consulas, dicet tibi, *& oculi eius tanquam flamma ignis.* At si sponsam interroges, respondet: *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quę lacte sunt lotæ, & residẽt iuxta fluenta plenissima.* Quomodo ergo cohærent flamma ignis, & columba, ac aquarum fluenta? Sed numquid Spiritus sanctus non descendit super Apostolos tanquam flamma ignis, & super Christum Dominum requieuit sicut columba; qui & eum vocauit aquam viuam, imo flumina aquæ viuæ? Quid igitur mirum quod oculi Christi, qui vnus Deus est cum sancto Spiritu, & per oculos istos nos misericorditer intuendo, eundem Spiritum sanctum electis suis communicat, simul dicantur flamma ignis, & columbæ super riuulos & fluenta aquarum? D E

1. Sunt itaque huiusmodi oculi tanquam flamma ignis, quoniam in se lucent per sapientiam, & ardent per charitatem, & alios illuminant, & ardere faciunt, emittentes illustrationes, & inspirationes, quibus tenebras expellunt, lumen infundunt fidei, charitatem accendunt in cordibus, & ignea reddunt. Dixerat paulo ante Ioannes, *Caput, & capilli eius candidi tanquam lana alba, & tanquam nix.* Mox subiungit de oculis qui in eodem capite sunt, esse tanquam flamma ignis, quoniam dilectus, vt vidimus, est candidus, & rubicundus: candidus tanquam lana alba, & nix; rubicundus tanquam flamma ignis. Nix & ignis contraria sunt in corporalibus, quia illa frigidissima, hic calidissimus est: at quæ pugnantia videntur in creaturis, sublata omni imperfectione emiuentiùs sunt in creatore, qui continet candorem niuis cũ frigiditate ad extinguendum igneum amoris proprij ardorem; prę habet etiam ruborem & ardorem ignis ad expellendum noxium peccati & torporis frigus; vt corda ardeant diuini amoris flamma. His oculis respexit Dominus Petrum Luc.22.v.61 post trinam negationem, & mox frigidum pectus eius calefecit, oculos in riuulos aquarum conuertit, candorem niuis restituit, & Barjona, id est filium columbæ iterum effecit.

2. Oculi enim Christi etiam sunt *sicut columbæ*, non ait sicut oculi columbarum, sed sicut ipsæ columbę, & singuli oculi singulæ columbæ. Columba auis est pulchra, simplex, pura; & cùm est alba pulchrior habetur, iuxta illud, *Pennæ columbę deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Et apud Palæstinos summo pretio æstimabatur Deo sacranda, vnde est illud Tibulli: *Columbę est nominatiu⁹ pluralis vt patet ex subiuncto quæ lacte sunt lotæ.* Pſal.67.v.14 Li.1.Eleg.7

Quid referam vt volitet crebras intacta per vrbes,
Alba Palæstino sancta columba suo.

Oculi igitur sponsi dicuntur sicut columbæ, quia pulchri, candidi, deargentati, simplices, & puri, sine vllo amaritudinis felle: omnis eius prouidentia nobis est valde specioſa & digna Deo, simplex sine dolo, pura sine ira, & odio. Nam etiam cùm punit mitis est, suauis, & amore saucia, candida est, & candorem gratiæ efficere studet, deargentatasque pennas omnibus communicare. Est enim columba auis fœcunda plures pullos generans, magnaque nutriens sollicitudine: sic & oculi sicut columbæ columbinas animas generant, Spiritus sancti gratiis pulchras, easque nutriunt earum incremenți curam gerentes: quos enim Christus Dominus his oculis intuetur, donis spiritualibus ornat.

3. Sed additur, *Super riuulos aquarum, quę lacte sunt lotę, & residẽt iuxta fluenta plenissima.* Lxx vertunt: *In fine cum nomine plenitudines nõ habetur aquarum apud textũ Hebræum.* Exod. 28. v.11.& v.17. Hebræi legunt *Erunt lapides in plenitudini-bus suis.* *Oculi eius sicut columbæ super plenitudines aquarum, lotę in lacte, sedentes super plenitudines.* Hoc vltimum quidam referunt ad ipsos oculos, qui dicuntur sedere super plenitudines, quia implent plenè, apte, & concinnè suas palas siue cauitates, ad modum quo gemmę & lapides preciosi implent foramina auri, vel argenti, in quibus includuntur, & ideo ab Hebræis vocabantur lapides plenitudinum. Hac ergo similitudine quam diuersam putant à præcedente, significatur oculos in capite sponsi, quod est aurum optimum, esse velut duas preciosissimas gemmas illud mirificè ornantes, & egregrie explentes omne munus suum, vt nihil illis desit, vel superfluum sit, sed quæ ad perfectissimam prouidentiam, & circumspectionem pertinent, maxima cum plenitudine complere.

Sed quoniam vulgata vtramque plenitudinem aquarum esse dicit, amplificationis gratia bis dicitur columbas volitare super riuulos aquarum, & residere iuxta fluenta plenissima, exprimendo hac similitudine oculorum compositionem aqueo humore constantem; vt sicut aquæ sunt in riuulis, sic oculi sint in suis palis, & cauitatibus, vnde stillant, & manant, quod fontium proprium est. Oculi ergo sponsi à pulchritudine, simplicitate & munditia dicuntur columbæ candidæ, & sæpiùs lotæ, sed à plenitudine sapientię & gratiæ vocantur columbæ existentes prope riuulos & fluenta, aut plenitudines aquarum. Aqua *Fauet quid apud Hebręos idem nomen est oculi & fõtis, vt infrà dicetur.*

enim in Scriptura aliquando significat gratiam quæ est aqua viua, aliquando sapientiam, de qua
Eccl. 15 v.3. dicitur, *aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* At Chri-
Ioan.1.v.14 stus Dominus plenus dicitur gratiæ & veritatis, & fons plenissimus huiusmodi aquarum viuentium, de cuius plenitudine omnes recipimus gratiam pro gratia, sapientiam pro sapientia, virtutem pro virtute, id est vberrimam omnium gratiarum & donorum abundantiam. A

4. Et amplificatur similitudo cùm dicitur, *quę lacte sunt loti.* Est enim Hebraismus ad significandam abundantiam lactis, qua sunt perfusæ, quo-
Genes.49. modo dicitur, *Lauabit in vino stolam suam, & in san-*
v.11. *guine vuæ pallium suum*, id est, tanta erit vini copia vt etiam eo lauent vestes suas. *Sic in lacte sunt lotæ*, B id est ita nitidę, pingues, & mundæ, ac si in plenissimo lactis riuulo essent immersæ: quod Hispani dicimus, *Empapado en leche.* Lac autem significat spiritualem doctrinam, dulcedinem, deuotionem, & suauc animarum nutrimentum, quę omnia ab oculis Christi proueniunt, & ab eius admirabili erga dilectos suos prouidentia & regimine dimanant.

Septem igitur eius oculi sunt quasi septem fontes, septem riuuli & fluenta gratiarum, donorum, & beneficiorum Dei, quæ deriuantur in electos, quos his oculis respicit, vt illis lauentur, mundentur, pulchræ fiant, reficiantur, exhilarentur, & pingueſcant, omnibusque bonis repleantur. Nam C
In doctrina 13. vt inquit D. Dorotheus, vbi est prouidentia Dei, ibi est omne bonum.

De septem donis Spiritus sancti, & septem Sacramentis.

§. 3.

HINC facile est ad alios mysticos sponsi oculos hæc applicare, nam septem eius oculi dicuntur, teste D. Hieronymo, septem dona Spiritus sancti, quæ Isaias vocat septem spiritus, qui in ipso requieuerunt, & sunt missi in omnem terIta Cassiodorus, Beda, Rupert. & tres Patres apud Theodoretum. ram, quia etiam omnibus iustis conceduntur, & per illa dona constituuntur quasi mystici oculi D ipsius Christi, & bene vocantur columbæ, quia columbini sunt spiritus, & Spiritus sancti proles, animasque efficiunt puras & simplices sicut columbas.

2. Aut etiam oculi mystici sponsi sunt iusti splendentes, & insignes his septem donis & aliis gratiis & virtutibus præclarè illustrati, & ornati, qui dicuntur esse *super, seu prope riuulos aquarum*, id est septem Sacramenta, quæ libenter voco septem riuulos aquarum viuentium, & septem fluenta gratiæ, seu plenitudines aquarum, quæ nunquam Baptiſmus. exhauriri possunt, quia primęuus fons vnde profluunt, Christus est. Prope hos riuulos versantur spirituales columbæ, vt se lauent & mundent, & E vberioribus gratiæ donis condecorentur. In primo baptismi riuulo factæ sunt sicut columbæ per aduentum Spiritus sancti super ipsos, & ab omni macula peccati mundati: Ac in eodem inquit D.
Serm. 16. in Pſal. 118. v. 3. Ambrosius, sunt *lacte lotæ*, quoniam baptizat in lacte Dominus, id est in sinceritate. Et isti sunt qui vere baptizantur in lacte, qui sine dolo credunt, & puram fidem deferunt, immaculatam in-
Alludit ad id Cant. 8. *Quæ est ista quæ ascendit dealbata*, iuxta Lxx. duunt gratiam, ideo candida sponsa ascendit ad Christum, quia in lacte baptizata est. Sed numquid lac non potius est ad nutritionem quàm ad lotionem; Vnde & D. Petrus ait: *Quasi modo ge-*
1.Petr.2.v.2 *niti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite.* Quid ergo est lacte lotas esse? Sed lac gratiæ vtrumque habet: nutrit enim, & mundat, & dum nutrit nitidum, pinguem, & splendentem spiritum reddit, vt & baptismo ascendant Nazarei Christi candidiores niue, & nitidiores lacte. Nam vt In hoc loco hic inquit D. Gregorius, gratia creatricis sapientiæ tanquam lacte matris à peccatis per baptismum sunt mundati.

Post hunc riuulum est aliud fluentum plenissimum Sacramenti Confirmationis, in quo ple- Confirmatio. nitudo ipsa Spiritus sancti confertur, & firmitas quædam ac stabilitas circa fidem, & legis obseruantiam; & ideò columbę dicuntur residere iuxta fluenta plenissima: nam effectum gratiæ quem recipiunt, semper retinere conantur. Vnde duo ista Sacramenta quemdam animæ indelebilem characterem imprimunt, qui perpetuum signum sit huius firmissimæ residen- Pœnitentia, & Eucharistia. tiæ, quam intercipere non deberent; sed frequentiùs residunt iuxta duos riuulos & fluenta Sacramentorum pœnitentiæ, & Eucharistiæ, vt in illo amplius lauentur & dealbentur super niuem; in hoc verò iucundiùs reficiantur; sicut scriptum est, *Super aquam refectionis educauit me,* Pſal.22.v.2 *animam meam conuertit.* Diuinissima enim Eucharistia aqua est refectionis, vel vt habet vox Hebræa, *aqua quietis*, quę lassum, sitibundum, *Fœlix vertit aquæ quietis placidæ, quia tranquille & leuiter fluunt.* & mœrentem reficit, erigit, & quietum ac tranquillum reddit, iuxta hanc aquam educat Dominus columbas suas, & pascit oues suas, parvulosque lacte nutrit; sed nutriendo & reficiendo eadem aqua & lacte etiam lauat: nam de hoc Sacramento sub vini specie instituto dici potest quod suprà attulimus, *Lauabit in vino* Genes.49. *stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Et v.11. recte dicitur sanguis vuæ, quia verus est sanguis Christi in torculari crucis expressus sub specie vini contentus, & de hoc explicat Apponius verba ista: *quæ in lacte sunt lotę*, id est in sanguine Christi. Lac enim sanguis est. Denique iuxta hęc fluenta plenissima residere oporteret, & firmum constituere habitaculum. Ideo enim Christus in hoc Sacramento nobiscum mansit in terris, & iugiter residet in templis, vt nos etiam iuxta illud residere appetamus, iam adstantes venerando Missæ sacrificio, iam ipsum Sacramentum venerantes, vel deuotè recipientes. Mitto allusionem oculorum ad riuulos aquarum, quæ fundatur in nomine Hebræo, quod simul significat oculum & fontem, quia forte ex oculis fontes oriuntur lachrymarum ad extergendas sordes animę & eam mundandam, quod est proprium pœnitentię. Quoniam hęc allusio clarius insinuatur infrà cum dicitur: *Oculi tui sicut piscinæ in Hæsebon*, &c. Lib.9 exh. 14.in Cant. 7.v.4. de qua suo loco dicetur. Pro Doctoribus.

De Prælatis & Doctoribus, qui sunt Christi mystici oculi. §. 4.

APPLICEMVS iam hęc verba Prelatis & Doctoribus, qui sunt Christi mystici oculi, sicut & Ecclesiæ, per quos ambo vident, regunt, & gubernant reliquos fideles, quorum proprietates per plures exhortationes explicatæ sunt in id Cant.1.& 4. *Oculi tui columbarum.* Nunc autem solum superaddemus quæ in hac comparatione insinuantur. *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarũ*, Cant I.v.14 & c.4.v.1. Lib.4 exh. 11.& 12.& 13.& lib.7. exhor.2. Lib.3.de re rustica.c.7. &c. Nota enim est columbarum propensio ad residendum iuxta limpidas aquas, nam (vt inquit Varro, de columbariis agens) aquam puram esse

„ oportet quæ influat, vnde bibere & se lauare pos-
„ sint columbæ; permundæ sunt enim hæ volu-
Ouidius 2. de arte. *Vt Sol in liquida sæpe refulget aqua.* cres. Nonnulli putant comparationem non tam esse ad columbas residentes iuxta aquas, quàm ad earum imagines, quæ in aquis lympidis repræsentantur, & in eis sunt quasi immersæ, & inclusæ, & veluti natare videntur; quæ adhuc ab aquis repercussæ venustiores apparent, vt imago solis vel lu-
Horatius li. 2. Odæ 5. *Vt pura nocturno recudet luna mari.* næ quam reddit lympida aqua, quod magis conducere videtur ad explicandam pulchritudinem oculorum intra suas cauitates existentium.

1\. Doctores igitur Ecclesiæ, & insignes viri Spiritus sancti donis illustrati, non solùm sunt columbæ puræ & simplices, sed perspicacissimæ, quæ fixos habent internos mentis oculos, non in stagna & lacunas, quæ aquas cœnosas, & putidas continent, quales solent esse prophani, & ethnici libri, sed super riuulos aquarum viuentium quæ sunt Scripturæ sacræ, vt bibant aquam illam *quæ sa-*
Eccl 15. v. 3. *pientia salutaris vocatur.* Et vt melius eas penetrent, quasi intra ipsas se immergunt, iuxta illud: *In ver-*
Eccl. 39. v. 2. *sutias parabolarum simul introibit, & in absconditis parabolarum conuersabitur.* Cum enim alios docere debeant, oportet ipsos sapientiæ limpidissimis aquis potari, & plenos esse. Sunt etiam super riuulos aquarum viuentium quæ sunt virtutes, &
Hom. 15. in Cant. dona supernaturalia; quæ (vt inquit D. Gregorius Nissenus) dicuntur aquæ lustrales, & tot sunt numero, quot vitia quæ lustrant. Nam humilitas lustrat superbiam, temperantia intemperantiam: ab his autem omnibus lustratos & mundatos oportet esse doctores qui alios lustrare debent, ideoque super riuulos aquarum lustralium iugiter adsunt.

2\. Deinde sunt lotæ lacte diuinæ gratiæ, & sapientiæ, quam ex diuinis vberibus sugunt, & accipiũt, vt etiam alios lacte nutrire possint. Dicuntur autem loti hoc lacte, quia candorem & puritatem doctrinæ, quam paruulis tradunt, etiam foris vita & moribus præferunt, vt verbo simul prosint, & exemplo. Et sicut lac (inquit Nissenus) hoc habet singulare inter humida, quod in eo nulla videtur imago, nulla apparet vmbra; ita in hisce oculis nihil est erroneum, aut vanum, sed ipsa rei veritas absque fraudulento aliquo simulachro repręsentatur. Vnde dicuntur residere iuxta fluenta plenissima ob perpetuam attentionem in edis-
Serm. 15. in Psal. 118. ante vers. 1. cendis diuinis & contemplandis sacris Scripturis. Oculi isti (inquit D. Ambrosius) sunt viri spiritualibus ornati sensibus, qui ad videnda myste-
„ ria sunt acuti, & parati ad penetranda Scripturæ
„ secreta diuina: rationabili lacte fulgentes, in qui-
„ bus non sit aliqua doli maculosa confusio, sed
„ simplicis affectus pura & immaculata sinceritas,
„ ideo in aquarum abundantia lotas has columbas
„ in lacte memorauit.

3\. Et quia Christus Dominus huiusmodi doctori-
Matt. 10. v. 16. bus præcepit prudentes esse sicut serpentes, & simplices sicut columbas, simplicitatem prudentem, perspicacem, & vigilantem commendans; hæc optimè explicatur in eo quod dicuntur esse columbas residentes iuxta limpidissima fluenta Scripturarum, in quibus vniuersas dæmonis insidias intuentur, & præcauent: ad modum quo columbæ, sicut D. Gregorius, Ricardus, & alij patres testantur, idcirco iuxta fluenta resident, vt exinde volantis accipitris vmbram à longe in aquis repræsentatam intuentes, illius rapacissimos vngues effugiant.

Possumus autem nonnullum discrimen assigna- A re inter riuulos aquarum, & fluenta plenissima. Illud refert D. Anselmus ad doctrinas Sanctorum patrum, hoc ad doctrinam Euangelicam, quæ in testamento nouo continetur, vbi copiosior est sapientia, & vndequaque plena: & iuxta illam oportet iugiter residere, non cursim, sed permanenter omni loco & tempore eam mente recolentes, vt tam nosmetipsos, quàm alios docere, lauare, munire, & ab omnibus hostium insidiis tueri valeamus.

Denique quidquid de his columbis suprà di- 4.
ximus, in Prælatos & Doctores apprimè quadrat, Lib. 4. in exhort. 12.
quî fulgere debent syncera fide, simplici intentione, innata mansuetudine, mira prolis spiritua- B lis fœcunditate, summa descriptione, & reliquis virtutibus quas columbarum proprietates repræsentant, vt subditi & discipuli eorum vitam imitantis, tales sint quales ipsi sunt, sicut scriptum est, *Qualis est rector ciuitatis, tales & habitantes in ea.* Eccl. 10. v. 2
Vnde cuicumque congregationi aptari potest quod dicitur: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem fuerit nequam, totum corpus* Luc. 11. v. 34
tuum tenebrosum erit. Nam si Pręlati & Doctores sanctitate & sapientia splendent, corpus congregationis, quod ab eis regitur, lucidum erit, & splendidum. At si fuerint nequam, malitia, ignorantiaque corrupti, corpus etiam tenebrosum & corruptum erit. Nam si oculi, qui deberent esse pulchri sicut columbę, candidi, & lacte loti, fiant C sicut corui nigri & fœdi, quid mirum quod reliqui etiam nigri reddantur? Vnde fit eos à sublimi loco quam in capite obtinebant decidere, & aliorum pedibus conculcari: nam si sal euanuerit, ad Matt. 5. v. 13
nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Duplici ergo titulo Prælati & Doctores oculi esse tenentur sicut columbæ, & propter proprium commodum, & propter proximorum vtilitatem, quia eorum nequitia & ignorantia non solùm sibi, sed multis aliis nocet.

Sed qui dignitatem oculorum seruare deside- 5.
rat, vel supremum sanctitatis locum in hoc cor- Quatuor commoda ex meditatione Scripturarum.
pore mystico obtinere, columbas imitetur resi- D dentes iuxta riuulos & fluenta aquarum, vt eis se potent, lauent, refrigerent, & tueantur, ita iugi, pura & simplici meditatione sacras Scripturas, & Euangelica mysteria perscrutetur. Ex quibus quatuor hæc commoda accipiet, vt nimirum aquam sapientiæ salutaris bibat quantum sat est ad sedandam animę sitim, & satianda eius desideria quæ in ęterna feruntur: Deinde sępiùs se lauit, vel à minimis maculis se purgans. Præterea calorem noxium amoris proprij extinguat, & ardorem concupiscentiarum temperet, ac refrigeret: & tãdem se ab insidiis inimicorum tueatur, in eis intuens media quibus eorum laqueos euadat, & tẽpestiuè fugiat. His igitur verbis (ait Nissenus) do- Hom 13. in Cantic.
cemur quomodo pulchritudinem oculorum ob- E tinere valeamus, videlicet sedendo non ad flumina Babylonis, non ad turbidas aquas Ægypti, sed ad aquas diuinæ sapientiæ, & gratiæ, execrantes illos qui derelinquunt Deum fontem aquę viuę, & fodiunt sibi cisternas dissipatas, quę non valent cõtinere limpidam aquã, sed fœtidũ cœnum.

Et sicut oculi superciliis, tanquam quodam val- 6.
lo proteguntur; ita (inquit) se tueantur diuinorum Etiam hoc insinuat Nissenus.
dogmatum certitudine; & insuper humili tremore tanquam palpebrarum tegumento puritatem suam seruent, ne quid eis noceat: sicut *His pene*
enim supercilia firmiora sunt, palpebrę verò *cejas, y*
mobiliores; vnde à palpitando vel tremendo *prestañas.*

dicuntur, vtraque verò vallum sunt oculorum A contra occursantia animalia, & alia fortuitò occurrentia; ita qui Christi oculi esse merentur, certissima mysteriorum Dei fide, & propriæ infirmitatis humili tremore securè muniuntur. Certam enim suam vocationem faciunt, dum propriam salutem cum ingenti timore & tremore iugiter operantur. Ea autem est natura oculorum, vt nec minimam festucam patiantur, valde enim à quauis re extranea læduntur, & ideo huiusmodi operculis à natura teguntur: sic iusti quamcumque maculam, etsi paruulam exerantur, & ideo forti humilitate, ac humili fortitudine se muniunt, vnde & si in loco sint sublimi non altum sapiunt, sed timent; nec alios inferiores contemnunt, di- B
1\. Cor. 12. v. 21. cente Apostolo: *Non potest oculus dicere manui, opera tua non indigeo.* Indiget enim Prælatus subditis, magister discipulis, contemplatiuus actiuis, & maior minoribus; vnde semper est aliquid, in quo intus saltem se illis submittat, vt propriam humilitatem indemnem seruet, per quam gloriam consequatur æternam, quam Deus nobis largire dignetur. Amen.

EXHORTATIO XXII.

Circa Euang. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

De modesta & sancta Christi conuersatione inter homines, & de mansuetudine, & cordis humilitate quæ maxime fulserunt in eo.

v. 13. Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis.

CVM cœlestis sponsus candidus & rubicundus, pulcher & decorus non minùs traxerit ad se homines splẽdore vitæ, quàm fulgore D doctrinæ, fuit enim potens
Luc. 24. v. 19 Act. 1. v. 1. opere & sermone, ideoque cœpit facere, & docere, vt vtroque sibi omnes subiiceret, iuxta illud Psalmi: *Specie tua, & pulchritudine tua intende prosperè, procede, & regna: propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.* Hinc sponsa vtriusque satis conscia, miris ea laudibus effert, iam laudans genas, iam labia, iam manus, iam ventrem, &c. in hoc autem versu genas laudat, diuersimode ac sponsus eius genas laudauerat, vt ex subiunctis similitudinibus deduci potest. Etenim genæ sponsi vocantur ea pars faciei quæ ab oculis vsque ad mentum descendit, & vtramque maxillam amplectitur, in iuuenibus- E que solent pubescere, flauaque lanugine condecorari: ideoque apte comparantur areolis aromatum, & florum optima arte dispositis, quia cum illis optimam habent proportionem; nam & ar-
Lib. 8. Æneidos. bores dicuntur pubescere, & flaui pili barbæ vocãtur flores, iuxta illud poëtæ: *Tunc mihi prima genas vestibat flore iuuenta.* Oportebat autẽ sponsi genas non tantùm à candore, & rubore, sed ab hac nobili barbæ parte commendari, quæ non virgines, sed iuuenes ornat, & symbolum est virilis fortitudinis, vt discrimen constet inter vtrumque, & inter eos qui vtriusque mysticæ dicuntur genæ. Etenim sponsæ genæ quæ maximè virgines &

continentes repræsentant, bene assimilantur tur- De his sponsæ genis actum est lib. 3. exh. 22. & sequ. & lib. 7. & exh. 10. & 11.
turi, & fragmini mali punici, quæ virginalem clausuram, & verecundiam commendat: at sponsi genæ, quæ quatenus instrumentum sunt loquendi, doctores & concionatores etiam complectuntur, vt in lib. 7. diximus, virili pollere debent fortitudine; & quia apud homines præclaris floribus, & fragrantibus aromatibus oportet esse conspicuos, ideo aptius eorum areolis comparantur. Iam ad ea quæ propria sunt sponsi accedamus, quorum nos etiam oportet per imitationem fieri participes.

Qualis fuerit exterior conuersatio Christi inter homines.

§. 1.

GENÆ igitur sponsi sunt eius admirabilis ex- Ita Cassiodorus, Beda, Rupert.
terioris hominis compositio modesta, verecunda, pudica, grauis, hilaris, & iucunda diuinusque faciei splendor, & maiestas, quæ internam eius sanctimoniam, & occultam indicabant deitatem: nam vt prophetæ dicunt, non fuit tristis, Isai. 62. v. 2.
nec turbulentus, néc iracundus, qui calamum quassatum non contriuit, nec lignum fumigans extinxit; sed mitis, humilis, & modestus, ac placidus, speciosus forma prę filiis hominum, moribus decorus, benignus, atque venustus. Matth. 11. v. 29.

Hanc autem externam sanctitatis pulchritudinem sic commendat sponsa: *Genæ illius sicut areolæ* Psal 44 v. 3.
aromatum consitæ à pigmentariis. LXX sic vertunt: Vide lib. 4. exhort. 14. §. 2. in id *Ecce tu pulchrior es dilecte mi, & decorus.*
Maxillæ eius sicut phialæ aromatis germinantes vnguentaria. Forte quia areolæ topiario opere consitæ varias referebant figuras phialarum, turrium, & aliarum rerum, sicut in regiis horis conspicimus; vel quia phialæ odoriferis istis aromatibus plenæ in modum areolæ artificiosè dispositæ erant in alio loco, siue apotecha, vel alteri: quibus verbis quatuor insignia insinuantur in his genis.

1\. Imprimis, sicut rubor genarum ab interno sanguine in optima dispositione existente prouenit, ita exterior pulchritudo, & virtus animæ ab interna debet procedere sanctitate. Et sicut areolæ vel phialæ non habent à se pulchritudinem, & fragrantiam, sed ab aromatibus & vnguentis quæ continent; sic homo exterior, seu corpus, non ex se habet sanctitatem, & spiritualem fragrantiam, sed à virtutibus quæ potissime in anima radicantur, sicut de sponsa dicitur: *Omnis gloria eius filiæ re-* Psal. 44. v. 14.
gis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. Ita etiam omnis sponsi gloria, decor, & splendor qui externis apparebat, à virtutibus promanabat, quæ intus in anima radicatæ erant, & foras germinabant, vt merito humanitas Christi, eiusque corpus ac sensus essent velut areolæ, & phialæ, virtutes autem velut aromata, & vnguenta replentia illas. Similitudo autem areolæ ampliùs exprimit quàm phialæ: nam aromata in areolis radices habent permanentes, viuunt, & crescunt: in phialis autem vnguenta non recipiunt incrementum; & si magnum emittant odorem; & hoc LXX. vocant germinantes vnguenta: nisi forte ad phialas vel turres ex herbis confectas referatur. Nam tunc germinare cum proprietate dicentur, & crescere: Christus igitur Dominus, & si reuera virtutes omnes à principio simul habuerit, vel vt phiala immensæ capacitatis, cui nihil addi posset; tamen exteriùs

videbatur crescere & germinare; siquidem de eo dicitur: *Iesus autem proficiebat sapientia, ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Nam crescente ætate, crescebant etiam sapientiæ & sanctitatis signa, & opera apud Deum, & homines mire fragrantia. Cæteri autem iusti qui Christi mysticæ sunt genæ, tanquam areolæ aromatum crescunt, & verè germinant, nouaque incrementa virtutis recipiunt, dum tamen ab internis ad externa procedant. Luc. 2.v.52.

2. Præterea non comparantur vni, sed pluribus areolis, vel phialis, aromatibus, vel vnguentis; quoniam ad genarum decorem, & ad pulchram hanc sanctitatis formam omnes virtutes concurrunt, miramque in hoc habent connexionem; nec enim habitus, motus, actiones, & mores hominis externi esse possunt modesti, verecundi, & concinnè dispositi, nisi omnes adsint virtutes quæ passiones cohibeant, & hominem internum tranquillum, spiritumque constituant modestum, qui coram Deo loculpes est. Si enim absit temperantia, aut mansuetudo, si desit humilitas, vel fortitudo, facilè exterior homo turbatur; & obscuratur splendor qui fulgebat in vultu. Cùm autem omnes virtutes coeunt, tunc vt de se inquit sanctus Iob, *Lux vultus mei non cadebat in terram*, id est non obscuratur candor animi, hilaritas vultus, grauitas, & modestia, per quam est gratus, splendidus, & venerabilis, iuxta illud; *Sapientia hominis lucet in vultu eius, & ab occursu facies cognoscitur sensatus.* Multo autem præcellentius lux vultus Christi nunquam obscurata est, nec in terram per confusionem, aut inordinatum mœrorem concidit, sed semper vultus eius hilaris, placidus, & beneuolus, genæ eius speciosæ veluti areolæ miris floribus, & figuris candidis & rubicundis omni genæ virtutis consitæ. 1.Petr.3.v.4 Iob.29.v.24. Eccl. 8.v.1 Eccl.19.v.23

3. Consitæ autem dicuntur à pigmentariis, quoniam non casu, sed consulto à peritis artificibus compositæ sunt, & miro ordine dispositæ. Primus autem, & supremus pigmentarius Deus est, cuius sunt omnes plantationes virtutum: *quia omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum*: ipse areolas cordium colit, plantulas aromatum & florum conserit, virtutes infundit, ordinem in eis constituit, varias ex eis figuras, & imagines cœlestes efficit, & maximum eis confert incrementum. Vnde & à quibusdam vox Hebræa sic vertitur: *Genæ eius sicut sulci aromatis, turres vnguentorum.* Turres dicuntur propter multitudinem, & sublimitatem. Etsi autem vnicus sit Deus, qui hæc temperat, & componit, dicitur tamen areolas esse consitas à pigmentariis; tum propter tres diuinas personas, quæ hoc opus efficiunt, in quo splendet potentia Patris, Filij sapientia, & bonitas Spiritus sancti: tum verò quia cooperatores habet alios minores pigmentarios, nimirum Angelos, vel Pastores & Doctores, qui sunt boni dispensatores multiformis gratiæ Dei, cuius auxilio aureolas humanorum cordium virtutum aromatibus conserunt, & componunt; & si neque qui plantat sit aliquid, neque qui rigat, aut serit, sed qui incrementum dat Deus. Sponsi autem areolæ non fuerunt consitæ à pigmentariis huiusmodi, sed à tribus dumtaxat personis diuinis; habuit enim Christus Dominus omnes virtutes per infusionem à Patre & à Spiritu sancto, ipse etiam qui verbum est Patris fuit sibi pigmentarius omnia summo ordine componens, quæ ad ipsum spectabant. Iacob.1.v.17. 1.Cor.3.v.6

Mansuetudinem & humilitatem esse quasi duas genas Christi, quibus dignoscitur. §. 2.

EX his deducere possumus quàm pulchrè vocentur duę Christi genæ, mansuetudo, & humilitas ipsius, quas nobis imitandas proponit dicens; *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Interrogauerant filiæ Ierusalem, *qualis est dilectus tuus ex dilecto?* id est in quo dilectus tuus secernitur ab aliis dilectis, vt dignoscamus illum? Quoniam autem maxime homo dignoscitur ex genis faciei & vultus, quo ab aliis secernitur; genas depingit externæ eius conuersationis inter homines; ac si diceret; dilectus meus est mitis & humilis corde: mansuetudo & humilitas cordis sunt genæ illius; hæc sunt signa propria dilecti, quibus discernitur ab aliis dilectis, & verè signa dilecti, quia nihil ita hominem dilectum ac gratum aliis reddit quàm esse omnibus mitem, & humilem; affabilem & submissum, qui se vendicare nesciat, nec aliis præferre cupiat, qui proprias iniurias facile remittat, & vanos honores contemnat; qui aliorum onera portet, & sibi vltimum locum eligat; qui si percutiatur in dextera maxilla, præbeat alteram; si auferatur ei tunica, præbeat & pallium. Hoc est esse mitem & humilem corde; corde inquam, quia mansuetudo & humilitas ab intus procedunt, & in visceribus ipsis radicantur, magnoque cum affectu prodeunt foras, & iugem cum hominibus communicationem comitantur. Dedignatur mundus has genas habere, erubescit mansuetudine & humilitate insigniri, qui vindicare se appetit, & omnibus præferre: non sunt signa ista eius qui à mundo dilectus est, sed eius tantùm qui ab sponsa dilectus suus vocatur, & iis pulcherrimis genis insignitur. Matt.11 v.29. Matt.5.v.39

Genę (inquit) *eius sicut areolæ aromatum consitę à pigmentariis*: Id est sponsus meus velut amœnissimus hortus est, tot habens areolas, quot sunt virtutes capitales, ex quibus non tantùm plures actus, sed plures alię virtutes tanquam preciosa aromata procedunt, inter quas valde eminent mansuetudo, & humilitas cordis; qui bene areolæ dicuntur, & non areę, quoniam paruitatem amant, minora semper appetunt, altiora fugiunt, quia de se minimè præsumunt: vnde humiles dicuntur paruuli in oculis suis, & omnium minimi. Etsi autem areolæ sint, sunt tamen amplissimæ, & ideo dicuntur areolæ aromatum, non vnius, vel alterius generis, sed omnium: Omnes enim virtutes germinant, & secum afferunt; Vnde cùm Saluator cuperet discipulos eum in omnibus imitari virtutibus, tantùm has duas proposuit, quia in illis cæteræ includebantur. *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Sic enim discetis à me quia obediens sum, misericors, patiens, fortis, iustus, & longanimis. Mansuetudo enim & humilitas germinant obedientiam ad Deum, & prælatos, misericordiam erga egenos; iustitiam, pacem, & concordiam cum proximis, patientiam in aduersis, temperantiam & modestiam in prosperis, & ad cuncta heroica & difficilia ingentem fortitudinem, & magnanimitatem; quia teste D. Leone nihil arduum est humilibus, nihil asperum mitibus, contemnunt diuitias, honores respuunt, conculcant voluptates, & ideo ad omnia studiosa opera paratos se ostendunt. Serm. 5. de Epiphania.

Hoc insinuat quod dicitur *consitæ à pigmentariis.* Mansuetudo enim & humilitas areolæ sunt optimè excultæ; reddunt enim cor iusti molle, & à terrenis expeditum, præparatumque ad recipienda diuinarum illustrationum & virtutum semina: faciuntque illud docile & subditum omnino omnibus pigmentariis, tam supremo qui Deus est, quàm reliquis prælatis, & magistris, vt in eo ferant, & plantent aromatum ac virtutum germina, optimoque ordine componat: vt victus prompte dicat; *paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Psal.56.v.8. Paratum ad omnia siue quę iusseris vt faciam, siue quæ permiseris vt patiar. & sicut pigmentarius vel hortulanus ex ipsis aromaticis herbis, aut floribus varias componit figuras philiarum, turtiũ, nauium, atque animantium: Sic mansuetudo & humilitas cor ita disponunt vt cunctas figuras recipiat quas Deus præscripserit, aut Prælatus. Quomodo Paulus se aptabat Iudæis & gentibus, & cum infirmis erat infirmus, cum flentibus flens, & gaudens cum gaudentibus; omnia omnibus factus, vt omnes faceret saluos. Et sicut etiam pigmentarius aromata conterit, & contundit vt vnguenta efficiat, ac temperet; sic mitis & humilis se conteri & contundi finit, vt Deo se in vnguentum preciosum & fragrans offerat ex pluribus virtutibus conflatum. 1. Cor. 9. v. 22.

De fragrantia harum genarum.

§. 3.

Vnguentaria dicuntur quæ apta sunt ad vnguenta cõficienda. Vide Calepinum.

HINC genæ istæ dicuntur *sicut phialæ aromatis germinantes vnguentaria.* Quid enim aliud sunt mansuetudo, & humilitas, nisi phialæ quædam aromaticis floribus, aut vnguentis plenæ? Legimus in Apocalypsi quatuor animalia & viginti quatuor seniores habuisse in manu *phialas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Fortè areolæ topiario opere consitæ harum phialarum etiam figuram referebant, quę continebant quatuor illa aromata, stactem, onychem, galbanum, & thus, ex quibus thymiama conficiebatur, vel alia ex quibus fiebat vnguentum sacrum. Quæ aromata vocantur inguentaria, quoniam ad conficienda vnguenta destinantur. Phialæ verò germinari dicuntur illa, quia mansuetudo & humilitas cuncta præparant quę ad huiusmodi odoramenta, & vnguenta conficienda requiruntur, orandi spiritum administrant, & odoratissimas orationes fundunt, deuotionisque generant affectus; quia in mitibus & humilibus requiescit diuinus spiritus qui hæc omnia præstat illis, *Ad quem* (inquit Dominus) *respiciamus nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Optimus pigmentarius Spiritus Sanctus, qui internos ordinat affectus, & feruentes excitat orationes, faciens nos postulare gemitibus inenarrabilibus; corda vngit charitatis vnctione, & in vnionem redigit & concordiam, dummodo tanquam areolas, & phialas se illi omnino tradant. Apoc.5 v 8. Exod.30. v. 34. v. 22. Isai.66. v.2.

Sed cur quæso sponsa genas aromatibus & vnguentis suaue olentibus comparauit? quis vnquam laudauit genas, nisi à colore, & rubore candori admixto? quid autem genis virorum cum odoribus? fœminę pigmentatas referunt genas, pulchro superaddito colore ornatas, hoc autem nefas est viris. Sed si ad spirituales referas genas, aptissime areolis, & phialis aromatum assimilantur. Sicut enim genæ corporis per colorem placent, sic genę spiritus per odorem quem emittunt, & sanctitatis fragrantiam. Quid autem fragrantius apud Deum qui intuetur corda, & apud homines qui vident quæ parent, quàm mansuetudo & humilitas cordis, pudicitia, modestia, & quidquid ad rectam hominis spectat compositionem? videt hæc mundus, sed non odoratur; miratur sed non sequitur: horret enim mansuetudinem, & fugit humilitatem, quia totus mundus in maligno positus est, sequens concupiscentiam carnis & oculorum, ac superbiam vitę. At sanctorum genæ, areolę vocantur, imo turres aromatum, vel vnguentorum, quia sursum feruntur, cœlos penetrant, ipsi Deo Patri summopere placent, qui eorum suauitate placatus, mundo fit propitius, & hilaris inquit; *Ecce odor filij mei sicut odor agripleni, cui benedixit Dominus.* Odor Christi sicut odor areolarum, quæ plenæ sunt virtutum aromatibus, & sicut phialæ quæ refertæ sunt sanctorum operum vnguentis optimis; quæ non solùm Deo suauia; sed hominibus etiam, quorum Deus nares aperuit, vt ea olfacientes in odorem currerent vnguentorum suorum. Et tam suauis fuit fragrantia, vt & si lingua taceret, ipsæ genæ odoratissimæ clamarẽt: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: & discite à me quia mitis sum, & humilis corde &c.* Suauitatem autem huius vocationis, & efficaciam comparatio labiorum sponsi ad lilia & myrrham, quæ in sequenti versu traditur, egregie manifestabit. 1. Petri 4. v. 4. 1.Ioa.2.v.6. Genes. 27. v. 27.

3. Obsecro ergo vos cum Apostolo *per mansuetudinem & modestiam Christi*, vt has eius genas imitari velitis; ita vt mysticę fitis sponsi genæ, quibus egregiè aptetur encomium istud: *genæ illius sicut areolæ &c.* intuemini quatuor illarum insignia quę commemoremus, & ea in vos ipsos transferte; vt vester exterior vultus modestus, pudicus, lenis, hilaris, & grauis, speculum sit internæ virtutis, & imago totius sanctitatis, ad laudem & gloriam supremi pigmentarij, qui tam fragrantibus vos conseruit aromatibus, & repleuit vnguentis optimis, vt vbique bonus Christi odor sitis. Estote, vt inquit D. Anselmus, sicut areolæ, id est sicut terra bene culta, & plantata à Deo, à qua prodeant flores, & odores aromatum, id est sanctorum desideriorum & operum. Subiicite vos peritis pigmentariis, apostolis, & prophetis, prælatis & doctoribus Ecclesiæ, qui terunt omnia, & ad humilitatem reducunt, ac componunt iuxta Dei præscriptum vt ipsi placeant. Vos etiam ipsi estote pigmentarij, curam vestræ salutis agentes, cooperantes gratię Dei. Sicut enim areolæ priùs ferreis excauantur instrumentis, sulcantur, & mollificantur, deinde recipiunt semina, vel aromaticas plantationes egregio ordine dispositas, quæ odore simul & conspectu lectificant intuentes; ita mortificationis exercitio terram proprij cordis debetis excolere, vt germinent aromaticæ virtutum species, pœnitentiæ myrrha, thus orationis, dilectionis cassia, & aliæ huiusmodi quę sua pulchritudine, & fragrantia alios ædificent, & ad se ipsum Christum trahant, de quo dicitur *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolas aromatum*: Quorum visu & odore maximè delectatur, & tandem ea in cœlestem transfert paradisum, in quem nos perducere dignetur. Amen. 2. Cor. 10. v. 1. Ex D. Anselmo. Cant.6. v.1.

PRO DOM QVINQVAGESIMÆ CIRCA EVANG. *Ecce ascendimus.* & pro festo omnium sanctorum circa Beatitudines. & pro comm. Martyris Pontificis in Euang. *Qui vult venire post me.* v. 13. Psal. 44. v 3.

EXHORTATIO XXIII.

De Christi prædicatione & doctrina quæ diuinam eius naturam & humanam, resurrectionem & passionem, præmia, & mortificationis exercitia continet: & de prædicatoribus qui mystica sunt eius labia.

Labia eius lilia, distillantia myrrham primam.

POST laudes genarum, labiorum sequitur encomia. Nam qui speciosus erat præ filiis hominum, oportebat vt diffusa esset gratia in labiis suis. Laudauit sponsus dilectæ labia vitę coccineę & fauo distillanti comparans illa, vt iam vidimus; sed sponsa vt par erat, maiori dilecti labia effert laude, dū ait: *labia eius lilia, distillantia myrrham primam.* Nihil lilio pulchrius, cui nec Salomonis gloria valuit adæquari, candida habet folia, sed flosculos rubicundos, odoratissimum inter flores. Myrrha verò non quæuis, sed prima, & electa inter aromata est fragrantissima, & in hoc cantico valde celebrata. Pulcherrima ergo sunt labia sponsi, & rubicunda, odoratissimusque spiritus, & habitus, qui ab eius ore procedit. Sed quia labia instrumenta sunt osculandi, & loquendi, vt sæpius diximus, sub vtraque ratione laudari videntur ab sponsa, vt quæ osculorum dulcedinem experta sit cùm dixit; *Osculetur me osculo oris sui*, & etiam eloquij suauitatem & efficaciā quoties loquentem illum audisse perhibet, & liquefactam vt locutus fuit, se esse dicit. Sed nunc laudem istam cum Theodoreto, Cassiodoro, Beda, & aliis de Christi sermonibus explicabimus, in qua quid Christus docuerit, & quomodo, quaque efficacia, his similitudinibus insinuatur.

Cant. 4. v. 3. & 11.

Math. 6. v. 29.

Per lilia & myrrham, doctrinam de Christi diuinitate & passione designari. §. 1.

ET imprimis quæ Christus docuit, vniuersa ad lilium & myrrham primam, multis de causis spectare ostendemus. Cùm enim Christus duas habeat naturas, diuinam, & humanam; illius symbolum lilium est, huius autem myrrha, maximè cùm mortalis erat, & in terris cum hominibus conuersatus est. Cuncta ergo quæ Christus prædicabat (inquit Beda) lilia erant distillando myrtham; quia suam deitatem docebat, in carne tamen mortali: Vnde sæpe sæpiùs hæc duo aut coniunctim, aut iam vnum, iam alterum edocebat, vt in vna persona Deus & homo crederetur, vnigenitus Dei filius, & simul etiam filius hominis. Sed perpendo phrasim, labia non dicuntur germinare lilia, sed esse lilia; è contra verò non dicuntur myrrha, sed distillare myrrham, vt obiter insinuet deitatem Christo esse innatam, propriā, & non aduentitiam; à se enim est lilium & verus Deus, idque non tam testantur eius verba, quàm ipsa pulcherrima labia, atque sapientiæ, gratiæ, & charitatis candor, rubor, & fragrantia quæ in sermone eius splendebat, de quauis re loqueretur: verba enim ipsius plusquàm hominem eum esse indicabant, vt propterea inimici fortè tanti ignari mysterij dixerint *Nunquam sic loquutus est homo*, id est qui tantùm homo sit; hic enim plus quam homo esse videtur.

Ioan. 7. v. 46.

Cæterùm labia eius non myrrham esse, sed eam distillare perhibentur, quoniam carnem mortalē sponte propter nos in tempore de nouo susceptam, & sæpius de morte, passione, ignominiis, & tormentis in ea perferendis loquebatur cum discipulis, hanc myrrham eis destillans, & quasi paulatim docens, ne errorem sequerentur Iudæorū, qui Messiā regem glorioſum, & temporali pompâ ac gloriâ fulgentem expectabant. Vnde postquam D. Petrus confessus est eum esse filium Dei viui, & Christum in lege promissum, inquit D. Marcus, *Et cœpit docere eos, quoniam oportet filium hominis pati multa, & exprobrari à senioribus, & à summis sacerdotibus, & occidi, & post tres dies resurgere, palam loquebatur verbum.* & tamen nec Petrus tunc id ferre potuit, dicens; *Absit à te Domine.* nec Apostoli cùm sæpiùs id eis diceretur, illud intelligebant, quia difficillimum erat intellectui humano lilium diuinitatis coniungere cum myrrha amara passionis: vnde Christus & simul crucifixus videbatur Iudæis scandalum, gentibus autem stultitia: at Christi Ecclesia fida eius sponsa vtrumque in dilecto agnoscit; & quem dixit candidum & rubicundum, nunc lilium & myrrhatum profitetur.

Marc. 8. v. 31. Math. 16. v. 21. & c. 20. v. 18.

1 Cor. 1. v. 23.

Lilia & myrrham, præmia & mortificationem designare. §. 2

SED alia ratione labia & sermones Christi liliis & myrrhę destillationi comparātur, quoniam lilium symbolum est summę fœlicitatis, beatitudinis, ac exaltationis; vnde insignes columnæ à Salomone factę in lilia designabant, quę capitella ornabant, tanquam præmium victoriæ, quam homines suis operibus consequuntur; myrrha verò symbolum est mortificationis & abnegationis propriæ ipsis studiosis operibus annexę, per quæ ad hanc beatitudinem peruenitur, imò & ipse Christus ex parte peruenit. Nam quia humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; ideò Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen. Oportebat autem Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Labia ergo Christi sunt lilia stillantia myrrham primam, & electam, quoniam omnes eius sermones, vt notant Cassiodorus & Beda, annunciabant candoris æterni præmia, & carnis ac sui mortificationem, quæ via est ad consequendum illa: & multoties hæc simul coniungebat; sicut in sermone habito in monte octo beatitudines prædicauit, coniungens virtutes quæ perfectissimam continent mortificationem, cum præclarissimis præmiis vnicuique attributis: vbi Christi labia verè fuerunt lilia distillantia myrrham adeò primam, vt nullam similem mundus vnquam audierit, nec perfectiorem possit inuenire. Myrrha prima est paupertas spiritus, mansuetudo, luctus, &c. Lilia verò regnum cœlorum, possessio terræ, cōsolatio, & cætera præmia.

3. Reg. 7. v. 22.

ad Philip. 2. v. 8.

Math. 5. v. 2.

Aliquando hæc separabat, vt cùm iussit Apostolis vt prædicarent, quoniam appropinquauit regnum cælorum: sed sæpiùs destillabat perfectissimam myrrham, dicens; *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* & iterum, *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Rur-

Math. 10. v. 7.

Math. 16. v. 24. & c. 10. v. 47.

Luc. 14. v. 25.

sus: *Et qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* & alia huiusmodi, quæ omnimodam docent abnegationem rerum externarum, & personarum, quæ nobis charæ sunt, sui ipsius, ac affectionum amoris proprij, & tandem ipsius vitæ, quo nihil perfectius potest excogitari. Dum autem inquit labia destillare hanc myrrham, modum insinuat quo singuli etiam è manibus suis eam destillent, sicut in exhortatione 9. dictum est, circa illud, *manus meæ destillauerunt myrrham &c.* Etenim destillare, in aliud fluere est. Labia ergo myrrham destillant in manus, quia verba à corde pleno myrrha procedentia, excitant vt transeat in opera; sicut manus destillare myrrham in pessulum diximus, quia impedimenta externa per illam auferunt.

Cant. 5. v. 5.

Sed quoniam amarissima est myrrha prima; nam quo purior, eo amarior, præmittit candorem lilij, ruborem, & pulchritudinem eius, cuius amore suauis fiat myrrhæ destillatio; si enim labia Christi solam myrrham destillarent, quis posset ferre illam, vel audire sermones eius? fortè dicerent omnes; *durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* at labia illius lilia sunt, lilia præmittunt cùm destillant myrrham, & præmia affignant quæ suauem reddant illam. myrrhinas virtutes inter duas beatitudines videtur collocasse; alteram in præsenti, alteram in futura vita, vt possessio alicuius beatitudinis, & spes possidendi: aliam maiorem & consumatam, vires adderent ad mortificationem. Hoc enim significat dixisse; *Beati pauperes spiritu, beati mites &c.* & postea etiam addidisse: *quoniam ipsorum est regnum cœlorum, & quoniam ipsi possidebunt terram.* Diximus supra lilium symbolum spei fuisse apud antiquos, & à radice auulsum, & si marcuisse videatur, ad humorē aquæ reuirescere. Labia ergo Christi lilia sunt, quæ magnam nobis spem annunciant; & quamuis pulchra sint quę in hoc mundo pollicentur, incomparabiliter sunt pulchriora quæ in futuro largiri promittunt. Quòd si spes marcescere videatur, ad humorem aquæ viuæ quam iustis præbet, statim reuirescit. Imo etiam prædicant post mortem & corruptionem carnis non amittendam esse spem vitæ, & resurrectionis futuræ; vnde & quoties Christus Apostolis annunciabat passionem & crucifixionem suam, mox addebat, & resurrectionem, quasi lilium myrrhæ coniungens, & spem vitæ æternæ acuens. Propter quæ omnia D. Petrus cùm Christus aliqua prędicasset, quæ quibusdam discipulis adeò dura visa sunt, vt eum relinquerent, ipse tamen fideliter dixit ei, *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*, id est verba quæ prædicas, conferunt vitam æternam, & lilia æternitatis quę clausa hactenus nobis erant, expandunt & aperiunt. Vnde verba labiorum Christi non solùm stillabant virtutes quæ nos vita æterna dignos efficerent docendo eas, sed etiam efficaciter conferendo, vt satis insinuat ipse cùm ait: *Amen amē dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent.* Quid hoc fœlicius? quid potentius & efficacius? quid inquis, ô sponsa, labia dilecti tui destillare myrrhā *primam?* Nunquid myrrha quantumuis prima cōfert vitam mortuo? seruat quidem incorruptum, sed nequit facere viuum. At quid sponsus inquit, venit hora, & nunc est me presente & loquente, cùm labia mea distillent verba, quæ peccatoribus mortuis veram conferant vitam, eorum sanent corruptionem, fœtorem tollant, nigredinem conuertant in liliorum candorem! Sed vnde hoc? quia verba mea lilia sunt, diuinitatem meam ostendunt, potentiam meam manifestant; distillando myrrham distillant vitam, quia mortificando viuificant; & mortificatio quam docent, vitam confert gratiæ, & spem vitę æternæ. Est enim myrrha quædam prima, cui inter corporea nulla potest inueniri similis: labia eius (ait D. Ambrosius) stillantia myrrham plenam. Per myrrham enim passionis vnguentum, & resurrectionis gratia declaratur, quæ rediuiuum vitæ odorem suscitatis mortuorum visceribus infundit.

Ioan. 6. v. 61

Mat. 5. v. 13.

Lib. 4. exhort. 20 §. 4

Math. 10. v. 18.

Ioan. 6. v. 69

Ioan. 5 v. 25.

Serm. 18. in psal. 118. v. 4.

Confirmemus breuiter quæ diximus ex septem verbis quæ Christus in cruce pendens protulit, vbi labia eius fuerunt pulcherrima, probatissimam stillantia myrrham. Stillauit dilectionem inimicorum cùm pro eis orauit; ingenuam libertatem, cùm lilium paradisi latroni promisit: piam electorum curam, cùm matrem commendauit discipulo, & discipulum matri: ardentem salutis animarum zelum, cùm dixit *sitio*: profundam humilitatem, cùm se derelictum fassus est: tandem summam obedientiam & perseuerātiam cùm inquit *consummatum est*; & *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum.* En septem virtutes tanquam lilia & myrrha prima, quam ex plenitudine cordis stillarunt Christi labia, vt nos illis vngamur & ornemur, fragrantissimique reddamur confidentes per eas in ipsum paradisum introduci.

Lucæ 27. v. 34. & 43.

Ioan. 19. v. 26. & 26. & 30.

Matth. 27. v. 46.

Lucæ 23. v. 46.

Qualis fuerit doctrina Christi. §. 3.

HINC deducemus qualis fuerit doctrina Christi, quam suis labiis mundo destillauit; quæque ipsum qualis sit satis manifestat, vt satis fiat interrogationi filiarum Ierusalem dicentium *qualis est dilectus tuus ex dilecto?* dixerat priùs, *dilectus meus candidus, & rubicundus*: nunc ad labia descendens ait, *labia eius sicut lilia.* quid est esse sicut lilia, nisi esse candida & rubicunda? talis est doctrina Christi, qua secernitur ab aliis magistris à mundo dilectis. Candor sex foliorum lilij denotat Christi doctrinam sex modis candidissimam. Est enim vera sine vllo mendacio & falsitate, veritas autem candor est doctrinæ, sicut falsitas nigredo illius; est item pura & sincera sine vllo fuco, dolo, & superfluitate, sana & sancta, quæ omnem respuat languorem & maculam peccati, non solum grauis, & lethifer, sed etiam leuis & quantumuis minimi. Est insuper vndequaque perfecta, quæ omnem vincat imperfectionem & consulat semper quod melius, & præcellentius est vt nihil possit excogitari sublimius. Est præterea suauis, & facilis, vt pote incomportabile legis veteris onus tollens, & gratiam præstans quę iugum suaue reddat, & onus leue. Ac denique planè est cœlestis & diuina, quę omnem finem ac terrenum affectum exuere docet, & ad vitam eleuat cęlicolis persimilem; vt quilibet eam seruans possit dicere, *nostra conuersatio in cœlis est.*

Candor doctrinæ Christe sex modis.

Præterea sex rubicundis & aureis flosculis præfulget, quia maxime docet dilectionem Dei super omnia, & proximorum, sicut Christus dilexit nos, & insuper amorem inimicorum, feruentem zelum gloriæ Dei, ac salutis animarum, cæteroſque igneos deuotionis affectus, ac tandem supremæ expectationem fœlicitatis, quæ in Dei clara visione & dilectione consistit.

Merito ergo labia Christi dicuntur lil & pulchritudine doctrinæ, quam promebant,

cherrima & suauissima formæ proponendi illam A
que in sui admirationem rapiebat homines: Sicut
Luc.4.v.22. & v.32. diuus Lucas testatur, dicens: *Et mirabantur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.* Huic autem gratiæ & suauitati adiuncta erat mira vis, & efficacia: vnde paulò post subdit: *Et stupebant*
Matth.7.v.28. *in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius.* quæ complexus diuus Matthæus, sic ait: *Admirabantur turbæ super doctrina eius; erat enim docens eos tanquam potestatem habens, & non sicut scribæ eorum & Pharisæi*, vt vel ex hoc dilectus à dilecto, Christus ab aliis magistris satis discernatur. Recteque dicemus sicut lilium inter spinas, sic Christi doctrina inter aliorum doctrinas, & sicut malus inter ligna syluarum: Sic Magister noster inter Doctores gentium, & syluam Philosophorum. B

Sed hoc amplius explanatur secunda similitudine *distillantia myrrham primam.* Labia enim Philosophorum gentilium, hæreticorum, & aliorum dogmatizantium, vel nullam, vel adulteratam distillant myrrham, non primam, nec electam & puram. Horrent enim veram, & synceram, carnis, diuitiarum, & honorum mortificationem; & si quam insinuant, impura est, ficta, & variis erroribus mixta. Nam prurientes auribus placentia loquentur, quia homines dumtaxat placentia audire gestiunt, quę tamen in æternam eos coniicient displicentiam, & amaritudi-
Isai.30.v.10. Prou. 5.v.3 nem; sicut scriptum est de meretrice, quæ omnem sectam Christo aduersam repræsentat: *Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Nouissima autem illius amara, quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.* In labiis huius meretricis solùm inuenitur fauus mundanæ eloquentiæ, dulcedo carnis, & oleum adulationis quæ tandem conuertetur in absynthium, & quidem tam absynthium quàm myrrha amara sunt; sed absynthium amaritudinem habet lethalem quæ internam infert damnationem; myrrha verò salubriter est amara, quæ præseruat à corruptione, & veram confert vitam & salutem. Nam & si doctrina Christi amaram mortem pro ipso doceat oppetendam, tamen per hoc liberat ab æterna morte, & vitam largitur sempiternam. D

Fortè cùm mentio fit myrrhæ primæ, si ad mysticum tantùm sensum attendamus, nonnulla alluso fit ad myrrham secundam. Et sicut duplex est mors, scilicet prima, quę pertinet ad corpus, & traxit originem ex peccato Adę, *Nam per primum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit.* Mors autem secunda est mors culpæ ac pœnę æternę, de qua dicitur; *qui vicerit non lędetur à morte secunda.* & iterum *increduli & mendacibus pars illorum in stagno ardente, igne, & sulphure, quod est mors secunda.* Sic etiam duplex potest vocari myrrha prima, & secunda, quæ illis quodammodo respondent. Myrrham primam destillant labia Christi cùm docent contemnere vitam temporalem, nec ab iis timere qui occidunt corpus, sed libenter pro virtute subire tormentum mortis, sicut subiit ipse, etsi lilium candidissimum esset, hanc amaram gustans myrrham; cùm dixit *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* At myrrham secundam non distillant, sed potius fugant, quia ideo primam suadent vt secunda nocere nequeat. Nam *qui odit animam suam*
Cant.4.v.12 *in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*

Sed numquid quod sponsæ conuenit, negandum sponso? Ipse de illa dixit, *Fauus distillans labia tua, mel & lac sub lingua tua.* Ergo idem ipsa de illo dicere potuisset. Cur igitur reticuit, & loco faui supposuit myrrham? an aliud destillat Ecclesia, aliud Christus? an verò simul vterque mel & myrrham stillare valet? fortè illa tanquam mater, mel & lac stillat paruulis; hic tanquam pater & supremus magister myrrham stillat iam proiectis. Mel & lac dulcedine præstant: lilium & myrrha odore præcellunt: Illa proponit quod dulce est, vt imbecilles alliciat; hic quod amarum, sed odoratissimum est, vt ad fortiora excitet. Amara quidem myrrha, si destilletur à labiis creaturę lilio destitutis: at si à labiis prodeat, quę lilia sunt, dum transit per lilia, fit fragrantior, suauior, & ipso fauo amabilior; vt meritò dicatur labia destillare myrrham transeuntem (iuxta vocem Hebræam) quia dum transeunt per lilia labiorum Christi, & per eius præclarissima exempla, fit facilè transiens in omnes qui illam appetunt, & libenter emunt, quia sponsi insigne est, & ab eo pluris habitum: neque hoc latuit sponsam, quæ paulò post ait, *Gutur illius suauissimum*, vt suo loco explicabimus.
Lib. 7. exhort. 6.§ 3. B
Lib. 7. exhort. 5. vsque ad 8.

De concionatoribus Euangelicis, de efficacia quę prædicationis cum integra & sublimi vita coniunctę. § 4.

ECCE descripsimus sponsi labia, quæ imitari tenentur præsules & doctores, ac concionatores Euangelici, qui iuxta supradicta eius labia mystica merentur nuncupari, vt suo etiam modo sint *lilia stillantia myrrham primam.* Ad quod exhortatur eos Ecclesiasticus, eisdem ferè vtens similitudinibus. *Obaudite me* (inquit) *diuini fructus*, id est filij Dei & sectatores Christi, *florete flores quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam.* Ecce quod ait sponsa, *labia eius lilia*: ac si dicat, Ad modum liliorum producite floridos virtutis affectus, odoriferos sanctitatis actus, & frondes verborum gratia dicendi venustas, quibus homines erga diuina, & cœlestia bene affectos reddatis. Rursus addit: *Date nomini eius magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum vestrorum, & in canticis labiorum, & cytharis.* Ecce alterum quod ait sponsa: *Labia eius destillantia myrrham primam.* Canticum enim labiorum, quod est prædicatio, tunc magnificat, & vehementer extollit nomen Dei, & Christi, cùm coniungitur cum sonitu cytharę, quæ quia siccas & extensas chordas habet, & manibus pulsantur, symbolum est mortificationis discretæ, quæ suauem, concinnam, & acordem vitam facit, vt diuus Augustinus, ac diuus Gregorius testantur: & hoc ipsum denotat myrrha prima: & diuus Hieronymus symbolum esse dicit integrę & consummatæ vitæ, quæ tamen absque mortificatione vitiorum non habetur: & ita explicat illud Isaiæ, *Venter meus ad Moab quasi cythara sonabit.* Venter (inquit Propheta) instar cytharæ musica arte compositus est, qui de Dei timore concipiens, multos liberos procreauit: & quo modo cythara non emittit sonum compositum, si vel vna chorda rupta fuerit: sic spiritualis venter prophetæ, si vna in eo virtutum chorda defuerit, non poteris melos dulce resonare. Quare de quatuor animalibus, & viginti quatuor senioribus, qui hos concionatores Apostolicos representabant, præter phialas aureas plenas

Ecclesi. 39. v. 17.

In illud Psal 42 v 4 *Confitebor tibi in cythara.* Lib. 20. mor. c.31. Lib. 6. in Isai.16.v.11.

Apoc.5.v.8. & c.14.v.2 odoramentorum quæ sunt orationes sanctorum: A
dicitur etiam habuisse cytharas, quas nimirum pulsarent cùm cantabant canticum nouum, vt coniunctio præcellentis vitæ, cum suaui prædicationis cantu denotaretur, per quæ mundum ad Christi fidem reduxerunt.

2 Etenim coniunctio lilij cum myrrha prima in labiis, id est prædicatio cœlestis doctrinæ suaui modo propositæ si consocietur vitæ miti, humili, & modestæ, integræ, atque incorruptæ, miram vim habet persuadendi, & trahendi homines post se, etiam si ferinis, & agrestibus moribus sint prędititi: ad modum quo modulatus concentus suauis vocis simul cum cythara eximiè delectat, & allicit. Iuxta quam similitudinem B
In exhortatoria ad Gętes explicās illud. Iai. 42. v. 10. *Cantate Domino cāticum nouū.* Clemens Alexandrinus prodigiosa vtitur Græcorum fabula Orphęi, & Amphionis, qui sui cantus & cytharę suauitate ac efficacitate mites reddebant feras, & syluas, rupesque ad se trahebant; ad explicandum quomodo Christus Dominus tanquam diuinus cantor, & cytharedus, omnia ad se traxit. Solus (inquit) ipse feras mansuefecit. Volucres quidem, id est eos qui
„ ex se ipsis sunt leues, serpentes, id est decepto-
„ res; leones, eos qui ad iram sunt concitati: sues
„ eos qui voluptati sunt dediti; lupos, eos qui sunt
„ rapaces. Lapides etiam & ligna ad se traxit, id
Matth.3.v 9. „ est eos qui lapides & ligna adorabant, & qui
„ instar lapidum insipientes erant, iuxta illud: *po-*
„ *tens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, C
„ id est ex gentibus qui lapidibus crediderunt. Has
„ ergo omnes immanissimas feras, & tales lapides
„ ipse cœlesti cantu in mansuetos homines trans-
„ formauit. Vide quantum potuerit nouum canti-
„ cum, id est noua doctrina, quam Christus prædicauit, homines ex lapidibus, & homines fecit ex feris. Sic ille. At non tantùm Christus Dominus per seipsum dum prædicabat, has efficit stupendas transmutationes, sed etiam per Apostolos & discipulos, ac apostolicos concionatores, quibus sua impressit labia, sicut lilia, vt per cælestem doctrinam, & vitam, ac per myrrham primam, quam sermone & opere stillabant, homines ad ipsum traherent. D

Hinc facilè deduci possunt aliquę proprietates eorum qui Christi mystica labia dicuntur, vt

3 ad eius similitudinem sint etiam velut lilia pulchra, candida, & pura, sanctitatem redolentia,
Isai.6.v.5. ne cogantur cum Isaia gemere, quia *vir pollutus labiis ego sum.* Quod si aliquam contraxerint immunditiam, curent per iugem myrrhæ mortificationem separare preciosum à vili, vt os & labia Domini per quę ipse loquatur, & mirabilia operetur esse valeant. Deinde ideo dicuntur li-
Ierem.15.v. 19. lia quæ *nec laborant, nec nent, & tamen nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis:*
Math.6.v. 28 quoniam didicerunt à Magistro suo non solici-
Luc.12.v.27. E tari de crastino, nec cum anxietate dicere *quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?*

4. Vnde nec prędicant turpis lucri causa, sed vt Christo placeant, nec euangelizant vt manducent, sed potiùs manducant ex his quæ apponuntur illis vt euangelizent; quia diuina prouidentia faciet vt illis quæ ad victum sufficiant, apponantur: quare Salomonis gloriam superant,
Prou.30.v. 15. quia iste etsi multis diuitiis & deliciis abunda-
ret, nunquam dicebat *sufficit*, sed potiùs *affer, affer.* At ipsi quibuscumque appositis dicunt, sufficit, quia sciunt abundare, & penuriam ad Philip.4 v. 12. pati.

Prætereà sicut lilia non nent, neque texunt, sed Pater cœlestis vestit illa; ita (inquit Theodoretus) sermones Christi per se placent, licèt humani ornamenti nihil habeant. Vnde nec ipsi anxie satagunt humana eloquentia, & meretricio verborum ornatu, & fuco purissima Christi verba prędicare, sed ea venustate, candore, & puritate quam ab ipso Christo habent. Qui etiam dat *verbum euangelizantibus virtute multa*: vt dicant cum Apostolo, *Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.* Psal.67.v. 12. 1Cor.2.v.4.

Deinde etsi labia lilia sint, tantum myrrham stillare dicuntur, quoniam sanctitatem quidem habent, sed non iactant, nec propriam prędicant excellentiam, aut iustitiam, sed potiùs propriam vilitatem & mortalitatem agnoscunt, & solum Christum crucifixum, & eius gloriam annunciant; iuxta illud Pauli, *Non nosmetipsos prædicamus, sed* 1 Cor.4.v.3 *Iesum Christum: nos autem seruos vestros per Iesum.* Sed quia est qui nequiter se humiliat, oportet vt semper distillent myrrham primam, puram, & electam, nulla secreta superbia, ambitione, aut præsumptione adulteratam, à corde, imo & à memoria, & si posset fieri, longè remouentes quidquid alienum est à Christo crucifixo, & eius mortificatione, & cruce. Nam hoc insinuat Paulus cùm ait: *Non iudicaui me aliquid scire inter vos, nisi Christum & hunc crucifixum.* Nam cùm 1.Cor.2.v.2 scientia præcedat loquelam, qui nihil se arbitratur scire nisi Christum crucifixum, nihil loquetur nisi illum, aut quę ad illum attinent. 7.

Denique & si labia semper destillare dicantur, siue mel, siue myrrham, id est suauiter verba proferre, iuxta supradicta; multo tamen cautius cùm myrrham emittunt, & quę amara sunt carni ac voluntati propriæ annunciant, vt proferendi lenitas & suauitas quam verbum destillandi innuit, amaritudinem myrrhę temperet. Quod potissimè in increpationibus obseruandum est, siue quæ à concionatoribus publicè, siue quæ à confessariis, aut prælatis priuatim exhibentur, vt myrrha increpati vulnus sanet, cui fiat myrrha prima, & salutaris, non myrrha secunda, noxia, & mortalis. Hoc est labium electum, quod iuxta vaticinium Sopho- Sophon.3. niæ Deus tribuit suis ministris, qui tunc egre- v. 9. gie suum munus obibunt, si labia sua non aperiant ad loquendum, nisi ex ipsius sponsi inspiratione, vt inquit Paulus. Ex sinceritate ex Deo, & coram Deo in Christo loquantur, quę ipsi placent ad eius gloriam 2 Cor.2.v. in sæcula sęculorum 17.
Amen.

PRO DOMINIC. II. POST PENTECOST. in illud, *bene omnia fecit.* ET PRO 2. DOM. ADVENTVS, in id *Cæci vident.*

EXHORTATIO XXIV.

De eximia perfectione operum Dei & Christi dum vixit in terris; atque de iustis qui sunt hyacinthi in manibus eius, & eius mysticæ manus etiam dicuntur.

Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacynthis.

POST labiorum laudem aptè laudantur manus, quæ instrumenta sunt operationis, vt opera consonent verbis, & quę promunt labia pulchra sicut lilia, confirmêt manus pulcherrimæ, de quibus inquit: *manus eius tornatiles, aureæ, & plenæ hyacinthis*, id est palmæ cum digitis ita adfabrè & pulchre factæ, ac si torno elaboratę essent; ita precioſæ sicut aurum, candida & rubicunda carne decoræ, & digitorum gemmæ, vnguesque velut hyacinthi, & lapides precioſi; aut quia vestiti sunt aureis annulis, in quibus hyacinthi, aut precioſi lapides essent inclusi. Hyacinthi enim (pro quo Lxx. vertunt, *Tharsis*, & alibi vocantur *Chrysoliti*) vel ponuntur loco quarumcumque gemmarum, ſpecies pro genere, vel quia diuersi colores sunt; nam quidam cęruleum, & cęlestem referunt colorem, alij rubeum, alij cinereum, & omnes ad decorem pertinent manuum, quæ plenæ sunt venulis hos colores referentibus. Sed iam ad mysteria transeamus.

De perfectione operum Dei. §. 1.

Si laudem istam ad Deum ipsum referamus, manus eius vocari possent ea per quæ cuncta extra se ipsum operatus est. Vnde Patris quasi duę manus sunt verbum eius, increata sapientia, & Spiritus Sanctus increata charitas. Nam *verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Sed quoniam tres diuinæ personæ vnus sunt Deus, qui omnia sua omnipotente virtute operatur; meliùs cum Theodoreto, per manus intelligimus hanc Dei omnipotentiam, & vim effectricem, ac conseruatricem omnium, quam sapientia & bonitas in cunctis eius operibus comitatur.

Et quoniam qui torno operatur, faciliùs, citiùs, & perfectiùs opus suum perficit, ab hac trina excellentia manus Dei dicuntur tornatiles (sumendo hoc nomen non passiuè, sed actiuè, sicut multi Patres vsurpant) operantur enim facillimè; nam Deus quęcumque voluit fecit in cœlo, & in terra; nec est qui possit eius resistere voluntati: maximè cùm materiam non requirat, sed ex nihilo mundum fecerit, & cuncta ad nutum obediant eius imperio, vnde prouenit summa celeritas: nam *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* Et quamuis sex diebus omnia perfecerit, vnico instanti perficere potuisset, & tam cito potest facere, quàm dicere, & mandare: quare non incongruè post labia laudantur manus Dei, cuius laboriorum verbum, & imperium manus est cuncta perficiens, sed id excellentius, quod ita facile & cito faciat. Vt tamen omnia perfecta & consumata à suis manibus exeant, *Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: Dei etiam perfecta sunt opera,* perfecta creatio, perfecta conseruatio, perfecta gubernatio, ac prouidentia, & quidquid ab eo est, tanquam torno factum, vndique perfectum est.

Nec mirum hoc, quia manus eius sunt non deauratæ, sed aureæ, quia cùm aurum symbolum sit diuinitatis, sapientiæ, & charitatis, manus Dei sunt ipsamet diuinitas, ipsamet sapientia, & charitas, & quidquid operatur, ab eius diuina sapientia prędordinante procedit, quæ diffusa est super omnia opera eius, & ab eius oritur dilectione, quia diligendo vult creaturis bonum, & quod vult confert; eius enim beneuolentia est etiam & beneficentia. Aureæ etiam sunt, quia cuncta precioſa ipse solus largitur, *omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Imo si ad præstantissimas manus Dei aspicias, omne opus earum aureum vocari potest, quia omne eius datum est optimum, & omne donum perfectum, & vnicuique valde aptum ex infinita sapientia & charitate præfinitum.

Denique manus sunt plenæ hyacinthis, quia cuncta eius opera quæ propter semetipsum operatur, hyacinthina sunt, id est cœlestibus plena rationibus, cœlestibus consiliis, & voluntatibus, ad eumque tendunt finem vt nos ad cælestia euehant, & ad diuina attributa contemplanda erigant, iuxta illud, *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis*, id est ex ipsis tuis operibus niniam deducet cognitionem tuæ sapientiæ, omnipotentiæ, & maiestatis. *Inuisibilia enim Dei per ea quę facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Si autem manus plenę sunt hyacinthis, nihil continere videntur quod hyacinthus non sit. Quidquid ergo ab illis procedit, nobis hyacinthus erit: Vnde tribulationes, afflictiones, & quidquid ipso ordinante quantumuis aduersum nobis euenit, hyacinthinum est, & tanquam lapis precioſus accipiędum; in cœlestem enim vitam nos euehit, & ipsius Dei participes reddit. Manus namque Dei lateres conuertunt in saphiros, & duros lapides in hyacinthos. Non ergo intuearis hæc aduersa, vt à manibus hominum procedunt, sed vt à manibus Dei quę fecerunt te, & plasmauerunt, cunctaque ex amore dirigunt in bonum tuum: quæ si hyacinthino isto pallio cooperta inspicias, vertentur tibi in hyacinthos, & excitabunt te ad laudandum Deum, & gratias ei agendum pro omnibus operibus suis; quia *Confessio & magnificentia opus eius*, id est quodcumque eius opus prouocarenos debet vt confiteamur, laudemus, & magnificiamus ipsum. Vnde est encomium istud vtrique Dei manui quadrare, dexteræ, & lævæ, quia etiam manus Domini cùm puniunt & flagellant filios quos diligit, aureæ sunt, perfectæ, & plenæ hyacinthis, quos per tribulationes diffundunt: & ideò sponsa inquit, *Læna eius sub capite meo, & dextera ipsius amplexabitur me.*

De perfectione operum Christi Domini. §. 2.

HINC ad manus Christi Domini gradum faciamus, nam manus eius etiam sunt manus Dei, cùm ipse Deus sit & homo; manus autem Christi sunt virtutes illæ, aut vires quibus operabatur

operabatur actiones studioſas, & opera miraculoſa. Ad hæc enim duo cuncta eius opera rediguntur. Merito autem tornatiles vocantur à trina præcellentia commemorata, videlicet à facilitate, celeritate & perfectione qua cuncta isthæc patrabat, omnes alios sanctos valde superexcedens, qui multo labore & sudore virtutes acquirunt, vel exercent, carne insurgente contra spiritum, vel eius retardante feruorem; multis etiam precibus, ieiuniis, & obsecrationibus impetrabant miracula, quæ operabantur, vel non in eorum semper libera erat potestate ea efficere; nec pro libito, quam vellent, suis operibus impertiebantur perfectionem. At Christus Dominus propria virtute, sine vllo impedimento, nulla mora perfectissimè omnia præstabat, & vnico verbo miracula perficiebat, illuminabat cæcos, & mortuos suscitabat, vt rectè exclamauerit turba: *Benè omnia fecit, & mutos fecit audire, & surdos loqui.* Et quamuis circa immutandas hominum voluntates non vsus sit semper hac sua omnipotentia, vt hominum seruaret liberum arbitrium, eorumque probaret fidem, & obedientiam: tamen vt sciremus hanc difficultatem & tarditatem non ex ipso prouenire, sed ab illis, aliquando vnico verbo salua tamen libertate, corda omnino transmutauit, & ad se traxit; sicut cum Matthæum, & alios quosdam Apostolos ad se vocauit.

Omne igitur Christi opus quasi torno factum fuit, quia vndequaque perfectum, sine vllo prorsus defectu, vt merito etiam suis hostibus diceret: *quis ex vobis arguet me de peccato?* Et manus eius, si pro ipsis operibus sumantur, verè dicuntur tornatiles, & perfectissimè elaboratæ, in quibus nihil vitioſum, nihil inutile, nihil imperfectum, nihil indecorum potuit inueniri. Sed compara labia distillantia myrrham primam, id est, perfectissimam mortificationem, ad manus tornatiles, & reperies manus operibus testari quod distillabant, & prædicabant labia. Opus enim tornatile, sicut & sculptile perfectam indicat mortificationem, fit enim per ablationem partium ligni, vt eam recipiat figuram quam artifex intendit: hoc tantum discrimine; quod sculptor paulatim; qui vero tornat celeriter id perficit. Opus igitur tornatile ex eo est perfectum, quia per omnimodam mortificationem ablatum est ab illo quidquid superfluum, & imperfectum est; & manus sunt tornatiles quando in actionibus suis sunt expolitæ & denudatæ ab omni inordinato affectu circa cognatos, vel amicos; circa diuitias, vel honores, aut voluptates, solumque retinent eam formam & figuram quam diuina lex prescribit, iuxta quã tornatæ sunt. Lex enim & voluntas Dei est quasi circinus, cui affixa sunt ea quæ torno elaborantur, ad cuius normam efficiuntur. Quis autem non videt manus Christi Domini semper tornatas perfectissimè fuisse, quæ semper diuinæ legi & paternæ voluntati fuerunt valde conformes, propriam abnegantes & quasi præscindentes voluntatem, vt facerent voluntatem eius qui miserat illum, & vt integrè opus ab ipso iniunctum perficerent?

Sed vnde manus istæ ita tornatiles? Profecto quia, *aureæ*, id est, theandricæ seu Dei viriles: manus enim erant Dei & hominis, & opera Christi hominis etiam ab ipso diuino Verbo promanabant, & quia Verbum est idem Deus cum Patre, Patri etiam attribuebat illa dicens: *Pater in me manens ipse facit opera.* Et sursum: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Non potest à se filius facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem; quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit.* Oportebat autem quod sicut Christi caput est aurum optimum; manus eius essent aureæ, vt opera aurea & diuina testimonium rederent capitis aurei, & diuinitatis ipsius; sicut & ipse inquit: *opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Præterea manus Christi aureæ erant, quia quidquid operabatur, incomprehensibili sapientia, & ardentissima fulgebat charitate erga patrem & erga homines, quos fratres vocabat, & summo amore prosequebatur; aureas manus extensas habens erga illos; nam *pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quia Deus erat cum illo.* Imo ille erat Deus, ex amore fortiter & constanter omnibus benefaciens. Christi enim anima (inquit D. Augustinus [a] sequens Origenem [b]) quæ quasi ferrum in igne, semper in verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est, omne quod agit, quod intelligit, Deus est. Ideo nec vertibilis nec mutabilis dici potest. De quo plura in lib. 1. dicta sunt.

Præterea, manus Christi dicũtur plenæ hyacinthis, quoniã vt inquit Rupertus, altissima in operibus eius latebãt cõsilia, & rationes planè cælestes, ac diuinæ, quæ ipsum ad operandũ permouebãt, nec minus recõdita ac cælestia promebat mysteria operibus, quam verbis. Sicut quando expuit in terram, & faciens ex sputo lutum cæci oculos vnxit dicẽs: *vade ad natatoriã Siloë, &c.* Posset quidem celerrimè visum restituere huic, sicut & aliis, quibus dicebat, *respice*; sed tamen manifestare voluit manus eius plenas esse hyacinthis, & cęlestes quasdam causas & rationes prætendere, quæ eas pulchriores reddebant, quas nobis perscrutandas reliquit. Deinde manus erãt plenæ hyacinthis, quia semper ad cælestia tendebant, in patris gloriã operabantur, & corda hominũ ad cælorum regnum inquirendum excitabant. Imo cum operabantur, hyacinthos emittebant, siquidem sanando corpora, multo magis sanabant animas, & hyacinthina veste gratiæ eas exornabant, vt colligitur ex illo: *totum hominem sanum feci in sabbatho.* Et cũ inquit, cęci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, cuncta hæc hyacinthi erant, quia à corpore hi effectus transibant ad mentem; cuique lumen, aures, salutem, & vitam supernaturalem conferebant.

Aliquando tamẽ hyacinthi isti etsi pretiosissimi cinerei erant coloris, quoniam humilitatẽ præ se ferebant, quã semper Christus in suis operibus cõmendabat, vnde volens à Ioanne baptizari, qui id præ stupore recusasset, dixit ei; *sine modo, sic decet nos implere omnem iustitiam.* Oportet manus meas plenas esse hyacinthis, & omnigenis iustitiæ, & sanctitatis actibus fulgere; tamen aliquando etiam oportet esse cinereos, & submissione quadam profiteri quod homo ex se cinis est, & puluis, etsi ex Dei gratia sit cælestis, & speciosus. Nec cinereus color tollit cælestem pulchritudinem, imo magis deteget, nam dum Christus se humiliauit vt baptizaretur, cæli aperti sunt illi, & à Patre, ac Spiritu sancto eius dignitas est propalata.

Sed ad finem vitæ Christi manus his insignibus præcellentiis decoratę sunt: cum enim accepit linteum, & præcinxit se, misitque aquam in peluim & manibus suis cœpit lauare pedes discipulorum suorum, verè tornatiles fuerunt, quia perfectissimè vndequaque hoc opus per se ipsas

[a] Lib. 2. de Incarn. nat. Verbi c. 19. to. 4.
[b] Lib. 2. Periarch. c. 6 lib. 1. exhort. 22. §. 1.

effecerunt, & opus ipsum vndique tornatum fuit, & perfectum, vt omnium hominum esset præcellentissimum speculum, & exemplum: verè aureæ, quia cum dilexisset suos, tunc in finem dilexit eos, & ardentissima dilectionis signa præbuit illis. Verè plenæ hyacinthis, quos Petrus non agnouit: si-
De Eucha-ristia. cut dictum est illi, *quod ego facio, nescis modo: scies autem postea*: quia in isto opere sublimes & cælestes habuit causas, vt ad cælestia animos discipulorũ raperet, atq; disponeret. Vnde paulò pòst suæ omnipotentiæ torno vtens, accipiens panẽ & vinum in sanctas ac venerabiles manus suas, facillimè & celerrimè solo verbo suo panem conuertit in carnem, & vinum in sanguinem auro diuinitatis suæ vnita, & quod antea erat panis & vinum, in manibus eius factũ est hyacinthus, id est panis cælestis, & cæleste vinum, mutata substantia terrena in cæ-
Ioan.6.v.33 lestem; de qua dicitur: *Pater meus dat vobis panem de* B *cælo verum: panis enim Dei est qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.* Et quod mirabilius & optabilius nobis est, etiam quotidie manus eius sunt tornatiles, aureæ & plenæ hyacinthis, cum per manus sacerdotum idem opus tornatum, aureum, & hyacinthis plenum operatur, vt eos qui hoc sacratissimo cibo reficiuntur, tornatos reddat, & aureos splendida charitate fulgentes, ac cælestium do-
De Passione Domini. norum pretiosis refertos hyacinthis.

Sed contemplemur iã manus Christi crucifixi; 5.
Philo Carpathius, Cassiodorus & Beda quæ tunc maximè tornatiles factæ sunt, cum eas crudelissimis clauis in cruce perforatas extendit: crux durus tornus; tornátes, crudeles milites; clarui tornantium instrumenta; manus Christi tornatæ ab illis: crucifixio ista ex parte Christi, opus fuit perfectissimum, in quo insignem sui abnegationem ostendit: nam vt opus esset vndique tornatum, expoliatus vestibus, nudus ascẽdit in crucem, inter latrones positus, vt fama & honore etiã nudaretur, donec & ipsam exuit vitam pro mũdi redemptione. Tunc manus aureæ erant ob diuinissimam puritatem, & innocentiam illius, stupendaque charitatis opera, quæ non tantũ erga matrem, & discipulum ac pium latronem, sed erga ipsos etiam hostes patrauit; & eius diuinitatem Centurioni & aliis testata sunt. Plena tunc fuerunt hyacinthis rubris, qui pulchriores esse dicuntur, nam claui instar gemmæ incluſæ in annulum dum manus perforarunt, eas proprio cruore rubras & purpureas reddiderunt. Dixerat Abacuch Propheta:
Abacuch 3. v.4. *splendor eius vt lux erit: cornua in manibus eius*, quod ad mysterium crucis sancti referunt vt alibi diximus: at Salomon ait, hyacinthi in manibus eius: cornua enim & latera crucis & claui quibus in ea fixus est Christus, hyacinthi etiã sunt, cœlestibus scatẽt mysteriis, & diuinis, arcanisque rationibus: manus etiam Christi trinis tũc refertæ hyacinthis apparuerunt, cinereis, rubris & cæruleis; Euangelicam perfectionem commendantibus: quæ in humilitate & charitate, seu patientia, & cælestis vitæ innouatione consistit. Denique manus istæ omnibus tunc plenæ fuere pretiosis gemmis virtutũ, & gratiarum ad eas impertiendas hominibus: in cuius testimonium latroni pœnitenti promisit paradisum; non terrenum, sed cæleste, vt de manu
Lucæ 23. v.43. eius hunc hyacinthum accipiens, omnes peccato-
Isai.59.v.1. res ad alios similes implorandos animaret: quia non est abbreuiata manus Domini, nec hyacinthos intra manus clausos tenet, sed ad dispertiendum paratos.

Quomodo electi sint hyacinthi in manu Dei, & manus eius mysticæ esse debeant.

§. 3.

SEd manus Christi hyacinthis plenæ aliud in- 1.
dicant mysterium non iniucundum, si per has De hoc vegemmas intelligas electos ac sanctos, quos in ma- rùm lib. 10. exhort. 16. nibus suis habet, quia illos protegit, adiuuat, & §. 4.
firmiter ne pereant tenet. Frequens enim est Scripturæ testificatio iustos esse in manibus Dei, ac in Sap.3.v.1. suis manibus velut scriptos esse, & insculptos; ac Isai.49.v.16 singulos esse velut annulos, in quibus gẽmæ pretiosæ sunt incluſæ, & in manibus, seu digitis portantur, iuxta illud: *Si fuerit Iechonias annulus in dex-* Ierem.22. *tera mea, & Zorobabel quasi signum in dextera mea.* v.24.
Quia in gemmis annulorum figura ad sigillan- Eccles.49. dum impressa erat. De huiusmodi autem annulis v.13. hunc locum sponsæ explicare possumus: & plenæ dicuntur manus, quia magnus est electorum numerus. Vnde in Apocalypsi legitur, Christum Dominum habere *in dextera sua stellas septem*, quæ se- Apocal.1. prem Angelos seu Episcopos Ecclesiarum repræ- v.16. sentabant, licet per numerum septenarium vniuersitatem electorum possimus etiam intelligere, qui velut stellæ lucent in cælo Ecclesiæ: & quas Ioannes vocat stellas, Salomon vocauit hyacinthos, & gemmas, nam similem habent splendorem: quæ stellæ, vel in palma manus dexteræ Christi quasi depictæ erant, vel in septem annulis digitorum instar septẽ gemmarum incluſæ. Quid ergo iucũdius? quid sublimius? quid fœlicius quam vnum esse ex ijs hyacinthis in manu Christi ad cælestem vitam & gloriam præordinatum? Lætemur autem, quia dilectus noster, cuius ampliſſimæ sunt manus, plenas habet huiusmodi hyacinthis, sperantes inter tot electos, funes casuros nobis in præclaris: nec quemquam rapturum nos de manu eius, quia potens est ad protegendum annulos & gemmas quibus ornantur Psal.15.v.6. eius manus: Vnde D. Ioannes simul ait de ore Ioan.10. Christi exire gladium ex vtraque parte acutum, v.29. & habere in dextera stellas septem: vt sciremus verbo suo potentissimè posse pugnare pro electis, eosque tueri.

Tandem ne cadamus animo, manus Christi sunt 2.
plenæ hyacinthis, id est omnibus gratiis, & donis cælestibus, quæ suis manibus seu operibus nobis meruit, & acquisiuit, vt ea electis suis tribueret, per quæ eos constitueret amicos, & sanctos, ac vita æterna dignos. Quomodo quidam septem stellas in dextera Christi existentes putant esse septem dona Spiritus sancti, quæ Isaias vocat se- Isai.11.v.1. ptem spiritus Domini, quod in sensu tropologico admitti potest. Singulæ enim supernaturales virtutes & gratiæ hyacinthi sunt, & gemmæ ac stellæ, quas Christus electis suis impertitur, vt sibi similes reddat. Sunt autem manus eius in hac elargitione tornatiles, seu tornantes, quia celeriter & perfectè hæc dona tribuit petentibus, & disponentibus se ad recipiendum illa, auxiliaque opportuna præbet vt petant & se dispo-
nant.

Quid ergo retribuemus Deo? quid Christo 3.
redemptori nostro pro omnibus quæ manus eius retribuerunt nobis? Profecto nihil ita gratum illi esse potest, quam quod manus nostræ similes sint manibus illius, eodem modo operantes sicut illæ. Vnde plures patrum hęc verba de manibus mysticis sponsi interpretantur, quas dicunt esse, vel

vel Apostolos, vel fideles Christi dispensatores, A vt eas pauperibus largiantur faciliter, celeriter, & vel iustos qui actionibus vitæ actiuæ maximè incumbunt. Sed satius est ad omnes extendere qui Christi sectatores esse cupiunt, quibus tres istæ manuum prærogatiuæ conuenire debent: *Vt sint tornatiles, aureæ, & plenæ hyacinthis.* Tunc sunt tornatiles, cùm ad opera studiosa obedientiæ & obseruantiæ legis sunt faciles & promptæ, sine vlla resistentia & rebellione compressis carnis motibus contra spiritum insurgentibus. Præterea cum celeres sunt, & veloces, citoque diuinæ obediunt voluntati, sine vlla mora & dilatione: & tandem cum opera integrè, & perfectè peragunt, ita vt nihil habeant superfluum, aut diminutũ, velut opus tornatum; sed solerti mortificatione præscindant quid quid vitiosum, aut inutile fuerit, & omnes affectiones carneas, & terrestres quę opus distortum & malè elaboratum reddunt. Pulchrè hoc
Hom.14. in Cant. explicat D. Gregorius Nissenus, per manus spon- B
„ si intelligens dispensatores: Tunc manus (inquit)
„ fit pura cum totum illud abraserit, quod elegan-
„ tiæ impedimento est. Quemadmodum enim il-
„ li qui marmor ad figuram alicuius animalis con-
„ formant, eã rotando sculpunt, & incidunt lapidi,
„ quibus amputatis ad exemplum Princeps simula-
„ chrum effingitur: sic etiam in pulchritudine ma-
„ nuum corporis Ecclesiæ multa per ratiocinatio-
„ num, tornationem deradenda sunt, vt manus ve-
„ rè aurea fiat, & pura. Verbi gratia, studium pla-
„ cendi hominibus, auaritia, ambitio, &c. & hoc
1.Cor.4. v.2. „ modo explicat quod ait Apostolus: *Hic iam quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur.* Nimirum vt ea omnia abraserint quæ fideli administrationi impedimento sunt. Ideo enim Iudas infidelis fuit dispensator, quoniam auaritiæ lapidem non abrasit.

Hoc amplius explicat secunda similitudo si C
4. manus sint aureæ ad similitudinem manuum Dei, & Christi efformatæ. Quod ita deducit idem D. Nissenus: nam cum caput Christi sit aurum optimum, omnis peccati expers, vtpotè Deus verus, oportet quod manus mysticæ eius etiam sint aureæ, puræ, & immaculatæ. Et ideo præmittitur esse tornatas, vt amputatis ijs quæ malè adhærent, solum aurum supersit, quod specie sua capitis pulchritudini respondeat. Sint ergo aureæ ad Christi similitudinem operantes; sint aureæ à sapientia quæ præcedat operationes, vt nihil agant, nisi quod prius sapientia dictat, & ordinat; illaque semper operetur cum illis; sint aureæ à charitate, quæ actiones comitetur iuxta illud, *omnia vestra in*
1.Cor.16. v.14. *charitate fiant*: ita vt charitatis ac dilectionis spiritus eas ad operandum impellat, & propter dilectum omnia faciant. Sint denique aureæ, vt nihil D terrenum, vile, & fœdum tangant, nec ei adhæreant, sed semper quæ pretiosa sunt & meliora sequi, & apprehendere conentur.

5. Præterea sint plenæ hyacinthis vt affectibus cælestibus semper associentur: intentio sit cælestis, cælestis operandi modus, efficiendo voluntatem Dei in terra sicut in cælo; ad cælum etiam in oratione cum cordibus manus eleuentur iuxta il-
1.Ad Timoth.2.v.8 lud Pauli: *Volo viros orare omni loco leuantes puras manus*, & spe cælestis patrię operantes ad illam ascendere curent; manus enim, id est, opera in regiam Christi domum nos deducent, etsi alis scientiarum, & subtilium contemplationum careamus; nam, *stellio manibus nititur, & moratur in ædi-*
Prou.30. v.28. *bus regis*. Qui autem in sæculo diuitiis temporalibus abundant, aperiant manus suas tornatiles

Matth.19. abundanter, nam per eleemosynas diuitiæ conuertuntur in hyacinthos, siquidem transferuntur in cælos, & è terrenis fiunt cælestes; vt verè manus diuitis sint plenæ hyacinthis, pretiosa dona temporalia donantes, sed cælestia pretiosiora recipientes, iuxta illud: *vende quę habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.* Et iterum: *facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.*

Quadrat huic expositioni manus dictas esse Hos refert & fusè hoc explicat Alcazar in Apocalyp. annot. 30. & 36. plenas hyacinthis magis quam aliis gemmis, eo quod hyacinthus symbolum sit misericordiæ, nam teste Solino & D. Isidoro, nebuloso cælo turbatur color eius quasi mœreat, sereno vero rutilat, & quasi hilarescit faciens cum ipso cælo mutationes. Hoc autem proprium est misericordiæ, flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus, & aliis se accõmodare per cõpassionem, aut congratulationem. Vnde etiam fit quod cum Deus iratum se hominibus ob peccata ostendit, iustus tristatur, mœret, & luget; nam mala aliena æstimat quasi propria, nec vllum hominem perire vellet: cum autem vultum suum illuminat super nos, & hilarem se præbet benefaciendo omnibus ipse hilarescit, & gaudet, ac gratias agit. Vnde ex vtroque proficit sibi, & curat benefacere aliis. Propter quod merito beati vocantur misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur nunc, & in æternum. Amen.

EXHORTATIO XXV.

Pro Virgine & Martyre & festo S. Agathæ circa Euãgelium sunt eunuchi.

C *De fortitudine & pudicitiæ ac sanctitatis candore Christi Domini & Sanctorum eius in carne de se infirma & imbecilli.*

Venter eius eburneus distinctus sapphiris.

POST laudatas manus, in quibus viget viri fortitudo, laudatur venter, quæ pars eius infirmior, & mollior est, vtpote ossibus destituta; & ideo facilius corruptioni obnoxia, sed castissima sponsa castissimas debuit proferre laudes; quæ ita pulchritudinem dilecti sui manifestarent filiabus Ierusalem, vt ad castitatem, & omnimodam pudicitiam prouocarent, omnemque prorsus lõgè pellerent libidinem. Quamuis autem plures patres per ventrem sponsi eius intelligant humanitatem assumptam; tamen sicut labia, manus, & comæ aliquid illius peculiare notant, sic de ventre etiam D. Gregor. Cassiodor. Beda, Rupertus. putandum est; quod tamen magnificas ipsius laudes extollit, in quo nihil est non laude dignum, & quod videtur vilius, hoc sæpe est laudabilius.

De fortitudine in carne infirma. §. 1.

PRimo igitur intendit sponsa dilectum suum à cæteris discriminari dilectis, quia in illo nihil est infirmum, nihil debile sicut in aliis, sed totum est firmũ, & forte: Nam, *quod infirmum est Dei* 1.Cor.1. (inquit Paulus) *fortius est hominibus*, id est, id quod v.25. apparet infirmum in Deo per carnis assumptio-

Ebur dens elephantis est & generico nomine os dicitur.

nem, fortius est quàm quidquid forte est apud homines, vel forte æstimatur ab illis, & hoc est quod ait: *venter eius eburneus distinctus sapphiris.* Quid infirmius, & debilius ventre humano, quod ossibus destituitur? Quid fortius ebore, quod os est elephantis fortissimi? Venter ergo, qui de se imbecillis sine ossibus, totus fit osseus, nec ex quouis osse, sed eburneo; quia humanitas ex se debilis, ex vnione ad diuinam personam est fortissima, & insuperabilis; & quidquid in illa apparuit infirmitatis, quia sponte infirmitates nostras tulit; in eo ipso inuicta latebat fortitudo: & qui se tamquam imbecillis permisit occidi, tamquam fortis seipsum suscitauit, & morte sua mortem destruxit, & fugauit diabolum: Nam, *etsi crucifixus est ex infirmitate, viuit ex virtute Dei.* Et vt in-

2. Cor. 13. v. 4.

Abacuch 3. quit Abacuch, cornua crucis fuerunt in manibus eius, tamen, *Ibi*, in ea infirmitate, *abscondita est fortitudo eius; ante faciem eius ibi mors: egredietur diabolus ante pedes eius.* Benè venter eburneus, quia elephas, cuius os ebur est, continuum cum serpentibus bellum gerit, eosque deuincit, & conculcat. Sic Christus per ea quæ in ipso infirma erant, serpentem qui primos parentes vicerat, superauit & deiecit.

D. Anselmus, Richardus & alij.

Vt hinc discant iusti qui ob propriam imbecillitatem mysticus venter sponsi, & corporis eius nuncupantur, ex vnione ad Christum per fidem & dilectionem, magnam se adipisci posse fortitudinem, vt dicantur, *venter eburneus.* Venter ex propria infirmitate, eburneus ex Christi gratia; vt non sibi, sed Christo tribuant quidquid forte, & præclarum egerint; sicut & Paulus testatur dicens: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt*

2. Cor. 4. v. 7.

sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis, id est, thesaurus gratiæ & sapientiæ est in corpore lutoso, vili, & fragili, vt si quid sublime operamur, non à nobis prouenire constet, sed à Deo, qui vas fictile corroborat, vt non frangatur, conuertens illud in vas eburneum. Vnde & Lxx. interpreres sic vertunt: *Venter eius pixis eburnea super lapidem sapphirum*, id est, ad modum pixidis non luteæ, sed eburneæ, fortis & candidæ, ac sapphiris ornatæ. Vnde nec facilè frangitur tentationibus, & tribulationibus; nec inclusum thesaurum euertit, sed fortiter ad Dei gloriam seruat. Semper tamen fortitudini iungendus est bonus timor ex agnitione propriæ imbecillitatis omnem expellens præsumptionem, & confidentiam sui. Nam hîc ipsam cõfirmat fortitudinem, iuxta illud D. Cypriani: Expedit multò benè timere, quàm malè fidere: Et vtilius est vt infirmum se homo cognoscat, vt fortis

De singular. clericorum.

» exístat, quàm fortis videri velit, & infirmus emer-
» gat.

De cælesti, & fortissima castitate in carne fragili. §. 2.

HOc amplius explicatur in alio præclarissimo encomio carnis Christi; quæ venter est eburneus, candidus, & solidus, & distinctus sapphiris, ad denotandam eius purissimam castitatem quæ his similitudinibus mirè depingitur: nam ebur animantis casti os incorruptibile est, candoreque suo candorem præ se fert pudicitiæ; quia os animalis defuncti, corpus libidini emortuum designat. Cui adiungitur sapphirus; qui cærulei & cælestis coloris est vt constat ex illo Exodi, *sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum cum serenum est.* Indicans eumdem

Ita Iustus Orgelitanus, & plures alij.

Exodi 24. v. 10.

colorem sapphiri & cæli sereni; maximè si sapphirus aureis punctis distinctus sit, sicut testatur D. Isidorus, velut cælum ornatur stellis. Inter cuius laudes refertur quod est lapis castitatis amantissimus vt Marbodæus asserit sic concludens: *Sed qui gestat eum castissimus esse iubetur.*

Ex Plinio lib. 3. c. 9. Lib. 16. Origin. c. 9 Lib. Dactyliothecæ c. 52.

Caro igitur Christi Domini secundum eas partes, quæ ventris nomine designantur, supra modum castissima, omnis fœdæ motionis, dissolutionis, & corruptionis expers fuit; summo solidissimoque virginitatis candore fulgens, sapphirina pulchritudine, cælesti omnino incorruptione, plus quàm omnes Angeli pollens, nã ex vnione ad ipsam deitatem admirabilem & diuina sortita est incorruptionem. De beatis post resurrectionem dicitur: quòd *nec nubent, nec nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.* At de sponso quis dicitur? *venter eius pixis eburnea super lapidem sapphirum*, hoc est super omnem castitatem quæ in cœlis habetur, siue ab hominibus, siue ab Angelis? Quia ipse est virginitatis fons, virginum flos, decor & ornamentum; ipse sapphirinam & cælestem castitatis instituit vitam in Ecclesia, ipse castissimus agnus, quem omnes virgines sequuntur quocumque ierit, agnus videtur debilis, sed elephas est fortissimus, & ex vtraque ratione castissimus, ideo venter eius totus eburneus, sed distinctus sapphiris, id est, virtutibus cælestibus, qui eius castitatem ornant.

Matth. 22. v. 30.

2.

Etenim castitas numquam potest esse sola, sed candor eburneus debet ornari sapphiris; non tantum ad decorem, sed ad fortitudinem & custodiam, & ad maiorem splendorem. Charitas enim, humilitas, temperantia, & modestia, aliæque eiusmodi virtutes maximè ornant & corroborant castitatem. Vnde etsi caro Christi, eam innatam haberet ex vnione ad hypostasim diuinam, tamen ornatum sapphirorum etiam habuit, vt nihil illi deesset quod ad omnimodam eius pulchritudinem spectaret.

Nec tamen dicitur venter coopertus sapphiris, sed distinctus; eo quod ita Christus diuinis fulgebat operibus, vt tamen infirmitas carnis non maneret omnino occulta, sed potius esset manifesta: vnde & quædam operabatur tamquam verus homo indigentiis, & miseriis humanis absque peccato tamen subiectus; quædam tamen ea pulchritudine & potestate diuina quę erant tamquam pulcherrimi sapphiri & lapides pretiosissimi in ventre eburneo inclusi.

3.

Quod si sponsam laudare dixeris his verbis non nudum ventrem à natiua compositione, sed vestimentum quod parti illi aptatur, & venter vocatur, siue thoracem dixeris, siue zonam; nec hoc dissidet à nostro intento, nam per vestem ventris purissimam castitatem indicat deificæ carnis.

Ita multi interpretantur.

Cùm primum prothoparentes prolapsi sunt; & impudicos carnis motus persenserunt, fecerunt sibi de ficus foliis aspera perizomata; & Deus postea fecit illis vestes pelliceas, quæ ventrem tegerét, nuditatem verecundã operirent & asperitate carnis motus comprimerent: ar secundus Adam omnis peccati expers, cuius caro nihil fœdum passa est, vel pati potuit, pretiosiore thorace induitur vel zona; veste ventrem tegit candida & solida instar eboris, pulchra & cælesti instar sapphiri; vt hãc excellentiã indicaret super reliquos filios hominũ qua dilectus noster à dilectis aliis optimè secernitur. *Qualis est* (inquiunt) *dilectus tuus ex dilecto? dilectus meus respõdet, candidus & rubicundus.*

Gen. 3. v. 7. & 21.

Candidus

Candidus ob castitatem, quia venter eius eburneus, *rubicundus*, ex cælestibus virtutibus adiunctis aureis punctis dilectionis instar sapphiris fulgentibus. Candor etiam eboris antiquitate tuborem quemdam contrahit, qui eum reddit pulchriorem, iuxta illud: *rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores.*

Thren. 4. v. 7.

4.

Ecce in sponso depinximus ex parte castitatem iustorum, qui eius mysticus venter nuncupantur, & in carne fragili eburneum pudicitiæ, aut virginitatis seruant candorem, ambulantes enim in carne sunt veluti Angeli Dei, purissimam & cælestem vitam instar sapphiri degentes. Imo pixides sunt super lapidem sapphirum, quia quodam modo in hac sua munditia ipsos Angelos superant, sicut multi Patres quos alibi citauimus, testantur: quoniam quod illi habent ex natura sua sine vllo labore, & certamine, ipsi ex Dei gratia innumeras superantes cupiditates, periculà, & horribilia bella, consequuntur. Summa autem gloria cælestis sponsi est fragilem sui corporis mystici ventrem feciſse eburneum, & sapphiris distinctum; carneum hominem ad angelicam & cælestem vitam euehendo, vt qui gloriatur de candore castitatis, non in seipso, sed in Domino glorietur: & qui illum illæsum seruare cupit, non sibi nec suis viribus fidat, sed Deo, eiusque auxiliis: Nam, *qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinem.* Quid est mutabunt? Num vnam fortitudinem commutabunt in aliam? Vtique. Nam si ad ventrem Behemoth respicias, de illo dictum audies: *Fortitudo illius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius.* Serpens enim qui super ventrem suum repit, in libidine & ingluuie suam fortitudinem constituit, per quas viros & fœminas innumeros vincit, & fortes ad potandum ebrietatis & libidinis vinum efficit. At qui sperant in Domino hanc pessimam, fœdamque fortitudinem, in aliam mutant puram & speciosam, per ventrem repræsentatam eburneum sapphiris distinctum; qui nescit repere super terram, sed euolare in cælum.

D. Chrysostomus lib. de virgin. c. 11. & 12. D. Bernar. serm. in id, hæc est generatio quærentiũ Deum. Plura de his in lib. de statu continẽtiæ & religionis tract. 2. c. 4.

2. Cor. 10. v. 17. Isai. 40. v. 31. Iob 40. v. 11

5.

Sed nouam rationem ex versione Lxx. accipe: *Venter eius pixis eburnea super lapidem sapphirum*; subaudi posita vel fundata. Lapis sapphirus proprium symbolum est Christi Domini, qui lapis pretiosus in fundamentum Ecclesiæ positus ab

Isai. 28. v. 16

Isaia vocatur: Sapphirus autem cæli colorem referens, aureis punctis collucens, indicat distinctionem eius ab Adamo: nam, *primus homo de terra terrenus: secundus homo de cælo cælestis.* Vt sicut

1. Pet. 2. v. 6 1. Cor. 15. v. 47.

sapphirus est quasi quoddam cælum in terra; ita Christus sit spirituale quoddam cælum inter homines. Sicut igitur sacratissima & castissima Christi humanitas, quæ ventris nomine indicatur est vel vt *pixis eburnea super lapidem sapphirum constituta*, id est, super personam Filij Dei, qui imago est æterni Patris, omnem eius referens cælestem pulchritudinem; ita etiam quęcumque casta & pura anima, quæ mysticus etiam eius venter appellatur, est velut pixis eburnea candore & fortitudine præstans, fundata super lapidem sapphirum Christum, à quo omnis eius decor, fortitudo, puritas, & candor pendet: cui si innixus semper fueris, portæ inferi non præualebunt aduersum te, nec tuam valebunt inquinare pudicitiam.

De sublimi cordis munditia, & fœcunditate spirituali. §. 3.

SEd quoniam perfecta pudicitia non solum est externa, sed etiam interna, & carnis integritas pendet ex integritate spiritus, & munditia cordis: vt, *virgo & innupta*, iuxta sententiam Apostoli, *sit sancta corpore & spiritu.* Hoc ipsum indicant verba ista, sumendo ventrem iuxta phrasim Scripturæ, pro visceribus & præcordiis, seu pro corde ipso, quomodo suprà sponsa dixit: *& venter meus intremuit ad tactum eius.* Non solum ergo caro Christi, sed præcordia eius & cor, internusque venter est eburneus, distinctus sapphiris, quia intus etiam fulget summus eius candor cælestibus virtutibus cõdecoratus, torque sapphiris fulget, quot cælestibus gratiis & donis repletus est.

1. Cor. 7. v. 34.

2.

Sed emphrasim maiorem habet secunda versio Lxx. quam sequitur D. Gregorius Nissenus, Theodoretus, Psellus & alij patres apud ipsũ, ac etiam D. Hieronymus, nempe: *Venter eius tabula eburnea super lapidem sapphirum*, quia Sãctorum cor (inquit Nissenus) est purissima diuinæ legis tabella, in qua scripta est, ad modum quo inquit Apostolus: *Non*

Hom. 14. in Cant. In Ezech. c. 2. 2. Cor. 3. v. 3

atramento, sed spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Quod prædixerat Ieremias dum ait: *Post dies illos dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Lex autem Dei in tabulis cordis impressa non est aliud quam ipsa gratia, charitas, & supernaturales virtutes, à Deo infusæ, quæ animam vehementer inclinant ad exequenda præcepta legis diuinæ. Hæ sunt velut literæ conscriptæ in tabulis eburneis, id est cordibus candidis candore gratiæ, quæ mũdat, & purificat corda: quod si ex vtraque versione vnam faciamus, tabula eburnea distincta sapphiris erit cor mundum his cælestibus virtutibus distinctè cõscriptum, aut insculptum; vt iam cor cælum quoddam videatur, in quo libenter commoretur Deus, quia omnis eius cogitatio & affectio ad superna tendit, & conuersatio eius in cælis est.

Ieremi. 31. v. 33.

Quod si hæc iustis tribuimus, multo magis ipsi inerunt sponso, vnde iusti hanc sortiuntur excellentiam, qui de se inquit: *In capite libri scriptum est de me vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*, scilicet collocaui, conscripsi, & impressi. Quare sacratissima eius humanitas tabella quędam erat eburnea, & sapphirata, id est, plurimis intertextis pulcherrimis sapphiris variegata, vt ipso cælo esset sublimior, & pulchrior, sicut Apostolus ait: *Talis decebat vt esset nobis Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.*

Psal. 39. v. 8. Ad Hebr. 7. v. 16.

Quadrat autem egregiè in talem Pontificem similitudo sapphiri, qui teste Pierio, apud veteres magni æstimabatur, & insigne erat Imperij & summi Sacerdotij, & modo etiam Pontificum, & Cardinalium propria est gemma: nam in Cardinalitiam dignitatem assumptis summus Pontifex sapphirum mittit, & ex eo constat vsitatus Episcopi annulus: vt hoc symbolo memores sint oportere eos sublimem & cælestem degere vitam. At Pontifex Christus excelsior cælis factus, supercælestem etiam vitam degit & diuinam; quam vtinam nos omnes imitemur. Siquidem & in ipso sumus regale sacerdotium quibus sapphiri etiam insigne

Lib. 41. Vide Aliazar. in c. 21. apud annot. 9.

1. Pet. 2. v. 9.

apretur: omnibusque præcepit dicere: *fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra*, vt in terra degentes cæleſtem vitam agamus ſicut qui commorantur in cælo.

5. Sed nunquid venter iſte infœcundus eſt & ſterilis? Scimus enim ventrem in Scriptura fœcunditatem deſignare, non tantum in fœminis, ſed & Pſal.131. v.11. in viris ſicut Dauidi dictum eſt: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Et iterum: *ſuſcitabo ſemen tum poſt te, quod egredietur de vtero tuo.* Vnde & 2.Reg.7. v.12. partus illis tribuitur, ſicut per Iſaiam dicitur: Iſai.66.v.9. *Nunquid ego qui alios parere facio, ipſe non pariam?* Propter quod Iuſtus Orgelitanus myſticum Chriſti ventrem dicit ſanctos Prædicatores eſſe, & eos qui proximis lucrandis inſiſtunt. Nam cum peccatores ad fidem conuertunt, eos ſpiritualiter generant, & pariunt, quæ fœcunditas non tollit virginitatem, ſed potius eam perficit. Dicuntur autem venter eburneus diſtinctus ſapphiris ab effectu prolis genitæ: nam eos quos generant, candidos faciunt per lauacrum baptiſmi, & per candorem gratiæ, atque per reliquas virtutes ſupernaturales & cæleſtes mirificè ſapphiratos. Sed hæc Prædicatores non habent à ſe, ſed à Chriſto Domino cuius venter fœcundiſſimus eſt, & omnes quotquot iuſti ſunt, ab illo ſunt progeniti, & felici prodeunt partu. Illis tribuit eburneum candorem, & ſapphiri pulchritudinem, vt participatione gratiæ & filiationis adoptiuæ ac virtutum decore illi ſimiles fiant. Sed laus iſta de fœcunditate ventris propriùs accommodatur ſponſæ de Cant.7.v.2. qua infra dicitur: *Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis*, vt ſuo loco explicabitur.

4. Nunc tandem ex omnibus deductis concludamus modum præmuniendi nos ad bellum ſpirituale contra diabolum, qui vt eleganter docet Collat.24. c.17. Caſſianus, multiſque confirmat exemplis, ſolerter intuetur partem hominis debiliorem, in quam tentationum ſpicula iacit, vt eum feriat & perimat; pars autem debilior eſt quæ alicui inordinatæ paſſioni & affectioni coniungitur, ſiue ad delicias, ſiue ad voluptates, ſiue ad honores, ſiue ad amicos. Et hæc generali nomine ventri comparatur, qui mollior & debilior hominis pars eſt, licet peculiariter concupiſcentiam carnis denotet circa delectabilia guſtus, vel obſcœna tactus, & ideo Lib.8.c.10. contra hanc fortius iaculatur. Vnde naturali inſtinctu rhinoceros teſte Plinio, in dimicatione cum elephanto aluum maximè petit, quam ſit eſſe 1.Mach.6. v.43. molliorẽ: quod & obſeruauit Eleazarus in bello contra Antiochum aggrediens ſupereminentem aliis elephantem, & ſupponens ſe ſubtus eum, ac percutiens ventrem, illum occidit.

Vt autem ab huiuſmodi ictibus nos tueamur, D oportet ventrem forti munire thorace, & ferreo ſcuto, vel ſimili tegumento, quod ſpiculis potenter reſiſtat, & hoc eſt quod inſinuant verba iſta: *venter eius eburneus*, id eſt, non mollis eſt, nec inarmatus, nec nudus iaculorum ictibus patens, ſed totus quaſi ebore veſtitus, & circumdatus, partem debiliorem fortiori tegens munimento ne ab hoſte feriatur. Si enim elephas eburneum haberet ventrem, ſicut & dentem, non læderetur à rhinocerotis cornu. Conſidera igitur in te ipſo quæ ſit tua debilior pars, & quæ tibi prædominetur inordinata concupiſcentia, vel naturalis propenſio, nimirum an ſis vehementer propenſus ad voluptates carnis, vel ad videndum curioſa, vel audiendum vana, & ſenſus tuos ebore candido & ſolido veſti, faceos eburneos, & diſtinctos ſapphiris ex veritatibus & remediis quæ contra ſingula vitia Scriptura tradit, thoracem faciẽs eburneum, id eſt fortem & candidum, purumque, quo te indemnem & immaculatum cuſtodias. Memento quomodo tentator videns Chriſtum in deſerto eſurientem iacula iecit contra partem quam putauit debiliorem, dicens: *Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.* Sed quomodo læderet illũ, cuius vẽter erat eburneus diſtinctus ſapphiris? mox enim reſtitit, reſpondens: *non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Et tu igitur in ventriculo animæ, qui memoria eſt, plurimos ex ſacra Scriptura reconde ſapphiros ex huiuſmodi cæleſtibus veritatibus, quibus ornatus & munitus diabolum vinces, & tentationum obtinebis victoriam, vt tandem conſequaris æternam. Amen. Matth.4. v.3.

B

EXHORTATIO XXVI.

Pro Communi Apoſtolorũ & pro Feſtis SS. Apoſtol. Petri & Pauli.

De greſsibus Chriſti Domini in hoc mundo; de viris Apoſtolicis, (ſpecialiter D. Petro & Paulo,) per quos graditur per orbem terræ; de eorumque fortitudine & pulchritudine.

Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. Verſ.15.

NIHIL ſine laude relinquit ſponſa: cœpit à capite dilecti, & deſinit in pedes, cum ait: *Crura illius columnæ marmoreę, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas.* Baſes autem crurium ſunt pedes, & hoc nomine etiam in Scriptura ſacra nuncupantur: crura autem vocantur, quę à genibus, vel à coxendicum faſtigio incipiunt, & protenduntur vſque ad imum pedum, ac digitorum. Quanti autem ſit facienda dilecti pulchritudo ſatis inſinuat, dum non tantum ait caput, quod initium eſt corporis, eſſe aurum optimum, & manus quæ medium tenent locum, eſſe aureas, ſed etiam pedes, quæ extrema & infima ſunt eius pars, aureos eſſe dicit, & ſummo pretio habendos: nam auri nomine quidquid pretioſiſſimũ eſt ſignificatur. In hoc autem ſatis reſpondet interrogantibus; *qualis eſt dilectus tuus ex dilecto?* Nam dilectum à mundo eſt velut ſtatua viſa in ſomnis à Rege Nabuchodonoſor, cuius caput erat ex auro optimo, ſed pedes partim ferrei; partim fictiles, ſeu teſtacei; quia omnis mũdana gloria, terrena que potentia in peius deſinit, vileque, & fragile habet fundamentum; & minimus lapis percutiens fictiles pedes, comminuit eos, & in puluerem redigit: nam omnes reges & potentes ſæculi per mortem in puluerem reuertuntur: at dilectus noſter non ſolum habet caput aureum, ſed & pedes aureos, quia gloria & poteſtas eius non diminuetur; ſed ita pretioſa erit in fine, ſicut in principio. Imo regni eius, quod totum eſt aureum, numquam erit finis. Actu.3.v.7. Dan.2.v.32

C

De greſsibus Chriſti in hoc mundo.

§. 1.

INquit igitur ſponſa: *Crura illius columnæ marmoreæ.* Et loquitur de marmore albo inſtar alabaſtri vt ex voce Hebræa conſtat, ac ſi dicat, ſunt veluti

Caſſiodorus & Beda. veluti columnæ candidæ, ſolidæ, fortes, debitaque proportione pingues, Quæ *fundatæ ſunt ſuper baſes aureas.* Id eſt, ſuper pedes pulchros, & fortes, ſed facilè mobiles ad ambulandum: ſicut aurum eſt aliis metallis fortius, & ductilius. Intelligimus autem per huiuſmodi ſponſi crura quæ ad ambulandum & currendum ſunt inſtrumenta, omnia itinera & greſſus illius, poſtquam factus Pſal.18.v.7. eſt homo, &, *Exultauit vt gigas ad currendam viã.* Maximè cum perambulabat omnes ciuitates, & vicos Iudeæ, & Galileæ, prædicans regnum Dei, mira faciens & perſecutiones patiens, donec tandem poſt multa itinera tempore paſſionis ſuæ ab vno tribunali in aliud ductus, perueniens ad Caluariæ montem ſuſpenſus eſt in patibulo. Propter quod crura dicuntur ſicut columnæ marmoreæ, quia in his itineribus viguit candor, puritas, fortitudo, rectitudo & conſtantia maxima; à dextris, & à ſiniſtris per gloriam & ignobilitatem; per proſpera & aduerſa, in laboribus, & ærumnis, in iniuriis & tormentis æquanimiter toleratis, ſine vlla macula, dolo, aut hypocriſi quæ ſincerum eius candorem decoloraret, ſine vllo impatientiæ vel timiditatis ſigno, quod eius labefactaret conſtantiam; quia nulla perſecutorum vis inuictum illius animum potuit frangere, nec à recto itinere Ioan.19. v. 33. deuiare. Vnde etſi Pilatus permiſit vt Chriſti crura frangerentur, fracta tamen non ſunt, ſicut nec veſtis inconſutilis ſciſſa fuit, ad ſignificandum integram, & incontaminatam ac immobilem permanſiſſe ſemper eius virtutem, & doctrinam; intactumque incarnationis eius myſterium; etſi Pilatus, quod *os malleatoris* interpretatur, id eſt diabolus ore inimicorum Chriſti, & hæreticorum illud frangere & comminuere curauerit: ſunt enim crura Chriſti inſtar columnæ marmoreæ, quæ ictibus mallei & gladij fortiter reſiſtũt: & cùm Phariſæi de altero ſæuo tyranno illi dicerẽt: *Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere,* Lucæ 13. v. 32. ipſe inuicta fortitudine ſtetit, nec abire vel ceſſare ab opere ſuo voluit: Quiã, *Oportet me* (inquit) *hodie & cras & ſequenti die ambulare*, id eſt, iugiter vſque ad mortem omnia mea munia obire.

2. Dicuntur autem columnæ fundatæ ſuper baſes aureas, quia huiuſmodi itinera fundabantur ſuper duos charitatis actus, nempe amorem Dei & proximi. Quidquid enim Chriſtus Domi- Ita D. Niſ. ſenus. nus egit, & paſſus eſt, huiuſmodi dilectionis auro inſignitum fuit, iuxta illud: *Vt cognoſcat mundus,* Ioan.4.v. 31. *quia diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater ſic facio. Surgite, eamus hinc.* Quia vero iuxta dicta, aurum ſymbolum etiam eſt diuinitatis, cui humana natura vnita eſt, ideo ab illa eiuſque attributis baſes dominantur aureæ, quibus greſſus Chriſti fulciebantur. Vnde etiam miram ſumebant vim, & efficacitatem, de qua dicit Abacuc: *Contriti* Abacuc 3.v. 6. *ſunt montes ſeculi, incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius.* Hæc enim Chriſti itinera ab æterno prædiffinita, & à Deo qui ipſa æternitas eſt procedentia, conculcarunt, humiliarunt, & contriuerunt omnem mundi ſuperbiam, & arrogantiam, atque ipſos reges, principes & ſapientes ſæculi ſuæ ſubiecerunt poteſtati, non ferreis armis, ſed affectibus & greſſibus ſapientiæ, & charitatis.

Vnde in Apocalypſi pedes Chriſti Domini dicuntur, *ſimiles aurichalco ſicut in camino ardenti*: Id Apoc.1.v. 15. eſt, æri pretioſo & forti, ardentique illo igne qui in æreo altari holocauſtomatum ſemper ardebat: non tamen ſine myſterio Ioannes non ignem,

Hom. 2. in Ezech. Iſai. 31.v.9 Apoc. 10.v. 1. De hoc ſuprà l. 6. exhort. Lucæ 12. v. 49. Hinc patet ibi fieri ſermonem de pedibus cũ cruribus. Dan. 12.v. 6. aliud ſimile habetur. Pſal.18.v.7. Deut. 11.v. 24. Matth. 14. v.25. Pſal.92.v. 4 Iſai. 64.v. 2. Apoc. 1. v. 15.

A

D

inuisere mundum, aurei sunt; at quibus modo venit regere Ecclesiam & visitare fideles, quomodo munus suum obeant, & quibus tandem veniet iudicare illos, similes dicũtur aurichalco, seu pretioso æri ardenti, aliquid tamen habenti auri, quia iustitia vindicans licet pretiosa sit in Deo, nec ab eius charitate aliena; tamẽ respectu nostri: *Misericordia superexaltat iudicium*: &, *miserationes Dei super omnia opera eius*. Caminus autem ignis, non solum est ignis qui accendit ad amorem, sed aliquando est ignis zeli qui inflammat ad vindictam, non sine amore, quia si nos in hoc sæculo affligit, ideoest: quia, *castigat Dominus quẽ diligit, & flagellat omnem filium quem recipit. Et ego* (inquit) *quos amo arguo, & castigo*.

Iacob 7. v. 13. Psal. 144. v. 9. Ad Hebr. 12. v. 6. Apoc. 3. v. 19.

Quare non incongruè duo crura aut duos pedes Domini intelligere possumus, misericordiam & iustitiam, quia præmia largitur, vel supplicia, iuxta illud: *Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas*. Quod sic explicat D. Augustinus: Docet Dominus mites vias suas, videlicet misericordiam qua placabilis, & veritatem qua incorruptus est; quorum vnum præbuit donando peccata, alterum merita iudicando: & ideo vniuersæ viæ Domini duo sunt aduentus filij Dei, vnus quidem miserentis, alter vero iudicantis. Misericordia pes est dexter, iustitia vero sinister, quoniam misericordia, vt diximus, præcellentior est nobis, & tota fauorabilis; iustitia vero qua parte punit, aliquid habet nobis sinistrum & aduersum. Præterea dextrum teste Aristotele, dicitur vnde incipit motus, & dextrum cæli gyrantis est, vnde nobis oriuntur astra, misericordia autẽ initiũ est nostræ salutis, & ab illa incipit peccatoris conuersio, & iustificatio; quia diuina misericordia præuenit illũ. Vnde in Scriptura semper misericordia priusquam iustitia nominatur, vt in illo Psalmi: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*. Et in Apocalypsi pes dexter dicitur positus super mare, & sinister super terram, ad significandum misericordiam Dei transituram ad gentes, & iustitiam permansuram in Iudæa, quam ob sua peccata iustitia diuina acriter puniuit, misericordia deseruit, & ad gentium cõuersionem properauit. Nam qui mouere se incipit, sinistrum pedem figit in loco quem deserit, & dextrum eleuat vt aliò se transferat. Quod indicauit Apostolus cùm Iudæis dixit: *Vobis oportebat primùm loqui regnum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes, &c.*

Lib. 2. de cælo c. 2. Psal. 100. v. 1. Psal. 24. v. 10. Psal. 60. v. 8. & Psal. 84. v. 11. Apoc. 10. v. 2. Act. 13. v. 46.

At respectu electorum sicut vtraque manus dextera & læua est illis aurea, & plena hiacinthis, vt suprà diximus, ita vterque pes dexter & sinister est aureus illis, & valdè proficuus, ac plausibilis; quia siue veniat ad illos puniendo, siue mulcendo, siue per vias asperas, siue per planas & suaues, omnia redundant in bonum ipsorum, & de vtrisque est nobis gaudendum, sicut dicebat regius Psaltes: *Proba me Domine, & tenta me: ure renes meos & cor meum. Quoniam* (inquit) *misericordia tua ante oculos meos est, & complacui in veritate tua*. Duo enim pedes tui, nempe misericordia tua & veritas, seu iustitia tua, aurei mihi sunt, & gratissimi, ac valdè mihi complaceo in eis.

Psal. 25. v. 2.

3. Hinc, licet crura sponsi vocentur columnæ super bases aureas, non intelligendum est ea esse in eodem loco semper fixa, sicut columnæ ædificij sunt super bases fixas, quæ non mouentur; alioqui rueret ædificium. At licet Christus, quà Deus est, vbique sit præsens, nec locum mutet, tamen ambulare & mouere se pedibus suis dicitur, quatenus varios gressus, & actus erga homines agit. Vnde in Apocalypsi describitur ambulans in medio septem candelabrorum aureorum, id est Ecclesiarum; ambulat autem illis pedibus qui aurichalco ignito similes esse perhibentur. Cæterum comparantur columnis super bases aureas, quoniam sicut columnæ nunquam separantur à suis basibus, quibus nituntur, sic nec viæ & gressus Christi, à sapientia & charitate; nec à dilectione Dei & hominum, quibus semper cupit benefacere, si ipsi se illi velint subijcere.

Apoc. 2. v. 1.

4. Nobis igitur curandum ita mentem nostram componere, vt iugiter Christus Dominus his pedibus ambulet intra nos, imprimens nobis vestigia charitatis suæ, & vtriusque dilectionis Dei & proximi firmiter permanens in nobis, nosque in suo amore retinendo constantes reddens. Siquidem scriptum est: *Vos estis templum Dei viui, sicut dicit Dominus; quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et rursus: Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati*. Quod sic perpendit D. Ambrosius, cui nisi verbo Dei incarnato conuenit dici, *Crura eius columnæ, &c.* Solus enim Christus inambulat animis, & graditur in mente sanctorum, in quibus veluti in aureis basibus, fundamentisque pretiosis solidata vestigia verbi cælestis hæserunt. Vbi D. Ambrosius per bases videtur intelligere animas sanctorum, in quibus Christus ambulat, pedes suos figit, & vestigia suæ imprimit charitatis.

1. Cor. 6. v. 16. Ad Ephes. 3. v. 6. Lib. 3. de fide c. 5.

De mysticis cruribus, & pedibus Christi. §. 3.

Idem Nyssenus hom. 14. in Cant. D. Ambros. serm. 5. in Psal. 118. v. 6. Ad Gal. 2. v. 9.

EX his transeamus ad Christi mystica crura, & pedes, de quibus hæc verba interpretantur vterque Gregorius, & Ambrosius, & alij patres, dicentes hæc crura esse sanctos Apostolos, nam & quosdam vocat Paulus columnas. Sunt autem marmoreæ propter candorem vitæ, & doctrinæ, ac firmitatem maximam quæ illis necessaria sunt ex triplici capite. Primo, ex magnitudine oneris quod sustinere debent. Secundo, ex maximis tentationibus & persecutionibus quibus concutiuntur; & tandem ex insigni exemplo quod suis gressibus præbere debent. Quæ tria ad omnes iustos & Apostolicos viros extendi possunt, de quibus per Psalmistam inquit Dominus: *Ego confirmaui columnas eius*; id est feci esse marmoreas, firmas & stabiles. Et in Apocalypsi inquit: *Qui vicerit faciam eum columnam in templo Dei mei*. Quod idem D. Gregorius & plures alij de templo Ecclesiæ militantis interpretantur. Nam per victoriam vitiorum fit homo tamquam columna, eo quod recipit à Deo robustas & fortes vires ad sustinendum onus Ecclesiæ vel vniuersalis, vel particularis, vel cuiuscumque congregationis sibi commissæ. In hoc enim consistit ratio metaphoræ, quod sicut columnæ super bases constitutæ sustinent totum ædificium, ita fortia crura quæ sunt velut columnæ marmoreæ super pedes sitæ sustinent vniuersum corporis pondus. Et sancti ac robusti perfectique viri etiam sustentant corpus Christi mysticum, nec à suo munere vllis tentationibus & persecutionibus diuelli possunt: & hoc est quod in Apocalypsi subditur: *Et foras non egredietur amplius*. Nã egredi foras est extra suum munus ob timiditatem, & inconstantiam eijci, vel illud relinquere. Apostolicus autem vir, & in Dei

Apoc. 3. v. 12. Psal. 74. v. 4. Lib. 17. mor. c. 14.

Dei obsequio robustus, ita firmus in illo manet sicut columna, quod ab eo nequeat diuelli; sed omni tempore Deo vacat, eius dicatur obsequio, & corpori mystico proximorum sustinendo inuigilat, & sicut onus ædificij facit etiam ipsam columnam esse immobilem, ita solicitudo oneris sibi iniuncti eum immobiliter in eo ferendo permanere facit.

Ita Nyssenus. 1. Cor. 3. v. 11.

Hæc autem firmitas etiam prouenit ex basibus aureis super quas columnæ fundatæ dicuntur, siue per has bases intelligas Christum verum Deum & hominem, qui est fundamentum fundamentorum, de quo Paulus ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*: Siue dicta Prophetarum, & ipsius Christi, vnde Apostoli suam firmam fidem sumpserunt; dicente D. Petro: *Habentes firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, tamquam lucernæ ardentes in caliginoso loco*; Siue duo præcepta dilectionis Dei, & proximi, à quibus vniuersa lex pendet & Prophetæ. Hæc enim præcepta & actus ipsorum maximam præbent firmitatem: quia *fortis est vt mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio*; Siue timorem Dei sanctum, & studium disciplinæ. Et tandem reliqui iusti, vt ait Paulus, superædificati sunt, *Super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu*. Quicumque igitur virtute præstant, meminerint se columnas debere esse marmoreas ad aliorum onera sustinenda, iuxta illud Apostoli: *Debemus & nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere*: Et insuper omnia onera nobis imposita maximè ob Ecclesiæ vel proximorum vtilitatem, onera etiam proprii status siue Ecclesiastici, siue religiosi: sustinebimus autem immobiliter si fundati simus & radicati super duo præcepta & actus charitatis, per quam mystici Christi pedes sunt etiam similes forti aurichalco, sicut in camino ardenti, & sicut columnæ ignis, vt omnes eorum gressus eo modo fiant quo Christus suos suffecit. Charitati autem iungendus est etiam timor Domini, quoniam scriptum est: *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua*. Sit autem timor castus & purus, vt basis sit etiam aurea, & timor cum amore maiorem præstet firmitatem.

Matth. 22. v. 40. Cant. 8. v. 6. Ita Ambrosius. Ad Ephes. 2. v. 20. Ad Rom. 15. v. 1. Eccles. 27. v. 4.

2. Etenim innumeris huiusmodi columnæ concutiuntur tentationibus, & persecutionibus hostium tum inuisibilium, tum visibilium, quibus obsistere non possent nisi essent marmoreæ basibus aureis innixæ. Quod satis insinuauit Dominus cum promissionem illã Apocalypsis, *Qui vicerit faciam eum columnam, &c.* fecit Episcopo Philadelphiæ, qui magnis tribulationibus premebatur, & cui paulò antè dixerat: *Ego seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum tentare habitantes in terra*. Huiusmodi autem tentationum impetus multo magis insurgunt contra eos qui columnæ sunt Ecclesiæ, nam si isti corruant, cæteri peribunt; ablato enim fundamento corruit ædificium: & ideo hostes dicunt; *Exinanite vsque ad fundamentum in ea, &c.*

Apoc. 3. v. 10. Psal. 136. v. 7.

3. Sed vlterius oportet columnas esse marmoreas super bases aureas, eo quod gressus Apostolorum, & eorum qui illos sequuntur, pulchri debent esse & mirabiles populo, vt ad illorum sequenda vestigia excitetur. Propter quod tam Isaias quam D. Paulus cum admiratione quadam dicunt: *Quã pulchri, seu, speciosi pedes euangelizantium pacem! &c.* Hanc autem pulchritudinem commendat mar-

Isai. 52. v. 7. Ad Rom. 10. v. 5. De hoc lib. 9. exhort. 10.

moris albor, & splendor auri, id est candor & munditia cordis, ac sanctorum operum fulgor, charitatisque decor. Vnde & pedes mystici Christi dicuntur similes aurichalco in camino ardenti: in camino autem seu fornace æs purius fit, & splendidius, vehementioremque ob densam materiam concipit ardorem. Oportet enim euangelizantes spiritu & amore feruentiores esse, ne de illis dicatur: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam factus sum velut æs sonans*: Quod confusum & fere nihil mente significante edit sonum: per charitatem autem linguæ hominum & Angelorum fiunt igneæ similes æri candenti, quæ etiam alios inflamment, vel (vt inquit D. Gregorius) vita prædicantium dicitur æs candens, quia sonat & ardet, ardet desiderio, & sonat verbo.

1. ad Cor. 13. v. 1. Hem. 3. in id Ezech. 1. v. 7.

4. Mirum autem est pedes euangelizantium vniuersum peragrantes mundum, polluere luto, & sordibus refertum, hunc conseruare candorem, splendorem & pulchritudinem; sed hoc præstat illis omnipotens Christi virtus & gratia, quæ eos in medio nationis prauæ, & inter idololatras, sceleratos, & scandalosos homines seruat indemnes, & in eo inquinatos, tamquam lucernas lucentes in caliginoso loco, vt per pedes sicut aurichalci candentis lutum conculcent, & consummant. & ipsos peccatores mundos reddant: propter hoc enim inquit Abacuc propheta; *Viam fecisti in mari equis tuis in luto aquarum multarum*: Id est (sicut D. Gregorius interpretatur) aperuisti iter prædicatoribus tuis inter doctrinas huius sæculi sordida & terrena sapientes: & quia per lutum etiam desiderium sordidæ voluptatis exprimitur iuxta illud: *Eripe me de luto vt non infigar*: viam etiam aperuisti inter lutosam carnalium vitam, vt sua prædicatione eos ab vtroque eriperent cœno; quia nisi tu viam aperuisses, nullus posset tam insigne opus perficere. Lxx. vertunt: *Superinduxisti in mare equos tuos conturbantes aquas multas*. Nam quemadmodum equa cum flumen pertransit, solet pedibus aquam turbare: ita Deus mittens prædicatores suos ad Gentes, etsi sint velut mare, facit vt conturbent eos, & commoueant ad pœnitẽtiam. Quietæ (inquit idem D. Gregorius) aquæ iacuerunt, quia humanæ mentes diu sub vitiorum suorum torpore sopitæ sunt. Sed equis Dei mare turbatum est, quia missis sanctis prædicatoribus omne cor, quod pestifera securitate torpuit, impulsu salutiferi timoris expauit. Hæc autem turbatio ad veram salutem & requiem ordinabatur, iuxta illud Psalmistæ: *Commouisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones eius quia commota est*. Quod sic confirmat D. Hieronymus: Ascendit verbum Dei in equis suis, id est, in Apostolis, vt turbarentur aquæ multæ, hoc est populi multi; vt errorem primum deserentes veluti conturbati venientem equitem susciperent.

Scintillæ quasi aspectus æris candentis. Psal. 68. v. 15. Psal. 68. v. 13. Lib. 31. mor. c. 40. Psal. 59. v. 4. In Abacuc 3. v. 15.

Ceterum quia euangelizantium pedes, nonnullam solent pulueris, vel luti immunditiam contrahere, oportet vt diligenter lauentur, sicut Apostolis dictum est, etiam lotos indigere vt pedes lauent. Quomodo idem D. Gregorius egregiè interpretatur illud Iob: *Quando lauabam pedes meos butyro*, de pedibus Christi mysticis, quos sanctos prædicatores esse dicit: & quia vix ipsa prædicatio sine aliquo transitur admisso, nam quilibet prædicans, aut ad quamtulamcumque indignationem trahitur si contemnitur, aut ad quamtulamcumque gloriam si veneratur, pedes lauan-

Ioan. 13. v. 10. Lib 19. moral. c. 10. Iob 29. v. 6. Lib. 9. exhort. 10. §. 3. iterum de hoc.

tur butyro, quia pinguedine boni operis infunditur, atque mundatur collectus puluis de gloria prædicationis: cui consonat quod de eisdem prædicatoribus suprà dictum est, esse sicut columbas super riuulos aquarum, *quæ lacte sunt lotæ*. Nam lac doctrinæ, & deuotionis, quo alios nutriunt, in ipsos refunditur vt eos lauet. Cant. 5. v. 12.

Sed quid est quod nulla in hoc loco mentio fit calceamentorum? cum tamen infrà sponsus dicat: *Quam pulchri sunt gressus tui filia principis in calceamentis!* Sed qualia fuerint calceamenta adeò pulchra ibi non explicat. Hic vero insinuat, dum ait, crura esse super bases aureas: pedes enim etiam vocari possunt aurei ab ornatu pretioso, quia calceamenta erant auro gemmisque exculta, sicut olim apud principes fuit in vsu; cum autem hic laudetur sponsus quem rex Salomon potentissimus repræsentabat, non est mirum sub hac metaphora pulchros & graues eius gressus depingi quos principes Ecclesiæ tenentur imitari. Sed de his calceamentis in capite septimo dicentur plura. Cant. 7. v. 1. Plinius lib. 9. c. 35. & lib. 37. c. 2. Lib. 9. exhort. 10.

D. Petrum & Paulum esse duo Christi crura sicut columnas marmoreas. §. 4.

QVæ de Apostolis, Apostolicisque viris diximus, aptè quadrant in duos principes Ecclesiæ Petrum & Paulum, qui sunt velut duo crura Christi tamquam columnæ marmoreæ super bases aureas, magna æqualitate & similitudine pollentes. Oportebat enim tales esse ex triplici causa suprà dicta. Ponderosissimum enim onus sustinebant, nimirum vniuersam Ecclesiam super ipsos fundatam, maximè supra Petrum, cuius mutatum est nomen ex Simone in Petrum, quia mutauit fortitudinem: Nam *super hanc petram* (ait Christus) *ædificabo Ecclesiam meam*. Vnde quod in Apocalypsi dicitur, Angelum cuius crura & pedes erant sicut columna ignis, posuisse pedem dextrum suum super mare, sinistrum vero super terram, ad hos Apostolos referri potest. Nam Paulus super mare populi Gentilici, Petrus vero super terram populi Hebræi pedem fixit: sicut ipse Paulus testatur dicens: *Creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro circumcisionis. Nam qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est mihi inter Gentes*. Vocatur autem Paulus pes dexter, Petrus vero sinister, non quia Paulus excedat virtute & fortitudine, cùm potius sint æquales, & Petrus dignitate capitis superior: sed ab effectu: quoniam Apostolatus Petri circa Iudæos, non tam prosperum habuit successum, sicut Apostolatus Pauli circa Gentes, vt iam diximus: quia in populo illo fides diminuta est, in hoc vero in dies excreuit. Quod etiam insinuant verba eiusdem Pauli quæ mox subiungit dicens: *Et cum cognouissent gratiam quæ data est mihi, Iacobus & Cephas, & Ioannes, dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, vt nos in Gentes, ipsi autè in circumcisionẽ, &c.* Vocat autem dare dexteras conuentionem istam, ex communi phrasi, quod porrigendo dexteram initur societas, sed nescio quid habet præsagii quod prosperum euentum habitura erat Pauli prædicatio ad Gentes. Qua de causa iussit Christus post resurrectionem mittere retia ad dexteram nauigij, & prospera fuit piscatio. Vnde etsi Iacobus tantum Iudæis prædicauerit, quorum fuit Episcopus constitutus, tamen Petrus & Ioannes postea etiam eodem felici successu prædicarunt Gentibus. Quare merito eis applicare possumus illud Abacuc: *Viam fecisti in mari equis tuis*. Nam & D. Hieronymus de eisdem Apostolis explicat, quod idem propheta dixerat, *qui ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio*. Ascendit (inquit) in Paulo, ascendit in Petro, & in huiusmodi curribus equitans totum illustrauit orbem, intendens quoque arcum suum, sceptra, id est, regna diaboli destruxit. Matth. 16. v. 18. Apoc. 10. v. 1. Ad Gal. 2. v. 7. Ioan. 21. v. 6. Abacuc 3. v. 8.

Præterea marmoreas columnas fuisse hos Apostolos super bases aureas constat ex magnitudine persecutionum, quas ob prædicationem Euangelij perpessi sunt, quas numerat D. Paulus scribens ad Corinthios, & in summam redigens ait: *Omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores*. At quam immobiles fuerint columnæ istę, quia in base aurea charitatis Christi fundatæ erãt, ostendit idem Paulus dum ait: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? &c.* Ac si diceret, nulla vis, aut potentia hominum; vel dęmonum poterit columnas istas à sua aurea basi euellere, nec nos à chartiate Christi separare. Separauit aliquando Petrum ab hac basi ancillulæ vox, quæ fecit eum magistrum negare: at post Spiritus sancti aduentum factus est columna marmorea, ita basi aureæ infixa, vt nec sacerdotum, nec principum vel imperatorum minæ, nec vlla tormenta, eam potuerint vel euellere, vel aliquo modo inflectere, & vsque hodie in successoribus suis hanc retinet fortitudinem in ijs quæ ad fidei doctrinam pertinent: propter quod Ecclesia vocatur columna & firmamentum veritatis. 2. Cor. 11. v. 23. & c. 7. v. 5. Ad Rom. 8. 35. 1. ad Timoth. 3. v. 15.

Denique quàm speciosa fuerint duo hæc crura cum basibus suis aureis, quàm pulchri omnes gressus eorum, quàm inuicta patientia, admirabilis sapientia, ardentissima charitas, zelus Dei flagrantissimus, quis poterit explanare? Ideo enim quasi admirans ait propheta: *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem!* Sed de hoc in loco citato dicemus. Nunc solum perpendamus pedes istos velocissimos fuisse ad peragrandum orbem terrarum, vbique plurimos verbo & exemplo ad Christi sequenda vestigia trahentes, de qua velocitate dixerat Isaias: *Qui sunt isti qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Columbas autẽ vocat non quasuis, sed pulchras, qualis illa de qua dicitur: *Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri*. Est autem mira consonantia vtriusque similitudinis. Nam crura sicut columnæ marmoreæ super bases aureas sunt idem quod pennæ columbæ deargentatæ cum dorso in pallore auri. Crura enim sunt ad currendum, pennæ vero ad volandum; in vtriusque argenti vel marmoris candor splendet. Basis vero est ad sustentandam columnam, dorsum ad ferenda onera, vtraque aurea: quoniam candor innocentiæ, & gratiæ in vita, candor item sapientiæ & veritatis in doctrina, ac aurum charitatis & dilectionis Dei, & proximi, omnes gressus, & volatus Apostolorum & Sanctorum fulciunt, ornant, & perficiunt, aliosque alliciunt, vt eorum vestigia sequantur. In id, quàm pulchri sunt gressus tui lib. 9. exhort. 11. Psal. 67. v. 14.

Et nos igitur tales esse curemus vt pedes nostri hanc obtineant fortitudinem columnæ marmoreæ, ne à via Domini vmquá deflectantur. Quod tamen non nostris viribus, sed Dei auxilio obtinendum est; qui, vt inquit Dauid: *Statuit super petram pedes meos, & direxit gressus meos*: Id est, ita statuit, & firmauit pedes meos super petram diuinæ legis solidam, & ab omni luto expurgatam, vt immotus Psal. 39. v. 3.

immotus manerem, & fixus ad non gradiendum ex vno loco in alium legi aduersum; sed tamen direxit gressus meos vt semper essent super hanc petram, & ab ea non separarentur. Petra autem erat Christus, cuius mores sequẽdo perpetuã consequar stabilitatem in sæcula sæculorum. Amen.

EXHORTATIO XXVII.

Pro Resurrectione, Ascensione & Missione Spiritus sancti, vel pro mysterio SS. Trinitatis.

De integra Christi perfectione secundum se totum, & in singulis eius operibus, verbis, & iudicijs: & qua ratione sit totus desiderabilis, & à iustis in his omnibus imitandus.

Species eius vt Libani, electus vt cedri: guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis. v. 16.

IAudauerat sponsa membratim dilectum suum, iam totum simul laudare aggreditur; quatuorque encomiis illum extollit: sicut enim Moyses narrans opera sex dierum, primo singula laudat dicens: *Vidit Deus quod esset bonum*; postea vero coniunctim iterum laudans omnia ait: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*: Addit autem auerbium valdè, quoniam singula quæ per se sunt bona, & laude digna, sunt meliora & laudabiliora quando sibi consonant, & debitam adinuicem seruant proportionem. Ad hunc igitur modum procedit sponsa dum suum laudat dilectum. Gen. 1. v. 4. & 31.

De perfectione Christi Domini secundum se totum in genere. §. 1.

ET primo ait, *Species eius vt Libani*: Id est, totus vultus, & corporis habitus, grauitas in motibus, & actionibus, moribus, virtutibus, & operibus: similis est virenti, florido, & amœno monti Libani, qui reliquos montes celsitudine superabat, & amœnitate, aspectuque iucundissimus erat. Quidquid enim in Deo, & in Christo Domino etiam vt homo, oculis conspici potest, (quod species eius aspectui patens vocatur) præcelsum, decorum, iucundum, & admirabile est instar Libani; qui innumera arborum genera fructifera, & aromatica, herbas, & flores odoratos, ac pulchros continet, & cuncta simul eum reddunt pulcherrimum. Contemplare mundum istum vt Libanum quemdam amœnissimũ, & speciosissimum tot arboribus pulcherrimis consitum, quot habet pulchras creaturas; & hinc dignosces qualis sit species dilecti, quà Deus est: *A magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter potest creator videri quanto dominator earum speciosior sit*. Dicitur autem species vt Libani, non quia non sit pulchrior illo, & longe amœnior, & iucundior, sed quia nihil est aspectui nostro pretiosius hoc mũdo visibili, cui Deum possimus comparare: ab illius enim specie processit quidquid speciosum est in mundo, & ideo ait: *Pulchritudo agri mecum est*. 1. Sap. 13. v. 3. & 5. Psal. 49. v. 11. 2.

Intuere similiter quidquid sanctitatis, virtutis, & pulchritudinis est in vniuersa Ecclesia ab Abel iusto vsque ad finem sæculi, quasi mõtem quemdam Libani amœnissimum tot sanctorum generibus consitum, tam miris stupendisque virtutibus splendentium, & inde colliges speciem Christi Domini etiam vt homo est; quoniam singulis ipse speciem propriam dedit, eamque de plenitudine speciosissima illius omnes acceperunt. Solet in Scriptura Libanus vsurpari pro templo Salomonis, vt cùm dicitur: *Aperi Libane portas tuas*; quia inclytum erat, & sublime, ac ex cedris & lignis Libani à Salomone fabricatum. Christus ergo Libano huiusmodi assimilatur, qui tamquam vmbra & imago ad illum repræsentandum facta erat. Nam de se ipso dixit: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Quod Euangelista testatur dixisse de templo corporis sui. Vnde talis erat species Christi qualis per illud templum repræsentabatur. Quod sicut reliqua ædificia quæ erant Hierosolymis pulchritudine & celsitudine superabat; sic Christus totam Ecclesiam. Præterea nec incongruè dicemus Christum comparari ipsi monti Libani, quia sicut isti templo ædificando materiam præbuit, generans cedros & arbores ex quibus constructum est, sic Christus Dominus materiam præbet ad Ecclesiæ ædificium dum gignit, alit, & perficit sanctos, ex quibus illa conflatur, & eius decor consurgit, iuxta illud Pauli: *Veritatem facientes in charitate crescamus in illo per omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum, &c.* Præterea Libanus interpretatur candidus, aut thus; species ergo Christi est vt Libani, quia vt Deus candor est lucis æternæ, & quidquid erat in eo candidum, fuit à se, non candidatum, quasi ab alio accipiens candorem. Propter quod species eius plus quam humana est, & prorsus diuina, iuxta illud, *Speciosus forma præ filijs hominum*. Et ex consequenti præ se ipso vt filius hominis erat, quia erat etiam plus quàm filius hominis, nimirũ filij, Dei, & hac etiã ratione species eius dicitur vt Libani, id est vt thuris, quod iuxta suprà dicta symbolũ est diuinitatis, quia soli Deo offerri solitũ erat; in quo discriminatur à spõsa de qua dictum est: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*. Quoniam sanctitas adiacet aliis castis, sicut vestimentum corpori quod ornat; at Christo cõnaturalis est sicut species vultus vniuscuiusque. Alij ex accidenti redolent vt thus, Christus vero ex vi natiuitatis oritur sanctus, & odorem habet thuris. Zacha. 11. v. 1. Rupertus. Ioan. 2. v. 19. Ad Ephes. 4. v. 5. Ita Theodoretus. Psal. 44. v. 3 Ita Apponius. Cant. 4. v. 11 In lib. 7. exhort. 27. 3. 4. 5. 6.

Hinc igitur deduces quid sentiendum sit de Christi membris, quibus hoc encomium etiam aptatur. Nam species cuiusque iusti qui viuum Christi membrum est, similis est Libano, id est ipsi Christo, ad eius enim similitudinem habet candorem gratiæ, amœnitatem virtutũ, & quidquid in suis motibus, actionibus, & moribus inuenitur, Christi speciem refert, & vitam ac speciem Iesu in suo corpore & animo repræsentat, admirabilemque ipsius modestiam ac consummatam disciplinam, quæ teste D. Bernardo, corporis & mentis habitum componit, ceruicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frænat, iram sedat, format incessum. Species etiã eius est vt thuris, quia ipsi Deo similis esse studet, iuxta illud: *Estote perfecti sicut pater vester cælestis perfectus est. Et estote sancti, sicut ego sanctus sum*. Ideoque omnis eius motus, & actio sacrificium est gratum Deo, cum ex vnione ad Christum per gratiam procedit: denique si vis templum esse Dei vi, habes in Christo formam & materiam tuæ fabricæ. Ab ipso enim accipere debes virtutes, auxilia, & omnia tuæ salutis, & perfectionis media; ipseque tamquã forma & exemplar præ oculis est Epist. 113. ad Sophiam. Matth. 5. v. 48. Leuit. 11. v. 44.

ponendus, vt quod in ipso videris, in te transferas. A Et tunc species tua erit vt Libani quia eris instar Christi.

De perfectione singulorum operum Christi Domini. §. 2.

SEd quoniam inter omnes Libani arbores, cedri præeminent celsitudine & incorruptione simul cum fragrantia, addit sponsa, *electus vt cedri*, ad significandam eius procerem staturam, imputribilem sanitatem, & eminentiam quam habet super omnes alios, tum homines, tum Angelos: vt melius in illum quadret quod dictum est de quodam rege: *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei.* Sed quid est quod sponsa post illam eximiam laudem dilecti sui, *electus ex millibus*, hãc addit quæ multo minor apparet: *electus vt cedri?* Ezech. 31. v. 8.

Sed hæc laus pars est præcedentis, & amplificatio illius: cum enim Libanus mille, id est innumeras arbores contineat, alias aliis pulchriores, sublimiores, & fragrantiores, inter omnes tamen supereminet cedrus: hinc Christi species tota est instar Libani qui hanc pulcherrimam multitudinem virtutum & gratiarum includit; ceterum totus ipse est electus vt cedri; quia in illo nihil est paruum, nihil despicabile, sed quidquid in eo est cedrus est, sublime est, incorruptum est, & omnia alia antecellit. Eius natiuitas in diuersorio, eius fuga in Ægyptum, eius passio & mors in mõte Caluario, non minus sublimis est, nec minus cedrus vocanda, quam eius transfiguratio, vel resurrectio, aut ascensio super omnes cælos. Cuncta etiam eius opera electa erant vt cedri, sublimia, & incorrupta, omnimodaque perfectione insignita: propter vnionem enim ad Verbum diuinum non C minoris valoris sicut vna gutta sanguinis, quam mille; nec minoris meriti opus ex obiecto minimũ, quàm ex obiecto maximum: ex modo enim operandi cuncta in ipso fuerunt maxima, cuncta optima, cuncta exaltata, vt cedri Libani, sicut & diuina sapientia de se inquit: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano.* Eccles. 24. v. 17.

2. Obseruat autem Beda Christi speciem assimilari Libano, & monti ipsi qui arbores & cedros ipsos gignit, & tamen dici electum vt cedrus, qui à Libano genitus est, ad significandam duplicem eius naturam, generantem, & genitam; diuinam per quam Deus omnia creat, & generat, omnesque filios hominum producit: & humanam, quæ etiam creata est sicut reliquæ, & genita de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Est ergo species eius vt Libani, quia Deus est, & omnia continet, omniaque producit: est tamen electus vt cedri, quia D homo est inter omnes sublimissimus, à se ipso, qui Deus est, secundum humanam naturam procreatus, sed vlterius, & magis ad nostrum intentum accommodatius dici potest, speciem Christi esse vt Libani, quoniam totus ipse etiam vt homo Libanus est, tot habens pulcherrimas arbores, & flores quot virtutes, & gratias miro ordine dispositas: nulla enim virtus nisi quæ imperfectionem, inuoluit, vt fides obscura, illi defuit. Ceterum, licet istæ virtutes ex obiecto suo sint aliæ aliis sublimiores, & similiter actus earum proprii, tamen secundum hæc omnia fuit electus vt cedri, nam ex eo quod erãt virtutes & actus naturæ humanæ Verbo Dei vnitæ, infinitam quamdam habebant sublimitatem qua nulla maior excogitari poterat.

3. Hinc autem iusti qui membra Christi viua sunt, discere debent quomodo opera sua egregiè peragant, nã si ad habitus virtutũ respicias, species eorum est vt Libani. Quilibet enim Libanus quidam est amœnissimus, tot arboribus consitus, quot habitus & virtutes habet infusas. At si ad opera ab illis genita attendas, debent esse electi vt cedri, curantes vt cuncta sint sublimia, incorrupta, & nimis fragrantia, iuxta illud Ecclesiastici: *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Nam etsi Eccles. 33. ex obiecto quædam sint parua, tamen ex intentione, & ex modo operandi omnia debent esse sublimia, & eleuata instar cedri: Nam, *iustus*, inquit Psaltes, *vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Quomodo multiplicatur qui in se vnus est? Non quidem in se, sed in actibus & operibus suis, quia plurima multiplicabit, & optima; vt quot eius opera, tot sint cedri: nam ad singula, virtutes aliæ etiam concurrunt, vt ea sublimiora reddant. Ieiunium enim & eleemosyna cedri sunt in illo; nam charitas, spes, religio, & sublimissima intentio diuinæ gloriæ, ea extollunt & sublimant. Ex huiusmodi autem iustis ita præcelsis componitur pulchrum Ecclesiæ corpus, cui dicitur per Isaiam: *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron.* Isai. 35. v. 2. Gloria autem Libani est pulchritudo Christi & virtutum eius, quæ ipsius Ecclesiæ communicatur.

4. Sed aduertit Nyssenus sequens lectionem Lxx. *Species eius vt Libanus, electus, vt cedri*, coniungensque adiectiuum *electus*, cum nomine Libanus, in Scriptura, mentionem fieri Libani reprobi, & electi: & Christi speciem dici vt Libanus electus, secernendo illum à reprobo. Sed licet non probanda sit dispunctio ista, quæ à ceteris Patribus non probatur, & vulgatæ dissonat: doctrina tamen vera est. Superbi enim & elati homines cedris Libani comparantur, qui in hac vita sublimes videntur, sed æterno igni cremandi reseruantur: *Vidi* (inquit Dauid) *impium super exaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, quæsiui & non est inuentus amplius locus eius*: subaudi in terra; quia subitò per mortem ab illa sublatus est, & inuentus, vel datus est ei locus in inferno sicut scriptum est: *Exibit ignis, & deuorabit cedros Libani.* Caueto igitur ab huiusmodi Libano, ne (vt ait Abacuc) *iniquitas Libani operiat te*, ne etiam te operiat ignominia & confusio ipsius, quia Deus humiliat omne lignum sublime, exaltat autem lignum humile.

Pſal. 36. v. 35. Iudic. 9. v. 15. Abacuc 2. v. 27. Ezech. 17. v. 24.

De perfectione in singulis verbis, & iudicijs. §. 3.

ADdit sponsa aliud encomium dicens: *Guttur illius suauissimum.* Lxx. vertunt. *Guttur eius dulcedines.* Guttur ad loquendum est, clamandum & canendum, ad gustandum cibos, & emittendum spiritum seu halitum corporis etiam deseruiens, cuncta in Christo suauissima. Communiter autem hîc vsurpatur pro ipsa Christi voce, & forma loquendi, ac gratia: nam tam in familiari conuersatione, quam in prædicatione, locutio eius suauissima erat, & sapientiæ, & gratiæ sale condita, vt omnes mirarentur, *In verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.* Lucæ 4. v. 22. Nam si sponsæ labia sunt fauus distillans, quid de labiis sponsi dicendum est? Imò hîc nullam adhibet similitudinem dum guttur laudat, sed tantum dicit suauissimum, vt indicaret nihil esse quod hanc posset suauitatem

suauitatem manifestare, vel cui pro dignitate assimilari valeret. A

Sed cur repetit hic hanc laudem vocis, cũ superius dixerit: *Labia illius lilia distillantia myrrham primam?* At sponsa ingrata esse renuit, & cũ sciret bis laudata labia ipsius à suo dilecto, bis etiam ipsa laudat vocẽ illius. Præterea cum dixerit labia eius esse distillantia myrrhã primã, quæ amarissima est gustui, nunc distillandi modum explicat dicens: *guttur illius suauissimũ*: nã etiã cũ distillat myrrhã, & increpat, acriterque reprehẽdit, semper suauitatem miscet, & dulcedinem, ita vt ipsa myrrha, quia à gutture eius exit, sit suauissima. Cant. 4. v. 11. Supra exhort. 19. §. 3.

Hoc autem amplius patebit si perpendas discrimen inter guttur, & labia etiã in ordine ad locutionẽ. Nam labia externum instrumentũ loquendi sunt, guttur vero quasi internum, in quo verba formãtur, & ideo conuenientius dicitur suauissimum, quoniam ab interna dulcedine procedebat quidquid labia promebant, etsi amara viderentur. Nã si bonus homo ex bono thesauro profert bona; ex gutture pleno dulcedine, imo quod est ipsæ dulcedines, profert sine dubio dulcia, aut mellis dulcedine verba condita. Prærerea cũ sponsus laudauit genas & oculos, addebat absque eo quod intrinsecus latet, insinuans, id esse laudabilius, quam quod adducta similitudine posset explanari: sic sponsa cum labia dilecti dixerit esse sicut lilia, id quod intus latebat, nempe guttur laudare cupit, non quidem adducta similitudine alia, sed dicens suauissimum esse, cuius suauitatis magnitudo vix potest explicari. B

Quid autem in labiis intrinsecus lateat, & per guttur repræsentetur, declarat Apostolus cum inquit: *Loquentes vobismetipsis in Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri.* Hæc sunt exaltationes Dei in gutture sanctorum ebullientes, cum nẽpe Psalmi, Hymni, & Cãtica spiritualia, resonant in ore, atq; versantur in corde, & in mente, tamquam in gutture reuoluuntur, sicut scriptum est, *veritatem meditabitur guttur meũ.* Hæc autem suauissima erant in Christo Domino, & per ipsum iustis, de quibus idem ipse etiam prædicatur, quia omnis eorum locutio, siue cum hominibus, siue cum Deo suauis est, & dulcis, vt fusè diximus circa illud, *vox tua dulcis, & eloquium tuum dulce.* Ad Ephes. 5. v. 19. Ad Col. 3. v. 16. Psal. 149. v. 6. Prou. 8. v. 7. Cant. 2. v. 14. C

Sed præterea guttur instrumentum est gustãdi: vnde iuxta vocẽ Hebræam quidã vertunt, *Palatũ tuum dulcedines.* Potest autẽ sumi actiuè, vel passiuè; actiuè pro ipso gutture vel palato gustante cibos, quod dicitur suauissimum, quoniã nullo noxio est humore infectum, & ideo cuncta bona & suauia illi sunt grata: respuit vero noxia & nociua, iuxta illud Iob: *Nonne auris verba diiudicat, & fauces comedentis saporem?* Quemadmodũ de Christo dictum est: *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonũ.* Sicut ergo auris Dei percipit omnia verba hominum, & diiudicat inter ea, approbans bona & reprobans mala, sic eius fauces diiudicant sapores virtutum, & vitiorum; illas tamquam suaues eligunt & libenter comedunt, hæc omnino respuunt, & reiiciunt. Vbi duplex insinuatur modus diiudicandi, & discernendi inter res, alter per relationem ex auditu, alter per quemdam quasi contactum ex gustu, & hic perfectior est, quia quodã quasi experimento ex rei præsentia sumitur, de quo Dauid dixit: *Gustate* Iob. 12. v. 11. Isai. 7. v. 15. D

& *videte quoniã suauis est Dominus.* Id est suauitatem eius quã ex fidei auditu dignoscitis, ipso etiã gustu percipere satagite, & illã ab aliis secernite: perfectissimũ est igitur Christi guttur, cui nõ nisi bonũ placere potest. Hoc tantũ est illi suaue, ac gustui eius conforme, reliqua vero mox vt gustat, expuit; sicut inquit D. Matthæus quod ante crucifixionem, *Dederunt ei bibere vinum cum felle mixtum: & cum gustasset, noluit bibere*: nam ex gustu cognouit fellis amaritudinem, quæ peccata repræsentat, & indigna sunt quæ ab eo bibãtur; odit enim mixturam illam, & inter vinum & fel diiudicat, vt hoc reprobet, illud separatũ à felle nõ reiiciat. Pſal. 33. v. 9. Matth. 27. v. 34.

Potest etiã sumi guttur vel palatum vt Rupertus & Richardus notãt, passiue pro ipso gustu qui à gutture percipitur, ex eo quod comedit aut bibit, quo sensu fortè D. Hieronymus sic legit: *Gustus eius dulcedines.* Quomodo etiam potest intelligi quod inferius indicitur: *Guttur tuum sicut vinũ optimũ dignum dilecto meo ad potandum, &c.* Exit igitur sensus continuans præcedentẽ sententiã, species eius est pulcherrima visu instar Libani, & gustus qui ex conspectu speciei, & pulchritudinis ipsius, ac eius modestię & affabilitatis percipitur, est suauissimus, & est ipsamet dulcedo. Nullis enim potest verbis explicari suauitas, & dulcedo spiritualis quæ sentitur dum Christum mentis oculis intuemur, ac contemplamur. Lib. 1. contra Iouinia. ad mediũ. Cant. 7. v. 9

Quàm amabilis & desiderabilis sit Christus Dominus. §. 4.

SEd hoc melius explicat sequẽs sententia *totus desiderabilis*, seu vt vertũt Lxx. *totus desideriũ.* Ac si dicat, quidquid est in illo, adeo est pulchrũ & suaue, vt totus ipse sit desiderabilis, imo ipsum desiderium, quia summum sui desiderium excitat, siue vt Deus, siue vt homo consideretur: nec tantũ dicitur amabilis, sed desiderabilis, quoniã multoties quod amatur, postquam habetur præsens tandem fastidiũ generat: sicut & Manna, etsi omnem contineret saporis suauitatem, ex iugi gustu & vsu illius ad nauseam Hebræos prouocauit. At Christus ita est suauis & amabilis, quod quanto magis possidetur, tanto auidius desideretur sicut diuina sapientia inquit: *Qui edunt me adhuc esuriẽt, & qui bibunt me adhuc sitient*, & Angeli qui ab initio mundi Deũ viderunt, adhuc sine fastidio eum semper videre desiderant. Vnde semper, & omni rẽpore totus est desiderabilis, quia totus pulcher, totus sanctus, totus proficuus nobis, & iucundus, & nihil est in illo quod fastidium meritò generare possit, & amari ac desiderari non debeat. Eccles. 24. v. 28. 1. Petri 1. v. 12. In sequenti exhort. ponuntur rationes inducentes ad hoc.

Sed numquid Deus nõ est Deus vltionũ? numquid non est terribilis in consiliis super filios hominũ? numquid non est iudex viuorũ & mortuorũ, qui potest animã & corpus in gehennã mittere? quomodo ergo totus desiderabilis? nã hæc potius horrorem excitãt, quam desiderium. Sed hoc (inquit illa) peccatoribus timorẽ incutit, & horrorẽ: at iustis & ardenter diligentibus Deum, magnum ingerit ipsius amorem: & secundum omnia ista totus Deus illis est amabilis, totus & desiderabilis; gaudentque de illius iustitia vindicatiua, sicut & de misericordia, dicentes cum Psalmista: *Misericordia tua ante oculos meos est, & complacui in veritate tua*; seu in iustitia tua: Et: *misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*: Quia vtrumque te mihi amabilem reddit, & desiderabilem. Timeo quidem tua occulta iudicia, sed quia scio esse iusta, etiam in illis mihi complaceo. *Memor* (inquit Pſal. 25. v. 3. Pſal. 100. v. 1.

Psal. 118. ille) *fui iudiciorum tuorum à sæculo, & consolatus sum*, vt merito Christus Dominus pro illis patrem suum laudauerit, Q*uia* (inquit) *abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*: illud ad iustitiam spectat, hoc ad misericordiam: & propter vtrumque amore & laude dignum dicit, rationemque reddit: *Ita Pater quoniam sic placitum fuit ante te.* Quidquid autem est Dei Patris beneplacitum, pulchrum, iucundum, & amabile est filiis diligentibus ipsum, qui ei se conformari gaudent. Complacet autem sibi Deus, & lætatur in omnibus operibus suis, etiam in operibus iustitiæ, quod testatur Moyses dicens: *Sicut antea lætatus est Dominus benè vobis faciens, vosque multiplicans, sic lætabitur disperdens nos atque subuertens, &c.* Deut. 28. v. 63. Psal. 57. v. 11. Vnde etiam: *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* Et quare lætabitur, nisi quia amabile illi est quidquid à Deo procedit, in quo eius splendet immensa potestas, sanctitas & diuinitas?

B Sed numquid Christus vt homo est etiã totus desiderabilis? est ne desiderabilis dum flagellatur ad columnam, dũ spinis coronatur, dum baiulat sibi crucem, dum in ea pẽdet inter duos latrones? quomodo desiderabilis, si tam fœdus apparuit, & despectus, virorumque nouissimus? sed profecto quanto pro nobis vilior, tanto amabilior & desiderabilior, quia in eo ipso est etiã pulchrior, sanatior, nobisque vtilior & iucundior. Ecce (inquit D. Augustinus) *ipse sponsus præcedat nobis, amemus illum, aut si inuenerimus in eo aliquid fœdi, non amemus, quia & hoc ipsum quod carnem indurus est, vt de illo etiam diceretur: Vidimus eum, & non erat ei species, neque decor*: Si consideres misericordiam qua talis factus est, ibi pulcher est. Et paulò pòst: Pulcher Deus Verbum apud Deum, pulcher in vtero Virginis, vbi non amisit diuinitatem, & sumpsit humanitatem. Pulcher natus infans Verbum, pulcher in cælo, & pulcher in terra; pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiẽs, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro. Summa & vera pulchritudo iustitia est: ibi illum non videbis pulchrum, vbi deprehendis iniustum: si vbique iustus, vbique decorus. Adde vbique totus amabilis, & totus desiderabilis. Plura de hoc supra in id: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus.* In Psal. 44. parum à principio. Isai. 53. v. 2. Vide supra lib 4. exhort. 13. §. 4 Cant. 1. v. 15

Id igitur tibi curandum est vt sicut Christus totus est tibi pulcher & desiderabilis, ita & tu sis etiam ei totus pulcher, desiderabilisque, vt nihil in te inueniat fœdum, nihilque quod non eius exciret desiderium, vt te diligat, & in te cõplaceat dicẽs: *Tota pulchra es amica mea, & macula nõ est in te.* Cant. 4. v 7.

3. Sed iam vltimam addamus explicationem huius encomij: *Guttur illius suauissimum*: Vnde concludit, *& totus desiderabilis*; intelligens per guttur id quod minimũ videtur esse in homine, nimirũ halitum, qui ex visceribus & gutture per os emittitur, simul cum sono & voce aliqua inarticulata, vt cum suspiramus, vel spiramus, aut gemimus, vel cum loquimur: halitus autem iste nõ sentitur, nec percipitur nisi ab iis qui propè sunt, & maximè à se osculãtibus. Cum igitur sponsa laudauerit omnes dilecti sui partes permanentes à capite vsque ad pedes; ad exaggerãdas laudes, cõmẽdat id quod minimum videtur, & facilè transit; & vix nisi à paucis percipitur dicens: *Guttur illius suauissimum*, ob nimiam fragrantiam, & suauitatem halitus & spiritus, quoties os aperit, loquitur, & osculatur.

A Vnde est quod totus sit amabilis & desiderabilis, nihilque quantumuis minimum in ipso inueniatur quod desiderabile non sit.

De diuinis inspirationibus. Per hunc autẽ sponsi halitũ qui nõ est aliud quã aër tenuis & calidus ab intus emissus, intellige instinctus & impulsus seu inspirationes & illustrationes quas emittit, & cõmunicat maximè dilectis suis, quos nimio amore prosequitur, & osculatur osculo oris sui, quæ suauissimæ sunt & fragrãtissimæ, ad suauissimosque & ardentissimos amoris actus excitãt. Hæ faciunt iugum diuinæ legis suaue, & onus leue: hæ dura conuertũt in mollia, praua in directa, & aspera in vias planas, atq; frigida corda & tepida reddũt calida, & spiritu feruẽtia, omneque horribile faciunt propter Christũ desiderabile. Hos autem diuinos halitus non ita sentiunt peccatores, qui longè sunt à Christo dissimilitudine vitæ, sed qui ei appropinquare curãt, etsi illis etiã cõmunicentur, vt à via sua praua conuertãtur, ad hoc enim potẽtissimi sunt: sicut enim de diabolo sub figura Leuiathan scriptum est: *Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur*: Nã suggestiones eius igneæ sunt, & ignem pravæ concupiscentiæ in nobis ardere faciunt; ita è conuerso halitus Christi ignei etiam sunt illo igne, quem ipse misit in terram; & per hunc halitum accendit illum in cordibus hominũ non torquẽdo, sed mulcẽdo, quia guttur eius suauissimũ. Iob 41. v. 12

5. Quoniam autem in hoc halitu, seu aëre efflato per os efficitur sonus, & vox ac verbũ ipsum; hinc concionatores etiam dicuntur Christi guttur per quod hos halitus emittit, hos sonos & voces efficit. Vnde Psellus vocat Ioannem Baptistã, guttur Christi; quia eius præco fuit, & vox, & ideo (inquit Nyssenus Baptista de se dixit: *Ego vox clamãtis in deserto*: nã per illã loquebatur Christus Dominus, sicut & Paulus ait: *An experimentũ quæritis eius qui in me loquitur Christus?* Cui vocem suam locauerat, ex qua Christus fingeret verba quibus hominibus loqueretur, suaque eis mysteria propalaret. Sicut enim hæretici & pseudo Christi suos errores dogmatizantes guttur sunt diaboli, per quos halitus suos emittit, qui prunas ardere faciant suo execrando concupiscentiarũ igne; & ideo quisquis talis est totus est execrabilis, & odibilis, ab eoque lõgissimè fugiẽdum: ita ecõuerso sancti cõcionatores Christi guttur sunt, per quos ardẽtes halitus emittit, qui peccatorum corda, etsi gelida ardere faciunt igneo charitatis & contritionis affectu, ideoque de singulis deberet dici, totus desiderabilis, & nihil in eo quod debeat execrari. Hom. 14. in Cant. Ioan. 1. v. 23. C 2. Cor. 13. v. 3.

Hoc tamẽ interest inter Christũ, & alios iustos, quod ille *totus est desiderabilis*, absolutè & sine limite vllo, imò totus est ipsum desiderium, & omne bonũ à nobis desiderabile, & ideo à prophetis vocatur, *Desideratus cunctis gentibus, & desiderium collium æternorũ*; imò sicut dicitur quod nemo bonus nisi solus Deus, sic nemo desiderabilis nisi solus Deus & Christus; quia ipse solus plenissimè est nobis sufficiẽs, nec alio indigemus vltimo fine, vel redẽptore; cõtinet enim omnes rationes propter quas potest esse desiderabilis, nimirum propter caput aureum, propter capillos vt elatæ palmarum, & ceteras partes iam cõmemoratas. Nulli autem reliquorum iustorum in hac vita plenè aptari potest, quod totus sit desiderabilis, cum nonnullos in aliqua suarum partiũ patiatur defectus, quia *in multis offẽdimus omnes*. Idcò Apostolus ait: *Æmulamini bonum in bono*. Non inquit absolutè, æmulamini D Aggæi 2. v. 8. Genes. 49. v. 26. Ad Gal. 4. v. 18.

æmulamini bonum, & iustum, sed tantum in bono, insinuans aliquid habere non bonum, in quo non deceat eum æmulari. At Christum, qui totus est desiderabilis & bonus, absolutè possumus æmulari: vtinam ita æmulemur vt eius perfectam consequamur similitudinem. A

Applicatur dictum encomium alijs fidei mysteriis.

§. 5.

De Resurrectione, Ascensione, & Missione Spiritus sancti. PRædictum encomium per modum apologi applicare libet diuersis fidei nostræ mysteriis, videlicet vt Christi Domini species sit vt Libani in resurrectione, in qua eius resplenduit pulchritudo, & summus splendor, sicut & in transfiguratione, nisi quod in illa speciem & decorem assumpsit, quem numquam esset amissurus, & quidquid pulchrum est in monte Libani cælestis Ierusalem, in ipso licet contemplari. Est autem electus sicut cedri in Ascensione in qua exaltatus & eleuatus est super omnes cælos, & cæli habitatores. Guttur autem eius est suauissimum, sumendo guttur pro oris halitu ab intimis procedente, propter missionem Spiritus sancti, qui optimè per halitum, seu aërem subtilem, & calidum figuratur, quem Christus Dominus misit in Apostolos tum cum insufflans, dixit, *accipite Spiritum sanctum*, tum maximè in die Pentecostes, cum descendit in linguis igneis, quibus Apostoli facti sunt tamquam Christi guttur, & ab intimis eructabant, ac loquebantur magnalia Dei: in his autem omnibus Christus est totus desiderabilis, quia in his completur redemptionis nostræ opus, & nostræ perfectionis vltima & consummata felicitas inuenitur. B

Sermone ditans gutura. C

Pro mysterio S Trinitatis, applicando ea quæ dicta sunt singulis personis. Sed liceat etiam mihi encomium istud ad sponsum referre, vt Deus est in personis trinus, ac vnus in essentia, singulas eius partes singulis personis accommodantes. Nam *species vt Libani*, refertur ad Patrem, qui fons vocatur totius diuinitatis, naturam habens fœcundam per quam alias personas producit, cui appropriatur omnipotentia, per quam cuncta extra se in mundo creat, gignit, seruat, & operatur, & ideo merito ei° species & magnitudo Libano fœcundo & amœno comparatur: filius autem eius vnigenitus, est *electus vt cedri*, quia sicut à Libano cedr°, ita à Patre fœcũdo primus origine generatur filius tãquam increata sapientia quæ de se ait: *Sicut cedrus exaltata sum in Libano*. Et per quamdam antonomasiam ipse est electus, & dilectus in quo sibi Pater complacet, per quem alij sibi complacent, & alios elegit vt sit ipse electorum caput, & primogenitus in multis fratribus: at Spiritus sanctus est, *guttur illius suauissimum*, id est halitus, quoniam à Patre & Filio procedit, tamquam halitus & spiritus, ac feruidus amor qui eos quos replet inflammat, & ad loquendum diuina idoneos reddit. Est autem *totus desiderabilis*, quia tres personæ sunt vnicus Deus, vnicus vltimus finis & beatitudo nostra, in quem omne nostrum desiderium ferri debet, nec aliquid in eo est quod non sit infinitè desiderabile, & amabile, siue consideres processiones ad intra, siue eius attributa, siue opera ad extra: vnde propter omnia est amandus & glorificandus à nobis nunc & semper, ac in sæcula sæculorum. Amen. Ecclesi. 24. v. 17. D

EXHORTATIO XXVIII.

De ijs quæ excitant Christi dilectionem, & desiderium efficax quærendi ipsum.

Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus filiæ Ierusalem: quo abijt dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? Quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum. v. 17.

CONCLVDIT orationem vel cõcionem suam sponsa, respondens directè interrogationi sibi factæ à filiabus Ierusalem dicentibus: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto? &c.* Cum enim viuis depinxisset coloribus omnes præclarissimas eius proprietates à capite vsque ad pedes, infert inde: *Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus filiæ Ierusalem*: Id est, talis qualẽ vobiscum delineaui, est ille quem ego diligo; & ille ipse etiam me diligit, suaque me non dedignatur amicitia. Perpendamus autem rationes, & causas, fines, & commoda huiusmodi descriptionis ab sponsa factæ, eadem enim mouere nos debent ad magnificum Dei & Christi efformandum conceptum, & æstimationem cum eorum insignia meditamur.

Quatuor rationes ad diligendum & quærendum Deum. §. 1.

AD quatuor autem capita redigi possunt rationes istæ. Primò vt manifestũ fieret quam iustum esset illum diligi, tam à se quam ab omnibus aliis, tot enim sunt causæ dilectionis, quot eius retulerat insignes qualitates: ac si diceret, meritò est dilectus à me & diligetur à vobis: Quia *caput eius aurum optimum, quia capilli eius elatæ palmarum, &c.* Seu clarius, iustissimum est Christum diligere, & magnificare quia est verus Deus, immensus, æternus & infinitus; quia est omnipotẽs, summè bonus, sapiens, iustus, & misericors; quia est propter nos factus homo, mitis, humilis corde, benignus affabilis, & compatiens, torque pro nobis pertulit tormenta, vt nostra deleret peccata; si enim bonũ & pulchrum est amabile, & quo melius & pulchrius, eo amabilius, iustum est Deũ qui infinitè bonus est, & pulcher, & totus amabilis, ac desiderabilis, ex toto corde diligere, ex tota anima & mente, ex omnibus viribus nostris: nam postquam ita eum dilexerimus, incomparabiliter maiori dilectione est dignus, nec amor creaturæ æquari potest amabili bonitati, & pulchritudini creatoris, propter quæ Dauid dicebat: *Quid mihi est in cælo, & à te quid voluì super terram?* Ac si diceret, præter te nihil est mihi desirabile, nihil amabile in cælo & in terra, sine te nihil est mihi suaue, nihil vtile & honorificum. Nolo desiderare nec petere à te aliud, quam te ipsum vel propter te ipsum, quia tu es vnicum & totum desiderium meum. 15 Psal. 72. 25 20

Hinc deducitur secunda ratio, vt constet quam ingrata fuerit dũ tã præclarissimo sponso pulsanti aperire ianuam recusauit, & distulit, quamque iuste ipse sponsus ita repulsus declinauerit atque transierit, eius puniens ingratitudinem: quam meritò etiam ipsa surrexit è domo, & per vicos

& plateas maxima subeũdo pericula eum inquisierit. Hæc enim omnia secantur ex immensa Dei pulchritudine, & sanctitate, cui iniustissimum est vel minimam iniuriam irrogare; ingratissimum nolle ei statim parere, & in eius obsequio torpescere. Quanto enim maior est diuina maiestas, tãto peior est eius iniuria, tantoq; turpior quæuis contra ip um culpa, propter quam iustissimè nos in æternum posset deserere, & cum iratus recedit, tenemur statim eum placare, & quærere, quia non ille nobis, sed nos indigemus illo; nostraque interest illum inuenire: vnde iustus cum delinquit duplici de causa Dei extollit maiestatem, vel vt suam aggrauet culpam, & ingratitudinem, vel vt diuino consulat honori: & hac via, eo modo quo potest Dei resarciat iniuriam. Propter quod sponsa dilecti sui retulit insignia vt ea parte satisfaceret iniuriæ illatæ, dum eius prædicat laudes, & gloriam manifestat.

3. Hoc autem in nostram etiam magnam gloriam recidit; sicut enim magna gloria filiorum est nobilissimum habere patrem; & sponsæ pulcherrimum ac ditissimum sortiri sponsum; & ideo quasi se iactans, eius narrat encomia; ita maxima gloria nostra est talem ac tantum habere Deum, talẽ ac tantum redemptorem, vt merito de illo gloriari possimus, & omnibus aliis incomparabiliter præferre, dicẽtes: *Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atq; laudabilis, faciens mirabilia.* Quis sicut Dominꝰ Deus noster? quis sicut Christus Saluator noster? quis sicut ipse, caput habet aureũ, cuius labia sicut lilia? quis tot ornatur virtutibus, tot gratiis, tot diuinitatis insignibus? Meritò. Qui gloriatur (inquit Dominus) in hoc gloriari debet quod est scire & nosse me, & qualis sim, nã gloria mea, gloria ipsius est; & in me & per me fit homo gloria dignus.

Exod. 15. v. 11.

Ierem. 9. v. 24.

4. Præterea cum sponsa sui dilecti flagraret amore, cupiebat eius pulchritudinem, magnificẽtiam, & sanctitatem aliis manifestare vt illum probè nosceret, & cognitum vehementer diligeret, & dilectum quæreret, quæsitumque inueniret, in quo omnium salus & vita æterna consistit. Hac enim magnifica enarratione, seu concione audientium illuminabat intellectum, inflammabat voluntatem, vires que addebat, vt ignorantia atque ignauia expulsa se totas ad dilectum quærendum conuerterent: nam vt benè notat Rupertus: *Si terrena Ierusalem*, teste Ezechiele, *cum vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus, & accinctos baltheis renes, & tiaras tinctas in capitibus eorum, formam ducum omnium, similitudinem filiorum Babylonis, terræque Chaldæorum, in qua orti sunt, insanuit sæpe eos concupiscentia oculorum suorũ, & misit nuncios ad eos in Chaldæam:* Quid mirum quod anima cuius Deus aperit oculos mentis, vt videat qualis sit dilectus noster Christus, aureum caput eius, nitentes oculos, reuerendas genas, candida & gratiosa labia, tornatiles & aureas manus, eburneum & sapphiris distinctum ventrem, rectissima crura & pedes aureos, vt etiam tangat suauissimum eius guttur, & illius percipiat suauitatem; quid inquam mirum quod tota exardescat in amore eius, qui totus est desiderabilis? Curandum igitur est hanc pulcherrimam dilecti imaginem quam sponsa nobis depinxit, internis oculis intueri: ex cuius intuitu quatuor commemorata commoda reportemus: & sicuti intuiti sumus carneas imagines, quæ fœdas cõcupiscentias excitarunt; sic intucamur cælestes quæ purissimam excitent dilectionem, & iuxta Apostoli sententiam: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibete nunc membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.*

Ezech. 23. v. 14.

Ad Rom. 6. v. 19.

Interrogatio de via & mediis ad quærendum Deum. §. 2.

REs succesſit sponsæ ex voto: cecidit enim semen verbi eius in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum: audita enim concione, responderunt filiæ Ierusalem: *Quo abijt dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? Quo declinauit dilectus tuus, & quæremus illum tecum?* Quibus verbis egregie traditur conuersio peccatoris, & iusti in feruentiorem statum prouectio: & quidem mox vt tot dilecti laudes audierunt, in eius exarserunt amorem. Verba enim sponsæ ignita erant quia ab igneo procedebant corde: longè enim abest à cõnubio isto spirituali omnis zelotypia; sed sponsa plures cupit suæ felicitatis habere consortes; & vt omnes sponsum diligerent, sicut ipsa dicens velut Moyses, *Quid æmularis pro me? Quis tribuat vt omnis populus propheter, & det illis Dominus Spiritum suum?* Sed quomodo filiæ Ierusalem tam citò crediderunt sponsæ tot insignia de suo dilecto prædicanti, vt statim arderent in eius dilectione? Profecto quod dicebat verbis, etiam exemplis contestabatur, & operibus: sciebant enim illam esse præ omnibus prudentem, pudicam, sobriam, & benè morigeratam; ideoque semper vocabãt eam pulcherrimam mulierum. Videbant autem eam tanti facere sponsum suum, vt propter illum reliquerit domum, exierit per vicos & plateas ciuitatis noctu quærens illum, variaque vulnera pertulisse à custodibus, eisque pallium & cuncta reliquisse vt suum quæreret dilectum, magnoque affectu eius singula enarrare encomia. Inde ergo prudenter intulerunt talem esse dilectum, qualem ipsa prædicabat, vt aduertant Euangelici prædicatores quantum oporteat operibus testari quod verbis docent. Nam magis opera, quam verba cordibus veritates fidei imprimunt, ideoque dictum est: *Quisecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum*: Et quia magnus, magnique habitus, ideo fides illi adhibetur à discipulis, & ardorem quem in se habet aliis infundit: de quo plura superius dicta sunt.

1.

Num. 11. v. 29.

Matth. 5. v. 19.

Hoc igitur igne inflammatæ filiæ Ierusalem dicunt: *Quo abijt dilectus tuus?* sub hac phrasi viam, modum & media quibus eum possint quærere interrogant: desiderium enim sciendi nostræ salutis media, primus effectus est gratiæ excitantis, & vocantis nos ad pœnitentiam postquam verã Christi infudit cognitionem. Sic. Saulus primo à Christo interrogauit: *quis es Domine?* postquam autem ab eo audiuit: *Ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris*, mox respondit: *Domine quid me vis facere?* Cum etiam Petrus & Apostoli qui Ecclesiam nouam Christi sponsam repræsentabant, in die Pentecostes concionem haberent ad filias Ierusalem, id est ad ciues Ieroſolymitanos, & ad omnes qui tunc Ieroſolymis aderant, multaque & præclara de Christi gloria prædicarent: *His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & ad Apostolos; quid faciemus viri fratres?* Sed notandum est valdè sponsam vt magis à Deo dilectam, & edoctam, ab ipso interrogare: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie?* At filiæ Ierusalem, non à dilecto, sed ab sponsa quærunt quo dilectus abierit, vt quærant illum. Quoniam

2.

Act. 9. v. 5.

Act. 2. v. 37.

licet Ecclesia Catholica ab ipso Christo edoceatur, à quo infallibili certitudine omnem recipit veritatem; tamen singuli fideles ne periculo errandi se exponant si suo sensu ducti, à solo Deo velint edoceri, ab ipsa Ecclesia & doctoribus eius veritatem debent inquirere, & ab eis interrogare quid eos oporteat facere, vt Christum inueniant: quod clare expressit Saluator ipse cum Saulo quærenti: *Domine quid me vis facere?* Respondit, *Surge & ingredere in ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Ac si diceret, nolo per me ipsum id modo te docere, sed per Ecclesiæ meæ ministros; adest in Ecclesiæ ciuitate Ananias qui docebit te, quid facere debeas, vt mihi placeas: de quo plura dicta sunt suprà circa interrogationem sponsæ ad vigiles: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Vbi aduertendum est etiã quòd ipsa Ecclesia interrogat vigiles, & doctores, sed alio modo quam filiæ Ierusalem, seu fideles singuli. Nam licet Ecclesia à Deo doceatur per caput eius visibile, quod est Romanus Põtifex, cui infallibilis inest authoritas definiendi, & declarandi res fidei, tamen ne hoc temere fiat, consuevit etiam congregare Episcopos, & Doctores, ab illisque interrogare quid sentiendum sit circa veritatem propositam. Quomodo in primitiua Ecclesia, cum quidam dicerent, oportere circumcidi fideles, ait D. Lucas: *Conuenerunt Apostoli & seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus, &c.* Ecce vbi conquisitio præcessit, & tunc Petrus Ecclesiæ caput, sententiam protulit, quam dum publicarunt dixerunt: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, &c.* Nam Spiritus sanctus illam veritatem Petro, & Ecclesiæ reuelauit, à qua reliqui fideles eam didicerunt, vt seruetur quod scriptum est: *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; maiores tuos & dicent tibi.* Per patrem intellige Romanũ Pontificẽ; per maiores vero, Episcopos & Ecclesiæ Doctores. Iam cœptũ persequamur.

Lib. 6. exhort. 6. §. 3.

Act. 5. v. 7. & 28.

Deut. 32. v. 7.

3. Sed quid est quod filiæ Ierusalem quærunt: *Quo abijt dilectus tuus?* Si ipsa enim sponsa id certò sciret, illuc tenderet vt eum quæreret. Si autem nescit, ad quid interrogat quo abiit? Sed si ad literam spectes sensus est: quo suspicaris dilectum tuum abiisse, vt quæramus tecum illum? At si ad mysterium attendas, insinuatur hic duplicia esse nostræ salutis media, quædam generalia, & omnibus communia: cuiusmodi sunt sacramentum baptismi, & pœnitentiæ, & reliqua quę Ecclesiã Catholica tenet & omnibus proponit. Alia vero sunt specialia, quæ non omnibus aptantur, vt status officium & viuẽdi proprius modus, videlicet status religionis, sacerdotium, cœlibatus, coniugium, & alia huiusmodi, de quibus quilibet dubitare potest, & interrogare quid ex his sit ei aptior via ad quærendum Christum; & licet de primis responsum possit exhiberi omnino certum; de posterioribus vero non nisi ex coniecturis, & rationibus probabilibus, aut moraliter certis. Cũ igitur interrogãt: *quo abijt dilectus tuus?* idem est ac si dicerẽt; dilectus tuus est nobis absens, & absconditus, dic nobis, quo ibimus, quid faciemus, vt inueniamus illum? Docuisti pulchritudinem eius, doce iam nos viam certam qua fruamur illo, vel modum quo amplius eo frui valeamus.

4. Sed non sine mysterio in priori interrogatione quærunt, *quo abijt dilectus tuus?* in posteriori vero: *quo declinauit?* Nam abire est longe recedere; declinare vero quasi ad tempus se abscondere, & prope manere. Deus autẽ à peccatoribus abiit, quia lon-

gè est ab operantibus iniquitatem: à iustis autem ad tempus recedit, & se abscõdit probationis causa, vt auidius quæratur: vnde cum prius dixissent; quo abiit, quasi lenientes rigidã sententiam, subiungunt, quo declinauit ad modicum, citò te inuisurus? At duo hæc verba si spiritũ spectes addita sunt vt interrogatio sit vniuersalis, peccatores comprehendens simul & iustos, quia ad vtrosque spectat etsi diuerso modo, Christum quærere.

De efficaci proposito quærendi Deum. §. 3.

IAm generosam filiarum Ierusalem resolutionem intuere, cùm dicunt: *Et quæremus eum tecum.* Verba enim ista firmum indicant animi decretum exequendi quidquid illa iniunxerit, vt necessarium & expediens ad dilectum quærendum: vnde tacitè ad eosdem labores se offerũt, eademque pericula quæ pertulerat sponsa, & quasi suarum domorum & domesticorum oblitæ eos relinquere proponunt, vt dilectum quærãt. Et quia plures erant, simul dicunt, *quæremus*: quasi se inuicem hortantes, & offerentes ad quærendum; quia multorum vnio & cõsensus faciliorem reddit inquisitionis laborem. Non dicunt quęremus, si voluerit, quia sciunt id illam vehementer velle: non addunt quęremus si potuerimus, quia ardẽs amor cordis vires illis administrabat, & quasi testimonii perhibebat quod possent quærere. Deus enim vires præstat ad id quod præcipit, & inspirat, & ideo absolute ait: *Quærite & inuenietis, quia omnis qui quærit, inuenit*, si quærit sicut expedit: de quo plura supra in id: *In lectulo meo per singulas noctes quæsiui quem diligit anima mea.*

5.

Matth. 7. v. 7.

Lib. 6. exhort. 1. & sequentibus.

6. Ceterum magnum indicat mysterium nomen illud *tecum*: nam dicẽtes *tecum*, omnem excludunt moram, & dilationem in aliud tempus, offerẽtes se ad quærendum dilectum statim simul cum illa: Deinde ad similem feruorem, & festinationem se promptas exhibent, eam comitantes, eiusque sequendo gressus quamtumuis properaret. Quomodo Ruth dixit Noëmi socrui suæ: *Quocumque perrexeris, pergam; & vbi morata fueris ego pariter morabor: populus tuus populus meus: Deus tuus, Deus meus.* Et quamuis Orpha simul & Ruth ei dixerint, *Tecum pergemus ad populum tuum*: Illa tamen fictè, & tepidè, & ideo mox retrocessit, vt alibi perpendimus; at Ruth filiæque Ierusalem ex toto corde, & feruenter dicunt, pergemus tecum, quoniã quantum sua interesset cum ea ire, penetrauerant. Tandem quod aliorum est caput, radixque, quia filiæ Ierusalem propriam agnoscunt ignorantiam, & infirmitatem, ideo non audent sine sponsa dilectũ quærere, sed simul cum illa, eo quod nemo solus sine comite in Dei obsequio securus progredi potest; sed oportet ducé habere Ecclesiam & Prælatos ac magistros qui eum dirigant, eruant à periculis, & ad locum vbi dilectus est deducãt: qua de causa in capite 3. de sponsa statum imperfectorum referente diximus cum D. Bernardo non inuenisse dilectum donec vigiles ciuitatis obuios habuit, eo quod sola sine comite quærebat. Cuius eriam figuram retulit Ioseph qui à patre missus est vt fratres suos quæreret, quos tamen quamdiu solus sine comite progrediebatur, inuenire nequiuit, *Donec inuenit eum vir errantem in agro*, qui interrogauit eũ quid quæreret: cui ipse respondit: *Fratres meos quæro; indica mihi vbi pascãt greges*: ille autẽ indicauit, & tũc quos quærebat inuenit. Cererũ vir iste tantũ mõstrauit Iosepho locum vbi fratres esse suspicabatur; non tamen comitatus est illum. Repræsentabat enim prælatos,

Ruth. 1. v. 16. & 20.

In lib. de perfectione spirituali to. 1. tract. 1. c. 19 §. 2. & to. 2. tract. 2. c. 3.

Lib. 6. exhort. 5. §. 3.

Genes. 37. v. 14.

quorum munus est errantes dirigere, & viam salutis eis ostendere, nec semper necesse est vt ipsi se ad comitandum offerant: at filiæ Ierusalem qui imbecillium statum referunt, non audent dicere, quo descendit dilectus tuus, & quæremus illum, sed, quæremus tecum, quia ducem quem sequantur habere gestiunt, nec ex propria voluntate ab eius consortio elongari vellent, ne in itinere errare contingat, & fortè vir absit, qui eas errantes inueniat: & in viam rectam reducat. Elige ergo ducem strenuum, & festinum qualis hîc sponsa depingitur, cuius vestigia & exempla statim, & celeriter sine procrastinatione sequere, vt citius & certius ad fastigium perfectionis peruenias.

Alia tandem via filiarum Ierusalem feruorem perpendamus, quæ non expectarunt vt sponsa eis diceret, venite mecum vt dilectum quæramus, ne sola noctu per vicos & plateas vager; sed sponte se obtulerunt ad eundum & comitandum illam: quoniam feruentior obedientia, & ardentior charitas, copiosiorque misericordia est desiderium prælatorum, vel indigentium prænoscere, & quod ab illis iubendum, vel petendum est, sponte prius offerre. Quomodo Zacchæus cum Christum domi hospitio recepit, non expectauit vt ei restitutionem vsurarum, vel eleemosynarum largitionem iniungeret, sed præueniens ait: *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Isaias etiam cùm audiret Dominum dicentem: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* Respondit, *Ecce ego mitte me.* Viderat enim gloriam eius, & Seraphinos audierat eius laudes decantantes, quibus inflammatus cum desiderium Domini intellexit, antequam quid ei iuberet, se ad explendum illud obtulit. Sic etiam qui magna pollent misericordia egentibus subueniunt, antequam aliquid ipsi petant, eo solum quod suam prodant necessitatem: quomodo Abdemelech Æthiops Ieremiæ nihil petenti in grauissima succurrit calamitate, propter quod D. Ioannes ait: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Vbi satis insinuat sat esse perfectam habenti charitatem & misericordiam videre indigentem, nulla mentione facta quod aliquid petat. Indigentia enim fratris lingua tacente petit, & viscera misericordiæ, quæ aperta sunt, fortiter excitat vt subueniatur ei: sic filiæ Ierusalem dum sponsam desolatam & afflictam vident longo itinere suum quærentem sponsum, sponte se offerunt, vt eam comitentur, vt in via solatio illi sint & adiutorio.

Hæc septem documenta breuiter circa hæc verba prænotauimus, quæ si diligenter obseruaueris sine dubio dilectum inuenies, cum eoque regnabis in sæcula sæculorum. Amen.

Lucæ 19. v. 8.

Isai. 6. v. 8.

Ierem. 38. v. 7.

1. Ioan. 3. v. 17.

EXHORTATIO XXIX.

De Ecclesia Catholica in qua Christus Dominus quærendus est, & inueniri potest, de eiusque quibusdam præclaris insignibus.

Pro dedicatione Ecclesiæ.

CAPVT VI.

Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. Vers. 1.

RESPONDET sponsa ad secundam filiarum Ierusalem interrogationem de loco ad quem sponsus abierit, vel declinauerit: relicto autē priori verbo quo vti noluit, vsus est posteriori seu æquiualenti, dicens: *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat.* Ac si diceret, non abijt longè, sed declinauit propè, descenditque in hortum suum, quò cōsueuit declinare. Si ergo illum mecum quærere vultis, in hunc hortum mecum venite. Explicemus ergo quis sit hic hortus, quomodo dilectus descendat in illum, & quid in eo agat. De quibus plura dicta sunt in initio capitis quinti, circa id, *veni in hortum meum, &c.* & ideo breuiter tangemus quæ ad huius responsi intelligentiam sufficiant.

In sola Ecclesia inueniri Christum. §. 1.

HOrtus autem iste Ecclesia Catholica est, in qua tantum quæri & inueniri Christus debet: nec extra illum inueniri valet. Et quamuis Deus vbique sit, & vniuersum orbem repleat, tamen per veram fidem, & gratiam nullibi est nisi in Ecclesia, à qua numquā recedit, iuxta id quod promisit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* In hac autem Ecclesia dumtaxat sunt media ad inueniendum Christum necessaria, nimirum vera sacramenta, & sacrificia, veræ Scripturæ sacræ adeo reuelatæ, verusque Dei cultus, cognitio, & fides, virtutes, & opera quibus placari possit, & apud Deum aliquid mereri. Propterque merito vocatur amœnissimus hortus, in quo tria inueniuntur quæ sponsa narrat; nimirum areolæ aromatum; horti minores ad pascendum, & lilia colligenda: areolæ aromatum sunt sacræ ædes, in quibus administrantur sacramenta, offeruntur sacrificia, & orationes Deo, quæ velut aromata valdè illi redolent. Lxx. Interpretes vertunt, *phialæ aromatum*, quibus domus Dei quæ domus orationis est, valdè ornatur, & ab ea vsque ad cælum horum aromatum odor quotidie ascendit. Horti vero intra hunc hortum magnum consistentes, ad pascendum sunt libri sacri, in quibus est pastus omnium veritatum & mysteriorum, quæ spiritualem animæ præbent refectionem. Lilia vero colligenda, sunt candida & pulchra studia virtutum, quæ hortus Ecclesiæ germinat, & vnusquisque ea sibi colligere tenetur.

2. Extra hunc hortum, nihil horum inuenitur, sed omnis locus ab Ecclesia alienus, desertum est, atidum, & fœtidum, vepribus & spinis refertum: in quo non est verus Christus, sed omnes sunt pseudo Christi, & pseudo Prophetæ, qui, si de vero Christo, *dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire: Ecce*

Matth. 18. v. 20.

Matth. 24. v. 15.

ecce in penetralibus, nolite credere. Christus enim vt explicat D. Hieronymus, non inuenitur in deserto gentilium philosophorum, & sapientum dogmato, nec in penetralibus hæreticorum qui arcana mysteria se scire iactant; cùm tamen in eis non sint nisi serpentes, & basiliſci, leones & dracones, vepres & vrticæ, & quidquid horridum est & execrabile. Tantum ergo Christus descendit in hortum suum, qui Ecclesia est ab ipso plantata sicut quidam paradisus Dei in medio terræ.

3. Dicitur autem descendere, quoniam propria Dei habitatio vocatur cælum, vbi suam gloriam clare beatis manifestat: tunc autem descendit cum eam manifestat in terris, & in eis aliquid operatur. Descendit quidem cum homo factus est in vtero virginis, vt hortum suum inuiseret, & innouaret, abrogando legem veterem, statuendo nouam, & antiquam Ecclesiam in nouam commutando: quotidieque descendit in Eucharistia vt hunc hortum inuisat, suos pascat fideles, & pro eis se in sacrificium incruentū offerat. Descendit etiam inuisibiliter cum singulos electos visitat, instruit, docet, pascit, consolatur, & mirabilia operatur in illis, adferens secum cælestia dona; quæ cum illo dicuntur descendere; quia quodammodo etiam humiliantur dum nostris aptantur terrenis mentibus, iuxta illud: *inclinauit cælos, & descendit.* Denique dicitur descendere quia maximè per pendit in humiles, qui infimum eligunt sibi locum. Fugit autem à superbis, & elatis, qui sublimem apperūt. Nam, *excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Vnde paulò pòst inquit ipse in hoc Cantico; *descendi in hortum nucum vt viderem poma conuallium*, id est humilium.

Pſal. 17. v. 10.

Pſal. 46. v. 3.

Hoc etiam insinuat responsum istud: nam quærentibus filiabus Ierusalem quo abijt, & quo declinauit dilectus? respondit; *descendit in hortū suum.* Ac si diceret, dilectus meus fugit, & recedit à superbis & elatis hominibus, ab ijs qui sunt velut desertum, & sentibus plena silua, & ideo etiam fugit, & declinauit à me cum ingrato, rustico, & frigido pectore nolui ei pulsanti aperire. Descendit autem in eos qui sunt hortus eius aromatibus & liliis virtutum amœnus, & se illi per humilitatem subijciunt. In hoc horto debemus eum quærere si cupimus inuenire. Fauet versio Lxx. in præcedenti versiculo quæ sic habet: *Quo abijt frater tuus, ô pulcherrima mulierum: quo respexit frater tuus? &c.* id est, versus quem locum respexit, & direxit visus aciem? Respondit ipsa; *descendit in hortum suum*; quoniam Deus humilia respicit in cælo, & in terra: & quia respexit humilitatem ancillæ suæ, descendit in eam vt carnem assumeret ex illa. Meus ergo dilectus, qui semper humilia respicit, ad humiles descendit vt eos inuisat: & hi sunt eius hortus, in quibus quiescit & delectatur.

Quomodo Ecclesia sit area & areola aromatum. §. 2.

SEd amplius hoc explicat triplex illa similitudo eorum quæ hortus Ecclesiæ continet, quæ sigillatim explicanda sunt. Primo enim inquit, descendisse *ad areolam aromatum.* Licet enim descendat in vniuersum hortum vt illum videat; peculiari tamen ratione dicitur descendisse ad areolam aromatum, per quam cœtus iustorum significatur, quos visitat vt spōsus, vt Pastor, Magister, Pater, & benignus amicus. Etenim Ecclesia in Scriptura secundum omnia quæ comprehendit non dicitur areola, sed area magna continens bonos & malos, paleam & triticum, lilium & spinas, quam visitat Dominus, non tam vt sponsus, quam vt iudex: *Cuius ventilabrum* (vt magnus Baptista dixit) *est in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili.* Hoc tamen interest inter aream corpoream, & Ecclesiam; quod in illa nec palea transit in triticum, nec triticum conuertitur in paleam; sed vnumquodque semper suam seruat naturam. At in Ecclesia quamdiu hæc peregrinatio durat, facilis est commutatio ista. Qui enim modo palea est propter peccatum, postea per pœnitentiam conuerti potest in triticum; sicut qui triticum est per iustitiam, mutata voluntate fit palea per peccatum. Est tamen in Ecclesia congruum ad hoc damnum resarciendum, remedium; cuius symbolum fuit quod Dauid olim videns Angelum Domini iuxta aream Areuna Iebusæi percutientem populum plaga magna, ædificauit altare in ea area, cessauitque interfectio quæ grassabatur in populum, ad significandum in area Ecclesiæ esse altare & sacrificium propitiatorium pro peccatis populi, quod tamen non est extra aream istam. Et ideo Angelus Domini omnes peccatores extra illam existentes & permanentes perimet; qui omnes in æternum peribunt.

Matth. 3. v. 12.

2. Reg. 24. v. 17.

2. Cæterum cum de Ecclesia, vt iustorum est congregatio loquitur, non area sed areola aromatum vocatur; tum à coarctato numero iustorum, quia *multi sunt vocati, pauci vero electi*; tum ab humilitate quam iusti profitentur. Propter quod Christus Dominus vocauit eos pusillum gregem dicens: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Areola autem aromatum in hoc differt ab area, quod in illa generantur ipsa aromata, crescunt & odorem suum emittunt: At in area non generatur palea & triticum, sed aliunde asportatur. Quo significatur in area Ecclesiæ, non defectu ipsius Ecclesię aliquos esse paleam, sed ex propria voluntate, quia peccatores esse eligunt, & malunt habitare in tabernaculis impiorum, quam membra viua esse domus Dei. Nec tamen iusti triticum sunt ex propria virtute, sed ex Dei gratia, quæ de cælo illis communicatur: Nam, *perditio tua ex te Israël, tātummodo ex me auxilium tuum.* Cæterum quoniam ipsa Ecclesia quæ malos non iuuat ad perditionem, adiuuat tamen iustos ad suam sanctificationem, ideo vocatur areola aromatum: virtute enim Sacramentorum quæ continet, facit aromata germinare; peccatores conuertit in iustos, fœtidos in odoratos; & fœdos in pulchros.

Matth. 20. v. 16.

Lucæ 12. v. 32.

Oseæ 13. v. 9.

2. Hoc autem potissimè facit visitatio sponsi cum descendit in hortum, *ad areolam aromatum.* Ad hoc enim descendit vt eam areolam quam diligit, & in qua sibi complacet, inuisat, augeat, & perficiat, nouas addendo plantulas quæ aromata germinent, & plātatas excolendo vt copiosiora producant. Sed mysterium habet non dicere, descendit ad areolas, sed ad areolam, nec aromatis, sed aromatum: nam esto plures sint iustorum gradus sicut plures eiusdem horti areolæ; tamen omnes in vna fide, & dilectione coniunguntur, in eademque fraterna charitate: Nam, *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna.* Vnusquisque autem non vnum aroma, sed omnia profert. Omnes enim virtutes in se retinet, omnes auget & perficit, & omnibus fragrat. Vnde supra septēa numerauit: *Cypri cum nardo, nardus & crocus,*

Act. 4. v. 32.

Cant. 4. v. 14.

&c. sub quibus omnia aromata cõprehenduntur. Sed potissimè areolas aromatum vocat myrrhæ & thuris, de quibus etiam supra sponsus dixerat:

Cant.4.v.6 *vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Hortum enim suum quem nunc vocat areolas aromatum, vocauit montem myrrhæ & collem thuris: eo quod iusti qui propter humilitatem sunt areolæ, propter magnitudinem iustitiæ sunt sicut mõtes & colles Dei, & studia myrrhæ & thuris, seu mortificationis & orationis, quæ homini iuxta propriam naturam sunt aspera & difficilia sicut ascensus in montem & collem, ex Dei tamen gratia & ex præsentia sponsi fiunt suauia sicut descẽsus in areolam aromatum. Benè ergo ait sponsa; dilectus meus, qui fugit à me nolente ei aperire, & aromata huiusmodi respuente, etsi postea assumpserim & distillauerim illa; descendit ad areolam aromatum, quia cum his qui mortificationem, & orationem, cæteraque virtutes amplectuntur, alacriter conuersatur, & in medio illorum inuenitur. Etsi autem non referat sponsa quid dilectus in hac areola agat, ipsa tamen id superius dixerat, videlicet:

Cant.1.v.5. *Veni in hortum meum, messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Quemadmodum enim Dominus horti veniens in illum, ea metit, & colligit sibi quæ magis ei placent: sic Deus visitans hortum suum, & areolas aromatum ex eis ea metit quæ sibi gratiora sunt, vt ea odoretur & ex odore voluptatem percipiat, maximè enim ijs nostris studiis delectatur. Sed de hoc plura super citatum locum dicta sunt.

Nobis autem incumbit nostram areolam præparare vt eam Deus visitare dignetur, irrigare, ac fœcundare, iuxta id quod Psalmista ait: vbi nos legimus:

Psal.41.v.1. *Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, &c.* (quod sic D. Hieronymus vertit ex Hebræo) *sic areola præparata est ad irrigationes aquarum, sic anima mea præparata est ad te Deus.*

Quomodo Ecclesia hortus dicatur, & horti in quibus Christus pascitur. §. 3.

1. DEinde addit sponsa dilectum descendisse in hortum suum, *vt pascatur in hortis.* Significans hunc hortum complures alios sub se continere, vnumque dici per aggregationem plurium. Etenim in magno Ecclesiæ horto plures sunt fidelium congregationes, tamquam peculiares horti vt cœtus Ecclesiasticorum, Religiosorum, Monialium & aliorum qui eumdem videndi modum sequuntur, idemque munus obeunt. Quælibet etiam sancta anima hortus quidam est Dei, nam quod in vniuersa Ecclesia inuenitur, sanctis est peculiariter in situm, qui omnium virtutum & gratiarum arboribus, floribus & plantulis sunt referti. Sed cur non repetit pronomen suum, dicẽs vt pascatur in hortis suis, sicut dixerat descendit in hortum suum? Sed necesse non erat. Quia si totus hortus suus est, singulæ eius partes etiam suæ erunt: vel fortè vt significaret Ecclesiam peculiari ratione esse suam, quæ nec deficere potest, nec desinere esse Christi, & in alterius transire potestatem, reliquæ vero congregationes intra illam, deficere possunt, & mutari, ac desinere esse illius: quare mirum non est quod Ecclesia vniuersalis dicatur hortus suus, reliquæ vero peculiares tantum horti.

2. Præterea ex eo quod inquit, *vt pascatur in hortis*, deducitur hortum non solũ continere areolas aromatum, sed arbores, vites, & plantas fructiferas, quibus homines pascantur, vel quibus sponsus pascat eos, vel pascatur ipse (verbũ enim *pascatur*, potest sumi & passiue, & etiã actiue tamquam verbum deponens.) Huiusmodi autem fructus sunt dulciores melle & fauo, vino lacteque suauiores, de quibus supra dixerat sponsus postquam venit in hortum suum; *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi.* Sub his enim nominibus, cuncta quæ ad cibum & potum lautissimum spectant, & hortus germinare solet, comprehenduntur: ac si diceret sponsa, Dilectus meus descendit in hortum suum non tantum ad areolam aromatum, vt ea metat, vel eorum recreetur odore, sed etiam ad areolas arborum pomiferarum, vt poma carpat, & ex eis reficiatur, & aliis refectionem præstet; dum bonis nostris operibus maximè delectatur, & in nobis quasi nutritur, crescit & perficitur, dum nos pascit, nutrit, auget, & perficit.

Quare non incongruè per areolas aromatum intelligere possumus cœtum iustorum qui orationi & contemplationi vacant, quarum symbolum ivt supra vidimus sunt aromata: per hortos vero vbi sponsus pascitur, iustos qui operibus vacant vitæ actiuæ, & misericordiæ, siue corporalis, siue spiritalis, quibus Christus pascitur in membris suis. Quod amplius ipse dilectus explicauit inferius confirmans hoc sponsæ responsum sic dicens: *Descendi in hortum nucum vt viderem poma conuallium, & inspicerem si floruisset vinea, si germinassent malogranata.* Quæ verba etsi nonnulli sponsæ tribuant, tamen antiqui Patres nonnisi sponso assignant, qui suæ dilectæ attestatur testimonio, vt sciamus Ecclesiam nõ errare; cum filiabus Ierusalem seu fidelibus ad ea quæ interrogãt, respondet, quæ saluti eorum necessaria sunt docens. Ac si diceret: ita est ô sponsa sicut dixisti, quod descendi in hortum nucum. Vocat autem eum, *hortum nucum*, vt sciremus non solum esse hortum aromatibus & floribus consitum, sed etiam arboribus fructiferis ex omni genere fructuum sicut terrestris paradisus. Sed hoc & cætera quæ in hoc horto se egisse dicit suo loco explicanda relinquamus. Lib.9.ex hort.7.

Quæ ratione Christus Dominus in horto suæ Ecclesiæ lilia colligat. §. 4.

DVo refert sponsa dilectum suum efficere in horto suo, ordine tamen inuerso ac ipse sponsus retulerat, qui in hortum suum venisse dicit, & primo messuisse myrrham cum aromatibus suis, deinde comedisse favum quo pastus est. At sponsa prius ait pasci in hortis, & deinde messuisse, seu collegisse lilia, quę odorifera sunt. Sed ne inuersio ista mysterio caret, quoniam messio myrrhinæ mortificationis præcedere debet dulcedinem pastus spiritualis: post hunc autem sequitur collectio liliorum, quæ ad consummatam pertinet felicitatem. Sed quoniam plura alia inuoluit mysteria omnia enodare oportet. Supponit autem in omnibus hortis, in quibus pascitur esse lilia, quæ possint colligi: sed quomodo colliget nisi prius in hortis germinare fecerit? Tripliciter ergo Dominus lilia colligit. Primo ex vniuerso orbe congregans eos quos elegit vt lilia sint candida, pulchra & odoratissima, sanctitate perspicua, castitate præclara, & omnibus virtutibus insignita: quæ in horto suæ Ecclesiæ seminat & plantat;

plantat: extra quam huiusmodi lilia nequeunt inueniri. Hæc sunt lilia quæ neque laborant, neque

Matth.6. v.28. nent, & tamen Deus pulcherrimè vestit illa, quia non ex suis meritis, nec ex propria industria & labore, sed ex Dei misericordia & benignitate hanc pulchritudinem sunt consecuti, vt speciosissima veste gratiæ & charitatis à Deo induerentur. Ad hoc quippe Christus Dominus venit in mũdum, & in hortum Ecclesiæ antiquæ descendit, cum carnem assumpsit, vt hæc lilia colligeret: sic collegit filios Zebedæi, Matthæum, & alios peccatores, quos vocabat, suaque vocatione mirabili modo lilia constituebat, vt qui antea erant spinæ cum spinis, inter spinas essent lilia, congregans

Cant.2.v.2. sibi Ecclesiam, de qua posset dicere: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Idem autem munus iugiter est prosecutus. Nam quot peccatores conuertit, tot lilia colligit, ipsa enim conuersio peccatorum est collectio liliorum.

2. Præterea in ipso horto Ecclesiæ ex communi cœtu fidelium lilia colligit, cum viros & fœminas ad virginitatis & religionis statum vocat, & ad illam perfectionis sublimitatem, quam lex Euangelica consulit. Huiusmodi enim lilia inter

Matth.6. v.29. flores huius horti maximè splendent, *nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnus ex illis*: quoniam nec lex vetus, nec eius Patriarchæ & insigniores Patres & Prophetæ candorem virginitatis, nec perfectionem voluntariæ paupertatis, & obedientiæ, nec vota huiusmodi perfectionis amplexi sunt. Sed ad hoc Christus in suum hortum descendit, vt hæc pulcherrima lilia colligeret, eisque suam ornaret Ecclesiam. Primum inter fœminas lilium omnium pulcherrimum Virginem matrem elegit; primum autem inter viros præcursorem Baptistam, deinde plures alios, quorum ipse esset Princeps, qui hoc sibi nomen assumpsit, vt

Cant.2.v.1. lilium diceretur conuallium, ad cuius imitationem plurima quotidie insurgunt lilia in Ecclesia, de qua prænuntiauerat Isaias:

Isai.35.v.1. *Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.* Aptè prius vocatur deserta, inuia, & infœcunda, vt sciremus quòd non à se, sed ex Christi gratia hæc lilia germinaret.

3. Tandem descendit Christus in hortum suum vt lilia colligat cum ad finem vitæ cuiusque iusti, cum perfectam lilij pulchritudinem singuli iam adepti sunt, descendit vt eos colligat, & è terra transferat in cælum, vbi cum pulcherrimis Angelorum liliis, æterna eos pascat beatitudine, & pascatur inter illos. Quoniam etsi prius dixerit dilectum suum pasci in hortis, quia valde lætatur in operibus Sanctorum, qui in hac vita commorantur, & cum ipsis habet suauem & familiarem conuersationem, tamen multo magis pascitur & iucundatur cum liliis, id est cum illis, qui pulchriori & candidiori fulgent sanctitate, & multo amplius cum eisdem dum iam in æterna patria commorantur.

Nec ineptè per lilia quæ folia habent candida & flores flauos intelligi possunt Virgines & Martyres, quos peculiari affectu & gaudio sibi Christus colligit in morte, vt sequantur illum quocumque ierit in gloria. Sed adhuc maius latet mysterium in eo quod dicitur ipsum sponsum colligere lilia. Cum enim supra dixerit Ecclesiam lilium esse inter spinas, cum ea colligit, omnino à spinis separat, sicut etiam separabit granum à paleis, triticum à zizania, agnos ab hœdis, & bonos à malis. Sed quia ipse per se dedignatur colligere malos, id ministris diuinæ iustitiæ, suæque

Matth.13. v.30. sententiæ executoribus committit dicens: *colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.* At vero vt ostendat quanti faciat bonos, dicitur descendere vt ipsemet colligat lilia, & ea assumat ad se ipsum, atque in supremo cælo collocet cum ingenti gloria, qualis describitur in duabus magnis columnis à Salomone fabricatis

3.Reg.7. v.19. in templi porticu, de quibus dicitur: *Capitella autem quæ erant super capita columnarum quasi opere lilij fabricata erant.* Sanctorum enim beatitudo, & corona quæ per miram capitellorum fabricam repræsentabatur est ad modum lilij, quoniam sicut sancti instar lilij fuerunt in terris pulcherrimam degentes vitam, ita eminentissimum locum obtinent in cælis etiam in modum lilij, omni pulchritudine, fragrantia & gloria condecorati. Vtinam cælestis sponsus sæpius veniat in hortum Ecclesiæ, & has tres suo ordine collectiones faciat, suumque, innumeris liliis repleat paradisum, in quem nos etiam perducere dignetur. Amen.

EXHORTATIO XXX.

De modo quo Christus quærentibus ipsum se præsentem exhibet, atque de perfecta similitudine inter ipsum & animam sanctam.

Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Vers.2.

C

ITO nos ab hac expediemus sententia, quoniam plures exhortationes fecimus de illa, quæ inuerso ordine habetur ad finem capitis secundi. Ibi enim dicitur: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Hic vero à posteriori incipit: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Cuius rationem reddemus explicando simul horum verborum cum præcedentibus connexionem, nonnullis superadditis quæ in loco citato omissa sunt. Cant.2. v.16. Lib.5.ex hort.36. & 38. Ecinst.lib. 9 exhort. 22.

§. 1.

ETenim cum sponsa suam finisset concionem, responsumque dedisset ad omnia quæ filiæ Ierusalem interrogauerant, volens sponsus illius duplicem remunerare laborem, tum in quærendo ipsum, tum in concione habita eius narrando insignia, subito se illi manifestauit in ipso horto, ad

D quem ipsa descendisse dixerat, vt colligeret lilia: quod etiam ex eo constat, quia mox eam alloqui cœpit dicens: *Pulchra es amica mea, &c.* Quod signum est se iam illi præsentem exhibuisse. Vidit autem eum tantum sponsa, non filiæ Ierusalem; quia illa sola hac visitatione, suo labore & perseuerantia digna effecta erat: hæ vero nondum sa- Act.9.v.7. tis erant dispositæ. Nec nouum est hoc in huiusmodi visitationibus, sicut Dominus Saulo apparuit, & locutus est; & tamen viri qui eum comitabantur, nec viderunt Christum, nec eius vocem audierunt, sed tantum vocem ipsius Sauli. Idem habetur Dan. 10.v.7. Intuens ergo sponsa dilectum suum, ait ad filias Ierusalem; *ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia*: id est, ecce in horto adest, iam video illum pascentem inter lilia. Ego me totam trado illi, & ille mihi. Quasi rationem reddens cur ipsa sola eum inuenerit, & viderit, quia ni-

mirum vnice eum diligo, & ille me; & qui pascitur & delectatur inter lilia, etiam delectatur mecum esse qui illius lilium sum. Non ait modo sicut antea, qui colligit lilia, sed qui pascitur inter lilia, quoniam non tantum colligit ad odorandum, sed ad ea per intimam amoris vnionem intra se collocandum, quod per comestionem denotatur. Vtitur autem hac metaphora, quia comparauerat dilectum hinnulis ceruorum, & apiculis qui nitidissimis, & odoratissimis pascuntur floribus. Per hæc autem verba tacite mouet filias Ierusalem, vt si dilectum suum inuenire cupiunt, se totas illi tradant: & hæc est ratio cur ordinem inuertit. Nam in capite secundo respexit ad ordinem gratiæ, quæ nostram præuenit industriam. Prius enim Deus diligit, & quærit nos, quam nos diligamus & quæramus illū, & ideo prius dixit, *dilectus meus mihi*, & postea subdit, *& ego illi*: id est consentio, vel cooperor cum illo. Hic autem loquitur de se ipsa, quæ iam excitata erat à dilecto pulsante ad fores eius; affatur etiam filias Ierusalem, quę etiam per eius prædicationem Dei gratia excitatæ dixerant: *quæremus eum tecum.* Vt autem eas quod sui muneris & industriæ erat admoneret, ab hac incipit dicens: *ego dilecto meo.* s. consentio, obedio, & cooperor cum illo: *& dilectus meus mihi*, largitur dona & incrementa gratiarum. Et dum ait, ego, se in exemplum proponit; ac si dicat, & vos etiam consentire dilecto & cooperamini cum illo, & vos ipsas illi tradite, & tunc experimento cognoscetis quod ille se tradet vobis. Faciamus ergo quod nostrarum partium est, & propriis actibus; ex Dei tamen auxilio Deum quęramus, & gratiæ augmenta mereri conemur; nam qui nos præuenit vt diligeremus, multo magis occurret diligentibus vt consoletur & remuneret nos, sicut scriptum est: *In viis iustitiæ ambulo, & in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Et rursus cum Sapiens de ipsa sapientia increata dixisset: *præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat*; mox iterum addit, *quoniam dignos se ipsa circuit quærens, & in viis ostendit se illis hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis.* Iuxta monitum ergo D. Ioannis: *nos diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos*, & tunc amplius ipse nos diliger, & occurret nobis, seque cum maiori fœnore gratiarum manifestabit. Quod etiam ex subiunctis laudibus, quibus sponsa mox exaltauit, facilè erit deducere. Plura de hoc dicta sunt circa illud, *inueni quem diligit anima mea*, &c.

Prou.8. v.20.

Sap.6.v.14 & 17.

1.Ioan.4. v.19.

In lib 6. exhort.

§. 2.

1. ALio modo hæc verba connecti possunt præcedentibus, vt sponsa filias Ierusalem alloquatur, sponsi sui suaue & benignum ingenium confirmans, ne putaret ex eo quod eam reliquerit, aliquid amoris in illo, vel in ipsa deperijsse. Ac si diceret, ô filiæ Ierusalem scitote me dilecto meo omnino per amorem adhærere, & illum mihi, me illius obsequij curam gerere, & illum erga me etiam solicitum esse; adeo enim ingeniuus est & benignus, vt quamuis ei non statim aperuerim, sicut ego non desino illum diligere, sic nec ille desinit diligere me: & inter vtrumque est motus amor, & reciproca similitudo. Nā etsi incomparabiliter me dignitate excellat, tamen benignè descendit, vt coæquetur mihi, mecumque amicitiam inire velit; quoniam libentissimè commoratur, & pascitur inter lilia, id est inter animas candidas, & pulchras, qualis ipse est.

A Quo admonemur in huiusmodi afflictionibus, & derelictionibus quæ probationis causa adueniunt, nec minuendum esse amorem nostrum erga Deum; neque quid simile de Deo cogitandum: quia si ego (inquit) intendo dilecto meo, citra dubium ille intendet mihi; nam quomodo ego illius obsequij curam gererem, nisi mei ipse sollicitus esset?

Sed vlterius his verbis insinuatur Christi, & sponsæ eius alia ingenua propensio. Hæc enim loquens filiabus Ierusalem, quæ animas peccatrices, aut tepidas, vel imperfectas & tyrunculas designant, non ait: nos dilecto nostro, & dilectus noster nobis: sed, *ego dilecto meo & dilectus meus mihi*, ad significandum mutuum vtriusque amorem, & reciprocam curam ab aliis non pendere. Ac si dicat: ô filiæ Ierusalem, etsi vos dilectum meum non quæratis mecum, sed potius negligatis & deseratis, ego tamen dilecto meo semper adhærebo, & ille mihi: ego numquam deseram illum, nec ille me, sed semper mei curam geret etsi inter prauas vel imperfectas degam. Sponsus enim Christus qui pascitur inter lilia, etsi vnica tantum sit anima tamquam lilium inter spinas, contemptis spinis amplectitur lilium, & relictis impiis curam gerit iusti, sicut testatur per Isaiam dicens: *Quomodo si inueniatur granum in botro, & dicatur, ne dissipes illud quoniam benedictio est, sic faciam propter seruos meos ne disperdam eos.* Botrus Christus est, grana vero corrupta seu vuæ acidæ, glacie aut grandine læsæ, peccatores sunt illi per fidem adhærentes, sed moribus corrupti; granum autem illæsum & vua sana quæ adhuc maturior & grandior fieri potest, iustus est Christo fide & gratia vnitus, à quo virtutem recipit vt crescere & perfici valeat. Quamuis ergo vnicum granum tantum maneret in botro cæteris acescentibus, illud conseruabit Dominus, & super illud effundet benedictionem suam: ita vt iustus illi dicere queat: ego dilecto meo, & ille mihi, quia nec ego ob consortium malorum desino eum colere, & diligere, nec ipse desinet mihi prouidere, & ab eis me indemnem seruare. Idem etiam testatur per Ieremiam: Nam vbi vulgata habet, *inuenit gratiam in deserto populus qui remanserat gladio*, Lxx. vertunt: *quasi calidum in deserto inuenit Israël cum occisis gladio*, id est, etsi in deserto huius mundi innumeri sint peccatores mortui & gelidi sicut cadauera occisorum, tamen si inter eos sit aliquod calidum, hoc est aliquis iustus calorem retinens charitatis, qui nec frigidus sit nec tepidus, sed amore feruidus, hic inueniet gratiam coram me, & curam geram illius.

Isai.65.v. 8.

Ierem.31. v.2.

§. 3.

3. SEd adhuc nouam dilectionis perfectionem indicat phrasis huius sententiæ diuersa ab ea quæ habetur in c.2. vbi semel tantum ponitur nomen dilectus: cum dicitur; *dilectus meus mihi, & ego illi.* Hic autem bis repetitur dicendo: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Ad indicandum vehementiorem amorem quo nunc flagrabat sponsa. Pronomen autem meus, bifariam potest sumi, vel pro dilecto à me, seu quem diligit anima mea: vel pro dilecto qui est meus, mea pars, & portio, mea hæreditas, & possessio, qui se totum per amorem transtulit in me vt sit possessio mea, sicut ego etiam sum possessio ipsius. Amor enim teste D. Dionysio, facit amantem vt non sit sui iuris, sed alterius. Vtrumque testantur sancti

c.4. de Diuin. nom.

Patres

Hom.7. in psal.49.v.3. Ioan.20. v.28. ait D. Thomas Dominus meus, & Deus meus, Isai.58. v.9.

Patres: D. Basilius in id Psalmi, *Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me*, sic ait: Non omnium Deus est Deus, sed eorum propriè qui charitate sunt ei coniuncti. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Si enim omnium esset Deus, non vtique seiunctim illis testimonium reddidisset quasi aliquid eximium. Est itaque vox ista, *Domine Deus meus*, plena affectu fiduciæ, & conueniens statui Prophetico. Inde subdit: *clamaui ad te & sanasti me.* Nullum medium, nullumque interuallum fuit inter meam vocem, & tuam gratiam, sed simul atque clamaui sanitas prodiit.

In psal.55. v.10.

Confirmat idē D. Augustinus in id Psalmi: *In quacumque die inuocauero te, ecce cognoui quoniam Deus meus es.* Magna (inquit) scientia (nimirum ex celeris exauditionis experimento habita.) Non ait, sciui quia Deus est, sed quia Deus meus es tu. Tuus est enim cum tibi subuenit: suus es cū tu ab illo alienus non es. Vnde dicitur: *Beatus populus cuius Dominus Deus eius.* Quare cuius eius? cuius enim non est? Omnium quidem Deus est, sed eorum propriè Deus dicitur qui eum diligunt, qui eum tenent, qui illum possident, qui illum colunt. Sed copiosius D. Bernardus in illud Psalmi:

Psal.143. v.15.

Serm.2.in psal. Qui habitat.

Psal.90.v.2. *Dicet Domino, susceptor meus es tu, refugium meum, Deus meus.* Possunt (inquit) omnia dicere, creator meus es tu. Possunt & animalia dicere, pastor meus es tu. At vero susceptor meus es tu, tantum potest dicere qui habitat in adiutorio Altissimi. Vnde & addit; *Deus meus es tu.* Cur non Deus noster? quia in creatione, in redemptione, cæterisque communibus beneficiis est Deus omnium. Sed in tentationibus suis tamquam proprium eum habent singuli electorum. Sic enim paratus est suscipere cadentem, & eripere fugientem, vt videri possit relictis omnibus aliis ei soli operam dare.

Hæc omnia complectitur sponsa cum amplificando dilectionem ait, *dilectus meus mihi.* Ac si dicat: ille qui est dilectus meus, est mihi. Quid? est mihi salus & vita, est mihi refugium & solatium, est mihi auxilium & protectio: est denique mihi sufficiens ad omnia, quia in ipso possideo omnia. Inter decem nomina Dei, quibus vtitur Scriptura, vnum est, *Saddai*, quod teste D. Epiphanio, & D. Hieronymo, interpretatur sufficiens. Tum quoniam sufficiens est, robustus, & omnipotens ad auxiliandum. Quo nomine, inquit D. Hieronymus, vtitur Psalmista cum ait: *Qui habitat in adiutorio Altissimi in protectione Dei cæli commorabitur.* Nam loco Dei cæli habetur, Saddai. Et in Exodo cum dicitur: *Apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente*, habetur, in Deo Saddai. Tum vero quoniam sufficiens est ad satiandos omnes appetitus, & ad omnia quibus indigemus, vt possimus dicere: dilectus meus est mihi omnia in omnibus, & ipse solus est mihi sufficiens ad omnia. Quid hoc felicius? Quid (inquit D. Prosper) vltra quærit, cui omnia suus conditor sit? aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? Profecto sine ipso omnia alia simul non sufficient. Nam teste D. Augustino, omnis copia quæ Deus non est, egestas mihi est. Plures Patres adduximus in lib.5. exhortat. 36.

Hæresi 40. Lib. de decem nominibus Dei, tom.3.

Psal.90.v.1

Exod.6.v.3 Ita Caiet. Lipomanus in Catena.

Lib.2. de vita contempl.c.16.

Lib.13. conf. c.8.

§. 4.

4. TAndem in ijs verbis forma præscribitur perfectissimæ sanctitatis, seu diuinæ vnionis, & similitudinis, quæ acquiritur cum post longam & laboriosam Dei inquisitionem tandem inueni-

Hom.15.in Cant.

tur, quam pulchrè tradit D. Gregorius Nissenus propriam sequens versionem, scilicet, *meus & cognatus meus, & illius ego sum, qui pascit inter lilia.* Quæ (inquit) verba norma sunt, ac finitio omnis in virtute perfectionis. Nam ex his discimus nihil in nobis esse præter Deum debere, nèque animæ purificatæ vllam ad rem aliam respiciendum esse; sed debere hanc ita se ab omnibus crassis tam rebus, quam cogitationibus expurgare, vt tota transeat prorsus ad statum quem mentis intelligentia percipimus, & quæ omnium crassarum rerum expers est, illustrissimum se pulchritudinis principis simulacrum efficiat. Vt is qui in tabula picturam videt accuratè conformatam ad archetypum, vnam vtriusque formam esse pronuntiat; imaginis pulchritudinem ipsam esse archetypi pulchritudinem dicens, & archetypum in simulacro suo clare conspici. Eodemque modo ea quæ ait; *meus est cognatus meus, & ipsius ego sum*: pulchritudinem suam conformatā ad Christi exemplar dicit, ac veluti speculum ad vsum aptè comparatum pura in superficie incidentis faciei characterem accuratè refert: sic postea quam anima se ipsam idoneè comparauit, omnemque vitæ huius labem abiecit, puram incorruptæ pulchritudinis speciem sibimetipsi imprimit. Hæc ille, duplici similitudine prototypi, & speculi egregiè docens in his verbis; *ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*, significari perfectam similitudinem animæ ad Christum Dominum, tamquam ad suum prototypum, quæ fit auferendo omnem labem, & defectum à seipsa, & abijciendo imaginem terreni hominis, assumendo vero imaginem cælestis, & virtutes eius; quas voces ait imitatum esse Paulum cum dicebat: *Viuo non ego, sed viuit in me Christus.* Et: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Nam cum dicit; *mihi vita Christus*, significat nullam in ipso affectionem humanam, crassamque viuere; non voluptatem, non iram, non fastum, non iniuriarum tenacem memoriam, non inuidiam, non auaritiam, non honoris, non gloriæ libidinem, non quidquam eorum quæ animum quadam ergà se affectione polluunt; sed solus (inquit) ille mihi supereст, qui nihil est horum. Etenim abrasis quasi poliendo vniuersis quæ in ipsius naturam non cadunt, nihil in me habeo quod non in ipso sit, eaque de causa vita mihi Christus est; velut sponsa loquitur, *meus est cognatus meus, & ipsius sum ego*, qui est sanctificatio, & puritas, & immortalitas, & huiusmodi alia quæcumque animam meam pascunt, non in gramine, vel virgultis, sed in splendoribus Sanctorum: id enim significant lilia, cum colore splendido sint ornata.

Ad Gal.2. v.20. Ad Philip. 2.v.21.

Ad Philip. 4.v.8.

Psal.118. v.94.

Docet itaque dilectum pascere in liliis, quia pascit animam cui inhæret, splendidis virtutibus. Existimato (inquit) purum esse lilium modestiam, & iustitiam, & fortitudinem, & prudentiam, &, *quæcumque vera sunt*, vt ait Apostolus, *quæcumque pudica, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ.* Vnde fit animam quæ pascitur his liliis, esse quasi lilium, & splendidam sicut illud: Nam quod alitur, omnino ad eius speciem comparatur, quo vescitur; & qui liliorum splendorem animis indit, etiam animas ipsas splendidas reddit, indita illa specie pellucente ad exteriora; veluti pellucidum est quod in vas vitreum inijcitur.

Hanc sententiā Nisseni videtur confirmare vox illa Psalmistæ: *tuus sum ego, fac me, quoniam iustificationes tuas exquisiui.* Quid est tuus sum ego,

Serm.12. in psal.118.v.6

nisi quod ait sponsa: *Ego dilecto meo, & ipsius sum ego?* Quod eleganter explicat D. Ambrosius in „ hunc modum, *tuus sum ego.* Facilis vox, & com„ munis videtur, sed paucorum est. Satis enim ra„ rus est qui potest dicere Deo; *tuus sum.* Ille enim „ dicit qui adhæret Deo totis sensibus, qui aliud co„ gitare non nouit: ille hac voce vtitur, qui potest „ dicere Domino; *ostende nobis patrem, & sufficit no„ bis.* Numquid hac voce vtitur auidus pecuniæ, „ honoris, potestatis? Non potest dicere sæcularis. „ Venit libido, & dicit, meus es quia ea quæ sunt „ corporis concupiscis. Venit ambitio & dicit, pla„ nè meus es; quod ideo imperare aliis te feci, vt „ mihi seruires, &c. Veniunt omnia vitia, & singu„ la dicunt, meus es, quem tanti competunt, quam „ vile mancipium est? Quomodo tu qui huiusmodi „ es, potes dicere Christo, *tuus sum ego?* Respondebit tibi ille: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Non quicumque dicit mihi, tuus sum meus est, meus planè es, si vocem non redarguat conscientia, si sermonem tuum, animus, aut opera non refutent. Rectè ergo cum Propheta Dauid dixisset, *tuus sum ego,* addidit, *quoniam iustificationes tuas exquisiui.* Hoc est, nihil aliorum quæsiui, sed id solum quod tuum est desideraui. Plura alia egregiè prosequitur D. Ambrosius. Felix qui potest dicere Deo, *tuus sum ego,* nam etiam licebit ei dicere, & meus es ipse. Sicut idem Psaltes dicebat; *Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob.* Vtrumque autem obtinebit si ab eo pascatur liliis, quæ sunt iustificationes eius, quas si obseruaueris diligenter pascêris postea ab ipso inter Angelorum lilia in sæcula sæculorum. Amen. Matth.7. v.22. Psal.43.v.5

EXPO-

EXPOSITIONIS MORALIS IN CANTICVM CANTICORVM LIBER NONVS,

cap. 6. & 7. complectens.

DE EXIMIIS PRÆROGATIVIS IVSTORVM qui tam propriæ quàm proximorum perfectioni diligenter incumbunt.

EX CAPITE VI. CANTICI.

Excellentia sponsæ seu Ecclesiæ secundum statum perfectorum.

3 PVLCHRA es amica mea, suauis, & decora, sicut Ierusalem: terribilis vt castrorum acies ordinata. Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, 4 quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui 5 sicut greges ouium, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis 6 non est in eis. Sicut cortex mali punici, 7 sic genæ tuæ absque occultis tuis. Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea: vna est ma- 8 tri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt: reginæ 9 & concubinæ, & laudauerunt eam. Quę est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna electa vt sol, terri- 10 bilis vt castrorum acies ordinata? Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conualliũ, & inspicerem si floruisset vinea, 11 & germinassent mala punica. Nescivi: anima mea conturbauit me propter quadri- 12 gas Aminadab. Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.

Encomia singulorum

CAPVT VII.

1 QVID videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Iun- *membrorum mystici corporis Ecclesiæ*
cturæ feminum tuorũ sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis. Vmbilicus 2
tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis. Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus liliis. Duo vbera tua sicut duo hin- 3
nuli gemelli capreæ. Collum tuum sicut 4
turris eburnea. Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Caput tuum vt 5
Carmelus: & comæ capitis tui, sicut purpura regis iuncta canalibus. Quàm pulchra 6
es, & quàm decora charissima in delitiis! Statura tua assimilata est palmæ, & vbera 7
tua botris. Dixi, ascendam in palmam, & 8
apprehendam fructus eius: & erunt vbera tua sicut botri vineæ: & odores oris tui sicut odor malorum. Guttur tuum sicut vinum 9
optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dẽtibus illius ad ruminãdum. Ego dilecto meo, & ad me conuersio 10 *Responsio*
eius. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, 11 *sponsæ ad*
commoremur in villis. Manè surgamus ad 12 *suprad. ctas laudes.*
vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica: ibi dabo tibi vbera mea. Mandragoræ 13
dederunt odorem. In portis nostris omnia poma noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.

ESSERAT præclarè sponsa pastoris & concionatoris munus prædicans filiabus Ierusalem excellentissima dilecti sui encomia vt eas ad eum diligendum alliceret, secumque quærẽdum traheret. Placuit nimis sponso hoc suæ dilectæ tam sedulum & ardens studium, propter quod miris eam effert laudibus, quæ in capite sexto, & septimo referuntur, vel reperens nonnullas quibus in præcedentibus eam laudauerat, vel alias de nouo & maiores superaddens. Has tantum in hoc nono libro explicabimus, præter eas quas superius iam explanatas reliquimus: erit autem bipartitus. Prior pars circa caput 6. insignia Ecclesiæ encomia in genere secundum statum perfectorum continet. Posterior circa caput 7. laudes singulorum membrorum in statu perfecto, & heroicas eorum virtutes, ordine inuerso, ac in c. 4. sed cum maiori amplificatione.

Prior pars libri noni de insignib. Ecclesiæ encomiis in genere secũdum statum perfectorum.

EXHORTATIO I.

Pro Dedicatione Ecclesiæ vel festo Sanctorũ vel Angelorum. Vers. 3.

De eximia pulchritudine Ecclesiæ, & Religiosi cœtus, ac animæ sanctæ ad similitudinem Christi; & Vtriusque Ierusalem terrenæ & cælestis.

Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Ierusalem: terribilis vt castrorum acies ordinata.

NCHOAMVS laudes iustorum, qui percurrerunt iam viã purgatiuam & illuminatiuã, & à statu tyronum & proficientium ascenderunt ad viã vnitiuam, & statũ perfectorum, dicereque possunt cum sponsa; *ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia*, quoniã maximã cum Christo Domino adepti sunt vnionem, & similitudinem, quæ tunc omni ex parte perfecta est, cum non solũ propriæ saluti & perfectioni, ac cum Deo vnioni inuigilant, sed etiam proximorũ saluti, & perfectioni, eorumque cum Deo consimili vnioni procurandæ diligenter incumbunt. Huiusmodi autem iusti præcipua sunt Ecclesiæ portio, de qua nunc sponsus inquit: *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Plures laudauerat sponsæ pulchritudinem, sed hæc laus reliquas excedit nobilioribus vtens similitudinibus, quæ illam valde illustrant, triplexque continet encomium: Etenim ab aggregatione virtutũ omnium in gradu perfecto tria sancta anima habet præclara insignia. Primum vt sit pulchra, & suauis ac gratiosa ipsi Deo, deinde vt sit decora, venusta, & honestis ornata moribus coram hominibus; & tandem vt sit terribilis ac fortis contra suos & dilecti sui hostes. Quomodo spõsa terrena tunc erit vndequaque perfecta, si sit non tantum pulchra facie, sed etiam suauis, & grata viro suo quæ sua suauitate & gratia eius capiat oculos; deinde si sit etiam honestis moribus magis quam ornatu externo decora, omnibus cõplacens viri amicis, & cognatis; sicut de Hester dicitur: *Erat formosa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa, & amabilis valde*: Cæterũ viri sui hostibus & pudicitię insidiatoribus sit terribilis, grauitateque ac seueritate sua procul eos pellat. Hæc tria maximè in Ecclesia Catholica resplendẽt, ac in pia anima, quæ ad statum perfectionis peruenit; & eminentissima ratione in Deipara reperta sunt, vt ex dicendis satis constabit.

Hester 2. v. 15.

De pulchritudine, & gratia ac suauitate ad Christi similitudinem. §. 1.

1. Pro Deiparæ laudibus adduci possunt cuncta quæ in hac exhortatione & sequenti dicuntur cum his quæ habentur exhort. 3. §. 5. & exhort. 4. §. 4. Lucæ 1. v. 28.

PVlchra es (inquit) *amica mea, & suauis*: nõ sat est aliquam dici pulchram ob debitam omnium partium proportionem & colorem, si desit illi gratia, suauitas & venustas quædam, quæ illam faciat amabilem & gratiosam, & ideo Angelus dum beatissimam Virginem salutauit, vocauit eam, *gratia plenam*; id est valde gratiosam, gratam & acceptam ipsi Deo, in qua Deus sibi complacuerat. Propriè enim hæc gratia venustatem significat, & elegantiam, leporem & quidquid excitat complacentiam & beneuolentiã erga alium. Sæpius enim cõtingit videre aliquod pulchrum, quod tamen non est ita nobis gratum, & acceptum vt beneuolentiam rapiat & complacentiam. Quando ergo in anima coniunguntur virtutes cum quodam miro & iucundo splendore, quæ omnium amorem conciliet, dicitur pulchra, suauis & gratiosa, de qua Ecclesiasticus ait: *gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata*; & ideo beatissima Virgo merito vocata est plena gratia, & non tantum pulchra, sed *pulchra & suauis*, cum maxima suauitate & gratia coram Deo.

Eccles. 26. v. 19.

Amplificat laudem vox Hebræa quæ in abstracto est, *suauitas*: ac si diceret, pulchra es, & ipsamet suauitas, aut sicut suauitas ipsa. Huiusmodi enim abstractis summam in illo genere perfectionem indicamus, vt cum hyperbolicè dicimus, tua pulchritudo est ipsa gratia gratiosior, ipsa suauior suauitate. Sponsa dixerat: *Dilectus meus totus desiderabilis, & totus desiderium.* Sponsus vicem rependens ait, Tu suauis, & ipsa suauitas.

2. Hom. 15. in Cant. Similitudo ad Christũ.

Sed Lxx. interpretes vertunt: *Pulchra es proxima mea, sicut beneplacitum*, seu, *sicut ipsa complacentia, aut beneuolentia.* In quo tamẽ (vt D. Nissenus insinuat) summam indicat similitudinem ad eius pulchritudinem amplificandam. Nam per beneplacitum intelligere possumus ipsum Christũ Dominum, de quo Pater inquit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacuit*: & iterum: *Ecce seruus meus, suscipiam eum: electus meus*, seu *dilectus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* Per quamdam enim antonomasiam Verbum Dei caro factum, Dei beneplacitum & ipsa complacẽtia vocari potest. Quid ergo est pulchram esse sicut beneplacitum, nisi pulchram esse vt ipsum Christum? cui omnino similem esse satagit, dum non tantum sancta est in se, sed vtilem proximis suis se exhibuit, prædicans filiabus Ierusalem dilecti sui laudes, & magnalia vt eas in eius acceenderet dilectionem. Vnde cum sponsa dixisset: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*, summam insinuans cum dilecto suo similitudinem, vt prædiximus: nunc dilectus id ipsum confirmans ait: *Pulchra es proxima mea sicut beneplacitum*, vel, *sicut ipsa beneuolentia*, id est sicut ego ipse, qui in te complaceo: nam tu eamdem agis cum aliis hominibus quæ ego homo factus feci cum illis.

Matth. 3. v. 17. & c. 17. v. 5. Isai. 42. v. 2. Matth. 12. v. 18.

Si Deus (inquit Nissenus) declarandę in homines beneuolentiæ causa sanguini, & carni misce-

tur vt in terra pax nostra nasceretur, clarum est illam quæ ad hãc beneuolentiã conformauit suam pulchritudinẽ, præclaris operibus suis Christum imitari, quippe quæ aliis hoc sit quod Christus humano generi fuit: quemadmodum & Paulus imitator Christi faciebat, seipsum à vita velut exterminans, vt cum calamitate sua salutem Israëlis commutaret. Sic enim ait: *Optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundum carnem.* Cui non ineptè diceremus quod hic ad sponsam dicitur, talis est tua animi pulchritudo qualis fuit Domini erga nos beneuolentia, qui seipsum exinaniuit sumpta serui forma, & seipsum dedit pretium pro mundi vita, & propter nos inops factus est cum dives esset, vt nos ipsius morte viueremus; in ipsius inopia diuitias conqueremur; in forma seruitutis ipsius regnaremus. Sic ille.

Rom. 9. v. 3.

Quid igitur pulchrius, iucundius, & fœlicius esse potest quam animam ad tantam euehi dignitatem vt pulchra sit sicut ipsum beneplacitum, quod est Christus? Inde enim fiet vt ipsa etiam beneplacitum Dei nuncupetur, in qua Deus sibi benè complaceat; sicut scriptum est: *Vocabitur voluntas mea in ea.* Vnde etiam fiet quod cum ipsa libenter permaneat, quiescat, & bonis suis repleat, sicut alius Propheta testatur: *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit, gaudebit super te in lætitia; silebit* (id est quiescet) *in dilectione tua, exultabit super te in laude.* De huiusmodi enim intelligitur quod Salomon ait delitias Dei esse manere cum filiis hominum, non quidẽ cum omnibus, sed cum ijs qui pulchri sunt, & suaues atque sicut ipsa suauitas & beneuolentia quæ ipse est; nam qui insuaues sunt, & iniucũdi, virtute que dissimiles, ab eius beneuolentia & familiaritate repelluntur.

Isai. 62. v. 4. Sophon. 3. v. 17. De hoc loco in lib. 7. Exhort. 5. & 7. Prou. 8. v. 31.

3. Act. 13. v. 22

Hinc est sanctam animam dici pulchram sicut beneplacitum, quia tota est iuxta beneplacitum Dei, & iuxta cor ipsius, ad modum quo de Dauide inquit: *Inueni Dauid filium Iesse virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Licet autem Dauid aliquando ex fragilitate peccauerit, quia tamen mox resipuit, & voluntati diuinæ curauit non amplius repugnare, ideo laudatur, & dicitur iuxta cor & beneplacitum Dei. Sic & spõsa, licet erga dilectũ suum pulsantem minorẽ quam par erat, obedientiam, & promptitudinem aperiẽdi ostenderit, quia tamen suæ eam socordiæ pœnituit, & sedulo illũ postea quæsiuit, ideo pulchra, & iuxta Dei beneplacitum vocatur: vt discas non despondere animum si ceciderit, nam si resurgas, eamdem, imo maiorem poteris obtinere pulchritudinem & laudem. Hoc denique proprium est encomium eorum qui dicuntur inuenisse gratiam apud Deum sicut beatissima Virgo & alij, quod in primo libro explicatum est, quę enim hanc gratiam inuenit, pulchra est, amica suauis & suauitas ipsa, & sicut ipsum beneplacitum.

Lib 1. exhort. 6.

De pulchritudine ad similitudinem Ierusalem. §. 2.

1. Ita Legionensis.

EXplicatur amplius pulchritudinis magnitudo cum dicitur, *& decora sicut Ierusalem.* Non desunt qui putent sponsam duabus ciuitatibus cõparari. Primo cũ dicitur pulchra vt suauitas: quia in Hebræo est, *pulchra vt thirsa, seu therfa*, quod interpretatur placens, secundum D. Hieronymum, quod nomen est vrbis, quæ postea regia fuit regum Samariæ à loci amœnitate sic nuncupata, à qua gradatio facta est ad Ierusalem multo pul-

De nom. Hebraicis.

chriorem. Sed nos sequentes vulgatam, solius Ierusalem mentionem faciemus, cuius pulchritudo ita laudatur in Scriptura quod à Ieremia vocetur: *Vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ*, sed maximè tempore Salomonis erat laudatissima ab amplitudine, à fortitudine murorum, à multitudine ciuium, à sublimitate ædificiorum, à diuitiis, nam tanta erat abundantia argenti, quanta lapidum: à mercibus, ab annonę copia, ab insigni pace, quam nomen præ se ferebat. Nam Ierusalem visio pacis interpretatur; & præcipuè ab augustissimo templo, in quo Deus habitare dicebatur, & Salomon Rex pacificus eam in regiam elegerat. Spõsus igitur qui hactenus ab agris, & rebus rusticis laudum similitudines ferè petierat, modo à præclarissimis rebus desumit. Et quia sponsam quæ sibi & aliorum perfectioni incumbit, laudare aggreditur; similitudinem petit ab his quæ multis prosunt, & in commune bonum respiciunt; & primo à ciuitate, eaque insigni, quæ tunc nõ solum Palæstinæ, sed teste Plinio totius Oriẽtis erat clarissima. Qua de causa Christus Dominus Apostolos suos comparauit luci, & sali, & tandem ciuitati supra montem positæ, qualis etiam erat Ierusalem, cuius cõmemorata insignia narrat Psaltes dum ait: *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortauit seras portarum tuarum benedixit filijs tuis in te. Posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te, &c.*

Thren. 2. v. 15. 3 Reg. 10. v. 17. Ita Plinius lib. 5. c. 14. Matth. 5. v. 13. Psal. 147. v. 1.

Ad huius igitur similitudinem laudat Christus Ecclesiam vocans eam decoram sicut Ierusalem, quoniam omnium virtutum, & gratiarum ornamenta in illa congessit, in qua abunde inuenitur quidquid ad spirituale ædificium necessarium est. Si fortitudinem spectes, nihil ea fortius: si multitudinẽ ciuium, nihil numerosius & illis ornatius: si diuitias spirituales, nihil locupletius: si annonã, nihil abundantius, nihil opulentius: si pacem, nihil tranquillius; denique nihil ea pulchrius, iucũdius, & spectabilius, quia Deus omnipotẽs & Saluator Christus Rex regum & Dominus dominãtium est in medio eius, hæc præstans, seruans, augens, & perficiens. Ipse eius fortitudo, eius diuitiæ & delitiæ, eius pax, & securitas & fœlicitas sempiterna. *Exulta* (inquit Isaias) *& laudа habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israël.* Et iterũ, *vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator, ponetur in ea murus, & antemurale.*

Isai. 12. v. 6. Isai. 26. v. 1.

Sed explicans amplius pretiositatem ædificii & sanctorum ciuium qui lapides viui sunt ex quibus consurgit, sic ait: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.* Quid hac ciuitate pretiosius? quid speciosius potuit excogitari? Nihil in hoc spirituali ædificio terrenum est, nihil lateritium, nihil fragile, vile, & despectũ, totum est lapideum & firmum, non ex lapide rudi & impolito, sed ex lapide pretioso, & mire exculto. Si pauimẽtum vel parietes conspicias, plures sunt Sanctorum ordines in variis statibus cõstituti, vel coniugij aut continentiæ, virginitatis aut religionis, qui lapides dicuntur à Deo perpoliti: nam vt obseruat D. Hieronymus, vbi nos legimus: *sternam per ordinem lapides tuos*, in Hebraico scriptum est, *sternam in stibio lapides tuos.* In similitudinem compræ mulieris, quæ oculos pingit stibio; vt pulchritudinem significet ciuitatis. Lxx. vero vertunt: *Ecce ego præparo tibi carbunculũ lapidem tuum*, vt tota ciuitas sit plena carbunculis, qui instar ignis lucẽt,

Isai. 54. v. 11

In Isai. 54.

& ardent, lucent enim ſancti fide & doctrina; ardent vero charitate: fundamenta vero ſunt ſapphirus; illi ſcilicet quorum vita eſt cæleſtis, quæ gloriam Dei enarret vt Apoſtoli, Apoſtolicique viri, Præſules & Paſtores qui reliquum ædificium ſuſtinent. Propugnacula Doctores qui magna virtute & fiducia hoſtes fidei propugnant, & repellũt, in quo aſſimilãtur iaſpidi, cuius eſt vt D. Hieronymus refert, omnia fugare phantaſmata. Porta ſunt miniſtri Sacramentorum, quorum ope intramus in vitam æternam, & dicũtur lapides ſculpti, id eſt, inſignibus virtutibus elaborati vt digne miniſterium ſuum expleant. Lxx. vertunt, *& portas tuas lapides cryſtalli*, qui magnam indicant munditiam, & candorem. Nam hoc lapide nihil purius eſt vt D. Hieronymus inquit: muri autem, ſeu termini ciuitatis qui omnes ad eam ſpectantes comprehendunt, ſunt lapides deſiderabiles, id eſt adeo pretioſi, electi, pulchri, & expoliti, vt merito ab omnibus magnifiant & deſiderentur; vt ſicut dilectus totus eſt deſiderabilis, ſic & iuſti eius deſiderabiles nuncupentur.

Vide infra lib. 10. exhort. 16. §. 1

Ibidem.

Iſai. 54. v. 13 Ioan. 6. v. 45.

Vt autem intelligeremus omnia hæc myſticè eſſe intelligenda addit Propheta: *Ponam vniuerſos filios tuos doctos à Domino, & multitudinem pacis filiis tuis, & in iuſtitia fundaberis*, id eſt, ego ipſe filios tuos, quos lapides pretioſos vocaui, docebo veritates quas credant, mandata legis quæ ſeruent, virtutes quas ſectentur, & opera quæ exequantur. Ego ipſe ero magiſter eorum intus eis, hæc imprimens, ipſi vero, diſcipuli à me edocti, ſeu docibiles Dei parati ab ipſo edoceri. Vnde fiet quod meam doctrinam ſeruantes ineffabili potiantur pace, vtpote fundati in omni iuſtitia, æquitate & ſanctitate. *Ego*, inquit, *Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas, vtinam attendiſſes mandata mea, facta eſſet ſicut fluuius pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris.*

Ieremi. 31. v. 33.

Iſai. 48. v. 17

Hinc eſt ſimilitudinem iſtam qua ſponſa vocatur *decora ſicut Ieruſalem*, non tam intelligendam de Ieruſalem à Salomone ædificata, quàm de Ieruſalem per ipſam repræſentata, & qualis à Prophetis pulchritudo eius eſt deſcripta. Ne autem ſimilitudinem ciuitatis alienam eſſe à ſponſæ nomenclatura putaremus, vtramque coniunxit idem Iſaias de eadem Ieruſalem inquiens: *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos quaſi ſponſa.* Eccleſia igitur circumdatur mira varietate Sanctorum tamquam pretioſiſſimo ornamento; quilibet autem eorum ornatiſſimus etiam eſt mira virtutum varietate. Vnde totus fere ornatus & decor ipſius in virtutes ipſas refunditur.

Iſai. 49. v. 18.

Pſal. 44. v. 10. & 15.

Hinc de qualibet ſancta & perfecta anima merito etiam dicitur; *decora ſicut Ieruſalem*, id eſt, ſicut ipſamet Eccleſia; cuius membrum eſt, qualis depicta eſt ab Iſaia Propheta. Nam eius in ſe refert præclarã ſanctitatem, cũ omnibus virtutibus maximè fulget. Eſt enim ciuitas quædam pulcherrima, in cuius corde reſidet magnus Dominus Sanctus Iſraël, ædificata quidem non ex lateribus crudis, vel coctis qui terrei ſunt, ſed ex lapidibus pretioſis virtutum, qui velut carbunculi, ſapphiri, & iaſpides maximè eam illuſtrant, ornant, & corroborant. Virtutes enim ſunt pretioſa fundamenta Sanctorum operum, propugnacula contra vitia & tentationes, portæ per quas intramus in vitam æternam, muri quibus circumdamur,

Virtutis encomia.

A & protegimur: lapides deſiderabiles, quia deſiderabiliores ſunt ſuper aurum & lapidem pretioſum, nec aliquid eſt in terra quod vtilius ſit, aut amabilius illis. Virtutes nos faciunt docibiles Dei, dum cor diſponunt vt eius recipiat doctrinam, imo per earum infuſionem conſtituimur docti ab ipſo Deo, qui per eas dicitur legem ſuam cordibus inſcribere, & pacem quæ omnem ſenſum ſuperat iuſtis communicare. Ipſæ denique cæleſte Deo in nobis præparant habitaculum, quia libenter moratur in ijs qui huiuſmodi virtutibus ornati ſunt. Sed de hoc plura in §. 4.

Sap. 8. v. 7.

Ieremi. 31. v. 33.

De pulchritudine ad ſimilitudinem cæleſtis Ieruſalem. §. 3.

B Sed amplificatur laus, ſi comparatio iuxta mẽtem vtriuſque Gregorij fiat ad Ieruſalem cæleſtem, de qua D. Paulus ait: *Acceſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ieruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum qui conſcripti ſunt in cælis.* Vtraque enim Eccleſia militaris, & triumphans Ieruſalem vocatur, ſed ea quæ eſt in terris aſſimilatur illi, quæ eſt in cælis, de qua idem Apoſtolus: *Illa autem quæ ſurſum eſt Ieruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* Oportet enim filias ſimiles eſſe matri ſuæ, pulchroſque mores tantæ matris imitari, cuius pulchritudinem magnificentiſſimè depingit D. Ioannes in Apocalypſi cum ait: *Et ego Ioannes vidi ſanctam Ciuitatem Ieruſalem nouam, deſcendentem de cælo à Deo, paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* Vtraque Ieruſalem noua poteſt vocari & noua Eccleſia; noſtra quidem ob nouitatem gratię expulſa lege veteri, quæ gratiam non conferebat: cæleſtis autem, ob nouitatem gloriæ qua fruitur in triumpho poſt militiam. Vtraque ſancta, & ciuitas Sancti vocatur, atque de cælo deſcendens, ſed non eodem modo. Natura deſcendere dicitur de cælo, quia ex cælo habet ſtatum gratiæ, & virtutũ per quas conformatur ad imaginẽ noui hominis, & cæleſtis Adæ. Altera vero ſolum deſcendere dicitur quando eius gloria ex parte nobis manifeſtatur, ſicut manifeſtata eſt D. Ioanni. Sed vtraque deſcendit à Deo, quia Deus eſt & qui gratiam confert, & qui eam manifeſtat. Addit autem, *paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*, id eſt tanta gloria & maieſtate conſpicuam, quanta decet ſponſam cæleſtis Agni, qui eſt vir eius, & ad ſuam gloriam mirificè ornauit eam. Natura ornata eſt tamquam ſponſa, futura vxor Agni, altera vero multo præcellentius tamquam iam nupta viro ſuo. Vnde de illa quæ in terris eſt dicitur; *decora ſicut Ieruſalem*, ſcilicet quæ in cælis eſt, non per æqualitatem, ſed per ſimilitudinem, & proportionem.

Ad Hebr. 12. v. 22. Niſſenus hom. 15. in Cant. D. Greg. hom. 8. in Ezech. 1. Ad Galat. 4. v. 26.

Apoc. 21. v. 2.

C Deſcribit autem Ioannes gloriam illius dicens muros eſſe ex iaſpide, portas ex ingentibus margaritis, fundamenta ex pretioſiſſimis gẽmis, plateam ex auro puriſſimo inſtar vitri pellucidi, & ipſam Dei claritatem illuminare eã; multaque alia præclara refert quæ longum eſſet recenſere, & explicare. Id autem nobis incumbit vt iuxta meritem ſponſi hanc canentis laudem, mente reuoluamus pulchritudinem cæleſtis Ieruſalem & beatorum eius; nimirum munditiam, ſanctimoniam, ſtabilitatem, pacem, Dei lucidiſſimam cognitionem, & ardentiſſimum amorem, vnionem ſanctorum inter ſe, & cum dilecto ſuo, eius

2.

eius ſe conformantes voluntati: quæ cum meditati fuerimus ad eorum imitationem aſpiremus, vt & noſtra conuerſatio ſit in cælis per contemplationem, & regnum cæleſte ſit intra nos in terris per participationem, & imitationem beatorum, facientes Dei voluntatem in terris ſicut ab illis ſit in cælis, & tunc aptè dicetur de ſingulis, *Pulchra es amica mea, ſuauis & decora ſicut Ieruſalem*, quia ipſorum Angelorum imitaris modeſtiam, caſtitatem, munditiam, obedientiam, fortitudinem & contemplationem ac pacem. Quatuor autem laudis nomina præmittit, cum vocat pulchram, amicam, ſuauem, & decoram; in quibus ipſi aſſimilatur Ieruſalem, comprehendens ſub illis omne genus virtutis & actionis quæ animam reddit Deo gratam. D. Gregorius hæc refert ad omnia præcepta, conſilia, & opera quæ docent quatuor Euangelia; alij ad quatuor Virtutes cardinales, in quas cæteræ rediguntur; alij ad fidem, ſpem, charitatem, & religionem. Aut fortè pulchra dicitur per gratiam, amica per charitatem, ſuauis per mãſuetudinem, & affabilem cum proximis conuerſationem; decora per morum elegantiam, & externam modeſtiam, ac grauitatem, anhelans ſemper ad ſupernorum ciuium imitationem, quæ ſurſum ſunt ſapiens, quæ ſurſum ſunt quærens, non quæ ſuper terram. Vnde quater in fine huius capitis ſexti ei dicitur: *Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere vt intueamur te.* Sulamitem vocant, id eſt pacificam, & Ieroſolymitam ciuem, cuius pulchritudinem & maieſtatem admirantur, deſiderantes eam intueri, & eius ſpecioſitate, amicitia, ſuauitate, & decore frui, vt ſuo loco dicetur.

Cant. 6. v. 12.

Elucidabitur hoc amplius ſi hanc laudem aptemus congregationi religioſæ, quæ inſignis eſt Eccleſiæ pars, & per comparationem ad cæleſtem Ieruſalem optimè declaratur vt egregiè docet D. Baſilius de Religioſis loquens in hunc modũ: Ad horum tam præclari negotij magnitudinem exprimendam, quæ ſatis idonea inueniri in terris ſimilitudo poſſit? Sed ea in terris nulla eſt, ſola cæleſtis relinquitur. Merito ergo de ea dicitur quod ſit pulchra, ſuauis, & decora ſicut Ieruſalem. Dictio autem, ſicut Ieruſalem, ad tria præcedentia epitheta refertur, quę religioni ratione trium votorum optimè conueniunt. Eſt enim pulchra ſicut cæleſtis Ieruſalem propter votum caſtitatis, quæ magna eſt eius pulchritudo iuxta illud: *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate! Immortalis enim eſt memoria illius.* Et quare immortalis, niſi quia ſimilem efficit immortalibus ſpiritibus qui degunt in cælis, ſicut ſcriptum eſt: *In reſurrectione non nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Deinde eſt ſuauis, miris & affabilis ſicut Ieruſalem cæleſtis, propter paupertatem ſpiritus & omnium rerum temporalium renunciationem. Vnde ſuauitas, pax, & tranquillitas mentis prouenit ad ſimilitudinem Angelorum in cælo. Nulla (inquit D. Baſilius) eſt inter Angelos lis, nulla contentio, nulla controuerſia; ſed cum habeat quiſque quæ omnium ſunt, omnes tamen apud ſe integras ſuas diuitias conſeruant. Siquidem nequaquam materia quæ circumſcribi poſſit, Angelorum diuitiæ ſunt, &c. Summi enim boni contemplatio & virtutum luculentiſſima cognitio, Angelorum theſaurus eſt. Per votum igitur paupertatis religioſa Congregatio ſimilis ſit Angelis, quia relictis temporalibus diuitiis & cupiditatibus, quæ omnis litis &

3. De Religioſo ſtatu & eius votis.

De conſtit. monaſt. c. 19.

Sap. 4. v. 1.

Matth. 22. v. 30.

Vbi ſupra.

amaritudinis origo ſunt, ſolas virtutes quibus Deus colitur ſuas æſtimat diuitias, & inde omnibus ſit ſuauis & grata. Præterea decora eſt moribus ſicut cæleſtis Ieruſalem propter votum obedientiæ, quo propriam exuit voluntatem vt diuinam expleat in terris ſicut in cælis, cæleſtiſque Adam imbuat ingenuos mores. Quod adhuc amplificat verſio Lxx. ſupra citata: *Pulchra es proxima mea, ſicut beneplacitum*, quo denotatur tum eminens ſimilitudo quæ inuenitur inter religioſam Congregationem, & Chriſtum qui appellatur beneplacitum, tum vero ſtudium feruens illius, vt per obedientiam diuino beneplacito ſe totam tradat: eius enim profeſſio eſt Chriſtum perfectè ſequi, & illius obſequio ſe mancipare.

A

De hoc §. 2.

Denique in ipſa ciuitate Ieruſalem quæ plurium beatorum congregatio eſt cum ſumma vnione eidem Dei voluntati nitente, mirè etiam ſplendet religioſa vnio per quam omnes vno corde & vna anima Deum laudant, & ſibi inuicem auxiliantur, vt facilius cæleſtium bonorum poſſint eſſe participes. Hi namque (ait idem Sanctus) dum laudabili viuendi ratione ſua, communitareque cæleſtis vitæ ac ſtatus egregiè formam effingunt, futura promiſſi regni bona præripiũt: vnde etiam magna oritur fortitudo contra vitia & hoſtes vt ſeipſos tueantur ſicut mox dicemus. Ex his deducitur cum eodem D. Baſilio, elegans ſtatus religioſi deſcriptio, vtramque ſimilitudinem Ieruſalem, & beneplaciti, quod eſt Chriſtus, comprehendens: Eſt (inquit) tranſcriptio cordis ab humano viuendi ritu ad eũ qui in cælis eſt: & quod eſt omnium maximum, ſimilitudinis, quam cum Chriſto habere debemus, initium. Quod fusè proſequitur.

Vbi ſupra.

B

De pulchritudine ad ſimilitudinem ſanctæ Eccleſiæ, vel religionis in qua degimus. §. 4.

C Tandem nõ diſſonum eſt hæc verba vnicuique animæ applicare, intelligendo per Ieruſalem vel ipſam Eccleſiam militantem à Chriſto fundatam, vel religioſam familiam cum ſuo proprio inſtituto ab eodem erectam. Quælibet enim anima fidelis vel religioſa deberet in ſe referre Eccleſiæ, & religionis totam ſanctitatem, vt talis ſit vnaquæque, qualis eſt ſancta Eccleſia, vel ſancta Religio iuxta leges & regulas à Chriſto eis traditas, meritoque dicatur pulchra, ſuauis & decora ſicut Ieruſalem, cuius pars eſt, & in qua degit conformans ſe exemplari, de quo D. Paulus ait Chriſtum exhibuiſſe ſibi *glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata.* Quod de Eccleſia militante propter clariſſimos eius ſanctos etiam intelligi poteſt; quibus vnuſquiſque deberet aſſimilari: ita vt non degeneret à pulchritudine, ſuauitate, ac ſpiritali ſanctimoniæ decore quã Eccleſia & Religio profitetur, ſed potius ſit ipſius quoddam viuum exemplum, & tamquam ciuitas quædam Ieruſalem ſupra montem poſita, vt ab omnibus conſpiciatur, eoſque ad intrandum prouocet, vt illi aggregentur, eiuſque leges profiteantur.

1.

Ad Epheſ. 5. v. 27.

D

Huius egregium ſymbolum eſt quod Dominus Ezechieli præcepit dicens: *Et tu fili hominis, ſume tibi laterem, & pones eum coram te, & deſcribes in eo ciuitatem Ieruſalem.* Quod D. Gregorius de cæleſti Ieruſalem à concionatore depingenda in terreno corde auditoris, quẽ probe nouit interpretatur; vt myſticus ſenſus ſit: deſcribe & pinge in corde ho-

2. Ezech. 4. v. 1. Hom. 12. in Ezech.

minum qui sub tua cura sunt, pulchritudinẽ, suauitatem, decorem, gaudiũ & sanctimoniã cælestis Ierusalem, vt eam benè noſcant, inprimẽtque illam eorum cordi vt sit quasi quædam viua imago illius per amorem & assimilationem ad beatorum vitam. Quod etiam de terrena Ierusalem, scilicet Ecclesia militante, vel religione explicari potest, ac si dicat; describe in corde fidelium eius pulchritudinem & suauitatem, ac sanctimoniam, ipsiusque leges, præcepta, consilia, & mores, vt benè agnoſcant quam pulchra sit, & immaculata sine graui sorde, quam suauis & dulcis imponens iugum suaue, & onus leue, quam decora & venusta moribus, verbis, & factis; hæc cordi imprime vt impleas quod ego promisi: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Hoc proprium concionatoris est munus. Sed quia prius hanc Ierusalem in corde suo descriptam habere debet, vt quod alios docet, proprio experimento didicerit, ideo sponsus dilectam suam, quæ hoc munus obierat, laudat quia facta est viua quædam Ierusalem, pulchra, suauis, & decora sicut illa; quasi monens vt filias Ierusalem socias suas ad eamdem similitudinem procurandam exhortetur.

Ierem. 31. v. 33.

3. Nec tamen sine mysterio Dominus non præcepit Prophetæ sumere laminam auream, vel argenteam, aut æream, sed lateritiam, vt meminerimus habere nos thesaurum gratiarum & donorum cælestium, *in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.* Oportet enim vt iustus quo pulchrior, suauior, & speciosior est sicut Ierusalem, eo etiam sit humilior, & suum puluerem ex quo factus est, & in quem est reuertendus, agnoſcat, ne accepta dona perdat. Alioqui dicetur illi, *quo pulchrior es, descende & dormi cum incircumcisis.* Nam quo pulchrior, eo per superbiã fit peior, & de sua sublimitate cadens inter infideles computatur. Sicut de superba Ierusalem dicitur: *Perfecta eras in decore tuo, quem posueram super te dicit Dominus Deus; & habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo*, id est, de nomine tuo & virtute tua te iactans receſſisti à me.

2. Cor. 4. v. 7.

Ezech. 32. v. 19.

Ezech. 16. v. 14.

4. Sed ne animo cadamus, præcepit Dominus sumere laterem qui terra est vehementi igne excocta & indurata, ad significandum animam per ignem diuini amoris, & contritionis ita decoqui, quod passionum suarum humiditate & mollitie consumpta, fiat fortis & dura ad agendum & tolerandum quidquid pro viua virtutum imagine conseruanda oportuerit, & etiam ad reſistendum hostibus impugnantibus illam qui plures sunt & fortes. Nam propter hoc mox vocatur, *terribilis vt castrorum acies ordinata.* Sed hoc longiorem exigit exhortationem. Hanc concludamus, monentes vt hanc pulchram & decoram imaginem in cordibus noſtris portemus humilitati coniunctã, sic enim ipsa nos tuebitur virtute Christi, cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EXHORTATIO II.

De inuicta fortitudine instar aciei benè instructæ, tum contra hostes vbique impugnantes, tum maximè in oratione etiam erga Deum ad rapiendum sibi eius cor & dona.

Pro Cathedra S. Petri in id, Portæ inferi non præualebunt aduersus eã. Et pro feria 2. Rogationum.

Terribilis vt castrorum acies ordinata.

Verſ. 3.

Auerte oculos tuos à me quia ipsi me auolare fecerunt.

Verſ. 4.

AMPLIFICAT sponsus & perficit laudem subijciens, *terribilis vt castrorum acies ordinata.* Vox *terribilis*, in scriptura aliquando idem est quod admirabilis & venerabilis, sicut cũ Iacob dixit: *quam terribilis est locus iste! Non est hic aliud niſi domus Dei & porta cæli.* Aliquando vero idẽ est quod pauorẽ & terrorẽ incutiens, & vtroque modo hic potest sumi. Est enim castrorum acies ordinata pulchra valde, & spectabilis, quia militum præfulgidis decoratur armis, instructisque ordinibus; ac speciosis vexillis est iucunda saltem amicis. At hostibus est terribilis, seu terrorem incutiens. Sponsa igitur prædicatur terribilis, tũ ob eius eximiam gratiam & maiestatem; tum etiam ob maximam qua pollet vim ad suam pulchritudinem protegendã. Commendatur autem Ecclesia à tribus, nimirũ à multitudine & varietate militum decertantium; ab vnione, & concordia ipsorum, & ab inuicta quæ inde prouenit, fortitudine. Propter quæ terribilis nuncupatur. Est quidem Ecclesia vna acies sub vnius Imperatore Christo militans; eius vexillum ferens: Vnde loco nominis ordinata, in Hebræo habetur *vexillata*; nam vexillum sequitur acies, & eo signo ab hostium exercitu condistinguitur. At licet vna acies sit, continet tamen plura castra, pluresque militum exercitus magno ordine dispositos, qui infra vocantur chori castrorum, nempe ordinem Cõtinentium, & Virginum, vel Coniugatorum, castra Martyrum, & Doctorum, atque Præsulum, & Sacerdotum: & quot sunt Religiosorum instituta, tot sunt etiam huius aciei castra.

Genes. 28. v. 17.

Cant. 7. v. 4.

De fortitudine contra hostes impugnantes vbique. §. 1.

SEd ad quid in hoc encomio, vltimo loco addit sponsus dilectam suam terribilem esse vt castrorum aciem ordinatam? Profecto vt insinuaret animam quo pulchrior est, suauior, & magis decora sicut Ierusalem, eo vehementius ab hostibus obsideri, & impugnari, vt eius pulchritudinem & decorem penitus exterminẽt. Quare summa eius laus est contra eos esse præmunitam, ac terribilem vt castrorum aciem ordinatam. Insinuauit hanc pugnam Dominus cum Ezechieli (sicut notat D. Gregorius) post depictam Ierusalem in latere dixit: *Et ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro:* id est, describes etiam in eo obsidiones, hostium castra, eorum varias machinas, vt eam expugnent; quia certum est ab internis & externis hostibus tentandam, & oppugnandam; sicut scriptum est,

Ezech. 4. v. 2. Hom. 12. in Ezech.

Fili

Eccles. 2. v. 1. *Fili accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Tunc autem præparat, quando militum aciem sufficientem congregat, vt possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se. Quia igitur sponsa Christi valdè erat præparata vt suam contra hostes tueretur pulchritudinem, meritò vocatur, *terribilis vt castrorum acies ordinata*, contra quam portæ inferi, & potestates mundi non poterunt præualere, sed ipsa potius eis terrorem incutiet.

Lucæ 14. v. 31.

Matth. 16. v. 18.

At quid sponsæ cum castrorum & militum acie? vbi arma militiæ? vbi in debili femina vsus armorum contra truces milites, & gigantes fortes? Quomodo terribilis, quæ pulchra & suauis, ac desiderabilis prædicatur? Sed si ad spiritum sub hac litera latentem attendas, omnia mire sibi constant. His enim qui ex propria natura fragiles sunt, Angelicam potest Deus conferre fortitudinem, & arma ad pugnandum contra spirituales hostes validissima: *In carne ambulantes* (ait Apostolus) *non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, &c.* Et rursus cum dixit non esse nobis colluctationem aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates tenebrarum harum, subdit: *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare: state ergo succincti lumbos, &c.* Mox diuersa armorum genera commemorat, quæ per scutum, galeam, & gladium significantur, quibus armata sponsa sit terribilis inimicis suis, & expugnat illos; nec tamen minus validiora arma sunt ipsa eius pulchritudo, suauitas, & decor virtutum, in quibus potissima sanctorum fortitudo sita est, sicut & ipsius Christi, de quo dicitur: *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna.* Præterea hæc terribilis fortitudo non tam prouenit à militum numero, quam ab ordine, vnione, & cõcordia quam præstat Christi charitas, & vnio fraterna: de qua scriptum est vt suo loco diximus: *Ordinauit in me charitatem*, seu, *vexillum eius super me charitas.* Sicut enim in exercitu necessaria est multitudo militum ad expugnandam multitudinem innumeram hostium, sed nihil hoc prodesset, si desit ordo, & vnio ipsorum inter se, & ad ducem suum integra obedientia: ita necessaria est in Ecclesia varia fidelium multitudo in diuersis statibus degentium, vt contra hostes inuisibiles, & visibiles dimicent. Ceterum nisi charitas fraterna, & obedientia ad Christum, eiusque in terris Vicarium eos conciliet, prælualere contra hostes non valebunt. Necessariæ item sunt in qualibet pia anima multiplices virtutes tamquam milites ad præliandum contra vitia; & quot sunt virtutes quasi capitales vnde aliæ oriantur, tot sunt chori castrorum eam circumdantes: tamen nisi charitas, quæ vinculum est perfectionis, eas vniat & cõnectat, fortitudo earum facilè ab hostibus dissipabitur.

2. Cor. 10. v. 3.

Ad Ephes. 6. v. 13.

De his actũ est in illud Cant. 4. v. 5 *Mille clypei pendẽt ex ea omnis armatura fortium.*

Psal. 44. v. 5

Cant. 1. v. 4.

Explicat hoc egregiè D. Gregorius ex dicta similitudine in hunc modum. Constat quia castrorum acies tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constipata, atque densata, vt in nullo loco interrupta videatur. Nam si ita disponitur vt locus vacuus, per quem hostis possit ingredi, dimittatur, profecto iam suis hostibus terribilis non est: & nos ergo cum contra malignos

Hom. 8. in Ezech. De hoc verùm in exhort. §. 3.

spiritus spiritalis certaminis aciẽ ponimus, summopere necesse est, vt per charitatem semper vniti, atque constricti, numquam interrupti per discordiam inueniamur: quia si quælibet bona in nobis operata fuerint, si charitas desit, per malum discordiæ locus aperitur in acie, vnde ad feriendos nos hostis valeat intrare. Antiquus vero hostis castitatem in nobis, si sine charitate fuerit, non timet, quia ipse nec carne premitur vt eius luxuria dissoluatur: abstinentiam non timet, quia ipse cibo non vritur, & necessitate corporis non vrgetur, &c. Valdè autem in nobis charitatem veram, id est amorem humilem quem nobis vicissim impendimus, timet, & nimis concordiæ nostræ inuidet, quia hanc nos tenemus in terra quã ipse tenere non valens, amisit in cælo. Benè ergo dicitur: *Terribilis vt castrorum acies ordinata*, quia electorum multitudinem eo maligni spiritus pertimescunt, quo per charitatis concordiam munitos contra se & conglobatos aspiciunt. Hæc fusè prosequitur D. Gregorius. Et fusius nos prosecuti sumus circa illud: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.*

Cant. 1. v. 8. Lib. 3. exhort. 20.

Sed adhuc increscit similitudo, si per castrorũ aciẽ ordinatam intelligamus militiam cælestem, & nouem Angelorum choros, qui summa inter se concordia, & ad Deum humili subiectione inuictam retinent fortitudinem dæmonibus formidabilem. Hæc acies ostẽsa est quondam Iacob, cùm dixit: *Castra Dei sunt hæc.* Et Elisæo cum ait: *Plures nobiscum sunt quam illis: & ecce mons plenus equorũ, & curruum igneorum in circuitu Elisæi.* Et in Euangelio legitur: *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum*, vt possemus dicere de Bethleemitico pago, *quid videbis in Sulamite*, aut in Sunamite, id est vili & despecta, *niſi choros castrorum*, seu militum cælestium Deum laudantiũ? De Ecclesia igitur & sancta anima vt D. Nyssenus ait, conuenienter dicitur: *Terribilis vt castrorum acies ordinata.* Id est sicut Angelorum acies à Deo instructa, quoniã eorum imitatur vnionem & obedientiam: vnde etiam terribilem contra hostes habet fortitudinem, adiuuãtibus eam sanctis Angelis, quos ipsius Deus constituit custodes. Simili modo explicuimus supra alteram similitudinem: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te*, nempe Angelico equitatui qui terribilis est & formidabilis potentatibus qui per currus Pharaonis designantur.

Genes. 32. v. 2. 4. Reg. 6. v. 16. Lucæ 2. v. 13 Vide infrà exhort. 10. vbi plura de hoc. Vbi suprà exhort. 20. §. 5.

Eleganter hoc D. Basilius applicat congregationi Religiosorũ propter mutuam eorum vnionem in pugna: Nihil (inquit) insidiarum adoriri audet aduersus huiusmodi phalangem diabolus, vt qui vnus aduersum tot agonistas parem intelligit se esse non posse, adeo expedite, adeoque confertim contra ipsum militantes, & charitate veluti acta testudine alij alios tantopere proregentes, spirituque consepientes, vt ne vel tantillum loci detur irrependi illius assultibus.

De const. Monast. c. 19.

De fortitudine Ecclesiæ & sanctæ animæ in oratione & contemplatione. §. 2.

Pro feria 2. Rogationũ.

QVamuis autem militia sit vita hominis super terram, vt beatus Iob testatur, quod omnem eius vitam, siue actiuam, siue contemplatiuam, & vtriusque studia comprehendit, tamen peculiari ratione hanc militiam exercemus in oratione & contemplatione, tum aduersus hostes

Iob 7. v. 1.

eam peculiariter impugnantes, tum vero erga ipsum Deum, quem in ea modo quodam mirabili oppugnamus, vt eum vincere possimus, & vtraque ratione vocatur Ecclesia & anima sancta, *Terribilis vt castrorum acies ordinata.* Et de ea dicitur, *quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Cant. 7. v. 1.

1. Lib. 2. de instit. renunt. c. 10.

Etenim (vt probè ait Cassianus) licet diabolus sit nobis semper infestus, tunc maximè adsistit infestior cum cõtra se offerre nos preces Domino velle peruiderit, cogitationibus seu diuersis humoribus excitatis abducere mentem nostram à supplicationis intentione festinans; imò vt dicit D. Nilus, vniuersum bellum quod contra nos diabolus gerit ad hoc tendit vt spiritualem impediat orationem & fructum eius. Contra quem tamen viriliter pugnare oportet, & omnium virtutum aciem congregare ad resistendum variis eius tentationibus, scit enim hostis potentissima arma ad expugnandum ipsum præcessisse: est enim genus dæmoniorum, *quod non ejicitur nisi in oratione, & ieiunio.* Vnde D. Paulus recensetis variis armorum generibus, quorum iam mentionem fecimus, subdit statim: *Per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione, &c.* Vbi tamquam validissima arma vltimo loco recenset orationes, & obsecrationes atque vigilantiam circa illas, quas tamen diabolus euertere curat & infirmare ne ipsum lædant: at sancta anima ita contra ipsum inuehitur, tantaque vigilantia & feruore orat, vt terribilis & formidabilis hostibus fiat, nec ad illam accedere audeant, sed à longè stent quasi pauore perterriti, quod Lxx. versio explicat dicens: *Pauor vt ordinata*, feruor enim orantis pauorem incutit hosti, & longè repellit. Verè (inquit D. Chrysostomus) cœlestis est armatura deprecatio, quæ Deo funditur, solaque firmam custodiam præbet iis qui sese Deo tradiderunt. Deprecatio armatura est inexpugnabilis, ac tutissimum, nec vmquam fallens munimentum, pari facilitate vel vnum repellens militem, vel innumerabilium hostium millia. Tunc igitur anima terribilis erit vt castrorum acies ordinata, quando omne genus orationis in se ordinat & disponit. Tot enim tela ignea iacit contra hostes quot petitiones, quot obsecrationes, quot affectus, quot gemitus, quot vota Deo feruenter offert.

Matth. 17. v. 20. Ad Ephes. 6. v. 18.

Lib. de orat. c. 48.

Lib. 1. de orando Deum.

2. Hæc autem fortitudo contra hostes originem habet ex eo quod etiam est, *Terribilis vt castrorum acies ordinata* erga ipsum Deum, quem vehementer oppugnat, & quasi cogit iram deponere, atque elargiri veniam, vt petita dona obtineat, eiusque cor ad se rapiat: sed quibus armis impugnat? Profecto ipsamet pulchritudine, & suauitate virtutum, quæ animam constituunt decoram sicut ciuitatem Ierusalem, & terribilem sicuti aciem benè instructam. Dixerat sponsus: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Accedit sponsa ad illum, pulchra facie, decoris moribus, & omnibus virtutibus ornata: accedit voce dulci & suaui, innumeras ei rationes proferens in oratione, ob quas eam exaudire debeat, ex diuinis perfectionibus, ex meritis, & satisfactionibus Christi, & ex propriis indigentiis collectas, ex iis omnibus fit quædam acies ordinata ita terribilis & potẽs, quod ipsum Deum vinciat, superet, & ad se alliciat: adeo vt Moysi oranti dixerit: *Dimitte me vt irascatur furor meus*: ab eius enim precibus quasi vinctum se pu-

Cant. 2. v. 14.

Exod. 32. v. 10. Cant. 2. v. 4

A tabat. Sicut enim suprà diximus, Deum, cum animam in cellam vinariam introducit, & in ea ordinat charitatem, ordinare versus illam aciem charitatis suæ, nimirum aciem suarum perfectionum & beneficiorum ea illi manifestando, vt eam expugnet, & cor eius per amorem ad se rapiat: ita etiam ipsa anima vicissim erga ipsum Deum ordinat aciem charitatis, virtutum & affectuum suorum, obsecrationum, ac rationum omnium quæ Dei possunt mouere voluntatem, vt eum flectat, & benè erga se affectum reddat, eiusque cor & dona sibi possit arripere, vt inde fortior contra hostes egrediatur.

Quod alibi explicuimus exemplo Iacob luctantis tota nocte cum Angelo, qui teste Osæa: *Inualuit ad Angelum, & confortatus est. Fleuit, & rogauit eum.* Id est, suis lachrymis & precibus flexit illum, & quasi superauit, vt quod poscebat, elargiretur ei. Et ideo vocatus est Israël, id est, fortis

Genes. 32. v. 24. Oseæ 12. v. 4.

B 3. contra Deum.

Sed aliter hoc explicandum est in vniuersa Ecclesia, ac in qualibet pia anima. Etenim corpus mysticum Ecclesiæ terribile est vt castrorum acies ordinata, quando omnes eius chori, & sanctorum ordines tamquam vna acies ad Deum preces fundunt, suisque precibus Deum inflectunt, vincunt, & ad exaudiendum quasi compellunt. In hac autem acie non solum militant viri, sed feminæ; non tantum fortes, sed debiles, senes, & pueri, qui cum vnanimiter orant, terribiliter aduersus Deum pugnant, & eius misericordiam pia quadam vi extorquent. Nam vt egregiè ait Tertullianus; corpus sumus de conscientia religionis, & disciplinæ vnitate, & spei fœdere, conuenimus in cœtum, & congregationem vt ad Deũ quasi manu facta precationibus ambiamus

In Apolog. c. 39.

C orantes. Hæc vis Deo grata est. Sic ille. Nonne terrifica fuit Apostolorum vnanimis oratio, ad quam terra tremuit, & cœlum emisit Spiritum Dei sanctum? *Et cum orassent* (inquit) *motus est locus in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Numquid non terribilis fuit Moysis precatio & formidabilis Amalecitis, qui dum ille orando manus eleuaret, vincebantur; vincebant autem si manus deposuisset, & ab oratione cessasset? Quid terribilius illa voce & prece quæ solem & lunam ac stellarum exercitum in cælo stare fecit? Dixerat Deus sancto Iob: *Concentum cæli quis dormire faciet?* Cui respondere possumus, oratio illum fecit dormire, obediente Deo voci hominis.

Act. 4. v. 31. Exod. 17. v. 11. Iosue 10. v. 12. Iob 38. v. 37 Matth. 18. v. 9.

Terribilis ergo est oratio Ecclesiæ, quæ ipsi Deo vim inferre potest, etsi propriè hanc vim sibi ipsi Deus inferat cum orandi spiritum ei præbet, eo quod vbi sunt duo vel tres in nomine Christi congregati ad orandum, ipse est in medio

D eorum, orandi vim præbens, & efficaciam. Etsi autem in Ecclesia aliqui sint imbecilles, & imperfecti, tamen ex eo quod sanctioribus coniungun-

Hom. 3. de incõprehensibili Dei natura.

tur vna fit omnium oratio, terribilis vt castrorum acies ordinata. Quare communis oratio (vt inquit D. Chrysostomus) multum præstat priuatæ, quia in illa est plus aliquid, videlicet concordia, conspiratio, copula amoris & charitatis, & sacerdotum clamoris. Præsunt enim ob eam rem sacerdotes, vt populi orationes quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexæ in cælum euehantur: idque confirmat exemplis tum orationis factæ ab Ecclesia pro liberatione Petri, quem Herodes vinctum in carcere tenebat: tum totius ciuitatis Niniuæ, cum à Deo indulgentiam

Act. 12. v. 5.

gentiam efflagitauit. *Et ego* (inquit Dominus) *non parcam Niniuæ ciuitati magnæ, in qua sunt plus quam centum viginti millia hominum.* Non absre, ait Chrysostomus, amplum populi numerum proponit, sed vt intelligas plurimum eam pollere orationem quæ cum consensu agitur, & iugi concordia plurium hominum.

Ionæ 4. v. 11

Quæ diximus de vniuersa Ecclesia, etiam de anima eximiè sancta intelligenda veniunt, quæ dum orat terribilis est vt castrorum acies ordinata; quoniam exercitus virtutum eam fortem & potentem reddit, tum contra hostes, tum ad vim inferendum Deo precibus suis propter virtutum concordiam quæ ad orandum & pugnandum conueniunt, vt merito etiam de illa dicamus: *Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum?* Id est, ordines virtutum canentium, & pugnantium, quæ simul orant & militant, & de vitiis & hostibus triumphant, & quodam modo ipsum Deum vincunt, & ad se trahunt. Quadrat in illam quod Ecclesiasticus inquit de luna: *Vas castrorũ in excelsis, in firmamento cæli resplendens gloriosè*: Anima enim quæ pulchra est vt luna & in cælo magna cum gloria splender, est velut vas castrorum, id est habet apparatum bellicum instar castrorum pulchrè ordinatum, virtutes enim sunt armatura & apparatus militaris, quæ pulcheam simul & fortem animam cõstituunt. Vnde paulò pòst dicitur, *quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol?* Postea vero subditur, *Terribilis vt castrorum acies ordinata.* Eo quod terribilis animæ fortitudo vt diximus, ex virtutis pulchritudine procedit, cui adhæret Christus vt auxilietur ei, iuxta id quod inquit: *Vbi sunt duo uel tres cõgregati in nomine meo, ibi sum in medio eorũ.* Id est (sicut D. Hieronymus & Ambrosius interpretantur) cum hæc tria, corpus, anima, & spiritus vniũtur per virtutes ad orandũ, ego sum medius inter illa. Hinc autẽ iusti corpus est velut aurora, anima vt luna, spiritus vt sol; eorũ autẽ vnio reddit eũ terribilem vt castrorum aciem ordinatam.

Eccles. 43. v. 9. Alij tribuũt hoc vniuersis astris quæ cæli militia nũcupantur. Cant. 6. v. 9. Matth. 18. v. 20. in Matth. 18. Lib. 7. in c. 13. Lucam. 1. ad Thessal. 5. v. 23.

C

Quomodo anima in contemplatione rapiat ad se cor Dei, & qua cautela procedere debeat. §. 3.

1. Ex D. Ambros. lib. de Isaac, c. 7.

HInc postremum eleganteque deducemus huius encomij sensum, ac si sponsus dicat, non solum es terribilis impiis & impuris hominibus quibus terrorem & pauorem incutis, sed etiam mihi terribilis es quia iaculis pulchritudinis tuæ, & sagittis oculorum tuorum configis cor meum & expugnas, iugoque tui amoris subdis. Dixerat illa: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*, quia tota sum ipsius, & ille se totum dedit mihi. Respondet ille; ita est dilecta mea, quia pulchritudo tua, suauitas & decor tuus, tamquam terribilis acies me deprædata sunt, me totum mihi eripuisti & transtulisti in te, vt iam tuus sim: si autem sponsæ pulchritudo ad se rapit cor Dei, quid quod rapiat dona eius, & precibus suis vim inferat ei vt elargiatur illa? Plura de hoc diximus superius circa illa verba capitis primi & quarti: *Pulchræ es amica mea, oculi tui columbarum*: &, *vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Vbi oculos columbarum depredatores esse diximus.

Cant. 1. v. 14 Cant. 4. v. 1. & 9. Lib. 4. exhort. 11. & 12. §. 1. Et lib. 7. exhort. 1. 2.

D

Confirmant hoc sequentia verba sponsi præcedentibus connexa, *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* Ac si diceret, tam eximia est pulchritudo tua, & decor tuus, vt pulcherrimi & columbini oculi quibus me aspicis, me auolare faciant extra me. Antea, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & quasi excordiasti me, seu abstulisti mihi cor, nunc autem cum vtroque splendidissimo oculo me aspicis, splendorem tuũ quasi ferre non valeo, & videor auolare à me, & extra me esse: ideoque inducias peto, vt tantisper donec respirem, illos tegas. Hyperbole est hæc, non quod velit vt oculos auertat, sed vt eorum pulchritudinem exaggeret. Alij legunt: *Quia ipsi me superauerunt*, vel, *superbire fecerunt.* Id est, in quandam me eleuant superbiam, quod tam pulchram, suauem & decoram habeam sponsam: hoc autem ait ad significandum se nimis de eius pulchritudine gloriari iuxta illud: *Seruus meus es tu Israel, in te gloriabor.* Et iterum: *Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem*: Id est, efficiam vt sis adeo pulchra & glorioſa, qua ego ipse in æternum superbiam, & gloriari possim, & qua cunctæ gaudeant sanctorum generationes.

Isai. 49. v. 3. Isai. 60. v. 15

Perpendendum est tamen sponsum, vt moris eius semper est, post generale encomium pulchritudinis dilectæ suæ, cum ad peculiares laudes descendit ab oculis inchoare, quos tunc sponsa coniectos in ipsum seruabat, vt post tam longam absentiam & laboriosam inquisitionem eius frueretur conspectu. Huiusmodi autem oculi & intuitus qui fixam & stabilem contemplationem indicant, valdè grati sunt sponso, & ideo sæpius horum oculorum laudes inculcat, & nunc adeo esse splendidos & pulchros dicit vt vix eos sustinere valeat. Ad hunc autem splendorem contemplationis anima ascendit cum pulchra est, & amica, suauis & decora sicut Ierusalem, & terribilis vt castrorum acies ordinata. Post acquisita enim dona quæ prædictis metaphoris significantur, clarescunt & pulchri fiunt interni oculi animæ contemplantis, vt ipsum Deum non solum vulnerent, sed quasi extra se euolare faciant. Cetera in locis citatis videantur.

Ad Rom. 12. v. 3.

Lib. 4. exhort. 11. §. 2.

Vide D. Bern. serm. 4. in Psalm. Qui habitat.

Solum perpendamus sponsum præuidentem triplex damnum emergere posse ex eo quod intentissimis oculis sponsa eum intueretur, vt ea præcaueret dixisse ei: *Auerte oculos tuos, &c.* Primum est alicuius præsumptionis, vel curiositatis plus nimio Dei maiestatem perscrutando; propter quod auolet & iterum eam relinquat, sicut & reliquit, cum ignauiter ad ei aperiendum surrexit. Ideoque ait: placent quidem mihi oculi tui quibus me intueris, sed auerte paululum eos à me ex humilitate, quia expedit tibi, *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*: Alioqui oculi tui auolare me fecerunt, id est, certissime facient auolare, sicut auolo & fugio ab oculis nequam. Hunc sensum fusè prosecuti sumus in lib. 4. plures oculos nequam referentes.

Alterum damnum emergere solet nimiæ defatigationis & læsionis corporalis, quamdiu viuimus in carne hac mortali, & fragili, quæ non parum læditur ex vehementi & sublimi contemplatione, in qua anima ita rapitur ad Deum vt videatur corpus deserere, & corpus incipiat languescere & ægrotare: vnde etiam contingit quod deficiente corpore, deficiat etiam feruor spiritus qui in suis actionibus ab eo pendet. Propter quod Deus multoties has cælestes visitationes interrumpit, & abundantiam spiritualium consolationum moderatur, suamque subtrahit præsentiam vt corpus vires resumat: ait ergo, auerte parumper oculos quos ita fixos in me habes, ipsi enim in causa sunt quod ego auolem & me subtraham; moderatè autem me intuens diutius perdurabis,

Tertium damnum esse solet quando anima ni- A
3. mium diuinæ contemplationi intenta ita fixis
Ita D. Greg. lib. 5. Moral. c. 4. oculis intuetur Deum, quod nolit eos auertere vt proximos intueatur, & illis in suis necessitatibus subueniat. Quod maximè noxium esset iis qui ex officio docere, prædicare & regere alios tenentur; ideoque si ipsi ad tempus oculos à contemplatione non auertant vt conuertant ad proximos intuendos facient Deum auolare ab illis, cui valdè hæc incuria displicet, sicut valdè placet proximorum cura, & hoc est quod ait; auerte aliquantulum temporis oculos tuos à me & conuerte ad alios, alioqui auolabo à te, & cum me cõtemplari volueris vix valebis. Hæc tria monita fusè sæpius in superioribus explicita à nobis sunt.

4. Tandem ex eisdem verbis quid sponsa dilecto suo respondeat perpendamus: cum enim humilis esset & obediens, ad eius monita se conformans
Hom. 15. in Cant. vicissim ait illi: *Auerte oculos tuos à me quia ipsi me auolare fecerunt.* Sequemur nunc D. Gregorij Nysseni interpretationem hæc verba sponsæ attribuentis. Et licet reuera sint sponsi, vt ceteri Patres dicunt, tamen accommodatione quadam ea illi tribuemus. Cum enim tot tamque eximias de se laudes audiret, videretque sponsum benignis eã oculis intueri, à quibus tot in ea promanabant dona, & beneficia, exclamans ait: ô dilecte mi, *auerte oculos tuos à me* tãtisper, quia non valeo tantum splendorem ferre, tam præclaras mei laudes audire; deficio præ tui amore, dum tam eximiam contemplor benignitatem & magnificentiam erga me vilissimam ancillam tuam.

Auerte quæso oculos tuos à me ne fortè me faciant superbire; & tot laudibus auditis extollar, & inani præsumptione peream. Malo enim in humilibus stare quam ruere ambulans in magnis & in mirabilibus super me. Denique vasculum cordis mei capere non valet tam vberem consolationum tuarum abundantiam, ne fortè rumpatur, & liquor tam pretiosus pereat, auerte obsecro paululum oculos tuos à me quia me auolare fecerunt, & prope est vt deficiam: quomodo S. Ephræm dicebat; recede Domine aliquantulum à me, quia imbecillitas mea tam grandem nequit sustinere dulcedinem. Et beatus Pater noster Franciscus Xauier feruentissimo amore Dei æstuans, & diuina consolatione superabundans aiebat: sat est Domine, sat est, quasi amplius ferre non valens, iuxta illud: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ quam abscondisti timentibus te!* Vtinam
Psal. 30. v. 20. Domine sic te timeamus & amemus, vt hac tua dulcedine in æternum potiamur. Amen.

v. 4. *Capilli tui sicut grex caprarum quæ apparuerunt de Galaad.*

v. 5. *Dentes tui sicut grex ouium quæ ascenderunt de lauacro. Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.*

v. 6. *Sicut cortex mali punici sic & genæ tuæ absque occultis tuis.*

Hi tres versus habentur in cap. 4. & ibi fusè explanati sunt: nec est quod addamus.

EXHORTATIO III.

De vnitate Ecclesiæ Catholicæ: de tribus fidelium statibus quos continet, & perfectissimum esse qui ad omnimodam spirat vnitatem, in quo supereminet Deipara.

Pro Cathedra S. Petri circa Euang. & pro Dom. 2. post Pascha in id: fiet vnum ouile & vnus pastor.

Sexaginta sunt reginæ, & octoginta cõcubinæ: adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. v. 7. v. 8.

B AMplificat laudem sponsus, dilectã suam omnibus aliis feminis præferens, & vnam ac singularem esse inter omnes. Habebat Salomon cum iuuenis erat, & Deo dilectus, hocque canticum conscripsit, sexaginta vxores præcipuas quæ reginæ vocabantur, & solemni ritu admittebantur ad nuptias, ad thorum, & regimen domus: octoginta vero vxores minus præcipuas & quasi seruilis conditionis quæ concubinæ dicebantur gratia tantum thori & prolis assumptæ: innumeram vero multitudinem Virginum & puellarum quæ domi inseruiebant, vel asseruabantur assumendæ postea in reginas vel concubinas. Sed præ his omnibus dicit esse vnicam sponsam & dilectam suam, sicut vna est columba suo consorti: & hæc vndequaque perfecta, ac sibi vnica & chara, sicut vnica ipsa erat, & C chara matri suæ. Sed iam sub tam crasso cortice latentem spiritum propalemus.

Cum senuit habuit 700. reginas & 300. concubinas. 3. Reg. 11. Genes. 25. v. 5. & c. 30. v. 3. & 9.

De vnitate Ecclesiæ Catholicæ. §. 1.

PRimo igitur hoc ænigmate significatur iuxta sanctorum Patrum sententiam, vnicam dumtaxat esse in mundo Ecclesiam Christi vnice ab eo dilectam, nec esse plures: imo vnicam semper fuisse ab initio mundi vsque modo, licet plures habuerit status in lege naturæ, veteri, & noua, sicut modo etiam plures habet gradus & status fidelium; omnes tamen constituunt vnam Ecclesiam quæ est vnum ouile sicut & vnus Pastor; & vnum corpus mysticum, sicut est vnus Deus, vnus Dominus, vnus mediator & redemptor Christus, vna fides, vnum baptisma, & vna Scriptura sacra. Vbi autem est vnum corpus, vnum debet esse caput visibile sicut & corpus, nempe Romanus D Pontifex Christi Vicarius, iuxta illud: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16. v. 18. Non ait Ecclesias, sed Ecclesiam in singulari: vnus Petrus, vna Petra, vna Ecclesia vnitatem prædicant. Hanc igitur vnitatem confirmat hic diuinus Spiritus dicens: *Vna est columba mea*, constitues discrimen inter ipsum & reges sæculi, maximè ante Euangelium qui plures habebant vxores & reginas, diuersasque contrahebant nuptias: at Deus qui ex costa Adæ non ædificauit plures mulieres, sed vnam; & vnicam dumtaxat voluit eum habere vxorem, de qua singulariter ait: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Sacramentum* Genes. 2. v. 28. *hoc magnum est* (ait Paulus) *ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Ad Ephes. 5. v. 32. Vnam ergo habet Christus sponsam in terra, vnam inquam Ecclesiam, & non plures, & hoc ipsum probat nomen columbæ. Notum enim est columbam vnicum habere consortem &

Ita Orig. hom. 2. in Cant. Vterque Greg. Epiphanius lib. 3. cõtra hæreses; Beda, Anselmus & plures alij Ioan. 10. v. 16. Ad Ephes. 4. v. 4.

& symbolum esse monogamiæ: vt sicut vna vni A
tantum copulatur, ita vnus vir vni vxori; & vnus Christus vni Ecclesiæ.

2. Præterea quia columba Spiritum sanctum indicat, qui in specie columbæ super Christum in baptismo requieuit. Sicut ergo vnus est Spiritus sanctus animas regenerans, & viuificans per baptisma, ita etiam vna est Ecclesia columba ipsius
Ioan. 3. v. 6. ad sui similitudinem progenita, nam ex columba gignitur columba, & quod natum est ex carne caro est, quod natum est ex spiritu spiritus est. Vnde etiam fit quod sicut vnus spiritus vnicum dumtaxat petit corpus quod informat: vnica enim rationalis anima plura non informat corpora. Sic vnus Spiritus sanctus vnam viuificat Ecclesiam, quæ fit vnum corpus. Vnde
3. Ad Ephes. 4. v. 4. vtrumque coniunxit Apostolus dicens: *Vnum corpus, vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* Quare sicut anima non viuificat membrum à corpore suo præcisum, sic nec Spiritus sanctus viuificat infideles, hæreticos, & schismaticos, qui à corpore Ecclesiæ separati sunt.

4. Hinc fit vnam esse Ecclesiam ab vnitate baptismi, qui est vnica ianua per quam intratur in hoc vnum ouile, in hanc vnam domum & vnam arcam, ex eo quod omnes renascantur ex aqua &
Ioan. 3. v. 5. Spiritu sancto. Quamuis autem aquæ sint diuersæ quibus singuli baptizantur, tamẽ vnus & idem spiritus fertur super omnes aquas: idẽ regenerat omnes baptizatos, & idẽmet seipsum infundit illis, vt vno omnes regenerati spiritu viuant, veluti si pluribus corporibus eadẽ infunderetur anima.

5. Vnde etiam vna est Ecclesia ab vnitate cibi & potus, quo cuncta eius membra nutriuntur. Quia non est tantum vnus genere, vel specie sicuti qui
1. ad Cor. 10. v. 3. & 17. eodem genere frumenti & vini vescuntur; nec vnus tantum in figura, & repræsentatione, sicut Hebræi eamdem escam spiritalem manducauerunt, & eumdem potum spiritalem biberunt; sed est vnus re vera idem numero Christus, qui sub diuersis accidentibus sacramentalibus panis & vini nos omnes cibat, & potat, vt vnam Ecclesiam efficiat, iuxta illud Pauli: *Vnus panis vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.* Certum enim signum est vnitatis corporis mystici quod vnicus tantum cibus & potus ab omnibus sit sumendus.

6. Eademque ratione est vna Ecclesia ab vnitate sacrificij quo Deum colit, apud Hebræos enim tantum erat vnicum templum, & vnica ciuitas Ierosolymitana vbi diuersa sacrificia Deo offerebantur: at in lege noua quot vrbes, tot templa; imo vna ciuitas plura templa habet; in omnibus tamen idem omnino incruentum Christi sacrifi-
Malach. 1. v. 11. D cium offertur: *In omni loco* (inquit) *sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Non oblationes, sed vna oblatio à Sacerdotibus, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech qui panem & vinum offerebat: & vnicus
Genes. 14. v. 18. fuit, nec vllum legitur habuisse successorem vt Christum vnicum Sacerdotem nostrum perfectissimè repræsentaret.

7. Est etiam vna Ecclesia ab vnitate eiusdem legis Euangelicæ, quam obseruat radicata in charitate, & vnione fraterna, quæ membra inter se connectit, à qua vnione corpus vnum dicitur. Vnde
Ioan. 17. v. 21. nihil ita Christus discipulis suis commendauit, ac vnionem istam; nihil ita instanter à Patre pro illis petiit quam hanc vnionem, vt multitudinis credentium esset cor vnum, & anima vna, ac hæc esset potissima eorum nota si dilectionem haberent ad inuicem, si vnionem mutuam conseruarent. Propter quæ merito inquit sponsus, *Vna est columba mea.* Etsi enim plures contineat columbas, omnes sunt velut vna columba, in eodem manens columbario, in foraminibus eiusdem petræ, in cauerna eiusdem maceriæ, & sub protectione eiusdem Christi crucifixi.

8. Hinc fit vnam etiam esse Ecclesiam ab vnitate perfectionis quam intendit, propter quod ait: Ita docet D. Tho. 2. 2. q. 184. ar. 1. *Vna est perfecta mea.* Cum enim perfectio sita sit in sublimi dilectione Dei & proximi, in studio omnium virtutum ad Christi imitationem, & similitudinem Patris nostri qui in cælis est, hæc perfectio non potest esse nisi vna, quæ per varia media externa ab eisdem internis virtutibus procedit, & in eumdem finem dirigitur.

Vnde hæc vnitas & perfectio maximè sumitur à charitate, de qua D. Ioannes ait: *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas in nobis* 1. Ioan. 4. v. 12. *perfecta est.* Charitas autem vna est, & animorum facit vnitatem & pacem, omnibusq; eam impediunt à corde expulsis, quæ omnia complexus videtur D. Ambrosius dicens: Laudatur quod « Lib. de vna sit sicut columba habens spiritus vnitatem, « Isaac & anima, c. 7. in qua sit pax quæ fecit vtraque vnum; & quod « non sit composita ex diuersis elementis, discretæ « compugnantisque naturæ. Quid enim tam di- « uersum quam ignis & aqua, aër & terra ex qui- « bus corporis nostri creatura consistit? Anima au- « tem benedicta omnis simplex; quæ imitatur di- « centem: *Vt omnes vnum sint sicut tu pater in me &* « Ioan. 17. « *ego in te.* Hæc est enim consummatio atque perfe- « 21. « ctio. Vnde & addidit, *vt sint consummati in vnum.* « Hæc est ergo anima columba atque perfecta, quę « simplex & spiritalis, neque huius turbatur cor- « poris passionibus, in quo foris pugnæ, intus timo- « C res sunt, denique hoc verbo vnitatis & pacis « concordiam significari Scriptura nos edocet di- « cens: *Multitudinis credentium erat cor vnum & ani-* « *ma vna.* Sic ille, «

9. Tandem hanc vnitatem amplius exprimunt sequentia verba, *Vna est matri suæ, electa genitrici* Sapien. 16. v. 25. *suæ.* Si per matrem intelligas cum D. Gregorio Ad Gal. 4. v. 26. Papa, regeneratricem, & nutricem gratiam; siue cum Nysseno, columbam quæ Spiritus sanctus est, siue cum aliis, cælestem Ierusalem quæ est mater nostra, cuncta hæc vnitatem Ecclesiæ prædicant: eadem enim est in omnibus iustis Dei gratia, eadem virtutes & dona Spiritus sancti secum afferens, & omnes per actus ab ipsis procedentes, ad eamdem tendunt cælestem beatitudinem, quæ in eiusdem Dei visione & fruitione consistit, qua Ecclesia triumphans iam potitur. Vnica igitur hæc mater vnicam habet in terris filiam quæ ad cælestem aspirat hæreditatem, quæ vna tantum est, & in vno loco cæli empyræi omnibus filiis impertienda.

En plures nõtas vnicæ Ecclesiæ sponsæ Christi, quibus secernitur ab aliis sectis, & cœtibus infidelium & hæreticorum, quæ inter se diuersæ sunt, & repugnantes, quia mendacia, falsitates & vitia non sibi consonant, nec cohærent: at verum vero consonat, virtus virtuti, quia ab vna prima veritate, & bonitate procedunt. Infelices prorsus & deplorandi qui in hanc Ecclesiam numquam sunt ingressi vt ethnici, vel qui ab ea egressi sunt vt hæretici, vel qui eius vnitatem scindunt vt schismatici; quia omnes in æternum peribunt, velut quotquot

extra arcam Noë manserunt, diluuio extincti sunt. Felicissimi vero qui ad hanc vnam columbam pertinent, cuius pulchritudinem si æmulentur, omnium bonorum quæ retulimus participes erunt in æternum. Sed iam eius membra & partes numeremu

Ad hoc spectat quod dicetur in exhort. sequenti §. 2. de laudãda Ecclesia vt beatissima.

De triplici fidelium statu intra Ecclesiam. §. 2.

Suprà lib. 7. exhort. 15. §. 4. dicitur ex his tribus constari vnam Ecclesiam.

SExaginta (inquit) *sunt reginæ, octoginta concubinæ, adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea*, subaudi vna est Ecclesia mea, quæ has omnes comprehendit, ex quibus eius corpus mysticum compactum est. Si ad metaphoram nuptiarum spectes, adolescentulæ quæ sunt in domo Salomonis tamquam famulæ, & ad nullas nuptias peruenire, nec inter reginas vel concubinas adhuc computantur, fideles sunt B qui per baptismum & veram fidem membra sunt Ecclesiæ. Sed quia peccatis lethiferis infecti sunt, non peruenerunt ad spirituales nuptias, quæ contrahuntur per infusionem gratiæ iustificantis, & charitatis quæ vestis nuptialis vocatur. Vnde tantum sunt in Ecclesia tamquam famulæ & ancillæ, aptæ tamen assumi ad nuptias, si pœnitentiam agant, & in Dei restituantur amicitiam. Concubinæ vero sunt iusti quorum animæ veram dignitatem sponsæ obtinent per gratiam, sed cum imperfecti sint, multis peccatis leuioribus & defectibus coinquinantur, nec Deo seruiunt ea qua decet puritate, sed vel timore supplicii, vel spe retributionis tamquam serui aut mercenarij. Perfecti vero dicuntur qui instar vxorum Reginarum solemniores cum Deo nuptias celebrarunt, quem filiali & casto amore diligunt, illique soli propter seipsum placere cupiunt. Vnde liberam, regiam, & amplam dignitatem in regno Dei adepti sunt, vtpote qui non tantum se ipsos, sed alios etiam regere probè nouerint. Inter quos Pontifices, Pastores, & Doctores Ecclesiæ computandi sunt, si iuxta propriam vocationem dignè Deo militent. Ab hac partitione parum discrepant quę communiter assignantur à Doctoribus iuxta sententiam D. Augustini, quem sequitur Angelicus Doctor, distinguentis tres charitatis actus, tresque iustorum status, qui dicuntur incipientes, proficientes, & perfecti. Nam charitas cum per baptismum vel pœnitentiam nata fuerit, nutritur, quod est incipientium; & hi dicuntur adolescentulæ: cum fuerit nutrita roboratur & increscit, quod spectat ad proficientes, qui assimilantur concubinis, medium locum in regia domo obtinentibus: cum autem roborata fuerit, perficitur, quod attinet ad perfectos, & comparantur reginis. Huiusmodi autem iusti per tres vias progrediuntur quas vocant purgatiuam, illuminatiuam & vnitiuam, quarum actus, & exercitia sæpius in superioribus explanata sunt. Quare nonnulla tantummodo perpendemus quæ ex iis verbis deducuntur.

Tract. 5. in 1. can. Ioan. in 2. 1. q. 24. ar. 9. & q. 183. ar. 4.

1. Et imprimis, mysterio non caret quod in hac gradatione non ab adolescẽtulis incipit, sed à reginis, quæ supremum obtinẽt locum, cum tamen in via Spiritus à minoribus inchoãdum sit, & inde ascendendum ad maiores: siquidem iuxta Saluatoris sententiam in parabola de semine in terra Marci 4. v. 28. iacto, *vltro terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.* Præsumptionique daretur velle per saltum ascendere ad suprema, relinquendo media, & infima, aspirare- A que ad osculum oris Dei, antequàm eius manus & pedes osculeris, vt suo loco ostensum est. Ceterum quod postremum est in executione, primum debet esse in intentione, in desiderio & affectu, inchoando quidem à minori gradu ad maiorem, sed semper oculos conijciendo in supremum: propter quod primo loco reginæ commemorantur. Qua de causa idem Saluator similẽ parabolam de semine adducens ait; quod cecidit in terram bonam, afferre fructum, *Aliud centesimum,* Matth. 13. 7. *aliud sexagesimum, aliud trigesimum:* copiosiorem & 23. gloriosiorem fructum primo loco referens, vt omnes ad ferendum illum excitaret. Nec etiam abbreuiata est manus Domini, quin aliquando possit inter reginas ascribere, & inter perfectos à principio aliquem constituere.

Sed quid est quod pauciores dicit esse reginas, 2. plures concubinas, adolescentulas vero sine numero? Profecto; quia *multi sunt vocati, pauci vero* Matth. 20. *electi*: Et facilè est benè incipere, difficillimum v. 16. vero perseuerare, & ad culmen perfectionis ascendere: ideo incipientium magnus est numerus, minor tamen eorum qui progredi anhelant; sed minor multo eorum qui progredionem assequantur. Rarum enim est quod est pretiosum, & ideo curandum est, vt inquit D. Basilius, esse de Serm. de numero paucorum: si enim inter feminas repu- abdicatione taretur fatua & amens, quæ ad statum reginarum rerum. posset ascendere, & manere mallet inter adolescentulas & ancillas, omnes enim supremam illam ambirent dignitatem, cur non amens iudicandus est qui elegit semper manere inter tyrones, cũ posset ascribi inter perfectos, & ad regiam sponsæ Christi dignitatem feliciter assumi? Esto ergo in oculis tuis semper humilitate minimus, sed de- C siderio maximus, æmulans charismata meliora, & anhelans ad suprema.

Sed cùm constet Salomonem saltem cùm senex 3. erat, diuersum numerum habuisse reginarum & 3. Reg. 11. concubinarum, non sine mysterio sexagenarius numerus tribuitur reginis, octogenarius vero concubinis; & credendum est in illo aliquid perfectum, in hoc vero aliquid imperfectum insinuari. Sexagenarius autem numerus ex eo perfectionem indicat, quia perfectus ille est, qui decalogum in quo lex & perfectio continẽtur, iugiter obseruat, & studiosis operibus complet per omnem vitæ cursum, quæ sex diebus significatur, in quibus Deus cuncta operatus est. Vnde & fortes qui regis Salomonis lectulum ambiunt, sexagin- Cant. 3. v. 7. ta dicti sunt: octogenarius vero etsi copiosior sit numerus, imperfectionem indicat, quia ita decalogum obseruat, qũòd in modo seruandi deficiat. D Nam octonarius diminutus est numerus, cùm denario qui numerus est perfectionis, duo minus habeat, vel vt inquit D. Hieronymus, quæ super- Epist. 140. ad Principiam. gressæ sunt sex dies mundi, & futura regna suspirant reginæ appellantur. D. Augustinus autem ait Lib. 83. qq. eas esse quæ regnant in intelligibilibus & spiri- q. 5. tualibus, quia nimirum temporalia contempserunt, nec regiam libertatem quis obtinere potest nisi temporalia despiciens ascendat ad superna. Vnde concubinæ dicuntur (ait D. Hieronymus) qui circumcisionem habent octauæ diei, id est spiritum adhuc habent legis veteris, quæ non puro & filiali amore, sed timore supplicij vel spe retributionis quæ per octauum numerum designantur, Deo seruiunt.

Sed quid est quod adolescentulis nullum assignauit determinatum numerum, sicut reginis & 4. concubinis?

concubinis? numquid non erat notus illi, sicut A Eccles. 1. v. 15. & aliarum numerus? saltem Deo ignotus esse nõ potest, nec vllus eum latere valet. Nam quamuis stultorum infinitus sit numerus, tamẽ qui numerat multitudinem stellarum cæli, numerat etiam multitudinem arenarum maris. Ceterum stultorum & imperfectorum numerum dedignatur recensere, vt quantum illi displiceant, vel hoc ipso manifestet, quia vt inquit Ecclesiasticus: *Non* Eccles. 15. *concupiscas multitudinem filiorum infidelium, & inu-* v. 22. *tilium.* Vnde tandem ab electis qui pauci dicuntur, separandi sunt iuxta illud Psalmi: *Domine à paucis* Psal. 16. v. *de terra diuide eos in vita eorum, de absconditis tuis ad-* 15. *impletus est venter eorum*: Hoc est à paucis iustis, qui in terra viuunt diuides eos in sua breui vita, quia illis spiritualem & æternam retributionem seruas qua satientur, his vero permittis vt temporalibus bonis quæ in absconditis tuis terræ B thesauris latent repleantur, vt hic recipiant mercedem suam.

Quomodo anhelandum sit ad numerum perfectorum. §. 3.

1. REcensitis ergo tribus fidelium ordinibus & gradibus subdit sponsus: *Vna est columba mea, & perfecta mea*: Vt ad columbæ pulchritudinem & perfectionem exhortetur non tantum reginas, sed etiam concubinas, & adolescentulas, omnes enim Ecclesiæ filios oportet ad columbinam aspirare simplicitatem, & pulchritudinẽ, atque iuxta proprium gradũ etiam esse perfectos, siquidem omnibus dicitur: *Estote perfecti sicut pater* Matth. 5. v. *vester cælestis perfectus est.* Ab omnibus etiam (in- 48. ad fra- quit D. Bernardus) perfectio exigitur, etsi non tres de mõte Dei. vniformis, vt ipsæ etiam adolescentulæ curent in proprio gradu perfectæ esse, & viam suam perfec- C tè inchoare, vt quilibet iustus sit primo velut perfectus infans, postea perfectus adolescens, & tandem perfectus vir.

2. Sed sublimius aliquid in his verbis insinuatur: nam præter reginas quę statum perfectorum designant, quædam sunt sponsæ singularissima & præcellentissima perfectione fulgentes, quas vnicè Christus diligit, de quibus ait: *Vna est columba mea, perfecta mea, &c.*: Nimirum illa quæ potuit dicere: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Quę merito vna vocatur quia cuncta ad hoc vnum reducit vt se totam tradat dilecto, & vnus spiritus cum eo fiat, hunc vnum solum diligat, hunc vnum quærat, ad hunc vnum cetera deducat dicens: Psal. 72. v. 25. *Quid mihi est in cælo? & à te quid volui super terram?* Psal. 26. v. 4. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Vnam* Lucæ 10. v. D 42. *petij à Domino, & hanc requiram.* Quia scio vnum esse necessarium propter quod reijcio multa quæ perturbant. Iusti qui communem sequuntur perfectionem, ad aliquem numerum pertinent octogenarium vel sexagenarium: at hæc columba numerum respicit, amat vnitatem, multiplicitatem fugit, in vno & solo Deo cuncta inuenit, eius vnicam gloriam quærit, eius vnam voluntatem implere satagit. Hunc vnum dilectum habet in corde, & gerit in memoria, sicut ait regius Propheta: *quia non cognoui litteraturam*: Id est, quoniam Psal. 70. v. 15. non cognoui, nec mihi approbaui vel elegi, nec didici literas & scientias humanas: alij vertunt, *quoniam non cognoui numerationes, aut negotiationes*, quæ cum turbatione magna versantur circa plurima: *Introibo in potentias Domini; Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.* Id est, cuncta alia à memoria mea excludam, vt tu solus tuaque iustitia com-

moretur in illa. Nolo numerum, sed sufficit mihi vnum, quod necessarium est, quod nemo auferre mihi potest in æternum, quia ego tenebo illud, nec dimittam. Reliquit sponsa paternam domũ vt dilectum quæreret; vulnerata est à circuitoribus ciuitatis, expoliata à custodibus murorum, nec destitit quærere, incidit in filias Ierusalem, nec cum eis vanè commoratur, sed de dilecti sui laudibus loquitur vt eas ad illum trahat, & tandem dicit: *Dilectus meus mihi, & ego illi*, ac si Quatuor ipsa sola, & ille in mundo essent: merito ergo vna quæ faciũt columba appellatur anima quæ omnibus renun- perfectam ciat vt Christum quęrat, quæ vulnera, expoliatio- columbam. nes, & opprobria patitur vt in eo persistat, quæ cum hominibus non vana loquitur, sed diuina; quæ ita soli Deo placere studet, ac si sola esset in mundo cum ipso solo. Hæc quatuor si habueris vna columba eris.

3. Sed vlterius ait: *Vna est matri suæ*, si per matrem In lib. 1. ex- intelligas gratiam, vt diximus, verè vnica est, hort. 6. quia huiusmodi sunt quæ gratiam dicuntur inuenire apud Deum, & (vt supra retulimus ex D. Hieronymo) non plures dicuntur inuenire gratias, sed vnam gratiam; non plures margaritas, sed vnam margaritam, quia ad perfectissimam aspirant spiritus vnitatem. Vnde ipsa gratia tamquam mater vnice diligit illas, & in eis suas exerit vires, & virtutes. Quod si per matrem intelligas cælestem Ierusalem, etiam est vnica matri suæ, quia cum eius conuersatio in cælis sit, cælicolus Angelorum, & beatorum cœtus vnice diligit illam, & conuersatur cum ea. Vnde eiusmodi animæ magnas & suaues habent cælestes consolationes, apparitiones, reuelationes, & extraordinarias sortiuntur gratias, & anagogicos affectus, quæ nonnisi singulariter electis & dilectis exhiberi solent. De huiusmodi gloriatur sponsus tamquam de vnice dilectis, & sanctis, sicut gloriabatur de Iob quod non esset ei similis in terra; & de Ioanne Euangelista, qui vocabatur discipulus quem diligebat Iesus. Nam etsi omnes alios etiam diligeret, hunc singulari quodam amore tenero & suaui prosequebatur.

4. Sed age, iam nouum sensum & iucundissimum Quomodo ex his verbis educamus, qui ad hanc pretiosam Deus om- vnitatem inquirendam nos valdè permouebit: nes sanctos phrasis est Scripturæ ad explicandum summum vnice dili- & acerrimum amorem alicuius erga alium, gat, ac si assimilari illum amori quo mater, quæ vehemen- vnus essent. tius amat quam pater, diligit vnicum filium, vel filiam suam, sicut Dauid dicebat de Ionatha lo- 2. Reg. 1. v. quens: *Sicut mater amat vnicum filium suum, ita ego* 26. *te diligebam.* Vnde tractum est apud Latinos vnicè amare, quo fit summum mœrorem etiam significari per eum qui ex morte vnigeniti suscipitur, vt Ierem. 6. v. apud Ieremiam: *Luctum vnigeniti fac tibi planctum* 26. *amarum*: Cum ergo ait: *Vna est columba, &c.* Quia Idem in iis verbis amatoriis reticetur verbum quod Amos 8. v. mente concipitur, sicut cum dicitur: *Dilectus meus* 10. *mihi, & ego illi*; sensus est, vna est mihi columba mea, vnica dilecta, & valdè chara, sicut vnica filia est valdè chara matri suæ, & electa genitrici suæ: id est, ita diligo illam ac si non haberem aliam.

Intendit ergo sponsus hac parabola discrimen magnum assignare inter reges & principes sæculi, seu quoslibet mundi homines, & ipsum Deum: quod illi plurimas habent res dilectas, siue sint vxores & concubinæ, siue filij, amici, & domestici, inter quos diuidunt cor & amorem suum; ita vt quo diuiditur in plu-

res, eo sit minor singulis. Vnde si vehementer A vnum diligit, remissius ad alios afficitur: at Christus Dominus, etsi plurimas intra Ecclesiam habeat animas tamquam sponsas sibi dilectas, ita singulas diligit, ac vnam & vnam sicut omnes, non partiendo amorem suum, ita quod minor sit ad singulas ex eo quod diuidatur in plurimas, quia immensus eius amor omnes complectitur; nec per hoc quod extenditur ad plures, minuitur in singulis. Quo sensu idem etiam de diuina pro-
Sap. 6. v. 8. uidentia affirmauimus sicut Sapiens ait: *Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus.* Propter quod D. Paulus quod omnibus Chri-
Ad Gal. 2. v. 20. Ibidem. stus exhibuit, sibi ipsi attribuit dicens: *Qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* Super quæ verba ita philosophatur D. Chrysostomus: Quid facis
» ô Paule, dum communia proprie tibi vendicas
» quæque pro toto terrarum orbe facta sunt tibi fa-
» cis peculiaria? Non enim dixisti qui dilexit nos, B
» sed qui dilexit me, atque Euangelista dicit: *Sic*
» *Deus dilexit mundum*, quin & tu ipse dicis; *Qui pro-*
» *prio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit*
» *illum.* Sed hæc (inquit) declarat par esse vt quisque
» nostrum non minus agat gratias Christo, quam si
» ob ipsum solum aduenisset. Nec enim recusaturus
» erat vel ob vnum tantam exhibere dispensatio-
» nem, adeo singulum quemque hominem pari
» charitatis modo diligit, quo diligit orbem vni-
Matth 18. v. 12. Lucæ 15. v. 4. » uersum: nam & ouis quæ fuerat à nonaginta no-
» uem distracta, vnica erat, neque hanc tamen con-
» respsit. Sic ille. Quomodo ergo te oportet diligere eum qui vnicus tibi est, vnicus creator, vnicus redemptor, vnicus auxiliator, protector & glorificator? Siquidem ille cum plures habeat quos diligat, ita te diligit, ac si vnicus illi esses.

Non negamus Deum plus diligere meliores, & quosdam habere amicos, ac sponsas præ aliis singulariter dilectas quas maioribus ditat bonis, & afficit beneficiis; at per hoc nihil subtrahitur à minoribus, quia amor Dei ac eius diuitiæ semper manent inexhaustæ. Vnde hoc roborat spem, illud acuit feruorem, vt ardentius curemus diligere Deum, à quo ardentius diligemur.

Pro Assumptione B. Virginis. Ad idem spectat §. 3. exhortationis sequentis.

Quomodo beatissima Deipara vna sit columba inter omnes sanctos. §. 4.

LIbet quæ hactenus diximus, beatissimæ Deiparæ applicare; de qua verius quã de aliis dicitur: *Vna est colũba mea, &c.* Quoniã inter omnes sanctos tam Angelos quam homines vnum constituit chorum ab aliis diuersum, ad quem nullus aliius accedit, sed longissimè distat. Vnde exaltata est super nouem choros Angelorum, super choros Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, & singulos alios sanctorum ordines, in quibus plurimi coadunantur sancti æquales, vel similes: at Deipara sicut & eius filius, singulorum habet sedem; hic ad dexteram Patris, illa ad dexteram Filij, cui reliqui subiiciuntur. D

1. Deiis quatuor B Virginis insignibus plura dicta sunt supra multis in locis.

Est enim vna columba, & vna perfecta, quia vnica est mater Christi; nec in hac præcellentissima dignitate potuit habere consortem. Propter quod merito mox vocatur: *Pulchra vt luna, electa vt sol:* quia sicut in cælo corporeo vnica tantum est luna, & vnicus tantum sol, & stellæ plurimæ; ita in cælo empyreo vnica est Deipara, & vnicus Christus, qui incomparabiliter superant alios sanctos. Et quamuis Christus Dominus dixerit:
Matth. 12. v. 50. *Qui fecerit voluntatem Patris mei ipse meus frater, & soror, & mater est*: At non est mater per naturam, sed per quamdam similitudinem, dum illum spiritualiter gignit & nutrit in iis quos ad Deum conuertit. In quo tamen beatissima Deigenitrix singularem etiam habet prærogatiuam potestatis cum plus nos iuuare possit omnibus sanctis; inde etiam & mater gratiæ nuncupatur. 2.

Præterea vna fuit columba ex singulari modo sanctificationis, nulli ex filiis Adæ & Euæ concesso, vel vmquam concedendo. Peculiari enim priuilegio ita vnicè ab æterno est dilecta, vt decreuerit Deus propter Christi merita etiam peccante Adamo, & omnem naturam humanam inficiente, illam solam ab hac contagione excipere, & immaculatam semper seruare, simul creans animam, & infundens sanctificantem gratiam: merito ergo vnica est columba super quam ipse Spiritus sanctus requieuit in primo instanti conceptionis suæ.

Deinde vna est columba, & vna perfecta ex plenitudine gratiæ, sanctitatis ac perfectionis quam obtinuit, ad quam nullus sanctorum potuit peruenire. Nam etsi plures dicantur pleni gratia, & repleti Spiritu sancto, quia totã gratiarum habuerunt plenitudinem, quam eorum munus, status, & electio exigebat, tamen in hoc Dei para incomparabiliter omnes antecellit, sicut dignitas matris Dei alias superabat. Nondum filium conceperat, & iam vocatur ab Angelo *gratia plena*: & audeo dicere tanta plenitudine quæ Lucæ 1. v. nec in terris, nec in cælis hactenus inuenta fuisset 28. maior, nam quamuis Angeli superarent visione beatifica, ipsa tamen præcellebat gratia, & charitate, quam non repugnat in viatore maiorem esse quam in aliquo comprehensore: vnde feruentius omnibus dicebat: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Nam etsi pascatur inter lilia beatorum; ego illi, & ille mihi non minus quam ipsis placet. Quam immensam ergo plenitudinẽ obtinuit cum post lõgissima, & copiosissima, ac excellentissima merita ad plenam mensuram in fine vitæ peruenit? Cur igitur non dicetur vna columba & perfecta, & vna matri suæ? si mater est gratia, quam plus dilexit gratia, quam Virginem istam cui Angelus dixit: *Inuenisti gratiam apud Deum?* Verè talem gratiam inuenit qualem nullus sanctorum, & ideo merito est vna matri suæ. C

Vnde factum est, vt etiam vna sit genitrici suæ, 4. nempe cælesti Ierusalem in qua singularem habet thronum, ad quem nullus beatorum potuit ascendere, sed omnes eam intuentur, mirantur & laudant, dicentes quod mox subiungit Spiritus: *Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.* Sed de hoc versu statim: nos autem hanc beatissimam matrem intueamur tamquam omnis sanctitatis perfectissimum exemplar, quæ excellentius quam omnes vnicum filium Christum dilexit, & in eo vno cuncta constituit, & præclarissimam adepta est vnitatem, de qua ipse dixit: *Porro vnum est ne-* Lucæ 10. v. *cessarium*; quamque non solum sibi, sed suis impe- 42. trat filiis qui eam laudant & beatam prædicant ac imitari conantur, quos secum adducet, vt cum ea regnent simul cum Christo in sæcula sæculorum. Amen. D

EXHORTATIO IV.

Pro dom. Septuagesimę circa Euang. *An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?*

De execranda inuidiæ malitia, & de affectu laudandi bonos, & quomodo Ecclesia prædicanda sit beatissima, sed præ omnibus Deipara.

Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt, reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.

MAgna laus dilectæ quod reliquæ vxores reginæ, concubinæ, ac virgines adolescentulæ in regia Salomonis degentes, etsi magna credendum est floruisse pulchritudine, vnicæ columbæ cederent, & sine vllo liuore & inuidia laudarent, ac beatam prædicarent. Quod in feminis vix inuenitur, quę zelotypia & liuore ac con- B
Genes. 16. v. 4. & c. 30. v. 1. 1. Reg. 1. v. 6 tentione vri solent: nam & Agar ancilla insurrexit contra Saram; Lia & Rachel sorores, Phenenna, & Anna Samuelis mater, discordes semper erant: at in hoc dramate singularis concordia & pax sine vlla inuidia commendatur, quæ refundi poterit, vel in singularem & eminẽtissimam sponsæ pulchritudinem super alias mulieres, quam ipsa eximia ornabat modestia, humilitate, verecundiæ, columbina simplicitate, & aliis virtutibus quæ eã cunctis reddebant amabilem; vel etiam in modestiam & compositos mores reliquarum feminarum, quæ humiliter meliori cedebant, &
Matth. 20. v. 1. Salomoni pacis cultori se mirè conformabant, sed & hoc rarum est: quod satis insinuat parabola de operariis vocatis ad laborandum in vinea, qui laborantes perseuerarunt vsque ad noctem. Tunc autem nonnullos inuasit inuidia, quia nouissimi sunt illis coæquati: quibus Dominus dixit: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Difficile enim est inter plures quando vnus aliis præfertur, liuorem non oriri: duo ergo in hoc encomio perpendamus; vnum quod supponitur & latet; alterum quod patenter manifestatur.

De malitia inuidiæ. §. 1.

VIderunt (inquit) *eam filiæ*: Viderunt etiam *reginæ, & concubinæ*, viderunt inquam, magnam sponsæ pulchritudinem, & ornatum, & quàm grata esset sponso suo, & ab ipso miris laudibus reliquis prælatam. Sed numquid contristatæ sunt? numquid inuidia tabescebant? numquid pulchritudinem extenuabant, vel aliquid ei detrahebant? numquid ira & furore percitę insurrexerunt aduersus illam? minimè gentium, quia viderunt columbinis oculis, graro animo & corde sano. Non sic inuidi, qui vident, sed vident tamquam basiliści, qui in oculis venenum gestant, &
Serm. 13. in Psal. 90. Qui habitat. » videndo necant vt perpendit D. Bernardus expli- » cans illud Psalmi: *Super aspidem & basiliscum ambu-* » *labis.* Vis nosse (inquit) oculum basilisci venena- » tum, oculum nequam, oculum fascinantem? inuidiam cogitato. Quid enim inuidere nisi malum videre est? Nam videndo bonum alterius con- C uertat cibi in malum, dum corde tabescit & alterum odio habet. Qui autem odit fratrem suum, homicida est. Sed luculentius Cassianus adducens illud Ieremię: *Ecce ego mittam vobis serpentes* Collat. 18. c. 17. *regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos.* Ierem. 8. v. 17. Ait rectè à propheta mortiferis basilisci venenis morsus inuidiæ comparari, quia primus venenorum omnium author & princeps, & periit & peremit, de quo scriptum est: *Inuidia diaboli mors in-* Sap. 2. v. 24. *troiuit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* Dicitur autem Deus hos serpentes regulos mittere, quatenus permittit homines propter alia peccata diris inuidiæ morsibus torqueri, iuxta illud per quod ad Moysem inquit: *Ipsi* Deut. 32. v. *me prouocauerũt in eo qui non erat Deus, & irritauerũt* 21. *in vanitatibus suis; & ego prouocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.* Nam præponendo illis vilem populum, fiet vt inuidia tabescant. Dicitur autem non esse incantationem, nec remedium contra basiliscos, quoniam inuidia difficillimè curatur, ex eo quod liuidus, cum cupiat esse maior, erubescit se minorem reputari, & liuorem suum medico aperire. Nam eo ipso fatetur se minorem esse eo cui inuidet: propter quod Iob. 5. v. 2. scriptum est in Iob: *Parvulum occidit inuidia.* Par- Lib. 5. mor. uulum (inquit D. Gregorius) vocat inuidum quia c. 31. putat se inferiorem altero cui præcellere cupit, & ne præcellat eum aut bono quo præeminet exspoliat, aut vitam aufert. Quæ de causa Cain occidit Abel, Esau persecutus est fratrem suum Iacob, & filij Iacob suum fratrem Ioseph, & Dauidem Saul. Sed dum ex inuidia alium occidere curat, iam se ipsum spiritualiter interfecit: Inuidia Hom. de enim vt inquit D. Basilius, instar viperæ rupit vis- inuidia. cera eius qui concepit illam.

Hoc eleganter sic explicat os aureum: Quemad- „ D. Chry- modum insani aduersus se ipsos frequenter gla- „ sostomus dios impellunt, ita & inuidi solam inuidiosi mi- „ hom. 36. seriam disquirentes, in propria lædunrur salute. „ in Ioan. Hi feris etiam sunt sæuiores: illæ enim fame im- „ pulsæ, aut à nobis prius irritatæ nos appetunt, hi „ beneficos nonnumquam inimicorum loco ha- „ bent. Feris inquam sæuiores, dæmonibus pares, & „ fortasse iniquiores: ipsi namque nos nullo amici- „ tiæ fœdere hostiliter persequuntur, suo generi „ minimè infidiantur (ideoque horum exemplar in „ Iudæos Christus inuectus est cum in Beelzebub „ Si Satha- eum eijcere dęmonia dixissent.) Homines autem „ nas satha- neque naturę suæ participes reuersi eos infesto „ nã eiicit, animo impetunt, atque se ipsos prius quam qui- „ quomo- bus inuident, supplicio afficiunt, animumque „ do stabit perturbationibus & anxietatibus temerè cru- „ regnum ciant: deinde docet difficilè hunc morbum cura- „ eius? ri: nam Cain (inquit) fratri inuidendo numquam „ odium posuit, sed quanto frequentius à Deo ad- „ monitus est, tanto magis dolebat, magis crucia- „ batur, & properabat ad cædem. D

Sed duplex est hæc inuidia, altera circa res ver- Duplex in- satur corporeas & temporales, in quibus inuidus uidia. alios præcellere cupit; tristatur vero si alii eum præcellant, vel diuitiis, aut dignitatibus, aut robore, pulchritudine, vel aliquo huiusmodi, & de hac inuidia aptè dicitur occidere paruulum, non tantum quia inferiorem se dolet, sed etiam vt idem D. Gregorius testatur, quia paruulus est Vbi supra. & pusillo corde, qui hæc temporalia magnifacit, cum minima sunt, & cito peritura, ideoque contemnens spiritualia ac æterna quæ summo pretio habenda essent, circa temporalia cruciatur & liuore tabescit. Hæc autem inuidia

aulicorum est, & filiorũ huius sæculi, qui terrena A sapiũt, sed alia est inuidia circa res ipsas spirituales, & virtutes, quę omnium est pessima. Nam teSerm. de vita spirituali num. 54. Lib. de perfectione spirituali, c. 99. ste D. Ephrem, affectionis est dæmoniacæ progressu rectè viuentium excruciari, siquidem dæmones odio imbuti nihil æquè cupiunt quàm omnes homines penitus interire. Et D. Diadochus ait post deuictas alias passiones dæmonem tentare animam iusti, dum eam ab amore Dei ad importunum zelum traducit vt nullum alium æquè atque se placere velit. Contra quem (ait) multa charitate & humilitate pugnamus, quoAd Hebr. 13. niam charitas vt inquit Apostolus, *non æmulatur*, sed potius cupit omnes homines ea flagrare, in Deique obsequio valdè proficere, ac cum MoyNum. 11. v. 29. se inuidum carpens ait: *Quid æmularis pro me? quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum?* Humilitas autem qua vltimũ sibi B locum eligit, & alios superiores arbitratur, de nullius præcellentia tristatur, sed libenter eam agnoscit, & se ei submittit. Etenim si rectè hanc inuidiam perpendamus, non est reuera propter virtutes, nec ex amore virtutum procedit: (sic enim non inuidia, sed sancta esset æmulatio de Ad Gal. 4. v. 18. 1. Cor. 12. v. 31. qua dicitur: *Æmulamini bonũ in bono*: &, *æmulamini charismata meliora*: Vocatur tamen inuidia largè, quæ ad imitandum alterum vrget, & impellit quomodo D. Hieronymus ad Lætã de filia educanda ait: Habeat socias in discendo quibus inuideat, quarum laudibus mordeatur.) Pessima autem inuidia procedit ex amore honoris, vel lucri virtuti annexo. Et tristatur non tam de eo quod alius sit sanctior, quam quod habeatur sanctior & ampliori sanctitatis fulgeat honore; quia ipse non amat sanctitatem, sed sanctitatis præclarius nomen, quod dum non obtinet, excruciatur. SanC ctitas enim cum non minuatur in singulis ex eo quod diffundatur per multos, & amplius crescat in illis, propriè non est materia liuoris, sed solum honor & res aliæ, quę dum diuiduntur in plures, inuidiæ fomitem eorum cupidis administrant.

Humilitas igitur & charitas hoc vitium longè propellunt, licet non facilè, cum semel in aniSerm. 89. in Cant. mum grassari aggreditur. Nam vt inquit D. Bernardus, rara virtus est alienæ non inuidere virtuti, nedum gaudere ad illam, nec dum etiam tanto plus, quam ad propriam quemquam gratulari, quanto se perpenderit in virtute superatum. Molesta solet esse tentatio ista, maximè tyronibus, quibus opportunum tribuit remedium & consilium. Idem Pater respondens quærenti, quomodo proficere possum, qui fratri proficienti inuideo? Si doles (inquit) quod inuides; sentis, sed D non consentis. Passio est quandoque sananda, non actio condemnanda: tantum non illic residеas iniquitatem meditans in cubili tuo. Qualiter videlicet foueas morbum, satisfacias pesti, persequaris insontem, benè ab illo gesta calumniando, deprimendo, peruertendo, atque impediendo gerenda. Et paulò pòst. Qui inolitũ ex longo vitium cõfitendo, flendo, orando conatur expellere, cum non prævalet, mitior in dead omnes, atque apud se humilior inuenitur. Sic ille: quia diligentibus Deum, omnia, etiam tentationes istæ, cooperantur in bonum, & in propriæ perfectionis incrementum.

De laudandis alijs liuore depositо. §. 2.

1. SEd hæc clarius percipientur si singula verba Cantici perpendamus: *Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt, reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam*: Viderunt quidem non oculis basilisci, sed columbæ. Sed numquid tacuerunt tantã pulchritudinẽ intuentes? minimè: Nam ipsum tacere quodãmodo esset inuidere. Genus enim inuidiæ est eius qui dignus est laude, laudes reticere, nec bonis amici cõgratulari. Omnes ergo quæ erant in domo pacifici Salomonis, siue adolescentulæ quas filias vocat, siue reginæ & concubinæ videntes vnicæ sponsæ decorem non solum non inuiderunt, nec tacuerunt, sed magnis extulerunt laudibus congratulantes ei, bonum ipsius tamquam suum reputantes, quod proprium charitatis est, quæ dum proximos in Deo diligit, & de eorum bonis gaudet, ea sibi propria constituit & fructum maximum ex eis capit, iuxta illud D. “ Tract. 32. Augustini: Tolle inuidiam, & tuum est quod ha- “ in Ioan. beo. Tollam inuidiam, & meum est quod habes. “ Liuor separat, charitas iungit. Cui adstipulatur “ D. Gregorius in Pastorali dicẽs: Nostra sunt, quæ “ 3. p. admonit. 11. si imitari nõ possumus, amamus in aliis, & amantium fiunt quæ amantur in nobis. Hinc pensent “ inuidi, charitas quantæ virtutis sit, quæ alieni “ quoque laboris opera, nostra facit sine labore. “ Pluraque de hoc ibi disserit.

2. Sed quid est quod adolescentulæ quæ imperfectę sunt sublimius eam laudasse dicuntur quam reginæ & concubinæ, quę perfectiorum statum repręsentant? nam de illis dicitur quod beatissimam prędicauerunt; de iis tantum quod laudauerunt eam: sed huius multiplex potest reddi ratio: etenim adolescentulæ consulto hic vocantur filiæ, quod nomen est amoris, reuerentiæ, & subC missionis erga matrem, & ideo longius sunt ab omni liuore & inuidia quam reliquæ domesticæ & amicæ: & quia tenerius diligunt, & profundius reuerentur, matrique per omnia deferunt, ideo vehementius laudant, nec tantum beatam, sed beatissimam prædicant: nam iuxta mensuram feruentis amoris est affectus laudis.

Vel alio modo adolescentulæ animę, & in Dei obsequio adhuc incipientes vehementius admirantur præ nouitate, cum alterius præclaram sanctitatem intuentur, & ideo nimiæ sunt in laudando illam: & quia plurimum externa sanctitatis indicia æstimant beatissimam putant quam his donis vident ornatam: at prouecti & perfecti veluti reginæ, qui præclarissima Dei dona in sanctis viris intueri affueuerunt, mitius vnumquemque laudant iuxta prudentiæ, rectęque rationis regulas. Oportet enim prudenter inspicere quem laudes, quas ei laudes dicas, & quo affectu & modo. Nam tyronum virtus modicè laudanda est vt crescat, non multum ne euanescat; at perfecti securius laudari possunt, quia suis laudibus numquam delectantur. Ante mortem autem nemo est beatissimus prædicandus, quia beatitudo in hac vita numquam est secura, nec consummata: de quo aliis in locis vberius egimus.

Tandem posset dici consulto sponsum amplifi- Lib. 3. excationis gratia hoc encomium ab adolescentulis hort. 22. §. inchoare, quæ in precedenti versu vltimo loco 2. lib. 4. exnumeratę sunt; ac si diceret: non tantum filiæ hort. 22. §. 1 beatissimam eam prædicauerunt, hoc enim non esset mirum; sed quod maius est, etiam ipsæ reginæ pariter laudauerunt, eadem laudes confirmantes, & beatissimam etiam prædicantes.

Ceterum

Ceterum cum eædem laudes pluris habentur A dum exhibentur à maioribus, ideo amplius multo est quod reginæ laudauerint eam, quam quod adolescentulæ beatissimam prædicauerint.

3. De laudanda Ecclesia vt beatissima. Iam vero si quæ laudatur sit sponsa Christi Ecclesia vnica eius columba, æquum & dignum est, vt omnes eius filij & filiæ & omnes incipientes & perfecti cunctique fideles eam beatissimam prædicent, & summis extollant laudibus. Gloria enim Ecclesiæ est gloria nostra, & laudes illius refunduntur in nosmetipsos. Nam omnium bonorum propter quæ laudatur participes sumus: prædicemus ergo Ecclesiã beatissimã vt verè est à beatissimo Deo & Christo, qui ædificauit eam, à beatissimis Apostolis qui duodecim eius sunt fundamenta, & maximè à capite Christi successore cui ipse dixit: *Beatus es Simon Bar-jona*, &: *Tu es* Matth. 16. v. 18. *Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam.* Beatissimam item à beatissimis sanctorum cœtiB bus, nimirum Martyrum, Virginum, Doctorum, & Confessorum qui illam circumdant & ornant: beatissimam denique, quoniam in ea sola inueniri potest vera beatitudo, quæ in hac vita inchoatur & consummatur in futura. Merito ergo filiæ Ierusalem hanc laudem canunt matri suæ, quam quotidie noui filij celebrare non desinunt, sicut in Prouerbiis idem Salomon antea diProu. 31. v. 28. xerat: *Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt, vir eius & laudauit eam.* Surrexerunt quidem, quoniam alacriter se præcinxerunt ad manifestandum & prædicandum publicè laudes matris suæ, quia ipsi probè viderunt & cognouerunt innumera, & præclarissima quæ habet laude digna. Prædicant autem omnium beatissimam; quoniam *multæ filiæ* (inquiunt) *congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Multæ quiC dem fuerunt in mundo congregationes hominum, philosophorum scholæ, & Iudæorum synagogæ, quæ multas congregasse diuitias videntur, quia multos habuerunt sectatores, multamque veritatem, ac quarumdam virtutum collegerunt supellectilem; at nihil in comparatione Ecclesiæ Christi, cuius diuitiæ sunt inæstimabiles, thesaurique infiniti sapientiæ & gratiæ Dei, & congeries omnium virtutum & donorum quæ in sanctis per vniuersum orbem dispersis, omni ętate floruerunt.

4. Sed quid quod filij eius insurgant, & beatissimam prædicent? nam: *Et vir eius laudauit eam*: Nullus ita probè nouit eam ac sponsus eius Christus; ipse laudauit, ipse beatissimam prædicauit, nam totum Canticum istud iis laudibus redundat, quæ in eam solam, & non in alteram integrè quadrare possunt: quia vna est eius columba, nec D similis reperitur in terra: & nos igitur qui eius laudes iam audiuimus, gaudeamus & lætemur, ac beatissimos nos ipsos prædicemus in eo quod talem matrem sortiti sumus, quod talis corporis mystici facti sumus membra, nam vniuersas diuitias quas super omnes alias congregauit, nobis profecto congessit, & in nostram cedunt vtilitatem, gloriam, & lætitiam.

5. De religione. Quæ autem diximus de vniuersa Ecclesia applicari possunt cuicumque congregationi religiosæ; quam æquum est vt filiæ, reginæ, & concubinæ laudent & beatissimam prædicent. Nam quamuis diuersæ sint huiusmodi congregationes varia sequentes instituta, omnes tamen ab alumnis & filiis suis tãquam beatissimæ sunt sibi æstimandæ ac prædicandæ. Quoniam vnusquisque in ea vocatione in qua vocatus à Deo est, perseuerans, beatitudinem consequetur, & nihil potest nec debet sibi esse beatius quam hanc matrem laudare, prędicare, vestigia sequi, monita salutis audire, & ex eius diuitiis locupletari, vt imitari non pigeat quod laudare delectat.

De laudanda Deipara vt beatissima. §. 3.

1. SEd oportet ad gloriosissimam Deiparam hoc encomium sicut & præcedens aptare, cui præcellentiùs conuenit quam aliis: omnes enim vtriusque Ecclesiæ militantis & triumphantis filiæ viderunt eam, eius gloriam aut clarè intuentes, aut per fidem contemplantes, & *beatissimam prędicauerunt*, quotidieque prędicare non cessant, implentes quod ipsa diuino spiritu afflata de se Lucæ 1. v. vaticinata est dicens: *Quia respexit humilitatem an48. cillæ suæ: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*: Vbi duo de se testatur, scilicet ex eo temporis puncto prædicandam esse beatam ab omnibus mundi nationibus; sed quia humilis erat prius causam huius beatitudinis assignat, quia videlicet Deus respexit & approbauit humilitatem suam: hæc enim suæ beatitudinis fuit quasi prima radix & fundamentum. O verè beata humilitas (ait D. Augustinus) quæ Deum ho“ Serm. 35. minibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos “ de sanctis innouauit, mundum purificauit, Paradisum apeC ruit, & hominum animas ab inferis liberauit. Pro“ “ pter hoc beatam illam prædicabunt omnes gene“ rationes. Sunt (inquit D. Bernardus) generationes “ Serm. 2. cæli & terræ, & omnes te beatam dicunt; quæ “ de Pente“ omnibus generationibus vitam & gloriam ge“ coste. nuisti, & ex te prodire dignatus est omnis beatitudinis author & consummator Deus.

2. Legimus Liam cum primum concepit filium, Genes. 29. dixisse: *Vidit Dominus humilitatem meam*: Quo- v. 32. niam cum despecta esset à sorore, humiliter & patienter hoc tulit: quam humiliratem respiciens Dominus, fecit eam fœcundam; quo figurabatur gloriosissimam Virginem quæ ex Liæ semine per Iudam orta est, propter eius humilitatem in qua sibi Dominus complacuit, fore fœcundandam. Sed rursus, cum eadem Lia desisset parere, & alium filium ex ancilla à marito suo per eam tradita, susceпisset, tali gaudio affecta est vt diceret: Genes. 30. *Hoc pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent mu- v. 13. lieres, propterea vocauit eum Aser*: quod interpretatur beatitudo, seu diuitiæ vt D. Hieronymus testatur. Quanto ergo magis gloriosissima Virgo humilis Dei ancilla, cum talem susceпit filium potuit dicere, hoc pro beatitudine mea mihi contigit: hunc mihi filium tribuit Deus vt omnes mulieres, omnesque cæli & terræ generationes beatissimam me prædicent, & etiam reginæ, omnesque hierarchiæ cælestes iugiter laudare non cessent. Filius enim meus, *Aser est*; id est beatitudo, & diuitiæ, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, omnes diuitiæ gratiæ & gloriæ qui omnium est beatitudo & felicitas sempiterna, de quo scriptum est: *Aser pinguis panis eius,* Genes. 49. *& præbebit delitias regibus*: panis eius pinguissimus v. 20. ipsemet est, qui est panis viuus descendens de cælo vt det vitam mundo, & delitias iustis, qui reges sunt. Quanto ergo vberiores præbebit reginæ omnium reginarum vnicæ matri suæ?

3. Diuinus hic Aser, beatitudo, diuitiæ ac delitię nostræ aperiens os suum vt spiritalem doctrinæ panem præberet discipulis suis, quos spirituales

reges cõſtituit iuxta nomen ſuum ita exorſus eſt: A
Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, &c. Octo referens beatitudines, & ſimul
Matth. 5. v. 2.
diuitias, at delitias ei adiunctas. Has impartitus eſt electis ſuis qui regale ſunt ſacerdotium, vt eos faceret beatos, diuites, iucundos, & ſatiatos, ſed præ omnibus matri ſuæ, quaſi ſine menſura elargitus eſt illas, vt merito de illa dicamus: *Inſurrexerunt filij eius, & beatiſſimam prædicauerunt, vir eius & laudauit eam.* Quare beatiſſimam prædicarunt? Quoniam *multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Aliæ ſanctæ animæ beatæ ſunt & locupletatæ, quia ex iis octo beatitudinibus & præmiis earum congregauerunt magnas gratiæ ac gloriæ diuitias, & delitias. At tu Virgo benedicta & mater noſtra ſupergreſſa es omnes illas, propter quod te prædicamus non tantum beatam, ſed beatiſſimam, quia præ omnibus aliis pauper es ſpiritu, mitis, miſericors, munda, & pacifica: & ideo etiam præmiorum diuitias, & delitias ſuper omnes congregaſti, nec ſolum tibi, ſed etiam nobis ſeruulis tuis, vt de plenitudine tua accipiamus gratiam pro gratia; diuitias pro diuitiis, delitias pro delitiis, tum in hac vita, tum in futura & ſempiterna. B

4. Sed qui beatiſſimam prædicamus, debemus tum humilitatem, tum etiam beatitudinem eius imitari, non illam qua concepit Chriſtum carne, ſed qua concepit mente, ſine qua alteram non haberet: Sicut teſtatus eſt ipſe Dominus mulieri de turba extollenti vocem, & dicenti: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.*
Lucæ 11. v. 27.
Cui ille: *Quinimmo beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud:* Numquid negat beatum ventrem, qui eum portauit, cùm ipſe Apoſtolis dixerat: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis?* Minime gentium: ſed voluit exhortari hanc audientes laudem vt matris ſuæ beatitudinem imitarentur in eo quod imitari poterant, & quod eam beatiſſimam conſtituit, quoniam verbum Dei audiuit, & per fidem recepit: *Beata enim quæ credidiſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Et inſuper cuſtodiuit illud per humilem obedientiam, & reſignationem dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Hæc duo beatos nos reddent. Primum beatitudinem inchoat, iuxta illud Baruch prophetæ: *Beati ſumus ô Iſraël, quoniam quæ Deo placent, manifeſta ſunt nobis.* Secundum vero illam perficit ſicut Saluator ait: *Si hæc ſcitis, beati eritis ſi feceritis ea.* Et de auditore legis non obliuioſo, qui eſt factor operis inquit D. Iacobus: *Hic beatus in ſuo facto erit.* Et nos ergo beati erimus ſi Deiparam imitantes, fecerimus quæ ipſa fecit, cum qua gaudebimus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Lucæ 1. v. 45. Baruch 4. v. 4. Ioan. 13. v. 17. Iacobi 1. v. 25.

EXHORTATIO V.

De miro profectu Eccleſiæ & iuſtorum in triplici ſtatu, incipientium, proficientium & perfectorum; atque Deiparæ à ſua Conceptione vſque ad Aſſumptionem.

Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? v. 9.

TRes adoleſcentularum, concubinarum & reginarum chori vnanimiter conſpirarunt vt ſponſam collaudarent. Iam quas laudes cecinerint ſponſus refert. Tanta enim pulchritudine, fulgore, ac maieſtate ſtupefactæ dicebant: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?* Repræſentabant vt iam vidimus, tres illi chori, tres iuſtorum ſtatus, incipientium, proficientium & perfectorum, ideoque dum ſponſam laudant quidquid in ſingulis eſt præcellens illi attribuunt, vt D. Gregorius hic teſtatur. Incipientium enim congregatio quæ per viam graditur purgatiuam, eſt quaſi aurora conſurgens; proficientium vero in illuminatiua fit pulchra vt luna; perfectorum vero vnitiuo amore flagrantium eſt electa vt ſol; eadem vero cum non tantum Deo contemplando vacat, ſed proximorum lucris incumbit, terribilis eſt vt caſtrorum acies ordinata. Egimus affatim de his ſtatibus, & de eorum progreſſu in libro 6. circa illud: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* Mira autem eſt inter has duas ſententias conſonantia. Idem enim eſt virgula fumi aſcendens, & aurora conſurgens. Pulchra vt luna reſpondet odoratæ myrrhæ, electa vt ſol thuri, terribilis vt caſtrorum acies ordinata, vniuerſo pulueri pigmentarij: quoniam per exercitia quæ hæc tria aromata repræſentant, has tres præclaras ſortiuntur denominationes. Quæ omnia breuitati ſtudentes ſimul explanabimus, ſuppoſitis quæ loco citato de hoc profectu diximus, applicantes ea non quidem diuerſis iuſtorum ordinibus, sed eiſdem iuſtis qui per gradus ſuos in verticem perfectionis deueniunt. C D

Lib. 6. exhort 11. & ſequẽtibus.

De modo creſcendi paulatim, ſecreto, & fortiter. §. 1.

ET quidem naturam & modum proficiendi, nomen auroræ conſurgentis egregiè declarat: aurora enim non eſt aliud quam aëris illuminatio paulatim facta à ſole ortui ſuo appropinquante. Et quamuis ſolum denominetur aurora donec ſol plene ſit ortus, tamen eadem lux quæ in ea cœpit, pulſis tenebris adhuc creſcit vſque ad meridiem. Et ſub hac ratione ſymbolum eſt profectus ſpiritualis, iuxta ſententiam Salomonis dicentis: *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem.* Nec ſolum lux, ſed ipſa ſemita procedere dicitur & creſcere, vt lux referatur ad gratiam & virtutes; ſemita vero ad ipſa opera & fructus.
Prou 4. v. 18.

Si

1. Si modum autem creſcendi auroræ attendas, A inuenies aërem ex ſe tenebroſum & noctis gelu frigidum, à ſole, qui fons eſt luminis, paulatim illuminari tenebras expellendo, & augendo lucem: ita etiam anima ex ſe tenebris ignorantiæ & culpæ defœdata, ac pigritiæ & torporis frigore detenta, impotenſque vt hæc mala pellat, diuino indiget auxilio & fauore Chriſti, qui illuminat tenebras noſtras, duoque præſtat in quibus noſter profectus conſiſtit. Primum eſt iugiter animam purgare & ab illa expellere omnem ignorantiam,
Eccleſ. 21. v. 2.
culpam, torporem, & acidiam, vt quaſi à facie colubri ſic fugiat cuncta peccata etiam minima; &
Pſal. 50. v. 4
vt ſemel mundata iterum dicat, *amplius laua me ab*
Eccleſ. 17. v. 21.
iniquitate mea: ſeruans conſilium Eccleſiaſtici dicentis; *Conuertere ad Dominum, & relinque peccata; precare ante faciem Domini, & minue offendicula.* Sed vlterius exigit bonorum operum prouentum vt B lux gratiæ & ardor charitatis, virtutumque in
1. Cor. 12. v. 31.
dies fiat maior & illuſtrior in nobis vt ſimus æmulantes ſemper chariſmata meliora, & per excellentiorem viam progredientes, probantes potiora vt charitas magis ac magis abundet in nobis, repleti fructu iuſtitiæ in laudem & gloriam Dei.
Ad Philip. 1. v. 10.

2. Sicut autem in ſuo incremento tria habet aurora admiratione digna, quia enim ſol nobis adhuc occultus, leniter accedens ad noſtrum orizontem aërem illuminat, hinc aurora creſcit non ſubito, ſed paulatim; non cum ſtrepitu, ſed ſenſim, & ſine ſonitu; ac tanta fortitudine vt nulla vis creaturę poſſit illius augmentum impedire: ſic anima quæ in Deum reſpicit, à quo ſuum incrementum ſpe-
1. Cor. 3. v. 7
rat; quia *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*; in virtutibus proficit, non ſubito quia nemo repente fit ſummus, C ſed gradatim: nec tenebræ ex toto pelluntur niſi per partes, nec interni hoſtes poſſunt ſimul vinci,
Deut. 7. v. 24.
& ſubijci, ſed paulatim ſicut de nationibus Philiſthinorum ſcriptum eſt, ne fortè multiplicentur contra nos beſtiæ agri, id eſt vitia ſuperbiæ, iactantiæ, inanis gloriæ & præſumptionis. Quare profectus iſte etiam fit ſine ſtrepitu, magno cum ſilentio, quoniam vix percipitur ab ipſo qui creſcit vt ſic in humilitate ſecurior maneat, & ſicut
Iob. 9. v. 21.
ait Iob: *etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea*: ita poſſimus dicere, etſi multum increuero & ſimplicior ac purior fuero, hoc ipſum ignorabo. Vtrumque Chriſtus Dominus docet egregiè in parabola quadam dicens: *Sic eſt regnum Dei*
Marci 4. v. 26.
quemadmodum ſi homo iaceat ſementem in terram, & dormiat & exurgat nocte & die, & ſemen germinet & increſcat dum neſcit ille. Vltro enim terra fructificat primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. Quem locum eleganter ſic explicant D
Hom. 15. in Ezech.
„ D. Gregorius & Beda: Semen homo iactat in terram cum cordi ſuo bonam intentionem inſerit, „ non quidem virtute propria, ſed Chriſti, qui eſt „ primus ſeminator & cuiuſcumque boni ſeminis „ principium, in terram humani cordis iaciens illud „ vt fructificet, ad quod tamen ipſe homo cooperatur. Nec enim ſine proprio labore incrementum recipiet. Poſtquam autem ſemen iactauerit, dormit quia in ſpe boni operis quieſcit. Nocte vero exurgit ac die, quia inter aduerſa & proſpera proficit; aut dormit, & exurgit, quia iam contemplationi per quietem vacat, iam ad laborem actionis procedit, nec vllo tempore noctis vel diei ocioſus permanet; ſed curam ſui profectus gerit. Semen autem germinat & creſcit dum neſcit ille, quia dum metiri incrementa ſua non valet, ſemel con-

cepta virtus ad perfectum ducitur. Nec mirum quod neſciat quia incrementum iſtud pendet ex pluuia & rore aliiſque cæli influentiis, id eſt, ex multis ſecretis auxiliis, & gratiis ac inſpirationibus quas Deus immittit vt creſcat, quas tamen ille neſcit, nec quando veniant aut quo vadant. Terra tamen vltro fructificat, quia præueniente ſe gratia mens hominis ſpontaneè ad profectum boni operis aſſurgit. Cum operari incipit, tunc herbam profert, quia adhuc teneram virtutem oſtendit. Cum vero ad profectum boni operis aſcendit, tunc ſpicam: cum in eiuſdem operationis perfectionem, tunc plenum frumentum in ſpica producit. Aut etiam herbam germinat cum inchoat à fide, & à timore Domini bonum facere: quia initium ſapientiæ timor Domini: ſpicam autem quæ amplius à terra eleuatur, cum ſpe in æterna conſurgit, & ex eadem ſpe altiora aggreditur opera. Plenum vero frumentum, cum iam ex charitate operatur, & ad charitatis perfectionem in qua eſt plenitudo legis, aſcendit.

3. Non quidem negamus multa eſſe quæ hoc incrementum impedire poſſunt, ſicut ſegetem lædit, aut gelu aut nebula, aut grando vel beſtia conculcans, aut volucris granum rapiens; at virtus Chriſti Domini adeo potens eſt vt cuncta hæc impedimenta auferat vel diminuat vt terra cordis noſtri vltro, ſponte ac magna cum voluptate tentationibus deuictis vberiores virtutum fructus in dies producat. Quod auroræ ſimilitudo magis explicat, dum ita conſurgit & creſcit vt à nullo impediri valeat; quia ſol à quo eius incrementum procedit omnibus præualet. Tu autem ô miſer homuncio, pro tui arbitrij libertate potes ſoli iuſtitiæ obſtaculum ponere, & ad tenebras tuas reuerti. Quare quodcumque detrimentum tuum tibi ſoli imputa; incrementum vero diuinæ gratiæ; quæ tamen nulli deeſt; ſed adeò pauci ſunt qui ea proficiunt, vt quaſi de re noua & rara cum admiratione dicatur: *quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens?* id eſt, quæ eſt iſta quæ paulo antea erat ſicut nox tenebris obuoluta, iam vero incipit apparere ſicut aurora, inſurgere & creſcere luce coruſcans, & ſemper magis augeſcens?

De profectu animæ per opera plena ſuo ſtatui conſentanea, & ad Chriſti ſimilitudinem firma. §. 2.

SEd vlterius procedit præcellentia huius progreſſus cum dicitur: *pulchra vt luna, electa vt ſol.* Hoc enim maximum eſt iuſti encomium. Sicut de Simeone filio Oniæ inquit Eccleſiaſticus:
Eccleſ. 50. v. 6.
Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet, & quaſi ſol effulgens ſic ille effulſit in templo Dei. Vnde deducimus animã piam hic non comparari lunæ cum partim eſt obſcura, & tantum ſemiplena. Tunc enim non pulchra ſed deformis ex parte apparet; ſed cum plena eſt & perfecta totoque orbe lucida: & ideo non ait quæ eſt iſta quæ creſcit vt luna, ſed quæ progreditur pulchra vt luna & incipit apparere in ipſo noctis exordio luce plena & ſplendida, atque hac ſua pulchritudine & ſplendore progreditur illuminans noctem, & inter ſtellas maximè coruſcans. Hanc autem pulchritudinem & plenitudinem recepit à ſole, cuius luce illuminatur, ſic etiam ſancta anima quæ primum progreſſum fecit inſtar auroræ, ab eodem Sole iuſtitiæ plenitudinem lucis recepit & incrementũ ſuo ſtatui & miniſterio

GRANADA

consentaneum, sunt enim plures sanctitatis & ministeriorum gradus alij aliis perfectiores. Et sicut vasa parua & magna plena dicuntur, etsi magna plus aquæ contineant quam parua; sic iusti qui ad profectum peruenerunt, pleni dicuntur iuxta suum gradum vt possint ministerium suum implere sicut Apostolus præcepit, & opera plena facere, ne dicat illis Christus Dominus: *Non inuenio opera tua plena coram Deo meo.* Tunc igitur progreditur anima pulchra vt luna cum maiori fulgens sanctitate per operæ coram Deo plena & perfecta vlterius procedit, suoque splendore peccatores qui adhuc sunt nox & tenebræ illuminat, ac proprio exemplo mouet vt tenebras pellant, lucem diuinam appetant, & ad illam recipiendam se disponant: quod fusius hic prosequitur D. Gregorius.

2. ad Timoth. 4. v. 5. Apoc. 3. v. 2.

2.

Sed subtilius quid est in hoc progressu. Luna quidem plenum suum splendorem & decorem retinet quamdiu est obiecta soli, & directè ex opposito respicit illum. Tunc vero decrescit lumen, cum illam obliquis & quasi transuersis radiis respicit & illuminat sol. Sancta igitur anima semper progreditur pulchra vt luna plena, quoniam satagit semper directò iustitiæ solem intueri, & ita coram ipso apparere, vt directis eam radiis respiciat, & suo diuino lumine compleat. Numquam ab eo recedere veller, nec ad dexteram nec ad sinistram, nec obliquam vllam admittere intentionem, sed directè & velociter eum sequi, in illumque omnes suas vires dirigere. Caue ne ab illo discedas, nec aspicias terrestria, nec aliquid terrenum inter te & Solem iustitiæ intercedere permittas, alioqui sicut creuisti vsque ad plenitudinem, decrescesque vsque ad defectionem, erisque sicut stultus qui vt luna mutatur, cum potius deberes esse sicut thronus Dei, & luna perfecta in æternum.

Eccles. 27. v. 12. Psal. 88. v. 37.

3.

Hinc fit hanc similitudinem latenter nobis maximum incutere timorem ac pauorem. Vt quid enim dicitur anima pulchra non vt sol, sed vt luna, nisi vt scias pulchritudinem gratiæ non tantum à tenon esse, sed à Deo? quod humilitatem commendat: sed etiam quamdiu in hoc exilio degis, inesse tibi mutabiliter & amissibiliter. Et qui hodie es pulcher cras poteris esse fœdus; & qui modo es lucidus, postea forsitan fies tenebrosus, & sicut creuisti in luce vsque ad summum, forte decrescesque vsque ad imum: Vt *qui se existimat stare, videat ne cadat*: Et cum metu & tremore salutem suam operetur, satagens per bona opera, solida & plena certam suam vocationem & electionem facere. Quod cum hoc timore humili & cauto progrediatur, progressus eius etsi sit instar lunæ pulchræ, erit stabilis ex Christi gratia. Ad quod non parum conducit si ascendat vt fumus myrrhæ continuam exercens sui abnegationem, vt simul sit pulchra vt luna, & tamquam myrrha electa det suauitatem odoris.

1. Cor. 10. 4. 12. Ad Philip. 2. v. 12. 1. Pet. 1. v. 10.

Eccles. 24. v. 20.

4.

Quæ diximus amplius declarat tertia similitudo, *electa vt sol*, qui triplicem habet in luce excellentiam, nempe summam intensionem, ac magnitudinem, ita vt ipsas stellas etiam obscuret, quod luna non facit; deinde stabilitatem & perpetuitatem quia nullum lucis patitur in se detrimentum, aut diminutionem; & tandem miram efficacitatem, quoniam per lucem non solum illuminat mundum, sed calefacit, & radios igneos exsufflans montes tripliciter vrit, atque in hæc inferiora miras virtutes & effectus instruit. Hæc autem omnia perfectè tantum conueniunt animæ beatæ, quæ plenam assecuta est iam Dei similitudinem. Nam, *cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* At etiam aliquo modo aptantur illi in hoc sæculo, quando speciali electione eleuatur ad perfectissimã similitudinem Solis iustitiæ, cuius progressus depingitur à Psalmista dicens: *Ipse* (scilicet sol) *tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius, nec est qui se abscondat à calore eius.* Hùc autẽ solem imitantur in suo progressu qui dicũtur electi vt sol, non electione quæ communis est omnibus iustis, sed quibusdã singulariter electis, de quibus Dominus dixit in parabola vineæ: *multi sunt vocati, pauci vero electi.* Nam licet illi omnes operarii vocati sint & electi ad accipiendum denarium fœlicitatis æternæ, tamen non omnes accepti sunt & electi vt placuerit patrifamilias in eos gratuitam suam munificentiam effundere, sed solum in nouissimos, id est, in insignes viros ad legem gratiæ spectantes, quales fuerunt Apostoli, inclyti Martyres, & præclari quidã Ecclesiæ Doctores ac religionum Patriarchæ, aliique huiusmodi, qui ad maximam ascenderunt sanctitatem & similitudinem cum Christo Domino qui est prima perfectionis regula: Nam, *perfectus omnis erit si sit sicut magister eius.* Ad quam perfectionem omnes aspirare possumus, siquidem omnibus dicitur: *Estote perfecti sicut pater vester cælestis perfectus est.* Sed quoniam pauci sunt isti cum admiratione dicitur, *quæ est ista quæ progreditur electa vt sol?* id est, quæ cursum peregrinationis peragit insigni procedens sapientia & sanctitate, in eaque permanens immobilis sicut sol alios suo exemplo illuminans & inflãmans, præsidens non tantũ nocti sed etiam diei, quia etiã iustos exhortatur & excitat ad progrediendum in via Domini sequentes illum. Dum enim (inquit D. Gregorius) anima magis ac magis crescit & de die in diem per cõsuetudinem operis lumen iustitiæ tam perfectè accipit vt etiam bonis exempla imitationis præbeat, profecto iam luna sol efficitur, quia quæ in noctibus errantibus lucebat, modo in die ambulantibus lumen veritatis manifestat.

Ecclesi. 43. v. 4. 1. Ioan. 3. v. 2. Psal. 18. v. 6. De progressu ad similitudinem Christi Domini. Matth. 20. v. 16. Luc. 6. v. 40. Matth. 5. v. 48. In hunc locum. " " " " " "

Ex eo autem quod anima electa sit vt sol, fit vt *terribilis sit sicut castrorum acies ordinata.* Probabile quidem est omnes istas similitudines à cælestibus astris desumi, & ita castrorum aciem ordinatam vocari exercitum stellarum: sic enim eam vocat scriptura, maximè Ecclesiasticus cum ait: *Vas cæsirorum in excelsis, in firmamento cæli resplendens gloriosè. Species cæli gloria stellarum; mundum illuminans in excelsis Dominus. In verbis sancti stabunt ad iudicium; & non deficient in vigilijs suis*, id est, apparatus belliquus est in cælo ordinata & speciosa acies stellarũ quæ ad imperium Domini suum munus exequuntur, nec in eo deficient. Per hanc igitur castrorum aciem merito intelligimus aciem omnium virtutum quæ sanctam animam ornant, terribilem & inuictam faciunt. Virtutes enim sunt veluti stellæ splendentes quæ iuxta Dei voluntatem munus suum obeunt, & actus suos perficiunt quando, & vbi, ac quomodo oportet, nec deficiunt in illis. Per has virtutes dimicat anima contra vitia & passiones carnis, & contra hostes omnes, siue inuisibiles, siue visibiles, quibus terribilis efficitur maximè per quatuor horum castrorum duces, scilicet quatuor Virtutes cardinales quibus præsidet imperatrix charitas omnium fortissima, & potentissima:

Eccles. 43. v. 9. Hæc metaphora etiã habetur. Iudicum 5. v. 20. & Baruch. 3. v. 34.

tissima: sub temperantia militant abstinentia, sobrietas, pudicitia, virginitas, modestia, humilitas, & aliæ quæ appetitum concupiscibilem compescunt. Sub fortitudine vero militiam exercent magnanimitas, patientia, longanimitas, perseuerantia & aliæ quæ irascibilem infrænant. Sub iustitia autem, & prudentia aliæ plures quas Angelicus Doctor commemorat, quas longum esset recensere. Sed ijs omnibus ornatam & munitam animam decet progredi, atque in singulis crescere & ascendere vt sumus vniuersi pulueris pigmentarij. Et tunc quæ terribilis est hostibus & dæmonibus, admirabilis est Angelis sanctis, & ideo dicunt: *quæ est ista quæ progreditur, &c.* Talem ergo instituе vitam vt Angelis sit admiranda, nihil habens terrenum, sed totum cæleste; à cælestibus astris discens virtutum progressus: imo ab ipsis cælorum incolis, & à castrorum acie ordinata: Angelorum etiam sume progrediẽdi exempla. De illis enim potest intelligi similitudo ista, vt eo feruore progrediaris in terra, quo Angeli Deo ministrant in cælo: sicut omnibus commendatur cum iubemur dicere: *fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Sed de hac similitudine plura iam supra diximus.

2. 2. q. 49. & sequẽtibus, & q. 80.

Pro festo Pẽtecostes. *De miro progressu Ecclesiæ Catholicæ. §. 3.*

Sed quoniam in singulos iustos recidit quidquid de Ecclesia Catholica admirabile prædicatur, nonnihil dicamus de excellentissimo eius progressu qui his verbis depingitur. Mitto aliorum expositionem qui auroram consurgentem ad Ecclesiam legis naturæ; pulchram vt lunam, ad legis veteris synagogam, & electam vt sol ad legis nouæ Christi Ecclesiam referunt; nam de hac vltima tantùm quę ad nos spectat dicere est animus, quæ statum habuit auroræ in Apostolis & Discipulis Christi toto tempore quo in eius schola permanserunt vsque ad Spiritus sancti aduentum. Tunc enim proficiebant, & ascendebant sicut aurora, quia Christus Dominus eorum magister tamquam sol paulatim eos illuminabat, docebat, & perficiebat, tenebras ignorantiæ ab eis pellens, & ad virtutis studia maximè excitans. Hanc auroram execrabatur cœtus Iudæorum; cuius nomine dicitur: *Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ.* Expectabat populus ille lucem nempe Christum & Messiam venturum, & tamen cum venit noluit eum videre, nec recipere sicut ipse Dominus testatur cum ait: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim eorum mala opera.* Nec etiam viderunt ortum surgentis auroræ, scilicet Ecclesiæ, quam Christus congregabat, quia illam etiam persequebantur, & extinguere cupiebant. Nam etiam mala & peruersa erant eorum opera. Ortus auroræ (inquit D. Gregorius) est exordium clarescentis Ecclesiæ, quem videre nequeunt reprobi, quia à conspectu districti iudicis malorum suorum pondere pressi ad tenebras pertrahuntur.

Iob. 3. v. 9. Ioan. 3. v. 19. Lib. 4. Mor. c. 13.

2.

In ipso autem die Pentecostes aurora ista cœpit progredi, *Pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Quoniam ab Spiritu sancto edocta & inflammata, ad summamque perfectionem euecta est; & exinde cœpit apparere mundo pulchra vt luna propter puritatem vitæ, castitatem & exemplum bonorum operum lucens in medio nationis prauæ, & in nocte gentilitatis

Ad Philip. 2. v. 15.

quam instruendam assumpsit. Apparuit etiam electa vt sol propter lucidissimam eius sapientiam, & ardentissimam charitatem qua splendebat & flagrabat, vniuersum orbem inchoans perlustrare, inflammare, & virtutibus ac donis replere cælestibus. Apparuit denique vt castrorum acies ordinata, stellis omnium virtutum & gratiarum quæ dicuntur gratis datæ, munita, quibus terribilis fuit dæmonibus & sapientibus huius sæculi, ac tyrannis, quia nec eos pauebat; nec progredi propter illos desinebat. Hoc autem adeò fuit nouum & mirabile vt Angeli stupentes dicerent, *quæ est ista quę progreditur, &c.*

Sed quid non mirentur mulierem tali modo progredientem cum Ioannes de eadem dixerit: *Signum magnum apparuit in cælo; mulier amicta sole & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim?* Allusio proculdubio fit ad hunc locum Cantici. Nam & verbum Hebraicum quod interpres vertit, progreditur, significat apparere & se manifestare: id est, quæ est ista quę apparet, & cernitur progredi sicut aurora, &c. Ista est signum magnum, & prodigium nouum quod apparuit mundo: sed in cælo, quia mulier est plenè cælestis, æterni regis sponsa, progreditur quidem pulchra vt luna; quia luna sub pedibus eius, non tamquam conculcata, sed tamquam fulcimentum, & sustentaculum eius, quomodo basis est sub columna quam sustinet, sicut in Exodo dicitur: *Sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum cum serenum est.* Puritas autem, vitæ sanctitas, & pulchritudo quam à Deo recipit, fundamentum est, & stabilimentum Ecclesiæ, & benè luna ornat pedes per quos progredimur, quia primus Ecclesiæ progressus est per affectus, vnde sancta procedunt opera. D. Ambrosius mysticè per lunam intelligit sacram Scripturam, quæ lumen præbet degentibus in huius sæculi nocte vt rectè progrediantur. Super quam, id est, super præcepta & veritates quas tradit, suos pedes figit Ecclesia vt ad cælestia tendat, & immobilis perseueret: quæ expositio parum distat à supra posita. Sed obstat huic nostræ interpretationi; quod pulchra luna tantum dicitur cum est plena: at si mulier amicta sole lunam sub pedibus habebat, non erat luna, nisi semiplena, & cornuta versus nos, sicut contingit in coniunctione cum luna est infra solem. At cum ex astrologia constet numquam nisi medietatem lunæ (quæ diaphana non est, sed densa) illuminari à sole, sat est ad nostram interpretationem, partem lunæ quam mulier pedibus tangebat, & quæ illam sustinebat, luce plenam esse, maximè quod cum hæc visio facta sit visione imaginaria in cælo, id est, in aëre à terra subleuato, non est inconueniens lunam sustinentem mulierem plenè lucidam repræsentari; cum tamen de hoc nihil dicat Scriptura.

Apoc. 12. v. 1. In Apoc. 12.

Deinde prógreditur Ecclesia electa vt sol, quia erat amicta sole: amictus autem iste ad modum vestis talaris, vel pallij ab humero tegebat vsque ad pedes, & significat plenitudinem sapientiæ & gratiæ, ac ardentis charitatis qua fulgebat & flagrabat omnimodam induens Christi imitationem, & similitudinem, per quam progrediebatur inter Iudæos & Gentes, omnes illuminans ad fidem & inflammans ad amorem. Et quia plures erant qui ei resistebant progrediebatur terribilis vt castrorum acies ordinata & coronata stellis, quia per virtutes & gratias à

Ad Rom. 13. v. 14.

suo sponso receptas victoriam & coronam de hostibus reportabat.

4. Lib.4.exhort.40. Sed non est prætermittenda noua expositio huius progressus iuxta explicationem in primo Tomo allatam de luna & sole; vt Christus Dominus ratione sacratissimæ suæ humanitatis comparetur lunæ, ratione vero diuinitatis soli. Illa sustinet Ecclesiam, hæc amicit, & protegit. Progreditur igitur Ecclesia pulchra vt luna propter imitationem & similitudinem cum Christo Domino qua homo est, cum eiusque humana natura; electa vero vt sol propter similitudinem & vnionem cum eodem vt Deus est; sicuti supra diximus ascendere vt virgulam fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, propter imitationem Christi hominis, ac Dei & eorum quæ gessit in carne mortali, & quæ obtinet in cælo. Præse enim fert Ecclesia totum Christum quem amat, & prædicat, & hominibus manifestat. Est autem terribilis vt castrorum acies ordinata, id est, vt Angelici exercitus, à quo circumdatur, protegitur & coronatur, quia dum illorum ordinem, obedientiam, vnionem, & fortitudinem imitari studet, ipsis dæmonibus fit formidabilis. Quod eleganter B. Ignatius Martyr confirmat dicens:

In Epist.11. ad Ephes. „ Cum assidue in idem conuenitis, destruuntur vires sathanæ, & irritæ eius reuertuntur ignitæ sagittæ ad peccatum. Nam vestra concordia consonaque fides eius est exilium; ac defensoribus „ eius ac satellitibus tormentum. Nihil melius quam „ pax in Christo per quam bellum omne aboletur „ aëriorum, & terrestrium spirituum.

Apoc.12. v.6.&14. De hoc supra exhort. 2.§.1.&2. vbi ad finē habetur alia huius loci interpretatio de oratione. Sed quomodo mulier terribilis est vt castrorum acies, cum fugerit à facie draconis in solitudinem, quasi illius formidans furorem? At non fugit vt timida, sed vt prouida. Vnde nec datæ ei sunt alæ columbæ meticulosæ, sed aquilæ grandis & fortis. Quare etsi fugiat ad solitudinem gentium, ibi viriliter dimicat contra draconem vt eas ad Deum conuertat, de quo etiam victoriam obtinuit, & quotidie per filios suos obtinet.

De stupendo progressu Deiparæ à Conceptione vsque ad Assumptionem. §. 4.

Pro variis festiuitatibus Deiparæ.

IAm breuiter progressum Deiparæ in hac similitudine contemplemur, in qua cuncta supradicta eminentiori multo perfectione reperiemus, ita tamen vt hæc verba non tantum ab adolescentulis & reginis, sed etiam à cælestibus hierarchiis dicta esse arbitremur. Quæ à quibusdam diuersis B. Virginis Festis adaptantur, vt in Natiuitate & Præsentatione fuerit sicut aurora consurgens, in Incarnatione pulchra vt luna; in Assumptione vero electa vt sol, & deinceps terribilis vt castrorum acies ordinata ad nos ab hostibus protegendum. Sed melius singulis Festiuitatibus ferè omnia poterunt aptari: & in primis sicut de Christo Domino prædixerat Oseas: *quasi diluculum* (seu aurora) *præparatus est egressus eius*, quia in ortu suo nouam erat allaturus lucem mundo: ita mater eius ab instanti suæ immaculatæ Conceptionis cœpit egredi, progredi, & apparere tamquam aurora consurgens, non quidem expellens tenebras, quas vel vnico momento habuerit, sed quia à Sole iustitiæ postea ex ipsa nascituto, in eo instanti illuminata est, & exinde cœpit crescere, & progredi tanto spiritus feruore, vt dixerint Angeli: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Nato Præcursore dicebant omnes: *Quis putas puer iste erit? etenim manus Domini erat cum illo.* Sic concepta Virgine aiebant Angeli, & nata dicebant vicinæ; *quæ putas puella ista erit?* Quæ est ista quæ modo apparet, & tam feliciter incipit, & progreditur sicut aurora consurgens? Merito ergo vocatur aurora, quæ signum est appropinquantis solis, & ideo maximam ingerit lætitiam mœstis, consolationem afflictis, & ægris sanitatem. Propter quod Conceptio & Natiuitas Virginis sicut canit Ecclesia, gaudium attulit vniuerso mundo: quoniam instar auroræ finis fuit præcedentis noctis, quæ vniuersum orbem vexabat ex longa absentia Christi promissi, & initium diei sequentis quem suo ipse aduentu allaturus erat mundo, summa eum luce perfundēs & lætitia. Patres antiqui qui solis ortum Messiæ, scilicet, aduentum videre desiderabant, etiam cupiebant videre ortum surgentis auroræ: nempe illius Virginis de qua nasciturus erat. Sed quamuis multis lachrymis & precibus postulassent, multi id non obtinuerunt, quia nondum venerat tempus præstitum: cum autem aduenit, orta est aurora quæ omnium desideria cœpit explere. Sicut enim luctatus est Iacob cum Angelo tota nocte donec Angelus dixit ei; *dimitte me, iam enim ascendit aurora*: sic luctabantur sancti Patres in Iacob prefigurati, extorquere nitentes precibus & lachrymis à Deo filij sui incarnationem. Post longam autem luctam cum iam tempus esset vt noctis tenebræ cessarent, & desideratus sol oriretur mundo, inquit illis Angelus; cesset pugna & lucta vestra; iam enim ascendit aurora, & nata est Virgo ex qua carnem assumet is quem venturum expectatis.

Genes.32. v.26.

Sed quis progressum huius auroræ poterit explicare? Aurora sine vlla intermissione iugiter crescit vsque ad perfectum diem, in quo B. Virgo reliquos sanctos superauit: qui vel aliquando retrocesserunt, vel propter leues aliquos defectus nonnullas in suo progressu habuerunt morulas: at Deipara iugiter sine interruptione culpabili progrediebatur, & crescebat sicut aurora, & quolibet opere se ipsa melior in dies erat. Nonne progrediebatur vt aurora cum puella adhuc trima in templum deducta, per quindecim eius gradus mirabiliter ascendit? Mirabantur quidem non solum parentes & sacerdotes, sed ipsi Angeli qui aderant dicentes: quæ est ista quæ in hoc templo modo nouo sine defatigatione progreditur & ascendit sicut aurora consurgens? Sed plus progrediebatur intus, quam manifestabat progressus ille foris. Nam teste D. « Ambrosio, incessu affectuque venerabilis non « tam vestigium pedis tolleret, quam gradum vir- « tutis attolleret. De qua dicere possumus: *O quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis!* Sed de hoc mox in exhortatione 10.

Lib.2.de Virgin.ferè à principio. Cant.7.v.1. 2.

Per hos autem gressus progrediens vsque ad Angelicam Annunciationem tunc nouo & prodigioso modo apparuit, *Pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Agnouit hoc Gabriel Angelus qui ingrediens ad eam dixit: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Vbi tria refert encomia quæ progressum prędictum confirmant.

De incremento in Annunciatione. Lucæ 1. v.28.

Quid est gratia plena, nisi pulchra vt luna? & quidem plena omni plenitudine gratiæ quæ tali Virgini conueniebat, in qua numquam diminutionem

minutionem passa est, aut defectum, cuius pulchritudinem humana & angelica natura mirantur. Nam vt inquit Petrus Damianus: Quantumlibet aliæ stellæ reluceant, luna tamen & magnitudine præeminet, & splendore: sic vtramque naturam Virgo singularis exuperat, & immensitate gratiæ & fulgore virtutum. Et merito comparatur lunæ, de qua Ecclesiasticus ait: *Luna in omnibus in tempore suo ostenso temporis, & signum æui.* Nam B. Virgo in omnibus nationibus in tempore suæ apparitionis in mundo, ostensio est illius temporis, de quo Paulus ait: *Vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere*: Quæ etiam signum est æui, id est, æternæ vitæ & regni cælorum per filium eius aperiendi. Vnde de eadem subditur, *à luna signum diei festi*, quia ab ipsa inchoat omnis nostra festiuitas per aduentum Verbi diuini inter nos. Hinc Angelus vlterius addit, *Dominus tecum*, quod est electa vt sol. Dominus enim fuit in Maria singulari quadam ratione, quia elegit eam in matrem, in qua per carnem esse & habitare decreuerat: quare merito electio eius est vt sol, id est, ad modum ipsius Christi, vt sicut ipse vnicus est inter viros, ita illa vnica esset inter fœminas: ille Deus & homo cui nullus hominum, vel Angelorum potest comparari; hæc fœmina, sed mater Dei, qua quisquis non est Deus, inferior inuenitur, & minor: sed quod subditur, *benedicta tu in mulieribus*, idem est quod terribilis vt castrorum acies ordinata. Quod ne appareat nouum, memento Deum, cum primis parentibus propter peccatum maledixit, vnicam tantum apposuisse benedictionem, dicendo serpenti: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum.* Vbi promulgatur bellum acre futurum inter diabolum & eius sectatores, ac inter mulierem & filios ab ea progignendos, inter quos futurus erat vnus Christus, & vna mulier mater eius quæ hanc benedictionem obtineret: tantaque polleret fortitudine, vt serpentis caput contereret, regnum ac potentiam euerteret. Benedicta ergo tu in mulieribus, quæ hanc diu desideratam obtinuisti benedictionem vt ad Dei filium concipiendum sis electa, ideoque terribilis es vt castrorum acies ordinata; quia formidabilis eris diabolo, & Angelis eius, quorum vires conteres, vt omnem maledictionem à nobis propellas. Hæc Angelus prædicauit de Virgine, quæ assensum ei præbens, filium Dei in se concepit. Et tunc eminentissimè fuit, *pulchra vt luna, electa vt sol*, iuxta illud Psalmistæ vaticinium: *Semel iuraui in sancto meo si Dauid mentiar: Semen eius in æternum manebit, & thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum.* Semen Dauid Christus, cuius thronus, in quo iuxta eumdem Psaltem posuit tabernaculum suum, & requieuit, fuit mater eius, quæ est sicut sol, & sicut luna plena in æternum permansura. Vnde reliquo vitæ suæ tempore progressa est vt luna plena, peccatoribus veniam & gratiam impetrans, vt sol, iustis etiam augens lætitiam, sapientiam, & charitatis ardorem. Denique vt castrorum acies contra hostes fidei fortiter pugnans, & teste D. Ignatio Martyre, contra vitiorum pestiferos conflictus in pugna fidei disceptando enitescens.

Serm.de Virg.Assumpt. De comparatione ad lunam in progressu plura dicta sunt in lib. 4.exhort. 10 §.3. Eccles.43. v.6. Ad Gal.4. v.4.

Gen.3.v.15.

Psal.88. v.36.

Psal.18.v.6

De progressu in Assumptione ad cælos. §. 5.

De progressu in Assumptione

De hoc plura lib.6. exhort. 21. 1.

QVæ autem præstabat in terris, vberius modo præstat in cælis, vbi sui progressus tale præmium & palmā est assecuta, vt Angelicæ hierarchiæ in eius Assumptione admirātes dicerent: *quæ est ista quæ progreditur*, tamquam *aurora consurgens* cum corpore, noua & fulgida luce splendente? Sed quo progreditur? profecto in locum suum, quem filius suus præparauerat illi: vt liceat ei aptare quod Dominus dixit ad Iob: *Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum?* Si ad sensum mysticum attendas, noua est interrogatio, & satis stupenda, nam diluculum, & aurora præcedunt ortum solis: quomodo ergo Sol iustitiæ dicit, numquid tu es sicut ego, qui post ortum meum præcepi diluculo vt surgeret, & auroræ ostendi locum suum? At hoc æternitatem Verbi diuini indicat, cuius ortus à Patre æternus est iuxta illud: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Et quia idem est lux vera & splendor paternæ gloriæ, à quo procedit lux matutina & quidquid in hoc mundo lucis est particeps, ideo per eius voluntatem oritur diluculum, & aurora consurgit, omnesque sancti resurgent noua luce splēdescentes, sed præ omnibus eius mater tamquam noua aurora consurgens, cui ostendit locū suum, hoc est omnium supremum post ipsum, ad suam dexteram ei assignans thronum, sicut Salomon matri suæ.

Iob.38. v.12.

Psal.109.v.7.

Ibi est, *pulchra vt luna*, propter quatuor gloriosissimas dotes sui corporis, quod ab anima gloriosa sicut luna à sole, summam accipit claritatem, & decorem, vt post gloriam Filij nulla inueniatur maior quę ita beatos lætificet sicut illa. Nam (vt inquit Cardinalis Petrus Damianus) sicut nullum « est astrum excepto sole, adeo pulchrum vt luna, « sic summa gloria est post Deum, videre Virgi- « nē, adhærere ei, & in illius protectionis munimi- « ne commorari. In Resurrectione (ait Isaias) *Erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septempliciter sicut lux septem dierum.* Quæ si mystice ad Virginem & filium eius applices, lux virgineæ lunæ, & claritas ac pulchritudo eius similis erit luci solis filij sui. At lux huius solis incomparabiliter excedit lucem omnium Sanctorum quæ numero septem dierum denotatur. Et tamen dicitur, *electa vt sol*, non fulgens vt sol, sicut de omnibus iustis testatur Saluator, sed *electa*, propter singularem gloriam animæ, singularemque suam electionem, vnicum super omnes constituentem chorum ad quem nullus hominum, vel Angelorum pertinget. Vnde terribilis est, id est, mirabilis & spectabilis sicut *castrorum acies ordinata*, quoniam quidquid pulchritudinis est in vniuersa cæli militia, in ea videtur comprehensum: inter beatos enim splendent vt aurora innocentes, infantes, Virgines sicut pulchra luna, Martyres tamquam ardens sol; Doctores velut stellæ in perpetuas æternitates. At cuncta hæc supergressa est cælorum regina, quæ innocentia & virginitate, fortitudine & sapiētia omnes longè superat. *Alia* (inquit Paulus) *est claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* At Deipara in resurrectione sua omnibus his refulsit claritatibus, nam luna eius ornat pedes, sol vestit, stellæ coronant. Et sicut discipuli teste eodem Paulo, sunt corona, & gaudium sui magistri, ita

2. Reg.2. v.19.

« Serm.2. « de Nati- « uit. Virg.

Isai.30. v.26.

Matth.13. v.43.

1.Cor.15. v.41.

Ad Philip. 4. v. 1. Exhort. 8. ad finem habetur coronæ huius discursus.

omnes sancti per duodecim stellas designati, sunt gaudium & corona Mariæ, quæ omnium fuit doctrix & magistra, & omnes suis precibus iuuat vt æternam gloriæ assequantur coronam. Veinam & nos ita eam imitemur in terris, vt stella corona ipsius mereamur esse in cælis. Amen.

EXHORTATIO VI.

Pro festo Annunciationis vel Natiuitatis Dei.

De descensu Christi in hortum Ecclesiæ per assumptionem carnis: quid in ea egerit, & quid nobis agendum vt perfectionem quam docuit, assequamur.

Vers. 10. Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica.

BIPARTITI sunt Patres in huius loci interpretatione; antiquiores sponso, alij sponsæ attribuunt. Vtraque interpretatio probabilis & vtilis, mysteriisque scaturiens, & ideo vtramque prosequemur. Si sponso assignemus, explicat quo descenderit cum ab sponsa recessit dicens: *descendi in hortum nucum*. seu vt Lxx. vertunt, *in hortum nucis*, vsurpantes iuxta morem Hebræorum singulare pro plurali: sumitur autem species pro genere. Nux enim omne genus fructuum significat, qui sub duro cortice latent, vt sunt amygdala, auellanæ, & alij eiusmodi. Nux vero duplicem habet corticem, priorem amarum, alterum asperum, & durum, intus vero nucleum suauem, vnde triplicem sub illa sensum mysticum suauissimum latere existimo, quem paulatim enucleabimus.

Per hortum nucum Ecclesiam veterem, ac nouam repræsentari. §. 1.

1. Christus comparatur nuci.

AIt ergo *descendi in hortum nucis, vel nucum*. Periphrasis est Incarnationis, quæ descensus vocatur, quia Deus exinaniuit semetipsum formam serui accipiens. At si diceret, descendi in mundum vt carnem mortalem assumerem, seu vt homo fierem. Assimilatur enim Christus nuci, quoniam sub duro & aspero cortice carnis mortalis & passibilis, continetur nucleus diuinitatis suauissimus, verbum enim diuinum carnem assumpsit qua se tegit; non carnem gloriosam & splendidam, sed omnibus amaritudinibus, & ærumnis huius vitæ subiectam. Talem enim eam concepit sine opera viri Virgo gloriosissima, virga Aaron de qua dicitur; quod cum esset arida sine hominum industria, sola Dei virtute & omnipotentia subito germinauit: *Et turgentibus gemmis eruperunt flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt*. Flores sunt ardentissimi & pulcherrimi affectus Virginis, quibus Messiæ aduentum desiderabat & petebat; ac virtutes illæ quibus ornata erat, cum ab Angelo audiuit; *Aue gratia plena*, folia vero verba illa suauissima quæ Angelo respondit; *quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* & rursus: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Mox autem ex sanguinibus eius virtute Spiritus sancti efformatus est Christus, tamquam

Num. 17. v. 8.

Lucæ 1. v. 28.

A amygdalũ vel nux, quæ sub cortice carnis & sanguinis Deum naturæ vnitum latenter continebat.

Nec solum ipse Christus homo factus, sed cuncta eius mysteria, & insignia opera in hoc mundo amygdalis, & nucibus cõparantur: natiuitas enim in diuersorio, circũcisio octauo die, fuga in Ægyptum, vita pauper & humilis, prædicatio innumeris persecutionibus ventilata, passio denique ipsius velut nuces erant, amarum exterius corticem continentes, intra quem semper latebat diuinitas vt merito Ecclesia vocetur, *hortus nucis vel nucum*, id est, hortus Christi sub metaphora nucis repræsentati, vt sciat quid foris, & quid intus debeat meditari, & imitari vt dignus eius hortus fiat.

2. Diuerso tamen modo nomẽ istud Ecclesiæ antiquæ & nouæ aptari debet. Illa enim hortus erat nucum, quoniam sub duro & aspero cortice sacrificiorum, rituum, & cæremoniarum quas lex vetus præscribebat, dulcem continebat nucleũ Messiæ, quę tamquam eius figuræ & vmbræ repræsentabant, sicut Paulus de Hebræis ait: *Bibebant de consequente eos petra, petra autem erat Christus*. Petra quidem foris durissima erat, sed intus latebat fons aquæ viuæ, & totum hoc Christus erat, quia Christum repræsentabat Descendit autẽ Deus in hunc hortum nucum vt has nuces confringeret, & nucleum latentem propalaret, nimirum seipsum qui sub illis vmbris latebat, mundo manifestans. Vnde non legem soluit, sed adimpleuit, nam licet cũcta hæc cæremonialia abrogauerit, non confregit reprobando tamquam mala, sed implendo quæ figurabant, & propalando id propter quod sunt instituta: propter quod Ecclesia illa antiqua quo ad cœtum Scribarum & Pharisæorum ac Sacerdotum hortus nucum alia ratione vocatus est. Nam præter supra dictum legis corticem, ipsi aliud tegumentum addiderunt amarissimum & asperrimum traditionum suarum; quibus excæcati perperam legem interpretabantur, & Messiam expectabant tamquam regem mundanum potentissimum. Propter quod Christum pauperem respuerunt, ac persecuti sunt dura ceruice, & incircũcisis cordibus Spiritui sancto resistentes.

1. Cor. 10. v. 4.

Matth. 5. v. 17.

3. Sed quid Christus tunc operabatur? Vt scilicet Ecclesia quam de nouo tunc fundabat, nobiliori ratione hortus nucum diceretur. Lex enim gratiæ & euãgelica perfectio aptissimè vocatur nux, quia sub duro & aspero cortice pœnitentiæ, abnegationis propriæ, & diræ crucis, dulcem continet fructum iustitiæ & sanctitatis, nucleumque diuinæ charitatis & gratiæ quam lex vetus significabat: sed non conferebat, quia eius Sacramenta erãt inania & vacua, tamquam nuces sine nucleo gratiæ ipsam tantum repræsentantes. At Sacramenta legis nouæ nuces sunt hoc nucleo plenæ, & insuper tot perfectio euangelica nuces habet, quot virtutes docet, quæ circa proprias materias sui abnegationem exercent, carni quidem durã & amaram, sed spiritui ex Christi gratia dulcem & suauem. Hic est hortus quem Christus plantauit cum dixit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam*. Ecce duplicẽ corticem mortificationis vel sponte assumptæ, vel ab aliis inflictæ; *& sequatur me*. En dulcem sanctitatis fructum qui in Christi imitatione consistit. Et cum sermonem habuit ad discipulos in monte, nuces proferebat, & nucleum latentem simul indicabat cum paupertatem spiritus, mansuetudinem, luctum, persecutiones, & alia huiusmodi simul cum suauissimis præmiis edocebat. Nuces quidem non

Matth. 16. v. 24.

Matth. 5. v. 1.

sunt

A sunt cibus infantium, & paruulorum, sed virorum fortium, qui eas possunt conterere, & medulla potiri. Descẽdit ergo Christus Dominus in hortum nucum, vt ad fortiora studia sanctitatis nouam Ecclesiam prouocaret solidiorem ei cibum præbens, qui illam perfectam redderet. Non ait, descendi vt viderem nuces, vel vt colligerem, sed tantum descendi in hortum nucum, quoniam plurima effecturus erat quæ vno verbo, vt vidimus, comprehendi non poterant.

Ad Gal. 6. v. 14.

Mira quæ Christus Dominus gessit in hoc horto. §. 2.

1. IAm quid vlterius ibi egerit explicemus, *vt viderem* (inquit) *poma conuallium*, id est, vt inuiserem eos qui sunt sicut arbores pomiferæ plantatæ in vallibus humidis, quæ pulchriora & vberiora ferunt poma. Nam in profundas humilium conualles descendũt aquæ diuinarum gratiarum: & qui iuxta illas sunt, sanctiora & suauiora producunt opera, quorum visu Deus delectatur & reficitur. Imo dum videt, suo intuitu germinare facit & increscere. Dei enim benignus prospectus causa est omnis nostri profectus. Et is quem Deus prospicit, proficit; deficit autem ille à quo faciem suam auertit, & ideo Dauid sæpius Dominum deprecabatur vt illum respiceret sciens eum intuitu suo omne dissipare malum, & afferre omne bonum.

Descendit igitur Christus vt videret poma cõuallium quoniam potissimè venit propter clamorem sanctorum, & humilium qui eius aduentum

Psal. 11. v. 6. ardenter postulabant. Nam: *propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus*. Erant autem tunc inter Iudæos præclari viri & fœminæ tamquam poma conuallium: vt Zacharias & Elizabeth, Simeon & Anna prophetissa, & alij plures quos venit inuisere vt eorum desideria satiaret.

2. Sed Lxx. versio peculiare indicat mysterium: sic enim legunt, *in hortum nucis descendi, videre in genimina torrentis*; torrens autem hic secundum D. Hieronymum vocatur tribulationum & persecutionum turbidæ aquæ, quas eius typo Eliam bibisse legitur: vel potius inundans eius passio, de qua dicitur: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*. Et: *Torrẽtem pertransiuit anima nostra*. Genimina autem torrentis sunt fructus quos Passio Christi Domini tulit. Fructus vero isti sunt omnes iusti, qui eius legem amplexi sunt, & vitam ac perfectionem Euangelij imitati. Nam, *ego* (inquit) *si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, omne scilicet genus hominum vt mihi inseruiant, meaque vestigia sectentur. Non dicit videre genimina sed in genimina, quod quãdam curam & solicitudinem indicat eorum quæ videntur. Descendit igitur Christus in mundum vt torrentem passionis pertransiret; per quem innumeri sancti tamquam eius genimina pullularent, quorum curam gereret, vt valde proficerent & perfecti essent, iuxta illud: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*. Vnde genimina torrentis vocare possumus præclariores sanctos qui Christo crucifixo adhæserunt, & eius amaram passionem imitari conantur, quos beneficentissimis oculis intuetur. Inter hæc genimina cõputari possunt Deipara, & discipulus, qui stabant iuxta crucem Iesũ, & aliæ mulieres quæ eos comitabantur. Nec non Centurio & bonus latro;

2. In Zach. 12. ad finem. 3. Reg. 17. v. 4.

Psal. 109. v. 7.

Psal. 123. v. 5.

Ioan. 12. v. 32.

Isaiæ 53. v. 10.

3. Addamus insuper post passionem suam Christum Dominum descendisse in hortum nucum vt videret poma conuallium, quia descendit in limbum vt inuiseret iustos omnes qui in illis subterraneis & profundis locis concluſi erant; vt videret in illa genimina torrentis, quæ virtute passionis suæ pullulauerant, quia tempus iam erat vt ex illo carcere educerentur in paradisum voluptatis, cuius pulcherrima erant poma Deo valde grata.

4. Symbolum eorum quæ diximus fuit descensus Dei in rubo qui ardebat, & nõ comburebatur, vbi Moysi dixit: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto*, Exod. 3. v. 7 *& clamorem eius audiui propter duritiam eorum qui præsunt operibus, & sciens dolorem eius descendi vt liberem eum, &c.* Idem est nucleus in nuce, & ignis in rubo; nempe Deus in carne mortali. Cœtus autem Hebræorum quos affligebant Ægyptij erat velut hortus nucum, quia dure ab Ægyptiis vexabantur, ideoque genimina erant torrentis dũ prope tot degebant tribulationum aquas. Sed descendit Dominus in rubo vt hunc hortum inuiserer & inspiceret in hæc genimina, quia humiliauit se carnẽ assumens vt omnes à Pharaone, id est, à diabolo oppressos liberaret, & in terram fluẽtem lac & mel cælestis consolationis & gratiæ potenter

C deduceret, in quo suam nobis commendat charitatem, & vigilantem prouidentiam dum ait se vidisse afflictionem populi, & scire dolorem eius, & descendere vt eum liberet. Qui enim vnico verbo omnes hostes posset interimere, descendere dicitur quia magnum aliquid & nouũ ad liberandum electos suos parare decreuit quod magnam nobis præstat fiduciam ne in tribulationibus deficiamus.

5. Vidimus vmbram, videamus veritatem adumbratam, quam narrat D. Ioannes dicens: *Egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrentẽ Cedrũ, vbi erat hortus in quem introiuit, &c.* Hortus iste, Christo fuit hortus nucum propter durissima quæ ibi passus est. Cœpit enim pauere, & tædere, ac mœstus esse, & factus in agonia sanguinẽ sudauit. In horto vidit genimina torrentis, tum quia sæpius

D inuisit discipulos, & eorum curam gessit, ne vllus periret. Tum vero quia ibi perspexit suæ passionis fructus vt carnem ad eam tolerandam animaret, quando apparuit ei Angelus confortans eum. Vnde apte hortus iste vocatur *Gethsemani*, id est, vallis pinguedinum, ad significandum pinguissimos fructus passionis Christi qui vocantur hic genimina torrentis, & poma conualliũ. Cuncta igitur hæc profunde meditari & imitari pro viribus curemus, vt possimus etiam poma esse conuallium, & genimina torrentis, quæ Christus videat, visitet, & suo visu valde perficiat.

Ioan. 18. v. 1 Marci 14. v. 34. Lucæ 22. v. 43.

Ita D. Hieronymus de nom. Hebraicis.

6. Tandem addit sponsus: *Vt inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica*. Dicens, si floruisset, indicat forte non floruisse. Vinea enim quæ iuxta Isaiã domus Israël est, si ad Scribas & Pharisæos ac Sacerdotes aspicias, non solum tunc

Vide exhort. seq. §. 4. Isaiæ 5. v. 7

non floruit,sed quę expectata erat vt faceret vuas, A fecit labruſcas, & ſpinas, ex quibus coronam texuit, quam Chriſto diuiſionis cauſa imponeret. Cæterum cum vineam illam,quæ reliquum populum etiam comprehendebat, ſolicite coleret, putaret,& ſua rigaret doctrina,cœpit floreſcere,maximè in Apoſtolis & Diſcipulis quos cõgregauit, qui flores euangelicæ perfectionis emittentes ſpẽ præbuerũt vberius fructus maturarum vuarum,ex quibus muſtum diuini amoris exprimeretur, quo iſt die Pentecoſtes repleti ſunt. De quo infra diciCant.8.v.2. tur: *dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum*,vt ſuo loco dicetur.

Hi Apoſtoli ſunt mala punica, quæ germinarunt, vnde innumerus cœtus Martyrum & Doctorum ortus eſt.Germinabant quidẽ,ſeu vt Lxx. vertunt,*efloreſcebant*,cum interrogante Domino, Matth. 20. v.22.& c. 26.v.35. *poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum*? reſpõderunt *poſſumus*;& dicente Petro,*tecum paratus ſum in carcerem & in mortem ire*, alij ſimiliter dicebant. At hæc flores erant martyrij, quos turbo perſecutionum facile diſſipauit : poſtea vero perfectum germinarunt martyrium, & magiſterium,pluresque ſui habuerunt imitatores. Deſcendit igitur Chriſtus in hortum ſuum vt viſitet vineam,& vites ſingulas,ac mala punica,ſinguloſque fideles & iuſtos qui huius horti plantationes ſunt,vt curam illorum gerant,& ſicut inquit D.Anſelmus,vt auxilia præſtet quibus in virtute proficiant & vnuſquiſque rectè *munus ſuum* obeat.

7. Quatuor iuſtorum ordines in Eccleſia. Ex his autem deducere poſſumus hortum Eccleſiæ Chriſti quatuor iuſtorum ordines continere qui vocantur nuces,poma cõuallium, vites florentes,& mala punica. Nuces ſunt, qui auſteram profitentur vitam ; poma conuallium qui ſuauiorem exterius, ſed ex conualle humilitatis ſugunt pinguedinem virtutis, nam maximè hac virtute delectatur qui ſe lilium conuallium vocat. Vites autem florentes ſunt qui præclara habent primordia, anhelantes ad fructus amoris vberius producendos: mala autem punica, qui ſub cortice duriuſculo patientiæ charitatem fraternam ſeruant, & ſanguinem ſuum pro Chriſto fundere non formidant. Ad hos ergo Sanctorum ordines teadiunge vt Chriſtus te videre, & viſitare dignetur, ſuaque viſitatione beatum facere.

Quomodo ſancta anima in hunc hortum deſcendat, & quid agat. §. 3.

IAm ad ſponſam hæc verba aptemus, à qua dicta credimus, vel quia præcedens laus, nimi- D rum,*quæ eſt iſta quæ progreditur, &c.* erat quaſi quædam tacita interrogatio, ac ſi diceretur illi, *quo progrederis*, ô ſponſa, *quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna? &c.* Cui interrogationi ſatisfaciens ait: *deſcendi* (vel iuxta phraſim Hebræam quæ præteritis vtitur pro præſentibus vel futuris) deſcendo, aut deſcendam *in hortum nucum*. Aut ſi hæc connexio non placet, dicito potius ſponſam poſt tot laudes auditas,quaſi earum oblitam,ſolum ea quę muneris ſui erant cogitaſſe : quia humilis & prudens anima non tam cogitat qualis ſit, vel qualis dicatur,ſed quid ſibi expediat facere & qua ratione rei ſibi cõmiſſæ ſolicitudinem gerat, & iniunctum munus digne obeat. Quo facto teſtatur dignam eſſe laudibus dũ non immoratur in illis,ſed quaſi laudantes interrumpit, & ad ea quæ ſibi incumbunt properat.

Sed phraſim conſidera:non ait,deſcendi in hor- 1. tum meum,ſicut ſponſus dixerat,quia ipſa nihil ſi- Cant.5.v.1. & c.6.v.1. bi proprium putat, ſed omnia ſponſi eſſe cognoſcit. Nouit paupertatem & nuditatem ſuam ; nec de bonis ab ſponſo acceptis vllo modo gloriatur, ſed perpetuam colit humiliratem, eamque verbis teſtatur. Vnde non dicit, veni aut progreſſa ſum, vel aſcendi in hortum, ſed potius deſcendi. Filiæ dicunt:*quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, &c.* Quæ aſcenſum ad cæleſtia denotant, & ſuper alta & ſublimia progredi inſinuant: At ſponſa non ſic;ſed, *deſcendi in hortum*, ad humilia ſe deprimens,& ad conualles etiam ipſas ſe demittens: *vt inſpicerem* (inquit) *poma conuallium*. Valde enim amat humilitatem, quia ſcit ſcriptum eſſe ; *quanto* Eccleſ.3. *magnus es humilia te in omnibus,& coram Deo inuenies* v.20. *gratiam*. 2.

Inde etiam eſt quod cum in horto plura eſſent aromata,plures arbores pomiferæ pretioſiores & pulchriores,ac ſuauiores fructus proferentes, quã nuces;non ait deſcendi in hortum aromatum, vel pomorum,ſed *nucum*,quæ aliis viliores ſunt, & vt diximus,corticem habent amarum, aſperũ & durum , ac intus nucleum qui ſine labore non poteſt extrahi : ad ſignificandum ſtatum vitæ quem ſibi elegit,non quærens quæ dulcia ſunt & ſuauia,honorifica & apud homines fragrantia,faciliaque & laboris expertia; ſed potius quæcumque ſunt amara,aſpera,& dura;cum labore & ſudore vultus ſui veſcens pane ſuo. Neque deſcendit in hortum vt otietur, ſed vt laboret, & quæ dura ſunt conterat, molliat & effici apta reddat. Antidotum ſibi præparat contra ſuperbiam,vt cum progreditur quaſi aurora,pulchra vt luna , electa vt ſol in cæleſtibus commorans & anhelans ad ſuperna, mox deſcendat ad ima, & laborioſa, nuces confringens, proprias abnegans voluntates , paſſioneſque carnis coërcens. Vnde non ait deſcendi in hortũ nucum vt viderem eas ſicut inquit vt videre poma, quoniam deſcenſus iſte ordinabatur ad laborandum excolendo terrã, perficiẽdo quidquid neceſſe erat vt hortus nuces & fructus ſuos ferret. Nam licet olim virga Aaron ſpeciali miraculo in taberna- Num.17. culo fœderis ſubito amygdalas germinauerit , ta- v.8. men reliquarum tribuum virgæ aridæ ſicut antea in eodem tabernaculo permanſerunt ; quoniam etſi ſingulari aliquo priuilegio quidam ex infuſione Dei euangelicam ſubito adipiſcantur perfectionem ſicut Saulus , tamen iuxta communes leges non acquiritur niſi magno labore & paulatim ; ita vt qui laborare recuſauerit, fructum non ferat.

Sed ſublimius myſterium latet in huiuſmodi 3. ſententiis, dum maximè commendare videntur numerum quaternarium.Etenim cum de progreſſu ſponſæ agitur quatuor præclaris rebus aſſimilatur,nimirum auroræ,lunæ,ſoli & caſtrorum aciei ordinatæ. Cum ipſa vero ſuum deſcenſum in hortum commemorat, alia quatuor recenſet, ſcilicet, nuces , poma conuallium , vineas florentes , & mala punica germinantia, quæ cum quatuor præcedentibus ſeruant proportionem. Nam ſicut nuces partim ſunt duræ, partim molles, ſic aurora partim eſt tenebroſa, & partim lucida. Poma conuallium quæ ſuauia ſunt in humili loco ſita aſſimilantur lunæ, pulchræ quidem non à ſe, ſed à ſole , vites vero florentes ex quibus prodit vinum quod ſymbolum eſt amoris & lætitiæ, proportionem habent ad ſolem cuius lux eſt cum ardore. At mala punica quæ plura habent

grana

grana optimo ordine diſpoſita rectè æquiparantur caſtrorũ aciei bene ordinatæ. Præterea in duabus ſequẽtibus ſententiis idẽ quaternarius numerus commendatur. Nam turbatam ſe dicit, *propter quadrigas Aminadab* : quadrigæ autem à quatuor curribus vel rotis denominantur. Et tandem quater dicitur illi,*reuertere,reuertere Sulamitis,reuertere, reuertere vt intueamur te*. Numquid credendum eſt ſine myſterio toties quaternario Salomonem vti? Profecto eo indicat aliquid eſſe vltra communem modum, aut malum aut bonum. Nam ad exaggerandam malitiæ multitudinem ſæpius ſcriAmos 1. & 2. & Prou.30. ptura ait :*ſuper tribus ſceleribus, & ſuper quatuor non conuertam*. Rurſus ad amplificandam alicuius bonitatem dicimus, ô ter quaterque beatus. Et præceptum dilectionis Dei quatuor nominibus commendatur,ex toto corde, anima,mente & viribus, vt ſciamus ſumma & omnimoda perfectione eſſe B implendum.

Volens igitur ſponſus eximium & vltra communem modum perfectum ſuæ dilectæ progreſſum commendare, aſſimilat illum auroræ, lunæ, ſoli & aciei optimè ordinatæ: cupiens autem ipſa ſummam ſolicitudinem quam ſui horti gerebat oſtendere, per alia quatuor explicat quæ exercet Perfectionẽ in quatuor potiſſimè conſiſtere. circa nuces, poma, vites, & mala punica. Omnis enim euangelica perfectio & vniuerſa animæ ſanctitas in iis quatuor conſiſtit. Primo vt perfecta ſit circa ſeipſam, domando carnem, infrænando ſenſus, paſſiones coërcendo & ſeipſam omnino abnegando , quod virtutes morales illi præſtant. Deinde vt perfecta ſit erga ſuos proximos,reddẽs vnicuique quod ſuum eſt, & illi debitum vel ex iuſtitia, vel ex honeſtate,vel ex gratitudine,aut ex miſericordia vt cum omnibus pacem habeat, & C concordiam : vlterius autem vt perfecta ſit erga ipſum Deum,cuncta quę ad eius amorem,cultum & honorem ſpectant ſolicite præſtando.Et tãdem vt adeo eius circa hæc tria increſcat perfectio, quod vlterius curet proximis ſpiritualiter prodeſſe,vt ipſi etiam perfecti ſint,& Deus quem ſummè diligit, ab aliis etiam diligatur. Hæc autem quatuor optimè quatuor ſimilitudinibus adductis explicantur , ſiue cum ſancta anima per opera vitæ contemplatiuæ progreditur & aſcendit ad ſuperа, ſiue cum per opera vitæ actiuæ deſcendit humiliter ad infima. Eadem enim quæ aſcendit ad cæleſtia deſcendit in hortum nucum , vt ſe durioribus virtutis ſtudiis exerceat , vt erga proximos ſit affabilis & humilis inſtar pomorum conuallium; erga Deum vero deuota & grata ſicut vitis ſuauiter redolẽs , vini amoris edens fructum; erga alios vero lucrandos ſolicita per ſtudia quæ ſint velut mala punica, omnes in concordiam redigens hoD ſtibus id impedientibus terribilis effecta.

De examine ſui, & aliorum faciendo. §. 4.

4. SEd vlterius ſolicitudo illius progredi debet, quæ explicatur per illa verba ; *vt viderem*, &, *vt inſpicerem*: quæ ſignificant ſtudium examinandi,& perſcrutandi propriam conſcientiã,& quidquid intra hortum animæ floruit,aut germinauit, aut florere & germinare deberet. Quanto quiſque enim ſublimius progreditur , etiamſi pulcher ſit vt luna,& electus vt ſol,& inter cæleſtia cum Angelis commoretur , oportet vt mox deſcendat in hortum ſuum,& ſeipſum perſcrutari & examinare curet,iuxta illud Pſalmiſtæ:*Meditatus ſum nocte* Pſal.76.v.7 *cũ corde meo,& exercitabar,& ſcopebam ſpiritũ meum*,

Tom. II.

A ſi quam contraxerat immunditiam ab eo pellens. Cæterum ſponſa non ait , deſcendi in hortum vt 2. viderem tribulos & ſpinas,ſed poma conuallium, nec vt inſpicerẽ an germinaſſent vrticæ & vepres, ſed an floruiſſet vinea,& germinaſſent mala punica, vel aliquis defectus circa iſta contigiſſet ; quoniã intereſt valde inter perfectos & imperfectos cum ad examinandos ſeipſos deſcẽdunt.Iſti enim cum multoties delinquant ex malitia & electione ſaltem circa res leues,oculos conijciunt in hos tribulos & ſpinas quæ eradicandæ ſunt, & cõburendæ: illi autem cũ firmo animo decreuerint ex electione & ſcienter nec peccatum minimum patrare , fere omnes eorum culpæ & defectus ex ſurreptione ne ſunt & inaduertentia, vel ipſis bonis operibus immiſcentur cum aliquã ex debitis circumſtantiis emittunt,vel minus ſolerter quam par eſt, illa peragunt , ideoque dum ſe examinant in ipſa bona opera reſpiciunt, vt quos defectus habeant dignoſcant.Sciunt enim ſcriptum eſſe:*Cum accepe-* Pſal. 74.v.3 *ro tempus,ego iuſtitias iudicabo*:nõ ait iniuſtitias,nam de ijs certum erat iudicio ſubjacere condemnationis,ſed iuſtitias iudicabo,defectus omnes quibus inueniuntur mixtæ & maculatæ,propalando.

In hoc autem examine tria ſunt videnda & in- 5. ſpicienda quæ deſignantur per tria quæ in arboribus inueniuntur;nempe poma,flores,& germina, de quibus hic dicitur : *vt viderem poma conuallium, & inſpicerem ſi floruiſſet vinea , & germinaſſent mala punica* .Poma ſunt fructus & opera virtutũ; flores internæ affectiones,& deſideria;germina vero cogitationes ex quibus reliqua pullulant. A notioribus igitur inchoandum eſt examẽ,& ideo à fructibus quę ſunt opera & verba,perſcrutando quomodo facta ſint, & dicta,quem odorẽ & ſaporem corã Deo,& proximis habuerint, qua ſint peracta ſubmiſſione ; vt merito poma conuallium ab humilitate & pinguedine poſſint nuncupari. Deinde inſpiciẽdi ſunt flores, ſeu interna deſideria & animi decreta ; an ita firma ſint quod ex eis vberes poſſint expectari fructus. Quod inferius amplius explicuit dicens : *videamus ſi floruit vinea ; ſi flores* Cant.7.v.12 *fructus parturiunt*,tandem inſpicienda ſunt germina; ſeu radices & cauſæ florum & fructuum,nẽpe cogitationes illæ quæ animo inſident, ex quibus affectiones & actus prodeunt:quæ omnia cum rectè ſe habuerint, gratias oportet agere largitori Deo,vnde bona iſta proceſſerũt. Si autem aliquid defuiſſe inuenerimus,mox corrigendũ eſt vt cuncti noſtri actus coram Deo inueniantur perfecti.

Phraſis autem illa: *ſi germinaſſent mala punica*, alium poteſt habere ſenſum:ſi mala punica hic nõ ſignificent arbores,quæ potius mali punicæ deberent dici, ſed poma ipſa. Poma autem germinare dicuntur, quãdo opera ipſa & actus virtutum,habitus producunt in anima,aut noua gignunt propoſita vlterius fructificandi. Nam ſicut vnum peccatum ſuo pondere aliud trahit,ita vnum opus inſignis virtutis germinat aliud ſine termino.Perfecta enim anima numquam ſuis operibus ita ſatiatur,quod non eſuriat alia efficere: & poſtquã multa germinauit bona,amplius germinare deſiderat: germinatio autem hæc malis punicis attribuitur, quia poma iſta in vertice quamdam quaſi coronam germinant quæ ſignum eſt conſummatæ perfectionis,perfectæque in Chriſto victoriæ.

Sed alia etiam de cauſa ſancta anima à ſublimi 4. contẽplatione deſcendit in hortũ nucum , qui eſt Exempla Eccleſia iuſtorum euangelicã ſectantiũ perfectio- Sanctorum nẽ, vt videat & inſpiciat eorũ exempla , & opera, inſpiciẽda;

vnde sublimiorem discat sanctitatem, & amplius proficiat. Intuetur in quibusdam quam dure & aspere sua corpora castigent; in aliis quam strenue vltimum sibi locum eligant; horum miratur patientiam in aduersis, illorum humilitatem in prosperis, vnde non paruum capit emolumentum propriam agnoscens imbecillitatem, iuxta illud; *respiciet homines & dicet, peccaui*, quia respectu meliorum se agnoscit peccatorem: vnde ardentius se vrget vt bonos æmuletur in bono, & ipse in dies melior fiat. Nam vt inquit D. Gregorius: Magna sollicitudine ad curam nostræ meliorationis accingimur quando id virtutis in aliis cernimus, quod non habemus.

Iob. 34. v. 17. — Lib. 24. mor. c. 6.

Consulto autem sponsa tres tantum & potiores arbores nominat, quoniam vt docet Cassianus, perfectionis exēpla non à pluribus sumenda sunt, sed à paucioribus qui in ea maximè splendent: rarum siquidem est quod est valde pretiosum. Denique qui aliorum curam gerit descendere debet in hortum suæ custodiæ commissum, vt videat, & inspiciat diligenter cuncta quæ ad illum spectant. Quod clarius expressit sponsa cum inferius ait: *mane surgamus ad vineas, & videamus, &c.* De quo ibi agendum est, vbi supra dicta amplius explanabuntur.

Lib. 4. de Inst. renūt. c. 40. — 5. — Cant. 7. v. 12.

In exhort. 22. & 23.

EXHORTATIO VII.

Pro feria 4. hebdomadæ 3. Quadragesimæ in id, Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum, &c. Vers. 11.

De humili confeßione propriæ inscientiæ, & ignorantiæ eorum quæ ad Christum, vel ad seipsum spectant, & quomodo humilis anima sit currus, & quadriga Christi.

Nesciui, anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.

SPONSÆ verba sunt ista, nescire se dicentis: sed quid nesciat non explicat. Turbatam se ait propter quadrigas Aminadab, sed quid mali ab eis timuerit, non declarat. Aminadab autem vel nomen est proprium alicuius principis viri qui tempore Salomonis plures duceret, vel haberet quadrigas; vel nomen appellatiuum, vt idem sit quod populus, aut princeps spontaneus, sponte imperans, vel tamquam liber & nobilis quadrigas ducens. Alij Aminadab putant virum principem de tribu Iuda, & eius ducem qui primus intrepidè maris Rubri aquas ingressus est post Moysem. Sed tunc quadrigæ mysticæ sumendæ sunt, quia quadrigas veras habuisse non legitur: forte illæ sunt de quibus Abacuc ait: *qui ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.*

Lyra, Beda & alii. D. Ambr. serm. 2. in psal. 118. v. 6. Abacuc 3. v. 8.

De ignorantia eorum quæ ad Christum spectant.

§. 1.

AIt igitur sponsa; *nesciui*, inscientia miseria est, at reflexione quadam illam agnoscere, & fateri magna sapientia est. Numquam tam sapiens Salomon quam cum dixit: *Stultißimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, & non noui scientiam Sanctorum.* Tenemur scire Deum & Christum, quia cognoscere eos vita æterna est; nescire mors æterna. Debemus

Prou. 30. v. 2.

A etiam scire nosmetipsos, alioqui dicetur nobis: *Si ignoras te, egredere, & abi post vestigia gregum, &c.* Si nescias viam qua Christum quæras, quomodo inuenies? Si nescias quæ ad munus tuum spectant, quomodo implebis? Et, *qui ignorat ignorabitur*: qui nescit quæ debet; à Deo audiet, *nescio vos.* Quid ergo ait sponsa se nescisse? quam inscientiam fatetur? & quæ turbatio inscientem fecit?

Cant. 1. v. 7. Circa hunc versum plura dicta sūt ad hanc exhortationē spectantia. 1. Cor. 14. v. 38.

Dixerat sponsus; *descendi in hortum nucum, &c.* Veni in mundum sicut promiseram visitare populum meum. Respondet sponsa personam referens synagogæ, maximè cum resipuerit, saltem in fine mundi, *nesciui*: non te agnoui, non putaui te Messiam esse & verum Christum: *anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab*, id est, propter quatuor tua Euāgelia & prædicatores eorū, qui instar quadrigarum per vniuersum orbem celeriter discurrerunt, quorum doctrina excæcauit me, ne te agnoscerem. Prædicabas paupertatem, abnegationem sui & crucem; viuebas vitam humilem, pauperem, & despectam; increpabas magistros meos Scribas & Pharisæos; dicebas te filium Dei de cælo missum, & tamen sicut hominem moriturum; vnde & flagellari, & crucifigi ac sepeliri te permisisti: quis crederet hunc esse Messiam regem Israël? *nesciui.* Illam maledictionem incurri quam minatus es per Isaiam dicens: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur & sanem eum.* Non quòd Deus directè excæcauerit, & indurauerit eos, & hanc inscientiam pertinacem intulerit, sed quia in pœnam scelerum suorum permisit propriam malitiam excæcare eos, ideoque errauerunt nolentes intelligere vt licentiosius agerent.

Ita D. Greg. Beda, Anselmus, Cassiodorus, Rupertus & alii. — B — Isai. 6. v. 10. — Sap. 2. v. 22.

C Hoc insinuat ipsa phrasis sponsæ: non ait, Aminadab quadrigis suis turbauit me, aut turbauerunt me quadrigæ Aminadab, sed, *anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Christus enim qui rectè Aminadab vocatur, id est, princeps spontaneus, quia sponte pro nobis factus homo, & mortem passus est, non venit homines perdere, sed saluare; non excæcare, sed illuminare si per ipsos non steterit. Prædicatio Euangelij & doctrina ipsius nullum conturbat nec obscurat, aut tenebris inuoluit, sed potius pacem annuntiat, & tenebras expellit. Nam, *quadrigæ tuæ saluatio*, ad salutem hominum sunt, non ad perditionem. Rectè ergo sponsa non sicut Eua culpam in serpentem refundit quæ decepit eam, vel sicut Adam in ipsum Deum, qui occasionem ei præbuit dans illi D mulierem cuius suasu peccauit; sed potius seipsam incusat, in se culpam refundit dicens: *nesciui*, mea culpa deliqui: quia non quadrigæ, non Euangelia, sed *anima mea conturbauit me*; id est, ego ipsa me conturbaui, ego meæ inscientiæ causa fui, & inique ex quadrigis Euangelij occasionem sumpsi. Quadrigæ vitiorum meorum, nempe auaritia & ambitio, inuidia, & libido turbauerunt & excæcauerunt me ne agnoscerem te. Hoc valde conducit ad obtinendam veniam, si culpam non alteri tribuas, sed tibi, teque non excuses, sed inuises, iuxta illud: *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.*

Abacuc. 3. v. 8. — Genes. 3. v. 13. — Psal. 31. v. 5.

5. At supposito quod non in Deum excæcantem, sed in te culpam reijcias, nonnulla excusatio est, quæ culpam leuiorem reddit, & venia digniorem ignorantia

ignorantia delinquentis, maximè quæ ex humana fragilitate procedit: vnde & allegari potest ad indulgentiam impetrandam; siquidem Christus Dominus pro crucifigentibus orans dixit: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*: Et D. Petrus Iudæos ad pœnitentiam hortabatur dicens inter alia: *Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri*: quasi dicat: propterea veniam obtinebitis si pœniteamini. Sicut & D. Paulus de se ait: *Misericordiam consecutus sum quia ignorans feci.* Qui autem ex malitia peccat, vel ex ignorantia quam Theologi affectatam vocant, quia ipsam ignorantiam diligit, minus dignus est vt misericordiam consequatur: contra quos Saluator dixit: *Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet ambo in foueam cadent.* Sinite autem idem est quod indigni sunt quod eorum compatiamini, quia suam amant cæcitatem, propter quam peribunt, maximè dum Christum vt diximus tam crassè ignorent.

Lucæ 23. v. 34. — Act. 3. v. 17. — 1. ad Timoth. 1. v. 13. — Matth. 15. v. 14.

At sponsa inscientiam allegat, quæ nonnullam habet excusationem, quam insinuat sicut Rupertus notat; in eo quod ait: *anima mea conturbauit me.* Nam animam suam vocat cœtum Scribarum, & Pharisæorum, quos tamquam Magistros & Doctores habebat. Doctores autem legis sunt velut anima reipublicæ viuificans cuncta eius membra. Ait ergo, cœtus iste magistrorum meorum tantam in me excitauit seditionem, quod conturbauit me vt non possem probe scire quadrigas Aminadab, nec Euangelij veritates percipere, quod ita esse modo constat. Nam Rabbini miserum Hebræorum populum decipiunt, & eius nutriunt ignorantiam. Nam sicut multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum, ita multitudo iniquorum magistrorum perditio illius est.

Sap. 6. v. 26.

3. Quod si verba hæc referamus ad ea quæ præcesserunt, cum sponsa dilecto suo pulsanti non aperuit, sed se excusauit dicens: *laui pedes meos, &c.* tunc dicendum est his verbis agnoscere suam insipientiam, & imprudentiam: *Errant enim omnes qui operantur malum*; & ignari sunt qui imprudenter aliquid agunt. Ac si dicat; verè nesciui quid facerem cum tibi sponso amantissimo illico non aperui; sed anima mea conturbauit me, vt id non aduerterem propter quadrigas Aminadab, quod est populus spontaneus: id est, propter multitudinem cogitationum & rationum quæ sponte se mihi obtulerunt, & irruerunt vt me excusarem & detinerem. Vix enim quis diuinam sentit inspirationem ad aliquid arduum peragendum, cum vltro se offerunt rationes congruentes ad non faciendum; quas tamen suggerit vel diabolus, vel caro, seu amor proprius, maximè quatuor illæ concupiscentiæ quæ alias post se ducunt, scilicet amor & odium, seu desiderium & tristitia, spes & timor, quæ dum circa res terrenas versantur innumeras pariunt cogitationes & conturbationes. Agnoscere autem hanc propriam inscientiam, & imprudentiam, valde expediens est ad Deum placandum, iuxta illud: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Orandumque est frequenter: *Ignorantias meas ne memineris Domine.*

Prou. 14. v. 22. — Theodoretus in malū accipit has quadrigas. — Psal. 50. v. 5. — Psal. 24. v. 7.

A *De ignorantia eorum quæ ad seipsum spectant.*

§. 2.

1. SEd aliam audi inscientiam quam sponsa fatetur. Dixerat; *descendi in hortum nucum vt viderem poma conuallium, & inspicerem, &c.* Significans per hoc sollicitudinem cognoscendi omnia quæ intra ipsam sunt, & ad eam spectant. Postquam autem sedulo videre & inspicere curauit, ait, *nesciui*, subaudi meipsam, & ea quæ ad me attinent non satis percipere potui. Nesciui an exacte me examinauerim, & delicta mea perscrutata sim: quoniam vt ait Apostolus, *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui enim iudicat me Dominus est*; qui forte aliquid nouit in me, B quod ego ignoro: nesciui an cuncta rectè præstiterim vt Deum iratum placem: quia *nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Nesciui an recta gradiar via, vt dilectum quem quæro inuenire valeam: *quia est via quæ videtur homini recta, & nouißima eius ducunt ad mortem.* Nesciui an perseueratura sim in Dei obsequio, & quem finem habitura, *nescit enim homo finem suum.* Denique *ad nihilum redactus sum & nesciui.* Tanta est enim mea inscitia, quod dum deficio, & quasi in nihilum redigor, hoc ipsum me lateat. Hæc & alia plurima nesciui. Hinc autem quid? *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Magno enim timore sum perterrita propter sententias quæ in quatuor Euangeliis continentur, & in libris sacris quæ quadrigæ Dei merito nuncupantur. Quis non C stupeat considerans quæ in quatuor nouissimis futura esse docent? Quis non turbetur, dum contemplatur horam mortis incertam, aduentum filij hominis ad iudicandum qua hora non putamus; rigidum iudicium; supplicium horrendum gehennæ; & æternam durationem siue eius quod cruciat malos, siue eius quod remunerat bonos, nesciens vbi casurum sit lignum quod exciditur, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem in æternum ibi permansurum. Vere turbatur anima propter quadrigas Aminadab dum audit venturum filium hominis in maiestate cum Angelis suis qui sunt quadrigæ eius, & currus Dei decem millibus multiplex, quæ summa celeritate vniuersum mundum percurrent, & à quatuor ventis omnes homines congregabunt ad iudicium. *Mittet*, inquit, *Angelos suos cum tuba, & magna voce, & congregabunt electos eius à quatuor* D *ventis, à summis cælorum vsque ad terminos eorum.* Nescis quando hæc erunt, & non turbaris? & non es solicitus tui finis? *Vigilate*, ait, *quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* Ignorantia huius horæ indefessam petit vigilantiam, quoniam vna hora amitti potest vel acquiri prœmium vel supplicium quod in æternum sine mutatione durabit.

1. Cor. 4. v. 4. — Eccles. 9. v. 1. — Prou. 14. v. 12. — Eccles. 9. v. 12. — Psal. 72. v. 22. — Matth. 24. v. 31. — Vers. 42.

2. Sed audi aliam inscientiam sponsæ, quæ audierat sodales dicentes; *quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Quid ergo ipsa humiliter huic respondet interrogationi? *Nesciui, anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Nesciui quomodo sim ita pulchra & electa, ita terribilis vt castrorum acies ordinata, cum potius anima mea conturbauerit me propter aciem ordinatam quadriga-

rum Aminadab. Hoc est enim ingenium animæ A verè humilis vt laudes suas non curet, & oculos mox conijciat in ea quæ timorem & terrorem illi possunt incutere ne superbiat, & infletur, nam
Prou.28. v.14. *beatus vir qui semper est pauidus.* Per hoc autem quod pauet, fortior fit. Nam timor Dei non animum nec robur extenuat, sed auget; & tunc terribilis est vt castrorum acies ordinata contra hostes, quando iuste timet & turbatur propter quadrigas Aminadab, id est, propter sententias quæ habentur in Euangeliis, & Scripturis ad comprimendos superbos, & inflatos.

Si quando igitur tuas laudes audieris, mox dicito, *nescini*, hoc est, non pertinet ad me hæc scire.
Eccles 31. v.12. In multis volo esse quasi inscius. Nesciat sinistra mea quod facit dextera mea. Quæ retro sunt volo obliuisci, & ad perfectiora me extendere. O prudens inscientia, quæ meliorem parturit scientiam! B
Prou.11.v.2 Iob.28. v.28. Psal.90. v.13. O sapiens ignorantia, quæ Dei gignit veram sapientiam! Nam, *vbi humilitas, ibi sapientia*: & ecce, *timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligẽtia.* Time Dei quadrigas & vinces quadrigas diaboli, de quibus dicitur: *Super aspidem & basiliscũ ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.* Istæ sunt diaboli quadrigæ: aspis surda omnia vitia comprehendit quæ cor indurant, mentem excæcant, & iudicium proterunt reddũt: basiliscus quæ superbiam pariunt, iactantiam, inanem gloriam, honoris ambitionem, & super omnes primatum. Leo autem, quæ iram, sæuitiam, & vindictam excitant. Draco vero quæ astutiam, dolum, & fraudem machinantur, virtute autem Christi
Lucæ 10. v.19. qui dixit: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Has quadrigas dissipabis, omnia superabis vitia, tentationes repelles, & C terribilis eris sicut castrorum ordinata acies contra quos hostes.

Suam inscientiam humiliter agnoscentes regi à Christo. §. 3.

1. Deus se humiliter suâ insciẽtiâ agnoscentes regit. SEd iam versionem Lxx. perpendamus, in qua Patres plura agnoscunt mysteria: sic autem habet: *Nesciuit anima mea: posuit me currus Aminadab*, id est, anima mea insciens est & ignorans: nescit seipsam regere, nescit quo tendat, qua via procedat, ideo ipse sponsus Christus posuit me quasi currus Aminadab; qui summa celeritate & peritia currus suos regebat, & quo voluisset perducebat: ipse me fecit currum suum, & tamquam peritissimus auriga me regit & in patriam cælestẽ per vias rectas ducit. Quomodo autem ãnima sit currus Dei, & Christus eius auriga explicat elegan-
D ter D. Ambrosius cuius verba retulimus supra in
Lib. de Isaac. c.8. id, *equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te*, vbi plura de hoc diximus. Sed audiamus eumdem Ambrosium alibi hæc verba non minus egregiè
Lib. 3. exhort. 20. §.4. „ interpretantem, quæ ad Ecclesiam & animam sic
Cant. 1. v. 8. „ aptat. Multos currus habet in se Ecclesia quos
Serm. 2. in psal. 118. v. 6. „ omnes spiritalibus habenis Dominus regit, & vna „ anima multas cogitationes habet quas Dominus „ habena restringit & reuocat, ne quod in præru- „ ptum nostrũ hic currus feratur. Aminadab au- „ tem interpretatione significat Pater beneplaciti, „ cuius filius fuit Naason qui interpretatur serpen-
Matth. 1. v. 4. „ tinus: in quo agnoscis, quia sicut serpens pepen- „ dit in ligno qui te redemit; & sicut virga Aaron „ conuersa in serpentem Ægyptios serpentes deuorauit. Ergo anima currus est Dei, vt ira eius & libido, & timor & omnes sæculares concupiscentiæ refrænentur. Ecclesia quoque currus est Dei, quæ regenda est gubernaculis Christi, ne diuersorum populorum motus, dissensionesque perturbent.

Sic Ambrosius. Vbi insinuat Aminadab Patrem æternũ representare, Naason vero Filiũ eius pro nobis crucifixum. Vtriusque autem currus & quadrigæ sunt sanctæ animæ; quæ ira appellãtur, quia quatuor habent potentias, nimirum intellectum, & voluntatem, appetitum concupiscibilem, & irascibilem, aut vim sentiendi, quas Deus suauiter regit maximè per quatuor Virtutes cardinales, Prudentiam, Iustitiam, Temperantiam, & Fortitudinem quæ passiones cohibent.

Hoc expressit in li. de Isaac. c. 8. iam citato. Lib. 3. de Virginibus post medium. Sed vberius hoc alibi explicat Christum ipsi Aminadab comparans, qui (inquit) verus populi princeps animam iusti velut currũ agitator ascendẽs, verbi habenas gubernat, ne violentorũ equorum furore in abrupta rapiatur. Sunt enim eius velut quatuor equi quatuor affectiones, ira, cupiditas, voluptas, timor, quibus furentibus, cum cæperit agi, nequaquam seipsam cognoscit. Corruptibile enim corpus aggrauat animam. Hæc autem verbi tamquam boni agitatoris est prouidentia, ne illi animæ quæ in se non est morti obnoxia, corpus mortale coniunctum agitationem sui faciat esse difficilem. Primo igitur hos veloces corporis motus domiret, & nexu rationis infræner: deinde caueat ne dispari motu se velut equi implicent; vt bonum, aut improbus decoloret, aut tardus impediat, aut turbidus inquieter. Fremit enim equus malitiæ, seseque iactando currum lædit, grauat iugalem. Hunc bonus auriga demulcet, & in campum veritatis mittit, fraudis declinat anfractus, tutus ad superiora cursus est, periculosus ad inferiora descensus. Hæc ille longius prosequitur: sed in dictis insinuat, ex eo quod anima humiliter inquit; *nescini*, confitens nescire se ipsam regere & hos equos moderari quia ipsa passionum quadriga illam perturbat. Ideo Deum fecisse eam currum suum vt eam regeret.

Plura de hoc vide exhort. lib. 3. exhort. 18. & vbi citatur lonacus D. Ambrosii de Nabuth. Iezrahelita, c. 15.

2. Sed sublimius aliquid innuit hæc similitudo: quia enim Ecclesia & anima sancta maximè Prælatorum & Concionatorum suam inscientiam fatetur humiliter, posuit illam Deus vt esset currus & quadriga Christi deferens illum celerrimè per vniuersum orbem prædicans Euangelium: sicuti & prædicauerunt Apostoli & Euangelistæ primæuæ Christi quadrigæ celerrimæ. Nam, *in*
Psal. 18. v. 5. D *omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Nisi enim Christus eos duxisset, quomodo tam perniciter vniuersum mundũ percurrerent? Erant quidem quadrigæ Christi instar
Ezech. 1. v. 16. currus quem Ezechiel vidit quatuor rotis à quatuor animalibus agitatum, sed à diuino Spiritu emotum, super quem species quasi hominis insidebat, ipseque suo spiritu ducebat illum: sed quod amplius est, dum Apostoli & sancti Concionatores currus sunt vehentes Christum, etiam vehiculum sunt quo innumeræ animæ quas sua prædicatione conuertunt, euehuntur in cælum & vitam consequantur æternam. De quo tamen gloriari non possunt in se, sed in Christo, in quem melius
4. Reg. 2. v. 12. quadrat quod Elisæus de Elia clamabat: *Pater mi, currus Israël, & auriga eius.* Ipse enim omnes portat & dirigit, ac in eius virtute & auxilio omnia quę sui muneris sunt, rectè operantur. Propter quod summopere oportet humili sui cognitioni,
Vide dicta circa illud *ferculum sibi Rex Salomon.*

gnitioni insistere, illi enim tantum assumuntur in currus, qui suam agnoscunt insicitiam, & quod nec se, nec alios regere sciunt, nisi ipse Christus regat eos.

Quomodo Christus in passione sua turbauit semetipsum. §. 4.

1. De exẽplo Christi in passione sua. Iustus, & Apponius. SEd ne desit quem in hoc munere imitemur, aliam addamus interpretationem attribuẽtes verba ista ipsi sponso Christo, qui sui aduentus in mundum & passionis curriculum narrare prosequitur, dicens: *Descendi in hortum nucum*, id est, in synagogam quę mihi fuit hortus amaritudinum, & ingentium tribulationum, *videre genimina torrentis*, vt pertranseundo rapacissimum passionis meæ torrentem plura animarum genimina pullu-
2. Cor. 5. v. 21. lare facerem. *Nesciui*: Quia culpam in me nullam agnoui: *Eum enim qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*: Nesciui pro quo crimine proprio affligerer, vel habui me tamquam nescientem
Psal. 34. v. 15 Ierem. 11. v. 9. dum plura pateret, iuxta illud: *Congregata sunt super me flagella & ignoraui.* Et rursus: *Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam, & non cognoui quia cogitauerunt super me consilia dicentes; mittamus lignum in panem eius, &c. Anima mea conturbauit me.*
Ioan. 12. v. 27. Matth. 26. v. 38. Quoniam volũtariam assumpsi tristitiam, & turbationem propter peccata hominum. Nã & ipse dixit: *Nũc anima mea turbata est.* Et rursus: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*: Turbauit autem me propter quadrigas Aminadab, id est eorum qui odio habuerunt me gratis, & populi qui sponte insurrexit aduersum me. Vis nosse quadrigas? diabolus & principes tenebrarum, Caïphas cum C principibus sacerdotum, Pilatus cum militibus suis, & vniuersus populus Iudæorum: de quibus
Psal. 2. v. 1. quadrigis dicitur: *Quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Hæ fuerunt in causa quod Christus se turbauerit, à quibus tot tamque dira tormenta passus erat, sed ipse turbauit se, qui amictu oculi posset omnes prosternere, eorumque machinas dissipare, sponte tamen se eis subiecit, & permisit vt eum conculcarent & torquerent.

2. At magis se turbauit propter quadrigas Aminadab, id est Apostolos & Discipulos quos elegerat, vt tamquam eius currus & quadrigæ tenderent per vniuersum orbem suum Euangelium deferentes, & tamen tunc dispersi erant & variis tentationum procellis agitati. Sathanas enim ex-
Ioan. 11. v. 37. petiuit eos cribrare tamquam triticum, sed ipse D virtute passionis suæ eos protexit, vt non omnino perirent, sed rursus congregarentur & eius quadrigæ fierent. Vnde ad se eos vocat dicens: *Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere vt intueamur te.* Sed de hoc statim. Propter culpas ergo & miserias electorum maximè se turbauit Christus; sicut videns in morte Lazari omnes turbatos & plorantes: *Infremuit spiritu, & turbauit semetipsum.* Hæc autem dum contemplaris, time: quia si in ligno viridi & in eo qui culpã nescivit, faciũt hoc, quid fiet in sicco, tot culpis infecto? Simul tamen confide & gratias agito ei qui cum culpas nesciret sponte assumpsit pœnas, vt te ab vtrisque liberaret.

3. Denique ne despondeas animum, hæc verba hanc spem confirmant: cum enim sponsus bis laudans dilectam vocasset eam terribilem vt castrorum aciem ordinatam; sollicitus erat vt hanc A consequeretur terribilem fortitudinem contra hostes suos, ideo suum currum & quadrigam facere constituit, id est aciem ex multis quadrigis constructam, quod virtute suę passionis perfecit dum promeruit nobis Spiritum sanctum qui est virtus ex alto, timida corda corroborans, constituensque fortissimas Christi quadrigas ad eius bella contra diabolum gerenda. Vtinam hac induamur virtute, vt ei in omnibus sicut currus aurigæ promptissimè pareamus, & gloriam consequamur æternam. Amen.

EXHORTATIO VIII.

B *De triplici reuersione; peccatoris ad Deum per pœnitentiam, iusti vero ad exequendum munus suum, & Spiritus in morte ad ipsum Deum.*

Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere vt intueamur te.

Pro sabbato Dom. 2. Quadrag. defilio prodigo. VAS I conclusionem ex suprà dictis inferens sponsus, ait: *Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere vt intueamur te.* Intueamur inquit: nam principes auctoritatis ergo numero plurali vtũtur, aut quia sponsus Christi vnus Deus est cum Patre & Spiritu sancto, C ad tres autẽ diuinas personas hæc verba cuiusque cordi dicere spectat. Sulamitis autẽ idẽ est quod pacifica à pacifico Salomone sic nuncupata, ac si à Salomone diceretur Salomon, aut Salomona: vel à Salem quod est Ierusalem diceretur Salamith, id est Ierosolymitana: plures antiquorum Patres legunt *Sunamitis*, à qua lectione nõ abhorret Ecclesia in quadam antiphona, & interpreta-
Antiph. 3. secundi nocturni sanctarũ Virginum. tur empta, captiua, vel despecta. Reuertere autem videtur idem esse quod à loco quo tenderat, vel à cœpto itinere reuerti, aut idem est quod faciem conuertere. Vnde Lxx. legunt: *Conuertere, conuertere Sulamitis, conuertere, conuertere & videbimus in te.*

Sollicitatur à Deo conuersio peccatoris. §. 1.

1. VErba autem ista si moralem sensum spectes, sponsi sunt vt diximus, aut Ecclesiæ nouæ, D efflagitantis à synagoga vel ab anima peccatrice reuersionem & conuersionem eius ad fidem, & gratiam, ac ad ipsum Deum: vocat autem eam Sulamitem, vel Sunamitem, vt eam alliciat ex duplici capite. Primo quia electa est si velit vt sit pacifica, & pacifici Salomonis sponsa, cuius pignus per Christi passionem, & merita iam recepit. Æquum autem est vt à via sua mala, in qua non est nisi lis, rixa, & amara contentio, reuertatur ad ipsum Christum vt eius pace fruatur. Quæ enim societas sponsæ Christi cum diabolo? Quæ conuentio Sulamitis cum Belial? aut quæ participatio pacificæ cum peccato? Cui promissus est verus Christus non expedit pacem habere cum Anti-Christo. Auertere ab iis omnibus, reuertere à via tua pessima. Proiice à te characterem bestiæ, resume imaginem, & similitudinem Dei ad quam creata es, laua faciem tuam, & fœdam in

De hoc vide in lib. 5 exhort. 26 §.3. in id: *Ostende mihi faciem tuam.*

pulchram conuerte, vt *intueamur te*, vt digna sis quam intueamur, de cuius conspectu gaudeamus & congratulemur.

2. Deinde si Sunamitem vocat, in memoriam reducit miserum eius statum quia captiua diaboli est, cui se vilissimo rei delectabilis pretio tamquam vile mancipium vendidit, & turpissimè tradidit: *Ecce* (ait) *in iniquitatibus vestris venditi estis*. Et: *Omnis qui facit peccatum seruus est peccati*: Vnde despecta est & infamis, à viro suo Christo deserta, & in hostis potestatem tradita: *Solue* ergo *vincula colli tui captiua filia Sion, quia hæc dicit Dominus; gratis venundati estis, & sine argento redimemini*. Gratis se vendiderunt, quia exiguo pretio quod est instar nihili: sine argento autem rediruntur, non tamen sine immenso pretio sanguinis Christi, iuxta illud: *Empti estis pretio magno*. Et: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, &c.*

Isai.50. v.1. Isai.8.v.34. Isai.52.v.2. 1.Cor.6.v.20. 1.Petr.1.v.18.

3. Vnde mira splendet bonitas, & misericordia Dei quæ maximo affectu peccatorem ad pœnitentiam vocat, etsi eum gratis reliquerit, volens eum redimere tam eximio pretio. Hunc autem affectum vehementem insinuat per hoc quod quater dicit: *Reuertere*: nam verè *misericordia Dei exaltatur super iustitiam*. Et qui iratus contumacibus peccatoribus inquit: *Super tribus sceleribus, & super quatuor non conuertam*: Id est, quando fuerint vltra modum plurima: nunc *ter quaterque*, ait reuertere, & conuertere ad me, & ego suscipiam te, quoniam nec multitudo, nec magnitudo scelerum impediet veniam, si veram egeris pœnitentiam. Hoc clamat Pater qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Hoc clamat ipse Filius qui pro te homo factus est, vt te faceret filium Dei: hoc clamat Spiritus sanctus, qui cupit effundi in omnem carnem vt eam transferat in spiritum: ac clamat hoc sanguis Christi pro te effusus, indulgentiam postulans non vindictam: omnes vnanimi consensu quater dicunt; conuertere vt intueamur te: cur fugis à nobis fugiens à vita? cur à tergo nos relinquis, qui post tergum ad te clamamus vt faciem tuam ad nos conuertas? *Ostende* (inquit) *mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis*.

Amos 1. & 2. Iam supra de hoc numero dictũ est exhort. 6. §. 3. Isai.30.v.31. Cant.2.v.14.

4. Præterea quater dicunt *reuertere*, quia perfectam vndequaque desiderant conuersionem, & omnibus numeris absolutam, vt recedat sicut ait D. Bernardus, ab omni superbia, imo ab omni peccato cordis, oris, operis, & habitus seu omissionis. Sub his enim omnia includuntur quia omnia grauia peccata tenetur odio habere, qui indulgentiam cupit obtinere. Impium enim est dimidiam à Deo expectare veniam; cum eadem ratio sit dolendi de vno qua Dei iniuria est, & de omnibus: quia iuxta D. Iacobi sententiam: *Qui offendit in vno, factus est omnium reus*: Et qui ex corde conteritur de vno, de omnibus contritus manet. Sed oportet etiam quo ad omnes circunstantias perfectam esse reuersionem, omnes amputando relabendi occasiones. Propterea (inquit idem Bernardus) quater reuocat Deus animam quam respicit, quo videlicet ne in peccandi consuetudine, nec in conscientia peccatorum, sed nec in tempore, seu torpore ingratitudinis, aut in elationis cæcitate persistat. Hæc autem deducit ex eo quod perfecta conuersio hæc quatuor exigit: nimirum vt pristinam peccandi consuetudinem proposito meliore mutet; vt dignos fructus pœnitentiæ faciat, quæ à conscientia ipsa peccata pellat; vt pulso omni tepore gratus Deo inueniatur bonis operibus præterita mala recompensans; nec tamen vmquam de se præsumat, aut plenum se putet, sed humiliter amplius Deo satisfacere curet. Vnde non abs re quater dicitur vt conuertatur, per veram. s. cordis contritionem quæ de omnibus peccatis doleat propter Deum; & per integram confessionem, quæ omnia sacerdoti aperiat; per condignam satisfactionem quæ Deo iuxta vires totum debitum soluat; & tandẽ per morum correctionem, nouam & feruentem inchoando vitam: vt iuxta Baruc prophetiæ sentẽtiam: *Sicut fuit sensus vester vt erraretis à Deo, decies tantum iterum conuertentes, requiretis eum.*

Serm.3. ex paruis. Iacobi 2.v.10. Serm.3. de Annunt. ad finem. Baruc.4. v.18.

Denique quater dicitur *conuertere*, propter quatuor gradus quos perfectissima complectitur conuersio, ex vno prodiens ad alium. Primo enim vocatur homo ex infidelitate ad fidem: deinde ex peccato ad gratiam, postea ex sæculo ad perfectam Christi sequelam omnibus propter ipsum renunciatis in religionis statu, & tandem ex amore vitæ temporalis ad martyrii palmam, vt effundat cum opus fuerit proprium sanguinem propter gloriosum Regem Martyrum, qui pro nobis effudit suum, vt sic digne vocari possit ad coronam sicut supra idem sponsus dixerat: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis, &c.* Cant.4.v.8.

5. Sed quid est quod ait, *vt intueamur te?* Numquid non respicit Deus animam prius quam illa reuertatur ad ipsum? Imo quia respexit Deus Petrum, Petrus conuersus est, & fleuit amare: quoniam si Deus prius peccatores misericorditer non respiceret, & respiciendo vocaret, nullus ad eum se conuerteret. Respicit tamen illos quasi à tergo, quia adhuc auersi sunt ab illo: at post conuersionem peculiari modo respicit, & intuetur quasi Pater Filium, quasi amicus amicum, quasi sponsus sponsam, exultans & gaudens dum intuetur illum, sicut de patre filij prodigi iam in se reuersi, & ad patrem reuertentis dicitur: *Vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Ad hoc igitur petit quod reuertatur, vt intueatur illam, & intuens amplexetur, osculetur & annulo, calceis, & vestibus pretiosis ornet, de quo in libro primo plura dicta sunt.

Lucæ 22. v. 61. Vide lib. 1. exhort. 21. §. 2. Lib. 1. exhort. 12. §. 1. Lucæ 15. v. 20. Lib. 1. exhort. 12.

6. Tanta denique est sponsi lætitia ob hanc Sulamitis conuersionem quod Angelos & amicos inuitet, petatque vt congratulentur ei, vnde non ait vt intuear te, sed, *vt intueamur te*, Ego & Angeli mei, & omnes mei amici qui valdè mecum lætabuntur videntes te reuertentem ad me: *Gaudium enim est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia*. Quid trepidas, ô Sunamitis? Reuertere ad Deum tuum. Cur inquis, *Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab*? Quadrigas times? Si quadrigas Euangeliorum metuis, quia terribiles tibi videntur, reuertere ad illas, & intuebimur te, auxiliabimur tibi, suauesque tibi fient. Si vero times quadrigas hostium qui te oppugnaturi sunt, reuertere ad prælium, conuertere ad nos, & hostes fugient à te: dicito confidenter: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si*

Lucæ 15.v.7. Psal.26.v.1. & 3.

exurgat

exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Ne ergo obtures aures tuas cum has voces in corde tuo audis; tua enim res agitur cum vocaris, & tua interest reuerti, si non vis in æternum perire.

In omni ætate vocari peccatores, vt reuertantur ad Dominum. §. 2.

AD solatium tamen miserorum, & pusillanimiũ vltimã addamus interpretationem: etenim quater dicit, *Reuertere*, ad significandũ Deũ peccatores vocare ad pœnitentiam ingenti longanimitate in quatuor eorum ætatibus, videlicet in pueritia seu adolescentia, iuuentute, virili ætate, & senectute, eosque suscipere & benigne intueri si verè reuertantur ad ipsum. Sicut enim Deus tamquam sollicitus paterfamilias, omnibus diei horis à primo mane vsque ad vesperam vocat operarios ad laborandum in vinea sua; ita omnibus noctis horis peccatores dormientes excitat vt resurgant, vigilent, & pœnitentiam agant. Diuidebãt autẽ Hebræi sicut ex Euãgelio cõstat, tã diẽ quàm noctẽ in quatuor partes, quarũ singulæ tres continebant horas. Partes diei vocabãtur prima, tertia, sexta, & nona; cuius extrema erat vndecima prope noctẽ. Partes vero noctis dicebantur vigiliæ, prima, secunda, tertia, & quarta. Hæc autem repræsentant quatuor hominum ætates, qui in nocte huius sæculi degunt, vel in die huius vitæ ad laborandum sunt destinati. (Tam enim dies, quã nox humanæ vitæ periodũ in Scriptura significat.) Sicut ergo Dominus in his quatuor vigiliis seu ætatibus solet venire & pulsare ianuã, vocareque homines ad anteactæ vitæ rationem reddendam, & ideo monet vt semper vigilemus, & simus parati: ita in eisdem ętatibus peccatores somno peccati grauatos excitare solet ad pœnitentiam, quosdam efficacius in vna ætate, alios in alia. Imo eumdem peccatorem primo vocat in pueritia seu adolescentia, dicendo ei, *Reuertere*. Quod si renuat, iterum sæpius vocat in iuuentute: qui si adhuc obduretur, non desinit tertio vocare in virili ætate. Quod si adhuc resistat, non immensa est Dei benignitas & patientia, vt eum quarto vocet in senectute, & in extremo vitæ vt reuertatur ad ipsum; qui si ex corde reuertitur sicut bonus latro, suscipiet, & intuebitur illum.

Matth.20. v.1. Dies habebat duodecim horas & totidem nox. Ioan 11.v.9. Matth.14. v.25. Marci 6. v. 48 & c.13. v.35. Lucæ 12. v. 38.

Quod egregiè perpendit D. Cyprianus contra Nouatum hæreticum: In eodem (inquit) articulo temporis, cum iam anima festinet ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, pœnitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur. Nec serum est quod verum, nec irremissibile quod voluntarium: & quæcumque necessitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, (si vera contritio, si pura fuerit voluptatũ mutatio) excludit à venia: sed in amplitudine sinus sui mater charitas prodigos suscipit reuertentes: & velit nolit Nouatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes. Sic Cyprianus, & optime. Nam cum in extrema hora gemitus, dolor, & lachrymæ de peccatis, à Spiritu sancto inspirante prouenire possint, qui animæ intus suggerit, vt reuertatur ad ipsum, certum est quod si reuertitur, ignoscet illi. Quoties (inquit idem Cyprianus) te in conspectu Domini video suspirantem, Spiritum sanctum non dubito aspirantem: cum intueor flentem, sentio ignoscentem.

Serm. de cœna Domini. Idem D. Leo epist. 92. ad Rusticum, c. 6. Eodem serm. paulò ante citata verba.

Ceterum ne hinc peccator ansam arripiat ad differendam reuersionem, non sibi inaniter promittat quod ad quartam vigiliam perueniet, aut quod in hora mortis audiet intus illam vocem *reuertere*, quam multoties respuit in vita. Contra huiusmodi enim diuinæ vocationis contemptores inquit idem Dominus: *Quia vocaui, & renuistis, extendi manus meas, & non fuit qui aspiceret; &c. Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Vnde, quod est valdè notandum, cum Christus Dominus hortaretur nos ad semper vigilandum, tantum ait: *Et si in secunda vigilia, & in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.* Cur quæso non addidit: & si in quarta vigilia? Numquid numquam venit in ea? Vtique venit, sed noluit eius meminisse ne nos pigros & desides faceret, & vt insinuaret rarissimos esse qui ad extremum vitæ differentes conuersionem, & bonorum operum exercitium inueniuntur tunc vigilantes, & se ad mortem per veram præparantes conuersionem. Vnde forsitan, non beati, sed infelices erunt qui præparationem vsque ad quartam vigiliam differunt, quia ante illam subito rapientur. Consultius autem est à prima vigilia, & à primæua ætate ad Deum reuerti, præparationemque inchoare, & vsque ad quartam protendere, sicut exhortatur Saluator dicens: *Vigilate ergo (nescitis enim quando Dominus domus veniat, sero, an media nocte, an gallicantu, an mane,) ne cum venerit repente, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Sic enim beati erimus, & in hora mortis hanc vocem *reuertere*, in alio dulciori sensu qui mox ponetur, iucunde audiemus. Plura de hoc dicta sunt in libro 5. circa illud: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Et in id: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.*

De hoc citantur plures sancti 33. q. 3. d. 7. Prou.1.v.24. Lucæ 12. v. 38. Marci 13. v. 35. Lib.5. exhort 20 §. 1. & exhort. 27. § 5.

Contemplatiui vrgentur ad lucrandos proximos. §. 3.

SEd iam non ad peccatricem animam hæc referamus, sed ad speciosam Sulamitem, de qua sodales dixerant: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol?* Progrediebatur autem ad cælestia per contemplationem, terrena relinquens ab hominum se subducens consortio, vt conuersationem suam cum Deo & Angelis haberet in cælo. Sed quid adolescentulæ dicunt ad sponsam? quid discipulę ad
1. magistram? *Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere vt intueamur te.* Id est, reuertere à suspensione spiritus qua supra te eleuata es, vt descendas ad nos, & conuerseris nobiscum: quia vtrumque necessarium est, sicut scriptum legimus: *Siue mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, nobis.* Excessus enim contemplationis est à Deo, & propter Deum, & vt Deo vacemus: at sobrietas qua ad nos redimus, est propter vos, vt vobis doctrinam impertiamur: merito petunt vt à contemplatione reuertatur ad actionem, quoniam non decet prælatos semper contemplationis quieti vacare, sed debent ad actionem reuerti vt in hac doceant quod in illa didicerunt: nam & sancta animalia *ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Ibant ad supera, non vt semper ibi manerent, sed mox reuertebantur ad infima vt proximis succurrerẽt, reuertebantur autem vt fulgura coruscantia, nam per fulgorem quem in contemplatione acquisierant, micabant, illumina-

2.Cor. 5 v. 13. Ezech. 1. v. 14. Ex D. Greg. hom. 5. in Ezechielem.

bant, & incendebant proximos quos docebant.

2. Reuertere inquiunt, *Sulamitis*: Memento nominis tui quod tuum munus satis insinuat. Pacifica enim diceris, non tantum quia pacem in te habeas, sed quia pacem facias, pacis Euangelium annũcies, pacem nobis afferas. Nam, *beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Et quare vocabuntur filij Dei, nisi quia imitantur vnigenitum Dei filium, qui per sanguinem crucis, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt pacificauit? Reuertere ergo Sulamitis vt nobis pacis tuæ facias esse participes, & pacifico sponso nos omnes reconcilies.

Matth.15. v.9.

Ad Col.1. v.20.

3. Reuertere tamen, *vt intueamur te*: non inquiunt, vt audiamus te, sed vt te videamus; quia non tantum cupiunt audire magistrum docentem, sed intueri illum operantem: nec minus dicitur virtus per visum quam per auditum: imo visus confirmat quod auditus percipit. Reuertere vt intueamur virtutes tuas, & heroïca opera tua, reuertere vt videamus quid agis, sic enim gratum erit nobis quod dixeris, si facta concordent verbis. Audiuimus sponsum dicentem tibi: *Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis*, prius cupientem videre faciem quam audire vocem. Et nos rogamus; *Reuertere*, vt te intueamur, & tunc libentius audiemus te.

Cant. 2. v. 14.

4. Quater dicunt *reuertere*, quoniam quatuor sunt qui clamant, optant, & efflagitant reuersionem istam: nimirum peccatores, & incipientes, proficientes, ac perfecti. Ac si dicerent, reuertere vt peccatores conuertas & reducas ad Deum per veram pœnitentiam: reuertere vt incipientes iam Deo seruire nutrias, in bono dirigas, & à malo præserues: reuertere vt proficientes illumines & vrgeas vt in dies maiores progressus faciant. Reuertere tandem vt perfectos amplius perficias, donec ad fastigium perfectionis ascendant, sicut Apostolus ait: *Docentes omnẽ hominem in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.* Reuertere igitur ad omnes vt omnibus omnia fias, vt omnes lucreris Christo, & vnicuique accommodam tribuas salutis doctrinam. Et quia hæc omnia præstanda sunt instanter & solerter, quater dicitur reuertere, vt instantia discipulorum instantes faciat, magistros & solertes, iuxta illud: *Attende tibi & doctrinæ, insta in illis.* Rursus: *Prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Hoc autem maximè præstandum est quando fideles parati sunt audire, & id vehementer concupiscunt, sicut quadruplex hæc postulatio insinuat. Vnde inferius sponsus ait: *Quæ habitas in hortis amici auscultant: fac me audire vocem tuam.*

Ad Col. 1. v. 28.

1. ad Timoth. 4. v. 16.

2. ad Timoth 4. v. 2.

Cant. 8. v. 13.

5. Sed quomodo inquies, adolescentulæ petunt sponsam ab excessu contemplationis reuerti ad ipsas, cum sponsus adiurauerit filias Ierusalem ne suscitarent neque euigilare facerent dilectam quoad vsque ipsa velit? Sed cur non dicemus voluisse ipsam excitari ab iis quæ vehementer desiderabant videre & alloqui illam? Non vocant inuitam, sed volentem; quia qui ardenter amat Deum, quantumcumque sit contemplationi vacans, cum etiam ardenter amet proximos si sciret eos necessitate vrgeri, contemplationis somnum relinqueret vt illis succurreret; & gratanter accipit excitari ab illis, non enim quæ sua sunt quærit, sed quæ aliorum.

Præterea iam se sponsa excitauerat quæ in hortum nucum descenderat vt videret poma conuallium, & inspiceret an floruisset vinea: charitas enim Christi stimulauit eam vt horti sibi commissi sollicitudinem gereret: vnde adolescentulæ quasi gratulantes ei & approbantes quod fecerat dicunt, reuertere, reuertere: hoc est placet placet quod reuertaris, & benefacias reuertendo. Quomodo videntes puerulos ad nos accurrere, expanso sinu dicere solemus, Eia currite, venite celeriter, optime facitis, &c. Aut forte occasione sumpta ab ipsius verbis sic inquiunt: tu descende videre poma conuallium & inspicere an floruerit vinea, nos etiam desideramus te videre & inspicere, reuertere igitur vt te intueamur, & quæ alios visitas, ne nos despicias; & quæ curam geris totius horti, curã etiam gere nostri: etenim sicut laudabilis valdè est in Prælaris cura in visendo subditos, iuxta illud: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera:* Ita laudabile est in subditis desiderium videndi suos Prælatos vt ab eis doceantur, gubernentur, & dirigantur. Sicut enim qui male agit, odit lucem, ne arguantur opera eius; ita odit conspectum Prælati & magistri à quo arguendus est & corripiendus.

Alia expositio quam infirmat Martinus Delrio.

Prou. 17. v. 23.

Ioan. 3. v. 20.

6. Denique si quis Prælatus aut princeps vir, vel quiuis alius proprij muneris oblitus ad ea quæ aliena sunt, sibique minus consentanea diuerteretur, vel si quæ mulier vaga esset, & quietis impatiens, nec valens in domo sua consistere pedibus suis; aut paterfamilias suam negligere domum, nec vllam illius haberet curam, merito his omnibus diceremus: *Reuertere, reuertere Sulamitis vt intueamur te*: Si pacem cupis habere cum subditis, si domesticos pacificare cupis, reuertere ad propria, relinquẽs aliena, reuertere in domum tuam, vt quæ tua sunt cures. Tui te videre desiderant, reuertere vt intueantur te. Nec dixerunt, reuertere vt intuearis nos, sed econtra, vt nos intueamur te, sic enim magis alliciunt & maiorem sui erga illam amorem indicant, cum magis cupiunt videre eam, quam videri: hoc enim quod in proprium commodum cedit, ex alio consequetur. Ac si dicant, reuertere, quia desideramus te videre & cognoscere, inde enim fiet vt tu nos etiam videas & nostri curam geras.

Iusti in morte inuitantur à beatis vt vadant ad illos. §. 4.

In oratione funebri de obitu Valentiniani Imp.

Eccl. 12. v. 7. & spiritus redeat ad Deũ qui dedit illũ.

Sed tandem hæc verba interpretemur cum D. Ambrosio de reuersione spiritus ad Dominum qui fecit illum post huius vitæ curriculum peractum. Tam enim ipse Christus, quam Angeli & ciues ciuitatis Ierusalem cælestis sanctæ animæ faciem videre desiderant, quæ diu & præclare in hoc sæculo laborauit; vt ipsa laborum mercedem accipiat, & cum ea cuncti lætentur. Nam gloria & gaudium vnius beati in aliorum cedit gloriæ cumulum. Dixerat sponsa, descendi in hortum nucum, amaritudinum. s. & tentationum, curaui euangelicam perfectionem amplecti, & crucem sequi, functa sum officio meo vt cum Apostolo dicere possim: *Bonum certamen certaui; cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Imo etiam cum regio Psalte orare: *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti donec retribuas mihi.* Quid ergo dicerent iusti qui in cælo sunt expectantes illam? *Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere vt intueamur*

2. ad Timoth. 4. v. 7.

Psal. 141. v. 8.

tueamur te: Reuertere iam à prælio, ô Sulamitis, quæ victoria parta de hostibus pacem desideratam obtinuisti: reuertere ad cœlestem patriam, vbi palmam, & coronam accipias, vbi innumerus sanctorum cœtus te expectat, & omnes te intueri desiderant: reuertere vt iam te facie ad faciem intueamur, gratulemur tibi, & gaudeamus tecum de tua gloria, quæ erit etiam nostra. Solliciti eramus de tua perseuerantia quia periculosa valdè est in mundo pugna, & anceps victoria: Cõuertere (ait D. Ambrosius) ad nos pacifica, vt gloriam tuam sororibus monstres & incipiant se tuę quietis & gratiæ securitate solari.

Dixerat sponsus commendans valdè dilectæ suæ pulchritudinem: *Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt, reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam*: Quoniam omnes animæ iustæ quæ sunt in terris, alterius quæ valdè perfecta est, dum vident sanctitatem, beatificãt, & laudant eam: quid ergo quod cælicolæ eamdem apud se videre desiderent, & dicant, reuertere vt intueamur te? nisi forte verba supradicta sponsi sic interpreteris vt præteritum iuxta Scripturæ phrasim ponatur pro futuro cum certò est euenturum; vt sensus sit: videbunt eam filiæ, & beatissimam prædicabunt reginæ & concubinæ, & laudabunt eam; quod referendum est ad statum gloriæ beatorum: in hoc enim exilio vix cum certitudine videre possumus alicuius sanctitatem, & multo minus beatissimum prædicare, nec laudare, maximè cum scriptum sit: *Ante mortem ne laudes hominem quemquam.* Beati igitur qui encomia illa audierant, & promissionem dicentem, *videbunt eam*; valdè iam videre secum desiderabant, vt beatissimam possent prædicare, & miris laudibus extollere, & ideo quater repetunt reuertere vt intueamur te.

Eccles. 11. v. 30.

2. Pro Assumptione Virginis.

Quod si hæc de quauis anima insigniter sancta verum habent, quanto putas affectu cælicolæ desiderabant Deiparæ degentis in terris reuersionẽ ad cælos? Ter quaterque dicebãt, ô Sulamitis inter omnes pacifica, & pacifici Salomonis dignissima mater, reuertere ad nos, veni ad nostras cælestes mansiones, vt intueamur te. Nam post Christum filium tuum, nullius creaturæ intuitus ita nos potest satiare sicut intueri te, qui es perfectissima, imago ipsius, speculum sine macula, & omnis pulchritudinis, virtutis, sapientię & voluptatis immensa quædam abyssus: satiabimur valdè cum apparuerit nobis gloria tua, reuertere, reuertere vt intueamur te. Illæ enim quæ admirantes dicebant: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora, &c.* quatuor eius excellentias intueri cupientes, quater dicunt reuertere vt intueamur splendorem tuum tamquam auroræ, pulchritudinem tuam sicut lunæ, stupendam tuam electionem sicut solis, admirandam tuarum virtutum cõsonantiam sicut castrorum aciei ordinatæ. Reuertere vt intueamur te in qua omnium cælestium est aggregata perfectio. Sic cælicolæ loquebantur cum Deipara erat in terris: at quid terrigenæ dicemus ei cum modo iam est in cælis? Reuertere vel conuertere Sulamitis vt intueamur te. O mater pacis, misericordiæ, & gratiæ, conuertere ad nos misericordes oculos tuos, ostende nobis benignum vultum tuum vt intueamur te omnium virtutum perfectissimũ prototypũ, quẽ totis viribus imitemur, vt sub tua protectione semper maneamus.

En triplicem tibi reuersionem proposui: felix qui primam perficit, felicior qui etiam & secundam: felicissimus autem cum peruenerit ad tertiã: & tu ergo reuertere, vt inquit D. Bernardus, primo ab inepta lætitia; secundo ab inutili tristitia, tertio ab inani gloria; quarto à latenti superbia, & conuertere ad Dominum Deum tuum, vt eum diligas ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, ex omnibus viribus tuis. Cum autem hæc feceris, intuebitur te cælestis sponsus, & tu intueberis tandem faciem illius in fæcula fæculorum. Amen.

Serm. 18. ex paruis.

POSTERIOR PARS LIBRI 9. circa c. 7.

De excellentiis singulorum membrorum Ecclesiæ in statu perfecto, & de heroicis virtutibus eorum.

In illud *pacem meã do vobis, pacem relinquo vobis: nõ quomodo mundus dat, &c.* Legitur in die Pentecostes.

EXHORTATIO IX.

De admiranda pace, concordia & obedientia iustorum sub vno duce Christo, quæ in Ecclesia triumphante, & militante, ac in Religiosis Familiis maximè resplendet.

Quid videbitis in Sulamite, nisi choros castrorum? Caput 7. v. 1

DEsiderauerant vehementer filiæ Sion intueri sponsam, ideoque quater dixerunt ei, reuertere, vt intueamur te; respondit sponsus: *Quid videbitis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Id est, quid aliud in ea videbitis, nisi quod ipsa est? Est autem quasi quidam castrorũ chori, nihil in ea est pulchrius, nihil gloriosius, nihil iucundius, & visu dignius, quam quod sit ordinatissimi quidam chori castrorum; & terribilis, spectabilis & admirabilis sicut castrorum acies ordinata: quam laudẽ bis supra adhibuit, & modo confirmat addens aliquid speciale. Nam castra terrorem videntur incutere, chori autem cantum & dulcorem sonant. Vtrumque tamen coniungitur: quoniam in Sulamite simul sunt chori canentium, & laudantium Deum, & castra militantium, & pugnantium pro Deo; qui laudando pugnant, & pugnando laudant.

De hoc supra exhort. 1. & 2. & exhort. 5.

De ijs quæ sunt in Ecclesia triumphante. §. 1.

§ ex insignia quæ triumphantis Ecclesiæ & militantis.

MAgnitudinem huius encomij cognoscemus, si ea quæ tacite in Sulamite nobis videnda proponit, pandamus. Quid ergo videbitis in Sulamite? videte multitudinem cantorum, & militum, atque excellentiam singulorum: videte diuersitatem ministeriorum, & muniũ quæ exercent, ordinem quem habent, vnionem, concordiam & pacem quam seruant; obedientiam quam eidem rectori & imperatori præstant. Ex iis enim sex insignibus Sulamitis merito nuncupatur, id est pacifica, cui pacificus rex cælorum eam pacem præbet, quam mundus non potest dare. Hæc sex insignia continet hoc encomium, quod attribui potest Ecclesiæ triumphãti, & militanti; cuiliberque cõgregationi religiosæ ipsius, ac insuper cuicumque animæ sanctæ in qua plures sunt naturæ facultates, & gratię virtutes, tãquam diuersi chori & castra. Nec mireris Ecclesię triũphanti castra

Ioan. 14. v. 27.

nos tribuere, quoniam licet triumphum agat, quia iam vicit; adhuc tamen Deo militat pro nobis vt nostros propellat hostes: siquidem scimus prælium magnum in cælo factum, Michaëlemque & Angelos eius pugnasse cum dracone & Angelis ipsius. [Apoc. 12. v. 7.]

Hæc igitur sex insignia licet in huiusmodi Ecclesia plane sint admiranda, creditu tamen sunt facilia: nihil enim est quod ea imminuere, extenuare & perturbare queat. Si multitudinem enim Angelorum & beatorum consideres, non est numerus militum Dei, nam millia milliū ministrant ei, & decies centena millia assistunt ei. [Iob 25. v. 3. Dan. 7. v. 10.] Et D. Ioannes vidisse se dicit turbam magnā quam dinumerare nemo poterat, quia amicti erāt stolis albis, & palmæ in manibus eorum. [Apoc. 7. v. 9] Et omnes pulcherrimi, eximia sapientia, sanctitate & potentia præditi, quia diuinitas ipsa eos amicit, ornat, beat, & suis bonis replet. Si munia & ministeria attendas, nouem sunt Angelorum ordines, diuersa officia in Dei curiā, & circa hominum custodiā gerentes, quæ propriis nominibus significantur. Ad quos assumuntur homines, vt ijdem ex vtrisque fiant chori laudantium Deum, eademq; castra orationibus pro nobis pugnātium, vnde in Apocalypsi ad Canticum Angelorum responderunt quatuor animalia, Amen. [Apoc. 5. v. 14. & c. 7. v. 12.] Et similiter responderunt Angeli ad Canticum eorū qui amicti stolis albis agnū laudabāt: mira enim est inter vtrosque consensio, in omnibus autem mirum seruant ordinem dum vnusquisque proprium locum tenet, minor maiori subiicitur, & minorem maior non contēnit; sed quilibet sua sorte iucundus manet. Cōcordia autem & animorum vnio nō potest maior excogitari; quoniam vnus est omnium spiritus, vnum cor & vnus amor; quia vnum Deum pacis principem super omnia diligunt, cui omnes libenter parent: [Psal. 102. v. 20.] *Omnes enim sunt potētes virtute, facientes verbum eius*. s. Dei, *ad audiendam vocem sermonum eius*: Propter quod merito Ecclesia beatorum Sulamitis & pacifica nuncupatur, cuius triumphum sic describit D. Ambrosius sequens versionem Lxx. [De obitu Valentiniani.] *Quid videbis in Sulamite, quæ venit sicut chori castrorum?* Id est, quæ multum & aduersus plurimos in corpore præliata est. Etenim pugnauit aduersus » extraneos hostes, pugnauit aduersus lubricas sæ» culi mutationes, pugnauit aduersus corporis fra» gilitates, aduersus multiplices passiones. Audiuit » à Domino, conuertere Sulamitis; conuersa est ad » pacem semel in sæculo, conuersa est iterata com» munione ad gratiam Christi, & ideo pulchra cō» uersio eius in sæculo, & pulcherrimus incessus » eius & volatus in cælum. Sic Ambrosius hęc verba præcedentibus connectens: quæ de hac Ecclesia breuiter attigisse sufficiat.

De stupenda pace & concordia iustorum in Ecclesia Christi militante, & Religionibus. §. 2.

SEd numquid inuenietur in terra Sulamitis in qua videre possimus insignia eius quæ regnat in cælo, de qua vere dicatur, *quid videbitis in Sulamite nisi choros castrorum?* Nam terra potius est vallis lachrymarū, quam chorus canentiū, locus est castrorum, sed sine ordine, sine cōcordia, sine obediētia ad supremū rectorē, & sine pace. Quæmodo ergo Sulamitis, vbi tot bella, tot rixæ, tot contētiones & inuidia? Quomodo chori castrorum, vbi impetus est ferarū irruentium, & perturbantiū omnia? Cōstat enim homo ex spiritu & carne: spiritus quidē si solus esset, mitis forte esset, placidus & tranquillus, nec in se diuisus: caro autem bestiales & ferinas congregat passionū acies, quæ contra spiritum acriter pugnant, & dissipant pacem, vnde inter ipsos homines horrenda est discordia, sicut inter feras. Nam licet sint natura similes, complexione tamen, educatione, ac moribus sæpè sunt sibi aduersi, & hostes ipsis bestiis crudeliores. Nā homo homini lupus. Quis credet ex lupis & agnis, ex leonibus & ouibus, ex vrsis & vitulis, ex pardis & hædis vnum posse pacificum fieri gregem? Quis vnum ex iis feris ordinaret exercitum vni pastori & principi sine rebellione parētem? [1.] At quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum, qui hæc in Ecclesia noua se facturum promisit per Isaiam dicens: [Isai. 11. v. 6.] *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ouis simul morabuntur; & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrsus pascentur, simul requiescent catuli eorum, & leo sicut bos comedet paleas.* [Supra lib. 6. exhort. 25. §. 2.] Sed quoniam pluries locum istum in hoc opere allegauimus, operæpretium dixi nunc fusius explanare mirabilem Ecclesiæ concordiam, pacem, obedientiam, & plurium sub vno duce vnionem in hac stupenda parabola latentem, propter quam merito per quandam antonomasiam Ecclesia Christi Sulamitis & pacifica vocatur, & cum quadam admiratione & stupore animi dicere possumus: *Quid videbitis in Sulamite nisi choros castrorum?* Non quidem choros Angelorum, sed ferarum quæ tamen in Angelos sint commutatæ, & illorum imitantur concordiam & pacem quæ in primitiua Ecclesia olim, & modo in multis religiosis familiis maximè effulget.

[2.] Ad cuius intelligentiam pro comperto supponimus Ecclesiam congregatam fuisse ex omnibus nationibus mundi, inter quas si ad naturæ corruptæ propensiones attendas, quidam sunt elati & superbi velut leones; aut iracundi & feroces sicut pardi; aut voraces & rapaces instar luporum, aut astuti & lasciui velut vrsi, qui omnes concordiam auersantur & subiectionem. Alij vero econtra sunt humiles, mites, submissi, moderati, & continentes, velut agni, oues, hædi & vituli: tanta vero est etiam omnipotens Christi virtus, tamque efficax ipsius gratia, quod hos omnes vniat, ac in pacem, concordiam, in eamdemque formam viuendi reducat, vt ipsi subijciantur & obediant, depositisque ferinis moribus eos qui Christi sunt, imbuant & sequantur; vt superbi mutentur in humiles, iracundi in mites, rapaces in liberales, astuti in simplices, lasciui in pudicos & continentes: eademque facilitate leones, pardi, & lupi, qua oues, vituli & agni diuino pareāt imperio. Et hac forte de causa quatuor Euangelistæ per quatuor [Ezech. 1. v. 10. Apoc. 4. v. 6] repræsentantur animalia tam dissimilia, imò sibi inuicem pugnantia, vt sunt homo & aquila, leo & vitulus, quæ eumdem currum vbi Christus in figura electri erat, summa concordia portabant; ad significandum eos qui credituri erant Euangelio, etsi contrarias haberent propensiones naturales, summa concordia portaturos iugum legis Christi, & seruituros ei, vt Sophonias dixit, [Sophon. 3. v. 9.] humero vno. Sed vnde tam stupenda vnio, & obedientia ortum habeat? Sequens indicat sententia: [3.] *Et puer paruulus minabit eos*: quæ triplicem sensum habet magnæ perfectionis documentis scaturientem.

Primo enim particula & iuxta Scripturæ phrasim, multoties causam indicat, & æquiualet particulæ,

particulæ, quia, vt sensus sit, Erit tam mira hæc cōcordia, submissio, & obedientia etiam in leonibus, pardis, & lupis, [Isai. 9. v. 6.] *quia puer paruulus minabit eos*, Quis puer paruulus? ille nimirum, de quò paulò superiùs dixerat idem Propheta; *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus eius super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Postquam ergo vnigenitus Dei filius factus est pro nobis puer paruulus, natus in diuersorio, reclinatus in præsepio, & nudus pependit in cruce; ad tantam humilitatem, mansuetudinem & paupertatem, quæ superbia non deprimetur? quæ ferocitas non mansuescet? quę cupiditas non euacuabitur? & quæ saxea durities ad tanti paruuli voluntatem non flectetur? Quia ergo puer paruulus Christus hunc regit exercitum, & hunc minat gregem, omnes ei libenter subiiciuntur, & obediunt; cuius efficaci gratia in eadem anima commorantur simul prudentia serpentis & simplicitas columbæ, magnanimitas leonis & humilitas ouis, zelus pardi & mansuetudo agni, mortificando & abnegando quod vitiosum est in natura corrupta, vt quod bonum in ea manet, seruiat [Nota.] diuinæ gratiæ. Vaticinatur autem propheta quod futurum erat in Christi discipulis; non quidem in omnibus, vt satis patet, sed in quibusdam, quia rarum est quod est preciosum & perfectum: aut etiā prędicit quod in omnibus esse deberet: & sine dubio posset, si vellent Christi gratiæ cooperari. Nemo ergo causetur vitiū sibi quasi à natura insitum, & ex complexione leonem esse vel tygrim, lupum, aut vrsum, quia gratia Christi hunc regentis gregem, potens est leones mutare in agnos, tygrides in oues, & quoscumque vitiosos in bonos & perfectos.

Sed quoniam non solus Christus per se ipsum hunc minatur gregem, recte D. Hieronymus per puerum paruulum apostolos intelligit, apostolicosque viros, quos non humanus splendor, potentia, vel sapientia commendabat, sed sola Christi [In Isai. 11.] imitatio & sequela: tanta autem (ait propheta) erit mansuetudo, sanctitas, & docilitas fidelium legem Euangelicam profitentium, quod etiam illi qui quondam erant velut leones & pardi, lupi, deposita feritate humiliter se submittant & subiiciant his pueris paruulis, & ab illis se regi, & duci sinant propter Christū quem repręsentant. Quod in religiosis familiis quotidie cernimus, & experimur. Notāter autem Isaias non dixit pueri paruuli minabunt eos, sed *puer paruulus*, vt significaret quod etsi prælati Ecclesiæ & superiores sint plurimi, omnes tamen sunt vnus puer paruulus Christus, quem referunt, cuius nomine gubernāt, & propter quem eis obedientia præstatur, iuxta illud, *Qui vos audit, me audit.* & iterū: *Quid est Apollo? quid verò Paulus? ministri eius cui credidistis; ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit.* [Luc. 10. v. 16 1 Cor 3. v. 5.] & paulò post: *Qui autem plantat, & qui rigat vnum sunt*; scilicet in vno Christo, cuius sunt legati, & coadiutores. Omnes ergo regunt & ducunt gregem tanquam puer paruulus, id est non spiritu timoris & terroris: nam paruulum quis timet? sed [Alia expositio] spiritu mansuetudinis & dulcedinis, qui proprius est Christi, & legis Euangelicæ, quo suauiùs ducūtur, qui verè & ex corde hanc legem profitentur: Sed fortè etiam in singulari dicitur, *puer paruulus minabit eos*: [Alia expositio.] quia licet plures sint Episcopi in Ecclesia, vnus tamē est summus Pontifex Romanus, successor Petri, cui Christus Dominus dixit, *Pasce agnos meos, & oues meas*: [Ioan. 21. v. 15] qui etiam leones, & pardos, & quotquot ad Christi gregem pertinere poterunt, pascit simul cum ouibus iam in oues commutatos. At de hoc alibi.

Sed iam profundiorē sensum enucleemus, in quo maxime vnio & obedientia discipulorū Christi cōmendatur ex eo quod dicitur *puer paruulus minabit eos*, quod per quandam hyperbolem intelligendum est, vt sensus sit: Etsi prelatus & pastor sit paruulus ętate, vel nobilitate, aut sapientiā & sciētiā, aut virtute & religione, quia vel est adolescēs, vel ignobilis, vel indoctus, & inexpertus, vel neophytus, aut fortè vitiosus, aut imperfect⁹, tam insignis tamen erit obedientia, cōcordia, submissio, & docilitas discipulorū Christi, vt subdantur illi, & sināt se ab eo regi; & quāuis ipsi sint grandæui, aut nobiles, aut sapientes, & perfecti, humiliter subiiciētur iuniori, & puero paruulo, qui minet & regat eos, nec propter hoc suā amittent vnionē & concordiā, aut obedientiam & submissionem: & hoc ex duplici capite, primo, quia in quouis pastore & duce intuentur Christum Dominū, propter quem obediunt, cuius omnipotentiæ, & sapientiæ, ac sanctitati fidunt; qui per puerū paruulum reget eos, memores eius quod discipulis dixit; *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate, & facite; secundùm verò opera eorum nolite facere.* [Math. 23. v. 2.] Si ergo super cathedram Christi contingat sedere puerum paruulū, adhuc subiiciuntur illi dummodo nihil iubeat nisi quod secundùm Christi doctrinam est. Deinde quoniam perfecti & consummati viri nō indigent prælato & pastore compellente eos ad bonum, & ad obseruātiam legis, eo sensu quo dicit D. Paulus: [1. ad Timot. 1. v. 9.] *Lex iusto non est posita, sed iniustis, & non subditis.* Rursus: *Ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* [ad Rom. 2. v. 14.] Quicumque ergo pastor, quantumuis paruulus, sufficiens est ad eos regendos, quia interior eorum virtus, & charitas Christi eos inclinat, mouet, & vrget ad obediendum, & exequēdum quidquid iustum est, & Deo gratum; & si non esset prælatus qui eos vi, aut minis compelleret, vel rationibus suaderet.

In quo discriminetur Ecclesiæ concordia, pax, & obedientia, à mundana. § 3.

EN qualis sit Sulamitis & pacifica Christi Ecclesia sicut chori castrorum sub vno duce Christo cōgregati. Sed quoniā mundus suos etiā habet castrorū choros, nonnullā concordiam & obedientiam ad suos duces profitētes, quantū ab istis illi discriminantur ostēdamus, duplicem assignando pacem & concordiā, duplicem item obedientiam & submissionē: Alteram mundanā, seu humanam, & politicā; alteram Christianā, spiritualem, & religiosam, ac planè diuinā. Prima concordia nititur rationibus & motiuis tantùm humanis, terrenis, & carnalib⁹, qualis solet esse inter cognatos & affines, inter domesticos & conciues, ac inter eos qui sunt eiusdē complexionis & humoris, vel eorumdem morū, etsi deprauati sint & vitiosi: reliquos verò à sua cōcordia & societate excludunt. Et hæc assimilatur paci & concordiæ quam habent oues cum ouibus, agni cum agnis, vituli cum vitulis, hœdi cum hœdis, aut etiam aliquando leones cum leonibus, lupi cum lupis, pardi cum pardis, & vrsi cum vrsis; quia *omne animal diligit simile sibi, & omnis caro ad similem sibi coniungetur: sic & omnis homo simili sui sociabitur.* [Eccles. 13. v. 19.] Nam quæ diuersi sunt generis,

iugem habent inimicitiam, odium, & rixam, aut nullomodo coniunguntur in vnum. Secunda verò concordia nititur rationibus & motiuis spiritualibus & diuinis, videlicet quia sunt filij eiusdē Patris cœlestis, fratres Christi, redempti eodem sanguine, vel profitentes eandem fidem & religionem, nutriti eodem cibo spirituali, cohæredes eiusdem regni, & aliis huiusmodi: Vnde omnes homines complectitur, magnos & paruos, affines & extraneos, cuiuscumque nationis & complexionis, vel humoris; nullumque odio prosequitur, nec cum eo rixatur. De hac pace locutus est Isaias, per quam in Ecclesiam Christi non tantū ouis concordat oui, agnus agno, & vitulus vitulo: nec solùm leo leoni, & lupus lupo, ac tygris tygridi, sed etiam leo cum agno, lupus cum oue, & tygris cum vitulo, & inter se inuicem eundem cōstituunt gregem valde pacatum & concordem; quia in medio eorum est tanquam pastor Christus puer paruulus, sed Deus omnipotens, cuius gratia domat, & infrænat leoninas & lupinas passiones, sicut scriptum est: *Bestiæ agri pacificæ erunt tibi.* Sed quia in hoc sęculo deesse nequeūt qui pacem perturbent, ipsi quantum in se est eam seruare nituntur, dicentes cum regio Psalte: *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus*, iuxta illud Pauli: *si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes*, hæc est pax quam Christus Dominus dedit discipulis stans in medio eorum; de qua dixerat: *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat ego do vobis*, quia pax mea non est mundana, sed diuina; non est politica & exterior, sed spiritualis & interior, quæ omnem sensum superat, & in cordibus præcipuè residet; infunditurque à Spiritu Sancto, cuius fructus est, vt Apostolus ait. Ideoque forte in die Pentecostes legitur Euangelium de illa mētionem faciens.

Iob 5. v. 23.
Psal. 119. v. 7. ad Rom. 12. v. 18.
Ioan. 20. v. 19. & c. 14 v. 27.
Ad Gal. 5. v. 22.

2. Ad hunc modum explicanda est duplex obedientia & subiectio, nam humana & politica est merè externa, respicitque superiores qua homines sunt, à quibus aliquod lucrum, vel commodū expectat, aut aliquod malum & supplicium timet. Vnde non omnibus æquè subiicitur, sed potentioribus: nec vbique & semper, sed in manifesto quando latere non potest, nec occultari. At obedientia Christiana spiritualis & religiosa non respicit superiores vt homines, sed vt locum Dei & Christi tenentes; & sub hac ratione omnibus prælatis magnis ac paruis, nec solùm bonis, sed etiam discolis, imò omni humanæ creaturę subiicitur propter Deum, siue possit terrere, & pœnam infligere, siue non; & si valeat ei resistere vel non valeat; & tam in publico, quàm in occulto; quia Deus propter quē obedit vbique est, omnia conspicit, & ipse punire vel remunerare valet, & de hac subiectione prędixit Isaias: *Puer paruulus minabit eos*; ita quod non tantùm ouis & agnus subiicientur puero, cui resistere nequeunt, sed, leo lupus & pardus, ac alij valentiores, qui ei possent contradicere, humiliter illi subduntur, quia non coactè, sed spontaneè ei parent, non ex timore, quia à puero paruulo non est quod timeant, sed ex amore, quia obediendi affectus est illis insitus, & per gratiam quasi est versus in alteram naturam iuxta illud: *Filij sapientiæ Ecclesia iustorum; natio eorū obedientia & dilectio.* Quæ dilectio non tantū obedientiam erga superiores suauem facit, sed etiam pacem & concordiam cum omnibus confert: & per vtramque constituitur iustorum Ecclesia ita mirabilis, vt sponsus ipse dicat: *Quid videbitis in Sulamite nisi choros castrorum*, omnibus qui in mundo sunt pulchriores & fortiores.

1. Petr. 2. v. 13. & 18.
Ad Ephes. 6. v. 5.
Eccles. 3. v. 11.

Confirmantur dicta aliquibus exemplis. §. 4.

I. D. Greg. Beda, Cassiod. videntur loqui de conuersione vltima futura in fine mūdi.

HINC dilucida manet præclara huius encomij explicatio tradita à Patribus de synagoga ad Deū conuersa, cui paulò anteà dixerat iuxta LXX. *Convertere, convertere Sulamitis, convertere, cōvertere vt videamus te.* Qualis rogo erat hæc Sulamitis antè conuersionem? qualem se præbuit erga Christum Deum qui puer paruulus factus est vt eam regeret? profectò congregatio erat leonum & taurorum, vnicornium & ferarum, quæ circundederunt Christum ad dilacerandum illū: *Circundederunt me* (inquit) *vituli multi, tauri pingues obsederunt me: aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens & rugiens*, & infra, *Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.* At postquam prædicante D. Petro, iidem ipsi qui Christum persecuti fuerant, conuersi sunt ad fidem, & egerunt pœnitentiā, vnū gregem fecerunt cum Apostolis & discipulis, vnumque chorum castrorum similiter Deum laudantium & pugnantium pro Christo. Nam de multitudine credentium quæ ex illis tauris, & leonibus erat, dicitur habuisse cor vnum & animam vnam, & quotidie perdurasse eos vnanimiter in templo laudantes Deum, vt propterea Apostolica Ecclesia lætanter dicat; *quid videbitis in Sulamite nisi choros castrorum?* Quid nisi cantiones præliantium pro fide Christi, & prælia laudantium eum, contra quem paulò ante dixerant crucifige, crucifige, sanguis eius super nos & super filios nostros. Hæc mutatio dexteræ excelsi omni admiratione digna.

Psal. 21. v. 13. & 22.
Act. 4. v. 32. & c. 2. v. 46.

2. Sed ad nostra conuertamur, intuere sacras religionum familias, ex multis qui in sęculo erant velut leones, vrsi, & pardi cōgregatas; post reuersionem autem ad Deum ita esse immutatos, vt nō sine stupore dicas: *quid videbitis in Sulamite*, nisi choros monachorum & monialium, choros virorum & fœminarum, quos mutauit dexteraexcelsi, in quibus nihil aliud videbis nisi laudes Dei, & pugnas cōtra insidias diaboli? Iugis est pugna pro paupertate & castitate, ac obedientia tuenda, cōtinua lucta ad domandas passiones; acre prælium contra omnia vitia, vna est plurium castrorū acies ordinata, quia omnes vnanimiter ad easdem pugnas conueniunt, non coacti, non tristes & amarulenti; sed spontanei, hilares, & iucundi; simul ducentes choros & castra, laudes & arma; veluti milites illi de quibus dicitur in libro Machabeorum, *quod præliabantur prælium Israël cum lætitia*: & rursus, *Per orationes congressi sunt manu quidem pugnātes, sed Dominum cordibus orantes, præsentia Dei magnifice delectati*: Quid (inquit D. Basilius) eo beatius dici? quid hac coniunctione, vnitate, ac necessitudine aptius excogitari? homines ex diuersis nationibus profectos, per exactam morū, ac disciplinæ similitudinē adeò in vnum veluti coaluisse, vt in pluribus corporibus vnus modo animus esse videatur, vicissimque plura corpora mentis vnius instrumenta cernantur.

Rupertus Abbas loquitur de conuersis in initio.
Lib. 2. Mach. 3. v. 2. & lib. 2. Mach. 15. v. 27.
De constit. monastic. c. 19.

Adhunc igitur modum videbitis in Ecclesia innumeros alios choros castrorum iugiter degentiū in monte myrrhæ, & in colle thuris vnanimiter se mortificationi & orationi consecrantes; nimirū choros virginū & continentiū, qui alacriter pro castitate certant, choros doctorū qui pugnāt pro veritate & fide tuēda; choros martyrū qui in prœlio propriū sanguinē fundunt pro Christo: & alij plures, qui simul preces & laudes Deo canendo

pugnant & pugnando, laudare & orare non cessant, & vtroque vincunt. Parta autem victoria hymnos canunt, & feruentiùs Deum laudant, vt iam dicere possitis sicut vertunt LXX. *quid videbitis in Sulamite quæ venit vt chori castrorum.* Notat autē Theodoretus non dixisse quę venit vt castra chorum, sed è conuerso vt chori castrorum; ad significandum ex castris fieri choros. Cùm enim in castris virtutum vicerint milites pæana canentes reuertuntur, & choros ducentes victoriæ præconium laudibus concelebrant. Quod etsi multoties in hac fiat peregrinatione, vbi ex Dei gratia frequens est sanctorum victoria, solidiùs tamen fit cùm migrant in Ecclesiam triumphantem, vbi Sunamitidis pacifici filij in pulchritudine pacis sedebunt in sęcula sæculorum amen.

EXHORTATIO X.

Pro Virginibus, & pro festis Euangelistarum, & Apostolorum.

De calceamentis virtutum quibus animæ vestiuntur affectus: & de pulchritudine eorum qui prædicant Euangelium pacis.

Quàm pulchri sunt gressus tui, filia principis in calceamentis?

INCHOANTVR nouæ laudes sponsæ, siue à sponso ipso, siue à sodalibus vtriusque decantatæ. Et hoc secundum quibusdā magis arridet, quoniam multa quæ his laudibus continentur, honestiùs fœminæ inter seipsas confabulantur. Sed cum spiritualiter intelligenda sint, nihil indecens sonant & si sponso tribuantur.

Referuntur autem laudes ordine præposteró, ac in capite quarto, vbi inchoantur ab oculis; nūc autem à pedibus, quæ inferiores videntur, quasi à minori ad maius progredientes; nam si adeò sunt pulchri pedes, quàm pulchra erit facies? quàm decori oculi? & ideo cum admiratione dicitur, *Quàm pulchri sunt gressus tui filia principis in calceamentis?* additur in calceamentis, ad insinuandum hæc inferiora membra quæ visui non patent, potissimè laudari ab ornatu externo per quem manifestantur. nam teste D. Paulo, *Quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circundamus: & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.* Vnde in hoc loco laudantur tantùm vel gressus, seu gradiendi modus, aut ipsi calcei ornantes pedes, qui pulchri ac precioſi erāt in vsu apud principes fœminas, sicut de Iudith dicitur: *Sandalia eius rapuerunt oculos eius*, sc. Holofernis. Nec tamen encomium est de pulchritudine corporea, sed spirituali, quam pedes egregiè calciati repræsentant. Hi autem, vt D. Ambrosius quem alij Patres sequuntur, insinuat, quatuor in scriptura mysticas habēt significationes; vel enim repræsentant animi affectus quibus graditur ad opus; vel carnem mortalem qua tegitur anima; vel eos qui in Ecclesia vltimum tenent gradum, & negotiis temporalibus inhiant; vel qui gradiūtur per orbem Euangelium pacis prædicando. De quibus sigillatim aliquid dicemus.

1. Cor. 12. v. 23.
Iudith. 16. v. 12.
Isai. 3. v. 16.

De calceamentis virtutum quibus affectuum pedes ornantur. §. 1.

MERITO à calceamentis laudatur sponsa, cui indecens esset, & indecorum nudis pedibus ambulare. Calciantur autem ex honestate & decentia, vel etiam ne terram contingant, & inquinentur luto, aut ne lapidibus & saxis lædantur, diutiusque possint in labore itineris perdurare: sic pedes animæ, qui eius affectus sunt, induere oportet calceamentis solidis & preciosis, nimirum virtutibus moralibus, quæ hos affectus moderantur, præceptis etiam diuinæ legis, quæ eos cohibent, & sanctorum qui mortui iam sunt præclarissimis exemplis. (Calceamenta enim ex animalium mortuorum pellibus fieri solent) hinc autem plura nobis prouenient emolumenta; primum vt gressus nostri sint modesti, graues, & honesti, quales describit D. Ambrosius dicens: Est etiam gressus probabilis, in quo sit species authoritatis, grauitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen si studium desit, & affectatio, sed motus sit purus, ac simplex (nihil enim fucatum placet) motum natura informet: si quid in natura, vitij est, industria emendet; vt ars desit, non desit correctio. Huiusmodi gressus virtutem internam animi indicant. Nam vox quædam (inquit) idem est animi corporis motus, iuxta illud Ecclesiastici: *Amictus corporis & ingressus hominis enunciant de illo.* Ad indicandam ergo magnam sponsæ pulchritudinem & sanctitatem, meritò in initio de gressu laudatur his verbis: *Quàm pulchri sunt gressus tui filia principis in calceamentis.* Aptè filia principis nuncupatur, quia principes decet gressus habere graues & modestos, affectus moderatos, & principe dignos, sicut Isaias inquit: *Princeps ea quæ digna sunt principe cogitabit.* Qualis autem est cogitatus, talis & affectus, talis est & incessus.

Triplex calceamentri significatio.
Ita D. Greg. & Cassiodorus.
Lib. 1. c. 8.
Eccles. 19. v. 27.
Isai. 32. v. 8.

2. Inde etiam fit vt pedes affectuum mundi sint, suamque in eo inquinatam seruent munditiam; non enim terræ hærent vel eam contingunt, nec luto maculantur vitiorum, nec à lapidibus scandalorum vel occasionum ruinę vllo modo lædūntur, quoniam à virtutū & præceptorum protegūtur calceis; quibus roborati pedes, mūdos & speciosos faciunt gressus. Hæc sunt calceamenta quę data sunt filio prodigo postquam ad patrem reuersus est, vt rectos & mundos deinceps gressus faceret, atque sine periculo & molestia per viā virtutis incederet, diuque in ea permaneret. De his dicitur *calcani te ianthino, aut hyacintho*, qui violatei est coloris, quia cœlestibus rationibus muniuntur, vt immaculati iugiter permaneant. Dixerat sponsa, *laui pedes meos, quomodo coinquinabo illos?* insinuās summopere desiderare lotos & mundos semper seruare pedes: propter hoc autem zanthinis calceis eos vestiebat, qui adeo grati sponso erant, vt diceret *quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis.*

Lucæ 15. v. 22.
Et Zach. 16. v. 10.
Insinuat D. Ambro. de obitu Valentinian.
Serm. 3. de Ascensione.

Sed aduerte calceamenta qua parte pedibus subiiciuntur duriora esse, & soleas quibus terram calcamus ex durioribus animalium pellibus fieri: à parte autem superiori quæ pedes tegit, molliora sunt, & hyacinthina esse possunt, quoniam virtutes morales dum affectus moderantur terrenos, dura eos mortificatione conculcant, pessundant, & extirpare conantur; vnde fit quod superiores affectus molliores sint, & ad cœlestia facilùis subleuentur. Quo sensu D. Augustinus dixit: per vitia & passiones nostras, si vtique vnusquisque nostrum ea subdere sibi studeat, ac super ea stare consuescat, ex ipsis sibi gradus constituere, eleuabunt nos, si fuerint infra nos. De vitiis nostris scalam nobis facimus, si vitia nostra calcamus.

Lib. 2. Pedagogi c. 11.

Prætereà Clemens Alexandrinus refert fœminas olim in calceorum soleis habuisse formas quasdã, aut notas, quibus terræ imprimerent sui amoris symbola, cùm vestigia relinquuntur impressa; veluti si sigillum soleis esset affixum; aut in superiori parte aliqua portabant signa suum amorem attestantia, sicuti antiquissimi Romanorum gestabãt lunas vt ostentarent sui generis antiquitatem: sic calcei iustorum pulcherrimi sunt ex huiusmodi diuini amoris symbolis, quæ in se gestant, nimirũ externis sui abnegationibus, & carnis mortificationibus, aut aliis bonis operibus quę ab affectibus, internisque virtutibus procedunt, & verum Dei indicant amorem. Nam probatio dilectionis exhibitio est operis, ac si diceret, Stigmata Iesu etiam in calceamentis porto. De his autem omnibus laudatur sponsa cùm dicitur, *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis*, id est, quàm pulchri sunt affectus quibus omnia agis, in virtutibus quę externis operibus, & pulchris sanctitatis vestigiis manifestantur. Oportet ergo summoperè curare vt amor & odium, spes & timor, atque huiusmodi animi affectus ita sint virtutibus ornati, diuinis tecti præceptis, & ad sanctorum exempla efformati, vt rectos semper gressus faciant & profectus.

Egimus de hoc supra lib 2 exhor. 6. §. 4. vbi optima habetur ponderatio, & plura in exhort. 8. circa illud; *solue calceamentum de pedibus tuis.*

De calceamentis castitatis & virtutis in carne mortali. §. 2.

Pro Dominica 3. Aduentus.

INTER virtutes autem, quæ hoc nomine significantur à patribus, maxime commendatur castitas & pudicitia. Vnde D. Hieronymus virginibus hanc laudem attribuit dicens: Sponsus laudatus à sponsa Virgine laudat vicissim Virginem sponsam, & dicit ei; *Speciosi facti sunt gressus tui in calceamentis filia Aminadab* (sic ille legit) quod interpretatur populi sponte offerentis. Virginitas enim voluntaria est, & ideo gressus Ecclesiæ in castitatis pulchritudine collaudantur. Assentitur D. Ambrosius dicens: Bonum calceamentum animę pudicitia est: bonus gressus vestigium est castitatis. Ait autem sponsus in calceamẽtis, quoniam castitatem multę virtutes sociãtur, quæ eius decorem augent; nimirum temperãtia, sobrietas, modestia, humilitas, & aliæ huiusmodi, quibus gressus virginis pulchri sunt: sicut è conuerso infames sunt gressus impudicæ, velut illius quæ teste Salomone est *garrula, & vaga, quietus impatiẽs, nec valens in domo consistere pedibus suis.* Rursus, *Vagi sunt gressus eius, & inuestigabiles.*

Lib. 1. contra Iouin. Serm. 17. in psal. 118. v 5. Prou. 7. v. 11. & c. 5, v. 6.

2. Sed aliter hanc admirationem laudis interpretari possumus, & amplificare si cum eodem D. Ambrosio per calceamentum ex animalium mortuorum pellibus factum intelligamus corpus hoc mortale & terrenum, quo anima spiritualis & immortalis quasi calciatur & tegitur. Maxima autẽ laus animę est pulchros & rectos habere gressus in corpore mortali tot affectionibus & passionibus grauato: verba D. Ambrosij retulimus in lib. 2. Sed alibi sic ait. Speciosè procedit anima, quæ corpore velut calceamento vtitur, vt quo velit suum possit sine impedimento vllo circumferre vestigium. In hoc calceamento specioſe processit Maria, quæ sine vlla commixtione corporeę consuetudinis authorem salutis Virgo generauit. Vnde egregie Ioannes ait, *Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius*: id est non sum dignus Incarnationis mysterium comprehendere, angustiis mentis humanæ, atque inopis vilitate sermonis absoluere. Hęc D. Ambrosius.

Idem dicit serm. 17. in psal. 118 v. 5. Lib. 2. exhort. 6. §. 3. Li. de instit. Virginis c. 14. Ioan. 1. v. 27.

3. Vbi eleganter insinuat aliam horum verborum interpretationem, dum egregie sacratissimam humanitatem & castissimam carnem Christi vocat calceamentum Verbi diuini, eius tegens diuinitatem & gloriam. Quod adeò excellens fuit vt nemo idoneus inueniatur (sicut D. Gregorius magnus & Nazianzenus testantur) vel minimũ eius mysterium explanare, & corrigiam, id est, illam sacratissimam vnionem Verbi cum carne humana soluere, & manifestare. Nam *generationem eius quis enarrabit?* alij Euangelistę legunt *corrigiam calceamentorum*, quoniam natura humana assumpta plures habet partes, quę calceamẽta vocãtur.

De mysterio Incarnationis per corrigiã calceamenti denotari. Hom. 7. in Euang. oratione in sãcta lumina. Isai. 53 v. 8. Marci 1. v. 7. Lucæ 3 v. 16.

Sed quoniam pellis humanę naturę ex origine Adam progenitę, mortificata erat per culpas & pœnas, non ex tota pelle calceamentum sibi fecit Deus, sed relicta culpa, pœnas assumpsit, induitque carnem à peccato mundam, sed in similitudinem carnis peccati propter pœnam. Vnde intelliges causam cur Moysi dictum sit: *Solue calceamenta de pedibus tuis*; de Christo autem dixerit Ioannes; *Non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum*; cui sic respondet D. Ambrosius; quia illi bene admonentur, vt soluant calceamẽtum suum qui sine peccato esse non poterant: hic autem non solum calceamentum non soluit, sed etiam calceamenta aliorum absoluit, quia non solùm corpus suum à peccatis immune seruauit, sed etiam omnium dedit indulgentiam peccatorum. Ergo Ecclesia ad imitationem Christi speciosa est, & in calceamentis omni abluta delicto. Hæc Ambrosius, & fauet interpretatio Clementis Alexandrini obseruantis hæc verba dicta esse à Ioanne Baptista dum ageret de suo baptismo pœnitentiæ in remissionem peccatorum, & affirmans se dignũ non esse tantam Christi baptizare maiestatem, hac vtitur metaphora soluendi corrigiam calceamenti: eo quod baptizans animam exoluit à peccatis vt pedem à calceo. Sed quidquid de hac interpretatione sit (nam solus Christi baptismus à peccatis soluit) hoc affirmamus cum D. Ambrosio, Moysi repræsentanti eos qui carnem carnalib⁹ affectibus & vitiis affectam portant, dici vt soluant hoc calceamentum, & exuant se hac carne & operibus eius, de quibus Paulus ait: *manifesta sunt opera carnis quæ sunt fornicatio, immundtia &c.* vt deinceps, *in carne ambulantes non secundùm carnem militent*: id est potrent quidem carnis calceamẽtum, sed à vitiis carnalibus expurgatum ad similitudinem carnis Christi, quæ ita pura fuit, vt nihil in ea esset à quo posset absolui & expurgari.

Non probat eã Theletus in Ioan. 1. Ad Gal. 5. v. 19.

Cùm igitur laudatur sponsæ gressus in calceamentis, sicut per calceamenta intelligit D. Gregorius, & alij Patres exempla sanctorum qui iam mortui sunt, ita intelligere possumus exempla Christi Domini pro nobis mortui & crucifixi, maximè autem insignis eius virginitatis & pudicitiæ, vt iuxta illa vitam nostrã, & gressus nostros componamus. Sicut enim ab Abel sumimus innocentiam, obedientiam verò ab Abraham, à Moyse mansuetudinem, à Iob patientiam, & à Ioseph castitatẽ, ita à Christo Domino omnẽ virtutẽ, vt vestigia eius (sicut dicitur in libro Iob) sequatur pes noster ipsius munitus calceamẽto, seu exẽplo.

Iob. 23 v. 11.

4. Quæ diximus facilè aptari possunt Deiparę, quã princeps cæli & terræ vnicè dilexit, & adoptauit in filiã, cuius gressus semper erãt pulchri, graues, modesti, & concinni, cunctaque eius opera summa splendebant sanctitate. Et quamuis calciata esset carne mortali, nõ viuebat secundùm carnem, sed secundùm spiritum; caroque eius

Deiparæ gressus.

quasi deificata videbatur ex superabundãti gratia qua spiritus intus plenus erat, vt meritò omnes eius actus & affectus hyacinthinis seu cœlestibus condecorati essent calceamẽtis, Christo filio eius valde assimilatis. Nos igitur seruare curemus ad horum similitudinem præscriptum gradiẽdi modum, ne auferatur à nobis hoc pretiosum ornamentum, sicut Isaias minatur filiabus Ierusalem, eo quod *plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant*: id est ambulabant cum quodam plausu & strepitu ex calceamentorum luxu perstrepente, & incedebant pompaticè ad maiestatem & iactantiã, gestantes in calceis margaritas, vel pretiosas laminas, quę tinnitum rederent. Propter hoc inquam, *auferet Dominus ornamenta calceamentorum*: id est pretiosis istis calceamentis expoliabit eas, quia profana sunt, & fœminis honestis indigna, leuitatem redolent, & libidinem, non grauitatem & modestiam. Vnde & permittit pretiosioribus virtutum ornamentis nudari, vt sicut D. Hieronymus ait: *pro mundicia matronali tetra verrant spurcitiam.*

Isai. 3. v. 16.

Ibidem.

De pulchritudine pedum prædicantium Euangelium. §. 3.

SED iam communiorem patrum sententiam enucleemus, qui hæc verba interpretantur de Ecclesia Apostolorum ac discipulorum Christi cùm cœpit per vniuersum orbem incedere prædicans regnum Dei, & Euangelium eius, de quibus Isaias prædixerat. *Quàm pulchri super montes pedes annunciãtis & prædicantis pacem.* Licèt autem vnius tantùm euangelizantis meminerit, quem D. Hieronymus Christum intelligit, qui super montes Galileę montibus apostolicis suum prædicauit Euangelium; tamẽ D. Paulus ad Apostolos ipsos, apostolicosque viros extendit dicens. *Quam speciosi pedes euang. l zantium pacem euangelizantiũ bona*: De his autẽ vaticinatur Salomon in hoc loco, cum inquit; *quã pulchri sunt gressus tui filia principis in calceamentis!* Filia principis est Sulamitis & pacifica pacẽ annunciãs, veri Salomonis sponsa, quæ nomin e filiæ etiam insignitur in psalmo nuptiali cùm dicitur ei *Audi filia, & vide*: & rursus, *omnis gloria eius filiæ regis ab intus.* Sed cur in hoc encomio Salomon non expressit pedes, sicut Isaias, sed tantùm gressus? forte quoniã licèt pedes isti magna sint laude digni, eo quòd totam corporis mystici molem sustinent, sicut dictum est supra in id, *Cura eius columnæ marmoreæ super bases aureas*: tamen maxima eorum laus in gressibus consistit, quia non semper in eodem stant loco, sed per varia discurrunt, annunciando veram pacem, salutem, & vitam æternam. Gressus autem eorum, opera sunt misericordiæ, tum corporalis, tum maximè spiritualis, quibus proximorũ necessitatibus succurrunt, nimirũ docendo, exhortando, increpando, & administrãdo sacramẽta; hi autem gressus pulchri sunt, quia ex charitate Dei & proximi procedunt, atque zelo gloriæ Dei & salutis animarum valdè ardent, & splendent: de quo loco citato actum est. Nec tamen sine mysterio Isaïas non laudat euangelizantium facies, labia, vel manus: sed pedes qui infimum corporis locum tenent, vt significaret Christi Apostolos in oculis suis vltimum præ humilitate tenere locum, & à mundanis nouissimos esse reputatos, & tanquam purgamenta huius mundi fuisse omnium perip sema, vt Paulus ait: tamen sicut idem testatur, *Quæ putamus membra ignobiliora corporis, his abundantiorem honorem circumdamus.* Ideò Christus Dominus hos pedes pretiosis & aureis virtutum & gratiarum calceamentis ornauit.

Pro festis Euangelistarum & Apostolorũ, & S. Andreæ in epistola. Isai. 52. v. 7. ad Rom. 10 v. 5. *Optimã ponderationem* Origeni. vide supra lib. 1. exhor. 16 §. 1. Psal. 44. v. 10. Cant 5. v. 15 Lib 8. exhort. 26. §. 3. 1. Cor. 4 v. 13. & c. 12. v. 22.

Sed quid est quod Isaïas nullam mentionem facit calceamentorum? cui fauere videtur Saluator ipse, qui teste D. Matthæo, Apostolis cùm ad prædicandum misit, præcepit ne calceamenta in via portarent. At filia principis hîc maximè laudatur in calceamẽtis, cui etiam Apostolus suffragatur, dum ait: *Calciati pedes in præparationem euangelij pacis*: imò D. Marcus refert Apostolos missos esse *calceatos sandaliis*, quæ scilicet subtus soleas habent, & desuper discopertum relinquunt pedem. Vnde calceamenta iuxta D. Matthęum illis prohibita ea sunt qui totum pedem tegunt. Per hæc autem insinuabat eis Dominus, vt nimiã rerum temporalium solicitudinem deponerent, calceisque pauperum propriis vterentur, qui vsui esse possent, non oneri; relinquentes superflua, & assumentes tantùm necessaria. nam hac de causa iussit etiam ne portarent peram, nec æs, nec duas tunicas, & alia huiusmodi, vt omnem suam solicitudinem in diuinam proiicerent prouidẽtiam, & affectus ad res terrenas munus suum impediẽtes omnino mortificarent, quasi per sandalias calcantes terrena, sed mentem ad superna eleuatam retinentes. Et hoc vocauit Apostolus *calceatos pedes in præparationem Euangelij pacis*: id est affectus habere bene compositos & præclaris virtutibus ornatos atque munitos, nempe paupertate spiritus, humilitate, obedientiæ promptitudine, forti in laboribus constantia, patientiaque in aduersis; & denique vt D. Chrysostomus inquit, optima preparatio est quæ Euangelio digna sunt facere, & ostendere vitam mundã, & actus mundos. Eos enim qui aliis prædicant: *Parate viam Domino, rectas facite semitas eius*, oportet priùs in se hanc viam præparasse, & rectos effecisse gressus, & qui pacem cum Deo aliis annunciant, eam sibi per omnimodam passionum mortificationem conciliasse, vt caro plenè subiiciatur spiritui, spiritus verò ipsi Deo.

Marci. 6. v. 9 Huic aptãtur cuncta dicta in n. 1. & 2. Hom. 24. in epist. ad Ephes. 3.

Quamobrem istorum virorum congregatio recte vocatur *filia principis*, quia vitam agunt Christo dignam, & principes sunt Ecclesiæ Filij, de quibus dicitur in psalmo *Pro patribus tuis natę sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram*; nam pro Patriarchis & Prophetis antiquis nati sunt Apostoli tanquam orbis principes, primitias spiritus habentes, à quibus Apostolici viri magnum etiam sanctitatis habent principatum. D. Hieronymus & Ambrosius legunt: *filia Aminadab*: id est principis spontanei, ob cuius quadrigas paulo ante dicitur conturbata: apostoli enim principes extiterunt spontanei cũ sponte & ex charitate nullius temporalis lucri spe & cupiditate allecti vniuersum peragrarunt orbem, quadrigas quatuor Euangeliorum ducentes, Euangelicam omnibus prędicantes perfectionem & pacem.

Psal. 44. v. 17. Numer. 3. v. 4. Lucæ. 12. v. 49. 1 Cor. 5. v. 17.

Sed Lxx. retinuerunt nomen Hebreum, nimirum *filia Nadab*, quod sonat filia principis, cuius causam reddit Theodoretus, quia Nadab filius fuit Aaron, qui cum ignem alienum in tabernaculum Domini intulisset, vitæ finem accepit: sic Christi Ecclesia in tabernaculum mundi huius non intulit ignem legalem, sed nouum ignem & synagogæ alienum quem ab ipso Christo acceperat, de quo ipse dixerat: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* quoniam vetera transierunt, & facta sunt omnia noua. Licèt enim diuerso consilio ignem commutarent, idem

tamen ab vtroque factum est. Hæc ille. Nec inusitatum est apud Patres quæ in veteri testamento prauo animo sunt facta, ad ea significanda vsurpari quæ in nouo præclarè gesta sunt. A

Sed fortè propriùs & vtiliùs dicemus tacitè sponsum dilectæ suæ commendare humilitatis virtutem, in memoriam reducendo post conuersionem suam, cuius filia fuerit, nempe Nadab præuaricatoris, qui legem trãsgressus est alieno igne, id est diuerso ab igne sanctuarij: sacrificiumque offerens, quod lege vetitum erat, vt sciret pulchros & rectos gressus non habere à se, nec à progenitoribus suis, sed ex Dei gratia & benignitate, qui illam ad se conuertit, & mirificè traxit, misitque vt prædicaret, copiosumque iustitiæ fructum afferret. Cautè autè illam gradi oportere, ne mores sequens paternos, aliquid à suo munere alienum faciat. B

De eorum fortitudine, constantia, & deuotione.

§ 4.

Sed quoniam prædicatores Euangelicos robustos & fortes oportet esse, ac in laboribus constantes, quod in calceamentis delicatæ fœminæ & filiæ principis designari congrue non poterat, alia explicatur similitudine cùm Moyses tribui Asser benedicens ait: *Benedictus in filijs Asser, sit placens fratribus suis, & tinguat in oleo pedem suum. Ferrum & æs calceamentum eius, sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua.* Quæ verba in sensu mystico de Apostolis, apostolicisque concionatoribus explicat Glosa, & partim D. Gregorius. Cœtus enim iste sanctorum aptè significatur per tribum Asser (qui beatus interpretatur, quoniam veram agnouit, habuit, ac prædicauit fœlicitatem) benedictus fuit in filiis suis, quoniam plurimam spiritualium filiorum prolem generauit, qui essent pulchri, decori, venustis moribus, & similes patribus suis, ac suis placens fratribus; quia sua venusta ac modesta conuersatione fuit eis gratus & acceptus, eosque ad se allexit, cùm eis pacem habuit & amicitiam. C

Deut. 33. v. 24.

1.

Pedes autem duplici commendat similitudine desumpta ex terra Asseritarum, quæ oliuarum & olei ferax erat, venisque ferri & æris abundans. Pedes ergo euangelisantium à plenitudine olei quo tincti & loti sunt, laudantur, quoniam abundant deuotionis, misericordiæ, charitatis & gratiæ pinguedine. Quomodo suprà explicuimus illud Iobbi, *quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei.* Oportet enim omnes prædicantium affectus hac spiritali pinguedine perfundi, maxime cùm euangelizent pacem quæ per gratiam confertur, cuius symbolum est oliua; sicut columba reuelata ad arcam portauit ramum oliuę virentibus foliis in ore suo, quasi annuncians pacem per diluuij cessationem: quod & Euangelizantes faciunt, dum ore suo pacem prædicant, & mundo annunciant. Ait autem Moyses per modum deprecantis, *Tinguat in oleo pedem suum*, ad insinuandum maxime desiderandam esse hanc spiritalis olei abundantiam, qua isti pedes vngantur ad similitudinem sui capitis Christi, quem vnxit Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis. D

2

Iob 29. v. 6

Lib. 8. exhort 26. §. 3.

Psal 44 v. 8.

3

Sed quoniam pedes tincti oleo, forti aliquo indigent regimento ne lædantur à luto, & saxis, adhibet secundam laudem *Ferrum & æs calceamenti eius.* Quod sic moralisat D. Gregorius; ferrum acuitur vt aduersarius vulneretur: æs autem rubigine pene nulla consumitur, ideo ferro prædicationis iacula, ære autem longanimitatis constantia designatur. Cùm ergo calceamentum in scriptura sacra munimen sit prædicationis, sicut scriptum est *calciati pedes in præparatione Euangelij pacis*, ferrum & æs calceamentum eius dicitur, cũ prædicatio acumine simul & constantia munitur. Cuius profecto perseuerantiã apertiùs insinuat, cùm subdit: *sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua*, quia robur quo pollebat in iuuentute, permansit vsque ad senectutẽ. Quod glossa ad concionatores futuros in senectute mundi tempore Antichristi extendit, qui fortes, robusti, & constantes in persecutionibus erunt, sicuti qui in primitiua Ecclesia fidem annunciabant.

Lib. 34. moral. c. 8. & 9.

Ad Ephes. 6. v. 15.

4.

Hanc autem ferream virtutẽ & constantiã æreã non habent euangelizantes à se, sed à Dei protectione; qua subtracta Leuiatham, id est diabolus suis viribus vti permissus, *reputabit vt paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs.* Quare profunda indigent humilitate, quæ eos diuina protectione dignos reddat; nam vt inquit idem sanctus, qui per infirmitatem propriam se esse paleas metuunt, per diuinum adiutorium fulti, in ferri atque æris soliditate roborantur, vt contra aduersariũ suum tanto magis in Deo fortes sint, quanto de se amplius infirmos se esse meminerunt. Splendet autem amplius omnipotens Dei virtus in eo, quod calceamenta non ferrea vel ærea, sed coriacea, & pellicea in sua nouitate diu conseruare potest. Sicut de Hebreis inquit: *adduxit vos quadraginta annis per desertum. Non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.* Et quæ forte in Ægypto terebantur & putrefiebant dum Pharaonis in conficiendis ex luto lateribus Hebrei inseruiebant, in deserto per asperas vias ambulando tot annis non sunt attrita: quia Dei iussu in terram sibi promissam gradiebantur. Nõ est ergo cur spiritus vetustatem timeamus si humiliter & alacriter ad Dei voluntatem implendam progredimur.

Iob 42. v. 18.

Deut. 29. v. 5.

5.

Ecce quot modis prædicantur pulchri gressus Ecclesiæ in calceamentis quibus pedes ornantur. Pedes enim Christi, qui suprà vocati sunt *bases aureæ*, habebant aurea calceamenta, quia sua diuinitate protegebantur, ab eaque soliditatem simul & splendorem instar auri habebant: at pedes Ecclesiæ calceamenta habent hyacinthina propter cœlestem intentionem, ferrea propter inuictam fortitudinem, ærea propter ingentem constantiam, atque etiam aurea per participationem; quia ex vnione ad Christum magnum robur, eximiumque splendorem accipiunt & decorem; vt meritò præ admiratione dicatur, *quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis.* Vtinam nostram terream agnoscamus paruitatem, vt à Christo Domino suam recipiamus soliditatem auream, quæ nos in æternam eum ipso deducat gloriam. Amen.

Cant. 7. v. 1.

Lib 8. exhort. 26. § 3.

EXHORTATIO XI.

De rectitudine gressuum non claudicantium in Dei obsequio, & de solidarum virtutum connexione.

Iuncturæ femorum tuorum sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis.

Ad pulchram, consummatamque virtutem non sat est pulchros & rectos in Dei obsequio habere gressus & actus, nisi etiam eorum principia, &

causæ, solidum, fixum, & permanens in anima habeat fundamentum, omnibus deficiendi radicibus amputatis. Qua de causa D. Paulus non solùm cupiebat Christum habitare per fidem in cordibus nostris, sed etiam radicatos nos esse & fundatos in charitate, vt hæc Christi habitatio firma esset ex parte nostra. Nam sicut arbor sine radice, & domus sine fundamento facile ruit, ita spiritale ędificium, quod Christi est habitaculum, nisi in charitate bene radicetur & fundetur, diu stare non poterit. Sic etiam parum prodesset pulchros & bene calceatos habere pedes ad ambulandum, si ossa & nerui quibus nititur gradiendi vis, valde essent infirma, & debilia, maleque compacta. Necesse enim esset vt citò pedes lassarentur & claudicarent, à suaque rectitudine gressus deflecterent. Propter hoc ergo confirmans & amplificans sponsus præcedentem laudem, inquit: *Iuncturæ femorum tuorum sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis*, cuius sensus genuinus, & honestus est; non tantùm pulchri sunt pedes & gressus tui in calceamentis, sed etiam ossa & nerui quibus nititur vis gradiendi, sunt velut monilia à perito artifice fabricata, atque ita fortia & bene compacta, vt nũquam pedibus claudices vel gressus facias minùs rectos. Non itaque laudantur fœmora, sed iuncturæ ossium, & neruorum quæ in vtroque fœmore sunt ad gradiendum, quia aptæ sunt & concinnæ ad ambulandum sine claudicatione vel defectu alio.

Ad Ephes. 3 v. 17.

Iuxta hunc sensum honestis verbis hæc sententia vernacula etiam lingua debet proponi. Ita Ghisserius.

A

B

C

Connexio sanæ doctrinæ & sanctæ vitæ. §. 1.

1.

Ad cuius intelligentiam tam literalem quàm mysticam, meminisse oportet luctæ Angeli cum Iacob, qui cùm videret *quod eum superare non posset, tetigit nervum fœmoris eius, & statim emarcuit; ipse verò claudicabat pede.* Quod explicans Episcopus Abulensis, ait in parte superiori crurium quę coniungitur fœmoribus, esse duo ossa, vnum concauum, alterum autem conuexum, caputque vnius rotundum intra concauitatem alterius recipitur, atque ei connectitur, in quibus ossibus tota corporis moles inititur: & quia os ossi cùm sint dura alligari non potest, nisi medio aliquo vinculo & retinaculo, enascitur inter ea de cartilaginosa vtriusque substantia, quidam nervus vtrumque os connectens, & continens: & hic nervus ad tactum Angeli percutientis emarcuit, & ideo claudicabat. Sic Tostatus. Illa igitur ossa nervis aut vertebris connexa, vel ipsi nervi & vertebræ connectentes vocantur iunctura fœmorum, quæ sunt velut monilia à perito artifice fabricata ex auro, gemmis & lapillis preciosis aptè in auri foraminibus inclusis, aut velut torques cuius annuli aurei apte annulis connectuntur.

Genes. 32. v. 25 & 31. Tostatus in eum locum

D

Quando autem huiusmodi iunctura, aut nervus fœmoris emarcet, sicut emarcuit in Iacob, fit claudicatio vno pede, & quia fœmur in Scriptura facra (vt est res comperta) symbolum est generationis, ideo claudicatio illa præfigurabat populum à Iacob generandum claudicaturum esse in Dei obsequio; quod ipsa experientia probauit: nam iam Deum verum colebant, iam vitulos & idola gentium adorabant. Propter quod Elias postea dixit ad omnem populum: *Vsquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal sequimini illum.* Quod clarius apparuit in aduentu Christi Domini ex genere Iacob progeniti, quem quidam Iudæorum receperunt, alij negauerunt, quod eleganter in hac figura agnoscit & perpendit D. Augustinus, cuius verba in exhortatione 10. libri sexti relata sunt, vbi de hoc affatim egimus.

Ex illo Exodi i. v. 5. D. Greg. homil 3. in Ezech.

3. Reg. 18. v. 21.

E

Sermo. 80. de tempore Lib. 6. exh. 10.

2.

Ex his ergo deducimus primum sensum huius encomij: *iuncturæ fœmorum tuorum sicut monilia*, &c. id est ideo gressus tui sunt pulchri & recti in calceamentis, quoniam ossa & iuncturæ fœmorum tuorum (id est sancta vita, & sana doctrina) solidæ sunt, & pulchræ sicut monilia aptè sibi coherentia; vnde nũquam claudicas in gressibus tuis, non erras in fide, non in cultu vnius veri Dei, non in sanctis moribus amplectendis, vtroque pede rectè ambulas, quia doctrina consona est vitæ, & vita doctrinæ, alioqui parum prodessent pulchri pedes, & speciosa calceamenta si nervus fœmorum esset exiccatus, & te faceret claudicare, sicut scriptum est: *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum parabola.* Ac si dicat, pulchræ tibiæ non aptum afferunt ornamentum claudo, eo quòd bene eis vti non valet. Nam pulcherrima tibiarum pulchritudo est in illarum pulchro & decenti vsu; male autẽ eis vtitur, quia inæqualiter ambulat, eo quod vna tibia in longitudine alteri non respondeat: ita etiam etsi more stultorum seu iniquorum sit pulchra doctrina, tamen nec ea ornantur, nec ornant illam, quia in æqualitate vitæ eam quantum in se est, dehonestant, nec recte incedunt. Non sic Ecclesia, nec anima sancta quæ neutro pede claudicat, sed mire consentiunt & coniunguntur doctrina & vita, dicta & facta, omnia etiam dicta inter se, vel facta etiam sibi inuicem cohærent: quam connexionem virtutes omnes morales quarum iam mentionem fecimus, optimè præstant.

Prou. 26. v. 7.

Virtutes solidas adinuicem connecti, & se iuuare. §. 2.

1. Tres Patres apud Theodoretum, & Philo Carpathius.

Hinc plures Patres qui sequuntur Lxx versionem, scilicet, *moduli fœmorum similes torquibus opus artificis*: dicunt per hos modulos vel iuncturas fœmorum virtutes designari, per quas rectè opera nostra peraginus, & similes dicuntur monilibus ab artifice elaboratis; quoniam sicut illa (inquit Theodoretus) ex auro confecta & lapillis apte inclusis distincta sunt, adeout spectantes
" non solùm preciosam auri lapillorumque materiam, verum etiam artificis admirentur opus; ita
" singulæ virtutum moralium particulæ numero &
" concentu inter se implicitæ atque coniunctæ sũt.
" Vnde D. Ambrosius de Valentiniano sic ait: Mo-
" duli fœmorum tuorum similes torquibus; quia
" consonans sibi in omnibus factis tuis gratia ac
" moderatio magnorum æquauit insignia trium-
" phorum.

De obitu Valentiniani.

2.

Cæterùm oportet hæc amplius explanare iuxta ea quæ à principio sunt proposita; solidum enim, fixum & stabilem modum rectè gradiendi, & operandi hîc tradi putamus: ossa enim ossibus inclusa velut preciosa monilia, sunt virtutes solidæ, quæ non nituntur debilibus fundamentis, non rationibus tantùm humanis, non solis delectationibus etiam spiritualibus, nec item finibus per intentionem præscriptis, qui deficere, aut mutari possunt, sed solidissimis fundamentis, & rationibus æternis, quæ ad Dei gloriam & beatitudinem nostram ac virtutis bonum per se spectant. Hæ autem sibi connectuntur, & mutuo se iuuant in gressibus & actionibus suis, vt recti sint. Vt enim

abstinentia ieiunet, & arduos circa delectabilia gustꝰ actus abnegationis faciat, valde iuuat fortitudo, quæ nulla pericula etiã mortis immoderatè timet. Vt autem fortitudo non timeat, non parum iuuat abstinentia quæ hæc voluptuosa conſucuit respuere, & sic de aliis: quo sensu D. Gregorius moralisat iuge conuiuium, quod septem filij, & tres filiæ Iob sibi inuicem faciebant per orbem hebdomadæ, quoniam septem dona Spiritus sancti, aut septem virtutes, septem vitiis capitalibus oppositæ, & tres virtutes Theologales, mutuum sibi auxilium, & iuuamen præstant; Valde enim (inquit) quælibet virtus destituitur, si non vna alij, virtus virtuti suffragetur. Vnde etiam est quod vnaquæque quasi inuitat, & vocat alias vt eã adiuuẽt. Sunt n. velut torques, aut catenæ plures habẽtes annulos adinuicẽ connexos, quã cõcatenationem insinuauit D. Petrus cùm dixit: *Vos autem curam omnem sub inferentes ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem*, quæ omnium est suprema, & apicem attingit perfectionis; vna enim virtus aliam excitat, & quasi ad se trahit, vt eius auxilio proficiat donec ad omnium culmen ascendatur.

Iob 1. v. 19. Et sicut ablato vno annulo torques & catena dissoluitur, ita & multo magis vna destructa virtute aliæ facile pereunt; sicut enim filij & filiæ Iob non extincti sunt singuli in propriis domibus, sed omnes in domo vnius; sic non semper virtutes supernaturales in domibus singularum pereunt, sed cõmuniter in domo vnius earum omnes perire contingit: quoniam non est necesse vt peccatum lethale fiat in propria cuiusque virtutis materia, sed quodcumque fit in materia vnius virtutis, per illud intereunt omnes, præter fidem & spem, quæ singulari Dei indulto in peccatore permanent, etiam si gratia & charitas, reliquaque dona, & virtutes infusæ pereant. Nam sicut *qui offendit in vno, factus est omnium reus*: ita qui vnam virtutem Iacobi 2. v. 10. lethaliter lædit, omnes destruit.

Sed qui sunt nerui & vertebræ hæc virtutum ossa connectentes? duę vtique, prior est prudentia, quæ (vt bene probat D. Thomas) virtutes morales connectit quatenus singulis media præscribit secundùm regulam & dictamen rationis, ac fidei. Ideoque hanc maxime commendat Salomon dicens: *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Ne scilicet sint obliqui & claudicantes: quod confirmans iterum ait: *Melius est videre quod cupias, quàm desiderare quod nescias.* Prudentis enim est videre & examinare id quod cupit vt eligat bonum, & reprobet malum; imprudens autem cæco impetu fertur in id quod desiderat, nesciens nec examinans an sit bonum, propter quod sæpe delinquit, & à via recta deflectit. Sed perfectior virtutum nexus est charitas, quam D. Paulus vocat vinculum perfectionis, quæ eas connectit secundùm voluntatem Dei in ordine ad vltimum finem nostrum, qui est ipse Deus clare à nobis conspiciendus: vnde & de ipsa dicitur, *charitas patiens, & benigna est &c. omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*; Eo quòd omnes virtutum actus imperat; & sibi cùm opus est, connectit.

Sed nõ sine mysterio moduli fœmorũ dicuntur *opus artificis*, vel *monilia facta manu artificis*, vt significaretur virtutes ita solidas & connexas non esse ex nobis, sed ex dono & gratuita Dei infusione, qui tanquam supremus artifex eas efficit, & elaborat in nobis, quamuis non sine nobis eius gratiæ consentientibus, & cooperantibus; ipsi tamen potissime debemus hæc omnia, ipse enim est (inquit Psaltes) *qui perficit pedes meos tanquam cervorum, super excelsa statuens me.* Et rursus: *Statuit super petram pedes meos, & direxit gressus meos*: quoniam ipse tribuit vim gradiendi & currendi per viam mandatorum suorum ea celeritate qua cerui, deducens nos ad excelsa Euangelicæ perfectionis, dirigens gressus nostros ne ad dexteram vel ad sinistram declinent, & in via eius claudicẽt. Quod si aliquando (ait) ex fragilitate mouebatur pes meus: *Misericordia tua Domine adiuuabat me*, ne prorsus corruerem. Gratias ergo agamus tanto artifici qui in fragili natura tam solidum virtutis opus perficere dignatur.

Psal. 17. v. 34 & Psal. 39. v. 3.

Psal. 93. v. 18

Prædicatoribus hæs virtutes maxime necessarias, & specialiter pudicitiam. §. 3.

1. TANDEM aduertendum est huiusmodi virtutum iuncturas & modulos maxime necessarios esse his qui prædicant Euangelium pacis: quorum pedes & gressus pulchros esse diximus; sic enim eorum prædicatio fœcunda erit. Vnde D. Gregorius & alij Patres Latini eo quòd fœmur symbolum sit generationis: per has iuncturas fœmorum intelligunt duos populos, Hebræum & Gentilem in vnam Ecclesiam coadunatos per prædicationem fidei & Euangelij, ac per regenerationem spiritualem quæ fit in baptismo; ac si diceret sponsus, ô quam pulchri sunt gressus tui dum fidem meam euangelizas, sicut apparet in duobus populis inter se disiunctis, quos tamen in eadem fide & religione coadunasti: Confirmat D. Ambrosius dicens, his verbis, posteritatis Ecclesiæ ornamẽta cani: Tãtus (inquit) processus Ecclesiæ significatur, vt ornamentis pretiosissimis comparatus sit, & torquibus triumphantium: hæc enim ornamenta sunt bellatorum. Siue ergo generatio Christi ex virgine, siue Ecclesiæ propagatio, specie quidem tanquam manu artificis torquibus adornatis, vere autem virtutis insigniis spiritalibus cernices fidelium coronauit. Hæc ille: insinuans hîc etiam describi generationem Christi Domini ex Maria virgine intacta, cuius virginitas & maternitas opus fuit artificis non terreni, sed cœlestis, nimirum Spiritus sancti qui obumbrauit illi. Quod fusius prosequitur ad virgines loquens. At Rupertus nimiam pudicitiam sponsæ in genere commendari putat, ex eo quod in Scriptura libido per diuisionem pedum designatur, sicut apud Ezechielem: *Diuisisti pedes tuos omni transeunti viam, multiplicasti fornicationes tuas.* A contrario ergo iunctura & constrictio pedum ac fœmorum magnam indicat castimoniam, sed de ista metaphora hoc attigisse sufficiat. Non enim decet in iis quæ carnalis generationis memoriam inducunt, diutiùs immorari.

Serm. 17. in Psal. 118. v. 5.

Aliæ expositiones.

De instit. virgin. c. 14

Ezech. 16. v. 25.

2.

3.

Propter quod quidam putant spiritum Dei honestatis amantissimum hîc dumtaxat laudare vestem qua parte fœmora tegit exterius: vsitatum enim est figuratè vestes eo nomine nuncupare quo partes corporis cuius tegumentum sunt, sicut in Apocalypsi dicitur Christum Dominum habere *in vestimento & in fœmore suo scriptum Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Vbi non sumitur fœmur pro carne nuda, in qua inscriptio illa esset, sed pro veste forte intima partem illam tegente. Vestimentum verò appellatur pallium, quod extima

4.

Apoc. 19. v. 16.

vestis est. Qui ergo impudicæ fœminæ olim gestabant (vt Clemens Alexandrinus refert) dissutas vestes circa fœmora; est autem pudicitiæ signum constrictas fibulis eas habere, quæ vocantur iuncturæ fœmorum, ideo de hac honestate vestium laudatur sponsa, vt eius commendetur pudicitia. Quomodo etiam nunc honestatis causa Ecclesiastici & Religiosi, licèt palliũ portent à parte anteriori dissectum, tamen infrà illud togam talarem ferunt non dissectam, aut si dissuta est, fibulis extremitates eius connectunrur. Placet enim Deo intus & foris imaginem præ se ferre pudicitiæ, etiam in minimis quæ ad vestem attinent: apud insignes autem fœminas imò & viros, mos erat aureis fibulis & preciosis annulis vestes perstringere. Quomodo Cæsar Baronius, & alij intelligunt illud D. Iacobi; *Si introierit in Conuentum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida*: non de annullo quem gestaret in digito, sed in ipsa veste preciosa ad constringendum illam; sicut in Exodo dicitur rationale annullis aureis constringi: ideoque huiusmodi iuncturæ hîc vocantur generali nomine monilia, quæ denotant pudicitiam constringendam esse preciosis gemmis aliarum virtutum, præcipuè verò charitatis. Vtinam dignetur nos Deus his ornamentis spiritaliter condecorare ad gloriam ipsius in secula seculorum. Amen.

Lib. 2. pedagogi c. 20. & Plutarchus in Numa, id ait de lasciuis fœminis.

To. 1. anno 34. circa illud *illu sit indutum veste alba.* Ibi Salmeron etiam. Iacobi 2. v. 22 Exod. 28. v. 22.

EXHORTATIO XII.

Pro virginibus simul cum exhortatione sequenti.

De appetitu insatiabili gulæ, & luxuriæ, de temperantia & castitate, atque de cælesti delectatione quæ illum extingunt.

v. 2. Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.

PRÆCLARA sponsæ virtutes indicant duæ sequentes laudes sub metaphora vmbilici, & ventris, cùm dicitur: *Vmbilicus tuus crater tornatilis non indigens poculis. Venter tuus sicut aceruus tritici*, &c. vmbilicus autem vsurpatur vel pro ipso ventre, vel pro media eius parte. Vnde ex generali ratione quidquid in aliqua re medium tenet locum, vmbilicus nuncupa turnec enim in propria significatione aliquid decoris habet laude dignum nisi ad totum ventrem per synedochem referatur; vel ad mysterium, vel vt alij volunt ad ornatum externum quæ illam partem contingit. Vnde quidam lapis preciosus vmbilici nomine insignitus est, quia ad medium corporis gestaretur. Nos priorem acceptionem sequemur, quæ partim coincidit cum ventre; venter autem in Scriptura generali ratione vocatur receptaculum cibi & potus, aut fœtus, quo etiam modo viris tribuitur, sicut de Dauide dictum est: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quoniam autem hæc nomina ad vitia sæpiùs accommodantur, per quorum fœditatem magis splendet pulchritudo virtutum, de vitiis nonnulla præmittamus, quæ ad harum laudum intelligentiam viam aperiant.

Vide Calepinum.

Psal. 131. v. 11

De duplici vitio gulę, & luxurię. §. 1.

INSATIABILIS est duplex hominis inordinatus appetitus, qui gula, seu ebrietas, & libido nominatur, de quibus Salomon ait: *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes affer affer*, & inter quatuor insaturabilia numerat *os vulvæ*, quod vtrumque vitium complectitur, quia nec gulosus vel ebrius, nec libidinosus expleto semel appetitu satiatur, sed mox noua increscit fames, & sitis, ardentiusque concupiscentia carnis, dicens: *quando euigilabo, & rursus vina reperiam?* Sunt autem valentiora diaboli tela contra nos per vmbilicum & ventrem designata: de illo enim sub nomine Behemoth, dicitur in libro Iob: *Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris illius.* Quoniam iis membris vtitur, tanquam fortissimis armis ad oppugnandos & expugnandos viros & fœminas; vel quia iuxta sententiam D. Gregorij & Ruperti, virorum luxuria in lumbis, fœminarum verò in vmbilico vẽtris designatur, siue quia vtrorumque libido in lumbis sit. Ad amplificãdam verò diaboli tyrannicam vim, addat esse in vmbilico ventris, quod tam libidinem includit, quàm ingluuiem eorum, quorum *Deus venter est & gloria in confusione ipsorum.* Gloriatur enim de duobus supradictis vitiis pro quibus confusione, & ignominia digni sunt, cum per ea bestiis assimilentur, imò illis sint peiores. Elephas autem, qui Behemoth dicitur, si ad naturalem fortitudinem, & virtutem spectes, non habet illam in vmbilico ventris, cum potiùs venter eius sit mollis, & blandus, ideoque Rhinoceros cum illo bellum gerens, aluum maxime petit, quem naturali instinctu scit esse moliorem: quod probè intuens Eleazarus in prælio contra Antiochum, maximum Elephantorum aggressus est, & ei se supponens occidit. Vnde fortitudo illius desumenda videtur ex eo quòd vires magnas resumit per nimiam abundantiam cibi & potus, quibus reficitur; nam de eo dicitur, *Huic montes herbas ferunt; & absorbebit fluuium, & non mirabitur & habet fiduciam quod Iordanis influat in os eius.* Est enim maxime sitibundus, quod indicium est etiã esse voracem, & insuper acuitur ad prælium potatione vini, & succi ex moro: quod Scriptura vocat ostendisse, vel exhibuisse Elephantibus sanguinem vuæ, & mori.

Prou. 30. v. 15. & 16.

Prou. 25. v. 35.

Iob. 40. v. 11

Ad Philip. 3. v. 19.

Iuxta sensũ literalem, de quo Pineda fusè, ibid.

Ex Plinio lib. 8. c. 10.

1. Machab. 6 v. 43.

1. Mach. 6. v. 3.

Ælianus li. 1. c. 30. Plinius lib. 15. c. 24.

2.

Hinc igitur sumpta metaphora, asserimus fortitudinem diaboli contra nos sitam esse in luxuria & libidine, ac in crapula & ebrietate, quæ per lumbos & vmbilicum ventris designantur, & meritò, quoniam cum vitia distinguantur (vt D. Thomas cum D. Gregorio docet) in carnalia & spiritualia, hæc duo dumtaxat carnalia vocantur, quia ex carne originem habent, & in ea consummantur, carnalemque appetunt delectationem. Vnde quasi iure hæreditario hæ duæ passiones inficiunt naturam corruptam per prothoparentis peccatum, quia in iniquitatibus concepti sumus, & in peccatis concepit nos mater nostra: insinuauit hoc exprobratio illa Ierusalem sub figura adulteræ sponsę: *Pater tuus Amorrheus, mater tua Cathea, quando nata es in die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus, & aqua non est lota in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pannis.* Quod interpretari solet de pronitate ad libidinem quæ non est præcisa, sed adhuc vigebat in ea. Peracute autem Theodoretus obseruat fœtum in ventre nutrimentum sumere à matre per vmbilicum: vnde non esse præ-

1. 2. q. 71. ar. 2. Ex D. Greg. lib. 31. Mor. c. 31.

Ezech. 16. v. 3.

Origen ho. 6. D. Hiero. & D. Greg. in hunc loc.

scissum vmbilicum eius denotat adhuc retinere maternos mores, & nutrimenta vitiorum, in quibus concepta est, maxime ingluuiem & libidinem, quibus fœdatur valde, & turpis ac sanguinolenta manet, quamdiu non lauatur aqua salutis, quæ est Dei gratia.

Difficillimum autem est hunc vmbilicum præscindere, & omnino duo hæc mortificare vitia, quæ ipsi naturæ quasi insita videntur. Ideoque ad id genus dæmoniorum pertinent quod non eiicitur nisi oratione & ieiunio: id est iugi abnegatione sui ipsius, & feruenti prece impetrando diuinam misericordiam, sine cuius auxilio nulla in hac pugna poterit esse nobis victoria. Propter quod Ecclesiasticus sic orabat Deum: *Aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, & animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me.* Ventris concupiscentias vocat appetentias cibi & potus, quæ venter auide & intemperate semper desiderat. Concupiscentiòs vero concubitus, eas quæ sunt rerum venerearum. Petit autem non quòd non insurgant, nam vix in hac vita id potest impediri; sed ne nos apprehendant, & dominentur nostri, & quasi vinctos teneant, quod D. Paulus de vtrisque simul dixit: *Sicut in die honeste ambulemus, non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis.* Quia verò hæc vitia ignominiosa sunt, verecundiam auferunt imprudenter, & inde in peiora præcipitantur, subdit, *animę irreuerenti & infrunitę ne trada me*: Id est, libera animam meam ab irreuerentia, seu impudentia & inuerecundia, atque à stoliditate, quæ huiusmodi vitia secum ferunt. Pro imfrnito nomen Græcum insatiabile sonat; sunt enim hæ cōcupiscentiæ insatiabiles, vt iam dictum est.

Matt. 17. v. 2.
Eccl 23. v. 6.
Ad Rom. 13 v. 13.

De temperantia & castitate, ac cœlesti delectatione. §. 2.

HINC deducendum est quàm præclarum sit hoc sponsæ encomium cùm dicitur, *Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis*; Id est similis est crateri ad tornum elaborato, quod est rotundum, concauum, & æquale, non indigens ad sui pulchritudinem impleri re potabili, vel non indigens potu, quia semper plenum est. Quod LXX sic vertunt, *non deficiens misto*, id est plenus vino probè diluto & limphato quo sua vacuitas repletur. alij vertunt, *tornatiles instar plenæ lunæ*, ob perfectam rotunditatem, *non deficiens misto*, quo discrepat à luna cuius lux deficit. Sensus igitur est
1. tuus appetitus partis sentientis per temperantiam, & continentiam reformatus, est quidem crater, quia factus est ad recipiendum cibum & potum conuenientem: sed est tornatus, quia optimè præcisus, & elaboratus, omnibus amputatis noxiis: nam *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Et quia opus tornatile celeriter fit, feruorem indicat mortificationis, qua celeriter hæc superflua rescindantur, vt ad supremam perueniat perfectionem, de qua dicitur *non indigens poculis*; quoniam ita per omnimodam mortificationem perfectus est, vt non appetat inordinatè pocula, ac si non indigeret. Appetentia enim sequitur indigentiam, & ideo non indigere significat non vltra modum appetere. Hoc præstat virtus perfecta temperantiæ, quæ appetentias istas infrænat, & in mediocritatem redigit, aliquandoque in tantam ex Dei gratia euehit perfectionem, vt parcissimo cibo & potu, & nonnumquam per aliquot dies nullo vtatur, sicut in vitis patrum legitur. Idem etiam præstat continentia, nam libidinis actus per potationem etiam explicari solet: qua ratione de impudica muliere dicitur: *sicut viator sitiens ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet.* Et exhortans ad honestum coniugium, ait Salomon: *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui*: at sponsa Christi quæ perpetuam colit virginitatem, & omnem respuit concubitum, etiam licitum, est crater tornatilis nunquam indigens poculis, quoniam licèt apta sit ad connubium, tamen sua sola castitate contenta pulchra & decora est: nullum sitit nec appetit carnis poculum, nullo vritur appetitu libidinis, ac voluptate non indiget, sed horret, & fugit: *Sunt enim Eunuchi qui se castrauerunt propter regnum cœlorum.* Sunt qui se tornarunt, & omni carnali cura amputata effecerunt se perfectum craterem, in quo solus Christus contineretur, cui se totos deuouerunt, nullo alio quàm ipso impleri desiderantes, & aptè non tantùm vmbilicus vocatur crater, sed tornatilis, in quo clarè insinuatur non esse vitreum, neque luteum, sed ex solidiori materia, quæ torno elaboratur, vt intelligamus quod licèt venter pars sit hominis fragilior & imbecilior, facillimeque à tentatore confringi possit, & à passionibus seu concupiscentiis insurgentibus comminui; tamen ex Dei gratia & per virtutes temperantiæ & castitatis sibi infusas fortis fit, solidus, & valde perfectus, instar plenæ lunæ quæ pulchra est, de qua dicitur, *sicut luna perfecta in æternum.*

De hoc plura lib. 3. exhort. 19. in id, *equitatui meo in curribus Pharaonis*, &c.
Ad Gal. 5. v. 24.
Eccl. 26. v. 5
Prou. 5. v. 15.
Matt. 19. v. 12.
Psal. 88. v. 38

2 Hinc est verbum istud, *non indigens poculis*, indicare sponsam peruenisse ad perfectissimam temperantiam computatam inter eas virtutes, quas antiqui Philosophi (vt D. Thomas testatur) vocabant purgatorias & purgati animi, id est hominum tendentium ad Dei similitudinem assequendam, vel qui iam assecuti essent. Illorum temperantia (inquit) consistit in eo vt relinquat in quantum natura patitur quæ corporis vsus requirit: horum verò vt terrenas cupiditates nesciat, priorem gradum docuit Apostolus dicens: *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* Nam quo quis paucioribus est conténtus, eo quod carnem domuit, & spiritui subiecit, eo perfectior & beatior est, iuxta sententiam D. Augustini in sua regula dicentis; illos dixi fœliciores, qui in parcitate sustinenda fuerint fortiores; Dum tamen natura conseruetur; & ita offeratur corpus in hostiam viuam, quod rationabile fit obsequium nostrum. Posteriorem verò gradum tradit idem Apostolus cùm ait, *& carnis curam ne feceritis in desideriis*, id est sequendo eius desideria & concupiscentias, quin potius ea penitus rescindite, ea quæ ad spiritum attinent ardenter diligentes, iuxta illud: *Spiritu ambulate, & desideria carnis nō perficietis.* Quod & Saluator monuit cùm Apostolis dixit: *Nolite soliciti esse dicentes quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt, scit enim pater vester quod is omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Inquisitio ergo diuini beneplaciti & fiducia in Dei prouidentia, solicitudines amputat, & desideria carnis in vtilia mortificat, ventremque spiritualiter facit tornatilem non indigentem poculis.

1. 2. q. 61. ar. 5
Plato, Plotinus. Macrobi
1. Ad Tim. 6. v. 8.
In regula.
Ad Rom. 12 v. 1.
Ad Rom. 13. v. 14.
Ad Gal. 5. v. 16.
Mat. 6. v. 31.

3 Hinc etiam dignoscitur vnde tanta oriatur perfectio quod venter carnales respiciat delectationes, cibosque & pocula inordinatè non appetat, ne se illis indigere anxie puter. Nam qui preciosiorem cibum & vinum præ manibus habet, quid quod respuat, & fastidiat, id quod vilius & insuauius est: nam & Dominus inquit; *nemo bibens vinum vetus, statim vult nouum: dicit enim vetus melius est.* Sic qui cibum spiritus ardenter esurit & gustat, paruipendit cibum corporis, & aliquando sic illo satiatur, vt quasi isto non indigere sibi videatur: *Non enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*: quare cùm Apostoli Christum Dominum rogarent vt manducaret, erat enim fatigatus ex itinere; respondit eis; *Ego alium cibum habeo manducare quem vos nescitis.* Ac si diceret; ite vos, & manducate ex cibis quos attulistis, ego enim alium habeo paratum cibum, quem vehementiùs appeto, & si vos nesciatis illum: *cibus autem meus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, & perficiam opus eius*; quod est animarum salus, quam Pater meus vult vt perficiam, & omni corporis cibo præferendam puto, propter eamque nunc libens illum respuo. Fames enim famem pellit, & sitis sitim; corpoream spiritalis sedat, quia difficile est alicuius rei delectabilis appetitum coërcere, nisi alius superueniat vehementior, qui illum vincat & liget. Hoc autem vehemens dulcedinis spiritalis appetentia, quæ ex eius nascitur gustu, valenter præstat. Nam gustata suauitate spiritus desipit omnis caro. Etenim cibus corporis famem & desiderium sui excitat, tum propter propriam indigentiam vt vires reficiat, confortet, & augeat; tum propter delectationem annexam. At multo maior est cibi & potus spiritalis indigentia ad æternam conseruandam salutem & vitam, ingentiorque delectatio; *nam iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: Iudicia Domini vera & dulciora super mel & fauum.* In quo etiam notum est discrimen à D. Gregorio assignatum, quod res corporales quanto magis comeduntur, tanto magis generant sui fastidium, & satietatem; at res spirituales quo magis eduntur, magis excitant sui desiderium & appetitum. Vnde carnalis delectatio citò transit velut fœnum; spiritalis verò diu durat, imò in vitam æternā permanet. Quid ergo quod venter sponsæ non indigeat pôculis, cùm spiritualibus abundet quæ illum vehementiùs delectant, & non deficiunt?

Luc. 5. v. 39.
Matt. 4. v. 4
Ioan. 4. v. 32
Ex D. Bernardo.
Psal. 18. v. 9. & 11.
Hom. 36. in Euang.
Vide infrà exhort. 17. ad finem circa id *decora in delitiis.*

Hoc amplius explicat LXX versio, *non deficiens misto*: quia scilicet in eo nunquam deficit vinum amoris & deuotionis, ac consolationis spiritualis: de quo dicitur, *vinum cor hominis lætificet.* Crater est valde capax, & terrenis voluptatibus vacuus, vt impleatur cœlestibus: nam quo plenior, eo fit capacior, dum amplius diuini amoris vino repleri cupit: *Nam qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.* Spiritalis enim delectatio secum adfert ipsius fontem qui est diuina sapientia, quæ simul satiat & famem sui excitat, omnibusque virtutibus replet. Bonus (inquit D. Ambrosius) vmbilicus animæ virtutum omnium capax, sicut crater ab ipso fidei autore tornatus: Sapientia enim in cratere miscuit vinum suum, dicens: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Vmbilicus ergo iste ornatus omni decore virtutum non deficit misto. sic ille. Constanter ergo respue carnales voluptates, & dicito illis; recedite, vobis non indigeo, non vos esurio, nec sitio: ego alium cibum habeo manducare quem vos nescitis, alio potu reficior quem ignoratis, operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam; sitite aquam viuam quę sitim in æternum extinguat: ita autem impleri cura cibo obedientiæ, & orationis potu, vt nunquam indigeas poculis, nec deficiat charitatis vinum.

Ps. 103. v. 15.
Eccl. 24. v. 29.
Lib de obitu Valentiniani.
Prou. 9. v. 2. & 5.
Ioan. 4. v. 32
Ioan. 6. v. 27

4 Nouam addamus expositionem ad confirmandum prædicta, sumendo poculum generaliter pro re contenta, siue aqua, siue vinum; quæ non tantùm deseruit ad bibendum, sed ad lauandum: vt idem sit non indigens poculis, quod non indigens lotione; qua etiam ratione vocatur crater tornatilis, quia opus tornatum ita est perfectè rotundum, læue, & torsum, vt nihil illi adhæreat sordium, vel si quid inciderit, facilè detergatur. Commendatur igitur sponsæ temperantia, & castitas à summa munditia & puritate, quia nullas contrahit sordes circa hæc carnalia vitia, nulli alieno amori adhæret, & ideo non indiget lauari aqua, vel alia purgatoria vi: quemadmodum indigebat fœda Ierusalem suo sanguine inuoluta, quæ non est lota aqua in salutem. Quod si sequamur versionem quæ ait: *non deficiens misto*, in idem refertur, id est ita est lota, splendida, ac munda, ac res tornata vino abluta & detersa. Nam & de Iuda dicitur: *Lauabit in vino stollam suam.* Nec alienum à pietate puto credere in Ecclesia fuisse, & esse præclarissimos viros & fœminas (etsi paucos) qui ex Dei gratia tantam adepti sunt munditiam carnis, vt nullas contrahant sordes horum carnalium vitiorum, nec propter illa indigeant lotione. Nobis autem hoc proponitur in exemplum, vt hanc munditiam iuxta vires imitari satagamus.

Ezech. 16. v. 3.
Gen. 49. v. 11.

Applicantur prædicta Deiparæ, & primitiuæ Ecclesiæ. §. 3.

1. QVÆ diximus eminentiori modo quadrant in B. Deiparam, cuius pręcellentissima temperantia, castitas, & omnimoda munditia absque vlla sorde sub his metaphoris vmbilici & ventris designatur, qui dicitur: *crater tornatilis non indigens poulis*; quoniam sicut crater torno politus celerrime perficitur, & vndequaque est perfectus, sublatisque in æqualibus partibus est concinnè rotundus instar plenæ lunæ: sic Deipara has virtutes adepta est, non sicut nos qui summo & diuturno labore temperantiam & castitatem acquirimus, eamque multis imperfectionibus mixtam; sed celerrimè ex Dei infusione, summaque cum perfectione ac integritate, vt semper esset pulchra vt luna, plenaque nullam pateretur diminutionem, & ideo nunquam indiguit poculis carnalibus, id est nihil inordinatè appetit, quoniam absque vlla deordinata appetentia, vt ait D. Ambrosius, tantum sumebat cibum qui mortem arceret, non delitias ministraret, omnem verò respuit viri cognitionem, de quo se fecisse votum testatur cùm dixit: *quoniam virum non cognosco.* In vtroque autem sic fuit munda, vt nullis indigeret lotionibus, quia nec minimis inquinata est sordibus. Sed vnde hoc? quia crater erat *non deficiens misto*, plenus cœlesti poculo qui nunquam deficit in illa, quæ ab Angelo vocatur *gratia plena.* Quoniam in ventre habuit huius vini & dulcedinis spiritalis perennem fontem Christum Dominum. Verè (inquit D. Ambrosius) aluus Mariæ crater tornatilis, in quo erat sapientia quę miscuit in cratere vinum suum indeficientis piæ cognitionis gratiam, diuinitatis suæ plenitudinem subministrans.

Ex D. Ambros. lib. 2. de virginibus.
Luc. 1. v. 34.
De institut. virg. c. 14.
Prou. 9. v.

Sed vltra hoc crater est tornatilis adeo magnus, & vsque ad summum hoc cœlesti poculo plenus, vt de plenitudine eius alij etiam accipiāt,

& ſine vlla perſonarum acceptione quantum in ſe eſt, ſalutem & lætitiam propinat magnis & paruis, iuſtis & peccatoribus, omnibuſque ſumma celeritate gratiam implorat, & impertitur. Nec vnquam deficit vel indiget poculis, quia etſi innumeri hauriant, ſemper plenus manet, nec poteſt exhauriri: ſed quo plures hauriunt, eo plus pia mater lætatur, & amplius ſitit propinare pluribus. Sed de his virtutibus Deiparæ commodiùs dicemus plura circa ſequens encomium.

2. Tandem laus iſta ad primitiuam Eccleſiam referri poteſt ex Iudæis deſumptam, qualis erat Ieroſolymis quando Spiritus ſanctus deſcendit ſuper Apoſtolos, & plurimi eorum prædicatione ad fidem conuerſi ſunt: & quia Ieroſolyma vmbilicus erat Iudeæ, ſeu medium de quo dicitur Deum operatum eſſe ſalutem in medio terræ, conuenienter vmbilicum Eccleſię, illam eius partem intelligimus, quæ celerrime à Spiritu ſancto velut torno elaborata eſt, & ad faſtigium perfectionis euecta, ſumma munditia donata, ab omnibuſque ſuperfluitatibus expedita, ſiquidem omnes relinquebant quæ ſua erant, ad pedeſque proiiciebant Apoſtolorum, vnumque cor & animam gerere videbantur, nec deficiebant muſto, quia Spiritus ſanctus ſuo indeficienti muſto eos repleuerat.

Pſal.73.v.12

Serm. 6. in Pſal.118.v.5 Idem Caſſiodorus & Beda in hũc locum.

Vnde hæc laus etiam apte conuenit ſanctis ſacerdotibus, & prædicatoribus, Euangeliciſque operariis, vt teſtantur D. Ambroſius, Gregorius, Anſelmus, & alij, dicentes rectè comparari vmbilico, quia ſicut iſte eſt in medio corporis, ita ipſi ſunt in medio populi reconciliantes eum Deo tãquam mediatores inter Deum & ipſum. Prædicatorum ordo (ait D. Gregorius) bene crater dicitur, quia dum per eos populus eruditur, vino ſpiritali ipſorum officio inebriatur, qui tornatilis nuncupatur, quia iuxta mores hominum vniuerſos, neceſſe eſt vt lingua prædicatoris voluatur, qui poculis nõ indiget, quia quod aliis propinat, neceſſe eſt vt abundanti ùs cæteris bibat, & plenius quod dat, contineat. Sic ille. Addamus autem oportere eos etiam concupiſcentiis carnis & domitis temperantia, & caſtitate præ aliis fulgere, vt in eis nunquam deficiat vinum, non illud in quo eſt luxuria, ſed quod datur per plenitudinem Spiritus ſancti, vt ſe & alios largiter potet ad gloriam ipſius Dei in ſecula ſeculorum. Amen.

EXHORTATIO XIII.

De triplici caſtitatis gradu, triplicique fœcunditate Eccleſiæ, & qua ratione eminentiſſime reſplenduerint in beatiſſima virgine Maria, atque de Euchariſtiæ duplici ſpecie Sacramentali.

Pro virginibus & pro Euang. confeſſ. non Pontificum

Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis.

Sint lumbi veſtri præcincti.

PRÆCEDENTEM laudem amplificat ſponſus dicens: *Venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis.* Dixerat vmbilicum ſeu medium ventris non indigere poculis, quia nunquam deficit muſto; nũc ait, ventrem etiam non indigere cibo, quia pleA nus eſt tritico inſtar acerui tritici, non carnalis, ſed ſpiritualis, qui ſufficiens eſt illi, & omnem tollit inordinatam concupiſcentiam corporei cibi; eſt autem vallatus liliis, id eſt candidis & odoriferis virtutibus temperantiæ & ſobrietatis, continentiæ aut pulchræ virginitatis, quæ inſtar valli circundant, protegunt, & muniunt ventrem animæ, & partem illam ſententis appetitus quæ delectabilia concupiſcit.

Triplicem eſſe caſtitatis gradum & fœcunditatis.
§. 1.

B SED altiorem adhuc ſenſum habent hæc verba dum commendant fœcunditatem ſimul cum caſtitate, illa per acerbum tritici, hęc per lilia ſignificatur. Vtraque triplex; eſt enim fœcunditas prolis ſecundùm naturam, & fœcunditas ſpiritualis vel ſanctorum operum, vel ſpiritualium filiorum qui regenerantur per gratiam. Triplex item caſtitatis gradus, alia caſtitas coniugalis, alia perpetua ad viduitatem, vel cœlibatum ſpectans; & ſuper has virginitas. Cuncta hæc ſub his verbis continentur. Ordo enim coniugatorum hîc primo deſcribitur, qui debilior eſt pars Eccleſiæ, cuius venter eſt ſicut aceruus tritici propter fœcunditatem filiorum quos procreat ad multiplicandum Eccleſiam militantem, triumphantemque implendam, quod in laudem coniugum ſanctorum cedit; de quibus dicitur: *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.* Pſal.127.v.8 Eſt autem vallatus liliis propter gratiam quæ modo in ſacramento matrimonij præſtatur; & propter caſtitatem coniugalem quam Paulus vocat honorabile connubium, & thorum immaculatum, qui non libidinem propter ſe cupit, ſed filiorum ad Dei gloriam procreationem appetit. Eſt autem inſtar valli, quoniam à fornicatione & plurimis aliis vitiis defendit eos qui ſe continere non valent, quibus dicitur: *Si non ſe continent, nubant: melius enim eſt nubere quàm vri.* Infirmum tamen eſt vallum iſtud; quoniam non omnino ſitim extinguit, vt poculis non indigeat, ſed multoties acuit libidinem, ſicut inſinuat idem Apoſtolus dicens: *Si nupſerit virgo, non peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi.* Nam ſæuiores patiuntur tentationes, quia teſte Salomone, *aquę furtiuę dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior.* Vnde multi non ſatiantur propria aqua, proprioque pane, ſed alienum vehementer concupiſcunt, & præterea longe inferior eſt hæc continentia, cui anteponenda eſt, quæ nuptias etiam recuſat, iuxta illud eiuſdem Apoſtoli: *Qui matrimonio iungit virginem ſuam benefacit, qui non iungit melius facit.* Vt autem ſtatus iſte ſalutem conſequatur æternam, alium aceruum tritici congregare debet, quem inſinuat D. Paulus dum ait, *Saluabitur per filiorum generationem, ſi tamen permanſerit in fide & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate*, de quo ſtatim.

Ad Hebr.13 v.4.

D

1.Cor.7.v.9

v.28.

Prou.9.v.17

1.Cor.7.v. 38.

1. Ad Tim 2.v.15.

Eſt igitur perfectior ordo ſanctorum continentium, de quo dicitur, *venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis.* Quoniam coaceruat multitudinem ſanctorum operum vallatam liliis perpetuæ continentiæ aut virginitatis. Neceſſaria enim eſt huius acerui coniunctio cum vallo continentiæ in aliquo gradu ex tribus commemoratis; copioſior autem & ſecurior erit aceruus

uus cùm perpetuæ continentię vallo fuerit munitus. Hanc coniunctionem inſinuauit Chriſtus Dominus, cùm dixit, *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernę ardentes in manibus veſtris.* Nam præcingere lumbos, eſt caſtitatis ſe vallare liliis; lucernas verò in manibus tenere, eſt aceruum bonorum operum congregare. Simul autem hæc duo iubentur (ait D. Gregorius) vt munditia ſit caſtitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione. Redemptori etenim noſtro vnum ſine altero placere nequaquam poteſt, ſi aut is qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deſerit; aut is qui caſtitate præminet, nec dum ſe per bona opera exercet: nec caſtitas ergo magna eſt ſine bono opere, nec opus bonum eſt aliquid ſine caſtitate. Sic ille: Ac ſi diceremus; non ſat eſt ventrem animæ aceruum tritici eſſe ſine vallo caſtitatis, nec vallũ caſtitatis prodeſſet, ſi aceruus tritici ventrẽ non repleret, ſicut nec prodeſt integra ſæpes, ſi deſit oleũ replens illam. Optimè autem comparatur aceruo, non hordei quod eſt cibus iumentorum, quia opera iumentis ſimilia omnino reſpuit; ſed tritici quod nutrimentum eſt hominum ratione vtentium, & dicitur aceruus, vt omne genus fructuum comprehendat, ſiue trigeſimum, ſiue ſexageſimum, aut centeſimum; omnes enim ſiue coniugati, ſiue cœlibes, aut virgines, copioſos fructꝰ ferre debent ſanctorum operum, iuxta proprium cuiuſque ſtatum.

Luc.12.v.35. Hom.13. in Euang.

Matt.25.v.3.

B

Sicut autem aceruus tritici ab inferioribus ad ſuperiora creſcendo aſcendit, ita quod in inferiori parte latior ſit, anguſtior verò in ſuperiore: ſic incrementa debemus curare virtutum à minoribus ad maiora progrediendo, æmulantes ſemper chariſmata meliora, amplius nos in dies conſtringentes in iis quæ ad carnem ſpectant, vt ſpiritus ſubtiliùs eleuetur ad ſupera.

C

Rurſus ſicut aceruus tritici ex multis exiguis granis ſimul vnitis aſcendit, & eleuatur; ſic profectus animæ ex multis operibus non ſolùm maximis, ſed etiam minimis & ex plurimis etiam minutis cogitationibus & affectibus per eandem chaſitatem vnitis conſurgit. Quidquid enim ad impletionem legis, ac diuinæ voluntatis ſpectat, etſi minimum videatur, cumulum iſtum auget, & animam pulchriorem reddit, veluti qui veſtem ſericam minutis ſtellulis aureis interſpergit, venuſtiorem reddit, vt alia ab illa priore appareat: Sic iuſtus per minimorum obſeruantiam maximum adipiſcitur ſplendorem, vt quaſi alius videatur à ſeipſo cùm hæc negligebat.

D

De hoc in lib.1.6. exh. 19.§.6. Iob 7.v.2.6.

Tandem quo aceruus iſte fuerit altior & copioſior, eo ſpiritualibus operibus animam amplius locupletat: vnde adueniente hora mortis ſicut dicitur in lib. Iob: *Ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur aceruus tritici in tempore ſuo:* Id eſt morieris cum magna diuitiarum ſpiritualium abundantia, & cum ingenti ſegete bonorum operum, quæ morientes in Domino ſequuntur, cum quibus introduceris in cœlũ, eo modo quo aceruus tritici tempore ſuo in horreum infertur. Etenim prius triticum in agro increuit, deinde deductum cum paleis ad aream teritur, & ventis cõcuſſum mundatur, ac tandem ſeparatum à paleis portatur ad horreum: Sic iuſti poſt incremẽta virtutum, multaſque perpeſſas tribulationes, quibus à paleis ſeparantur grana, in cœleſtia congregantur horrea. Dum iuſti (inquit D. Gregorius) poſt afflictionem præmia patriæ cœleſtis inueniunt quaſi poſt preſſuras ad horreum grana deferuntur, & in alieno quidem tempore perſecutiones ſentiunt, ſed in ſuo à perſecutione requieſcunt. Electis quidem alienum tempus eſt vita præſens, ſuum autem æterna.

E

Lib. 6. Mor. c.8. vbi fuſe de hoc.

Sed adhuc manet tertia fœcunditas eorum qui venter Eccleſiæ dicuntur, eo quòd plurimos ſpirituales filios per eos in Chriſto generat, & ideo aſſimilantur aceruo tritici: nam & de muliere quæ Eccleſiam repreſentabat, dicitur, quod erat in vtero habens. Etſi autem vnus tantùm eius nominetur filius, tamen reuera ſunt plurimi fideles, qui propter vnitatem fidei & dilectionis vnum vocantur; ſicut etiam vnus dicitur aceruus tritici, etſi innumera contineat grana. Eſt autem vallatus liliis propter perfectam continentiam quam ſacerdotes, & miniſtri Euangelij profitentur, ſicut & Apoſtoli, vt magis expediti ſint ad ſuum miniſterium peragendum. Si enim liberis procreandis operam nauarent, filiorum ſpiritualium curam negligerent. Vnde eunuchis promiſſus eſt à Domino locus in domo ſuæ Eccleſiæ, & nomen melius à filiis & filiabus, quia videlicet loco filiorum carnalium, aliorum ſpiritualium diceretur patres.

3.

Apoc.12.v.2.

Iſai.56.v.4

Vltra hoc autem per vallum ex liliis intelligere poſſumus alia quæ nos etiam circundant, & cuſtodiunt, ſcilicet præcepta diuinæ legis, aut religionis vota, aut ſanctorum Patrum exempla, vt D. Gregorius teſtatur, aut ſpes æternæ retributionis, & ſuperne fœlicitatis, vt ait Beda, aut Angeli in noſtram cuſtodiam deputati, imo ipſe Dominus Angelorum qui lilium eſt conualium etiam protegit iſtum aceruum tritici, & ventrem continentem illum. Cura ergo eſſe aceruus tritici ſanctorum operum vndique plenus, & à palearum leuitate ſeparatus, graues induens mores, & ſemper potiora probans, atque ex commemoratis liliis validiſſimum tibi conſtrue vallum per quod roboretur debilitas ventris, vt *ſit venter eburneus diſtinctus ſaphiris*, ſicut de ſpõſo dictum eſt. Sapphiros vocat quos hîc dicit lilia. Iam enim ſupra diximus eos ſymbolum etiam eſſe caſtitatis, & præterea virtutes animæ, & ſapphiri ſunt, quia precioſæ cœleſteſque à patre luminum deſuper deſcendentes; & lilia propter candorem & fragrantiam quam per omnem Eccleſiam diffundunt. Nihil enim eſt in Eccleſia fragrantius quàm anima fœcunda & caſta, vt nec fœcunditas tollat caſtitatem, nec caſtitas minuat fœcunditatem.

Cant.5.v.14

4.

De triplici mirabili fœcunditate genitricis Dei. §. 2.

Pro feſtis B. Mariæ ſuppoſitis, quæ in exhort. præcedenti §.3. dicta ſunt.

QVÆ breuiter perſtrinximus, vberius & iucundius explanabimus in ſacratiſſima Virgine Maria, cuius ventris laus in ipſo Euangelio promulgata eſt à muliere extollente vocem de turba, & dicente ipſi Chriſto, *Beatus venter qui te portauit.* Lucæ 11.v.27 Hanc autem eius ventris beatitudinem ſponſus ipſe, vel adoleſcentulæ ſponſę pediſſequæ, quæ beatiſſimã illã prædicauerant, nunc extollũt dicentes: *venter tuus ſicut aceruus tritici vallatus liliis.* Triplex enim ſupradicta fœcunditas cum integerrima virginitate eminentiſſimè in Deipara reperta eſt omni ſemota imperfectione, & quidem prima fœcunditas veræ matris cum dignitate integræ virginis mirabilis valde eſt, ſed non imitabilis; in qua nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. Virtute enim altiſſimi obumbrante concepit in vtero, atque portauit in ventre Chriſtum Dominum, qui ſe gra-

Ioan. 12. v. 24. no tritici comparauit, cùm dixit, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Propter quod, vt dicit D. Ambrosius, venter virginis dicitur *aceruus tritici*, non terreni, sed cœlestis: nam descendens de cœlo & cadens in terram vteri virginei, cùm postea mortuus est in cruce, fructum attulit non tantùm centesimum, aut millesimum, sed quem nullus posset numerare. Eius enim fructus sunt omnes sancti qui ab initio mundi vsque ad finem, gratiam, & gloriam adepti sunt, vel adipiscentur. Vnde etsi beatissima Virgo vnum tantùm conceperit Christum, vnicumque dumtaxat receperit tritici granum, venter eius tamen aceruus tritici nominatur, quia in illo vno B coacteruantur innumeri: si enim Anna, Samuëlis mater, etsi vnum tantùm genuisset filium, 1. Reg. 2. v. 5 laudens Dei canens ait; *donec sterilis peperit plurimos*, quia ille vnus pro pluribus computabatur; quanto magis gloriosissima Deipara posset dicere: quoniam virgo peperit plurimos, etsi vnum tantùm pepererit, in quo tamen continebantur innumeri? imo omnes quotquot fuerunt & erunt filij, huic non æquiparantur. Propter quem etiam virgineus vterus vocatur *vallatus liliis*, id est, ipsomet filio quem portabat, qui se vocat *lilium conuallium*; & quamuis vnum sit, tamen *plura lilia* vocatur, & aceruus liliorum sicut & granorum tritici, quia ipse omnia C virginum lilia germinauit. Ita hunc locum interpretatur D. Ambrosius dicens, in quo virginis vtero simul aceruus tritici, & lilij flores gratia germinabat, quoniam & granum tritici generabat, & lilium, &c. De virginitate vero post dicemus.

Cant. 2. v. 1.

Vbi suprà.

2. Sed quamuis hæc fœcunditas tam esset stupenda, non plene beatam Virginem redderet, nisi comitarentur & alię, sicut testatus est Dominus qui mulieri exclamanti: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quę suxisti*; respondit, *quinimo, Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Ac si diceret, imo ideo est beata quæ me D portauit, & lactauit, quia audiuit verbum Dei, quod est spiritualiter me concipere, & custodiuit illud, quod est me lactare & nutrire. Maluit autem vniuersim de omnibus hanc sententiam proferre, quoniam hæc beatitudo omnibus potest conuenire si in ea virginem imitari velint.

Luc. 11. v. 27.

En descriptam secundam fœcunditatem sanctorum operum quam tribuit obedientia ad verbum Dei auditum & custoditum. Verbum autem Dei vocatur quidquid lex Dei præcepit, aut contulit, vel diuina inspiratio intus suggerit, aut quod per maiores Ecclesiæ iubet, cuius auditio & obseruantia quædam est spiritaObedientia generat aceruum bonorum operum.

lis conceptio & lactatio Christi intra nos, ideo- E que obedientia est omnium bonorum operum genitrix fœcundissima, & optimè comparatur aceruo tritici, nam ipsum verbum Dei vocauit Dominus triticum cùm increpans falsos Ierem. 23. v. 28. prophetas dixit: *Quid paleis ad triticum?* Affirmans verba pseudoprophetarum esse paleas inanes, quæ sunt iumentorum cibus, & ignis nutrimentum, & ad producendum aliud inutiles: at verba ipsius esse vel vt triticum, quod est hominis alimentum precio sum, & rationem seminis habere potest, vnde & cùm seminatur in ventre animę, si per consensum recipit illud intra se, & opere perficit quod iubet, copiosam fructum fert, & multiplicatur valde, vt venter animæ fiat quasi quidam aceruus tritici innumera continens grana; id est sancta opera, quæ prompta generat obedientia.

Hunc aceruum congregauit Deipara duplici cum excellentia super omnes sanctos. Prima, quoniam innumera congregauit grana purissima, sine vlla paleæ admixtione. Reliqui enim homines iusti ferè sunt sicut aceruus tritici ante triturам, multis admixtis palleis, quia *in multis offendimur omnes.* Et *si dixerimus* Iacobi 3. v. 2 1. Ioan 1. v. 8. *quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Imo etiam post diligentem triturам cum granis manent aliquæ paleæ, vel ex area nonnihil terræ; quia peccata venialia vix effugere valemus. Sola beatissima Virgo fuit aceruus tritici ab omni palea expurgatus, velut qui in cœli horreum refertur; quia nullum prorsus admisit peccatum; & munditiam, quam sancti habent in cœlo, ex priuilegio ipsa adepta est in terra.

Altera excellentia fuit ab immenso eius incremento, superexcedit enim eius solus aceruus, reliquos omnes quos sancti congregauerunt simul sumptos, non operum multitudine, sed merito, valore, & dignitate; quotidie enim augebat cumulum tritici; non vnum vel alterum granum addens, sed totum cumulum cum nouo incremento duplicans. Operabatur enim ex auxilio Dei speciali secundùm omnes vires suæ gratiæ; & ideo per singula opera gratiam in duplum, & ampliùs augebat. Propter quod in fine vitæ: *Ingressa est in abun-* Iob 5. v. 26. *dantia sepulchrum sicut infertur aceruus tritici in* 3. Reg. 10. v. 2. & 12. *tempore suo.* Tanta autem fuit huiusmodi abun- De quo lib. dantia, vt nunquam in cœlo similis sit visa, 6 exhort. 10. nec deinceps videnda: *Multæ enim filiæ con-* §. 3. *gregauerunt diuitias, sed tu supergressa es vniuer-* Prou. 31. v. *sas.* Hanc autem Deiparæ puram & copio- 29. sam fœcunditatem imitari nobis incumbit; vt venter noster etiam sit sicut aceruus tritici expurgatus quantum per vires licuerit, ab omni palea; vel saltem singulis noctibus ventilabro examinis conscientiæ diligenter per contritionis studium expurgando illum, & opportuno tempore per pœnitentiæ sacramentum; & præterea vt quotidie augeamus illum per noua bonorum operum incrementa summo animi conatu peracta, iuxta illud: *Ibunt de virtute* Psal. 83. v. 8. *in virtutem*, id est de fortitudine in fortitudinem, augentes & multiplicantes vires suas & fortitudinem suam, vt fortiùs & feruentiùs Deo inseruiant.

Sed iam tertiam, iucundamque in virgine perpendamus fœcunditatem filiorum spiritualium, quam ipsa obedientia etiam affert, nec minùs Christo Domino placuit quàm propria fœcunditas mattis. Vnde cum quidam eis dicerent: *Ecce* Matt. 12. v. *mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.* Ipse res- 47. pondit: *quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? qui fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Mater vocatur, quia eum spiritualiter in cordibus aliorum generat, quia ergo Deipara, plusquam omnes Dei semper voluntatem fecit, ideo plus omnibus fuit fœcundior, tot spirituales filios generans, quot ferè sancti post ipsam secuti sunt, & sequentur vsque ad consummationem seculi, vt

meritò propter hoc dicamus illi: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.* Aceruus inquam copiosissimus propter innumeros sanctos quos vt mater generas, & nutris; vallatus liliis, id est innumeris virginibus, quæ tuum sequentes exemplum, te comitantur & circundant, iuxPsal. 44. v. 15 ta illud, *Adducentur regi virgines post eam.* Vtinam & nos adducamur post illam tracti ab odore & fragrantia liliorum eius.

De vallo virginitatis & virtutum quę ei annectuntur. §. 3.

De hoc suprà lib. 7. exhort. 29. §. 3. & seq.

SED iam hæc verba, *vallatus liliis*, ad candidissimam, pulcherrimam, & fragrantissimam virginitatem Deiparæ referamus. Superiùs bis vocauerat eam hortum conclusum, quia propter virginitatem vndique vallatus erat, & occlusus ne ingrederetur extraneus, vel hostis: nunc autem vallum ex liliis, insinuat esse confectum. At quid vallo cum liliis? aut quis vnquam ex liliis vallum fecit, & non potiùs ex lapidibus, vel lateribus, aut etiam ex spinis? nunquid lilia ipsa non indigent vallo? & castitas muro custodiente illam? Cur ergo vocatur vallum? Sed aptissima sine dubio est huiusmodi comparatio. Perfecta enim virginitas, qualis fuit in Deipara, quamuis plura habeat valla eam custodientia, vt iam diximus, ipsa sibi est murus & vallum; & licèt vnum lilium esse videatur, plura tamen continet: tot scilicet quot sensus, & facultates animæ ex quibus quoddam conficit spiritale vallum, non minùs forLib. de virginitate. te, quàm suaue, pulchrum, & fragrans. Nam iuxta sententiam D. Basilij, oportet virginem esse virginis visum, auditum, olfactum, gustum, & tactum: itaut oculos suos lilio vallet virginitatis, cohibente eos ne quid videant Iob. 31. v. 1. quod concupiscere non liceat, iuxta illud: *Pepegi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarent quidem de virgine.* Aliud etiam lilium castitatis apponit super aures; aliud super os, & linguam; aliud D verò super manus, vel pedes, ne quid audiant, loquantur, gustent, tangant, & agant, quod ad libidinem prouocet, vel continentiam lædat. Ex huiusmodi autem liliis vallum quoddam sit internam castitatem custodiens, & aceruum sanctorum operum immaculatum seruans; imò & omnes alias virtutes à quibus etiam procedit. Vt idem sit vallatus liliis, quod vallatus pulcherrimis virtutibus sensus, & totum hominem externum componentibus; nimirum modestia, abstinentia, silentium, verecundia, clausura, & aliis huiusmodi. Propter quod de seipsa sponCant. 8. v. 10 sa inquit: *ego murus*, id est ego sum mihimetipsi vallum ex meis virtutibus confectum. Tam E diuina enim erat grauitas, modestia, & honestas, quæ in Marię vultu, etsi pulchro, resplendebat, quod omnes componeret, nec vllus ausus sit eam turpiter concupiscere. Meritò ergo vallata dicitur liliis, cuius insignis castitas erat sibi murus, sicut è contra impudica mulier ipso suo vultu & gustu, etsi tacens, alios ad libidinem prouocat. Quare summopere oportet hoc vallum nobis conficere, sine quo parum prodessent alia.

2 Hoc autem meliùs percipietur, si per ventrem, iuxta phrasim Scripturæ intelligamus non extimam eius partem, sed intimam, nempe cor, præcordia, seu viscera, & internas animæ vires, memoriam, intellectum, & appetitum. Per vallum autem quod foris circundat, exteriora quæ interna custodiunt, & muniunt. Vt sensus sit, venter tuus intus plenus est innumeris & sanctis cogitationibus, desideriis, & affectibus, ac omnigenæ virtutis actibus, velut quidam tritici aceruus: foris autem vallatur liliis, quia munitus est omnibus virtutum studiis quæ sensus & corporis membra componunt, & custodiunt. Aptè autem interna comparantur tritico, quoniam hæc potissimè animam nutriunt, augent, roborant, & perficiunt; externa verò liliis, quoniam suo candore & fragrantia intuentes lętificant, & bonum ædificationis odorem inter omnes spargunt, iuxta illud: *Prouidentes bona non tantùm coram Deo, sed co-* Ad Rom. 12. *ram omnibus hominibus.* v. 17.

Cui ergo sponsæ aptiùs quàm Deiparæ conuenit, *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis*? Nam interiora eius omnibus erant studiosis affectibus referta, vt meritò propter hoc ab Angelo, *gratia plena* diceretur: exteriora verò omnimoda castitate & modestia vallata erant, tanquam virginis cogitantis *quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu.* Cogitare au- 1. Cor. 7. v. tem quæ Domini sunt, est solicitam esse exe- 34. quendi quidquid Deo placet, quod ad affectus internos pertinet, & per obedientiam completur.

C Hinc est quod cum Angelus in salutatione Luc. 1. v. 28 vocauerit eam gratia plenam, ex illa plenitudine duas vel tres virtutes tantùm verbis manifestauit, quibus maximè præparata est, vt Diuini Verbi fieret mater. Prior fuit intensus amor virginitatis, quam cuicumque maternæ fœcunditati quantum ex se erat, præferebat, cùm dixit: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* v. 34. Ac si dixisset, Vallatus est venter meus liliis, quomodo tu dicis: *Ecce concipies in vtero & paries filium?* Non lædetur vallum, ait Angelus, sed Spiritus sanctus superueniens in te manente vallo facietD eum sicut aceruum tritici. Posterior verò humilis & prompta obedientia ad exequendum quidquid diuinæ placitum fuisset voluntati, quam expressit vltimis verbis dicens: *Ecce an-* Luc. 1. v. 38 *cilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Ancillam se vocat, vt ostenderet paratam esse ad obediendum, non solùm in magnis, sed in paruis, non ex mercede, sed gratis, ex iure seruitutis: non cum præsumptione, sed cum profunda submissione, ac si audisset iam quod po- Luc. 17. v. stea filius dixit: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta* 10. *sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Hæc autem eius humilis obedientia liliis virginitatis vallata tres supradictos aceruos tritici adepta est, vnde felicissimus eris, si illis te vallare & ornare soleter studueris.

Tandem aceruus tritici referri potest ad abundantiam meritorum, & bonorum operum Virginis, valla lilij ad gratias, præmia seu beatitudines etiam huius vitæ, de quibus Matthei 5. agitur, illi excellentissimè tributis, vt sæpius tractatum est.

De Eucharistia sub duabus speciebus vini & panis. *Professo corporis Christi.*

§. 4.

AD consequendam autem fœcunditatem & castitatem quarum hactenus fecimus men-

tionem, nullum efficacius est medium, quàm vsus sacratissimæ Eucharistiæ, quę in duobus commemoratis encomiis designatur; propter illam enim Ecclesiæ dicitur: *Vmbilicus tuus crater tornatilis, non indigens poculis; venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.* Eucharistia namque duas continet partes, in calice quidem sanguinem Christi sub accidentibus vini, & propter hanc venter Ecclesiæ in quo per communionem sacramentalem recipitur, est sicut *crater tornatilis non indigens poculis, seu non deficiens misto.* Nam Diuina Sapientia ædificans sibi domum *miscuit vinum in cratere*, & vocatur tornatilis, quia celerrimè in ictu oculi per verba consecrationis vinum conuertitur in Christi sanguinem, qui vniuerso mundo potando, lauando, & redimendo est sufficiens, nec desinet vinum mistum aqua in hoc sacramento offerri vsque ad finem sæculi, tanta satietate animam replens vt non indigeat aliis poculis, sed ea respuat, hoc vno contenta, quia est sibi sufficiens, cùm vitam præbeat sempiternam.

Vmbilicus qui est medium ventris, sumpro ventre potest, vt iã diximus.

Prou. 9. v. 1 iuxta LXX

B

Hinc interpretationi aptari possunt dicta.

Propter alteram partem sacramenti dicitur Ecclesiæ venter, *sicut aceruus tritici vallatus liliis*, quoniam sub accidentibus panis triticei (non enim in alio pane quàm triticeo potest fieri consecratio) continet carnem Christi; qui & granum frumenti, quod in terram cecidit, & postquam mortuum est, multum fructum attulit, hunc autem suorum meritorum & satisfactionum fructum in hoc sacramento reposuit, & ideo vocatur aceruus tritici, in se quidem vnus, sed virtute plurimus, ad satiandos omnes homines valde sufficiens. Est autem vallatus liliis, quoniam Christum ibi circundant, omnes eius pulcherrimæ fragrantissimæque virtutes & gratiæ.

Ioan. 12. v. 24.

C

2.

Præterea ab effectu ipso hanc sumit nomenclaturam, est enim aceruus tritici, quia omnes fideles congregat, & vnum veluti aceruum facit propter charitatis vnionem, quam eis præstat, sicut ait Paulus: *Vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.* Nam sicut ex acetuo granorum fit vnus panis, ita ex multitudine fidelium qui hunc panem comedunt, fit vnum corpus mysticum. Est autem vallatus liliis, quia circundatur à iustis, castis, & virginibus concurrentibus ad ipsum, vt eo reficiantur, & satientur. Nemo enim dignè eum manducat, nisi qui puritatis & castimoniæ candore lilium sit, & bonę ædificationis odore, ablato omni scandalo coram aliis fragret. Vnde hos potissime inuitat Sapientia cùm inquit; *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.* Et rursus, *Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi.*

1. Cor. 10. v 17.

D

Prou. 9. v. 5.

Cant. 5. v. 1.

3.

Sed quid est quod hic Salomon, priùs mentionem faciat crateris, & poculi quàm acerui tritici, cùm tamen aliis in locis è conuerso, priùs nominetur cibus quàm potus; vnde & Zacharias prius vocat *frumentum electorum, deinde vinum germinans virgines.* Sed nec hoc nouum est, nam eundem ordinem seruauit idem Salomon de sapientia dicens: *Miscuit vinum, & proposuit mensam suam*: ad significandam immensam dignitatem vini continentis sanguinem Christi, qui non solùm est potus animæ, sed pretium redemptionis mundi, & omnium donorum quæ per Christum hominibus impertiuntur, & per sacramenta ipsis applicantur.

Prou. 9. v. 2.

E

Cætera quæ de hoc encomio dicta sunt, Eucharistiæ applicari possunt, cuius sunt effectus.

Si ergo desideras vt venter mentis tuæ, catnalia non appetat pocula, nec illis indigeat: si cupis ingentem sanctorum operum congregare aceruum, ad sacratissimam Eucharistiam frequenter accede, hoc diuino cibo & poculo (quod etiam intra species panis continetur) te ipsum refice. Nam dum illam intra te recipis, ipsum admittis sponsum, qui est omnium bonorum fons plenè animam satians, & in bono confirmans, cui sit honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ.

Hic versus ferè habetur eodem modo in c. 4. v. 5. vbi fusè explicatus est. v. 3.

Collum tuum sicut turris eburnea.

Versus iste explanatus est simul cum illo capitis 4. v. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum.* De fortitudine autem eboris dictum est in id c. 5. *Venter tuus eburneus.* Lib. 7. exh. 13. maxime §. 1. & exh. 15.

EXHORTATIO XIV.

De Baptismo & Pœnitentia, de fontibus lachrymarum pro peccatis propriis vel alienis, & de lachrymis Christi Domini super Ierusalem, & in cruce.

Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. v. 4.

COMPARANTVR sponsæ oculi piscinis pulcherrimis, quæ limpidissimas aquas viuas è proprio fundo scaturientes, continebant: erant autem in ciuitate quadam dicta *Hesebon*, prope ciuitatis portam, cui nomen erat filia multitudinis, aut communi ratione ita appellabatur, quia multitudo populi ad eam portam maximè ob piscinarum pulchritudinem, concurrebat. Hac enim phrasi Scriptura hunc multorum concursum explicat, sicut Ieremiæ dictum est, *Vade, sta in porta filiorum populi, &c.* Aut nomen filiæ multitudinis referendum est ad ipsam ciuitatem, quia nimis erat populosa. Piscinæ autem istæ valde amplæ erant, quarum aquę in extima superficie serenæ, tranquillæ, ac pellucidæ imagines rectè repræsentabant, quæ pulchrorum oculorũ sunt proprietates; etsi autẽ potissime deseruirent ad potum, tamen etiam erant ad rigandum agros, sicut Salomon ait: *Extruxi mihi piscinas aquarum vt irrigarem siluas lignorum germinantium* Ad lauandum item, imò & ad natandum; nam ideo dicuntur piscinæ, quia pisces in eis natant, vnde & natatoria vocantur. Quomodo in Euangelio legimus probaticam piscinam, vbi lauabatur oues immolãdæ, & natatoria Siloë, quod interpretatur missus, quia aquæ mittebantur & diuidebantur ad rigandos hortos. In his autem omnibus fit hic allusio oculorum ad fontes. Idem enim nomen Hebræum, *aim, vel henaim,* significat oculum & fontem, forte quia per oculos dulces fluunt lachrymæ, vnde apud Ieremiam, vbi vulgata habet: *Oculus meus deducens aquas.* Hebræi repetito vocabulo habent;

Ierem. 17. v. 19. & c. 4. v. 11. *Viæ filiæ populi.*

Eccles. 2. v. 6

Ioan. 5. v 2. & c. 9. v. 7.

aim vel henaim.

Thren. 1. v. 16.

Ierem. 9. v. 1 oculus meus fons meus. & alibi ait: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?* Hinc moralem interpretationem exordiamur suppositis quæ de mysticis Ecclesiæ, & Christi oculis suprà dicta sunt in capite 1. & 4. & 5. maximè vbi columbis sunt assimilati, residentibus super riuulos & fluenta aquarum.

A

Proferia 4. hebdom. 4. Quadrag.

Duo Sacramenta baptismi, & pœnitentiæ, esse duas Ecclesiæ sactas piscinas.

§. 1.

1.

NOTVM autem est in Ecclesia duo esse à Christo Domino instituta Sacramenta ad lauandas peccatorum sordes, nimirum baptismum, quo tam infantes, quàm adulti mundantur à culpa originali, & pœnitentiam, qua fideles lauantur à mortali post baptismum commisso, vel etiam iusti à venialibus quibus inquinantur quotidie. Vtrumque comparatur fonti aquæ; de quo Zacharias inquit: *In illa die erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ,* & egregiè in hoc loco assimilantur duabus piscinis Hesebon quæ sunt in porta filiæ multitudinis, quoniam hæc sacramenta sunt in ipsis ianuis Ecclesiæ, quæ ciuitas est populosa, omnes mundi nationes complectens, & omnibus hominibus offeruntur, vt in eis à peccatis lauentur, & in regnum cœlorum valeant introire. Imò baptismus quasi porta est per quam intratur in Ecclesiam: per pœnitentiam verò rursus in Dei amicitiam regredimur. Hesebon autem interpretatur cingulum mœroris, & quadrat optimè his sactamentis, ad quæ nullus adultus dignè accedit, nisi qui de peccatis commissis mœret, tristatur, & dolet, ac cingulo mortificationis & afflictionis corporalis se præcingit ad bellandum contra vitia, & carnis passiones quæ eorum sunt radices.

Zachar. 13. v. 1.

B

Ita D. Gregor. Beda, Rup. & alij.

C

2.

Huiusmodi autem piscinæ è proprio fundo scaturiunt aquam, quia causæ sunt aquæ viuæ gratiæ, quæ animam immundam lauat, sitientem reficit, & aridam ad fructificandum rigat, aliosque effectus peragit quos suprà retulimus, circa illud, *puteus aquarum viuentium.* Sunt autem peremnes fontes qui nunquam deficient; sunt piscinæ amplæ quæ omnes admittunt, & neminem dignè accedentem reiiciunt; sunt serenę & quietæ, quia conscientiam à remorsibus, & turbationibus pacatam reddunt. Hic ergo piscinis sponsę oculi comparantur, nam fideles qui anteà per errorem, vel peccatum erant cœci, fœdi, turbidi, & infirmi, per has piscinas, earumque limpidissimas aquas illuminantur, & fiunt lucidi, pulchri, tranquilli & sani.

Cant. 4. v. 15.

D

3

Horum autem quæ diximus egregium typum intuere in homine à natiuitate cœco, quem videns Iesus, *expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit. Lutum super oculos eius, & dixit ei, Vade, laua in natatoria Siloë (quod interpretatur missus) abiit ergo, & lauit, & venit videns.* Missus sanè curandi modus, alios enim cœcos sanauit Christus, postquam ipsi clamantes salutem petierunt, quia fideles repræsentabant lethali culpa infestos, qui iam Christi fidem habent; at cœcum istum nihil petentem illuminauit, referebat enim paruulos culpa originali inquinatos, & infideles qui nullam Christi habuerunt notitiam, quibus remedium salutis offert etiam cùm non

Ioan 9. v. 6.

E

postulant, iuxta illud: *Palam apparui iis qui me non interrogabant.* Duplex autem ei applicuit remedium; primum liniens oculos luto, quę linitio, vt D. Ambrosius testatur, cognitionem proprij peccati & miseriæ indicat. Necesse est enim adultos cognoscere se cœcos esse, & peccatores, indigereque medico ac redemptore, qui alius non est quàm Christus Dominus, & teste D. Augustino, per lutum ex sputo ab eius ore in terram proiecto, repræsentatur; quoniam Verbum diuinum è cœlo descendens vnitum est carni è terra nostra desumptæ, & factum in similitudinem carnis peccati, à Iudæis in passione tanquam lutum conculcatum est, quod tamen lutum per fidem oculis cœcorum applicitum, initium est salutis & gratię; quę quidem plenè obtinetur per alterum remedium, nempe lotionem in natatoria Siloë, quod interpretatur missus, id est in baptismo Christi, qui missus dicitur à Patre, cuius aquæ, vt inquit Isaias, *vadunt cum silentio*, & sine strepitu, quia modo inuisibili suum operantur effectum in virtute Christi, quo nostri baptismus à baptismo Ioannis, & antiquę legis baptismatibus secernitur, quę verè à peccatis non lauabant.

Isai. 65. v. 1. ad Rom. 10. v. 20.

Lib. 3. de Sacrament. c. 2.

Tract. 44. in Ioa. idē. D. Ambros. dicit.

Ita Chrysostomus ho. 56. in Ioan. Isai. 8. v. 6.

Cùm igitur cæcus luto isto linitus in natatoria se lauit, visum recepit, quoniam qui cognitione proprij peccati, & fide mediatoris Christi præcedente, baptismi aqua lauantur, splendorem & pulchritudinem gratię recipiunt, & tanquam membra viua aggregantur Ecclesię, cuius tunc dicuntur *oculi sicut piscinæ in Hesebon*, mundi, splendidi, tranquilli, & pulchri. Sicut autem cæcus iste luto vnctus, nisi in natatoria Siloë lauaretur, manssiset cęcus velut anteà, imo & fœdior; sic qui cognoscit peccatum, & redemptorem Christum, & tamen respuit lauacrum baptismi, vel pœnitentię, cœcus manet, & turpior, terribili plectendus pœna, sicut Isaias testatur dicens: *Pro eo quòd abiecit populus iste aquas Siloë, quę vadunt cum silentio, & assumpsit magis Rasin, & filium Romeliæ: Propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Assyriorum*, &c, id est ingentes infligit eis tribulationes, & supplicia; sicut inflicta sunt Iudęis repellentibus legem Christi, de quo D. Basilius, & Cyrillus hunc locum interpretantur. Si ergo peccata agnoscis, ad lauacra tende, vt mundus & pulcher fias.

Isai. 8. v. 6.

D

Duo esse lachrymarum & compunctionis genera.

§. 2.

HÆc autem ampliùs patebunt, si lachrymarum fontes ab oculis profluentium, qui hæc sacramenta comitantur, meditemur. Sunt autem lachrymæ adeò homini naturales, vt Rex Salomon dixerit, *Primam vocem similem omnibus emisi plorans.* Quod sic explicat D. Cyprianus, Vnusquisque nostrum cùm nascitur, & hospitio mundi huius excipitur, initium sumit à lachrymis; & quamuis adhuc omnium nescius, nihil aliud nouit in illa ipsa natiuitate quàm flere. Prouidentia naturali lamentatur vitæ mortalis anxietates, & procellas mundi quas ingreditur, in exordio statim suo ploratu, & gemitu rudis anima protestatur, sed ad sublimiorem finem eleuandæ sunt.

Sap. 7. v. 3. Serm. de patientia.

E

nec enim sine mysterio piscinæ aquarum Hesebon dicuntur, quod est mœroris cingulum. A Mœror autem iste lacrymas excitat pro peccatis commissis, & pro reliquis qui ex illis oriuntur ærumnis. Audiuimus Axam filiam Caleb

1. Iosue 15. v. 19. Iudic. 1. v. 15

suspirantem, & dicentem patri suo: *Terram arentem dedisti mihi, da & irriguam aquis, dedit ergo ei Caleb irriguum superius, & inferius*: hoc est terram quæ habebat duas piscinas seu fontes aquæ: alterum in parte superiori, alterum in inferiori ad irrigandum eam: sic anima quæ ex peccato Adæ sortita est naturam corruptam, tanquam terram arentem, desertam & infructiferam, quæ non nisi tribulos & spinas peccatorum germinat, suspirans & gemens clamat ad Deum, desiderans terram irriguam, quæ ariditatem humectet, & sterilitatem pellat; dicitque cum Dauid, *Anima mea vt terra sine aqua tibi, velociter exaudi me.* Ex parte autem exaudita est, cùm constituta sit à Christo in Ecclesia, quæ duas habet piscinas aquæ viuæ, duo scil. Sacramenta commemorata ad diluenda peccata, & riganda corda, vt fiant bonis operibus fœcunda. Cæterum vt iis Sacramentis vti dignè valeat, & copiosiorem aquam obtineat, dantur illi duo fontes lachrymarum, superior, & inferior, vt peccata propria iugiter ploret vel ex contritione & amore Dei quem grauiter offendit, vel saltem ex attritione & timore æterni supplicij, & ge- C hennæ, quam promeruit. Prior ploratus fons est superior qui primo loco nominatur, quoniam oportet nos de peccatis dolere magis ex Dei amore quàm metu pœnæ, sed additur posterior, qui etsi inferior sit, cum Sacramento tamen sufficit ad obtinendam veniam & gratiam: tunc autem oculi Ecclesiæ, id est verè pœnitentes sunt *sicut piscinæ Hesebon*, quia ex mœrore & compunctione cordis, quasi duo fontes lachrymarum fiunt propria amarè flentes peccata. Crediderim tamen vtrumque fontem etiam perfectis conuenire posse, sicut de timore gehennæ expresse docuit Saluator dicens: D

Lucæ 12. v. 5 *Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab iis qui occidunt corpus, &c. ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Timendus ergo est Deus etiam à suis amicis propter gehennam vt illi annexa sunt duo mala per se odibilia, nimirum perpetua separatio à Deo, & ingentia peccata impatientiæ & blasphemiæ. Hæc tamen etiam refunduntur in amorem, qui ad flendum pro peccatis mouet.

De his copiosis fontibus ait Psalmista: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Sed amplius adhuc expressit cùm iterum inquit: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, & lachrymis meis stratum meum rigabo.* Seu vt D. Hieronymus ex Hebræo vertit: *natare faciam lectum meum*; hoc est, tanta erit lachrymarum copia, vt lectus eis lauari possit, aut natare in illis, sicut pisces in piscinis. Quod per hyperbolem dicitur: vt sicut ille qui natat, in aqua vndique mergitur, & se lauat ac mundat in illa; ita feruidi pœnitentis oculi sunt piscinæ tanta lachrymarum copia redundantes, vt in eis quasi natet, & perfectè lotus ac mundus egrediatur. Ait autem Psaltes lachrymis rigasse stratum suum, quoniam (vt iam notauimus) ex piscinis fit irrigatio plantarum vt fructum ferant: Stratum autem lachrymis irrigatum fructus profert pœnitentiæ dignos, quare lectum & stratum non decet esse molle, & blandum, sed durum & asperum, sicut crux Christi; vt lachrymas non impediat, sed potius cieat, & irrigatum illis vbertim fructificet. Quanta autem virtus sit horum fontium lachrymarum eleganter explicat D. Laurentius Iustinianus in epilogum cunctos earum effectus redigens in hunc modum. O lachryma humilis, tua est potentia, tuum regnum, tribunal « iudicis non vereris, amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis, non est qui te ad « Deum accedere veret. Si sola inires, vacua non « redibis. Quid plura? vincis inuincibilem, ligas « omnipotentem, inclinas filium virginis, aperis « cœlum, fugas diabolum, tu cibus animarum, « roboratio sensuum, abolitio delictorum, vitiorum exterminium, virtutum præuia, gratiæ so- « cia, refectio mentis, & lauacrum culparum. « Tu odor vitæ, sapor spirirus, gustus indulgen- « tiæ, sanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis iucunditas, serenatæ conscientiæ suauitas, & electionis æternæ spes valida. Sic ille.

In ligno vitæ de oratione c. 9.

Huic similitudini consonat altera, qua supra oculi comparati sunt columbis *super riuulos aquarum*: meditatio enim & gemitus sicut columbæ, riuulos gignit lachrymarum per oculos defluentium. Sed perpendere oportet quomodo hæ duæ similitudines cohærent. Nam riuuli aquarum veloces sunt, & celeriter defluunt; in piscinis autem & stagnis licèt aquæ latenter intus scaturiant, tamen vt diximus, superficies extima foris serena & quieta perseuerat. Sed vtrumque lachrymis à bono spiritu procedentibus optimè congruit. Nam abundantes sunt, non sicut imber impetuosus, & turbulentus; sed sicut pluuia quæ dicitur voluntaria; & conscientiæ pacem ac tranquillitatem non aufert, sed potiùs confirmat. Vtrumque etiam conuenit mysticis Christi, & Ecclesiæ oculis. Nam primùm indicat spiritus feruorem, & vehementiam in suo munere obeundo, quę omnem expellat ignauiam: secundum verò grauitatem, modestiam & constantiam, quę simul coire debent, vt nec grauitas pariat segnitiem, nec feruor leuitatem, sed sit grauitas feruida, & feruor grauis.

2 Cant 5. v. 12 Lib. 8 exh. 21. §. 4.

De Doctoribus.

Hinc est cuncta supradicta præcellentius competere Prælatis, Doctoribus, & viris contemplatiuis, qui vt supra diximus peculiariter vocati sunt oculi sicut columbę super riuulos aquarum: nunc autem comparantur piscinis aquarum viuentium gratiæ & sapientiæ. Sunt quidem piscinæ amplæ, propter latitudinem cordis ad omnes indigos recipiendos; tranquillæ verò, quoniam pacatam habent conscientiam idoneam ad iudicandum cum tranquillitate 3 Reg. 4. v. 29. quæ ad subditos spectant: propter quos residenr in porta filię multitudinis, vt omnes ad ipsos facilem aditum habeant. Ipsi enim quasi porta sunt per quos intramus in Ecclesiam & ad Christum: sed dicuntur piscinæ in Hesebon, quod est cingulum doloris, quoniam neglectis terrenis gaudiis, tristantur valde de peccatis proximorum, vt offensæ sunt Dei, & in ipsorum vergunt interitum, vnde copiosas pro eis profundunt lachrymas ex cordis penetralibus scaturientes, ac si diceremt cum Ieremia: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum & plorabo* Ierem. 9. v. 1.

die ac nocte impersectos filiæ populi mei. Sed vltrà hoc A etiam habent suum irriguum superius, & inferius (vt D. Gregorius testatur, & fusiùs Cassianus) quoniam multa contemplantur, quæ eos ad ploLib. 1. dial. c. 34. Collat. 9. c. 28. randum mouent, siue ex consideratione patriæ cęlestis, & visionis Dei quam desiderant, siue ex

Vide infra l. 10. Exhort. 3. §. 3. locum Zachariæ 12. compassione tormentorum quæ Christus Dominus pro nobis passus est; siue pro miseriis & ærūnis propriis, & aliorum maximè, cùm diuina eos excitat elocutio, de qua suprà dictum est, vt iam

Lib. 8. Exhort. 15. §. 3. vidimus. *Anima mea liquefacta est vt dilectus loquutus est.* Sæpiùs autem eos excitat, quia quamdiu degunt in hac lacrymarum valle, multa iugiter vident quæ eos ad plorandum mouent. Hic autem ploratus & mœror non segnes reddit & de- B sides, sed potiùs impigros & robustos, & ideò vocatur cingulum mœroris, quia cingulo militiæ

Ita D. Greg. hic. præcingit eos ad spirituales hostes debellandos.

Fauet noua interpretatio D. Hieronymi, ac

a in Isai. 16. b Serm. 16. in Psal. 118. Versu 1. Ambrosij, dicentium Hesebon significare cogitationes; piscinasque in Hesebon indicare in rationabilibus cogitationibus abundantiam. Cùm autem cogitationes actus sint interni visus, hæ pariunt gemitus, & omnes alios affectus pios, quibus oculi mystici Ecclesiæ abundare debent.

4. Sed tandem perpendamus quàm aptè oculi propter vtrumque suum munus, quod est videre, & flere, comparentur piscinis *quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Oculi enim sunt quasi porta per quā C rerum sensibilium multitudo intrat interiorem mentis ciuitatem, illamque replet innumeris cogitationibus & affectionibus, ac variis imaginibus. Per hanc autem portam interdum ingreditur mors culpæ, & hostis qui animam prædatur, gratiamque ac alia Dei gratuita dona disperdit: idem verò sunt piscinę, non tantùm quia in eis imagines rerum velut in aquis limpidis & tranquillis referuntur, sed etiam quoniam vberes lacrymas effundunt ad deploranda mala quæ per portam introiêre, vel quæ visu cognouerunt; nam malum quo quis non videt non plorat. Cura igitur hanc portam claudere, ne quid in animam intret quod illi noceat: quod si introierit, sint oculi tui vt piscinæ Hesebon, ita ex mœrore cordis contriti mala plangentes, vt ab illis lotus & mundus maneas.

Confirmantur dicta ex Christi lacrymis super Hierusalem, & in cruce. § 3.

Pro Dom. 9. post pentecostem SED eorum quę diximus accipe diuinum exemplar in Christo Domino prope passionem ascendente Ierosolymam, qui *vt appropinquauit, videns ciuitatem flenit super illam.* Nunquid non de ipso dicere possemus tunc, quod de sponsa ipse;

Luc. 19. v. 41. *oculi tui sicut piscinæ in Hesebon quæ sunt in porta filiæ* E *multitudinis*? nam filiam multitudinis vocare possumus populosam ciuitatem Ierusalem, quę paulo post, ea *quæ habet populos* vocatur. Cum igitur appropinquauit portæ huius ciuitatis per quam ingressurus erat, facti sunt oculi eius, vt duæ piscinę in Hesebō, nam maximo est constrictus mœrore propter illius enormia peccata, propter proteruam eius contumaciam, brutalem ingratitudinem, ferinam sęuitiam, & quia non cognouit tēpus visitationis suæ. Quo mœroris affectu duo eius oculi tanquam duo fontes lachrymarum ex intimo cordis fundo erumpentium, internam testabantur compassionem, cępitque impleri quod dixerat: *Baptismo habeo baptizari, quomodo coarctor*

Cant. 8. v. 11

Luc. 12. v. 50 *vsque dum perficiatur*? Coarctabatur duro cingulo mœroris, & baptismo lacrymarum in piscinis Hesebon baptizatus est, qui paulò post baptismo proprii sanguinis baptizandus erat.

Hesebon cingulum mœroris est

Vnde tunc aptè satis posset ei sponsa dicere: *Oculi tui sicut columbæ super riuulos aquarum quæ lacte sunt lotæ*; erant enim eius oculi gementes sicut co- 2. Cant. 5. v. 12 lumbæ, abluentes se in riuulis lacrymarum quæ ab illis profluebant, sed erant lacte lotæ, quia gemitus & lacrymę ex amore procedebant materno erga incredulam ciuitatem; cui eodem fermè tempore dixit: *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui* Math. 23. v. 37. *congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti?* In similitudine autem gallinæ tenerum matris affectum, quo illam prosequebatur, denunciat, vt alibi ostendimus: sed quia lac humor est sanguineus colore mutato, sponsus qui tunc lotus est lacte candido lacrymarum, posteà perfusus est rubicundo suarum venarum cruore, vt miseram Ierusalem, vniuersumque mundum à peccatis ablueret & mundaret. Vnde ad ipsam sermonem conuertens dum fleret, ait: *Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Quibus verbis duo insinuantur quę Ierusalem ad lacrymas prouocarent, si cognosceret illa: primùm quidem præclarissima bona ad eius pacem & gloriam per Christum conferenda: quæ tamen nihili faciebat, quia ea ignorare affectabat: alterum verò horrenda supplicia, quibus propter hoc plectenda erat. Considerato enim beneficiorum & pręmiorum, quæ propter peccata amittuntur, & tormentorum quę accumulantur, quasi duplex est irriguum, superius, & inferius, & velut duæ piscinæ ad aridam cordis bumum irrigandam & fœcundandam potentissimè, nisi sua obstinatione saxis ipsis durior facta sit, sicut Ierusalem: cui meritò Dominus ait, *Si cognouisses & tu* quæ ego de te cognosco, fleres sicut ego fleo; & oculi tui fierent sicut piscinæ in Hese- D bon, & magno mœrore constricta ob horrenda mala quæ euenient tibi: quia tamen nunc *abscondita sunt ab oculis tuis*, ideò oculi tui non gemunt sicut columbæ, nec lacrymis sicut piscinæ redundant, sed potiùs iucundi sunt & gaudentes; at gaudium tuum verteturin planctum, & planctus tuus sine fructu erit. Cùm igitur Saluator verbo & opere testetur oculos, ex eo quòd futura & imminentia mala videant, in fontes conuerti la- « crymarum, illa iugiter contemplemur, vt largiter Serm. 16. in Psal. 118. in principio « flentes ab illis eripiamur. Oculus (inquit D. Am- « brosius) prouideat quæ futura sunt, etsi aduersa « imminere præuiderit, fleat, lacrymisque emollire « ac mitigare non desinat.

Sed non solùm contemplemur lacrymantem Christum antequam ingrederetur ciuitatem propè ipsius portam, sed etiam cùm paucis post die- 3. ad Hebr. 13. bus egressus extra portam ciuitatis, sed non lon- v. 12. & c. 5. gè ab illa, abundantiùs in cruce fleuit pro totius v. 7. mundi delictis. Nam teste D. Paulo, extra portam passus est, & cum clamore valido & lacrymis preces, supplicationesque fundebat; ita vt oculi Christi in cruce essent sicut *piscinæ Hesebon in porta filiæ multitudinis*: quoniam prope portam Ierusalem in Caluario innumera hominum multitudine illuc confluente, extremo accinctus & constrictus est mœroris cingulo, tantaque oculi eius sunt lacrymarum affluentia perfusi, vt quasi duæ essent piscinæ, proprio tamen tinctæ cruore,

vt ex aqua & sanguine nostrorum fieret lauacrum peccatorum, & noua quædam probatica piscina, in qua non ouium & hircorum carnes, sed caro ipsius immaculata immersa fuit, vt omnium languentium sanaret infirmitates.

Ioan.5.v.2. Ex duplici igitur hoc Christi exemplo discе quales debeas gestare oculos iuges lacrymas erumpentes. Si enim ipse in duro crucis lecto plorauit, illum lacrymis sanguine mixtis rigans pro corpore eius mystico quod est Ecclesia, & tu etiam pro peccatis tuis plora, lectum tuum lachrymis laua, & stratum tuum riga, vt eorum indulgentiam obtinere valeas. Plora etiam pro delictis aliorum, vt Saluatori similis efficiaris, & oculi tui sint sicut oculi illius columbæ gementes pro totius mundi miseriis. Quod si terram arentem fortitus es, pete ab illo irriguam, quia benignus est, vt det tibi irriguum superius & inferius, fiantque oculi tui vt piscinæ Hesebon, non vno vel altero die, aut anno, sed quandiu vixeris, *in porta filiæ multitudinis*, id est in hoc populoso mundo, & lachrymarum valle, considerans te iam iam esse prope portam mortis, vt ex eo egrediaris in inuisibilem mundum in Christi tribunali iudicandus.

Quod si bene plorueris vsque ad mortem, sine dubio ingredieris in cœlestem Ierusalem, vbi abApoc 7.v.17 & c.21. v.4. sterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, nec erit amplius dolor, clamor, & gemitus, sed gaudium, laus, & exultatio. *Nam beati qui*
Math.5.v.5. *lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Luctus erit momentaneus, consolatio verò sempiterna: fletus modicus, gaudium immensum: planctus in porta terrenæ filiæ multitudinis, exultatio intra portas filiæ multitudinis cœlestis, vbi sunt millia millium beatorum lætantium & laudantium Deum in sæcula sæculorum. amen.

EXHORTATIO XV.

In id *Sioculus tuus fuerit simplex* & c. & pro Doctoribus.

De virtute prudentiæ & discretionis ad odorandum & præcauendum mala, ac de fide & spe eorum quæ non videntur.

V. 4. Nasus tuus sicut turris Libani quæ respicit contra Damascum.

IAVDATVR sponsæ nasus proportione sumpta à pulchra & spectabili turri erecta in monte Libano versus Damascum regiæ Syriorum, qui infesti Iudæorum hostes erant, in qua iugiter aderant speculatores vt eos aduenientes discernerent. ad cuius similitudinem est nasus in pulchra facie debita proportione magnus, & sublongus, ac rectus, acuto præditus olfactu, vt odores discernat, & hinc potissima eius laus sumitur: propter quod nasus symbolum est discretionis; & quia hæc maximè splendescere debet in prælatis, doctoribus, & concionatoribus, hos etiam repræsentat qui sublimem locum obtinent in Ecclesia, quæ per montem Libani significatur, cuius sublimes sunt turres vt eam defendant ab insidiis inimicorum qui per Damascum repræsentantur. Nam sicut Libanus interpretatur candidus, vel dealbatus à candore gratiæ, sic Damascus sanguineus à sanguine peccatorum

De sublimitate & rectitudine prudentiæ. § 1.

VIRTVS igitur discretionis & prudentiæ, quæ velut nasus, & olfactus est animæ, meritò comparatur turri, non sitæ in valle, sed in monte, nec in quouis, sed in Libano, qui sublimis & speciosus erat, quoniam primatum tenet inter omnes morales virtutes, & sublimior est illis tanquam earum dux, quæ omnes regat, præscribat medium, & in ordinem suum vnamquamque redigat. Quod ex nobiliori subiecto deducere videtur Angelicus Doctor; nam si sermo sit de 1.2 q. 66. ar 3. in corp & ad 3. quatuor virtutibus cardinalibus quibus reliquæ adiunguntur, temperantia cohibet appetitum concupiscentem, iracundiam verò fortitudo, iustitia informat voluntatem, & prudentia ipsam rationem, & intellectum cæteras potentias dirigentem: vnde non immeritò comparare eas possumus, vt D. Hieronymus insinuat, quatuor faciebus animalium quæ currum gloriæ Dei gerebant apud Ezechielem; temperantiam quidem boui, leoni fortitudinem, homini iustitiam, sed In Ezech. 1. prudentiam aquilæ, quæ erat desuper ipsorum quatuor, quia visus perspicuitate alias superat, suaque sapientia dirigit; vnde & ipsis virtutibus finem & medium rationis præscribit, sine qua virtutes non essent. Propter quod meritò D. Antonius (vt Cassianus refert) eam aliis virtutibus prætulit, & oculum esse dicit: de quo Saluator ait, *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Eo quod vniuersas hominis cogitationes, actusque discernens cuncta quæ sunt gerenda peruideat, atque perlustret: quæ si nequam fuerit, id est non vero iudicio & scientia communita, seu quolibet errore, aut præsumptione decepta, omnem aciem mentis, nostrosque actus reddet obscuros. Discretio enim (ait ille) prætermittens vtramque nimietatem via regia monachum docet semper incedere, & nec dextera virtutum permittit extolli, id est feruoris excessu, iustæ continentiæ modum inepta præsumptione transcendere; nec oblectatuum remissione deflectere ad sinistra vitia concedit: hoc est, sub prætextu gubernandi corporis contrario spiritus tepore lentescere. Sicut igitur oculus sublimem in corpore locum obtinet vt omnia peruideat, & iudicet, & post illum nasus qui odore cuncta discernit: sic prudentia quę per vtrumque designatur, aliis virtutibus præfertur, ideoque sublimi turri assimilatur.

Quia turris autem adamussim erecta est, aptè aliud prudentiæ insigne denotat, cuius est rectè de omnibus iudicare, & ædificium virtutum ita extruere, vt in neutram partem deflectatur. Vnde sicut nasus duas habet fenestras ad odorandum, ita prudentia duas habet partes vt suum munus rectè gerat, quia alia respicit bonum proprium & regimen sui ipsius, vt cuncta propria secundùm rationem fiant; alia verò bonum commune & regimen eorum qui nostræ curæ commissi sunt, siue familia sit, aut ciuitas, vel regnum; omnes autem aliquo modo respicere tenentur etiam bonum commune, & secundùm habitudinem ad illud proprium disponere, quia teste D. Augustino, turpis est omnis pars suo toti non conueniens, vel non congruens; aut duo nasi, foramina indicant duo munia prudentiæ, vt homo declinet à malo, & faciat bonum. Eius enim est

bonum cognoscere, & malum, mediaque præscribere ad fugiendum illud, & sectandum istud. Quare ipsa etiam cauere debet extrema, sicut scriptum est, *prudentiæ tuæ pone modum.* Vnde in
Leuit.21.v. 18. Leuitico à sacerdotio repellebantur, *qui parvo, vel*
1.p.Past.c. 11. *grandi, vel torto naso fuerunt.* Quod D. Gregorius ad discretionem refert, inepti enim sunt ad gubernationem qui parua pollent prudentia, vel plus nimio de ea præsumunt, vnde facilè à rectitudine deuiant. Sunt enim (inquit) nonnulli, qui dũ
„ æstimari hebetes nolunt, sæpe se quibusdam ex-
„ quisitionibus plus quàm necesse est exercentes,
„ ex nimia subtilitate falluntur: hi grandi & torto
„ sunt naso, qui est discretionis subtilitas immoderata: quæ dum plus quàm decet excreuerit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundet. Propter
Collat.2.c. 10. quod sicut alta turris profundum debet habere fundamentum vt subsistat, sic discretio profunda fulcienda est humilitate. Vera discretio (inquit Abbas quidam apud Cassianum) nonnisi vera humilitate conquiritur. Deus enim qui lumen sapientiæ negat superbis, elargitur illud humilibus, iuxta illud, *Abscondisti hæc à sapientibus, &*
Matth. 11. v.25. *prudentibus*, scilicet qui tales sunt in oculis suis, *& reuelasti ea parvulis.* Est enim superbia (vt inquit D. Bernardus) trabs in oculo, quæ mentem excæcat ne rectum iudicium faciat; & ex præsumApologia ad Guillelm §. vnde nunc ptione turpius falli permittitur; peiusque errat quàm stultus. vnde Salomon ait: *Vidisti hominem*
Prou.26.v. 12. *sapientem tibi videri; magis illo stultum habebit insipiens.* Quod sic amplificat D. Chrysostomus: Magnum
Hom.39.ad popul. est elationis malum. Stultũ esse melius est quàm insolentem: illic enim stultitia tantùm est, mentisque tarditas: hîc autem stultitia peior est & fatuitas cum furore. Stultus sibimet ipsi malum est,
„ elatus & aliis pestis. Ex amentia hoc vitium nascitur: non potest esse superbus, qui fatuus non sit.
„ Stultitiâ verò plenus est superbus. Audi quem-
„ dam sapientem qui dicit, *Vidisti hominem*, &c. &
„ cùm plurima eleganter dixisset, subdit prope finem homiliæ: Si elatorum aliquis es, vel hominibus maiora sapis, vel brutis humilius. Talis enim
„ est dementia & audacia, vel vltra debitum extollitur, vel vltra modum humiliatur, nusquam
„ custodiens mediocritatem. sic ille. Defectus igitur prudentiæ, qui superbiam comitatur, hæc mala patrat. Tolle discretionem (inquit D. Bernar-
Serm.49. in Cant. dus) & virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem conuertetur, exterminiumque naturæ.

De discretione inter bonum & malum vt hoc præcauea-mus. §. 2.

HINC potissima laus oritur discretionis, cùm dicitur, *Nasus tuus sicut turris Libani quæ respicit contra Damascum.* eius enim munus est discernere inter bonos & malos odores, id est bonos & prauos affectus & actus, respiciendo an proueniant à Damasco, id est ex diaboli insidiis qui
Theodoretus & tres Patres multoties se in angelum lucis transfigurat, & errorem pallio veritatis, vitium verò pallio virtutis tegit, & ita decipere conatur. Altam autem & in montis fastigio eleuatam esse oportet turrim, vt callidissimi hostis occultas speculetur insidias, & rectè vocatur Damascus, qui, teste Isaia, *caput*
Isai.7.v.8. in Ezech.27 *est Syriæ.* nam diabolus est omnium malorum caput: & vt D. Hieronymus ait, significat sanguinis potum, quia ibi terra bibit sanguinem Abel: vel *sanguinis osculum*, quia carnis amore & blandimentis vtitur ad decipiendum nos: aut Damascus fortè ipsam carnem repræsentat, cuius periculosiores sunt insidiæ ad decipiendum spiritum vt suas delicias consequatur. vnde in Scriptura vocatur vrbs lætitiæ, & domus voluptatis; quæ omnia carnis in delitias propensæ naturam aptè delineant. Cui Damasco quadrat quod Salomon ait: *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes affer, affer.* quia insatiabiliter sanguinis potum sitiunt, & sanguine peccatorum delectantur. Spiritus ergo iusti in altam turrim discretionis euectus, cuncta quæ agenda sunt, vel aliunde illi agenda suggeruntur, speculatur, & perscrutatur, quia bellum acre indixit Damasco, Diabolo, & carni; & quicquid ex parte ipsorum est detegere, pręcauere, & dissipare satagit: instar Christi Domini, qui in hoc loco rectè per Libanum significatur; vt turris Libani sit turris Christi, eius nitens virtuti; exemplum sequens, & partes agens: qui etiam infans tam eximia discretione & fortitudine splenIerem 49. v.25. Amos.1.v.5. Prou.30.v. 15. Isai.7.v.15. & c.8.v.4. duit, vt de eo scriptum sit: *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Et rursus: *Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci.* Ad hoc igitur respicere debet prudentia, vt Damascum, quam Dominus Iesus tenera ætate subuertit, hostis sagacitas in nobis non instauret; sed quidquid à Diaboli, vel carnis suggestione sanguinolentum procedit, odoratu prælentiens & discernens, fortiter mox repellat. Propter quod Christus Dominus discipulis dixit: *Estote prudentes sicut serpen-*Matth 10. v.16. *tes.* Vt sicut dęmones ab initio callidissimi sunt ad nos oppugnandum, ita nos prudentes simus ad eos expugnandum: Et sicut illi præuident, & prouident occasiones in quibus ruere possumus, ita nos præuideamus & pręmuniamus aduersus illas.

Sed vlteriùs discretionis nasus turri assimilatur, quia à longe intuetur hostes, & antequam appropinquent, propellit eos, in quo prudens ab imprudenti secernitur, qui post vulnus ab hoste receptum agnoscit illud, & non anteà, quod insipientium est proprium; nam iuxta prouerbium: FACTVM NOVIT ET EXCORS. De prudenti autem sub metaphora equi inquit Iob: *Procul*
Seneca tragicus. *odoratur bellum, exhortationes ducum, & vlulatum exercitus*: id est, antequam bellum manifestum insurgat, odoratu suo præuidet insurrecturum, & Iob 39.v. 25 se præmunit contra illud. Quod sic explicat D. Gregorius, aduersitatis certamina idcirco iustum Lib.31.mor. c.17. non superant, quia nunquam improuisa tentant. Longè quippe prænotat, ex vnaquaque re cuius vitii pugna succrescat, vnde *procul odoratur bellum*, quia ex causis præcedentibus quæ vitiorum pugnæ subsequantur, agnoscit: quia enim odore res non visa cognoscitur, bellum procul odorari est sicut flatu narium, sic prouisione cogitationum nequitias latentes indagare. Vnde nasus Ecclesiæ turri in Libano similis dicitur, quia sanctorum prouida discretio, priusquam veniat culpa deprehendit, eamque quo vigilanter prænotat, eo fortiter declinat. Hæc carptim ex illo qui fusiùs prosequitur, quomodo iustus procul odoratur exhortationes ducum, id est rationes quibus septem vitia capitalia ad malum inducunt, & clamorem reliquorum vitiorum, quæ post illa sequuntur, contra omnes tentationes se diligenter præmuniens. Hinc est potissimam partem prudentiæ (vt D. Thomas testatur) esse prouidentiam, quę futura prouidet. Vnde D. Isidorus

Lib 10. Etymol. c. 15

sumit nominis etymologiam : nam prudens, inquit, est quasi procul videns, cui adiungitur circumspectio, omnia intuens quæ circumstant : iuxta quæ ex memoria præteritorum, vt coniectet quę futura sunt. Propter quod sancta animalia plena dicuntur oculis *ante, retrò, intus, & in circuitu*, vt præterita & futura, ac præsentia circumspicerent, & præcauerent. Nam teste eodem diuo Gregorio, si à circumspectionis solicitudine cor destituitur, vulneribus aperitur : quia hostis callidus tanto liberiùs pectus percutit, quanto nudum à prouidentiæ lorica deprehendit. Perfecta ergo prudentia in sublimi turri constituta, omnia tempora, & loca circumspicit. Nam vt inquit Seneca, si prudés fueris, animus tuus tribus temporibus dispensetur ; Præsentia ordina, futura prouide, præterita recordare. Sed vigilantiùs præuidere cura futura, nec dum inopinanter fiunt præsentia, vehementer feriant. Vnde idem dicebat : id nobis agendum est, ne quid nobis inopinatum sit ; quia omnia nouitati grauiora sunt. Sed iuxta consilium Sapientis, *Ante languorem adhibe medicinam*. Satius enim est languorem impedire, quàm iam vexanti mederi: ideoque dicebat Moïses, *Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent*

Ezech. 1. v. 10. & c. 10. v 11.

Apoc. 4. v. 8.

3 p. Past. ad monit. 33.

Lib. de quatuor virtutibus principalibus.

in Epistoli

Eccles. 18. v. 20.

Deut. 32. v. 29.

De Doctoribus qui præuident hostium insidias. § 3.

Sap. 9. v. 14. Prou. 3. v 5.

Collat. 2. c. 10.

SED quoniam cogitationes mortalium timidæ sunt, & incertæ prouidentiæ nostræ, scriptumque sit *Ne innitaris prouidentiæ tuæ* ; summa prudentia est non multùm fidere propriæ prudentiæ, sed seniorum, qui plura experti sunt, discretione iuuari, vt eruditè satis monuit Cassianus. Habet enim Deus in Ecclesia perfectos viros, quibus illam elargitur gratiam, quam

1 Cor. 2. c. 10

diuus Paulus vocat discretionem spirituum, quæ in aliorum vergit vtilitatem, vt qui per seipsum inter bonos malosque spiritus discernere nescit, per eorum consilium probè discernat : qui quidem occultas Diaboli astutias propalat ; ac

4. Reg. 6. v. 9. Eccles 37. v. 18

instar Chisei regis dicunt, *Caue ne transeas in locum illum, quia ibi Syri in insidiis sunt*. De huiusmodi enim inquit Ecclesiasticus, animam viri sancti, qui scilicet diuina luce perfusus est, aliquando enunciare vera magis quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum, qui nimirum scientia & prudentia gubernantur humana. De illis autem inquit Apostolus, *Perfectorum autem est solidus cibus eorum qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali.*

ad Hebr. 5. v. 14.

De hac etiam anima viri sancti optimè dicitur : *nasus tuus sicut turris Libani*, id est Christi, qui peculiari instinctu ei suggerit vim inter bonum & malum discernendi. Nam sicut canis tanta vi odorandi pollet vt feram latentem odore inuestiget, & inter varias semitas ex vestigiorum odore, qua via, quoue itinere progressa sit dignoscit, ac venatori ostendit : sic iustus per odoratum sibi à Deo infusum vestigia Christi cognoscit, & ab hostium vestigiis secernit, vt quo itinere quęrendus sit ipse agnoscat, aliisque sine deceptione manifestet. Dicitur etiam turris Libani, quod interpretatur dealbatio, quia huiusmodi lumen maximè conceditur animæ viri sancti, quæ cădore gratiæ splĕdet, & à peccatorũ maculis se mundauit. Quare nõ dicitur respicere Damascũ, sed cõtra Damascũ, quia respicit nõ vt in eo cõplaceat, sed potiùs vt vultus ac nasi sui seueritatem hostibus ostendat, pauoremque incutiat. Experientia enim constat nasi rictu ac gestu nos significare cùm quid nobis displicet, vel quĕpiam à nobis volumus repellere. Vnde naribus etiam iræ fumum contra inimicos spiramus : sicut constat ex eo quòd Isaias ait : *Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius, quia excelsus reputatus est ipse.* Quem locum de Christo Domino diuus Hieronymus, & alii Patres interpretantur, qui verus homo est, sed simul excelsus Deus : & quamuis mitis sit, tamen spiritum & furorem habet in naribus contra peccatores eum lacessentes ; ideò quiescite (ait) & cessate illum lacessere, ne fortè spiritum hunc furoris in vos efflet. Sic igitur sponsæ nasus respicit contra Damascum, furorem suum contra peccatum spirans, & contra Diabolum tentantem vt eum longissimè à se repellat : de quo maximè gloriatur, vt dicere de ea possimus, *Gloria narium eius terror* ; id est, Gloria eius est per nares fumum & ignem spirantes terrorem hostibus incutere.

Isa. 2. v. 22.

Iob. 39. v. 20.

Vnde aliqui locum istum Cantici D. Paulo applicant, qui aliquando *Spirans minarum & cædis in discipulos Domini*, qui habitabant Damasci, quos sanguineos reputabat, & sacrilegos, factus est à Christo Domino natus Ecclesiæ ; *Sicut turris Libani respiciens contra Damascum*. Quod generali ratione de omnibus prędicatoribus interpretatur D. Gregorius, sed speciali attribuitur Paulo, qui dealbatus per baptismum & in altitudinem turris, id est in magnam contemplationem & ingentem fortitudinem euectus, odorabatur omnes inimicorum insidias : & semper respiciebat contra Damascum, Iudæis incredulis & peccatoribus contradicens, & qui præsumptum Damascum persequebatur, putans se obsequium

2. Cor. 2. v. 11.

præstare Deo, si Christicolas Damasci habitantes vinctos perduceret in Ierusalem, cœpit verum Damascum persequi insurgens contra Iudęos qui habitabant Damasci, confundens eos, & probans ex scripturis Iesum esse verum Christum & Messiam illis promissum.

Philocarpathius. Act 9. v. 1. *Pro conuersione D. Pauli.* Hic & hom. 11. v. 12. Ezech. & locis supra citatis.

Sed hinc multo melius deducimus admirandam Christi circa suæ Ecclesiæ prouidentiam, cuius nasus velut in facie eius sublimiorem locum tenens, est eius Vicarius Romanus Pontifex, infallibilem habens authoritatem circa res fidei & morum, discernendi inter verum & falsum, & inter bonum & malum. Nam cùm particulares doctores deficere aliquando in iis possint, voluit Christus aliquem perpetuò suę Ecclesiæ præesse, qui in definiendis quę circa hæc tenenda sunt, deficere nequiret, nempe successorem Petri, cui dictum est : *Ego rogaui pro te ne deficiat fides tua.* Ad

Luc. 22. v. 32

quem spectat confirmare fratres tuos, reliquos scilicet Episcopos, & doctores, Ecclesiæque fideles ; & ideo est *sicut turris Libani*, id est, sicut firmissima turris Christi, vel Ecclesiæ, quæ fundata est ab ipso supra firmam petram in supremo doctrinæ, & virtutis candore, quæque perpetuò *respicit contra Damascum*, quia nunquam obdormit, sed oculos habet apertos contra hæreticos, fidem euertere nitentes, qui tamen sicut nec portæ inferi pręualere poterunt contra hanc turrim, nec nasi eius obturare olfactum ; sed potiùs ipse prævalebit sicut hactenus pręualuit, contra eos, omnesque eorum odoratus est hæreses & errores, vt illos validissimis argumentis confutaret, quia

Math. 16. v. 6.

simul est turris Dauid, à qua mille clypei pendent, & omnis armatura fortium ad hostes fidei debellandos : vnde quidam putarunt hanc turrim dici Libani, quia sita erat Hierosolymis, vbi turris Dauid, in domo saltus Libani. Erat autem hęc turris ampla & capax velut arx, ad quam confugere possent qui à Syriis infectabantur ; nam capacissima est Ecclesia, ad cuius arcem diuinę sapientiæ ancillæ homines vocant vt in ea ab hostibus fidei protegantur : nos autem qui Dei gratia intra illam sumus, sedulò purificare debemus olfactum animæ, vt quidquid ad Damascum pertinet cumprimùm odoramur, statim respuamus, sicut D. Ambrosius ait : Nares animæ tuæ à fœtore auertantur criminum diuersorum. Est enim in iis velut quoddam insigne iudicij, vt bene olentia discernat & fœtida ; suaui sanctorum qui possint dicere Christi bonus odor sumus Deo, à fœtidis peccatorum.

3. Reg. 7. ita Apponius.

Prouerb. 9. v. 3.

Serm 5. in Psal. 118. v. 5.

2. Cor. 2. v. 15.

Fidem & spem esse quasi nares animæ. § 4.

SED aliam addamus interpretationem ; nasus enim etsi vnus sit, duas, vt diximus, habet fenestras, quas nares vocamus, ad tria munia deseruientes potissimè, ad odorandum, respirandum, & foras emittendum capitis excrementa, nec incongruè symbolum sunt fidei, & spei, virtutum Theologicarum, quæ sunt nostræ salutis initium. Olfactus enim, seu vis odorandi, qui non visa & occulta odore agnoscit, aptè transfertur ad significandam fidem & spem quæ in cœlestia & æterna, etsi non visa, feruntur. *Nam quod videt quis quid sperat* ? Comparantur autem turri, quoniam ad eorum contemplationem & desiderium mentem eleuant, iuxta illud : *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna sunt.* Turris etiam vocantur propter fortitudinem quam animæ imprimunt. *Nam sancti per fidem vicerunt regna, & fortes facti sunt in bello : & qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem* terrenam in cælestem, & humanam in diuinam. Per has enim virtutes, contemptis visibilibus, ad inuisibilia desideranda rapimur ; & fortes sumus ad ea quærenda. Sunt autem turres Libani, quoniam in baptismo infunduntur, & cum candore gratiæ maximè roborantur : & quia Libanus etiam sæpe vsurpatur pro thure, quod symbolum orationis est, nasus dicitur *sicut turris Libani, vel thuris* : quoniam fides & spes, quæ orationis sunt principium & radix, maximè percipiunt eius fragrantiam, & cum ea coniunguntur, eaque valde delectantur. Respiciunt autem contra Damascum, quia omnis earum conatus contra peccatum est, vt illud propellant, & indulgentiam impetrent, ad bellaque contra occultos hostes præcingunt, nec bellare definunt donec Damascum prosternant.

ad Rom. 8. v. 24.

2. Cor. 5. v. 18

ad Heb 13. v. 33.

Ilai. 40. v. 31.

Ita Apponius & D. Ambr. insinuat Serm 5 Recitato.

Sed quoniam idem nomen vsurpari solet in bonum, vel in malum, secundùm diuersas considerationes, Diuus Hieronymus Magdalenæ pœnitentiam commendans, Damascum in bonum sumit, si aduerbium *contra* idem sit quod *versus* Damascum : & clariùs Septuaginta Interpretes vertunt, quod *prospicit faciem Damasci*, id est (inquit ille) prospicit sanguinem Saluatoris ad sacci pœnitentiam prouocantem. Fides enim & spes semper mentis oculos figunt in sanguinem Christi, per quem immundum sanguinem peccatorum lauari confidunt. Vnde vtrumque videtur coniunxisse Paulus cùm ait: *Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei & consummatorem Iesu*, &c.

ad Hebr. 12. v. 1.

Ad hoc iuuat aliud munus narium, per quas respiramus aërem trahentes refrigerantem, & calidum expellentes, sicut etiam fit per os. In respiratione autem vita hominis consistit, quo sensu aliqui explicant citatum locum Isaiæ, *Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus est*, vt sensus sit, Nolite spem collocare in homine terreno, cuius vita in respiratione sita est, & facilè suffocatur : At vita spiritualis Spiritus Sancti inspiratione seruatur, quæ secum affert gratiam viuificantem, eamque in anima dum bona opera suggerit, nutrit, & auget : de qua B. Iob ait : *Donec supererit halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis : Non loquentur verba mea iniquitatem.* Quod

2.

Isai. 2. v. 22.

Iob. 27. v. 3. Libr. 2. de spiritu sancto c. 9.

Diuus Ambrosius intelligit de Spiritu Sancto, qui est in naribus interioris hominis quibus vitæ odorem carpebat æternæ, & gratiam cælestis vnguenti geminis quibusdam sensibus hauriebat. Fides autem & spes per orationem has inspirationes trahunt, vt cuncta hæc perficiant. At sicut respiratio per nares quodammodo est magis secundùm naturam, salubris, & iugis, quia nunquam clauduntur sicut os, sed semper patent ad trahendum & emittendum aërem, etsi aliquando aperto ore copiosior trahatur & emittatur : sic respiratio per affectus internos melior est, & diuturnior quàm per externas orationis voces, etsi aliquando ex vehementia affectus os etiam aperiamus, sicut ait Dauid ad trahendum spiritum.

Psal. 118. v. 131.

Et tandem per has virtutes omnia peccatorum excrementa ab anima expelluntur, quatenus ad ipsam iustificationem præparant, & ad odium ipsorum peccatorum impellunt. Vnde in Scriptura per fidem dicimur purificari à peccatis, & spe salui fieri, vt ex hac parte meritò turri Libani comparentur ob candorem quem in anima efficiunt. Qui autem emunctas atque purgatas valde has animæ nares habent, omnes Christi odores facilè percipient, ex eisque magnum robur, & gaudium, vt in odorem vnguentorum eius velociter currant, donec ad ipsum perueniant, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

3.

Actuum 15 v. 9. ad Rom. 3. v. 24.

Epist 140. ad principium.

Pro Pontificibus & Doctoribus

EXHORTATIO XVI.

De iis qui dicuntur caput Ecclesiæ, vel piæ animæ, & comæ earum, de ipsorumque proprietatibus per similitudinem ad mysticam purpuram Christi crucifixi.

Caput tuum vt Carmelus, & comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus.

Cant. 4. v. 1. & c. 6. v. 4.

ASSIMILAVERAT sponsus in præcedentibus bis dilectæ suæ capillos gregibus caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad, & apparebant in eo: cui monti caput eius simile esse etiam insinuauit, vt hac metaphora commendaret eorum copiam, longitudinem, & nitorem; quoniam capræ in Galaad monte pastę ex pastus natura nitidos & flauos, aut subrufos villos producunt. Sed quoniam similitudo ista non satis eorum pulchritudinem declarabat, alia vtitur aptiori, dicens nunc, *Caput tuum vt Carmelus, & comæ capitis tui sicut purpura regis vinctæ canalibus.* Quibus verbis egregiè supradicta in aliis encomiis declarantur, & amplificantur; maximè secundùm versionem Septuaginta Interpp. quæ sic habet, *Caput tuum super te sicut Carmelus, & plexus capitis tui sicut purpura; rex ligatus in trans cursibus.* quæ omnia plura indicant mysteria.

Christum caput Ecclesiæ comparari Carmelo. §. 1.

ET quidem ex eo quod LXX. dicunt *caput tuum super te*; nonnulli inferunt hîc non tam laudari caput quàm capitis ornamentum, quod est corona. Nam de capite naturali superfluè diceretur esse super te, & dicitur esse sicut Carmelus, quia corona erat contexta ex pluribus floribus & ramis amœnis, vt videretur esse instar Carmeli; sed quamuis de capite coronato intelligi possit laus, non est cur ipsum caput ab ea excludamus, nec otiosè dicitur *super te*, si ad sensum mysticum, qui proprius est, attendamus. Si enim de tota Ecclesia sit sermo, sæpius diximus eius caput esse Christum, qui aptissimè dicitur super te, propter eius eminentiam & gubernationem, vnde eadem phrasi dicit D. Paulus: *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Hoc caput est vt Carmelus, mons amœnus, excelsus, & vinearum ac fructuum feracissimus, de quo per Ieremiam ad reprobos Iudæos inquit: *Induxi vos in terram Carmeli, vt comederetis fructum eius, & optima illius.* Quoniam Christus mons in vertice montium exaltatus, omnibus fructibus vbertrimæ frugis, & amœnus est. Hic mons habitatione Eliæ & Elisæi celebris fuit. Elias qui de monte Galaad ortus refertur, vt iam diximus, in monte Carmelo mira operatus est in virtute mediatoris Christi, quem mons iste repræsentabat. In vertice Carmeli orans Elias obtinuit pluuiam, & nos (inquit D. Gregorius) in Carmelo orantes pluuiam impetramus, quando in Christũ credentes Christum desideramus, & à Patre irrigationem gratiæ suscepimus, quam rogamus. In eodem mõte ædificauit altare, obtulit holocaustum misso igne de cœlo, occidit prophetas Baal, & populum in Dei cultum reduxit. Sic in Christo gratum est Deo omne sacrificium, & per illum ignis Spiritus Sancti è Cœlo descendit, vitia & errores, eorumque dogmatistes extinguuntur, & peccatores in Dei conuertuntur obsequium. Eliseus etiam qui in Carmelo habitabat, in eo vidit equos & currus igneos, id est cœlestes exercitus in eius adiutorium missos, qui per Christum auxiliantur nobis. Carmelus denique interpretatur *cognitio, seu scientia Circumcisionis*, vel secundùm alios, *agnus circumcisus*, quod maximè in Christum quadrat (sicut in 1. libro perpensum est) qui cùm agnus innocentissimus esset, experire voluit Circumcisionem octauo die, & proprio sanguine tingere corpus suum, quod abundantiùs præstitit in passione, vbi circumcisione quadam generali mansit in cruce nudus sine vestibus, honore apud homines expoliatus, & omni humano solatio destitutus, sanguine proprio bis & pluries tinctus, ac purpuratus. Propter quod comæ huius capitis, id est fideles qui illum cingunt, & in modum coronæ ornant, dicuntur etiam similes purpuræ eiusdem sanguine rubicati, ita vt etiam dicere possemus, *Egredimini filiæ Syon, & videte Regem Salomonẽ in diademate quo coronauit eum mater sua*, nimirum Ecclesia, ex pulchris & purpureis eius capillis conflato. Sed iam qui sint isti capilli, & quomodo tingantur ampliùs explicemus.

ad Ephes 1. v. 22. Ita Theodoretus Ierem. 2. v. 7 Isai. 2, v. 2

3 Reg. 18. v. 42.

3. Reg. 18. v. 19.

Colligatur ex. 4 Reg. 4 v. 25. 4. Reg. 6. v. 7. Ecce mons plenus quorum &c. De hoc in Libr. 1. Exhort. 28. §. 3.

Perfectos & Religiosos esse Christi comas similes ipsi in cruce proprio sanguine tincto. §. 2.

AIT igitur, *Comæ capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus.* Licèt verba sonent capillos laudari à proprio colore flauo & rubicundo, simili regiæ purpuræ recenter tinctæ; aliis tamen placet potiùs laudari à vittis & fasciis pulchris & purpureis quibus ligati erant, ita artificiosè, vt quasi quasdam figuras canalium efficere viderentur. Propter quod assimilari dicuntur regiæ vesti purpureæ, quæ varias habet complicaturas, sicut modò vestis alba sacerdotum, quæ etiam apparent esse sicut canales. Sed vtrouis modo sumatur, comæ capitis Christi dicuntur Apostoli, discipuli, & primitiui Christiani, qui quo ei fuerunt propinquiores, eo etiam fuerunt similiores: & ideo sunt sicut purpura recenter tincta, quę rubicundior est & splendidior. Sed quia semper Ecclesia suas habet comas, & capillos, per eas intelligendi sunt insigniores viri, qui perfectionem profitentur, & maximè religiosi, iuxta proprietates in libro 7. vberiùs explicatas. Vnde D. Anselmus capillos vocat pauperes spiritu; nec incongruè. Nam sicut capilli nihil aliud habere videntur quàm capiti inhærere, cùm ex se aridi, steriles, inanimati, & insensibiles sint: ita pauperes spiritu omne suum bonum collocant in eo quod est Christo capiti inhærere, cętera temporalia penitus abiicientes, quod etiam maximè aptatur religiosis qui paupertatem istam profitentur. In Exhort. 2.

Dicuntur autem similes purpuræ regis: tum quia nimia charitate flagrant, regiumque cor & magnanimum induunt, dum ob Christi amorem, parentes, diuitias, voluptates, & honores contemnunt, imò propriam salutem & vitam cùm oportuerit exponunt, nec proptio sanguine tingi recusant, vt resistant peccatis, & Christum Dominum imitentur, eiusque conformentur passioni: Tum etiam quoniam ligati sunt vittis aureis & purpureis, nempe tribus votis, paupertatis, castitatis & obedientiæ, reliquarumque regularium obseruantiarum, vnde maximam sortiuntur pulchritudinem & similitudinem cum Christo Domino; sed potissimè in his duobus. Primò, quia comæ sunt capitis Christi, qui mons dicitur Carmelus, id est scientia circumcisionis: nam per hęc vota dum capiti suo adhęrent, ab illo miram sortiuntur circumcisionem. Et quid enim est paupertas nisi circumcisio omnium diuitiarum ac temporalium possessionum? quid castitas, nisi circumcisio carnalium voluptatum etiam quę licitè habere possent? & quid obedientia, nisi propriæ voluntatis abnegatio & circumcisio? ipsa denique obseruantia

obseruantia regularis continuum quoddam est exercitium spiritualis circumcisionis, qua noxia, vana, & superflua in victu, vestitu, conuersatione, & in omnibus motibus & actionibus præscinduntur. Mira ergo est proportio inter religiosos ac capillos capitis sicut Carmeli, quia omnia circumcidunt quæ quomodocúmque obstant quominùs Christo plenè inhæreant, & firmiter coniungantur.

Deinde similes dicuntur purpuræ, quia tincti sunt sanguine ex circumcisione profluente. Continua enim sua abnegatio est quasi quidam baptismus sanguinis, & velut martyrium quoddam protensum ardenti charitate & constanti patientia fulgens, per quod ad Christi Domini imitationem ascendunt: nam *ascensus eius purpureus* dicitur, sicut suprà visum est. Fauet huic expositioni natura ipsius piscis, qui purpurá dicitur, & in medio faucũ in vena quadã (vt ait Plinius) succũ illũ seu sanguinem continet pulcherrimi coloris, quo tinguntur vestes, quæ vocantur purpureæ, quẽ liquorem occisus euomit. Hoc autẽ significatur insignis ille abnegationis gradus, qui pro Christo mortem oppetit, & sanguinẽ suum fundere cupit quo tingatur anima pretiosissimo martyrij colore vt Christo similior fiat. Quare non tantùm dicũtur similes purpuræ, sed purpuræ Regis, sc. ipsius Christi, qui est Rex noster, & vestẽ induit nostræ carnis, quam in passione sua proprio sanguine tinxit, & in prætorio Pilati opprobrij causa purpurea veste indutus est. Dicitur autem *iuncta*, vel *vincta canalibus*. nam caro purpurea Christi crucis lignis vincta fuit, & constricta durissimis clauis; vincta est & iuncta innumeris vulneribus & flagellis, spinis, clauisque relictis, quæ velut canales erant per quos defluebat sanguis eius pretiosus, qui eam tingebat, quo fideles lauantur, tingũtur, & redduntur purpurei, & Christo similes: & sicut ex canali lateris profluxit sanguis & aqua, ita per hęc vulnera tanquam per canales quosdam simul cum sanguine Christi profluit aqua viua gratiæ, & cœlestium donorum qua animæ lotæ & mundæ redduntur, ac speciosæ.

Cant. 3. v. 10 Lib. 6. maximè Exh. 30. Lib. 9. c 36.

Perfecti igitur viri similes sunt huiusmodi purpurę, quia imitari satagunt Christum crucifixum, nec aliud quàm ipsum scire concupiscunt; cuius vulneribus, cogitatione & amore vinciuntur, in eis versantur, & ex Christi sanguine & aqua ad eius similitudinẽ mundantur, tinguntur, & pulchri fiunt. Vnde sicut lana alba cùm tingitur purpureo colore, nomen propriũ amittit, nec ampliùs lana, sed purpura vocatur; ita perfecti religiosi sui iuris esse sinunt, & tantùm sunt ipsius Christi: cuius stigmata in corpore suo portant, qui viuit in eis plusquam ipsimet, & eius cruci sunt affixi: de quibus dicitur, *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.*

Ad Gal. 6. v. 17. & c. 2. v. 19. & c. 5. v. 24.

Quanti autem Christus faciat hos perfectos vitos indicat lectio LXX, quæ sententiam istam in duas partitur: *plexus capitis sui sicut purpura: rex ligatus in transcursibus*; Insinuans ob insignẽ sponsæ decorem, qui in comis maximè splendebat, tantopere regem amore exarsisse, vt in transcursibus & ambulacris domus sponsæ iugiter vellet esse affixus præ desiderio eius spectandæ. Tanto itaque horum iustorũ Christus capitur amore, vt liius sanguine gatus videatur illis, iugiterque cupiat cũ illis esse; & vota quæ illos tanquã vittæ purpureæ Christo ligant, etiam Christum ligãt illis, quia nimio eis amore adhærer. Et sicut ex capillis retortis & liminibus intertextis caput ornatur in modũ coronæ; vnde alij vertunt *Rex ligatus in crinibus.* Sic Christus Dominus ex iis iustis coronã sibi plectit, & quasi fascia quadã ea ligatur, sicut suprà fusiùs dictum est; Vt hinc discant Religiosi quãti facere debeant sui status dignitatem, adhæsionẽ cũ suo capite Christo, & similitudinẽ cum purpura illã, qui honorificat honorantes ipsum, ex eis q. ætęnã sibi texit coronã, perpetuã illis præbẽs felicitatẽ.

4 Iuxta hanc lectionem purpura potest sumi etiam pro ipso pisce dicto purpura, *usurpãdo continẽs pro contẽto, id est pro eius sanguine pulcherrimo colore fulgenti.*

PRO FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

De Pontifice Romano, aliisque Ecclesiæ Prælatis, & de sacramentis quæ administrant. §. 3.

PRÆTER primum & supremũ caput Ecclesiæ, quod Christus est, aliud ipse, vicè sui constituit, quod est Petrus; cui dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam.* Et post resurrectionẽ: *Petre, amas mẽ? pasce agnos meos, & oues meas.* Vnde & mutauit illi nomen, cùm dixit: *Tu es Simõ filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Cepha autem, qui Syriacè petrã significat, vt testatur D. Hieron. Græcè significat Caput, vt annotauit Optatus; Mirabili enim prouidentia voluit Christus eodẽ nomine, diuersis idiomatibus, & firmitatẽ fundamẽti Ecclesiæ designare, & eius supremã capitis auctoritatẽ in qua ei succedit Romanus Pontifex, vt semper Ecclesia visibilẽ caput habeat in terris. De hoc igitur dicitur, *Caput tuum vt Carmelus*, ob eius eminentiã super alios: siue vt LXX. dicunt, *Caput tuum super te sicut Carmelus*, i. Ego (inquit Christus) constitui super te caput, quod erit velut Carmelus, sublime & frugiferum mẽbris suis: Erit autem caput tyarâ & diademate coronatum ob pontificiã dignitatẽ. Quòd si vox Carmel, vt quibusdam placet, non significet hîc montem, sed coccinũ, quo modo sumitur in 2. Paralypomenon, sensus est, caput tuũ est sicut coccinũ ardenti flagrãs charitate; nã & Petro ter dictũ est, *amas me*, ad denotãdũ ardentẽ amorẽ quo pollere debet qui caput est, & alios regit, ac pascit: sed proprior est vsurpatio pro monte Carmeli, quod interpretatur, vt diximus, *scientia circũcisionis.* Nam caput Ecclesię perfectã debet habere sciẽtiam & vim ad circũcidendũ non solùm propria peccata, sed etiã peccata aliorũ; cũcta itẽ scãdala, errores, & hęreses, vt instar Elię in monte Carmelo circũcidat idololatriã, occidat falsos prophetas, & populum ad veram fidem reducat.

Matth. 16. v. 18. Ioan. 21. v. 15. Ioan 1. v. 22 in c. 2. epist ad Galat. Lib. 2. cont. Parmen. De hoc Torres lib. 2. contra Centurias. c. 3. Bellarm. Tom. 1. Contr. 3.

Comę autem huius capitis sicut purpura regis, sunt Cardinales, & Episcopi, atque alij Ecclesiæ Prælati, qui Pontifici Romano adhęrent, & ab eo pendẽt, qui omnes similes esse debẽt purpuræ regię, & canalib' vinctę, i. bis tinctę, quæ dibapha dicitur: nam semẽl conchylij sanguine tinguntur ipsa fila lanea vesti regiæ texẽdę destinata, deinde iterũ vincta & alligata purpurationũ canalib' diutiùs detinentur, vt penitus purpureo colore imbuantur, ad modũ quo Scriptura nominat coccũ bis tinctum: deinde tertiò ne quid sordiũ in lana permaneret, in eisdem canalibus vincta aqua viua proluebatur, & tunc erat splendidior. Hæc autem indicant Episcopos & Prælatos Ecclesię tinctos esse debere purpureâ charitate, & dilectione amoris Dei & proximi, in qua diu versati sint, & ab omni labe & munditia purgati, ob abundantiã gratiæ. Nam quod ter Petro capiti Ecclesiæ dictum est de amore eius erga Christum, ad alios qui particularium Ecclesiarum sunt capita, extendi debet, vt feruentiùs quàm subditi Christum ament, tum in seipso, tum in proximis sibi subiectis, tum in omnibus hominibus vt illos Christo lucrentur, & iuxta vires benefaciant.

2. par. 2. v. 7, Loco Cocini habetur in Hebræo Carmel.

Debent autem similes esse puꝛ uræ Regis Christi, quia eius tenentur imitari charitatem qua A
Ioan.10.v.11 sanguinem pro nobis fudit. nam *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis*; nec illas deserere debet cùm à lupis inuaduntur, & si ipse lacerandus sit, proprioque sanguine tingendus: ipsi etiam maiori cum proprietate vocantur regale sacerdotium, quia sunt verè sacerdotes Dei altissimi, & quasi regiam habent authoritatem spiritualem ad regendas animas, & introducendum eas in regnum cœlorum. nam sicut Petro tãquam capiti dictum est: *Tibi dabo claues regni cœlorum*: & *quodcumque solueris super terram, erit solutum & in*
Math. 16.v. 19. & c. 18. v. 18. *cœlis*: sic etiam cæteris Apostolis dixit idem Dominus, *quæcumque solueritis*, &c.

B Sed adhuc latet mysterium nouum in eo quod dicuntur sicut *purpura vincta canalibus*. Existimo enim canales Ecclesiæ esse septem sacramenta,
De Sacramentis. per quæ omnibus fidelibus communicatur virtus sanguinis Christi, & aqua viua cœlestis gratiæ, purpureus color charitatis, cæterarumque virtutum supernaturalium. Canales etiam sunt sacrificia, & quæcumque media à Christo Domino præstituta, per quæ huiusmodi cœlestium bonorum nos facit participes. Potestas autem Episcoporum & sacerdotum ad communicandam virtutẽ Passionis Christi, & merita, ac dona ipsius, vincta est canalibus, & alligata huiusmodi mediis; non enim pro libito hæc possunt dispensare, & distri-
C buere, sed per canales à Christo Domino præstitutos. Sicuti etiam facultas rẽliquorum fidelium ad huiusmodi bona percipienda, vincta est eisdem canalibus, quia per eadem sacramenta & sacrificia virtutem, & fructum sanguinis Christi recipiunt. Propter quod iusti qui dicuntur huius capitis comæ, hanc adipiscuntur similitudinem purpuræ vinctæ canalibus, id est gratiæ & donorum quæ à Christo per hos canales deriuantur, cum actu recipiuntur, aut saltem per votum eorum; & in hoc sensu etiam intelligi potest quod dicitur. *Rex ligatus in transcursibus, seu, in canalibus*, quod idẽ est: nam licèt Christus Dominus per potestatem
D excellentiæ non sit ligatus sacramentis, sed sine illis possit peccata dimittere, & quæcumque dona concedere, tamen secundùm legem communem se voluit ligare illis ad hunc sensum, vt quotiescumque sacramenta ministrantur, ibi quasi sua lege ligatus adsit ad dona cœlestia gratiæ per illos canales diffundenda. Ligatus est baptismo, vt baptizato det gratiam regenerationis, & eum à peccato originali, & reliquis maculis omnino lauet. Ligatus est pœnitentiæ, vt cùm sacerdos absoluit, remissionem tribuat peccatorum. Idemque de reliquis sacramentis dici potest. Sed peculiari
De Eucharistia. ratione *Rex ligatus in canalibus*, est Christus Dominus Rex gloriæ, ligatus in duabus speciebus sacramentalibus panis & vini, sub quibus quodam
E diuino ligamine astrictus detinetur, vt nunquam ab eis separetur quamdiu ipsæ permanent. Nonne caro Christi, quæ est sub specie panis, & sanguis eius qui est in calice, verissimè est purpura regis iuncta & vincta canalibus? Caro est simul cum suo rubicundo sanguine, & stigmatibus vulnerum quæ recepit in passione: sanguis rubet in calice, & suum purpureum retinet colorem: vtrumque autem per canales harum duarum partium sacramenti, & incruenti sacrificij, abundantissimum effundit Dominicæ passionis fructum, copiosissimam aquam viuam gratiæ, & charitatis; per quam eius comæ firmiùs inhærent suo capiti Christo, pulchriores redduntur, & ipsius purpuræ similiores.

Sed si sponsus dicitur rex ligatus in canalibus, domus sponsæ præ magnitudine amoris ipsius, quasi cupiens semper illam intueri, quæ rogo alia causa est, cur Rex cœlestis ligatus sit in iis Eucharistiæ canalibus, nisi vehemens eius amor erga sponsam Ecclesiam, quam è suo latere efformauit? cuius pulchritudine captus voluit in terris ligatus manere, vt cùm ea posset iugiter versari. Ecce Christus in Eucharistia per vniuersam Ecclesiam ducitur, quasi rex ligatus in transcursibus suum ardentem amorem in nos manifestans. Vocabulum Hebræum *bathatim*, quod noster interpres vertit in canalibus, quidam dicunt significare etiã trabes, vel laquearia, & vertunt: *Rex ligatus in trabibus vel laquearijs*, quasi affixus trabibus domus suæ sponsæ præ amore illius. Sed melius elicemus, quod Rex Christus propter amorem Ecclesiæ ligatus est in trabibus crucis, vbi suum sanguinem purpureum pro ea fudit, & iterum ligatus est in iis sacramentis quæ fulcimentum sunt domus Ecclesiæ, vt illam seruet indemnẽ, & ab omnibus periculis tutã. Vtinã & nos alligemur illi, nec vnquã vlla ex causa vel ad momentũ tẽporis separemur.

De perfectione bonarum cogitationum sanctæ animæ.

§. 4.

Sed iam hęc verba pię animę aptemus, cuius caput iuxta supra dicta est mens, & pars superior; comæ verò cogitationes quę ab illa procedunt. Caput autem dicitur sicut Carmelus, quod est scientia circumcisionis, non antiquæ, sed nouæ, quę est circumcisio cordis. Quoniam (vt inquit D. Gregorius) quęliber sancta mens nouit qualiter digne circuncidatur; nouit quia nihil est, quid- In hunc lo-
quid in corpore agitur, si mens immunda fuerit; si- cum.
cut illi quibus dicebat B. Stephanus. *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus & auribus, Spiritui sancto vos semper resistitis*: quibus dixerat Ieremias: *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum viri Iuda.* Potissima autem circumcisio debet esse Act.7. v.51. Iere.9.v.26. & c. 4. v. 4.
D circa capillos, seu cogitatus, vt pœnitus abscindantur omnes noxij, vani, inutiles, & superflui, Vide supra lib.7.exho. 3. in id *Capilli tui sicut greges caprarum.*
omnesque prauę, & inordinatę concupiscentię, vt nihil in capite remaneat, quod illud deturpet, solumque maneant comæ & cogitationes quę sint similes purpuręque tinctę proprio sanguine per circuncisionem effuso: id est cogitationes puræ ab omni vitio expurgatę, charitatis tinctę purpureo colore, quę non nisi ex charitate procedant, & ad illam nutriendam & augendam destinentur. Sint etiam sicut purpura regis Christi circa eius ignominias, dolores, & afflictiones iugiter versantes, vt ex Christi sanguine pręciosam accipiant tincturam charitatis, patientię, obedientię, omnigenæque virtutis, sed potissimè eius circuncisionis, seu abnegationis quę in eius spléduit passione, omnia ignominiosa, & amara libenter amplectendo, honorificia despiciendo & cæni suauia.

Debent autẽ huiusmodi cogitationes esse sicut purpura *vincta canalibus*: id est recẽter tincta, quia iugiter renouari debent ne veterascant, & veteris hominis mores imbuãt; Ita mysteria Christi & passionis cõsiderãtes, ac si recẽter tunc ferrent, vt affectus eriã circa ea renouẽtur; iuxta illud, *Renouamini in nouitate spiritus vestri, & induite nouum hominem*, Vinctę etiam esse debent canalibus, id est vulneribus Christi, intra quę immorantes inde haurient magnã cum ipso similitudinẽ. Vt anima sit sicut Ad Ephes.4 v. 23.
columba in foraminibus petræ, & in cauerna mæceriæ.

Rupertus canales vocat arcana Dei consilia & A
decreta circa passionem Christi Domini, quibus purpura carnis eius vincta est, omnia agens & pa-
Matth. 27. v.53. tiens prout à Patre decretum erat. Vnde Petro dixit: *An putas quia non possim rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?* Ac si diceret, ego nihil aliud cupio, quàm vt impleantur quę de me decreta sunt & scripta. His etiam canalibus nostræ cogitationes vinciendæ sunt perpendendo altissima hęc Dei consilia in nostrum bonum ordinata, dum tradidit in mortem filium innocentem, vt seruos nocẽtes à morte æterna liberaret.

In hunc lo- B
cum. D. Gregorius per canales intelligit scripturas sacras, in quibus hæc mysteria continentur, per quas tanquam per canales etiam nobis communicantur aquę viuæ sapientiæ & gratiæ. Comæ (inquit) in canalibus ligantur, quia cogitationes mentis in scripturis diuinis ne inutiliter fluant, stringuntur, super quas aqua proiicitur quæ vestem regiam currens tingit, quia dum in cogitationibus sanctæ mentis gratia cœlestis suscipitur, totam animam in cœlestem ornamentum componit, ita vt iam tota in vitam æternam inardescat, & ad æternum sponsum etiam per sanguinem martyrij pergere concupiscat.

Curemus igitur cogitationes nostras, vel vt comas concinnè ornatas esse, omni re inutili circumcissas, & Christi Domini doctrinę ac vitæ semper conformes, ex quibus ornamentum & corona fiat capiti nostro Christo valde grata. Propter hoc enim dicitur, *Caput tuum vt Carmelus*, qui est agnus circumcisus; nam Christus circumcisus, & sanguine suo in passione tinctus est velut corona sanctæ animę quæ regiam dignitatem ex Chri-
Serm. 17. in Psal. 118. v. 5 sti similitudine comparauit. Ipsa (inquit D. Ambrosius) tanquam bene merita regina Christi sanguine coronatur, sicut scriptum est, *Et ornatus capitis tui sicut purpura.* Sanguis Christi purpura est, qui inficit sanctorum animas, non solùm colore
D resplendens, sed etiam potestate, quia reges facit, & meliores reges, quibus regnum donet æternum. Qui ergo regiam per Christum adeptus es dignitatem, regias & Christo dignas imbue cogitationes, sicut scriptum est, *Princeps quæ sunt dig-*
Isa.32.v.8. *na principe cogitabit.* Ea autem sunt digna principe, quæ non sunt circa terrena, mundana, & caduca, sed circa cælestia, diuina, & sempiterna. Has cogitationes liga, ne in rerum sensibilium, & carnalium delectationes defluant. Liga autem canalibus diuinorum præceptorum, & consiliorum quæ in scriptura traduntur, vt aqua diuinæ gratię quæ per eos fluit, perfundantur & fœcundentur vt sanctos pariant affectus, & actus, copiosaque merita per quæ vitam consequaris æternam. Amen.

PRO FESTO OMNIVM SS. *De eorum deliciis, vel* PRO ABBATIBVS, *de centuplo quod est gaudium spirituale.*

EXHORTATIO XVII.

De spiritualibus deliciis quæ ex virtutibus oriuntur, vel ex infusione Dei communicantur iustis, maximè contemplatiuis & religiosis.

V. 6. Quàm pulchra & quàm decora es charissima in deliciis.

LAVDATIS singulis membris sponsæ, tota omnium pulchritudo hoc encomio concluditur: *Quàm pulchra & quàm decora es charissima in deliciis!*. Inchoauerat laudes, dicens: *Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Ierusalem.* Eodem ferè modo, sed cum exclamatione repetit quasi nouũ augmentum receperit gratiæ, dum suas laudes humiliter audiebat, in ipsum referens laudatorem. Vnde Septuaginta vertunt, *Quàm pulchra, &*
Cant. 6. v. 3 *quàm suauis facta es charitas in deliciis tuis?* Charitas vocatur amatoriè, quomodo amantes se nuncupant, amor meus, sed dum ait facta es incremẽtum pulchritudinis & suauitatis, factum insinuat in deliciis. Quod duplicem habet sensum sumendo actiuè, vel passiuè, id est in deliciis quas tu nobis præstas pulchritudine, decore, ac suauitate tua: vel in deliciis quibus tu frueris ob pulchritudinem, & decorem tuum, & ob vtrumque es charissima & dilecta ab omnibus, quibus te suauem ostendis, & tuis deliciis lętifices; charissima etiam Deo qui te diligit, cuius delicię sunt esse cum filiis hominum, & maximè cum diligentibus ipsum.

De deliciis quæ virtutis sunt propriæ

§. 1.

IVXTA priorem sensum, pulchritudo & decor causa sunt deliciarum in aliis qui ea vident. Pulchritudo refertur ad virtutes animam ornantes; decor ad suauitatem morum, & affabilem cum hominibus conuersationem, quomodo supra de sponso explicuimus quod dicitur: *pulcher es di-*
Cant.v.v.15. *lecte mi, & decoris.* Hęc valde intuentes lętificant Lib. 4. Exeorumque animos ad amorem alliciunt, & post se hort.14. trahunt. Et ideo cùm de Christo Domino diceretur: *speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia*
Psal.44.v.3 *in labijs tuis*: mox subditur, *Specie tua, & pulchritu-*
D *dine tua intẽde prosperè, procede, & regna.* Eo quod sua specie & pulchritudine sic homines deliciis afficiebat, vt eos post se traheret.

2. Sed quia prior sensus ex posteriori oritur, hunc enudemus, supponentes animam ob pulchritudinem & decorem suum spiritualibus repleri deliciis, quę in Scriptura pluribus nominibus nuncupantur, nimirum gaudium, lætitia, exultatio, iubilum, & torrens voluptatis. Oriuntur autem huiusmodi delicię ex duplici causa, videlicet aut ex ipsis virtutibus, & operibus bonis, sicut fructus nascitur ex arbore: *Nam fru-*
Ad Gal. 5. ver. 22. *ctus Spiritus est charitas, gaudium, pax.* Ex Spiritu Sancto enim nascitur charitas, ex charitate gau-
E dium cum pace, & tranquillitate conscientię quę superat omnem sensum; aut oritur ex speciali infusione Dei remunerantis labores bonorum operum, vt hîc gustemus aliquid regni eius quod est *iustitia, pax, & gaudium in Spiritu San-*
Ad Rom. 14. v. 17. *cto.*

Primum gaudium quasi in radice sua ab omnibus est solicitè curandum, ad quod sæpiùs exhortatur nos Scriptura sacra; vt cum Dauid ait:
Psal.99.v.2. Ad Philip. 4.v.4. *Seruite Domino in lætitia, introite in conspectu eius in exultatione.* Et Apostolus, *Gaudete in Domino semper, iterum dico, in Domino gaudete.* Gaudere autem in Domino, est non gaudere in diuitiis, nec in voluptatibus, nec in mundanis

honoribus, sed gaudere in virtutibus & operibus bonis quæ Domino placent, & illi grata sunt. Quod sic perpendit D. Bernardus explicans illud Psalmistæ, *Delectare in Domino*. Quid est, ô propheta, quod tam absolutè mones delectari in Domino, ac si ad manum nobis sit huiusmodi delectatio? delectationem cibi, somni, & quietis, & cæterorum quæ in terra sunt nouimus; Deus autem quam delectationem habet vt in eo delectemur? Respondet autem Bernardus: Fratres mei sæculares hoc dicere possunt. Vos non potestis. Quis enim vestrum est qui non sæpe expertus sit conscientiæ bonæ delectationem? Qui non gustauertt saporem castitatis, humilitatis, charitatis? Non est hæc delectatio potus, neque cibi, aut similis cuiuslibet rei. Delectatio tamen est, & maior omnibus illis; diuina enim est, & non carnalis delectatio: & cùm in his delectamur, planè delectamur in Domino. En vbi potissima delectatio est quæ de virtutibus ipsis habetur: de qua laudatur sponsa cùm dicitur, *Quàm pulchra & decora charissima in deliciis*, id est in virtutibus & operibus sanctis quæ sunt tuæ in Domino deliciæ. Sic D. Ambrosius has delicias explicat iuxta versionem Septuaginta dicens, *Quàm pulchra es & suauis facta es charitas in deliciis tuis*. Pulchra decore virtutis, suauis iucunditate gratiæ, remissione vitiorum, quam nulla vexat amaritudo peccati; & ipsa iam charitas quę diligendo Deum, & nomen acceperit, quia *Deus charitas est*. vbi D. Ambrosius ipsas virtutes delicias esse supponit. Et quæ maior delectatio, aut suauiores deliciæ, quàm bona & secura conscientia, quæ omnem peccatorum remorsum extinxit, cum Deo pacis iniit fœdera, & nonnullum reddit testimonium quod illum pacatum habet, cunctasque rerum terrenarum cupiditates & anxias solicitudines penitùs relegauit. De hac enim inquit Salomon: *Secura mens quasi iuge conuiuium*. Pro, secura mens, habetur in Hebræo *bonum cor*. vnde secura mens est quæ bonis operibus abundat, quę delictorum stimulis non pungitur, quam cor proprium non reprehendit, nec ob prauæ conscientiæ remorsum aliquid vel hîc, vel posteà metuit, sed potiùs cum Apostolo dicere potest: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, & in sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo*. Vbi tria insinuat quę faciunt conscientiam bonam, s. simplicitas cordis in pura intentione placendi Deo, sinceritas Dei in electione bonorum operum quę sint iuxta diuinam voluntatem, & modus exequendi illa vt non sit nitendo sapientiæ carnali, sed gratiæ diuinę. Hæc bona conscientia internum reddit testimonium, quod maximam affert gloriam & gaudium in Domino, & est quasi iuge conuiuium, quia iugiter hominem refert & consolatur in omnibus etiam aduersis quæ illi accidunt, efficitque, vt nihil eum nimis contristet, sicut scriptũ est: *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit*. Nec etiam ab hominibus timet malum quod ipse nulli inferre cogitauit. Quod pulchrè explicat D. Gregorius sic inquiens: Nihil simplici corde fœlicius, quia quo innocentiam erga alios exhibet, nihil est quod pati ab aliis formidet. Habet enim quasi arcem quandam fortitudinis simplicitatem suam, nec suspectus est pati quod se fecisse non meminit. vnde bene per Salomonem dicitur: *Secura mens quasi iuge conuiuium*, quasi enim continuatio refectionis est ipsa tranquillitas securitatis. At contrà mens praua semper est in laboribus, quia aut molitur mala quæ inferat, aut metuit ne hæc sibi ab aliis inferantur; & quidquid contra proximos excogitat, hoc contra se excogitari à proximis formidat.

Serm. 5. in quadrages. Psal. 36. v. 4.

Prou. 15. v. 15.

2. Cor. 1. v. 12.

Prou. 12. v. 21.

Lib. 12. mor. c. 21.

4.

Quod si tribulationes & persecutiones insurgant, per patientiam tamen & conformitatem cum Dei voluntate id ordinantis, aut permittentis, delicias in eisdem inuenit: si quidem cum D. Iacobo omne gaudium existimat in varias tribulationes incidisse, & cum D. Paulo in tribulationibus gloriatur. Nam tristitia est de iis quę nobis nolentibus accidunt, qui autem voluntatem suam diuinæ conformat, nihil quod ex Dei voluntate oritur, fit ipso nolente & repugnante, & ideò non eum contristat, sed potiùs lętificat, quia gaudet in ipso impleri voluntatem Dei quem diligit: voluntas enim Dei eius est voluptas, & iuges delitię. Quod sic explicat D. Bonauentura, supremum gaudium quod esse potest, est omnia ad nutum habere, & nihil ei repugnare: nam etiam ignis gehennæ facilis esset si voluntas eum acceptaret. Qui igitur sunt diuinæ voluntati conformes, sunt quasi dij suæ voluntatis omnipotentes. Sic ille: ac si dicat, ideo semper summo gaudio gaudent, quia semper fit quod nolunt; ex eo quòd tantùm volunt, quod Deum velle sciunt. Confirmat hoc ampliùs insignis sententia Iob magnis calamitatibus oppressi, cùm ait: *Et hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat; nec contradicam sermonibus Sancti*. Quid hoc mirabilius, quàm omne suum solatium & gaudium in eo collocare, quòd non contradicat, sed humiliter se subiiciat & obediat ordinationibus diuinis quantumuis amaris, & sibi molestis? hæc est hæroica consolatio, quæ de ipsa virtute humilis obedientiæ & subiectionis oritur, qua nullæ meliores, nec securiores deliciæ in terris possunt inueniri.

Induta salutis tit. 8. c. 1.

Iob. 6. v. 10

De delicijs peculiariter à Deo communicatis.

§. 2.

1.

HIS accedunt deliciæ spirituales, & gaudium ex infusione Dei remunerantis eos qui virtutibus exercendis & operibus studiosis insudant. Cùm enim delitiæ eius sint cum huiusmodi conuersari, delicias suas affluenter illis impartitur sicut impartitus est Ecclesię, id est sanctorum cõgregatione, quæ potissima est eius pars. Ad quarũ participationẽ nos exhortatur per Isaiam dicens: *Lætamini cum Ierusalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam, &c. vt sugatis, & repleamini ab vbere consolationis eius, vt mulgeatis, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius*: Id est, quia ex eius multiplici gloria & deliciis non exigua pars in vestram gloriam & voluptatẽ deriuabitur. Quod enim Deus suæ Ecclesiæ tribuit, etiã iustis diligẽtibus illã elargitur.

Deinde cũ anima multas ærumnas, & labores propter ipsum Deũ virtutesque tuendas perpessa sit, non potest non omnipotẽs & benignus sponsus eã consolari, & eius delectationibus replere. Sicut scribitur in lib. Iob: *Tunc super omnipotentẽ deliturs afflues, & eleuabis ad eũ faciẽ tuã*. Hoc est transactis laboribus, & expulsis peccatis, deliciaberis & delectaberis in omnipotẽte, à quo magnã deliciarũ affluentiã recipies, & corã ipso hilaris stabis, & iucundus. Quoniam qui propter Deum relinquit terrenas & carnales delicias, idoneus redditur vt accipiat cœlestes & diuinas, iuxta illud: *Renuit consolari anima mea*: scilicet consolationibus mundanis, & carnalibus, *Memor fui Dei, & delectatus sum*, nimirum delectationibus diuinis.

Iacobi 1. v. 2 Ad Rom. 5. v.

Serm. 3. de Ascens.

Iob. 22 v. 26.

Psal. 76. v. 4.

Prouerb. 8. v. 3. Isai. 66. v. 10

Sicut enim Deus iustè negat has delicias spirituales peccatoribus qui vehementer amant & sectãtur carnales, & esse sub sentibus delitias computant; sic è conuerso benignè eas distribuet dilectis suis, qui propter ipsum carnales respuunt. Cuius rationem suprà reddimus ex D. Gregorio, quoniã esse sine delectatione anima nũquam potest: nam aut infimis delectatur, aut summis: & cùm ab illis se abstinet, in iis consolatione repletur. Idem confirmat D. Bernardus dicens: Præoccupatum sæcularibus desideriis animum delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis; vt pariter sapias quæ sursum sunt, & quæ super terram. Et iterum de illo qui amat in carne sua terrenas consolatiunculas, siue in verbo, siue in signo, siue in facto, siue in aliquo inquit, diuinis visitationibus impleri non posse, sed quanto magis illis euacuabitur, tanto ampliùs istis implebitur: si multum, multùm; si parum, parum; vel certè si magis probas, nunquam istæ illis misceri poterunt in æternum: quia vbi vasa vacua non inuenit, oleum stare necesse est: nec mittunt vinum nouum nisi in vtres nouos, vt ambo conseruentur. Denique pretiosa est diuina consolatio, nec omninò tribuitur admittentibus alienam.

Iob. 30. v. 7. Lib. 6. exhort. 16 lib. 18. mor. c. 8 in Iob 27. v. 10.

Serm. 6. in Ascensione Domini circa medium.

Inde clamat super id, *ecce nos reliquimus*. ad finem,

3.

Sponsa igitur Christi quæ cũcta propter ipsum quærendum reliquerat, & vulnera, ac expoliationem à custodibus passa est, deliciis affluit cœlestibus, & pulchra ac decora vocatur in illis. Et quid est pulchram esse ac decoram in iis delitiis? fortè denotat quod castè, sobriè, & sanctè eis vtitur, eo modo vt pulchrior fiat, & formosior; non enim amat illas propter seipsas, sed propter ipsum spõsum, qui largitur eas: hoc enim est delectari & gaudere in Domino, & non in alio præter ipsum. Vnde magis capax fit earum cùm virtutes operatur, & sponsum quærit non propter delicias, sed propter ipsummet cui præcipuè innititur, sicut posteà dicitur illi, *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectũ suum*? Non enim huiusmodi deliciæ quęrendæ sunt à Deo propter propriam delectationem, sed curandum est per studiosa virtutum opera propter Deum facta nos dignos illis efficere: vnde optimè D. Bernardus quod vates ait, *Delectare in Domino*, intelligendum esse dicit non de affectu, sed de exercitio. Affectus enim ille beatitudinis est; exercitium verò virtutis. Delectare, inquit, in Domino, id est ad hoc tẽde, ad hoc conare, vt in Domino delecteris. Ad Dei autem benignitatem spectat delitias spirituales impertiri, quando, & quomodo magis vnicuique profint ad perfectionis incrementum.

Cant. 8 v. 5.

Serm. 5. in quadrag.

4.

Caue etiam ne earum superbias occasione aut præsumas de teipso, plurisque te quàm par est æstimes, aut aliis præferas, aut sanctitatis gradus ex deliciis metiaris, aut quasi iam perfectus gradum sistas, vel plus nimio sis securus, aut denique ex testimonio propriæ conscientiæ nimiùm in te complaceas, vel glorietis, imò nec minimùm cõplacere in te audias. Nam, vt inquit D. Augustinus, periculosum est sibi placere, cui cauendum est superbire. hoc enim est ingenium hominis in natura corrupta, vt ex Dei donis ansam arripiat superbiendi, cùm tamen plus deberet humiliari, dum satis experitur, non à se, sed ex benignitate largientes illa possidere.

Tract. 58. super Ioan. in id *Vos vocatis me Dominum* &c.

Contemplatiuis & religiosis has delitias communicari.

§. 3.

ETSI autẽ Deus has delicias suis impertiatur electis, quãdo & quomodo ei placet, maximè tamen in oratione & contemplatione eas solet elargiri: vnde de contemplatrice anima encomium istud maximè intelligitur, *Quàm pulchra es, & quàm decora charissima in deliciis*. Pulchra dicitur ex contemplatione summæ & primæ veritatis instar pulchræ Rachelis, quæ visum principium interpretatur; decora ex suauitate morũ quam ipsa contemplatio parit: In deliciis autem, quia cum ipso Deo versatur familiaritet, de quo dicitur: *Non habet amaritudinem conuersatio eius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium*. Vnde D. Gregorius hanc conuersationem expertus, sic ait: Contemplatiua vita amabilis valdè dulcedo est, quæ super semetipsam animam rapit, cęlestia aperit; terrena autem debere esse contemptui ostendit, spiritualia mentis oculis patefacit, corporalia abscondit, & hinc est per illam corporales delicias in spirituales commutari, quæ longè sunt maiores. Quod sic confirmat D. Thomas, asserens contemplationem delectabilem esse tũm ex parte ipsius actus nobilissimi, qui homini, qua homo est, conuenit, & naturaliter scire desiderat; tum verò ex nobilitate rei contemplatę, scil. Dei, qui est summa dulcedo & beatitudo nostra. Vnde & Aristoteles hoc affectus dixit, Accidit circa illas honorabiles existentes & diuinas substantias minores nobis existere theorias, sed etsi secundum modicum attingamus eas, tamen propter honorabilitatem cognoscendi delectabilius aliquid habent, quàm apud nos omnia. Sed potissima delectatio est ex eo quòd quis contemplatur, & videt personam dilectam, ad quam contemplandam, mouet charitas & dilectio ipsius, Vnde fit quòd sicut amor Dei omnẽ alium amorem superat, sic delectatio ipsius omnem aliam vincat delectationem; & quia delectatio rei visæ cùm pulchra est & dilecta, amplius excitat amorẽ iuxta illud D. Gregorij, cùm quis ipsum quem amat viderit, in amorem ipsius ampliùs ignescit; hinc est etiam amplius increscere delectationem; vt meritò hunc profectum, & incrementum admirantes Angeli dicant, *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens*? Sed de hoc plura iam superiùs diximus, vbi hunc versum capitis 8. Deiparæ applicuimus.

Sap. 8. v. 16. Hom. 14. in Ezech. à medio.

Li. 1. de partibus animalium c. 5. ex D. Tho. ad 3.

Hom. 14. in Ezech. circa med.

Cant. 8. v. 5. Lib. 6. exhort. 18. § 4 & exhort. 21 § 6.

2.

Ex his autem quæ hactenus dicta sunt deducendum est verba ista optimè aptari religiosę animæ, quæ pulchra est & decora: pulchra per obseruantiam præceptorum Dei, decora per grauitatem morum & obseruantiã consiliorum quæ in tribus votis paupertatis, castitatis & obedientiæ, secundùm regulas constitit, & quia per hæc vota de vitiis, ac delitiis carnalibus, proprięque voluntati renunciat, mirum in modum delitiarum spiritualium capax efficitur, & decora in delitiis nominatur, & quæ sunt hæ deliciæ, nisi centuplum quod illis est promissum? Est autem centuplum gaudium quoddam spirituale ob renunciationem omnium exhibitum, quod centies superat gaudium quod de eorum possessione haberetur. Hoc centuplum (inquit D. Bernardus) adoptio filiorum est, libertas, & primitiæ spiritus, delitiæ charitatis, gloria conscientiæ, regnum Dei quod intra nos est. Non vtique esca, vel potus, sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Gaudium sanè non modò in spe gloriæ, sed etiam in tribulatione. Vnde

Math. 19. v. 29.

In declamat. super id *Ecce nos reliquimus omnia*. ad finem.

alibi infert quod religiosi non amittimus consolationes, sed mutamus à carne in spiritum: & quanto spiritus superat carnem, tanto spiritualis delectatio carnalem; vt meritò dixerit Psaltes:
Psal.30.v.20 *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te, perfecisti eis qui sperant in te.*

Hæc facit iugum legis Dei & religionis suaue, & onus leue, vt esse sub illo delitiæ computentur. In omnibus ferè religiosis congregationibus inuenire est (ait idem D. Bernardus) viros repletos consolatione, superabundantes gaudio, iu-
Serm. 6. de Assumpt. cundos semper & hilares, feruentes spiritu, die ac nocte meditantes in lege Dei, crebrò suspicientes in cœlum, & puras manus in oratione leuantes, solicitos obseruatores conscientiæ, & B deuotos sectatores bonorum operum, quibus amabilis disciplina, dulce ieiunium, vigilię breues, labor manuum delectabilis, & vniuersa denique conuersationis huius austeritas refrigerium videatur. Sic ille. Qui autem harum deliciarum participes non sunt, suæ imputent ignauiæ; manus enim Domini abbreuiata non est, vt eos nequeat, aut nolit consolari: vt possemus eis dicere: *Nunquid grande est vt consoletur te Deus? sed*
Iob.15.v.11. *verba tua praua hoc prohibent.*

3. *Charitas fraterna delitiis abundat.*

Præterea ad ipsam charitatem, & vnionem tum cum Deo, tum cum proximis, quæ charitas fraterna vocatur, & in religiosa congregatione viget, aptare possumus hæc verba secundùm ver- C sionem Septuaginta Interpr. *Quàm pulchra, & quàm suauis facta es charitas in deliciis tuis?* Omnes enim deliciæ à charitate proueniunt, charitatem comitantur, & ab ea in alias deriuantur virtutes, quæ tunc delitiosè operantur, cùm amor earum comitatur operationes. Iucunditas item religiosæ vitæ ex mutua charitate procedit, vt
Psal.132.v.1. meritò dixerit Psaltes, *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Cùm enim bonum vniuscuiusque sit bonum alterius, gaudium etiam quod ex his bonis procedit, reciprocum est inter illos, & gaudia omnium singulos, & singulorum gaudia omnes mirè recreant. Cha- D ritas præterea est quæ amara vertit in dulcia, & crucem atque mortem facit pro Christo liben-
Tract.65.in Ioan. ter amplecti. O sponsa Christi (ait D. Augustinus) quàm bene cantatur tibi in epithalamio tuo, quia *charitas in deliciis tuis.* Ipsa non perdit cum impiis animam tuam; & sicut mors valida est, & in deliciis tuis est, quàm miranda generis mors est, cui non parum fuit non esse in pœnis, nisi esset insuper in deliciis.

De deliciis corporalibus honestis, & de vitiosis. § 4.

4. *De honestis delitiis corporalibus.*

IAM vltimam addamus interpretationem de pulchritudine & decore in deliciis corporalibus honestis, quas viri iusti etiam religiosi, aliquando capiunt vel in cibo, & potu, vel in som- E no & corporali recreatione, quæ interdum necessaria est, ne spiritus obruatur, vel vt proximorum vtilitati consulamus. Sicut & Christus Dominus nuptiis & conuiuiis etiam publicanorum intererat. Magnæ autem virtutis & sanctitatis indicium est, pulchrum esse & decorum in iis deliciis, id est adhuc in illis modestiam, animi grauitatem, deuotionis, ac religionis specimẽ præ se ferre, iuxta id quod in libro Iudith dicitur: *Erat populus iucundus secundùm faciem sanctorum*, id est, lætabatur spiritali lætitia secundùm apparatum hominum iustorum, sicut in faciebus san-
Iudith.16.v. ctorum virorum solet ex interiori sinceritate & iucunditate interna, iucunditas quædam forin-

Ita Carthusianus, cuius sunt hæc verba.

secus & claritas relucere: & hoc est gaudium quod in Domino vocat Paulus: & de quo Psalmista inquit, *Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.* Permittit quidem eos epulari, & exultare, sed in conspectu Dei. Quo modo de senioribus Israël dicitur, quod comederunt panem cum Iethro Moïsi socero, *coram Do-* Exod.18.v. *mino*, id est ea grauitate, modestia, & sanctitate, 12. qua decet epulari, comedere, & bibere, ac lætari in conspectu Dei, qui omnia intuetur, quemque præsentem esse contemplantur: in cuius præsentia nihil manè, nihil immoderatum & profusum esse decet. Non omnes (inquit Origenes) pa- Hom 11. in nem manducant in conspectu Dei, sed qui senio- Exod. res, qui perfecti sunt, & meritò probati; qui obseruant illud quod Apostolus dicit, *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia ad gloriã* 1.Cor.10 v. 31. *Dei facite.* Omnia ergo quæ faciunt sancti, in conspectu Dei faciunt. Hoc autem magnam affert lætitiam, & securitatem, iuxta illud Psalmi, *Proni-* Psal.15.v.8. *debam Dominum in conspectu meo sempet, quoniam à dextris est mihi ne commouear; propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe.* In spe, inquam, quod aliquando resurgetin corrupta, & eiusdẽ lætitię particeps erit. 5.

Hinc deduci potest causa cur sponsus tantùm dixerit *quàm pulchra & decora es in deliciis*; non addens tuis, vel spiritalibus, vel quid aliud, quo à carnalibus & mundanis delitiis eas segregaret. Nomen enim delitiarum commune est vtrisque: At meritò noluit addere, quoniam carnales non sunt veræ delitiæ, & animam reddunt non pulchram, sed fœdam; non decoram moribus, sed Epist. 114. turpem vitiis. Illud enim (inquit D. Bernardus) verum & solum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur, & quod cùm possederis, nemo tollet à te. Cui cõparata omnis aliunde iucunditas, mœror est; omnis suauitas, dolor est; omne dulce, amarum; omne decorum, fœdum: omne posttremò quodcumque aliud delectari possit, molestum. Huiusmodi est gaudium iustorum. Peccatores enim vt dicitur in libro Iob, *Esse sub sentibus delitias computant*: quo- Iob.30.v.7. niam vt inquit D. Gregorius, inde peruersam Lib.20. mentem ad gaudium subleuant, vnde spinas pec- mor.c.14. catorum portant. Quæ spinæ vehementer cor lacerant, cruentant, ac deturpant. Propter quod de eorum delitiis dicitur *dulcedo eorum vermis.* Quia inde (inquit idem Gregorius) delectabiliter Iob. 24. v. pascitur, vnde per inquietudinem incessanter 20. agitatur: istorum enim dulcedines in vermes cor- Libr.16. rodantes definunt, quia conscientiam valde mor- mor.c.29. dent, & torquent, ipsaque morte amariorem reddunt, sed hostes suos dulciter pascunt. Vnde quidam ita interpretantur hunc locum, quod impij, eorumque dulcedo sit dulcis cibus vermium. Cui congruunt Hebræa quæ alij ita vertunt: *Capietur dulcore eius vermis.* Sicut enim vermes auidè & dulciter pascuntur corporibus mortuis in sepulchris; ita dæmones dulciter deglutiunt impios & torquent, eorumque fœdæ dulcedines conuertuntur in nutrimentum vermis, qui non moritur, Mar.9.v.47 & ignis qui non extinguitur, ac tortorum insufflantium illũ. Ideo ante hęc verba præcedunt alia tremenda, *obliuiscatur illius misericordia*, id est diuina misericordia in ęternũ obliuiscetur eorum, qui carnalibus deliciis dediti, diuinã contẽplere voluntatẽ, nec eius timuerũt iustitiã. Fœlix anima quæ veras amat delicias, per quas pulchra est & decora, iucundamque ducit vitam, à qua tran-

siet in delicias cœlestes, quibus potietur in sæcula sæculorum amen. A

Pro Martyribus, vel Doctoribus, vel pro festo omnũ Sanctorum. Tres sequẽtes exhortationes festis Deiparæ aptari possunt.

EXHORTATIO XVIII.

De progressu & statura Ecclesiæ, ac piæ animæ instar palmæ de rectitudine ac fortitudine eius etiam in tribulationibus.

Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris.

v. 7. *Probabilius est de botris palmæ intelligendum esse.*

AVDATVR statura sponsæ quod sit procera, erecta, robusta, & semper viridis sicut palma; & vbera eius sint sicut botri dactilorum, qui à vertice palmæ pendent, aut sicut botri vitis (siue quæ innixa palmæ crescit, siue cuiusque vitis, vt noua sit similitudo.) His autem duobus insignibus denotatur ad perfectam ætatem peruenisse aptam ad nuptias cum
Ezech.16. v.7. sponso celebrandas: sicut apud Ezechielem dicitur: *Et grandis effecta es, & peruenisti ad mundum muliebrem, & vbera tua intumuerunt.* Nec tamen sermo est de statura omninò perfecta, & consummata, sed excrescente adhuc, qualis est in adolescentia, inferius vero videtur sermo esse de
Cant.8.v.10 statura iam perfecta, cùm ipsa inquit, *Ego murus, & vbera mea quasi turris.* LXX autem vertunt: *hæc magnitudo tua similis facta est palmæ.* Est quidem statura magna, quæ admodum palmæ excreuit: sed adhuc etiam excrescit. Quod in spiritualibus semper verum habet, nam quantumcumque aliquis ad magnitudinem palmæ peruenerit, quamdiu tamen in hoc seculo degit, sempet vlterius crescere potest. Quomodo autem hæc sint, ex adducta similitudine deducamus.

Quomodo Ecclesia & anima crescat instar palmę.

§. 1.

COMMENDATVR quidem palma à tenuitate, vel crassitie qua incipit, & crescit, à celsitudine ad quam peruenit; à rectitudine, à robore, à iugi viriditate, & à fructuum dulcedine, quæ omnia symbolum sunt incrementi spiritualis, & progressus tum Ecclesię, tum sanctæ animæ postquam Spiritus sancti donis ornata est. Laudauerat sponsus progressum istum cùm dixit, *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna,* &c. nunc noua similitudine eundem intuens ait: *hęc statura tua assimilata est palmæ*, cuius inferior caudex tenuis est, & corticũ scabritie, perplexitateque visu minime iucundus; superior verò pars spectanda ramorum amplitudine, & foliorum iugi viriditate expanditur. Et quidem si ad Ecclesiam Christi hæc referas, duplex in ea exordium possumus contemplari, alterum, quamdiu fuit in schola ipsius Christi, qui per triennium Apostolos & discipulos docuit legem suam, & in via Euangelicæ perfectionis instruxit. Alterum verò, cùm post aduentum Spiritus sancti cœpit manifestari mundo, & congregatio illa Apostolorum & Discipulorum Christi germinare cœpit, & plures fideles ac sanctos multiplicare. Prior progressus factus est paulatim, & à minoribus incipiendo vsque ad posteriorem, in quo copiosos attulit fructus; & inde cœpit alio modo excrescere & dilatari, & vtroque modo sanctæ animæ etiam progressum refert.

Assimilata est autem palmæ, quæ (vt in- Li.19. Mor. quit D. Gregorius) ab aliis arboribus valde dis- c. 16. tat, in hoc quod reliquæ iuxta terram vastæ subsi- 1. stunt, sed crescendo superius angustantur: palma verò minor ab imis inchoat, & iuxta ramos ac fructus ampliori robore exsurgit, & quæ tenuior ab imis proficit, vastior ad summa succrescit. Sic mundi dilectores in terrenis rebus fortes sunt, in cœlestibus debiles; fortes ad inferiora subsistunt, sed ad superiora deficiunt. Nõnulli etiam imperfecti cum huiusmodi noxia facta derelinquunt, & cœlestia appetunt, ab inchoatione sua quotidie in constanti pusilanimitate deficiunt, nec tales quales cœperunt perseuerant, sed more arborum in inchoatione vasti sunt, sed tenues crescunt, quia paulisper per augmenta temporum patiuntur detrimenta virtutum. Sensim quippe in eis desideria superna languescunt, & qui robusta ac fortia proposuerant, debilia ac infirma consumant. Iusti nequaquam sunt in terrenis studiis fortes, & in cœlestibus debiles; sed è conuerso more palmæ plus se Deo studiosos exhibent, quàm circa terrena in sæculo fortes esse meminerint; quorum conuersio plus finiendo peragit, quàm proponit inchoando; ersi tepidiùs primo inchoat, feruentiùs extrema consummat; nam quia semper inchoare se æstimat, idcirco infatigabilis in nouitate perdurat. Hæc ferè carptim ex D. Gregorio.

Ita idem super hunc locum Cant.

Quod sic explicandum est amplius. Commune quidem est omnibus iustis instar arborum ab imis incipere, & inde paulatim ad maiora crescere, quia nemo repentè fit summus; nec solidus ac firmus est quorumdam profectus, qui in suo initio vehementi feruore procedunt, & summum perfectionis verticem se attigisse, vel attingere putant. Hic enim vehemens feruor multoties ex feruida complexione oritur, magis quàm ex gratia, & ideo cito lassatur & deficit. Est enim instar vehementis pluuię æstiuæ, quæ magnis descendens gurtis in infima aëris regione genitis, superficiem terræ tantùm madefacit ac rigat, sed interiora non penetrat, & ideo terra facilè exiccatur. Profectus autem qui ex Deo est, à minoribus quidem ad maiora tendit, solide tamen & constanter, quia ex intima Dei motione & illustratione procedit.

2 *In oratione de S. Greg. Thaumaturgo, seu de eius vita paulo post initium.*

Amplificat autem hoc alia via D. Gregorius Nissenus dicens, quod sola palma perfecta crassitudine cacuminis è terra surgit, & crescit, cumque in altum progrediens proceritatis suscipiat augmentum, nullam in latitudine à tempore accipit accessionem (loquitur autem de trunco, ne opE positum sit ei quod ex Magno Gregorio adduximus qui loquitur de dilatatione & augmento palmæ in parte superiori per extensionem foliorum, qua ratione vastiorem eam vocat in summis) Hic autem crescendi modus, congruenter aptatur Apostolicæ Ecclesiæ post aduentum Spiritus sancti, in quo adepta est magnam diuinæ gratiæ plenitudinem, & supremum gradum Euangelicæ perfectionis, qui in Apostolis & primis Christi discipulis maximè resplenduit: Itaut post ipsos Ecclesia non acceperit in crassitudine incrementum, sed tantùm proceritatis, & foliorum ac fructuum magnum progressum fecerit, quoniam

post Apostolos, eorumque prædicatione nimium excreuit per conuersionem multorum ex omnibus mundi nationibus, qui Apostolorum fidem & perfectionem sequerentur; plurimique exorti sunt viri sanctitate insignes, qui tamen nunquam superauerunt Apostolorum sanctitatem, nec incrementum gratiæ, quod in ipsis Ecclesia tunc est adepta.

Ezech.17. v.22. Hoc ipsum sub metaphora cedri explicuit Ezechiel Propheta, sic dicens: *Hæc dicit Dominus Deus: Et sumam ego de medio Cedri sublimis, & ponam de vertice ramorum eius tenerum destringam, & plantabo super montem excelsum, & eminentem in monte sublimi Israël plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in cedrum magnam, & habitabunt sub ea omnes volucres, & vniuersum volatile sub umbra frondium eius nidificabit, & scient omnia ligna regionis, quia ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile, & siccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum.* Quem locum D. Hieronymus de Christo Domino interpretatur, qui ex synagoga Iudæorũ ortus est à Patriarchis eius progenitus: eademque ratione de Apostolorum primitiua Ecclesia, quæ ex eadem synagoga desumpta est, potest intelligi: Quæ quidem synagoga aliquando fuit velut sublimis cedrus in conspectu Dei: ex ea tamen tanquam tener eius ramus desumpta est Apostolorum congregatio, Christi Domini prædicatione plantata super montem excelsum, & eminentem Euangelicę perfectionis. In aduentu autem Spiritus sancti creuit in cedrum magnam, quæ magnum attulit fructum, itaut Reges & Principes ac sapientes seculi sub eius doctrina & lege ab ea promulgata requiescerent. Vnde factum est quod omnes cognouerint Deum esse qui synagogam quondam lignum sublime & viride humiliauerit, & exiccauerit; Ecclesiam verò Christi, quæ videbatur lignum humile & aridum, exaltauerit, & frondere fecerit. Hoc quod Ezechiel per similitudinem cedri explicat, Salomon per palmam declarauit. Nam vtramque similitudinem Psalmista complexus ait, *Iustus vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Et Ecclesiasticus item de diuina Sapientia loquens ait: *Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi Cypressus in monte Syon, quasi palma exaltata sum in Cades.* Libanus dealbatio interpretatur, & Cades sanctitas. Exaltatio enim ista instar cedri facta est in candore gratiæ, quę tribuitur per baptismum, & in sanctitate & perfectione instar palmę, ad quam lex Euangelica exhortatur.

Psal.91. v.13. Eccl.24 v.17

In hoc igitur consistit magnus iusti profectus quòd incipiat à candore & munditia gratiæ, eamque semper instar palmę viridem seruet, nec amittat, sed iugiter in sanctitate crescat; gradum quem semel acquisiuit perfectionis non minuens, sed seruans, augens, & perficiens. Palma (inquit D. Ambrosius) virens semper manet, conseruatione & diuturnitate, non immutatione foliorum. Nam quæ primo germinauerit folia, ea sine vlla substitutionis successione conseruat. Imitare ergo eam, ô homo, vt dicatur, *& tibi statura tua assimilata est palmæ.* Serua viriditatem pueritiæ tuæ, & illius innocentiæ naturalis, quam à primordio recepisti; vt plantatus secus decursus aquarum fructum tuum in tempore tuo habeas præparatum, & folium tuum non defluat. Hanc viriditatem gratię semper florentis in Christo secuta est Ecclesia; hanc prærogatiuam doni virentis acceperunt & Apostoli, quorum nec folium vnquam potuit elabi. Sic Ambrosius. Vtinam & Apostolos imitemur, & instar palmæ nunquam folia, nec gratiæ viriditatem semel acceptam proiiciamus.

Li.3. Exam. c.17.

De rectitudine & fortitudine in tribulationibus instar palmę. §. 2.

1. AD hoc autem obtinendum oportet etiam staturam palmæ assimilari in rectitudine, & inuicta fortitudine: vt scilicet intentio semper sit recta in cœlestia tendens, & in ipsum Deum, eiusque gloriam & beneplacitum: omnisque actio & operatio etiam diuinæ legi sit conformis, non deflectens in vnam vel alteram partem, nec incuruetur ad carnalia & terrena velut mulier illa quæ erat inclinata deorsum, nec poterat sursum respicere, quam alligauerat sathanas decem & octo annis: sed potiùs progrediatur erecta semper ad supera tendens, tanto animi robore, quod nec flectatur promissis, nec minis, nec cedat vlli oneri præceptorum quantumuis grauia videantur, nec persecutionibus quantumcumque sint acres & molestę, instar palmæ quę à prima nunquam deficit rectitudine: quin ita in ea seruanda fortis est & obdurata, vt nec quantumlibet magno oppressa pondere tantillum ab ea deflectit, sed aduersus pondus resurgit, & sursum nititur in contrarium. Sic Ecclesia & pia anima à prima rectitudine, quam à principio sortita est, nullis persecutionibus aut difficultatibus deuiat, sed in ea crescit, & immobilis perseuerat, se ad cœlestia promerenda sustollens, donec palmam & victoriam consequatur. Velut illi qui venerũt de magna tribulatione, & palmas in manibus gestabant, quoniam vitia superauerunt & carnis passiones, ac de mundo & hostibus triumpharunt.

Lucæ 13. v.11

Vide Pierium lib.50. de palma.

Apoc.7. v.9

2. Hinc etiam fit animam assimilari palmæ, quoniam hæc (inquit D. Gregorius) inferius tactu aspera est, & quasi aridis corticibus obuoluta; superius verò & visu, & fructibus pulchra: inferius corticum suarum inuolutionibus angustatur, sed superius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur: sic quippe est electorum vita despecta inferius, superius pulchra. In imo ista quasi multis corticibus obuoluitur, dum innumeris tribulationibus angustatur, in summo verò illa quasi pulchræ viriditatis foliis amplitudine retributionis expanditur. His adde quod, vt inquit Plinius, palma frugifera non est nisi in solo feruido, nitroso, aut salso: sic in solo feruidæ mortificationis surgit magnitudo virtutis, quæ relinquens terrena, anhelat ad cœlestia: quæ etsi in terra labores & ærumnas patitur, in cœlo sperat plenam eorum rettributionem, & dulcissimis victoriæ fructibus perfruetur: quia spe ad rectitudinem suam seruandam valde roboratur, iuxta illud Apostoli: *Omnis disciplina*, id est eruditio quæ fit per tribulationes, *in præsenti non videtur esse gaudij, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit iustitię propter quod remissas manus & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris.*

Li. 19. Mor. c.16. Beda, Anselmus, & alij. Lib.13. c. 4.

Ad Hebr.12 v.11.

Obseruat autem D. Thomas dixisse Apostolum in præsenti non videtur esse gaudij, sed mœroris, quoniam ita hominibus videtur & apparet, tamen re vera intus etiam est gaudij & consolationis, siquidem exercitati ad hoc perueniunt, vt in tribulationibus gaudeant, & glorientur, imo sicut eadem palma simul in parte inferiori, aspera est, & scabra, visuque iniucunda; at in parte superiori pulchra est, & spectabilis ob foliorum amplitudinem & viriditatem, & dactilorum dulcedinem; sic vita iusti in parte inferiori quæ carnem respicit (quam inferiorem portionem Theologi vocant) aspera est & hirsuta ieiuniis, ciliciis, flagellationibus, & aliis corporalibus afflictionibus constricta: at in parte superiori quæ spiritum respicit, hilaris est & iucunda, & fructus suauissimos virtutum degustat. Nam licèt caro marcescat, spiritus semper virescit: *& licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem.* Propter quod meritò Psaltes dixit; *Iustus vt palma florebit.* Flos autem ex se fructum profert; floret autem iustus vt palma in hac vita, non quia fructus non ferat, sed quoniam ipsi fructus velut flores sunt, vnde alij fructus nascantur; flores enim floribus, & fructus fructibus succedunt.

2. Cor. 4. v. 16.

Psal 91. v. 13.

Sed obiter notare possumus lectionem Tertulliani, scilicet: *Iustus vt phœnix florebit.* Idem enim nomen Græcum dicunt significare palmam, & auem phœnicem, vtramque longeuæ vitæ. Propter quod Iob dixit: *Sicut palma multiplicabo dies.* Et idem legit, *sicut phœnix multiplicabo dies.* Phœnix autem quæ (vt superiùs diximus) symbolum est renouationis spiritualis dum crematur, vt noua renascatur, hanc renouationem & viriditatem interioris hominis quæ per mortificationem hominis exterioris obtinetur, optimè repræsentat. Renouatur enim de die in diem, imò nouitatem suam immobiliter retinet, vt non intus veterascat, & hoc significat etiam hoc elogium: *Statura tua assimilata est palmæ.* Quod de ætate excrescente ac viridante intelligitur, ac si diceret; non senescis, non incurueris, non vigorem mentis amittis, sed diu in tua spirituali iuuentute persistis.

Lib. de Resurrect. c.13.

Iob 29 v.18.

Lib.4. exib. 15. §. 3.

4. Nec tamen sine mysterio non dicitur, staturam tuam assimilasti palmæ, sed assimilata, vel similis facta est, vt meminerit progressum istum, & iugem viriditatem, & constantem fortitudinem, non ab ipsa esse, sed à Deo, & gratia ipsius: *nam neque qui plătat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Et quis vestrum* (ait Dominus) *cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum?* Ex Dei enim prouidentia vnicuique præfixa est statura corporis, cui nec vnum cubitum addere poterit: etsi autem cibo & potu, congruoque nutrimento ad illam peruenerit, cuncta tamen præstat Dei benigna prouidentia: Sic etiam in spiritualibus statura cuiusque ex Dei ordinatione procedit: nam *vnicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi*; quæ non in omnibus æqualis est, sed sicut stella differt à stella in claritate & magnitudine, sic sunt staturæ iustorum, & diuersæ magnitudines, omnes tamen ex Dei gratia, sed vnoquoque cooperante, vt bonis actibus ad illam possit peruenire. Ad hanc autem cooperationem necessaria est in primis maxima animi fortitudo, & rectitudo inflexibilis iustitiæ, cum prudentia tamen coniuncta. Propter quod in parietibus templi quod Ezechieli ostensum est cælatæ erant palmæ, & Cherubin in hunc modum. *Fabrefactæ* (inquit) *Cherubim, & palmæ: & palma inter Cherub, & Cherub, duasque facies habebat Cherub, faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte expressam per omnem domum in circuitu, de terra vsque ad superiora portæ Cherubim, & palmæ cælatæ erant in pariete templi.* Hieroglyphicum hoc iustorum est, qui in Ecclesia sunt militante, sed valde perfecti, quorum statura assimilatur palmæ, eiusdem enim magnitudinis erant Cherub & palmæ, vt colligitur ex illo; à terra vsque ad superiorem partem illius mansionis templi, id est vsque ad tectum erecta. Palma autem media inter Cherub & Cherub, virtus est, & Euangelica perfectio, quæ aspera est primo aspectu, sed dulces fructus profert, & victorias insignes secum adfert. Nonne palma paupertas spiritus, quæ licèt hirsuta videatur, tamen illi annexum est regnum cœlorum? sic luctus, sic esuries, & sitis iustitiæ, sic aliæ similes virtutes, quæ asperitatem præ se ferunt, in dulces tamen desinunt consolationes, & saturitates, ac præmia; quæ etiam in hac vita ex parte tribuuntur electis. Vnde tot palmas referunt, quot vitia, & passiones, ac tentationes vincunt. Ideoque illi qui de tribulatione magna venerunt, in manibus non vnam palmam, sed plures habebant, quia plures victorias reportarunt. Has palmas coram oculis habent Cherubim, vt illis assimilentur, & earum contemplatione vires recipiant. Habent autem faciem leonis, & hominis, quod ad fortitudinem spectat, & iustitiam cum ratione coniunctam: nam & Cherub plenitudinem scientiæ notat. Assimilantur ergo Cherubim & palmæ: nam sicut palma fortis & inuicta nullis ponderibus succumbens fortitudinem & iustitiam rectam, & inflexibilem significat, sic Cherub faciem leonis, & hominis in eodem corpore gestans: nam rectitudinem indicat facies hominis qui rectus incedit, robur autem leo fortissimus bestiarum, qui ad nullius pauet occursum. Has autem imagines in parietibus templi Dominus esse voluit, vt ingredientes in illud, intuerentur quales esse oporteret, qui partes sunt Ecclesię militantis, vt fiant ornamentum & decor etiam triumphantis.

Matt. 5. v. 2.

Ad Ephes 4 v.7.

Ezech. 41. v.18.

De fructibus & uberibus sicut botri. §. 3.

1. Cor. 3 v. 7.

Matt. 6. v. 27

Sed adhuc longanimitate opus est, nam palma, vt inquit Eucherius, tardè proficit, sed diu in viriditate persistit; non enim nisi post multos annos suum habet incrementum, vt dulces dactylorum proferat botros, diuturno tamen tempore perstat ferendo illos: sic profectus Ecclesiæ, & piæ animæ non est nisi per magnos & diuturnos labores, sed tandem copiosos & stabiles colligit fructus: iustus enim est sicut *lignum plantatum iuxta decursus aquarum quod fructum suum dabit in tempore suo.* In tempore autem suo dat, non qui citò dat, sed qui tempore congruo & opportuno. Vnde arbores plantatæ in terra promissionis, etsi primo, aut secundo, vel tertio anno fructus ferrent, immundi reputabantur in lege, & vsque ad quintum non comedebantur. Func enim proferebant eos in tempore suo: quod tardum est ad ferendos fructus perfectissimos in proximorum vtilitatem, qui per botros dactylorum significantur, de quibus dicitur, *vbera tua botris.*

Psal. 1. v. 3.

Leuit. 19. v. 23.

Sicut enim tota statura sponsæ assimilatur palmæ, sic vbera eius, quę partes sunt staturæ superiùs prominentes, assimilantur palmę botris, id est palmæ fructibus in similitudinem botrorum pendentibus à parte superiori ipsius. Vbera autem, vt sæpius supra dictum est, maternum amorem significat erga proximos, qui maxime proprius est prælatorum ac concionatorum. Ad perfectam autem staturam Ecclesię & perfectę animę pertinet vbera habere tumentia. Nec sat est in aliis virtutibus progressus fecisse, nisi eos fecerit

in vberibus, & dilectione proximorum, præbens eis nutrimentum doctrinæ salutaris, ad eorum informationem & salutem necessariç. Quasi duo autem vbera sunt sanctitas, & sapientia, virtus perfecta & doctrina, quæ non neophytis, nec tyronibus, nec adolescentulis, ac imperfectis conueniunt, sed iam prouectis & perfectis, quibus competit aliorum infirmitatibus compati & succurrere. Ideoque, inquit Theodoretus, sponsa nunc rectè assimilatur palmæ, quæ fructus deorsum pendentes habet, quoniam, „ (inquit) cùm excelsa sis adeò vt cœli fastigia at„ tingas, tamen submittis te infirmis discipulis tuis, quibus doctrina indigentibus vbera prębes doctrinæ tuæ.

2. Hugo Carensis in Ps. 91. *Iustus vt palma florebit.* Vide Viegam in Apocalypsi 7. sect. 8.

Obseruant aliqui folia palmæ esse instar gladij. Gladius autem spiritus est Verbum Dei: folia ergo ista Dei verba significant, quibus contra hostes fructus palmæ furari aggredientes, militamus; quæ etiam vbera iuuant dum nutrimentum doctrinæ præstant, ne quid sit quod ea à suo munere præstando impediat. Præterea quoniam Pastores & Doctores non solùm habere debent vbera sicut botri, sed etiam folia sicut gladii, vt simul munus exerceant matris nutriendo; & patris, aut iudicis cùm oportet castigando, & increpando: vnde & alij obseruant palmam quæ in vertice fructus dulces gignit, tamen inferius quosdam aculeos & spinas proferre; quæ sunt iustorum in peccatores increpationes salutares; siquidem verba prudentium sunt stimuli & calcaria delinquentium quibus & à peccatis retrahuntur, & ad virtutes incitantur.

Philo Carpathius. Eccles. 12. v. 12.

3. Li. 3. Exam. c. 13. idem refert Pierius, vbi suprà.

Denique non incongruè vbera assimilantur botris palmarum, in quibus quædam est nuptiarum imago, vt D. Ambrosius testatur, eo quòd palmarum alia mas, alia fœmina esse dicatur, & quasi quadam copula maritali coniunguntur, dumque se contingunt, hæc fœcunda redditur, & vberiores dactylos profert: quod etiam in ficubus accidere nouimus. Non ergo extra rem est assimilatio vberum intumentium ad botros dactilorum, quia quadam quasi coniugali fœcunditate procedunt. Sic & spiritualia vbera à spiritualibus nuptiis Ecclesiæ, vel animæ sanctæ cum Christo Domino procedunt, à quo est omnis fœcunditas & vbertas, omnis sanctitas, sapientia, & doctrina, ac vniuersus virtutis fructus; maximè autem à Christo crucifixo, cui alia ratione symbolum palmæ attribuitur, vt post dicemus. Cùm igitur in hoc loco laudes canantur animę iam perfectæ, quæ aliorum saluti inuigilat, non incongrue statura eius assimilatur palmæ, & vbera botris eius. Maiorem autem emphasim habent verba ista si intelligantur de botris vineę, vt D. Gregorius, & alij patres interpretantur. Sed de hoc circa sequentem versum melius dicemus. Nunc autem caronidem apponamus, per id quod in Exodo legitur filios Israël, postquam transacto mari rubro venerunt in Marath, cuius aquæ erant amaræ, & iniecto ligno in dulcedinem versæ sunt, mox venisse in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & Septuaginta palmæ, & ibi castrametati sunt. Quod sic moralizat Origenes, nam prius ductus est populus fidelis ad legem veterem, cuius documenta amara valde erant, sed cùm per lignum crucis Christi conuersa sunt in dulciorem, transigitur ex veteri testamento ad nouum, vbi sunt duodecim Apostolici fontes, & septuaginta discipuli, qui iuxta illos excreuerunt vt palmæ; missique sunt ad prędicandum Euangelium, per quos palmas victoriæ Christi mundus agnouit. Locus igitur Elim congregationem significat Prælatorum & concionatorum. Elim enim teste D. Hieronymo, interpretatur ad arietes, qui principes sunt & patres agnorum, de quibus dicitur in Psalmo: *Afferte Domino filios arietum.* Et Apostolos repræsentant, qui etiam duodecim dicuntur fontes aquarum, quę totius mundi siccitatem rigant, & iuxta illos L X X palmæ, id est reliquus discipulorum & doctorum cętus, qui eorum doctrina florescunt. Quamuis Rupertus, & alij per L X X palmas intelligunt Martyres, qui venerunt ex magna tribulatione, & palmas in manibus gestant, suoque exemplo, non minus quàm alij verbo ad perfectionem excitant. Iuxta hos autem populus Christianus castrametatur, & quiescit, quorum fructibus reficitur, & dulcibus aquis potatur, viresque resumit, vt suum peragat iter ad terram manantem lac & mel cœlestis Paradisi in sęcula sæculorum. Amen.

Exod. 15. v. 27. Hom. 7 in Exod. Epist. de 42. mansionibus ad Fabiolam. Psal. 28 v. 1.

EXHORTATIO XIX.

De modo ascendendi in palmam Euangelicæ perfectionis, & in cacumina eius, ac de fructibus ipsius. — *Pro Doctoribus, Apostolis & Euangelistis.*

Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris, dixi, ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui sicut malorum. v. 7.

MVLTIPLEX est huius sententiæ sensus, quia plures sunt personę, quibus potest attribui, sed omnes congruo ordine prosequemur. Extulerāt adolescētulæ sponsę pulchritudinem ac magnitudinem, assimilantes staturam eius palmę, & vbera fructibus eius, qui sunt dactylorum botri, vna ex aliis feruentior, aut vniuersus chorus per modum vnius ait: *Dixi, ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Id est firmiter apud me statui appropinquare & ascendere ad palmam istam, & apprehendere eius fructus, hoc est vbera, & frui eorum dulcedine; & quid inde? *Et erunt vbera tua sicut botri vineę, & odor oris tui sicut malorum.* Scio enim quod vbera tua erunt mihi dulcia, & suauia non tantùm sicut botri dactylorum, sed etiam sicut botri vineæ, qui dulciores sunt, & succo pleni, & odor qui efflatur per respirationem ex ore & naso tuo, erit mihi suauis sicut odor malorum. L X X vertunt, *Dixi, ascendam in palmam, tenebo cacumina eius, erunt nunc vbera tua sicut botri vitis, & odor nasi tui sicut poma.* Cacumina dicunt, quia in vertice sunt fructus palmæ, & nasi odorem referunt, quoniam tam per os quàm per nares respiramus, & ex halitu odor profluit, qui hîc commendatur. Hęc de litera, & si verba hæc alij sponso tribuant, & non adolescentulis. Sed de his modò loquamur, corticem omnino relinquentes, quia hic caro non prodest quicquam.

De modo proficiendi ex bonis Ecclesiæ ascendendo in Euangelicam perfectionem. §. 1.

DIXIMVS præcedens encomium de statura, & progressu Ecclesiæ, vel sanctæ animæ quæ aliarum est magistra, intelligenda esse; quæ autem auidè illud audit, statim ait, *Dixi, ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Qui enim aliorum audit magnalia, quorum ipse particeps esse potest, illico desiderat ad eos accedere, vt aliquid ex ipsis apprehendat sibi.

1. Primò igitur statuamus Ecclesiam Catholicā, cuius præcipua pars Romana est, vbi sedes est Petri & successorum qui vicem capitis gerunt, esse instar palmæ, quæ per varias & asperas tribulationes suam obtinuit celsitudinem. Fructus autem illius quos in cacumine tenet, & Christus Dominus per eam producit, sacramenta sunt quæ administrat, sacrificia quæ offert, lex ac Euangelium quod docet, & cætera quæ ad Dei cultum & animarum salutem omnibus proponit. Duo autem vbera eius, sunt duorum testamentorum veteris & noui doctrina, qua omnes

2. ad se venientes nutrit & instruit in fide. Sed quoniam Ecclesia potissime per Prælatos & Doctores, ac concionatores hæc exequitur, ideo horum cœtus præcipuè hîc assimilatur palmæ, quæ supradictos fructus in aliorum fert vtilitatem: sed vltra hoc præclaros in proprium commodum fructus afferunt sanctorum operum vtriusque vitæ actiuæ & contemplatiuæ, quæ dulciora sunt illis super mel & fauum, aliisque tanquam lucidissima sanctitatis exempla ad imitandum proposita. Qui igitur has audit Ecclesiæ & sanctorum Prælatorum laudes, spiritu Dei afflatus, nisi internas aures illi obturet, & frustra quæ illi prædicantur audiat, mox ardens concipit desiderium accedendi ad Ecclesiam, & ad eius ministros, vt tantorum fructuum mereatur particeps fieri, dicens: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius*: accipiam sacramenta, fruar sacrificiis, amplectar legem, doctrinam recipiam: sequar virtutes, & imitabor sanctorum exempla: propter me palma hos fert fructus. Cur ergo non fruar illis? cur non mihi apprehendam, & faciam proprios? aspera est & hirsuta palma in inferiori parte, sed per has asperitates irrumpam, tribulationes & tentationes patiar, quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, quod est ipsius Ecclesia atque iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto, quod resplendet in ea: ascendam in palmam, etsi in ascensu à spinis & aculeis pungar. Nam cùm peruenero ad cacumen, dulces percipiam fructus, qui me reficiant, accedam ad vbera ipsius, pascar eius doctrina, vescar sapientia, fruar sanctitatis dulcedine, & his nutrimentis proficiam. Huiusmodit sunt animi vota, quæ diuinus spiritus infundit audientibus & contemplantibus Ecclesiæ bona, & sanctorum exempla, longè propellendo segnitiem quæ ab hoc ascensu deterret.

Vnde hos segnes, & pigros sic affatur Ecclesiasticus tanquam egregius concionator, verbo & exemplo ad se illos alliciens, & trahens: *Appropiate,* (inquit) *ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ. Quid adhuc retardatis? & quid dicitis in his; animæ vestrę sitiunt vehementer, aperui os meum, & locutus sum: comparate vobis sine argento, & collum vestrum subijcite iugo; & suscipiat anima vestra disciplinam, in proximo est inuenire eam: videte oculis vestris, quia modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem.* — Eccl. 51 v. 31.

3. Exhort. præcedenti §. 2. *Euangelica perfectio assimilatur palmæ.*

Hæc autem melius adhuc percipies si per palmam intelligas, vt suprà insinuauimus, ipsam Euangelicam perfectionem quæ in aspera & acerba sui abnegatione, & carnis mortificatione fundatur, sed tandem dulces sursum parit spirituales fructus instar palmæ. Nam & antiqui ita virtutis iter pingebant tanquam asperum locum, ascensuque perdifficilem, in cuius vertice palma consurgeret, eo quòd ad virtutem nemo peruenire valeat nisi per multos labores quos diu tolerat. Palma autem vtriusque est symbolum, & diuturni laboris, & dulcis fructus; qui autem virtutis & perfectionis Euangelicæ iter arripere decreuit, oculos coniicere debet tum in caudicem, tum in verticem palmæ, tum in aspera abnegationis proprię, tum in dulces fructus gratiæ & consolationis diuinę, quę adeo magna est, vt abnegationem ipsam dulcem reddat. Sed oportet per scabrosos transire palmæ cortices, & per virtutis aspera vsque ad verticem spiritus, vbi virtutis fructus maximè percipiuntur. Nam vt notat D. Gregorius Nissenus) palma, vt fructum suum fures difficiliter aggrediantur, eum tanquam thesaurum sursum recondit, nec vicinum terræ fert illum. Fures vocarem segnes, & pigros qui dulcedinem appetunt, & laborem renuunt: at fructus palmæ non nisi per labores gustatur, à terra se eleuando, & ad superna tendendo. — Vide Pieriū lib. 50. Hom. 9. in Cant.

Hoc autem explicat egregiè D. Ambrosius eandem similitudinem virtutis ad palmam prosequens. Ecclesia, inquit, eminentiam videns verbi, & sperans quod ad eius altitudinem possit ascendere, & scientiæ summitatem, dicit: *Ascendam in palmam.* Vt omnia inferiora relinquat, & ad superiora contendat, ad brauium Christi, vt suaues eius fructus carpat, & gustet; suauis enim virtutis est fructus. Sed quoniam charitas regina est virtutum, vinculum perfectionis, & omnium spiritualium fructuum pręcipua genitrix & effectrix, ipse Ambrosius alibi eam assimilat palmę dicēs: Charitas palma est, ipsa est enim plenitudo victoriæ. Plenitudo enim legis charitas est. Curramus ergo vt comprehendamus, curramus vt vincamus, qui vincit ascendit palmam, & manducat fructus eius. sic ille. — Li. 3. Exam. c. 13. Idem confirmat D. Chrysost. hom. 22. ad populum. *Charitas assimilatur palmæ.* Lib. de Isaa. c. 8.

Denique fructus palmę Euangelicæ perfectionis illa duo præmia complectuntur, de quibus Dominus dicit: Centuplum accipiet in tempore hoc, & in seculo futuro vitam ęternam. Sed notanter ait D. Marcus, *centies tantùm cum persecutionibus*, vt supremum palmæ cum imo coniungeret. Persecutiones enim ad asperum truncum pertinent, per quem ascenditur ad fastigium, vbi inuenitur centuplum; quod plena est perfectio, & omnimoda iustitia cum pace & gaudio in Spiritu sancto. — Mat. 19. v. 29 Marci 10. v. 30.

4. *Quale debeat esse propositum propositum.*

Cùm hæc igitur meditatus fueris, mox in hæc verba prorumpes, *dixi ascendam in palmam.* Verbum *dixi*, propositum animi innuit, nō remissum, quale concipit piger, de quo dicitur, *vult & non vult piger*, sed vehemens & efficax, post quod illico sequitur opus in tempore suo, instar imperij Dei qui cùm dixit, Fiat lux, facta est lux. Ipse enim — Prou. 13. v. 4.

Psal.76.v.11. dixit,& facta sunt. Quomodo inquit Dauid, *Et A dixi nunc cœpi*: mox autem nouo feruore cœpit. Et ideo statim addidit, *hæc mutatio dexteræ excelsi*. Sic ergo sponsa ait: *dixi*. cui dixi? mihimetipsi dixi: apud me statui, & ita firmiter decreui, vt mox sequatur ascensus. Dixi item Deo, cui hoc votum animi mei obtuli, vt fortius me ligaret ad im-
Psal.26.v.8. plendum quod dixi: sicut Psaltes ait: *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine*
Psal.31.v.5. *requiram*. Rursus: *dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino*. Tam efficax autem fuit istud dixi, quòd mox addat: *& tu remisisti impietatem peccati mei*. Fundamentum ergo primum spiritualis profectus & ascensus, firmissimum est decretum voluntatis, quæ efficaciter apud se *ascensiones*
B Psal.83.v.6. *in corde suo disponit*, non suis viribus nitens, sed diuinis. Nam ideo præmisit Dauid: *Beatus vir cuius est auxilium abs te*.

5. Cùm audis, *ascendam in palmam*, animum progrediendi intellige; aliud enim est appropiare, aliud ascendere, quia peccato per pœnitentiam recedit, ad palmam appropinquat, & illi incipit adhærere, sed nondum sublimes eius fructus carpit. Oportet enim vt vlteriùs ascendat, non volando sicut auis, hoc enim nostras superat vires, & speciale priuilegium est eorum qui saltu quodam & volatu spiritus ab imo gradu eleuantur ad supremum. Ascendendum igitur est gradatim per scalam, non diuersam à palma, sed in ipso caudi-
C ce palmæ existentem, per varios abnegationis propriæ gradus à minori procedendo ad maiorem. Ascẽsus in arborem non fit, nisi aliquam violentiam sibi ipsi inferendo; descendere enim facilè est homini, ascendere vero sursum difficile, maxime vsque ad fastigium sublimis palmæ: nam
Mat.11.v.12. ideo *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Rapiunt autem ascendendo in cacumen palmæ, vbi huius regni fructus continentur.

6. Ascensus autem in arborem pedibus fit simul & manibus, id est affectibus & operibus: ad perfectionem enim Euangelicam vtrisque simul ascendendum est, quia nec affectus sine operibus,
D Prou.30.v. 28. nec opera sine affectibus ascensum perficere possunt. *Stellio*, (ait Salomon) *manibus nititur, & moratur in ædibus regis*. Nam reptando manibus & pedibus per parietes ascendit vsque ad regiarum æ-
1.Reg.13.v. 14. dium tecta: sic Ionatas ascendit manibus & pedibus reptans per loca quædam asperrima, & insignem de Philisteis obtinuit victoriam. Nam qui pedibus affectuum & manibus operum ad palmam ascendit, plures consequetur victorias vitiorum, & præclaros dulcesque fructus virtutum. Non enim ascenditur in palmam tantùm vt fructus videas, sed vt apprehendas, & tibi carpas, ac possideas, ac proprios facias.

7. Sic enim dicitur: *apprehendam fructus eius*. Quid
E est eius, nisi ipsius palmæ? multi enim putant se apprehendere fructus virtutis, qui tamen non sunt nisi fructus vitij virtutis colore fucati, videlicet inanis gloriæ, iactantiæ, hypocrisis, liuoris, & iræ. Eleemosyna enim, aut ieiunium vt hominibus placeas non est verus fructus palmæ, nec zelus qui in iram desinit, aut discretionis limites transcendit. Cautè ergo videndum est quos fructus apprehendis, non fictos, sed veros, non inanes, sed solidos, non immaturos, sed maturos & perfectos, æmulans semper excellentiores.

De cacuminibus virtutum & perfectionis Euangelicæ. §. 2.

EXPLICATVR hoc optimè per versionem LXX, *tenebo cacumina eius*. Non ait cacumen, sed cacumina, quoniam etsi vnicum sit ac supremum totius Euangelicæ perfectionis cacumen, ad quod tenendum exhortatur nos Chri-
Matt.5.v.48 stus Dominus cùm ait: *Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est*: tamen singulæ virtutes propria habent cacumina, ad quæ ascendere curare debemus. Cacumina vocamus supremos cuiusque gradus & actus. Cacumen charitatis est diligere Deum ex toto corde, & ex tota anima & mente, & ex omnibus viribus nostris, proximum verò non tantùm sicut nosmetipsos, sed sicut Christus dilexit nos. Obedientiæ cacumen est, fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra, abnegando propriam voluntatem, & iudicium vt promptè, hilariter, & integrè Dei voluntatem sicut Angeli impleamus. Cacumen humilitatis est, sedere in nouissimo loco, & non tantùm maioribus, vel æqualibus, sed etiam se subdere minoribus, dicendo: *Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis*. Patientię autem & fortitudinis cacumen est, gloriari, & gaudere in tribulationibus pro Chri-
C sto, & ipsam mortem oppetere cùm necesse sit pro gloria ipsius. Ad hæc igitur cacumina ascendere debes si vis perfectus esse, & tenere illa; id est firmiter possidere, vt non facilè relinquas: dicens instar sponsæ: *tenui eum, nec dimittam*: sic tenui hæc cacumina, neque ab illis vnquam recedam.

2 Sed numquid vna anima omnia potest tenere virtutum cacumina, quia potius scimus quosdam sanctos præ aliis tenuisse cacumen paupertatis spiritus, alios humilitatis, vel obedientię, alios zeli animarum; non enim omnia possumus omnes, & propter hoc de singulis dicitur:
D Eccles.44. v.20. *Non est inuentus similis illi qui conseruaret legem excelsi*, eo quod in aliquo aliis præcelluit: vnde & religionum instituta, sicut & eorum fundatores, non omnia virtutum cacumina tenent, sed vnum hoc, aliud verò diuersum profitetur. Vera quidem sunt hæc si ad studia perfectionis secundùm externa exercitia respicias, in genere enim pœnitentię, vel paupertatis quædam religiones alias excedunt, aliæ verò in quiete orationis, & contemplationis, aut in zelo animarum salutis procurandæ. Cæterùm si ad affectus & actus internos attendas, audacter dicere potes, *tenebo cacumina eius*: vt supremum cuiusque virtutis gradum in corde tuo comprehendas, etsi non omnes eius actus foris exercere
E valeas.

Sed quoniam non omnibus conceditur hæc 3. cacumina tenere, bene tamen id desiderare, ac sperare; non ait, teneo, sed tenebo; id est tenere confido & curabo. Perpendendum autem valde est id quod præcessit. Dixerat adolescentularum chorus sponsam laudans; *statura tua assimilata est palmę*; id est peruenisti ad magnitudinem palmæ vsque ad cacumina eius, talisque & tanta est studiosa vita tua, qualis & quanta est perfectio quam docet ipsa lex Euangelica. Vita enim tua est quędam viua lex, & Euangelium viuum; quia quod scriptum est in Euangeliis transcripsisti in tabulis cordis tui. Hæc solis

Deiparæ perfectio. lis perfectissimis viris competit, & prę omnibus Deiparæ; cuius statura perfectissimè assimi-A lata est perfectioni palmæ, nec alia est quæ ei similis possit inueniri. Sed quid inquit adolescentularum chorus post laudem istam? *Dixi, ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius, vel tenebo cacumina eius*, id est conabor & ego ad hanc sanctitatis palmam ascendere, & fructus apprehendere, imitari sponsæ mores, & cacumina perfectionis tenere.

Imitatio sanctorum nmgenda eorum laudibus. Etenim frustra quis virtutem laudaret, si eam amplecti recusaret, & in vanum sanctos extollit laudibus, si eorum detrectat imitari mores. Quare merito quæ staturam sponsæ laudat, ad illam accedere, & assimilari festinat. Nam (vt
Homil. de Martyribus, quod aut imitandi, aut non laudandi sunt. to.3. ad fin. B elegantèr inquit D. Chrysostomus) qui sanctorum merita religiosa charitate miratur, quique iustorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores sanctos atque iustitiam imitetur. Quoniam quem delectat sancti alicuius meritum, delectare debet per circa cultum Dei obsequium. Quare aut imitari debet, si laudat; aut » laudare non debet si imitari detrectat; vt qui » alium laudat, laudabilem se reddat; & qui san-» ctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur. Nam si propterea iustos fide-» lesque diligimus, quod in ipsis iustitiam, fidem-» que suspicimus, possumus nos quoque esse quod » sunt, si faciamus ipsi quod faciunt. sic Chrysostomus. Non quòd condemnet tanquam malum C quod peccator laudet iustum, sed quia talis laus mutila & diminuta est, & insufficiens ad salutem; nam quod laudans verbis probat, vita dissimili reprobare videtur: nec saluabitur, quia sanctos laudet si eos imitari pigeat. Cùm igitur sanctos laudas, ad illos imitandos te accinge, cupiens cacumina tenere quę tenuerunt & ipsi: habebis enim staturam illorum, si eorum opera agere cures.

4. Sed vlterius pergit quę fructus palmæ apprehẽdere nititur, dicens, *Et erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui sicut malorum*. Mirum quod nõ dixerit, erunt vbera mea, sed tua, nec odor oris
D mei, sed tui: ex ascensu enim ad palmam & apprehensione fructus, hæc duo bona promanant, quæ his verbis designantur. Cur ergo non sibi ea tribuit, sed aliis? & cui dicit, erunt vbera tua, & odor oris tui? profecto si ad hanc expositionem consequenter loquamur, non incongruè dicemus, verba ista non esse eius quæ dixit ascendam in palmam, sed sponsi qui probans propositum istud, subdit, si in palmam ascendas, & fructus apprehendas, ex eo cognosces veros fructus apprehendisse, si vbera tua fiant sicut botri vineæ, & odor oris tui sicut
Nota malorum. Opera enim tua, & verba oris tui ex charitate promanantia testimonium reddent veri profectus tui, ad hoc enim apprehendes fructus, vt eos comedas, & ex eis nutriaris & pinguescas. Inde autem fiet quod vbera intumescant sicut botri, & lac ac vinum proferant, vnde os suauem efflabit verborum odorem, sicut malorum & pomorum quæ depastus eras. Aut si hæc verba ipsi attribuas quæ dixit ascendam in palmam, maluit dicere vbera tua, quàm mea; & oris tui, quàm mei, cum sponso loquens vt ei omnia bona sua tribue-
Oseæ 13.v.9. Luc.19.v.16. rit, à quo verè procedunt: *Nam perditio tua Israel*, (ait Dominus) *tantummodo in me auxilium tuum*, & quomodo serui regis dixerunt, mna tua fecit decem vel quinque mnas, gratiæ tribuentes magis quàm propriæ industriæ quod lucrati sunt? sic nunc inquit, si in palmam ascendero, vbera mea quæ tua sunt, erunt sicut botri vini, & odor oris A mei, quod tuum est, erit sicut malorum, nam & Ierem.15.v. 19. scriptum est: *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris*.

De operibus & verbis eorum qui charitate fragrant, maximè Prælatorum & Doctorum. §. 3.

IAM quæ sint hęc vbera breuiter explicemus, 1. de quibus tamen plurima & pluries diximus. Nam statura perfectæ animæ quæ palmæ Euangelicæ legis assimilatur, vbera habet ipsius legis sibi impressa, vnde duo eius vbera, vt D. Greg. testatur, duo sunt charitatis præcepta, à quibus lex pendet, & Prophetæ, quæ animam quam possidet vino cœlesti inebriant, & nutriunt: sed quia vbera ad alios nutriendos etiam destinantur, & ideo propria sunt Prælatorum & Doctorum Ecclesiæ, qui sub hac metaphora sæpius intelliguntur, hinc est hæc vbera musto illo repleta esse quo Apostoli in die Pentecostes, vt ex zelo glorię Dei, & salutis animarum illis vinum, & lac propinarent Euangelicæ doctrinę; quæ lac est propter cãdorem gratiæ, vinum propter ardorem charitatis: vnde amplificationis gratia additum est in hoc versu, *Sicut botri vineæ*. Cum tamen in præcedenti tantùm dictum sit, *sicut botri*; insinuans sermonem ibi esse de dactylorum botris, vt iam diximus: ad vtrosq; enim botros assimilantur vbera, quia & doctrinam præbent solidiorem quæ cibus sit grandium instar dactylorum, qui dulces sunt, sed minus habent succi; & doctrinam suauiorem plenam deuotionis, & amoris instar vuarum, aut forte doctrina veteris testamẽti botris dactylorum assimilatur, noui vero vuarum, in qua maior viget deuotio & amor. Vbera etiam sunt duo genera operum misericordiæ erga proximos, vt cibo & potu tam corporali quàm spirituali eos reficiant. Sed de his Lib.1.exh. 19.& 20. plura in libro primo dicta sunt.

Sed quid est quod supra bis dicuntur vbera meliora, & pulchriora quàm vinum, modò verò assimilantur botris vineæ, qui vini liquorem in se cõ- Cant.1.v.1. & c.4.v.10 tinent? sed egregiè non assimilantur vino à botris expresso, quod mordax esse solet, sed in ipsis con-D tento, quod dulcedinem magnam habet, & quãdiu in botris est, adhuc crescit & perficitur, vt significetur vbera hæc charitatis omni ex parte habere dulcedinem & suauitatem, quæ mentem post labores & ærumnas reficiat & delectet.

2 En primus fructus ascensionis in palmam, accipe secundum, *& odor oris tui sicut malorum*. Diximus suprà in id, *sicut malus inter ligna siluarum*. Po- Cant.2.v.3. mum mali symbolum esse amoris, & quia os instrumentum est osculi, quod etiam est dilectionis signum, & organum ad loquendum & prædicandum, hinc est quod odor oris seu ex halitu oris emissus fragrantiam indicet ex doctrina, & signis amoris procedentem: verba etiam animæ dulcia
E debere esse, & salubria, sicut pomum odoriferum est, & sapidum, vt odorem bonę ædificationis efflent, & sapidum animæ nutrimentum præbeant. Præterea odor oris sicut malorum est sicut eius qui pastus est malis: nam qualis cibus, talis ructus; talis solet esse & halitus, à corrupto in ventriculo cibo halitus oris fœtidus efflatur; & ideo fœtidum est os peccatoris, os detractoris & susurronis, maledici; aut se iactãtis: ab infecto enim cor- Eccles.11.v. de procedunt verba ipsorum. Nam vt Ecclesiasti- 32. cus inquit: *Sicut eructant præcordia fœtentium*, &c. *sic* Serm. de detract. *& cor superborum*. Vnde D. Bernardus de detractio- & Serm.24. ne loquens ait, de alieno malo non inquines os in Cant.

tuum, ab inquinato autem ore quid ſpectes præ- A
ter grauem & fœtentem anhelitum : ſed gene-
ralius D. Paulus monet hunc euitare fœtorem, di-
Ad Epheſ. 4 v. 29. cens : *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat; ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei vt det gratiam audientibus.* Prior fœtet, poſterior fragrat, & de hoc ſermone dicitur, *Odor oris tui ſicut malorum.* Cùm enim iuſti pleni ſint odoriferis cibis ſanctorum operum, & affectuum quos corde conceperunt, cùm eructant & halitum emittunt, id eſt cùm verba proferunt, odorifera ſunt & ſalubria quæ ædificant, & gratiam audientibus conferunt, & ſuo bono odore confortant: nam Chriſti bonus odor ſunt, cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. B

PRO PARASCEVE DOMINI, ET PRO FESTIS CRVCIS. PRO FERIA SECVNDA R'ESVRREC. circa illud, *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum*, &c.

EXHORTATIO XX.

De aſcenſu Chriſti Domini in crucem, & fructibus Chriſti crucifixi; & de noſtro ac Deiparæ aſcenſu cum illo, per meditationem ſimul, & imitationem.

Statura tua aſſimilata eſt palmæ, &c. dixi aſcendam in palmam, &c.

IAM hæc verba de ſponſo C
ipſo interpretemur iuxta
duplicem quem poſſunt
habere ſenſum. Prior, conſequentur ad ea quæ in præcedenti exhortatione dicta ſunt, vt cùm inquit, *Aſcendam in palmam*: Eccleſiam, vel ſanctam animam intelligit, quæ in virtutibus progreſſus fecit, quamque ſupra hortum ſuncupauerat, & ſicut tunc dixit ſe in hortum deſcendiſſe vt videret fructus quos ferebat, & paſceretur illis, quia maximè noſtris bonis operibus delectatur; ſic nunc dicit ſe aſcendere in D
palmam, in eamdem ſcilicet Eccleſiam, & piam animam, per incrementa gratiarum, & virtutum quæ illi communicat: aſcendit autem vt fructus ipſius apprehendat, probet, & reficiatur etiam illis; quo vberiores reddat & dulciores. Nam vbera quæ antea erant vt botri dactylorum, per hunc aſcenſum facta ſunt vt botri vuarum; per viſitationem enim Dei cuncta dona increſcunt, & meliorantur; & qui iuſtus eſt, iuſtificatur adhuc; & qui ſanctus eſt ſanctificatur amplius: ſed quia de hoc ſenſu plura ſuperiùs dicta ſunt, ad alium ſublimiorem tranſeamus.

De aſcenſu Chriſti in crucem, & fructibus quos apprehendit nobis. §. 1. E

D. Greg. Caſſiod. Bed. Anſel. Ruper. PRÆCLARIOR igitur & communior apud Patres ſenſus eſt de aſcenſu Chriſti Domini in crucem, quam per palmam ſignificari dicunt, quatenus iuxta ſupradicta caudex eius aſper eſt, & ſcabroſus, viſuque iniucundus, ſed tota fortis & recta, nulliſque ponderibus cedens, & in ſummitate dulces referens fructus. Propter quæ tria ſimul ſymbolum eſt victoriæ: ſic crux horribilis viſu eſt, carni aſperrima & ſcabroſa, ſpinis & aculeis eam acriter pungens, nihil enim acerbius illi & moleſtius eſt quàm caſtigatio & abnegatio ſui, appetituumque iugis cohibitio, & ſi voluntariè aſſumpta: nam quæ ab aliis inſurgit tribulatio, & perſecutio, adhuc eſt moleſtior & acerbior, ſed ſpiritum, qui eam patienter fert, & complectitur, ipſa crux fortem reddit & robuſtum, vt pondere tribulationum non opprimatur, quinimo contrario niſu in cœleſtia ſubleuetur, & tandem dulces ſibi apprehendit fructus, præclaraſque adipiſcitur victorias virtute Saluatoris noſtri, qui in Cruce mori & triumphare dignatus eſt. 1.

Ille enim poſtquam carnem pro nobis mortalem aſſumpſit, hæc apud ſe protulit verba : *dixi, aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius*, hoc eſt; firmiter apud me ſtatui ſicut à Patre meo ab æterno decretum eſt, in palmam crucis aſcendere. Sic enim vaticinatus eſt regius Pſaltes : *Ingrediens mundum dicit, hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: tunc dixi : ecce venio.* Id eſt tunc firmo animo me Patri obtuli, dicens ei : Ecce venio, vt faciam voluntatem tuam Deus. Voluntas autem tua eſt, vt in crucem pro hominibus aſcendam. Tempore autem præſtituto aſcendit Hieroſolymam multa comitante turba, cum ramis palmarum in ſignum victoriæ certiſſimè mox futuræ. Eleuatus igitur eſt in cruce, vt aptè in illum quadret, *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* Nam ſi palma eſt crux, qui extendit pedes & manus vt cruci affigantur, ſimilis fit ipſi cruci, extenſus enim eſt ad modum crucis, & ex corpore & cruce per clauos coniunctis fit quaſi vnum; vnus ſcilicet Chriſtus crucifixus, qui verè ſe exhibuit tanquam palma in tribus inſignibus ſupradictis. Siquidem grauiſſimis & aſperrimis tormentis vexatus eſt, in quibus tamen ſemper manſit rectus, fortis, & inuictus, ſuam conſeruans viriditatem, vt conſtat ex illo : *Si in ligno viridi hoc faciunt?* Pſal. 39. v. 7. Ad Hebr. 10 v. 5. Ioan. 12. v. 12.

Cùm autem in hanc palmam aſcendit, apprehendit fructus eius. Fructus eius vocat quos ipſe aſcendens in crucem tulit, & ideo dicuntur fructus palmę, id eſt, ipſius Chriſti crucifixi, vel crucis virtute Chriſti pendentis in illa. Nec tamen aſcendit vt deſcenderet viuus, ſed vt moreretur in illa, quoniam ſtupendo quodam modo moriens apprehendit fructus illius tum ſibi, tum nobis : quare dicentibus principibus Sacerdotum : *Si Rex Iſrael eſt, deſcendat de cruce, & credimus ei* : noluit aſſentiri, quia nonniſi per mortem deſideratos fructus apprehenſurus erat; iuxta id quod ipſe dixit : *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet : ſi autem mortuum fuerit, multum fructum afferet.* Explicans autem hunc copioſum fructum ſubdit poſtea : *Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eiicitur foras: & ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*; vbi mors crucis etſi diuerſa phraſi explicatur. Nam ex eo quod ſponte aſſumpta eſt, *Oblatus enim eſt quia ipſe voluit*, ait, ego aſcendam in palmam, ſed quia executio à Iudæis & militibus crucifigentibus facienda erat, non ait, ſi me exaltauero, ſed, ſi exaltatus fuero, nimirum ab inimicis meis. Duo autem fructuum genera refert, ad quæ reliqua diriguntur. Primum eſt, victoria contra diabolum principem huius mundi, deſtruendo idololatriam, peccatum, & mortem. Hunc autem palmæ fructum ſic perpendit D. Cyprianus; Aſcendiſti Domine in palmam; quia illud crucis tuæ lignum portendebat triumphum de diabolo, vel de principatibus, & poteſtatibus, & 2. Matt. 24. v. 42. Ioan. 12. v. 15 & 32. Serm. de Paſſione Chriſti. " "

" nequitiis ſpiritalibus victoriam : erantque in ma- A
" nibus tuis duo cornua, in quibus erat fortitudo
" tua abſcondita, & imperium tuum ſuper hume-
Abacuch. 3. v. 4. rum tuum. Tu ipſe patibuli tui baiulus hærebas ligno, quod tuleras, cuectionis & paſſionis anxietates ſuſtinens, & labores. Alludit D. Cyprianus ad locum Abacuch Prophetæ, *cornua in manibus eius*, quod de cornibus crucis intelligit, per quam Chriſtus victoriam obtinuit, quam mox ſubiungit, dicens : *Ante faciem eius ibit mors, egredietur diabolus ante pedes eius*: id eſt, tanquam victus fugiet à conſpectu eius. Nec inepte dicitur ante pedes eius, quoniam pedibus ſuis contriuit Chriſtus diaboli poteſtatem, iuxta id quod ſcriptum eſt: *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* Vbi iuxta textum Hebręum, & verſionem Serm. 2. in Natiu. Do. LXX, quam ſequuntur ſancti Greci, imò & D. Leo Papa, legendum eſt, *ipſum*, ſcilicet mulieris ſemen. Sed in idem recidit, quoniam B. Virgo Maria nonniſi per filium eius Chriſtum caput ſerpentis contriuit, qui quidem inſidiatus eſt calcaneo Chriſti, dum extremis vitæ illius ſe ingeſſit, & vſque ad mortem crucis perſecutus eſt, iuxta illud: Lucæ 22. v. 53. *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Sed licèt inſidiatus ſit, mordere non potuit, ſicut ipſe Saluator ait : *Venit ad me princeps mundi huius, & in me non habuit quicquam.* Tu, ô ſerpens (inquit Euche- Ioan. 14. v. 30. rius) ſupplantabis eum, vt moriatur, ille autem victor reſurget, & caput tuum conteret, ſicut & Da- Apud Lipomanum in Catena in Geneſ. C uid dixerat ex perſona patris ad filium: *Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem &* " *draconem.* Aſpidem dixit mortem, baſiliſcum pec- Pſal. 90. v. 13 catum, leonem Antichriſtum, draconem diabolum. Nec ſine myſterio priùs dicitur ipſa vel ipſum conteret caput tuum, & poſtea, & tu inſidiaberis calcaneo eius, ad inſinuandum quod Chriſtus Dominus ante mortem per voluntatem qua ſe Patri obtulit, ad illam obeundam, cœpit diaboli caput conterere, aut aduerbium &, ſicut mos eſt in Scriptura, ſolet vicem cauſæ obtinere, vt ſenſus ſit, ipſe conteret caput tuum, quia tu inſidiaberis calcaneo eius; calcaneo enim ſuo ac pedi- D bus ſuis te conculcabit, conteret, & comminuet, nam conſummatam victoriam per crucem adeptus eſt.

4. Hinc reducitur ſecundus fructus palmæ crucis, qui eſt collectio omnium hominum quos à diaboli tyrannide eripuit, & traxit ad ſeipſum, vt eum Iſa. 53. v. 10. per fidem agnoſcerent, colerent vt Deum, & ex toto corde diligerent, iuxta illud : *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.* Et iterum : *Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam.* Inter hos autem fructus computantur omnia ſpiritualia bona quæ Chriſtus largitur eis, quos ad ſe trahit : cuiuſmodi ſunt remiſſio peccatorum, elargitio gratiæ, omnium que virtutum, donorum, & cœleſtium benedictionum; inſpirationes Spiritus ſancti, diuerſa chariſmata, ac gratiæ gratis datæ, conſolationes ſpirituales, & duodecim illi fructus, quos Apoſtolus ſpiritus eſſe dicit: Sacramenta item, & reliqua omnia quæ inſtrumenta ſunt ad hæc dona impertienda : quidquid denique Chriſtus Dominus nobis promeruit, & ſuo ſanguine pro mundi redemptione effuſo acquiſiuit, fructus ſunt palmæ, quos in crucem aſcendens apprehendit, non tam ſibi quàm nobis, quia in noſtram cedebant vtilitatem. Verbum autem, apprehendit, laborem indicat præcedentem, quia non ſine labore magno cuncta hæc nobis acquiſiuit, iuxta illud : *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur.* Quid videbit? fructus palmæ, nec tantùm videbit, ſed apprehendet, comedet, incorporabit ſibi, ac ſaturabitur illis. Hinc deducitur cauſa cur Chriſtus D. non dixerit, *ſi exaltatus fuero à terra*, omnes homines, ſed; *omnia traham ad me ipſum*, vt comprehenderet omnes res creatas, etiam inſenſibiles, quæ hominibus conducunt ad ſalutem, & in hunc finem ſubiacent eius imperio, qui de ſe dixit : *Omnia mihi tradita ſunt à patre meo.* Quod ſic explicat D. Chryſoſtomus, omnia cœleſtia, terreſtria, & infernalia: Hom. 28. imperfecti in Matth. Cœleſtia, vt ſint in adiutorium terreſtribus : terreſtria, vt fiant imitatores cœleſtium : infernalia, " vt iam non expugnatione hominum proficiant, " ſed ad probationem ſanctorum. Similiter traxit " ad ſe virtutes, gratias, vitam, & mortem, diuitias & paupertatem, cunctaque proſpera, & aduerſa quæ propter Chriſtum diligentibus Deum cooperantur in bonum. Nos autem propter hæc, immenſas debemus illi agere gratias, dum tam moleſtum & terribilem fecit aſcenſum, vt tam dulces, proficuos, & honorificos nobis apprehenderet fructus. Iſai. 53. v. 12. Ioan. 12. v. 12. Matth. 11. v. 27.

De fructibus quos Chriſtus Dominus apprehendit etiam ſibi. §. 2.

PRÆTER commemoratos fructus, alios etiam apprehendit Chriſtus Dominus ſibi ipſi, quorum nos etiam participes eſſe poſſemus. Poſtquam enim corpus eius mortuum tanquam granum frumenti abſconditum ſub terra iacens in ſepulchro, tertia die reſurrexit à mortuis, merito ſuæ paſſionis, & ſanguinis in cruce fuſi, apprehendit ſibi gloriam corporis, & ſui nominis exaltationem, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: expoliato etiam inferno omnes animas ſanctorum patrum, tanquam ſuæ crucis fructus apprehendit ſibi, cum quibus palmam portans, & triumphum agens aſcendit in cœlum, vbi ſedet ad dexteram Patris, D plenam habens poteſtatem in cœlo & in terra, futurus ſuo tempore iudex viuorum & mortuorum, vt reddat vnicuique iuxta opera ſua. 1.

Hi autem fructus in noſtrum etiam maximum commodum refunduntur. Nam quo præceſſit gloria noſtri capitis, eo ſpes tendit myſtici corporis : & quia omnes cum illo reſurreximus, & aſcendimus in cœlos, eius bona acquiſiuimus, iuxta illud Apoſtoli, *Qui conuiuificauit, & conreſuſcitauit, & conſedere nos fecit in cœleſtibus in Chriſto.* Ad Epheſ. 2. v. 6. 2.

Ad apprehendendum autem hos fructus tam ſibi quàm nobis, oportebat Chriſtum Dominum in palmam crucis aſcendere, & in ea etiam mori, ſicut ipſe teſtatus eſt diſcipulis euntibus in Emaus, Lucæ 24. v. dicens: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare* 26. *in gloriam ſuam?* Pati vocat aſcendere in crucis palmam; intrare verò in gloriam ſuam, apprehendere fructus eius. Vtrumque autem oportuit, quia tam ſibi quàm nobis expediebat; & ideo vtrumque vocat gloriam ſuam; quia gloria noſtra gloria ſua eſt ob eiuſdem corporis myſtici vnitatem; & quia impenſe nos amat, ipſe intrat in gloriam cùm nos facit intrare. Sed quia duplex eſt gloria, altera animæ quæ beatitudo eſſentialis nuncupatur, altera corporis : prior in Chriſto non fuit fructus palmæ, ſed tantùm poſterior, de qua ſolùm intelligitur quod dixit diſcipulis. Pro nobis autem vtraque

fructus illius fuit. Quod ex discrimine inter filiũ naturalem,& adoptiuos facilè deducitur. Etenim sicut naturalis filius nullo modo sei ipsum alicuius filium facit,nec ab eius voluntate & electione dependet, sed à natura per generationem talem sortitus est patrem:sic etiam sine alio merito & proprio labore, vel industria,eo ipso quod filius est paternam sortitur hæreditatem. Filius autem adoptiuus multoties propria voluntate,& electione ac cooperatione hanc consequitur adoptionem, sicut D.Ioannes testatur cùm ait: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri iis qui credunt in nomine eius.* Non inquit fecit eos filios Dei, vel dedit fieri, sed dedit potestatem vt fierent,ad significandum quod non ex natura, sed ex gratia, nec ex sola fide qua credunt,sed ex voluntate etiam qua se disponunt ad baptismum,& illum recipiunt, hanc obtinent filiationem: vnde etiam proprio merito & labore, patris consequuntur hæreditatem. Christus ergo Dominus,quia filius Dei naturalis erat,& non adoptiuus iure hæreditario ex vi vnionis hypostaticæ obtinuit gloriam animæ in ipso fuæ conceptionis primo instanti,nec proprio indiguit merito,& labore,vt eam,quæ beatitudo essentialis est, consequeretur: quia tamen voluit quo ad reliqua fratribus suis seu filiis adoptiuis assimilari, dum corpus mortale assumpsit, ideo instar illorum proprio labore & merito suæ passionis partem acquisiuit hæreditatis cum intrauit in gloriam corporis, & cæteros fructus palmæ apprehendit sibi & nobis, vt nos qui filij sumus adoptiui, similiter pati,& in palmam crucis ascendere conaremur, si gloriam & fructuum apprehensionem voluerimus obtinere.

Duplex discrimen inter filium naturalem,& adoptiuum.

Ioan.1. v. 12.

D.Th.3.p.q. 19. art. 3. *Affirmat de facto nõ meruisse gloriã animæ.*

Hoc autem confirmat aliud discrimen inter hæredes hominum, & hæredes Dei.Illi enim non consequuntur hæreditatem nisi per mortem eorũ quorum hæredes sunt:nam per mortem testatoris ratum manet eius testamentum, & hæreditas in hæredes transfertur: viui ergo hæredes sunt mortuorum,è contra verò hęredes Dei,qui immortalis est,& semper viuens, hæreditatem non consequuntur,nisi ipsi prius moriantur, tum morte spiritali quæ fit per sui ipsius mortificationem, tum morte corporali,quia non sine dolotibus & afflictionibus præcedentibus anima separatur à corpore,& suorum meritorum ac laborum præmium recipit. Christus ergo etsi viuens gloriæ essentialis hæreditatẽ acceperit, quia filius naturalis erat Dei semper viuentis, tamen ad eam recipiendam exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, quod est quodam modo spiritali emori: vt autem reliquam reciperet hæreditatem,prius humiliauit semetipsum,factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis propter nos. Et ideo ait: oportebat Christũ pati, & ita intrare in gloriam suam; ascendereque in palmam,& in ea mori, & sic apprehendere fructus eius. Explicat hoc eleganter D.Ambrosius in illud Pauli: *Si filij & hæredes, hæredes quidem Dei,cohæredes autem Christi.* Cùm Deus Pater (inquit) nullomodo mortuus possit dici, Christus autem eius filius mortuus dicatur causa incarnationis, quid est vt hic qui mortuus est,semper viuentis hæres esse dicatur, cùm hęredes vtique nonnisi mortuorum sint? sed hæc causa humanitatis est. Nam apud Deum quæ apud nos hereditas dicitur,donum est patris in filios obedientes transfusum,vt viuus viuentis hæres sit merito proprio,non necessitate defuncti: Vt ergo promptos nos ad obediendum Deo Patri faceret, hac spe exhortatur dicens Dei nos futuros hæredes, cohęredes autem Christi: quomodo autem cohęredes Christi esse possumus,declarat dicens: *Si tamen compatimur, vt & glorificemur.* Compati autem est persecutiones tollerare propter spem futurorum, carnemque crucifigere cum vitiis & concupiscentiis,hoc est voluptates & pompas seculi spernere, &c. sic ille.

D. Ambros. in ad Rom. 8. v. 17.

Denique quis non miretur Christi lętitiam, quam hæc verba indicant,dum dirum in crucem ascensum vocat ascensum in palmam,ad colligendos dulces eius fructus,quod sibi valde dulce fuit & iucundum? Imo si hyperbolicè interpretari liceat prædicta verba: *Oportebat hæc pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* Ipsam passionem gloriam suam nuncupat, sicut alibi fecisse legimus. Vt aduerbium, *ita*, referat ipsum pari, quod est gloria sua;gloriabatur enim & gaudebat de sua passione. Vnde vehementer coarctabatur quamdiu ascensus iste differebatur: iuxta illud: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* Oportebat ergo eum pati, vt hanc sibi auferret coarctationem, & desiderata gloria, & gaudio potiretur: *Nam spes quæ differtur, affligit animam: desiderium veniens lignum vitæ.* Lignum autem vitæ Christo fuit crucis palma, cuius dulces fructus nouam & gloriosam vitam contulerunt illi, & nobis.

4.

Luc.12.v.50

Prou.13.v.12

De fructibus palmæ,qui sunt Eucharistia,& cętera in cruce gesta & dicta. §. 3.

Sed adhuc glorioſiora gesta Christi explicant sequentia verba: *& erunt vbera tua sicut botri vineæ,& odor oris tui sicut malorum.* Scimus enim Christum Dominum cùm dilexisset suos qui erant in hoc mundo, in finem dilexisse eos, sui erga nos materni amoris vehementiora exhibendo signa tum verbis,tum factis,vt ex eis constat quæ in nocte cœnę & sequenti die dixit, fecit, & passus est. Contemplare igitur primò eximiam illam charitatem qua virtute passionis mox futurę seipsum fecit fructum huius palmæ,cùm sacrosanctum instituit Eucharistiæ sacramentum & sacrificium,in quo ipsemet continetur & offertur in memoriam passionis & mortis ipsius. Vnde incruentum Missæ sacrificium est quasi quidam mysticus ascensus in palmam,memorativus alterius quo per sacrificium cruentum ascendit in palmam crucis, cuius est fructus præclarissimus, & iucundissimus omnium,quos ibi tulit & apprehendit sibi & nobis. Nam & ipse cùm illum instituit,etiam gustauit,& postea discipulis suis gustandum præbuit,dicens: *Accipite,& comedite,hoc est corpus meum,* &c. *& bibite,hic est sanguis meus.* Aprè autem hi fructus vocantur vbera tumentia sicut botrus vineæ,ob eximiam charitatem maternam quam Christus tunc ostendit nobis: nam tanquam piissima mater ita dilexit filios suos quòd propria carne,suoque sanguine nutriat eos. Peculiariter verò dicuntur botri vineæ,quoniam(vt notat Theodoretus) Christus est vera illa vitis, ex qua salutiferum vinum cõficitur spiritualibus prælis expressum, vnde calix impletur ille inebrians sanè pręclarus. Nec inepte dicere duplicis botri hic fieri mentionem,s. dactylorũ,& vuarũ vitis,vt significẽtur duæ partes Eucharistiæ, altera quæ sub specie panis carnẽ continet, & per botrum dactylorum significatur; altera verò in qua sub accidentibus vini sanguis latet, per botrum vitis. *Odor autem oris eius sicut malorum* dicitur; quia verba quibus Eucharistia con-

De Eucharistia. 1.

Mat.26.v. 26.

ficitur,& quidquid in ipsa est fragrantiam amoris spirant.

2. Sed vlterius mentis oculos eleua ad Christum super palmam crucis apprehendentem fructus qui generico nomine *Vbera sicut botri vineæ* nuncupantur; vbera enim sunt duo eius amores, vnde cuncta illa bona quæ nobis promeruit processerunt. Intumuerunt autem ibi vbera eius, quia in cruce maximè manifestatus est amor eius erga Deum patrem tanquam filius obediens vsque ad mortem,mortem autem crucis. Declaratus item est amor eius erga proximos, pro quibus moti non dedignatur. Ibi etiam *odor oris eius sicut malorum est*, quia verba quæ ab ore eius in cruce prodierunt,& oscula ac signa quæ ibi exteriùs protulit suæ dilectionis erga homines vtrumque spirant amorem, tantamque emittunt fragrantiam, vt omnes electos confirment, & ad se alliciant. Sunt enim velut fragrantia lilia distillantia myrrham,vt suo loco diximus. Christus denique crucifixus qui nunc palmæ assimilatur,superiùs comparatus est arbori malo, cuius fructus est gutturi dulcis:nam sicut palma crucis & victoriæ, ita malus crucis & amoris symbolum est, de quo pluribus exhortationibus in libro 4. egimus,circa illa verba: *Sicut malus inter ligna siluarum,sic dilectus meus inter filios sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus illius dulcis gutturi meo.*

Lib. 8. exh. 23.§.2.

Cant.2.v.3.

De ascensu nostro in crucem Christi per meditationem, & imitationem crucifixi. §. 4.

1. Sed iam iterum sponsæ hæc verba attribuamus noua interpretatione ex prædictis desumpta,præsupponendo duplicem esse ascensum nostrum in crucis palmam, vnum per meditationem;per operationem vel imitationem alterum.prior fit cogitatione & affectu, de quo Dauid ait: *ascensiones in corde suo disposuit*, id est firmo proposito cordis decreuit ascendere, & per cor suum eiusque actus ascensiones fecit. Qui ascendit autem videtur eleuare se supra se, & in altum scandere: vnde dicit hîc sponsa, sub vmbra palmæ sedi, sicut superiùs dixerat: *sub vmbra illius quem desideraueram sedi*, sed ascendam. Nã sicut sedere significat tranquillitatem mentis, ita ascendere progressum illius. Ascendit ergo vt omninò terrena tam cogitatione quàm affectu relinquat, & ad mysteria Christi contemplanda sursum perueniat. Qui ascendit autem palmam, per omnes eius partes ab imo vsque ad cacumen transit: sic vniuersa Christi vita, & mysteria ipsius percurrenda sunt, & quæ in ea passus est mente reuoluenda à conceptione in vtero virginis vsque ad mortem, & sepulturam in monte Caluario. Cogitatio autem & affectio, cordis pedes sunt quibus ascendimus, manus quibus apprehendimus fructus & ori applicamus; os, & dentes quibus conterimus, & deglutimur; vehiculum quo ad ventriculum animæ deferuntur, & quasi igneus calor vel nutrimentum ignei caloris quo concoquuntur vt perfecta fiat nutritio, & interior assimilatio, iuxta illud Pauli. *Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu.* Quasi in vosmetipsos transferentes sensum eorum quæ passus est pro vobis, vt eadem in vobismetipsis experiamini. In hoc autem ascensu apprehendendi sunt fructus ordine quodam, primò per cognitionem comprehendendo iuxta captum nostrum quæ in cruce Christus gessit, eaque recondendo in ventre memoriæ vt iugiter recordemur illorum, iuxta illud:

Pſal.83. v.6. De hoc in lib 4.exh. 27.§.3. dictum etiam est.

Ad Philip.2 v.5.

Recordare paupertatis & transgressionis meæ absinthij & fellis, memoria memor ero,& tabescet in me anima mea. Deinde apprehenduntur amore,adhærendo per dilectionem Christo crucifixo, vel ipsum intra cor nostrum collocando, vt sit tanquam fasciculus myrrhæ & bottus cypri, qui inter vbera nostra commoretur. Et tandem apprehenduntur imitatione, ea opera perficiendo quæ ipsum fecisse contemplamur. Tunc enim fit posterior ascensus,de quo Dauid, *Ibunt de virtute in virtutem.* Plurimæ enim virtutes in Christo crucifixo resplendent, quas simul apprehendere nequimus, & ideo oportet in ascensu progredi de virtute in virtutem, imitando modò vnam post aliam,modò vnum gradum perfectionis in vna, modò alterum in eadem. Frustraneus tamen erit prior ascensus, nisi aliquomodo desinat in secundum, vt meditatio imitationem pariat, & per vtramque fructus crucis apprehendatur & proprius fiat.

Thren.3. v. 19.

2. Tunc autem apprimè congruit piæ animæ: *Statura tua assimilata est palmæ, dixi ascendam*, &c. Tunc statura animę assimilatur perfectè palmæ cùm assimilatur Christo crucifixo, & cruci ipsius etiam similis efficitur, vtpotè cum ipso in cruce affixa,sicut dicebat Paulus; *Christo confixus sum cruci.* Hæc autem assimilatio potissimè est in tribus supradictis palmę insignibus, nimirum cùm in corpore nostro mortificationem Iesu Christi semper circumferimus, eiusque portamus stigmata, vel per afflictiones sponte assumptas, vel per tribulationes, dolores & ærumnas varias aliundè ex Dei permissione prouenientes, itaut possimus dicere cum Psalmista; *Quoniam propter te mortificamur tota die, facti sumus sicut oues occisionis.* In iis autem semper consertatur rectitudo mentis, & animi robur inuictum non cedendo tribulationibus, sed superando ipsas. Vnde Apostolus hęc referens subdit: *Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Et iterum, *in omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.* Et inde tandem dulcissimi proueniunt fructus quando tribulationes ipsæ per Christum dulces sunt, vt liceat dicere cum eodem Apostolo, *gloriamur in tribulationibus*: quomodo B. Andreas videns crucem exhilaratus est dulciter eam salutans.

2.

Ad Galat. 2 v.19.

2.Cor. 4. v. 10.

Ad Gal.6. v.17.

Psal.43.v.22 Ad Rom.8. v.37.

2. Cor.4. v.8.

Ad Rom.5. v.3.

Ad Gal.6.v. 14.

Nam sicut imago depicta in tabula, ex vna parte conspecta, ostentare solet horrendum monstrum, ex altera verò pulchram figuram: sic crux horribilis apparet vt est supplicium iniquorum, & vt corpori necem doloremque affert, vnde ab incredulis reputatur scandalum, & stultitia: at vt contacta est à Christo, & facta est via ad gloriosos eius fructus,& triumphos participandos, habetur vt palma,& alacriter ad illam ascendere cupimus,vt eius dulcedine perfruamur.

3

Cæterùm non sine mysterio nulla hic dulcedinis fit mentio. Non enim dicitur, apprehendam dulces fructus eius; vt scias in cruce Christi, seu in Christo crucifixo non esse quærendam dulcedinem, sed fructus solidarum virtutum & sanctorum operum, nulla habita ratione propriæ voluptatis & dulcedinis etiam spiritualis. Apprehendendi ergo sunt huiusmodi fructus, quos proprie & perfectissimè Christus crucifixus tunc protulit, nimirum vehemens dolor de peccatis, paupertas spiritus cum contemptu diuitiarum, humilitas & abiectio sui ipsius omni mundano honore posthabito, obedientia vsque

ad effusionem sanguinis, dilectio inimicorum, abnegatio carnalium voluptatum, etiam vsque ad gustum fellis & aceti, misericordia in proximos, & alia huiusmodi: ad hos autem fructus apprehendendos potissimè ordinatur ascensus in palmam.

1 2.q.70. ar.1. Confirmat hoc nomen fructus, quod iuxta D. Thomæ sententiam non refertur ad virtutum habitus, sed ad actus. Habitus enim quasi arbor est, actus verò fructus illius. Apprehensio verò per imitationem in actus tendit. Si enim placent tibi Christi virtutes, placeant & actus ab illis prodeuntes, & hos imitari satage; quoniam per humiliationes acquiritur virtus humilitatis, & per denudationem omnium paupertas spiritus, sicut etiam alij fructus quos Christus in cruce tulit apprehenduntur per operationes ad eorum apprehensionem destinatas; vt remissio peccatorum, & gratia per dignam præparationem & receptionem Sacramentorum, quibus huiusmodi fructus nobis applicare dignatur.

4. Sed cùm Christi Domini vita ab initio vsque ad finem fructifera valde fuerit, & in qualibet ætate fructus vberrimos tulerit, quos nos apprehendere possumus, & debemus, quare comparatur palmæ quæ dumtaxat in cacumine suos fert fructus? Duplici forte ex causa: prior quoniam omnes Christi actiones in ordine ad meritum, & satisfactionem ac redemptionem mundi comparantur per modum vnius, complenturque in passione ipsa cùm Christus Dominus dixit, *Consummatum est.* Vnde non censentur fructum suum tulisse vsque ad passionem, cùm granum frumenti quod cecidit in terram, & triginta tribus annis in ea permansit, tandem mortuum est in cruce, & tunc tulit fructum multum, qui fructus semper passioni & sanguini eius tribuitur. Et hinc sumitur posterior causa, quoniam à principio Christus Dominus fructificare cœpit per passionem suam quam semper præsentem habuit, & spiritualiter dolores, & angustias illius amarè gustauit. Propter quod Apostolis dixit, vt D. Marcus refert:

Marci 10 v. 38. *potestis bibere calicem quem ego bibo, & baptismo quo ego baptizor baptizari?* Cùm igitur ad contemplanda mysteria huius palmæ ascenderis, scito dum Christum iacentem in præsepio consideras, ibi ascensum facere posse ad eundem in cruce: nam ibi etiam calicem passionis bibebat, & parturiebat fructus qui plenè & perfectè in cruce pariendi erant.

Quomodo beatissima virgo assimilata sit palmæ crucis.
§. 5.

Ioa.19.v.25. Sed si hæc perfectè obtinere cupis, illustrissimum Deiparæ exemplum intuere, de qua dicitur: *Stabat iuxta crucem Iesu Maria mater eius.* Stabat autem corpore & animo erecta, filio crucifixo perfectissimè assimilari cupiens, vt merito in eam quadret: *Statura tua assimilata est palmæ*, ideo enim iuxta crucem non sedebat, sed stabat, quia instar filij cruci affixa erat, in eaque spiritaliter extenta, vbi suam ipsius animam (vt Simeon prænunciauerat) pertransiuit passionis gladius; pertransierunt & claui, eamque cruci affixerunt, vt statura ipsius imago esset crucis, & crucifixi effigies, vt posset dicere melius quàm Paulus Christo, confixa sum cruci. Ascendit igitur in palmam tum spiritu, cogitatione, & affectu, quia hoc sentiebat in seipsa quod & in Christo Iesu: tum operatione & sequela, quoniam mortificationem Iesu & stigmata eius in corpore suo ferebat, acerrimos enim corpus patiebatur dolores per redundantiam quandam ex amarissima sui spiritus afflictione, maximè cum etiam iniurias ac blasphemias aures eius percutientes tolerabat.

Sed quis enarrare sufficiat quos fructus in hoc ascensu apprehenderit ex ista palma? quam paupertatem spiritus & humilitatem? quam obedientiam & tolerantiam? quam misericordiam & charitatem? ipsi præ omnibus dicere licuit: *Ascendam in palmam, & tenebo cacumina eius.* Habet enim gradus cacumen palmæ. Sed Beatissima Deipara omnia tenuit cacumina, & omnium virtutum supremum gradum, quo nullus Christo inueniatur propinquior. Vnde tam vberes carpsit fructus, vt incredibilem progressum fecisse dicenda sit, meritoque tunc temporis admiratione & stupore quodam dicere possemus: *Quæ est ista* Cant.3.v.6. *quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Tota ibi quasi resoluta videtur in fumantem virgulam odoratissimam ab ardentissimo sui amoris igne, ex omnium virtutum aromatibus, quæ intra suum congesserat pectus, exhalatam. Fragrabat myrrha mortificationis & patientiæ, thus feruentissimæ orationis, & puluis contritionis, & humilitatis. Supra diximus loco virgulæ, alios legere *vt palmæ fumi*, vt vtraque similitudo magis cocat. Ascendit ergo hic fragrans fumus in palmę cacumen, contigit Christum crucifixum, cui valde gratus fuit vtpotè illi simillimus, qui totum se Deo patri offerebat in holocaustum in odorem suauitatis.

De vberibus virginis egimus, lib. 7. exhor. 18 § 4. & lib. 1. exhort. 20. num. 13. v. 25

Ex hoc autem ascensu sicut virgula fumi apprehendit Dei genitrix copiosos palmæ fructus, & sibi & nobis, intumuerunt enim vbera eius, *vt botri vineę*, tantoque diuini amoris musto repleta est, vt spiritaliter in torculari crucis proprium sanguinem fuderit, & martyrij palmam & præmium promeruerit. Facta enim sunt sicut vbera filij eius: qui botrus ille est quem filij Israël portauerunt in vecte, id est in cruce in signum fœcunditatis terræ sibi à Deo promissæ, de quo alibi dictum est.

Denique cùm palma simul symbolum sit crucis & victoriæ, seu præmij ac consequenter gloriæ cœlestis, ad quam per labores & tribulationes crucis peruenitur; tunc virginis *statura assimilata est palmæ*, cùm vtramque adepta est similitudinem, sicut enim Christus ita cruci fuit affixus, & tribulationibus secundùm inferiorem portionem animæ vexatus, vt tamen secundùm superiorem spiritus partem semper fuerit beatus & gloriosus, etsi hac gloria post resurrectionem suam plenè sit potius: sic etiam Deipara ita amplexabatur tribulationes, vt tamen cœlestes retineret virtutes, & mirabiles habuerit etiam in hac vita consolationes, sed copiosiores in fine illius, quando teste Nicephoro, Gabriel Angelus apparuit ei ramum Lib.2.c.21. palmæ secum ferens in signum victoriæ, superatique peccati & mortis, & eius super omnes cœlos exaltationis. Ad eundem autem modum perfectę cuiusque animæ statura in vtroque assimilatur palmæ, ex parte enim tribulationes amplexatur, & vitam agit ærumnis confectam, iugiter crucem baiulans, imò & in ea moriens, ex parte verò vitam degit cœlestem, & iucundam, cùm eius conuersatio in cœlis sit, & spe in cœlestem patriam erecta, cœlestes inde hauriat virtutes, & dulces diuinæ consolationis fructus. Vnde ex parte assimilatur Christo crucifixo, ex parte vero ei-

Cant.1.v.12 dem iam glorioso, vt simul sponsus illi sit fasciculus myrrhæ propter amaritudinem passionis, & botrus cypri propter spem & dulcedinem resurrectionis, quam etiam incipit degustare. Nam sicut inquit Apostolus, *Sicut abundant passiones*

2.Cor.1.v.5. *Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Vnde sit vbera ipsius esse sicut botri vineæ, id est sicut vbera ipsius Christi; cui in omnibus assimilantur, continentque amoris & sapientiæ plenitudinem ad nutriendos etiam alios: & odorem oris eius sicut malorum; quoniam Christi bonus odor est, Christum siue crucifixum, siue glorioſum prædicat, laudat & in operibus suis sicut in verbis præsentem affert, donec tandem vltimam assequatur palmam & victoriam, triumphans & regnans cum ipso in sæcula sæculorum. Amen.

EXHORTATIO XXI.

PRO FERIA ROGATIONVM. *De affectu orationis & deuotionis, ac de prædicatione Euangelicæ doctrinæ, quæ per vinum optimum designantur.*

v.9. **Gutturtuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus eius ad ruminandum.**

LAVDATIS vberibus, & ore, laudatur modò guttur, ac si laudans diceret, Vbera tua erunt mihi dulcia sicut botri vitis, odor oris tui sicut mala: guttur autem, id est odor halitus, qui à gutture tuo prodit, est sicut vinum optimum, dignum quod propinetur dilecto, & quod ipse labiis & dentibus ruminet illud, vt eius dulcedinem ampliùs gustet. Septuaginta Interp. vertunt *Guttur tuum sicut vinum bonum vadens in rectitudinem sufficiens labiis meis & dentibus*; id est recta via & directa tendit, satisfaciens & oblectans me cum labiis & dentibus illud accipio. Alij vertunt *Sicut vinum optimum faciens loqui labia dormientium*: quoniam vel sensu priuat vt loqui non sinat, nisi imperfectè, velut loquuntur dormientes: aut è conuerso faciens loqui etiam dormiētes & tardos: nam Fœcundi calices quem non fecêre disertum? Alij *Eructare faciens labia senum.* nam senes maximè vino gaudent. Quia verò in gutture officium est vocis seu locutionis, continetur etiam gustandi sensus, vnde sæpiùs pro palato vsurpatur, & asperam arteriam claudit, per quam respiramus; inde varias sortitur mysticas significationes.

Ita legionenses

De variis orandi modis qui hìc insinuantur.
§. 1.

Beda hanc innuit interpretationē 1. Ad Cor. 14.v.15. CREBRO diximus duplicem esse orandi modum, quem vocalem, & mentalem vocant, de quo Apostolus ait: *Orabo spiritu, orabo & mente.* Oratio verò quæ solo spiritu vocali seu lingua fit, arida est, & mens sine fructu manet. Nam etsi inuoluntaria mentis distractio non auferat meriti, vel impetrationis fructum ab oratione vocali, aufert tamen refectionem mentis, & spiritualem dulcedinem, quæ ex attentione ad ea quæ precamur peruenire solet. Hos igitur orandi modos connectit encomium istud, dum per guttur vocem orandi, per ruminationem verò actum mentis, qui meditatio est, insinuat; & gutturi attribui solent. Sic enim Psalmista de sanctis inquit: *Exaltationes Dei in gutture eorum.* Et Sapientia de se ait, *Aperientur labia mea vt recta prædicent:* Psal.149.v.6. *veritatem meditabitur guttur meum.* Huiusmodi autem guttur dicitur *sicut vinum optimum* quod colore, sapore, odore, ac fortitudine præstat, & Prou.8.v.7. sensus omnes delectat; colore visum quando in vitro flauescit; odore nares, & sapore gustum, toti verò corpori nutrimentum, cordi lætitiam ac robur confert. Talis est oratio quæ omnibus animæ internis sensibus iucundam affert refectionem. Nam, vt inquit D. Bernardus, orando bibitur vinum lætificans cor hominis: Vinum spi- Serm. 18 in cant. ritus quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit obliuionem, humectat interiora arentis „ conscientiæ, eícas bonorum operum digerit, & „ deducit per quædam animæ membra, fidem ro- „ borans, spem confortans, vegetans ordinansque „ charitatem, & impinguans mores. Hoc vinum „ crediderim spiritum esse deuotionis, cuius sunt commemorati effectus: & oratio bibit illud, vel impetrando à Deo, vel per meditationem quasi gignendo, & tunc guttur animæ hunc vini odorem efflat, hunc dulcem saporem retinet, & ad omnia virtutis opera promptam, hilarem, & fortem reddit. Et rectè vocatur vinum optimum, quoniam deuota oratio optimum reddit hominem, & optimis Dei donis replet dum impetrat omne datum optimum, & omne donum perfectum quod de sursum est, à Patre luminum descendens. Est autem *dignum dilecto meo ad potandum*, quia valde est Deo grata ac digna quæ sæpius offeratur illi, vt tali orationelætetur, iuxta illud Dauid: *Laudate Dominum quoniam bonus est* 2. *Psalmus, Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio.* Iucunda dicitur quæ fit animo hilari & prompto; Psal.146.v.1. decora autem quæ ex mundo & sancto corde procedit. Non enim grata est Deo oratio quæ à corde immundo, & quasi ex necessitate, non ex hilari volūtate procedit. *Auser* (inquit Dominus) *à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ* Amos.5.v. *non audiam.* Pulchrè (inquit D. Hieronymus) Can- 23. tica Leuitarum, quibus laudabant Deum, tumul- Ibidem „ tum vocat, sonitumque confusum, quia non est „ pulchra laudatio in ore peccatoris, & hæc quo- Eccles. 15.v. que idolis offerre consueuerant. Iudæorum quo- 9. „ que oratio & Psalmi quos in synagogis canunt, & „ hæreticorum composita laudatio tumultus est „ Domino, & vt ita dicam grunitus suis, & clamor asinorum. in Hebræo habetur: *Auser desuper me tumultum &c.* Quod videtur esse defatigati animi, & quasi magno onere grauati, iuxta id quod per Isai.1.v.14. Isaiam ait: *Calendas vestras & solemnitates vestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molestæ, & laborani sustinens.* Veluti molestum principi esset si propinaretur ei vinum turbidum, acidum, & fœtidum. Talis enim est oratio eius qui auertit aurem suam ne audiat legem, sed potius pertinaciter ei resistit, & ideo vocatur execrabilis.

Secus autem preces, laudes, & vota sponsæ, quæ Deo sunt iucunda & decora, atque digna quæ ipsi offerantur. Ait autem *dilecto meo*, vt insinuat preces ex amore ad dilectum procedere. Quidquid autem ex puro Dei amore procedit, gratum est illi, & dignè vocatur vinum optimum. Bonum quidem vinum est affectus compunctio-

nis, etsi ex timore procedat ex meditatione eorũ quæ ad terribilem Dei iustitiam & iram pertinent, iuxta illud, *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis*; at multò melius est vinum dilectionis, quæ foras mittit timorem, gratiorque est oratio quam hîc parit affectus, & promanat ex consideratione beneficiorum Dei, & mysteriorum Christi: sed vinum omnium optimum, est amoris affectus, & deprecatio ex speciali Spiritus Sancti infusione proueniens, in qua se habet anima quasi patiens diuina, nec tam se agit quàm agitur à Deo qui peculiaribus illustrationibus affectus, preces, ac meditationes excitat & componit, quæ dignæ sunt vt à dilecto acceptentur.

Psal. 59. v. 5.

Perfectæ orationis proprietates hic describi.
§. 2.

Alij *vadẽs in dilectum meũ recta.*

HIuiusmodi autem precis proprietates insignes per alias versiones explicantur amplius. Etenim cùm LXX vertunt. *Vadens in rectitudinem sufficiens labijs meis & dentibus*, hoc primo Psal. 142. v. 1 insinuatur perfectam orationem rectà tendere in Deum dilectum, sicut & Dauid ait: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Quemadmodum enim virgula fumi aromatici sursum ascendit gratum prębens odorem, sic oratio diuini amoris vino inflãmata ad Deum directè tendit vt ei placeat. Nam qui Deum orat, non propter ipsũ præcipuè, sed vt bona temporalia ei largiatur, vel à temporalibus malis eruat, oratio eius non vadit in rectitudinem, sed iam declinat ad dexteram, vel ad sinistram, cui dici potest; *Nescitis quid petatis.* Illa igitur oratio in rectitudinem vadit, per quam præcipuè Deus ipse petitur, & virtutes quibus colitur; virtutes enim rectitudines vocantur, sicut fusè diximus in libro secundo circa illud: *Recti diligunt te, aut rectitudines diligunt te.* Cant. 1. v. 3. Lib. 1. exhort. 16.

Deinde vinum dicitur sufficiens labiis & dentibus, quia perfecta oratio omnes animæ potẽtias satiat, & dulcedine quadam replet, tam potentias appetendi, quibus tanquam labiis osculamur, & acceptamus quæ diuinæ placent voluntati, quã facultates intelligendi, quibus tanquam dentibus quæ dura sunt, & ad cognoscendum difficilia ad esum spiritalem frangimus & molemus. Vnde bene addit vulgata nostra, *Ad ruminandum*: quoniam per vtrasque animæ facultates oratio mentalis perficitur, quæ ex affectibus & meditationibus conflatur, qui ruminat enim simul cibum conterit & gustat, & cum suauitate quadam intra os illud versat. Ambæ autem potentiæ concurrere debent, vt in meditatione exardescat ignis, & oratio ignea sit, & tanquam vinum optimum Deo offeratur.

Hinc oriuntur alia insignia orationis, quæ insinuantur alia versione, *Sicut vinum optimum faciens loqui labia dormientium*, vel *loquens labiis dormientis.* Adeò enim potens est vis deuotionis ex Dei inspiratione prouenientis, quæ optimum vinum dicitur, vt ipsos dormientes faciat eloquenter loqui, id est peccatores qui in peccatis suis dormiebant, aut pigros qui acediæ sopore tenebantur, excitet, & feruenter orare, & cum Deo loqui faciat. Nam vt D. Bernardus testatur, animæ lingua est deuotionis feruor. Eliguis verò anima est, atque infans, quæ hanc non habet, & nullatenus potest ei sermocinatio esse cum verbo. Sed id mirabilius, quòd cùm Dominus se gerit instar dormientis erga animam quæ tribulationibus concutitur, & ab hostibus vexatur, deuota oratio tendit rectà in Deum, & quasi dormientem excitat, & eum loqui facit, ac respondere petenti. Locutio enim Verbi diuini, vt idem Bernardus ait, est infusio doni, & elargitio eius quod petitur. Inebriatus enim Deus vino optimo deuotæ precis, quod ei propinatur, excitatur ad succurrendum afflictis, iuxta illud Psalmi: *Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino*: Excitatus autem dicitur à precibus populi ad ipsum fusis cùm à Philisteis esset oppressus. Psal. 77. v. 65.

Præterea de hoc optimo vino dicitur esse, *Dignum dilecto meo ad potandum.* Nomine autem dilecti possumus quemuis iustum intelligere, qui dilectus à Christo Domino vocatur: Maximè quia omnes electi sunt corpus Christi mysticum, & quod illis tribuitur, Christo Domino etiam attribui solet. Et è conuerso, vnde per hoc nomen ipse Dominus, aut Ecclesia eius sponsa omnes dilectos Dei intendit excitare ad huiusmodi guttur possidendum, quòd vino optimo possit comparari: id est ad perfectum orationis & deuotionis studium, & ad attentam mysteriorum cœlestium meditationem: quam non celeriter bibant, sicut qui vinum cito deglutit, sed tranquille & diuturne instar ruminantis intra os animæ detineant. Oportet enim semper orare, & nunquam deficere, & meditationem cordis nostri in conspectu Dei semper esse, nec sat est semel comedisse, sed sicut animal ruminans comestum cibum iterum in os reducit, vt dentibus amplius conterat, magisque palatum deguſtet; sic quæ semel meditatus est, & in memoriæ ventrem reposuit, iterum inde deducat, ruminet, ac perscrutetur nouas veritates, aut nouos spiritales sensus, & gustus quærens, vt eis amplius proficiat. Nam vt inquit D. Grégorius, quisquis bona quæ audit, vel legit non recogitat, vacans à sanctis cogitationibus, necessario immundas congregat. Et ideo animal non ruminans immundum in lege reputabatur. Transacto ergo orationis & lectionis tempore ruminanda sunt quæ ibi gustauimus, vt reliquiæ præcedentis cogitationis per ruminationem diem festum nobis agant. In hunc locum. Leuit. 11. v. 3

Hoc autem maximè necessarium est senibus, de quibus alia translatio dicit, *Ructare faciens labia senum.* Qui enim in vita spiritali senescunt, siue noxio senio, quod est animæ tepiditas & debilitas, siue venerabili senectute, quæ perfectorum est propria, feruentiori indigent oratione. Illi, propter maiorem suam indigentiam, isti verò propter præcellentius munus, quod in Ecclesia gerunt. Spiritus autem deuotionis vtrorumque labia commouet, vt dignè cum Deo in oratione loquantur: ipsis autem etiam est decora, iucundaque laudatio, & dulce valde orationis studium, sicuti dulce est vinum spiritus, gustus, ac ruminatio ipsius. Vnde quod suprà dicitur de sponso; *Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.* Seu ipsa suauitas, & desiderium, nunc de sponsa affirmatur sub metaphora vini optimi, quod suauissimum est, & à senibus maximè desideratur, atque à tristibus & afflictis, vt per illud lætitiam obtineant, & consolationem in Domino: vnde Daniel ab Angelo vocatus est *vir desideriorum*, quia totus desideriis, & orationibus deditus erat, & quasi ex illis iugiter viuebat. Nec desideria cessabant vnquam, sed amplius desiderabat desiderare, & hoc desiderium est quod Dominus exaudit. Diximus plura de hoc in illud *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Cant. 5. v. 16. Dan. 9. v. 17.

Hinc etiam fit guttur alia ratione vocari vinum optimum propter halitum, & respirationẽ, quæ odorem optimi vini refert, sicut suprà dixerat, *Odor oris tui sicut malorum.* Per halitus verò & respirationes non incongrue intelligemus orationes quas vocant iaculatorias, & flammigeras, quę subitò, breuiter, & feruenter ex præcordiis diuini amoris igne inflammaris procedunt, & suspiriis ac gemitibus sociari solent, ad trahendum nouum refrigerantem Spiritus Sancti aërem, qui ita refrigeret concupiscentias carnis, vt amplius inflammet affectiones spiritus. Sicut autem frequens est respiratio corporis, ita frequens deberet esse huiusmodi respiratio animæ; ita tamen vt odorata sit instar malorum, & vini optimi: nam qui tam precioſis, ac suauibus spiritus cibis & potibus refecti sunt, frequentius hos odoriferos halitus ad Deum emittunt, qui tamen ei valde placent.

De Eucharistia *Philo Carpatius de Eucharistia explicat, sed alio modo* Vide supra Lib. 6. Exhort. 17. §. 2.

Nec displicet hæc de odore oris, & gutturis sicut malum & vinum, ad sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum aptare. Quod mali pomo, & vino optimo propter duas partes Sacramenti comparatur. Et qui eo frequenter reficitur, eructat & efflat odorem sicut malorum, & sicut vini optimi; nimirum affectus, preces, & verba eius qui tanto Sacramento pascitur, digna; aut potius quæ digna sunt vt dilecto, ipsi s. Christo apponantur, quia maximè illis delectatur; & cœnat nobiscum sicut nos cœnamus cum illo; ille per affectus & orationes quas nos ei fundimus, nos per gratias, & dona quæ infundit nobis. Idem ergo est, *Guttur tuum sicut vinum optimum*, id est tuum palatum, & gustus animæ purificatus est suauis & odoratus, sicut vinum optimum Eucharistiæ tibi exhibitum, quod est vinum germinans virgines, & animas ab omnibus terrenis vitiis defœcatas. Hoc autem vinum tantùm *est dignum dilecto meo ad potandum*, quia solum digni sunt illud potare qui dilecti sunt à Christo, ac iusti sunt per gratiam, iuxta illud: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Non est autem bibendum festinanter, sed ruminando illud, & tranquille considerando cuncta quæ continet, vt suauitatem eius gustare valeamus. Pluribus rationibus hæc alibi confirmata sunt. 1. Cor. 11. v. 28.

De Prædicatoribus qui guttur Ecclesiæ dicuntur.
§. 3.

D. Greg. Anselmus, Beda, Cassiodor.

IAM hæc verba de prælatis & doctoribus, seu concionatoribus Ecclesiæ cum reliquis patribus interpretemur; vt sicut suprà dicitur labia esse fauum distillantis mel & lac, vel distillantia myrrham primam: ita guttur destillet vinum optimum. Vocantur autem guttur quarenus per illos verbum Dei doctrinaque Euangelica qua intus pleni sunt, prædicatur: Quæ vino optimo comparatur, de quo in figura dictum est architriclino, *Seruasti bonum vinum vsque adhuc.* Vinum enim legis veteris adueniente Christo defecit, sicut defecerat vinum in nuptiis; cuius loco, aliud multo præstantius Christus Dominus contuitus prębuit per doctrinam dilectionis quam nobis in Euangelio tradidit. Hoc vino repleta sunt Apostolorum guttura in die Pentecostes per infusionem Spiritus Sancti, vnde prædicare cœperunt tanto animi feruore, vt ipsos audientes etiam inebriarent, & cuiuscumque alterius vini, siue mundani & carnalis, siue legis veteris, obliuisci fecerint. Istorum ergo prædicatio, & feruida Euangelij promulgatio, optimum vinum est dignum dilecto meo ad potandum, quia Christus Dominus maxime complacet in illa, & vehementer lætatur quoties sua mysteria digne prædicare audit, vel de eis dignè loqui, iuxta illud Salomonis: *Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum, & exultabunt renes mei cùm locuta fuerint recta labia tua.* Vbi duo Deus Pater exigit à filiis suis, nempe vt corde recta sapiant, & concipiant, deinde vt recta etiam verbis loquantur. Hoc fideles præstant per rectam & perfectam fidem. Nam *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Cæterum prędicatores abundantius hæc implent, dum intus pleni sunt sapientia à diuino spiritu inspirata, quæ cuncta Sacræ Scripturæ arcana perscrutatur, & ex illis sibi spirituale & sapidum nutrimentum sumunt. Deinde verò recta prædicant populo, cui ex abundantia cordis feruenter euangelica mandata & consilia annunciant. Tunc autem ipse Deus gaudet cum illis, & lætatur valde, quasi ipse bibat vinum quod fidelibus suis propinatur: & huius gaudij magnitudinem explicat, per hoc quod ait, *Gaudebit os meum, & exultabunt renes mei*: id est, omnibus modis valde gaudebo tecum, nam tuo profectu, & proximorum lucro maximè delectabor. Ita D. Gregorius. Prou 23. v. 15. ad Rom. 10. v. 10.

Aliter amplificat Cassiodorus hoc encomium, sic partiens illud, vt Christus Ecclesiam laudet, dicens, *Guttur tuum vinum optimum.* Respondet ipsa, optimum quidem, quia à te procedit, & tuum est: sed doctrina hæc quam gutturi meo propalandum tradidisti, digna erat vt à dilecto meo prædicaretur, & propinaretur omnibus: Sublimis doctrina sublimissimum exigebat doctorem & prædicatorem; cæterùm commissa est iis qui labia sunt & dentes ipsius, nimirum Euangelici operarij, & ministri, vt illam ruminent, percipiant, ac gustent, ac ita aliis propinent & tradant: ad modum quo Moyses cùm Dominus eum mitteret ad Pharaonem, dixit ei: *Obsecro Domine, mitte quem missurus es.* Ac si diceret (vt plures Patres interpretantur) tam ingens opus ac est populi Israelitici liberatio ab Ægypto dignum est dilecto meo. Mitte ergo Messiam filium tuum quem missurus es, vt perficiat illud; noluit tamen Deus id tunc præstare, sed Moysi & Aaron, qui labia & dentes eius erant, id committere. Exod. 4. v. 13. Cyrillus Rupertus apud Lipomanum in Catena. 3.

Sed quoniam scriptum est, *Nolite sanctum dare canibus, nec mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos*; ideò etiam hîc dicitur guttur prædicatorum esse sicut vinum optimum dignum dilecto meo ad potandum, id est dignum quod à solo dilecto, seu congregatione dilectorum à Deo potetur, indignum enim est vt tribuatur iis qui canes & porci nuncupantur; seu iis qui vinum effundent, & pessumdabunt, doctrinamque Euangelicam contemnent, & conculcabunt. Vniuersim tamen omnibus infidelibus & peccatoribus quandiu non cognoscuntur obstinati, prædicandum est Euangelium: tamen non omnes recipient, nisi qui digni sunt, id est Matth. 7. v. 6. Ioan. 2. v. 10

bene dispositi: quo sensu incuit Dominus Apostolis pacem prædicantibus, *Siquidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos.* (Matth. 10. v. 13.) Idem autem est re ipsa digna, & dilecta, vt hîc vsurpatur. Dilecti enim generali ratione dicuntur ij, quorum Deus tangit corda, vt intendant prædicationi fidei, & qui præordinati sunt, & vocati vt ipsam audiant, & recipiant, ad Deique dilectionem aspirent: vnde labiis & dentibus ruminant doctrinam quam audiunt, vt eius veritatem & dulcedinem percipiant, eaque nutriantur & increscant.

4. *Quæ doctrina dicatur vinum optimum.*

Aduertant tandem concionatores guttur suum debere esse sicut vinum optimum, vt discant quam debeant prædicare doctrinam, ne scilicet sit vinum corruptum, & acidum, erroribus aliquibus permixtum; nec etiam vinum lymphatum, tanta mundanæ ac prophanæ sapientiæ aqua delibutum, vt parum sacræ Scripturæ, ac eius puri vini retineat. Non sit turbidum, obscuris rationibus implexum, & ænigmatibus obscuratum: nec etiam sit vinum omninò nouum, relicto vetere, quod melius est, id est, ne nouis opinionibus hæreant, antiquis contemptis, quæ sanctorum Patrum sunt auctoritate probatæ. Sit ergo doctrina vinum optimum, purum, splendidum, & iucundum, quod populum distinctè veritatem doceat, à malis præseruet, mentem exhilaret, & reficiat. Nec sat est vinum optimum proponere, nisi optimo proponatur modo, quem præscribit Apostolus, cùm ait, *Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.* (2. Cor. 2. v. 17.) Crediderim Apostolum non sine lacrymis dixisse, plurimos esse adulterantes verbum Dei, & corrumpentes illud, prauisque suis opinionibus & conceptibus permiscentes, eo quòd tanquam adulteri non quærunt per prædicationem Christo filios generare, sed propriam gloriam, & delectationem, ac lucrum aucupari: sicut ebrij, qui optimum vinum potant, non vt eo nutriantur, & roborentur ad operandum, sed tantùm ob propriam voluptatem. Non sic Apostoli, qui spiritu Dei repleti erant, & vinum optimum doctrinæ optimo modo propinabant ex sinceritate, vt soli Deo placerent, eius illustratione acti, & instructi, ipsiusque intuentes præsentiam, vt suæ doctrinæ testis esset, quæ tota erat de Christo, eius mysteria & magnalia hominibus annunciantes, vt non seipsos prædicarent, sed Christum eo animo vt multos ei filios spiritales parerent, qui ei iugiter famularentur, per quos eius dilataretur fides, religio propagaretur, & incresceret gloria in sæcula sæculorum.

Amen.

EXHORTATIO XXII.

De multiplici, mirabilique conuersione Dei ad Ecclesiam, & animam piam quæ se totam ei tradit.

Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. V. 10.

INGENVA sponsæ confessio filum encomiorum abrumpentis per hæc verba; *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius*: ac si diceret adolescétulis; Vt quid me tot laudibus extollitis? ego tota sum dilecti mei; si quid boni in me est, aut dignum laude, ab ipso recepi; ipsi sit honor, laus, & benedictio, cuius tam benigna est erga me charitas, vt ad me sit conuersio eius, seque totum ad me conuertit, vt nouis me donis cumulet, per quæ iterum in ipso laudari valeam. (De hoc versu lib. 5. Exhort. 36. & lib. 8. Exh 30.)

Nec solùm actus est humilitatis confessio ista, sed & gratitudinis ob accepta dona, & laudes, quas à suo audierat dilecto, si coniunctio illa, &, causam reddat eius quod præcessit, sicut sæpiùs fit in Scriptura; ac si dicat: Ego totam me trado dilecto meo, quia ad me fuit conuersio eius, & miris me affecit beneficiis. Ille me præuenit, ille priùs se conuertit ad me, vt ego me conuerterem ad illum: ille priùs vocauit, & instanter dixit, *Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Ideoque ego ad ipsum reuertor, quia ipse conuersus est ad me, vt me traheret ad se. Dixerat tandem paulò antè, *Guttur tuum sicut vinum optimum dignum dilecto meo, ad potandum.* Sed quid ipsa ait? Guttur, & statura, & quidquid in me est, & ego ipsa sola dilecto meo tradita sum, vtinam digna sim in qua ipse complaceat. Sed adeò ille bonus est, vt ad me sit conuersio eius.

§. 1.

OBseruat D. Ambrosius tribus vicibus à sponsa verba ista repetita esse in hoc cantico, iuxta triplicem eius statum, inchoationis, profectus, & perfectionis. (Lib. de Isa. c. 8.) Primò enim in cap. 2 ait, *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* quia in prima institutione adhuc vmbras videt anima, necdum verbi appropinquantis reuelatione commotas, & ideò adhuc ei dies euangelij non effulgebat. Deinde in cap. 6 ait: *Ego dilecto meo, & ille mihi, qui pascitur inter lilia.* quia in profectu sine vmbrarum confusione odores pios carpit. Tandem hic ait: *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius*: nam iam perfecta requiem in se verbo ministrat, vt conuertatur super eam, & caput suum reclinet, atque requiescat. Cæterùm sententia ista, *& ad me conuersio eius*, ad omnes status referri potest; idem enim est, ac si dicat, & vicem rependit mihi, vt sicut ego sum illi, ita ipse sit mihi. Quod anteà dixerat, *dilectus meus mihi, & ego illi.* Quamuis enim semper gratia Dei animam præueniat, tamen iuxta modum quo ipsa se tradit & vnit Deo, est conuersio Dei ad ipsam, & Deus se tradit & vnit illi, iuxta illud Psalmi, *Cum sancto sanctus eris, cum viro innocente innocens eris, cum electo electus eris, & cum* Psal. 17. v. 26

peruerso peruerteris, id est, talem te erga vnumquémque geres, qualem seipse gesserit erga te. Per sanctum autem, innocentem, & electum, tres iustorum ordines intelligere possumus, quos D. Ambrosius retulit vt sancti dicantur qui à peccatis per pœnitentiam sanctificantur; innocentes, qui adhuc innocentiam seruant, & in bonis proficiunt: Electi verò qui perfecti sunt. Vnde alia translatio habet, *cum perfecto perfectus eris*: rependens vnicuique vicem: & fauores ac gratias iuxta ipsorum dispositionem vnicuique tribuens: & quo vnusquisque tecum liberalior est, eo te liberaliorem experietur largitorem; & quo vehementiùs se ad te conuerterit, eo tu amicabiliùs conuerteris ad ipsum, vt quod peccatoribus ait: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* (Zach. 1. v. 3.) Ad omnes etiam iustos possit extendi; nam qui semel conuersus est, adhuc potest ampliùs conuerti, & tunc amplior etiam erit conuersio Dei ad ipsum, vt eum ampliùs diligat, auxilietur, & benefaciat, ac se amicabiliùs ei vniat. Sed timendum est valde quòd Psaltes addidit, *cum peruerso peruerteris*, id est seuerè ages inuertendo propensionem quam habes ad miserendum, acriter puniendo illum, sicut in Leuitico Israëlitis dixerat: *Si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contra vos aduersus incedam, & percutiam vos septies propter peccata vestra.* (Leuit. 26. v. 23.)

Rectè ergo sponsa nolens diram experiri Dei vindictam, sed potiùs benignam ipsius misericordiam, ingenuè ait; *ego dilecto meo*: Et quid inde? *& ad me conuersio eius.* Quia talis erit mihi, qualis ego illi: & consultò in hac oratione non apponitur verbum, est, vel, fuit, aut, erit, quia tria hæc tempora ambit, & conuersio eius fuit, est, & erit ad me: omni enim tempore, ac variis & mirabilibus modis se Deus conuertit ad sponsam suam, siue Ecclesia sit, siue sancta anima, quæ se totam eius obsequio & famulatui tradit. Hos autem modos breuiter percurremus, ab iis, qui communiores sunt pluribus, inchoantes.

2.

1. *De Incarnatione Domini.* (Ita Cassiodorus, Beda, & Apponius.)

PRIMA igitur conuersio Dei ad sponsam fuit per assumptionem carnis mortalis, in qua nostras ærumnas suscipiens, pro nobis mori dignatus est. Dixerat paulò antè: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius*: id est, veniam in mundum homo factus, & ascendam in palmam crucis, vt fructus mortis meæ in illa apprehendam, & inter homines distribuam. Audit hoc antiqua sponsa, & gratum suum animum simul & fidum ostendens, ait: *ego dilecto meo*, id est, perpetuo eius obsequio me tradam. Expecto autem quod *ad me conuersio eius*, quia sicut ego per amorem me vnio & trado illi, ita ipse per assumptionem carnis se vniet, & tradet mihi. Quod præstitisse docet Diuus Paulus illis verbis; *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret.* (Ad Ephes. 5. v. 25.) Hæc autem traditio primò quidem fuit ad mortem, vt eam sanctificaret, & sic assumeret in sponsam, seque illi traderet in sponsum, sicut in connubiis mutua est inter coniuges traditio, vt vir vxori, vxorque se tradat viro, sintque duo in carne vna: quod sacramentum magnum est. *Ego autem* (ait Paulus) *dico in Christo & Ecclesia*, quod nomen conuersionis insinuare videtur. Conuersio enim si ad vocem Hebræam respicias, significat vel appetitum, & desiderium eius erga alium, vel propensionem parendi illi, vel accurrendi ad illum. Primum indicat mutuum amorem, secundum quandam spontaneam subiectionem. Vnde cùm dixit Dominus mulieri, *sub viri potestate eris*; (Gen. 3. v. 16.) vbi idem verbum Hebræum habetur, quod Septuaginta Interpretes vertunt, *Ad virum tuum conuersio tua*: quia sponte teipsam illi trades, & subiicies, *Et ipse dominabitur tui.* In quo excessus viri super vxorem designatur, etsi mutata sit inter vtrumque traditio, & vterque vna sit caro; sponsa autem quæ immensam Dei charitatem nouerat, quod vxori tribuitur, ipsi sponso attribuit, ac si dicat, adeò se ipsum demittet, quod ad me sit conuersio eius; quasi sponte se mihi subiiciens, & permittens vt quodam modo ego dominarer illius. Præsciebat enim spiritu prophetico quid Christus facturus esset pro ea adueniens in mundum, formam serui accipiens vt sponsæ suæ ministraret, iuxta illud, *Ego sum in medio vestri sicut qui ministrat, & filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* (Lucæ 22. v. 27. Math. 20. v. 28.) Deinde semetipsum tradidit voluntati synagogæ, quę non vt sponsa, sed vt adultera per infideles filios tyrannicam in eo exercuit potestatem. *Ille quidem oblatus est quia ipse voluit, & sponte tradidit in mortem animam suam.* (Isai. 53. v. 7. & 12.) Illi verò fecerunt in eum quæcumque voluerunt, crucifigentes eum, sed eius morte confirmata est desponsatio cum legitima sponsa Ecclesia, quæ de eius latere in cruce aperto, merito sanguinis ipsius fabricata est. Quod probè agnoscens modò ait: *Ego dilecto meo* me totam trado: *& ad me conuersio eius*, quia ipse conuersus est ad me, & dilexit me, (Ad Gal. 2. v. 20.) ac tradidit semetipsum pro me in mortem, vt traderet se mihi in sponsum: si autem ad me conuersio eius, quid non tradet mihi? quod non accipiam ab illo? *Qui enim proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* (Ad Rom. 8. v. 12.) Et tu ergo qui huius conuersionis, ac traditionis Christi particeps esse potes, dicito ex toto corde tuo, *Ego dilecto meo*: quia ad te fuit conuersio eius per incarnationem, & passionem, & quia certissimè erit etiam per desponsationem, tradendo se totum tibi, si te totum tradideris illi. Plura de hoc puncto dicta sunt in libro V. circa illud: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* (Lib. 5 exhort. 36.)

2. *De Eucharistia.*

Sed non minùs mirabilis secunda Dei conuersio ad sponsam per sacratissimam Eucharistiam, in qua stupendo quodam modo se Christus Dominus tradidit voluntati, & potestati Ecclesiæ, ac subiecit illi, vt quoties verba consecrationis per legitimos sacerdotes proferret, obedienti Deo voci hominis, (Iosue 10. v. 14.) mox sub accidentibus panis & vini se constitueret, & quò ipsa vellet eum deferret, imo & manducaret, ac biberet, & sibi spiritualiter vniret. vbi duplex intercedit conuersio, altera panis in carnem, & vini in sanguinem Christi; altera animæ Sacramentum manducantis & bibentis in ipsummet Christum, vt illa maneat in eo, & ipse in illa. (Ioa. 6. v. 5.) Cùm igitur sponsa audisset præcedentes laudes: *Odor oris tui sicut malorum punicorum, & guttur tuum sicut vinum optimum.* Quod ad partes Eucharistiæ quam degustabat referri posse diximus: nunc hilariter ait: *Ego dilecto meo* omnino me trado, vt sim ipsius, & ipse se tradet mihi in cibum & potum, per quod ipse sit etiam meus. & quid magis meum quàm panis quem comedo, & vinum quod bibo, & in me commuto? Ac ego

non muto hunc panem viuum in me, sed potiùs ille me mutat in se; ita tamen quod ego maneam in illo, & ille in me: ego vnita illi, & ille mihi. Vnde cùm hæc verba bis retulit sponsa in superioribus, addidit, *qui pascitur inter lilia*, quæ ad pastum Eucharistiæ suo loco etiam retulimus. Libro 5. exhort. 37. §. 3. 3.

Sed alias peculiares Dei conuersiones ad animam perpendamus; cùm enim ipsa se totam tradit illi per amorem, ipse se totum conuertit ad gerendum curam illius. nam vt docet D. Dionysius, diuinus amor, amatores sui iuris esse non sinit, sed in ea quæ amant penitus transfert: idque indicant superiora quidem quæ inferiorum se se prouidentiæ deuouerunt: inferiora verò, quia ad prima diuiniore conuersione contendunt. Cùm igitur anima se tota ad Deum conuertit vt illi obsequatur, Deus se totum ad eam etiam conuertit, vt ei prouideat, & cunctorum, quæ ad ipsam spectant, curam gerat. Et hæc eximia est animæ in hac peregrinatione consolatio, quam omnibus aliis laudibus præfert. nam à paterna Dei prouidentia & solicitudine sub qua constituitur, cuncta bona, tam corporis, quàm spiritus sibi prouenire dignoscit: cùm dixerit Dauid: *Dominus regit me, nihil mihi deerit.* c. 4. de diuin. nomin. Psal. 22. v. 1.

Cùm igitur tot se laudibus exaltatam audiret, quasi illarum oblita, ait: Hoc vnum cupio, & præ omnibus æstimo, quod ego sim tota dilecti mei. vnde enim scio quod ad me erit conuersio eius, & sicut ego curam gero obsequendi illi, ita ipse in omnibus curam geret prouidendi mihi, vt nihil mihi desit laude dignum, quia *inquirentes Dominum non deficient omni bono*: Et de sapientia diuina dicitur: *Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, & in uijs ostendit se ipsis hilariter, & in omni prouidentia occurret illis.* Plura de hoc superius circa similem sententiam dicta sunt. Sap. 6. v. 17. Lib. 5. exhort 36. §. 4. & 5.

Hinc alij hæc verba interpretantur de conuersione Dei ad exaudiendas celeriter orationes animæ quæ se totam tradit illi. Mox enim vt eum inuocat, faciem suam conuertit ad ipsam, vt quod petit faciat, iuxta illud Isaiæ: *Ad vocem clamoris tui statim vt audierit, respondebit tibi.* Et iterum, *Adhuc illis loquentibus dicam, ecce adsum*: vt videatur Deus instar ministri esse, qui paratus est voci hominis obedire; ex nimio enim amore erga animam se quodam modo illi submittit, vt quæ ipsa vult, & petit, mox ipse exequatur: *nam voluntatem timentium se faciet*; quanto magis amantium, & se illi per amorem tradentium. Quare omnis nostra solicitudo in eo debet esse, vt nos Deo tradamus. In hoc enim vno omnia nostra bona continentur, quæ sine dubio consequemur orantes ad ipsum à quo procedunt: ideoque dixit Dauid: *Subditus esto Domino, & ora eum.* Et clariùs D. Paulus, cùm dixisset, *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*: intelligens per modestiam, morum optimam compositionem iuxta voluntatem Dei; subdit, *Nihil soliciti sitis*, id est, non est vobis alia solicitudo necessaria quàm orandi; *sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Ipse enim exaudiet vos, qui ait: *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.* immo per Isaiam ait: *Erit antequam clament, ego exaudiam.* Scit enim dilectissimus sponsus quidquid sponsæ suæ deest, & illa iure petere potest, & ex amore quo eam prosequitur, etiam non petenti cuncta largitur. Iustus Orgelitanus. Isai. 30. v 19 & c. 65. v. 24. Psal. 144. v. 19. Psal. 36. v. 7. Ad Philip. 4. v. 5. Matth 11. v. 24. Isai. 65. v. 24.

Post hæc sequitur vltima conuersio Dei ad remunerandam animam quæ eius se tradit obsequio, tum in hoc sæculo hilarem vultum suum illi ostendens, tum in futuro clarè detegens faciem suam, cuius visione satietur. Conuersio enim ista iuxta communiorem Patrum interpretationem, dulcissimam Dei visitationem significat, qua animam sibi obsequentem consolatur, instruit, accendit, & mirabilibus gratiis & donis ditat: ac si sponsa dicat: Ego dilecto meo obedire curabo, & placere, iugiterque per amorem adhærere illi, ipse verò se conuertet vt me visiter, consoletur, & suis donis repleat; vel vt D. Gregorius inquit: Quoniam fide & dilectione soli Christo adhæreo, solum sequor, solum cum Patre & Spiritu Sancto vnum Deum videre concupisco: respectionis eius suauitatem, visitationis benignitatem, & conuersationis dulcedinem gaudenter experior. Si igitur tot, tam ingentiaque bona experiri desideras, solus Christus sit tibi dilectus, & nihil illi aduersum admittas; ei soli semper adhærere cures, & tunc ad te erit conuersio eius omni tempore, & in sæcula sæculorum, amen. Cætera videantur in locis citatis. Philo Carpatius.

EXHORTATIO XXIII.

De studio, & desiderio perfectæ contemplationis, & præcipuis eius insignibus, & fructibus.

PRO FESTO S. BARTHOLOMÆI, in illud: *Exiit in montem orare, & erat per noctem in oratione Dei. Et cùm factus esset dies &c.*

Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis: mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica, ibi dabo tibi vbera mea.

PROPONITVR nobis ingens, vehemensque sponsę sed iungenda est desiderium duplex, quo certo testatur quàm ex corde dixerit, *ego dilecto meo*, scilicet me totam tradidi, trado, & perpetuò tradam eius obsequio & famulatui; exercendo nimirum præcellentissimam illam vitam, quę partim Deo soli vacat, omnibus aliis relictis, partim verò ad ipsius gloriam proximorum incumbit saluti. Sicut sponsus ipse Christus, qui, teste D. Luca, in montibus *erat pernoctans in oratione. cùm autem dies factus esset*, descendebat vt turbas doceret in loco campestri. Vtrumque autem, id est secessum in solitaria loca ad orandum, & regressum in opida ad docendum inuitat sponsa dilectum suum. Ad primum cùm ait, *Veni, egrediamur in agrum.* ad secundum cùm inquit, *Commoremur in villis, manè surgamus ad vineas*, &c. Cæterùm verius puto eisdem verbis vtrumque designari, ea enim est sacræ Scripturæ, vtpote à Spiritu sancto dicta fœlicissima vbertas, vt eadem metaphora explicet, & connectat ministeria quæ inter se dissidere videbantur. Primo igitur perfectionem orationis & contemplationis, quæ his verbis describitur propalemus. Quatuor autem aut quinque insinuantur quę perfecta exigit contemplatio, & his quinque verbis continentur, egredi, commorari, surgere, videre, & dare vbera, quibus tamen præcedit oratio, seu deprecatio quædam, quam significat verbum illud *veni dilecte mi.* *In oratione Dei. Et cùm factus esset dies &c.* Luc. 6. v. 12.

De bi

De his quæ præcedunt & disponunt ad contemplationem. §. 1.

1. AD horum autem intelligentiam aduertere oportet contemplationem Dei, ac mysteriorum eius profundam meditationem, simul esse Dei opus & nostrum, sed prius Dei excitantis, & vocantis nos, sine cuius excitatione & vocatione nihil agere possemus. Vnde priusquam sponsa diceret, *Veni dilecte mi, & mane surgamus*, &c. audiuit sæpius à sponso suo: *Surge, propera amica mea, columba mea & veni.* Et rursus, *Vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris. Veni de libano sponsa mea*, &c. De quo suis locis plura diximus. Postquam autem anima ab ipso Deo est iam excitata, oportet quod ipsa etiam eum inuitet & oret, vt secum simul veniat dicens, *Veni dilecte mi, egrediamur*, &c. Ac si dicat, tu iubes vt surgam & veniam, ego etiam à te peto vt tu venias & surgas mecum, quia ego sola nequeo egredi, commorari, surgere & videre, nec actus vllos contemplationis exercere, nisi tu adsis mecum, adiuuans imbecillitatem meam. Veni obsecro vt ambo simul egrediamur, & munus istud exerceamus, ego tecum, & tu mecum. Constans enim est Apostoli sententia: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed omnis nostra sufficientia ex Deo est.* Quare ante contemplationem implorandum est Dei auxilium, quod nos comitetur & subsequatur, nostrasque vires dirigat, cogitationes, affectus, & actus, iuxta illud Psalmistæ: *Emitte lucem tuam, & veritatem, ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.* Lucem & veritatem vocat Spiritus sancti dona quæ mentem illustrant, docent & perficiunt. Cuiusmodi sunt diuinæ illustrationes, ac inspirationes & actus illorum donorum qui sapientia, intellectus, scientia, & consilium nuncupantur. Hæc autem deduxerunt & adduxerunt, id est iuxta phrasim Hebræam, quæ præteritum pro futuro vsurpat, deducent, & adducent, quoniam ducatum præstant vt recte in contemplatione procedamus. At non tantum comitantur, sed in finem desideratum perducunt, & in sublimi contemplationis monte nos constituunt, abscondendo nos intra secreta Dei tabernacula à conturbatione hominum. Hæc autem dona petit Psaltes à Deo cum ait, *Emitte.* Eodem sensu verborum petiit postea Salomon, cum de sapientia loquens ait: *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ vt mecum sit, & mecum laboret vt sciam quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia, & intelliget & deducet me in operibus meus sobriè*, &c. Cant. 2. v. 10 & 13. & c. 4. v. 6. Lib. 5. exhort. 13. & 14. in duce spirituali tract. 3. c. 2. 2. Cor. 3. v. 5. Pſ. 42. v. 3. Sap. 9. v. 10.

2. Deinde cum dicit, egrediamur in agrum, locum contemplationi aptum innuit debere esse solitarium à tumultu ciuitatis semotum, sicut de Isaac dicitur: *Egressus fuerat ad meditandum in agro inclinata iam die.* Chaldaïca sic habet, egressus est ad orandum in agro in tempore vespertino. Sept. *Vt exerceretur in campo.* Quod D. Augustinus ait: Significare affectum animi studiosissime aliquid cogitantis, cum delectatione cogitationis. Ad hoc autem aptus locus erat campus segregatus ab hominum turbis, sed quia parum prodest exterior solitudo, nisi simul possideatur interior, ideo egredi in agrum spiritualiter indicat egressum ab omni terrenarum rerum cogitatione, cura, & perturbatione, vt tranquille soli Deo animus possit vacare. Genes. 24. v. 3. In quæstionibus super Genes.

Quod Psaltes desiderabat, cum inquit: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam; ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Beatus est (inquit D. Bernardus) qui dicere hoc potest. Non fuit contentus exire nisi & longe se facere vt posset quiescere. Transiliisti carnis oblectamenta vt minime iam obedias concupiscentiis eius, nec tenearis illecebris; profecisti, separasti te, sed nondum elongasti nisi & irruentia vtique phantasmata corporearum similitudinum transuolare mentis puritate præualeas, hucusque noli tibi promittere requiem. Hanc quietam mentem indicant sequentia verba, *commoremur in villis.* Sept. vertunt, *requiescamus.* Villas vocare possumus rusticas ædes recreationis gratia extructas, ad quas principes se conferunt cum à negotiis respirare volunt, de quibus Iob inquit, *Dormiens silerem & somno meo requiescerem, cum regibus & consulibus qui ædificant sibi solitudines.* Requies enim & dulcis contemplationis somnus, maxime habetur à principibus Ecclesiæ in solitudinibus, quas ipsi sibi ædificant, cum omnibus mundi rebus spretis soli conditori suo vacant, & in eo requiescunt. Et hoc ipsum sponsa vocat, *requiescamus in villis.* Sermon. 52. in Cât. Iob. 3. v. 13.

Sed cur non ait, in villa, sed in villis? sicut nec Iob inquit, ædificant sibi solitudinem, sed solitudines? at vsitatum est agrum & campum plures habere villas & solitarias domos ad requiescendum: sic & anima contemplationis auida quæ egreditur ad meditandum in agro sacrarum scripturarum, tot habet villulas & solitudines, quot mysteria sunt in quorum meditatione requiescit, aliis studiis & cogitationibus tunc valedicens. 3.

Sed cùm audis, *commoremur aut requiescamus in villis*, non solum tranquillitatem mentis intellige, sed diuturnam in oratione & meditatione durationem. Nam protractior meditatio & oratio solet esse profundior & pretiosior, propter quod dicitur meliorem esse finem orationis quam principium, supponendo distantiam non modicam debere esse inter principium & finem; & cum multum protrahitur, ampliorem lucem, gratiam & consolationem solet impetrare. Alia lectio habet, *pernoctemus in villis*, quia magnam noctis partem orando & meditando consumere laudabile est, sicut de Christo Domino dicitur, quod *exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Vbi locus solitarius præscribitur. Idem autem est exiit in montem, quod egrediamur in agrum. Pernoctare autem non solum longam orationem indicat, sed etiam nocturnum tempus ad quietem contemplationis aptum; sicut & antelucanum; quod eadem sequentia verba insinuant: *Mane surgamus ad vineas.* Huiusmodi enim tempora valde in scriptura ad orationem commendantur vt in Psalmis passim dicitur. Isaias etiam inquit, *Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te*: & Ieremias ait, *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum tuarum effunde cor tuum sicut aquam in conspectu Domini.* Sed vlterius mane surgere magnam vigilantiam, solertiam, & solicitudinem indicat, omni pigritia deposita. Nam propter hoc scriptum est: *Qui mane vigilant ad me, inuenient me, & mane astabo tibi, & videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Nec etiam Eccles. 7. v. 9. Luc. 6. v. 12. Isai. 26. v. 9. Thren. 2. v. 19. Prou. 8. v. 17 Pſ. 5. v. 4.

es Deus volens pigritiam, somnolentiam, & acidiam. Maledictus enim est qui opus Dei negligenter facit.

De quibusdam actibus contemplatiuæ vitæ.
§. 2.

1. SED adhuc subtilius quid inuestigandum est in verbo, commoremur vel requiescamus in vil-
lib. 3. exhor. lis, & mane surgamus. Nam vt superius notauimus circa illud, *Vbi pascas, vbi cubes in meridie*: Meditatio à contemplatione differt, in eo quod illa circa mysteria & veritates fidei discurrit ex vna in aliam inquirendo & inuestigando id quod occultum est: hæc vero simplici quodam intuitu quietè commoratur, intuens diuinam veritatem cum quadam admiratione & delectatione animi, donec plenam consequantur satietatem. Ad hoc autem surgere dicitur, quia à terrenis eleuatur ad B cœlestia, vt conuersatio eius in cœlis sit, cum cœlorum incolis, & à se ipso eleuatur supra se vt vniatur ipsi Deo, & commoretur intra illum & cũ illo confabuletur, & colloquatur sicut sponsa loqui solet cum sponso, vel filius cum patre, vel vnus amicus cum altero. Hæc enim omnia significat illud verbum, ego & tu commoremur in villis, vt secreto vterque amoris vacemus colloquiis & sanctis affectibus, ac exercitiis, mutuoque conspectui ea claritate qua viatorem decet, de qua dicitur:
Psal. 45. v. 11. & psal. 33. v. 9. *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus. Et gustate & videte quoniam suauis est Dominus.*

2. Hinc est omnia orationis & meditationis exercitia in conspectu Dei & cum ipso Deo habenda esse, hoc enim est simul commoremur; & quamuis Deus vbique sit præsens, & vbique anima possit cum illo commorari, tamen peculiariter petit vt veniat, id est, vt suæ præsentiæ signa & testimonia exhibeat, quæ orantibus & contemplantibus præstare solet cum eos visitat, instruit, & consolatur. Cum autem inquit, *veni dilecte mi & commoremur*, tacite excludit omnium aliorum societatem. Ac si dicat, tu Domine qui solus es dilectus meus, & cui me totam iam dedi, tu solus veni. Recedant terrena cuncta, abeant mundana, euanescant omnes aliæ cogitationes, & curæ; tu solus & ego commoremur. Quod supra petierat dicens: *Indica mihi vbi pascas & cubes in meridie*. Scilicet vt ego ibi tecum pascar & cubem ac requiescam, *ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum*. In varias distracta curas & cogitationes eorum quæ tunc ad me non attinent: hoc ipsum modo postulat cum ait, veni & simul egrediamur in agrum, & commoremur in villis, vt simul pascamur & cubemus, ac spiritualiter requiescamus. Ipse enim D Deus dicitur requiescere nobiscum, quia nostra requie valde delectatur. Apte autem dicit, *dilecte mi*, quia suauissimum est gradi, commorari, atque confabulari cum eo quem diligis, & maxime cum ipso Deo qui est summa dulcedo.
Sap. 8. v. 16. *Nec habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium.*

3. Sed mox alios contemplatiuæ vitæ actus commemorat, cum ait, *Mane surgamus ad vineas*. Non enim loquitur de vitæ actiuæ operibus, fodiendo, putando, & laborando circa vinearum cultum, sed de consideratione eorum quæ ad ipsas spectant: sic enim subiungit, *Videamus si vinea nostra floruit*, &c. Videtur autem nonnullam facere distinctionem inter vineas & vineam nostram, quasi surgendum esset ad videndum plures vineas præter propriam, sed hanc solicitius quam alias, vel forte quæ plures sunt in se, per charitatis vnionem vna vocatur vinea. Esse autem plurimas vineas fuse ostendimus in libro secundo, circa illud: *Posuerunt me custodem in vineis. Vineam meam non custodiui*. Omnes autem intuetur contemplatiua anima, inde surgens & ascendens ad contemplationem ipsius Dei, qui plantauit eas. Iam videt vineam pulchram, & fertilem huius mundi visibilis, tot habens vites, quot creaturis est ornata, ex cuius visione surgit ad contemplandam creatoris pulchritudinem. Iam intuetur vineam Ecclesiæ, siue militantis, siue etiam triumphantis, in qua tot sunt palmites Christo viti vniti, quot sunt sancti præcelsis virtutibus condecorati, ex quorum intuitu non solum Christi intuetur immensam & speciosissimam sanctitatem, sed plures si- bi carpit fructus ex eorum illustrissimis exemplis. Iam vero propriam intuetur vineam tot abundantem vitibus quot habet potentias & sensus, ac virtutum habitus, quam videre tenetur quoniam suæ curæ peculiariter est commissa, vt flores & fructus tempore suo ferat. Omitto modo vineas animarum, quarum curam ex officio gerimus, de quibus postea dicendum est; has autem vineas vocat, non vineam meam, nec tuam, sed nostram, quoniam licet reuera sint vineæ sponsi, & ab ipso plantatæ, tamen omnes sunt propter nos dicente Apostolo: *Omnia vestra* 1. Cor. 3. v. 21 *sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura. Omnia vestra sunt. Vos autem Christi, Christus autem Dei.* Ex mutua etiam charitatis vnione fit quod amicorum omnia sint communia, & quidquid Dei C est sit nostrum; ac quidquid nostrum sit Dei. Quamuis nos nihil habeamus boni nisi quod ab ipso Deo accepimus. En quam late patet campus contemplationis quæ omnia ista intuetur mane diluculo surgens; quia summa vigilantia perscrutatur ad aliquid sublimius semper anhelans.

Quomodo intuendus sit proprius profectus.
§. 3.

SED quoniam huius vitæ contemplatio ad proprium ordinatur profectum, vt in dies in virtutibus, & in Dei obsequio crescamus, & charitas præcelsioribus resplendeat incrementis, & operibus, horum intuitus specialiter hic commendatur cum dicitur: *Videamus si vinea nostra floruit, si flores fructus parturiunt, si floruerunt* In exhort. 7 §. 4. *mala punica*. Suppositis autem quæ supra diximus circa similia fere verba quæ in versu decimo capitis sexti habentur, nonnulla superademus huius loci propria. Aduertendo particulam *si* in scriptura & habere vim conditionalis, & aliquando etiam vim affirmantis: vt cum dicitur: *Si hoc facis manifesta te ipsum* Ioan. 7. v. 6. *mundo*, id est, siquidem hæc facis. *Et ego si exaltatus fuero à terra*, id est, cum exaltatus ero: Vnde in hoc loco, cum refertur ad animas sanctorum sumenda est affirmatiue, id est videamus & contemplemur quomodo quilibet sanctus floruit & fructus fecit, vt inde etiam despiciam quod me agere oporteat: Si vero referatur ad propriam animam, vel eius quæ sub nostra est cura, sumenda est conditionaliter,

idest inspiciamus, examinemus & perpendamus A in ea hæc duo. Primum an florucrit germinans feruentia desideria proposita, & affectus internos circa omnes virtutes; deinde an huiusmodi desideriorum & affectuum flores pariant fructus operum externorum.

2. Etenim flores vineæ & arboris cuiusque fructiferæ, diuersi generis sunt à floribus plantularum, quæ in agris vel hortis nascuntur; ij enim tantum coloris pulchritudine, & suaueolentia præstant; & cum decidunt nihil vtile relinquunt: Illi autem præter pulchritudinem & odorem fructus ex se proferunt, quos cum ipsi decidunt, in vite vel arbore permanentes relinquunt, quibus magna cum voluptate vescimur & satiamur. Ad hunc igitur modum duplices sunt desideriorum & affectuum internorum flores: quidam eorum qui in agris vel hortis sæculi licentiosam & deliciosam vitam degunt, nonnunquam tamen aliquid B boni agere desiderant, & proponunt, bonosque erga virtutes in genere concipiunt affectus, sed æstu tentationis vrgente mox exsiccantur, iuxta id
Iob. 15. v. 33. quod ex Iob attulimus, *ladetur quasi vinea in primo flore botrus eius, & quasi oliua proiiciens florem suum*. Nam licet illi flores ad hoc tenderent vt fructus parturirent, tamen ante partum exsiccati sunt. Aliquando verò adeo sunt remissa & inefficacia desideria vt flores sint qui non indicant fructus producendos; de quibus dicitur: *In desi-*
D. Greg. 3 p. past. admon 6. *deriis est omnis otiosus*. Et iterum, *desideria occidunt pigrum. Noluerunt enim quicquam manus*
Prou. 21. v. 25. *eius operari. Tota die concupiscit & desiderat*. Dicuntur autem desideria occidere, vel quia torquent illum dum multa desiderans nihil operari audet; vel quia occasio sunt ei ruinæ & grauioris pœnæ. Quomodo fœtus conceptus in vtero matris si ante partum ibi moritur, matri necem C afferre solet.

Cæterum desideria & affectus iustorum sunt instar florum vitis & arboris fructiferæ, qui fructus pariunt, dum opere complent quod desiderant, adeoque est efficax desiderium vt voluntas pro facto reputetur, factumque suo tempore sequatur voluntatem. Etsi autem flores decidant vel quia absconditi manent, nec intus apparent, vel quia sensibilis deuotionis tener affectus transiit, manet tamen fructus, & voluntas ita in opus propensa vt mox, cum oportet, illud exequatur.

2. Manè ergo summo studio perspiciunt an vinea propriæ animæ sanctis desideriis & affectibus floruerit, & rursus an isti flores fructus operum parturierint. Nam, vt inquit Diuus Gregorius, Non
Lib. 12. mor. c. 24. „ tam intuendum est si vineæ floreant, quam si flo-
„ res ad fructuum partum conualescant. Quia mi-
„ rum non est si quis bona inchoet, sed valde mi-
„ rabile est si intentione recta in bono opere per-
„ duret. Etenim facile est proponere bonum, & illud inchoare, sed multo difficilius perficere; nam tunc potissime caro contra spiritum insurgit, mundus ac diabolus molestiam ingerit, cum conceptum desiderium in opus prodire incipit. Ideoque non sine mysterio ponitur verbum parturiendi cum dicitur *an flores fructus parturiant*, ad significandum quod cum tristitia & dolore sæpius bona proposita deducuntur in actum: *Nam*
Ioan. 16 v. 2 Ad Gal. 4. v. 19. *mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius*. Sicut Paulus dicebat, *Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis*. Et de muliere amicta sole dicitur quod cruciabatur vt pareret. Sæpius etiam fit quod Ezechias deplorabat: *Venerunt filij vsque ad partum, & virtus non est pariendi*. At cum ex Dei gratia virtus pariendi adest; edito fœtu, *Non meminit pressuræ propter gaudium*, quod ex nouo fructu iam orto procedit, quare valde lætatur Christus Dominus & Ecclesia cum videt flores fructus parturire, non quod de dolore, & pressura gaudeant, sed quia Vide locum D. Augustin. infra lib. 10 exhort. 9. §. 2. sciunt post partum istum magnum futurum gaudium, & ingentem exultationem. Lucta enim illa spiritus contra carnem, & nixus ille edendi fructum, valde gratus est Deo, & proficuus animæ.

Apoc. 12. v. 2 Isai. 37. v. 3. 3.

Sed mirum est quod tantum dixerit sponsa; videamus an flores fructus parturiant, seu vt habet vox Hebræa, *an aperuerit se vua pusilla*, id est, an primulæ & acerbæ adhuc vuulæ se prodant, & tumidari incipiant, quod post floritionem sequitur: non vero addiderit, etiam videamus an fructus matureſcant, vel dulcescant vuarum botri: quia sicut parum prodest vineam florere si flores fructus non parturiant, ita nihil refert quod fructus parturiant si ad maturitatem & perfectionem non perueniunt. Crediderim tamen non id reticuisse, sed subsequenti explicuisse metaphora, cum subiunxit statim, *si floruerunt mala punica*, huiusmodi enim mala punica perfectum fructum significant. Loquitur enim de ipsis pomis, quæ in vertice coronam habent in modum floris; vnde aquila transfert *si se aperuerunt*. Nam cum perfecta sunt poma, calore hiant & se aperiunt; meminit autem malorum punicorum, quia symbolum sunt charitatis in qua omnis perfectio nostra consistit, & quæ vltimum actibus nostris tribuit complementum & coronam.

Oportet ergo quod mane ante omnia summa vigilantia in oratione perpendas quantum sancti profecerint, & quantum tu profeceris, aut defeceris, nam in eorum profectibus qualis ipse sis, recte dignosces. Inspice igitur an potentiæ tuæ floreant per veros actus & affectus, qui fructus subindicent; & an isti affectus vere fructus & opera parturiant, etiamsi cum dolore & lucta carnis eius repugnantiam deuincendo. Et denique an fructus isti ad perfectionem sibi conuenientem perueniant, sintque instar malorum punicorum qui charitate sint ignei, gratia intus pulcherrimi, & vita æterna digni: tunc autem oratio & contemplatio vtilis valde erit, non tantum theorica, sed practica, cogitationes & affectus deducens ad opus, non quoduis, sed consummatum, quod sequens indicat sententia.

De fine & fructu contemplationis. §. 4.

SVBDIT enim sponsa: *Ibi dabo tibi vbera mea*, quibus verbis firmum manifestat decretum eius quod tunc facere desiderabat: nempe dilecto dare vbera, de quibus paulo ipse ante dixerat: *Ascendam in palmam & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ*. Ac si modo dicat; nunc tuo satisfaciam desiderio & quæ concupiscis vbera, præbebo tibi: & quæ vbera concupiscit sponsus Christi nisi quæ cor cingunt? de quo inquit: *Fili præbe mihi cor* Prou. 23. v. 26. *tuum?* Dabo igitur tibi totum cor meum, & amores meos (vt alia lectio habet) ac omnes affectus præcordiorum meorum, & quidquid boni à corde meo in te, & per te prodire potest,

Hic est enim meditationis finis, vt in ea exardescat A ignis amoris: hic contemplationis scopus, vt Deo tradas vbera amorum & affectuum tuorum, cunctasque tuas vires affectiuas in eius dilectionem exeras + diligens eum ex toto corde tuo, & tota anima, & mente, atque ex omnibus viribus tuis?

Etsi autem in reliquis actibus numero plurali vsa sit dicens, egrediamur, commoremur, videamus si vinea nostra floruit; hic enim ait similiter, dabimus vbera nostra, sed *dabo tibi vbera mea*, non quia Dei non indigeat auxilio vt hoc ipsum præstet, sed vt denotet teneriorem & dulciorem affectum amoris, qui supereminet visioni, & cognitioni cuicumque. Qua de causa non dixit, veni dilecte noster, sed veni dilecte mi, quia vnice es mihi dilectus, quomodo Christus Dominus Patrem
Math.16.v. 19. suum nuncupauit, *Pater mi, si possibile est*, &c. Sic etiam ait, *Tibi dilecte mi dabo vbera mea*, hæc ipsa quæ mea sunt, quia tu donasti ea mihi, etsi à me haberem illa, non mihi, nec alteri, sed tibi donarem illa. Nec ait dabo tibi lac vberum meorum, sed vbera ipsa, quibus exhibitis etiam exhibetur, & lac. Nihili enim facit Deus dona nostra si nobis reseruamus vbera, cor æstimat plusquam donum, quod si donum accipit, ideo est quia cum illo cor præbetur. Alioqui eris sicut Caim de quo dictum
Genes. 4.v. 7. est: *Si recte offeras, & non recte diuidas peccasti*; Tribuens Deo quod minus ei placet, & vsurpans tibi quod amplius desiderabat, & ei magis placebat.

Dabo igitur tibi vbera & lac, arborem & fructus, cor & opera, voluntatem & omnes facultates meas. Dabo tibi duo vbera charitatis qui sunt ardens amor tui & proximorum, ac opera quæ hos amores comitantur, quia perfectio dilectionis exhibitio est operis; dabo etiam tibi duo vbera misericordiæ, cum propensione ad omnia ipsius opera, siue quæ ad corpus, siue quæ ad animam spectant. Hæc enim vbera replentur in oratione & contemplatione, & intumescunt sicut pingues botri vuæ. Cum hac autem plenitudine & pinguedine sunt offerenda dilecto.

Hinc est finem contemplationis in secreta solitudine non esse propriam quærere dulcedinem, sed Christi & proximorum; non ait, *Egrediamur in agrum*, &c. *& ibi dabis mihi vbera tua*, quæ meliora sunt quam vinum, fragrantia vnguentis optimis, sed potius ego *dabo tibi vbera mea*; non me ipsam quæro, sed te? non quod tu me dulciter lactes, sed quod ego lactem paruulos tuos, in quibus tu ipse lactaris, sed cur ait, *Ibi dabo tibi vbera mea?* quid est ibi. Nunquid in ipsa contemplatione D lactat anima paruulos Christi, & non potius finita contemplatione, cum eis præbet lac doctrinæ? Sed hoc firmissimum animi propositum indicat, quod in contemplatione concipitur, cum perfecta est, lactandi Christum in fidelibus suis, ad modum quo
Luc.19.v.8. Zachæus dixit: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*. Nam licet tunc non daret, firmiter tamen dare decreuerat, ac tam certum subierat, ac si tunc daret. Et hæc causa est cur sponsus ter adiurauerit filias Ierusalem ne dilectam à somno contemplationis excitarent quo adusque ipsa vellet: quoniam certo sciebat ibi replenda esse vbera eius lacte charitatis, & misericordiæ, quæ eam excitarent vt relicto somno & propria requie, alios docere, & lactare curaret; quod hæc verba testantur dum ait, *Ibi dabo tibi vbera mea*, sed de hoc plura in exhortatione sequenti.

PRO MYSTERIO INCARNATIONIS

EXHORTATIO XXIV.

De aduentu Christi Domini ad conuersionem mundi, & de feruido affectu, & modo imitandi eum in hoc munere.

Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, &c.

IAM secundum, ingenuumque sponsæ desiderium, quod his verbis cõtinetur, explicemus, eo enim testatur omnibus supra relatis laudibus fuisse dignam, vt qui non tãtum diuinæ contemplationi, sed B animarum saluti procurandæ inuigilare desideret. Sed prius prototypon, quod ad huiusmodi desiderium habendum sibi præfixit, explanare oportet.

De desiderio aduentus Christi, ad conuersionem mundi. §. 1.

MVLTORVM Patrum interpretationem veneror, qui hic agnoscunt desiderium quo flagrabat sponsa, antiqua nimirum Ecclesia, vt verbum diuinum quod quasi in cœlis, & in sinu patris absconditum habitabat, egrederetur in hunc mundum, & carnem assumeret vt homines redimeret à peccatis, & ex infœcundis fœcundos bonis operibus sua præsentia & doctrina constitueret. Ait autem veni, quoniam ad ipsum solum dirigit suum desiderium, & orationem. Sed C non inquit egredere, sed egrediamur amoris ergo? amantes enim, cum quis alium rogat vt quidpiam faciat, dicere solent, eia faciamus hoc; egrediamur in mundum & assumamus carnem; cum tamen ipse solus assumpturus esset. Et præterea, quia totus iste egressus in nostrum commodum ordinabatur, & Christus vt Deus simul & homo cuncta facturus erat quæ ad nostram spectabant salutem, ideo communi vocabulo ait, *veni, egrediamur*.

Eleganter explicabat hoc Diuus Ambrosius sequens lectionem Septuag. scilicet, *Veni frater mi, exeamus in agrum, requiescamus in castellis*. Aduertis (ait) quemadmodum sponsa verbum inuitet Dei vt veniat in terras, & tollat peccata mundi. Ager hic erat antè desertus sentibus nostrorum squalidus delictorum, horridus spinis, castellum erat in quo religatus Adam perpetuo suæ posteritatis hæredes stringebat exilio. Illò ergo ducit Ecclesia Christum vt Adam liberet. Deinde exulibus absolutis, cœpit mundi istius ager idoneos habere cultores, & qui erat ante iiunus, factus vitis æternæ plantationis fœcundus. Nec tamen sic spiritalibus læta palmitibus euagatur, sed ad has vineas vocat Christum, vbi psallentes sint & orantes, vbi noctibus ac diebus fructus innoxius persæueret. Sed rursus aliam reddit causam cur sponsa eum exire in agrum vellet. Vt (inquit) quasi bonus pastor pascat gregem suum, lassos alleuet, reuocet errantes. Ergo quasi perfecta non pro se, sed pro aliis interuenit, vt de sinu patris exeat, vt procedat foras tanquam sponsus de thalamo suo, egrediens currat viam vt infirmos lucretur.

Postquam autem Christus Dominus venit in

D. Gregor. Ambros. & alij.

Serm.19. in Psal.118.v.4.

Lib. de Isaac. c.8.

Lib.3. de virginib. circa medium.

mundum, & illum suo sanguine rigauit fertilem fecit, & pluribus sanctorum statibus fœcundum, multos (ait idem Ambrosius) ager fructus habet, sed ille melior est qui & fructibus redundat, & floribus. Est ergo Ecclesiæ ager diuersis fœcundus copiis. Hic cernas germina virginitatis flore vernantia; illic tanquam in campis siluæ viduitatem grauitate pollentem; alibi tanquam vberi frugi coniugij Ecclesiæ segetem replentem mundi horrea, ac veluti maritatæ vineæ fœtibus torcularia Iesu Domini redundantia, in quibus fidelis coniugij fructus exuberat. Sic ille. Aliosque plures posset iustorum status referre.

Possumus etiam per agrum Iudæam intelligere, ex qua primitiua Christi Ecclesia collecta
Math. 15.v. 24. est, quoniam præcipue dicitur venisse propter
Luc.4.v.43. oues quæ perierunt domus Israël. Per villas autem omnia oppida Israël magna & parua. Vaticinatur enim quod Christus facturus erat circuiens omnes ciuitates & vicos Iudæorum. Vnde cum à quibusdam in vno loco detineretur, dixit eis: *Quia aliis ciuitatibus oportet me Euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum*. s. vt vbique prædicem in Israël, aut villæ denotant cæteras gentium regiones, de quibus inquit, *commoremur in villis*, quasi vaticinans relinquendam esse Iudæam ob eius rebellem incredulitatem; & Christum eiusque Ecclesiam tantum commoraturam apud gentes, in quibus potissime fertilitas agri Christi, & statuum pulchra varietas magis resplenduit, sed de hoc statim?

2. In hunc locum Psal.

Subdit autem *mane surgamus ad vineas*. Quod ad tempus resurrectionis Christi post passionem suam refert D. Gregorius. Hæc enim facta est vespere, illa mane, nam *ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*. Vnde cum ait, mane surgamus, innuit egressum fore precedenti vespere, quoniam in vespere mundi Deus factus est homo, sicut in vespere diei mortuus est pro nobis, ve-
In hymno festi corporis Christi ad laudes. lut canit Ecclesia: *Verbum supernum prodiens, nec patris linquens dexteram, ad opus suum exiens, venit ad vitæ vesperam*. Ait autem *mane surgamus* eadem phrasi qua dixit, egrediamur: Et præterea quoniam propter vnionem charitatis in eodem corpore mystico, resurgente Christo omnes surreximus cum illo, sicut Apostolus sæpius testatur. In-
Ad Ephes.2 v.5. uitat ergo sponsa Christum vt matutino tempore
Ad Coloss.3 v.1. resurgat à mortuis, & sine mora suas visitet vineas. Ex tunc enim peculiarem cœpit curam gerere Ecclesiæ, quam fundauerat & omnium Ecclesiarum in particulari. Et ideo iam vocantur plures vineæ, iam vna vinea quia omnes sunt vna Ecclesia. Floret
Ita Cassiodorus. autem vinea cum Ecclesia prima fidei & confessionis ac sancti desiderij percipit rudimenta: Flores parturiunt fructus cum fides ac desideria prorumpunt in opera. Florent vero mala punica, cum ij, qui fide & recta operatione profecerint, etiam voluntatem patiendi pro iustitia habent. Hæc autem omnia Christus videre dicitur, quia eorum solicitudinem gerit, vt ad profectum veniant, suoq; fauore & auxilio vt prospere procedant, iuuat. Sed quia eandem modo seruat, eundem spiritum suæ indidit sponsæ quæ ideo ait, *Veni egrediamur*, &c.

De affectu adiuuandi proximos & infideles. §. 2.

CVM igitur sponsa & pia anima, hæc Christi heroïca exempla contemplatur, sciatque il-

lum Apostolis, & eorum successoribus commendasse vt opus quod ipse cœpit, prosequerentur: cũ eis dixit: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ*: Et rursus, *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*. Magnum concipit desiderium illum imitandi, & exequendi, quod tantopere pro salute hominum illi commendauit, & quæ antea secretæ contemplationi tantum vacare cupiebat, de eoque gloriabatur quod Rex eam introduceret in cellaria, & in cubiculum suum, ac in cellam vinariam, & tanquam columba semper commorabatur in foraminibus petræ & in caterna maceriæ, etsi sponsus vocasset eam dicens: *Surge, propera amica mea, & veni*: Iam nunc alio perfectiori spiritu præmota, dilectum suum inuitat, & ab eo postulat vt simul egrediantur per vniuersum mundum ad Euangelium eius prædi-
B candum.

Veni, inquit, *dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis*, iussisti vt veniam & egrediar, sed veni vt ambo egrediamur simul, quia sine te nihil possum facere, neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Ipse est qui dat verbum 1. ad Cor.3. Euangelizantibus virtute multa, cuius gratia v.7. præuenit, comitatur & sequitur illos vt fructus ferant, & per prædicationem proximos lucrentur. Propter quod Apostolus dixit: *Plus omnibus laborani, non ego, sed gratia Dei mecum*. Vnde cum Dominus dixisset Apostolis: *Euntes* Math.28.v. *docete omnes gentes*, &c. Mox subiecit, *Et ecce ego* 19. *vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*, ac si dicat, non vos deseram, sed
C vobiscum eam & egrediar, vosque semper comitabor vt adiuuem ad docendum omnes gentes, & baptizandum eas. Vnde verbum istud: *Veni, egrediamur in agrum*, magnam etiam indicat spem & animi fortitudinem ad aggrediendum pericula, & terribiles hostes in mundi agro insurrecturos contra Euangelij prædicatores. Etsi quis timorem ei incutiens dicat: *Nolite exire in agros, & in via ne ambuletis, quoniam gladius inimici, pauor in circuitu*: Ipsa tamen audacter dilecto suo inquit: Veni, egrediamur in agrum, quoniam si tu egredieris mecum non timeo gladium inimici, non est qui me pauere faciat: *Dominus illuminatio mea, & salus mea quem* Psal.26.v.1. *timebo? Dominus protector vitæ meæ à quo trepi-* Psal.22.v.4. *dabo? etsi ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Coniungenda est ergo humilitas & spes, agnitio propriæ fragilitatis, & virtutis diuinæ; illam ne solus egredi audeas: hæc vt cum ea audacter egre-
D di cures.

Ait igitur: *Egrediamur in agrum*. Ager (ait 2. Saluator) mundus est, & quia misit Apostolos Math.13.v. per vniuersum mundum vt vbique regnum Dei 32. Euangelizarent. Vult enim omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, ideo Ecclesia & sancta anima totius mundi conuersionem desiderat, & ad eam procurandam paratam se offert.

Sed quoniam populus Iudaicus Apostolorum prædicationem recipere noluit, ideo ad populum gentilicum conuertendum, se transferre cupit, quem hic vocat agrum incultum, & inamœnum, spinis & vepribus, bestiis & draconibus refertum; idest hominibus bestialibus & ferinis

moribus imbutis,ac si dicat: veni egrediamur in agrum gentilitatis,vt eum colamus,& gentes omnes ad tuum reducamus obsequium, vt impleatur quod scriptum est: *Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones, quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo electo meo.* Cum ergo his aquis sapientiæ & gratiæ plena esset, cupit egredi in agrum vt potum det gentibus electis à Deo, vt sint populus eius; & qui antea erant bestiæ, dracones, & struthiones, dum mutant mores glorificent Deum & colant illum. Isai.43.v.20

3. Sed quamuis in hoc agro mundi innumeræ sint vrbes & populosæ ciuitates, ait tamen, *& commoremur in villis.* Quod bifariam potest intelligi vt per villas intelligamus quascumque partes & vrbes totius orbis, quæ ita nominantur, etsi nobiles sint in se, & præclare, quoniam vel coram oculis Domini pro villulis computantur; iuxta illud: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: Ecce insulæ quasi pulvis exiguus*, vel quoniam in eis non minus, imo magis grassabatur ignorantia Dei, superbia, idololatria, & omnigena malitia. Et ideo ibi oportebat commorari, vbi maior vrgebat necessitas. Qua de causa præcipui Apostolorum Petrus & Paulus Romam missi sunt, & diutius ibi commorati, quia ibi omnium gentium vigebant errores & sedes erat Sathanæ. Isai.40.v.15. B

Sed aptissime etiam villæ sumuntur vt sonat pro oppidulis paruulis quorum incolæ sunt rustici, simplices, agrestes, pauperes & ignari, qui facile à pseudoprophetis & hæreticis falli possunt. Sponsa autem Christi volens suæ charitatis insigne præbere specimen, horum institutioni insudare desiderat non cursim, sed inter eos diutius commorans, quam tum necesse sit ad illorum institutionem. Multi enim sunt qui alacriter currant ad prædicandum Dei verbum in vrbibus & ciuitatibus regiis & præclaris; pauci vero qui libenter commorentur in villis, quia eorum forte exigua est charitas, & non pure, & sincere salutem animarum quærunt, sed etiam propriam gloriam, suique nominis celebrem famam. Non sic sponsa qui sui dilecti exempla Marci 1.v.38 intuebatur dicentes, *eamus in proximos vicos & ciuitates, vt & ibi prædicem. Ad hoc enim veni.* Vbi vicos, & villas ciuitatibus præposuit, quasi pluris aut non minus saltim æstimans illas. Licet alibi dicatur, *Circuibat omnes Ciuitates & Castella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni*: Castella autem idem sunt quod villæ, vnde Septuag. vertunt: *Requiescamus in Castellis.* Et huic exemplo nititur societatis institutum de missionibus faciendis, per vniuersum mundum, etiam inter infideles, & oppidatim per villas & oppidula mœnibus destituta; cuius alumni paratos se debent exhibere ad has excursiones peragendas, dicentes sicut Isaias Isai.6.v.8. Domino, & prælatis suis. *Ecce ego, mitte me.* Et cum sponsa, *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum*, percurramus per orbem, prædicemus gentibus fidem; eamus ad gentem conuulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem post quem non Isai.18.v.2. est alius, ad gentem expectantem, & conculcatam: commoremur etiam in earum villulis, vt omnes etiam vilissimos homines ad tuam fidem & obsequium deducamus, siquidem tu Luc.14.v.21 Domine seruo tuo imperasti: *Exi cito in plateas, & vicos Ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Et rursus, *Exi in vias & sepes, & compelle intrare.* Da igitur quod iubes, & veni tu mecum vt te fauente omnes ad te adducam, & in domum Ecclesiæ tuæ intrare compellam. C

De modo promouendi proximos in melius.

§. 3.

Sed vlterius pergit sponsæ desiderium, cum inquit, *Mane surgamus ad vineas. Videamus si vinea nostra floruit, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica.* Quia post conuersionem gentium non minor est virtus parta tueri, & conuersos ad fidem seruare ac in melius promouere, ideo mane sedulo & impigre surgere desiderat, & huic etiam ministerio incumbere. Videre autem duplicem habere potest significationem, nimirum vel examinare, & perscrutari an vineæ floruerint; vel facere quod floreant. Ad hoc enim visio ista tendit vt defectus suppleat, & quod deest perficiat? Cura enim pastoris & doctoris esse debet vt omnes animæ sibi commissæ non tantum à peccato conuertantur in gratiam, & ab errore in veram Dei scientiam & fidem, sed etiam vt vlterius in omni opere bono proficiant. Non quidem simul & subito, sed paulatim & per partes, percurrendo ea quæ ad triplicem statum pertinent, eorum scilicet qui incipientes, proficientes, & perfecti dicuntur, quibus tres adductæ similitudines coaptantur. Incipientes enim sunt velut vineæ florentes quæ dant odorem suum, flores autem eorum sunt desideria & actus tyronibus accommodati; qui initia sunt vberiorum fructuum. Nec incongrue etiam dicuntur flores qui apparent in terra hyemis & imbre transacto, sicut supra diximus, maxime quoniam in initio conuersionis vigere solent diuinarum consolationum flores, per quas facilia reduntur & suauia omnia virtutis opera, donec tempus tentationis & probationis adueniat vt iaciant radices deorsum, & ferant fructus sursum. Tres status iustorum. Cant.2.v.12 D

Tunc autem flores fructus parturiunt; cum non sine dolore & ingenti sui abnegatione desideria in initio concepta deducuntur in opera, & vita inchoata cum suauitate nacta ratur multo, & increscit etiam crescente pugna. Experientia enim compertum est religiosos in nouitiatu qui eorum est tyrocinium, esse quasi vineas florentes, & magnam ex se edentes fragrantiam ob promptam deuotionem qua cuncta sibi iniuncta celeriter exequuntur. At post nouitiatum quando status proficientium inchoare videtur, flores non pariunt, sed parturiunt fructus. Ideo non ea dulcedine sensibili qua antea, sed cum aliqua luctæ & nixu contra se ipsos, religiosa officia peragunt. Tunc autem etiam pastores & magistri parturire dicuntur, quia maiori cum labore eos dirigunt vt proficiant, si autem aliquantulum repescant subditi, molestior parturitio Doctoris, sicut Paulus de se dicebat Galatis: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Ad Gal.4.v.19. Isai.37.v.31.

Tandem florent mala punica cum in statu perfectorum transeunt, vbi aduenire oportet eadem similitudine vineæ inchoantes & proficientes explicasse, quia cum primum quis vitam spiritualem inchoat, aliquo modo simul etiã proficit, siquidem

omnes boni actus qui charitatem genitam nutriũt, eandem & augent. Non addidit autem in hac similitudine an fructus matuescant, vt significaret maiorem perfectionem superioris status perfectorum, qui per mala punica melius repræsentatur dum omnes in se virtutes ordinate congregat, & sub duro cortice maiorum laborum eximiam abscondit dulcedinem.

2. Sed quid est quod sponsa ait: *Videamus si vinea floruit*, &c. cum tamen Christus Dominus eosdem iustorum status depingens, inscitiam pastoris & doctoris cum eis coniungit: sic enim ait: *Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte, & die, & semen germinet, increscat dum nescit ille. Vltro enim terra fructificat primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.* Hæc enim tria gradatim à semente procedentia, tres supradictos status indicant, & tamen omnia increscunt dum nescit ille, scilicet sator & magister, qui verbum Dei prædicauit. Sed si parabola hæc ad Christum satorem referatur, sensus patens est ipsum quandiu vixit in carne euangelij semen in terram iecisse, posteaque dormiisse mortis somnium, & à mortuis surrexisse, cum autem ascendit in cælum, & ibi se abscondit, ita se gerit, ac si nesciret, permittens mundum tumultuari contra doctrinam & fidem suam, quæ tamen sensim miros habuit, & habet profectus; re tamen vera cuncta videt & intuetur: eiusque virtute terra germinat herbam, spicam, & granum, ac vinea floret & parit fructum. Marc. 4. v.26. Supra exh. 5. §.1. Alias adhibuimus expositiones. B

Cæterum si ad euangelij ministros, eandem referamus parabolam, admonet eos propriæ inscitiæ & imbecillitatis. Quoniam neque qui seminat est aliquid, neque qui plantat aut rigat, sed qui incrementum dat Deus inuisibiliter illud in cordibus hominum perficiens, cui omnis fructus & profectus potissime tribuendus est. Vnde quotidie experimur, nihil omnino agentibus concionatoribus qui verbum Dei seminarunt in cordibus fidelium, ipsum Dei verbum & terram cordis nostri eo seminatam magnos producere fructus. Sed quoniam Deus ministrorum suorum exigit etiam industriã, Dei enim sunt adiutores, vt ait D. Paulus; & cooperatores veritatis, vt inquit Ioannes; ideo ad ipsos etiam spectat scire & videre, adiuuareque vt terra ordinate herbam, spicam & granum conferat, & ipsum Christum in sui auxilium inuocantes dicere; *Mane egrediamur in vineas, videamus si vinea nostra floruit*, &c. Sed perpendendum est pronomen, nostra, vt scias ea quæ sunt Christi ita curanda esse ac propria curare soles. Nam iuxta prouerbiũ; amabile quidem bonum, vnicuiq; autem proprium. Charitas autem propria facit ea quæ sunt proximorum, quos diligere iubemur sicut nosmetipsos; sed insuper multomagis propria reddit ea quæ sunt Christi, quem ardentius diligimus, & ideo diligentius ea promouere studemus. Dixit quondam Christus Dominus Petro: pasce agnos meos, & oues meas, non tuas vt sciret, iuxta voluntatem ipsius Christi esse pascendas, & nihil ab eis inuito Domino violenter auferendum. At simul voluit eum pastorem esse proprium & non mercenarium; cum ait, *Bonus pastor, animam suam dat pro ouibus suis, mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus*: sic sponsa, & dilectrix Christi sua esse putat: & ideo ait, *Si vinea nostra floruit.* Vnde florente vinea & fructificãte ipsa in se florore & fructificare videtur, & summo gaudio afficitur. Propter quod Paulus discipulos vocat gaudium meum, & corona mea. Ac D. Ioannes ait: *Maiorem horum non habeo gratiam* (alij legunt gaudium) *quam vt audiam filios meos in veritate ambulare.* 1.Cor.3.v.7 C 1.Cor.3.v.9. 3.Ioan.v.8. Ioa.21.v.16; Ioan.8.v.11. Ad Phil.4. v.1. 3.Ioan.v.4.

Tandem dum audis, *si*, dubium euentum intellige, qui animum veri pastoris vehementer angit. Nam quantum gaudet de profectu, tantum tristatur de damno. Vnde inter tribulationes innumeras quas Paulus recensет pertulisse, vltimo loco tanquam maiorem ponit solicitudinem omnium Ecclesiarum, quæ illum vrebat; *Nam quis*, inquit, *infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* surgit ergo mane sedulus pastor ad vineas, & tremens vadit vt videat, si vinea floruit, vel si forte non flores, sed spinas, non vuas, sed labruscas germinauit. Aut si floruit, an flores fructus parturierint, an forsitã læsus sit in flore botrus eius. Desiderat enim vehementer omnes maturum & perfectum ferre fructum in tempore suo. 4. 2.Cor.11. v.28. Isai.5. v.5. Iob.15.v.35.

Tandem vltimo addit, *Ibi dabo tibi vbera mea*, id est in agro & in villis & in vineis, vbera quæ habeo lacte sapientiæ & doctrinæ tuæ plena, libenter porrigam omnibus paruulis tuis: hoc enim est illa porrigere tibi qui dixisti, *Quandiu fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis*, maluit autem dicere dabo tibi, quam dabo illis vt ostendat, quidquid in proximos facit propter ipsum Christum facere, nec illos propter se amore humano, & carnali, sed propter Deum amore prosequi puro & diuino, tantaque solicitudine ac dilectione vnumquemque lactare fidelem, etiam vilem & abiectum in villis degentem, ac si ipsum lactasset Christum. Nam sicut Dominus dicitur esurire & sitire cum fideles tui esuriunt & sitiunt, necessitatemque corporis vel animæ patiuntur, sic qui eos lactat & reficit Christum in eis lactare & reficere dicitur. Et tandem maternum amorem quem erga proximos habet iis verbis testatur, de quo supra multa diximus, & ideo illa insinuasse sufficiat. Vtinam nos cuncta hæc opere sedulo præstemus ad laudem ipsius Christi Domini, qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen. 5. Matth.25. v.40.

EXHORTATIO XXV.

De quibusdam proprietatibus heroïcæ virtutis & charitatis, tam erga Deum quam erga lucrum animarum. V.13.

D Mandragoræ dederunt odorem suum; in portis nostris omnia poma: noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.

Cum præcedentia verba ad contemplationem retulerimus & ad ministerium conuersionis animarum, hæc etiam ad vtrumque referri possunt, tanquam signum aut effectus vel fructus eius quod præcessit, egrediendo in agrum & præbendo sponso vbera sua. Triplicem autem sententiam hæc verba continent. Prima est: *Mandragoræ dederunt odorem suum. 2. in portis nostris omnia poma*, subaudi sunt. 3. *noua & vetera seruaui tibi.* Ita in vulgata modo correcta fit distinctio. Plures vero patres latini ex antiquis duas tãtum sententias

faciunt, quia dictionem, *In portis nostris*, præcedentibus iungunt.

Mandragoras symbolum esse insignium virtutum.
§. 1.

MANDRAGORÆ igitur heroïcas virtutes repræsentant, quas anima in secreta Dei contemplatione acquirit, & maxime ardentem charitatem quæ reliquas antecellit. D. enim Augustinus perpendens vehementiam qua Rachel expetiuit mandragoras inuentas in agro à Ruben filio Lyæ, rationem illius appetentiæ reddit, propter pomi raritatem, & odoris iucunditatem. Est enim pulchrum & suaue olens. Et ex hac parte optimum symbolum est insignis virtutis, cuius fragrantia longe lateque diffunditur. Per quam insignes sancti sunt bonus Christi odor in omni loco; & ideo dicitur, *Mandragoræ dederunt odorem suum in portis nostris.* Ac si diceret: virtutes pulchræ & perfectæ in agro contemplationis germinantes, dederunt, id est, dabunt (poni enim solet præteritum pro futuro) aut post contemplationem ipsam suo tempore dederunt suum fragrantem odorem per heroïcos actus quos exercent in portis nostris, id est in omnibus locis publicis nostræ domus, vel ciuitatis, seu Ecclesiæ, vbi plures homines conuenire solent, aut sicut explicant Cassiodorus & Beda, in Apostolis & eorum successoribus, virisque valde perfectis qui sunt quasi Ecclesiæ portæ, per quas in eam intramus, de quibus dicitur: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* In huiusmodi enim viris plusquam in aliis hæ fulgent virtutes.

Lib 22. cõtra Faustũ, c. 56. Genes. 30. v. 14. 1. Pomum dicitur auellanarũ magnitudine. Psal. 86. v. 1.

2. Obseruat D. Ambrosius, plerosque discernere quendam inter Mandragoras sexum, vt & mares putent esse & fœminas, sed fœminas grauis odoris. Dioscorides ait mares candidos, fœminas nigras, quod ad duplicis generis virtutes referamus? aliæ enim veræ sunt solidæ, fortes, & quasi viriles atque perfectæ, & hę sunt o doratissimæ. Aliæ vero tãtum apparentes, molles quasi effœminatę & imperfectæ valde, & hæ videntur bene olere hominibus, sed coram Deo fœtent. Quales sunt virtutes hypocritarum, qui odorem bonæ famę habere intendunt, sed tandem eorum hypocrisis detegitur, & fœtor manifestatur, nec de iis loquitur sponsa, sed de perfectis quæ perfectum efflant sanctitatis odorem.

Serm. 19 in Psal. 118 v. 4 Lib. 4. c 61. Longam & optimam disputationem habet Pereira de Mandragoris, in c. 30. Genes.

3. Verarum autem, & insignium virtutum proprietates egregie ex natura Mandragoræ deducuntur, cuius radix formam dicitur habere corporis humani. Vnde est illud; *Quamuis semihominis vaſano gramine fœta Mandragoræ pariat flores.* Hoc autem indicare potest, virtutes radicem habere in ratione hominis, qui solus inter res visibiles propter rationem qua præditus est, capax efficitur virtutis. Sed vlterius herba est medicinalis valde. Quæ autem potentior & vtilior medicina contra vitiorum languores quam insignes virtutes? vnde D. Gregorius, viros perfectos Mandragoras in portis Ecclesiæ vocat, quia dum exempla bonorum operum circumquamq; per sanctam famam tribuunt, quasi odorem quo ægroti sanentur, spargunt, multo autem fortius à possidente eas omnem pellunt egritudinem, quia in portis omnium suarũ potentiarum & sensuum Mandragoræ dant odorem suum. Virtutes enim insignes ab oculis omnem pellunt immodestiam, curiositatem, & leuitatem animi, & odorem tribuunt modestiæ & grauitatis. A lingua reiiciunt loquacitatem & per eam spargũt prudentium verborum fragrantiam. Sensus ergo qui portæ

Cassiodorus, Rupert. & alij. Columella lib. 10. Iere. 9. v. 21.

sunt per quos mors ingreditur, per virtutes ita perficiuntur, vt morti sint clausi & aperti ipsi vitæ, odorque aliis sint, non odor mortis in mortem, sed odor vitę in vitam: & cum hostes per portas domus nostræ ingredi attentant, dum Mandragoras fragrantium virtutum conspiciunt, mox aufugiunt: sicut B. Antonius dicebat: mihi credite fratres, pertimescit Sathanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, misericordiam & humilitatem, maxime vero ardentem amorem in Christum Dominum. 2. Cor. 2. v. 16. In eius vita refertur. " " "

His accedit alia proprietas Mandragoræ satis communis quod soporifera sit, & per sui potionem non quemuis inferat somnum, sed tantum stuporem; vt quibus secandum sit aliquod membrum, sentire minime faciat dolores. Sic, inquit Theodoretus, per has virtutes anima omnibus terrenis ac carnalibus affectibus dormit, & quasi obliuiscitur, vel mortua est illis, adeò vt etiam tribulationes pro iustitia euenientes non sentiat, sed potius in eis glorietur, & gaudeat: illum que contemplationis dulcem adipiscatur somnum, de quo mox sponsa dicit: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.* 4. Cant. 8. v. 4.

Præterea Mandragoræ, vt [a] Theophrastus, & D. [b] Epiphanius docent, sunt amoris conciliatrices, vinq; habent ciẽdi amorem. Hoc autem proprium valde est harum virtutum, quæ nutrimentum sunt nostri amoris erga Deum, & Dei erga nos acuunt dilectionem. Et ideo cum sponsa dixisset in agro contemplationis, *Ibi dabo tibi vbera mea*, id est amores meos, & quidquid in me est quod tui amorem possit excitare, apte subiungit tãquam causam huius, nam Mandragoræ dederunt odorem suum, vehemẽtissimum in me erga te amorem conciliantes. Nihil enim est quod ita hunc reciprocum amorem inter Deum & animam conciliet, sicut heroici virtutum actus, inter quos primas tenent qui à charitate eliciuntur, quæ reliquarum dux est & regina. 5. a Li 9. hist. plantarum, c. 10. b In Physiologo c. 4. Idem Dioscorides, l. 9. c. 61.

Vnde & Mandragoræ etiam conducere solent ad fœcunditatem: quod egregiè his virtutibus quadrat. Quæ duplicem innatam habent fœcunditatem, alteram ad producendam insignium actuum, & operum prolem: alteram ad procreandos filios spirituales in Christo, & sicut Rachel, propter Mandragoras permisit sorori suæ Lyæ apud se habere Iacob virum suum, vnde plures generaret filios. Sic vita contemplatiua diuino amore inflammata vitæ actiuæ libenter impertitur, vt virtute Christi plures ei generet spirituales filios; nec detrimentum suum putat eius dulci carere colloquio, dum modo per sororem filios generet vitæ æternæ dignos. 6. Hoc Pereira deducit ratione ex Galeno & Auicenna. Genes. 30. v. 5.

Aliæ harum insignium virtutum proprietates.
§. 2.

ALIAS proprietates huiusmodi heroicarum virtutum indicant sequentia verba, *In portis nostris omnia poma.* Subaudi sunt, aut pendent ornantia illas. Sed cur quæso poma in portis pendent? nonne furibus patent quæ à foribus pendent? deprædari desiderat qui thesaurum publice portat in via, aut in portis domus affixum iugiter habet. Vix enim eum custodire valebit, vitiumque iactantiæ inanis gloriæ, & superbiæ non effugiet. Sed hæc facile diluit duplex alia interpretatio valde propria. Vt idem sit in portis quod intra portas nostras, seu in domo nostra sunt recondita: vel iuxta phrasim 7.

Hebræam in portis esse sit ad manus, & in promptu habere, sicut Caim dictum est: *Peccatum tuum in foribus aderit*: id est in promptu erit. Et Iob iuxta lectionem Sept. ait: *Cum viderem in porta auxilium meum*; id est statim in ipso aditu, & iamiam mihi paratum. Cum igitur sancta anima Deo dicit, *In portis nostris omnia poma*, significat omnes virtutes in ædibus internis reconditas habere, paratas esse, & in promptu ad operandum quidquid ipsi Deo placitum fuerit. Ad modum quo prudentes virgines inclusum habebãt oleum in vasis, & paratum vt lampades ornarent in aduentu sponsi. E contra fatuæ quibus sat visum est oleum in foro esse apud vendentes, vt cum opus haberent, irent ad emendum illud. Sed dum eunt emere, venit sponsus, & clausa est eis cæli ianua. Prudentes autem qui sponso conuiuium parant, non dicunt poma esse in arboribus hortorum, nec in foro vendentium, sed apud se in portis propriis, parata vt statim illi possint exhibere. Fatuum enim est virtutum & bonorum operum præparationem in horam mortis differre. Cuius egregium symbolum præbuit gestum Raãb cui dixerunt exploratores funiculum coccineum ligatum in fenestra futurum certum signum quo domus eius & omnes intra eam existentes salui manerẽt, cum exercitus Israël obsideret, & caperet vrbem Iericho. Et quamuis sat illi fuisset, funiculum appendere quando exercitus aduenissent, noluit tamen in id tempus differre, sed mox ac exploratores egressi sunt è domo sua, *Dimittens eos vt pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra.* Vt si forte exercitus repente veniret, appensum videret; si hoc prudenter egit meretrix, vt vitam corporis tueretur, quanto magis prudens virgo, & discreta anima cuncta suæ spiritalis salutis & vitæ media appensa habere debet in portis domus suæ, & tempestiue præparata, vt cum repente sponsus simul & iudex venerit, possint confestim offerre illi, & in tremendo iudicio non perire.

Gen. 4. v. 17. Ioa. 31. v. 20. Mat. 25. v. 3. *Non differendã præparationem bonorũ operum ad horam mortis.* Ioſ. 2. v. 21. A B C

Plura adducit loca Ribera in Amos 5. v. 15

Res etiam comperta est in scriptura iudicia solita fieri in portis ciuitatis: & quia sponsa non ait in portis domus vel ciuitatis, sed tantum in portis nostris esse omnia poma, sensus esse potest omnia sua opera à se deducta esse in rectissimũ examen, & iudicium; ac subinde in præparatione esse ad vltimum examen, & iudicium quod de illis habendum est: quia impleuit quod Apostolus ait, *Si nos ipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur*, iudicio nimirum condemnationis.

Ad Cor. 11. v. 31. D

His tamen non obstantibus quæ vera sunt, existimo non reiiciendum sensum quem præ se ferunt verba ista, *In portis nostris*, &c. videlicet virtutes non tantum intra conscientiæ ædes manere occultas, sed in ipsis domus foribus, ac sensibus, viribusque externis esse manifestas, & operibus contestatas iuxta illud; *Prouidemus bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Non quidem ex desiderio placendi ipsis, sed Deo, nec ex affectu vanitatis, sed ex zelo gloriæ Dei. Sicut saluator ait, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* Quæ autem hac intentione manifestantur, secure pendent in portis: quia ex intentione manent in secreto, & Deus tuetur eas in manifesto. Hoc autem indicat sponsa cum non ait, in portis meis, *sed nostris*, id est, quæ Deo & nobis sunt communes, diuinoque parent imperio, & nostro subduntur arbitrio. Superbi enim & hypocritæ poma habent pendentia tantum in portis suis, quia suo solo arbitrio bona opera patefaciunt, vt videantur ab hominibus. Humilium autem opera pendent in portis nostris; quia non ex solo suo arbitrio, sed potissime ex Dei beneplacito propalantur, vt eius crescat gloria.

Ad Rom. 12. v. 17. Mat. 5. v. 16.

Hoc autem amplius declarat sequens sententia, *Noua & vetera seruaui tibi dilecte mi*, id est omnia dona naturæ & gratiæ quæ à te accepi, & omnes operationes quæ ab vtraque, vel seorsum, vel coniunctim procedunt; cuncta denique quæ in mundo sunt, & in Ecclesia ad vtrumque ordinem naturæ & gratiæ spectantia: omnia inquam hæc tibi soli seruo, & tuo obsequio, in tui gloriam dedico. Dona naturæ vocantur vetera; dona vero gratiæ noua, quia natura antiquior est, quam gratia in nobis; sed quia hæc est nobilior, prius nominantur noua. Ordo enim dignitatis præfertur ordini temporis. Vnde peculiariter sub hac phrasi duplices virtutes commemorat. Quædam enim sunt ordinis naturæ, quas virtutes morales nostris actibus acquisitas vocamus, aliæ sunt supernaturalis ordinis quæ infusæ nuncupantur. Illæ dicuntur poma vetera; hæc vero noua, quia perfectius veterem hominem reformãt & innouant; easque prius nominat, quoniam ex primæua intentione his vti desiderat æmulans semper charismata meliora, & ad ea quæ supra naturam extendens seipsam. Ad hunc sensum etiam refertur, si per poma vetera intelligas ea quæ spiritu legis veteris fiunt, qui erat spiritus timoris. Ipsa enim propria legis veteris opera quæ aliquando licite Deo seruabantur, iam sponsa non seruat, sed respicit tanquam noxia; variata enim est vera significatio in falsam, cum repræsentarent Christum venturum, qui tamen iam venit. At spiritus ille timoris, etsi imperfectus adhuc manet, quia initium est salutis, sed melior multo spiritus amoris legis nouæ proprius; vnde quæ ex hoc spiritu procedũt opera, poma noua vocantur. Vtraque seruat anima, quia vtroque spiritu proficit, sed dum timorem amori coniungit, imperfectionem timoris tollit, vt maneat castus timor, de quo dicitur: *Beatus vir qui timet Dominum, & qui semper est pauidus.* Quare merito Christus scribam doctum in regno cælorum similem esse dicit, *Patrifamilias qui profert de thesauro suo noua & vetera.* Vtraque enim in thesauris cordis reposuit, & suo tẽpore opere manifestat, & prout licet integre seruat. Quod sic interpretatur D. Ambrosius, noua & vetera frater meus seruaui tibi, quia teneo omnia mandata noui & veteris testamenti. Sola hoc dicere Ecclesia potest: non dicit hoc synagoga, nec secundum literam noua tenens, nec secundum spiritum vetera. 8. *Duplex ordo virtutũ naturæ & gratiæ.* Psal. 111. v. 1. Prou. 28. v. 14. Mat. 13. v. 52. " " "

Sed dum ait, *tibi*, vltimum perfectionis complementum addit, significans omnes suas virtutes & actus seruare, vt per illas gratum Deo paret conuiuium, opiparum & gloriosum; dixerat supra: *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Nunc autem inuitans eum ad agrum, lautissimum ei conuiuium se præparasse innuit, dum ait, *Omnia noua & vetera poma*; id est, quidquid pretiosum, iucundum & suaue in domo mea est, seruaui tibi vt tu epuleris, & iucunderis: nihil mihi seruo, sed omnia tibi; non quæro meam voluptatem, sed tuam, non meum quæro apud homines honorem, sed tuum: omnia mea sint ad tuum beneplacitum, & in gloriam tuam. Propter te enim ea germinaui, seruaui, & præ manibus parata retineo, vt illis vescaris, & delicieris. Plura de hoc diximus circa citatum locum Cantici. Sed adhuc maius hic mysterium latet. Nam quæ paulò ante dixerat: *Ibi dabo tibi vbera mea*, modo ait, *omnia* 9. Cant. 5. v. 1. Li 7. exh. 36 16. *De Religiosorum obla-*

poma noua & vetera ſeruaui tibi dilecte mi, quaſi duo donorum genera ſponſo offerens, vbera quæ proprij corporis ſunt partes, omnia noſtra bona quæ ad corpus & animam ſpectant ſignificare videntur; vt idem ſit dare duo vbera quod offerre corpus & ſpiritum, & quidquid in illis eſt, & ea ornat. Poma vero quæ extrinſeca ſunt bona, cætera alia repræſentant quæ ad nos pertinent, nimirum diuitias, honores, dignitates, & quidquid lucri & boni ex eis nobis prouenit. Noua autem & vetera ſunt quæ à parentibus hæreditauimus, vel propria induſtria acquiſiuimus. Cuncta hæc dilectrix Dei anima ei tradit pleniſſime nihil ſibi reſeruans, quod religioſi integrè præſtant cum ſeculum relinquunt, patrem ac matrem, & cuncta quæ poſſidet, triaque vota Deo offerunt obedientiæ, caſtitatis & paupertatis: nam per obedientiam & caſtitatem duo offerunt Deo vbera animæ & corporis, nimirum propriam voluntatem & iudicium, quod potiſſimum eſt in anima, & carnales voluptates quæ delitiæ ſunt corporis. Per paupertatis autem votum reliquis externis bonis renunciant, & ſic oblatio conſummatur holocauſti, in quo nihil ſibi reſeruat offerens, ſed totum tradit Deo in odorem ſuauitatis. Anima igitur quæ Chriſtum inuitat, vt ambo egrediantur in agrum vitæ quietæ, & tranquillæ, qualis eſt vita religioſa, vbi vineæ potentiarum iucunde florẽt, & flores copioſos fructus parturiunt, ac mala punica per vnionem fraternam refloreſcunt valde, & Mandragoræ virtutum conſuetum emittunt odorem, per hæc omnia dilecto ſuo offerre & tradere intendit ſeipſam, & quidquid intus, & foris ad eam attinet, quod per vbera & poma circunſcribit?

De ſolicitudine erga proximorum ſalutem, quæ his metaphoris deſcribitur. §. 3.

SED quoniam heroicæ virtutes etiam circa proximorum ſalutem procurãdam maxime ſplendent, de hoc etiam hæc verba explanemus. Inuitauerat ſupra ſponſus dilectam, vt ſurgeret, properaret, & veniret ad lucrandos & conuertendos peccatores, rationes adducens à temporis opportunitate, quia hyems inquit, abiit, flores apparuerunt, & vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Nunc vice verſa ſponſa dilectum inuitat, vt ſecum egrediatur in agrum, ad eorundem peccatorum conuerſionem perficiendam, rationemque adducit ex temporis etiam amœnitate & opportunitate, quam circunſcribit breuius dicens. *Mandragoræ dederunt odorem ſuum*: tunc autem maxime redolent cum hyems tranſiit, vel inchoauit, & adeſt tempus meſſis triticeæ. Hoc enim tempore notatur Rubem inueniſſe Mãdragoras, meſſis autem triticea illis regionibus, vt ex libro Ioſue deducitur, poſt lunam menſis Martij inchoabat, & circa Pentecoſtem, iam multi noui fructus offerebantur, ait ergo ſponſa, veni, egrediamur in agrum mundi ad lucrãdas animas, quia tempus opportunum adeſt.

1. Surgamus ad videndum ſi vineæ floruerunt, & flores parturiunt fructus, quoniam iam, *Mandragoræ dederunt odorem ſuum*. Id eſt multi Iudæorum ex ſynagoga crediderunt Euangelio, & aliqui ex gentilibus credere cœperunt, & reliqui diſpoſiti ſunt, vt credant ad modum quo Chriſtus Dominus Apoſtolis dixit: *Videte regiones, quoniam albæ ſunt ad meſſem*. Mandragoræ odorem dantes » ſignificant (inquit D. Ambroſius) gentes, quæ ante fœtebãt cum eſſent infirmiores, euirata quadam » imbecillitate perfidiæ, boni odoris fructus ferre cœpiſſe, poſtquam in Aduentum Domini crediderunt. Tunc autem crediderim Mandragoras gentium cœpiſſe dare odorem ſuum, quando Cornelius centurio & milites eius prædicante Petro, fidem receperunt, & Spiritus ſanctus deſcendit ſuper eos clamantibus reliquis fidelibus ex circunciſione, *Quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt*. Inde autem vehementius cœpit Apoſtolica Eccleſia deſiderare egredi in agrum gentium, & euangelium etiam illis prædicare.

Act. 10. v. 44

2. Sed cum Mandragoræ ſymbolum ſint amoris & fœcunditatis ad modum ſupradictum, hinc potiſſimam rationem ſponſa deducit ad egrediendum in agrum vt peccatores conuertat. Quoniam charitas Chriſti vrget illam, & plures ei parere cupit filios. Egrediamur inquit, & ibi dabo tibi vbera mea ad nutriendos paruulos tuos, quoniam Mandragoræ dederunt odorem ſuum, & virtutes quibus me ornaſti ſuos dilectionis exerunt actus, vrgentque me vt aliis etiam prodeſſe cupiam, & ſterilitatem quam hactenus habui, à me propellam; filioſque ſpirituales tibi gignam.

3. Sed adhuc tertiam addit rationem, dicens: *In portis noſtris omnia poma*: id eſt omnis generis poma parata ſunt. Mandragoræ quidem, vt D. Auguſtinus notat, etſi iucundo ſint odore, ſunt tamen ſapore inſipido, & poma maxime mali vtroque præſtant. Per Mandragoras ergo apte peccatores ſignificantur, qui licet fidem habeant Chriſti, & deſiderium conuertendi ſe ad ipſum, ſignaque pœnitentiæ exhibeant, vnde bene olere incipiunt, adhuc tamen ſunt inſipidi quandiu gratiam iuſtificationis non aſſequuntur. Per poma autem qui odorifera ſunt, & ſapida reliquos iuſtos deſignamus: munus autem perfecti paſtoris eſt vtroſque iuuare; illos vt iuſtificentur, hos vt increſcant & perficiantur. Et quia vtrorumque meſſis parata eſt vt metatur, & poma tam Mandragoræ quam reliquarum arborum ſunt in portis, id eſt in promptu ſunt vt carpantur, magnum inde inſurgit deſiderium ea carpendi, & plures proximos Chriſti lucrandi, aut perficiendi iam lucratos.

Lib. 22. cõtra Fauſtũ, c. 56.

4. Denique à propria plenitudine ſapientię & gratiæ ſibi à Deo collatę rationem deſumit ad lucrandum alios: quoniam inquit, *Noua & vetera ſeruaui tibi dilecte mi*, per quæ omnem doctrinam noui teſtamenti & veteris, omneſque virtutes quæ in vtroque traduntur intelligimus; quibus abundare debet Eccleſiæ paſtor tanquam ſcriba doctus in regno cęlorum, qui poſſit de theſauro ſuo proferre noua & vetera, quæ ſcilicet theſaurizauit, vt ea tempore opportuno fidelibus diſtribuat, vt probe nouerit & teneat quæcumque vetera ſunt pertinentia ad mundi creationem, gubernationem & prouidentiam, ac quæ in populo Hebræo Chriſti aduentum præceſſerunt: & rurſus noua quæ ad mundi reparationem per Chriſtum facta ſpectant; nam ſub his duobus cætera comprehenduntur, vnde phraſis iſta ad modum prouerbij quædam eſt circumlocutio, comprehendens omnia quæ vſui eſſe poſſunt ad intentum finem, vt noua & vetera ſeruare complectatur omnia quæ guſtui poſſunt eſſe grata, & ad opiparum conuiuium accommoda: proferre de theſauro noua & vetera eſt cuncta prętioſa exerere quæ ex theſauro depromi poſſunt ad humanos vſus congrętia. Sic igitur Chriſti ſponſa quę ad ſupremam charitatis perfectionem aſcendit, vt aliis proſit, habet intra ſe ad manus & in promptu, quidquid neceſſarium eſt ad munus

In id, Matth. 13. *Qui profert de theſauro ſuo noua & vetera.*

Cant 2. v. 10.

Geneſ. 30. v. 14. Ioſ. 3. v. 15. & c. 5. v. 10.

Iean. 4. v. 35. Vbi ſupra.

præſtandum ex ſcientia & prudentia, ex virtute & ſanctitate, ex gratiis & donis ſpiritualibus quæ conferunt ad illa duo in quibus hominum ſalus conſiſtit, nimirum exuere veterem hominem cum actibus ſuis, qui errores ſunt, & peccata, eorumque radices & occaſiones, ac induere nouum hominem, qui creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis, exhibendo illum ſapientia, & virtute perfectum. Plura de doctrina quę per noua & vetera intelligitur alibi proſecuti ſumus.

In tom. 4. de perfectione ſpirituali, tract. 6. c. 8.

Quatuor inſignes affectus in hoc miniſterio hic deſignari. §. 4.

SED nunc id tantum perpendamus quod ſponſa inquit, *Seruaui tibi dilecte mi*, cur enim ait tibi, ſiquidem noua & vetera proximis tribuenda ſunt? non enim Chriſto, ſed aliis hominibus fit conuiuium iſtud, & apponitur menſa doctrinæ, ad quam ſapientia eos inuitat: quadruplicem ergo his verbis inſinuat virtutis affectum, in quo vniuerſa paſtorum & doctorum ſanctitas & perfectio conſiſtit.

Prou. 9. v. 1.

1. Primus eſt affectus obedientiæ. Idem enim eſt, *Omnia ſeruaui tibi*, quod ad tui beneplacitum & voluntatem diſtribuenda, vt ego eo loco & tempore eis hominum nationibus, & eo modo quo tu iuſſeris, & voluerit, ea impertiar ſingulis. Tui enim eſt Domine hæc diſponere, & ordinare, mei autem erit obedire & exequi: tu enim eligis operarios euangelij, & mittis eos in meſſem tuam, vt eam metant, & fructum colligãt. Quomodo enim metent: aut quomodo prædicabunt, niſi mittantur? ſed ecce ego Domine mitte me, quia noua & vetera quæ ad hoc munus præparata habeo, tuæ ſubiicio voluntati.

Luc. 10. v. 2. Ad Rom. 10. v. 5. Iſai. 6. v. 8.

2. Sed ſimul exercendus eſt ſecundus affectus gratitudinis, cum dicitur, omnia ſeruaui tibi, quia tua ſunt, & gratitudinis titulo teneor ea retribuere tibi: non quidem in te ipſo, quia eis non indiges, ſed in membris corporis tui myſtici, quę indigent illis; quibus illa eo affectu tribuam, ac ſi tibi ipſi tribuiſſem, & ideo dixi ſeruaui tibi quia propter te, & intuitu tui fratribus tuis, etiam minimis ea impertiar, vt paſcam & reficiam illos. Sicut enim de paſtoribus dicit Saluator, *Qui vos audit me audit, & qui vos contemnit me contemnit*, ita de ouibus, id eſt fidelibus inquit, qui vos paſcit me paſcit, & qui vos deſerit, me deſerit. Cum enim pluris faciat animas quam corpora, multo magis ſibi datum referet cibum animabus præſtitum, quam quod præſtatur corporibus, de quibus tamen ait: *Quod vni ex minimis feciſtis mihi feciſtis.*

Matth. 25. v. 40.

3. Sed huic affectui iungendus eſt tertius profundæ humilitatis vt cum prædicat, & quæ congregauit aliis manifeſtat, non ſuam quærat gloriam, ſed Dei, qui enim propriam gloriam quærit, ſibi noua & vetera ſeruat ſeipſum, non Chriſtum prædicat, contra id quod Apoſtolus ait, *Non nos metipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, nos autem ſeruos veſtros per Ieſum*. Vnde etiam notanter non dixit in portis meis, *Sed in portis noſtris*: vt ſignificaret ipſius ſponſi eſſe portas & ædes, & omnem earum ornatum ad cuius gloriam in portis, & in omnium oculis ponebantur, vt omnes eum laudarent, & glorificarent. Hæc autem omnia maxime præſtat ingens Chriſti amor, & ideo orationem concludit, voce illa: *Dilecte mi*, ac ſi dicat, quia tu es dilectus meus, ideo omnia ſeruo tibi, ideo conuiuium faciam fidelibus tuis, & paſcam illos vberibus meis, & meis pomis, & doctrina mea. Scio enim te dixiſſe Petro, *Si diligis me paſce agnos & oues meas*. Hinc eſt ex eadem dilectione diſtribuenda eſſe non tantum noua quæ ad virtutes & præmia ſpectant, ſed etiam vetera de iudicio, gehenna, & aliis ſuppliciis quæ terrent peccatores, vt per affectum dilectionis quo proponuntur, ex timore ad amorem euehantur. Quamuis enim ſpõſa Chriſtum vocet, *Dilecte mi*, quia ſingulariter eum diligit, vehementer tamen cupit ab omnibus hominibus ſimiliter diligi, omneſque poma noua & vetera ſibi aggregare, vt dilecto ſuo beneuole offerant illa. Felix anima quæ omnia ſua Chriſto ſeruat; ſic enim melius ſeruat & ſibi, quoniam ipſa ſine illo ſibi ſeruare nequit. Trade ergo fidenter omnia tua illi, qui potens eſt depoſitum tuum ſeruare in illum diem, in quo veniet iudicare viuos & mortuos, & reddet tibi coronam iuſtitiæ iuſtus iudex, vt cum ipſo regnes in cœlis, in ſecula ſeculorum. Amen.

2. ad Tim. 4. v. 2. & c. 4. v. 8.

EXPOSITIONIS MORALIS IN CANTICVM CANTICORVM LIBER DECIMVS, & vltimus in cap. VIII.

DE SVPREMO CONSVMMATOQVE statu iustorum in contemplatione & dilectione Dei, atque zelo circa proximorum salutem.

CAPVT VIII. CANTICI.

Inflãmata desideria fruendi sponsi præsentia.

1 QVIS mihi det fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam
2 me nemo despiciat? Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ. Ibi me docebis, & dabo tibi poculum, ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum. Læua eius sub capite meo, & dextera
4 illius amplexabitur me. Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quæ est
5 ista, quæ ascẽdit de deserto, delitiis affluens enixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitaui te. Ibi corrupta est mater tua,
6 ibi violata est genitrix tua. Pone me, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum: quia fortis est vt mors, dilectio: dura sicut infernus, æmulatio. Lampades eius, lampades ignis, at-
7 que flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Soror nostra parua,
8 & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est? si
9 murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus
10 illud tabulis cedrinis. Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sunt coram eo

Præscribuntur leges perfectæ dilectionis seruandæ ab Sponsa.

Solicitudo sponsæ circa personas, & res sibi commissas.

A quasi pacem reperiens. Vinea fuit pacifico, 11
in ea quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me est. Mille 12
tui pacifici, & ducenti his qui custodiunt fructus eius. Quæ habitas in hortis, amici 13
auscultant, fac me audire vocem tuam. Fuge 14 *Corona totius Cantici.*
dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnulo-
que ceruorum super montes aromatum.

CAPVT hoc octauum Cantici, vt Theodoretus bene notat, totius operis est peroratio, tresque præcipue continet partes. Quarum prima per modum epilogi sub nouis metaphoris Ecclesiæ sanctæque animæ inflam-
B mata repetit fruendi Christo desideria, miros eius in contemplatione & dilectione progressus, dulcesque Dei fauores vsque ad illum versum: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum delitiis affluens, innixa super dilectum suum?* horum autem desideriorum scopus explicatur illo verbo. *Ibi me docebis*, scilicet perfectissimam doctrinam diuini amoris, quam discere concupisco. In secunda vero parte sponsus hoc explens desiderium, canones tradit, & regulas perfectissimæ dilectionis erga ipsum ab sponsa seruandas, miraque huius dilectionis depingit proprietates vsque ad illum versum: *Si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* In tertia autem sponsa sub duplici similitudine, scilicet sororis suæ paruæ & vineæ sui dilecti, vigilantem solicitudinem, & zelum describit quem habet erga proximorum omnium salutem. Ad quem amplius vrget eam

sponsus

sponsus cum ait: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam*; cui ipsa respondit, *Fuge dilecte mi*, &c. his autem duabus sententiis coronidem Cantico apponit. Nos autem omnium quæ ad supremam inter Deum & animam communicationem, spectant, prout in hoc capite octauo insinuantur, epilogum faciemus, vt vniuerso operi felicem ad Dei gloriam coronidem apponamus.

PRIMA PARS LIBRI DECIMI.

De inflammatis desideriis fruendi Christi Domini præsentia.

PRO FESTO INCARNATIONIS, vel NATIVITATIS DOMINI.

B

EXHORTATIO I.

De inflammato desiderio Incarnationis & Natiuitatis Christi, quo flagrabat antiqua Ecclesia, & multo magis beatissima Virgo, & de modo contemplandi hæc & alia Christi mysteria.

CAPVT VIII.

VERSV. 1. Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam nemo me des- C piciat?

NOVVM, vehemens, & ardens sponsæ desiderium his verbis explicatur. Sic enim amor increuerat ex vltima cum sponso confabulatione in agro, vt quasi Mandragoræ philtro extra se rapta dicat ei, quis mihi daret, vt esses sicut frater meus paruulus adhuc sugens vbera matris meæ, quem foris & publicè deosculari possem sine vllo rubore, & propter hoc nullus me contemneret. Vtinam adesset iam hora illa in qua iure coniugij te vocare possem fratrem meum, ac si suxisses vbera matris meæ, vt in omnium conspectu liceat sine reprehensione tanquam legitimum sponsum deos- D culari te. Hęc de litera plurimis scatente mysteriis.

De desiderio Dominicæ Incarnationis. §. 1.

Athanasius in Synopsi. Ambr. lib. 1. de institut. Virg. cap. 1 Greg. Cassiod. Beda, Anselmus, Theodoretus. Lib. 1. exh. 4. §. 2.

ET in primis D. Athanasius, Ambrosius, Gregorius, & alij plures patres, in his verbis agnoscunt desiderium, quo antiqua Ecclesia flagrabat videndi oculis corporeis Messiam, quem fide credebat, & venturum expectabat. Quem sensum secuti sumus in libro primo circa illud, *Osculetur me osculo oris sui*, &c. sed nunc fusius prosequemur, lex enim aut septem Christi insignia sub hac metaphora eleganter depinguntur, quę hoc ardens desiderium excitabant. Vehementiam enim eius indicat phrasis illa, *Quis mihi det*, quæ maiorem energiam habet quam aduerbium vtinam, eaque vtitur scriptura quoties rem sublimem, aut valde

A arduam vehementer desiderari insinuat: vt cum Iob ait: *Quis det vt veniat petitio mea*: & Moyses, *Quis tribuat vt omnis populus prophetet?* sed de hoc desiderio plura loco citato. Primo igitur fatetur Messiam futurum esse verum hominem eiusdem naturæ cum nostra, & ideo ait, *Quis mihi det te fratrem meum.* Frater enim noster est propter naturam humanam assumptam, & quia illam propter homines assumpsit, ideo vt se ab Angelis secernat ait, quis det, non Angelis, sed mihi, vt sis frater meus non Angelicę, sed humanę naturæ particeps? quia vero promissio peculiariter facta est populo Israëlitico ex quo secũdum carnem nasciturus erat, ideo etiam de se synagoga, vt ab aliis nationibus se discernat ait, quis det vt mihi venias, & ex meis progenitoribus carnem assumas. Sed cum eum alloquitur qui nondum erat vt homo, profecto testatur esse plusquam hominem, verumq; esse Deum, à quo petit vt fiat sicut frater suus. Quod versio Aquilæ magis innuit, dum ait, *Quis dabit te vt fratrem mihi.* Constans enim erat apud Prophetas Messiam Deum esse & hominem, vnde ab illo vt Deus petebant quod veniret & homo fieret. Iob. 6. v. 8. Num. 11. v. 29. Et infra ex. hort. 3. §. 1. 1.

Sed vlterius confitetur futurum esse hominem, 2.
non quidem eo modo quo creatus est Adam in ętate perfecta, sed potius paruulum & infantem concipiendum ex fœmina, & eius vberibus nutriendũ; & ideo addit, *Sugentem vbera matris meæ*, quod Isaias postea amplius expressit dicens: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Quod est interpretatum nobiscum Deus.* Hanc autem Virginem intelligit cum ait, sugẽtem vbera matris meæ, nam quæ ipsum Christum vocat fratrem meum, cõsequens erat vt matrem eius vocaret suam, meam autem dicit, quia ex meo genere ortam, quia per ipsam hunc fratrem meum sum habitura, & quia communis omnium mater futura erat ad omnium iuuans regenerationem per gratiam. Nullam autem hic mentionem facit patris, quia frater iste quem desiderabat, non erat concipiendus ex patre terreno, sed ex Virgine obumbrante Spiritu sancto. Isai. 7. v. 14. Mat. 1. v. 23.

At quia Christus futurus erat mortalis & passibilis vt sua passione & morte nos redimeret, ideo nomine matris meæ, intelligere possumus etiam humanam naturam in genere quæ quasi communis omnium est mater; sicut prima mulier dicta est mater omnium viuentium. Sugere autem huius matris vbera est omnes imbecillitates & ærumnas humanæ naturæ sustinere, omniumq; miseriarum eius participem fieri. Nam vt inquit Apostolus, 3.
Quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem deserueret eum qui mortis habebat imperium, id est diabolum. Et paulo post: *vnde debuit per omnia fratribus assimilari vt misericors fieret*, experiri enim voluit miserias omnes infantilis ætatis, & ærumnas corporis morti obnoxij, imo ipsius mortis vt similis factus reliquis hominibus, qui eadem patiebantur, compateretur illis, & quasi pronior fieret ad liberandum illos. Ad Hebr 2. v. 14. & 17.

D. Anselmus aliter interpretatur, *Sugentem vbera matris meæ*, id est educatum doctrina legis ipsius synagogæ; quasi iusti illius temporis desiderarent Christum circuncisionis, & suæ legis obseruatorem. Quod quandiu vixit perfecte fecit. Non enim venit soluere legem, sed adimplere. Sed alter Theodoretus nomine matris meæ intelligit gratiam Dei omnium rerum matrem & nutricem. Gratia enim Spiritus sancti quasi omnium 4.

Sap.16.v.25. Luc.2.v.40. & 52. iustorum est mater, per quam in baptismo regenerAmur. Huius vbera suxit Christus eo locutionis genere quo dicitur: *Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientia; & gratia Dei erat cum illo:* & rursus, *& Iesus proficiebat sapientia, & ætate & gratia apud Deum & homines*, in primo autem incarnationis instanti omnium gratiarum suxit plenitudinem, etsi paulatim suxisse videatur. Desiderabat autem sponsa illum videre hæc vbera sugentem, id est, omnem hauritentem plenitudinem gratiæ & veritatis, quoniam sciebat de plenitudine eius omnes accepturos.

5. Sed subtiliorem audi interpretationem. Desiderabat enim sponsa Christum, eo modo quo tantum sponsum decebat venire in mundum, nimirum vt secundum corpus esset quidem paruulus indigens lactari à matre fœmina; secundum vero spiritum esset plene beatus, sugens vbera matris

Ad Gal. 4. v.26. suæ, scilicet cœlestis Ierusalem, quam D. Paulus B vocat matrem nostram, vt lacte beatificæ visionis quo Angeli, ab ea lactaretur, & ipse tanquam primitiæ beatorum inter homines, qui aperturus erat illis regnum cœlorum vt illuc intraret, & ab vberibus tantæ matris similiter replerentur: consulto autem non dixit sponsa, quis mihi te det fratellum, vel fratrem paruulum, vel infantem, sed absolute fratrem, vt sequentia verba omnes admitterent prædictas interpretationes matris Messiæ, quæ in ipsius etiam refunduntur maiestatem, vt amplius patebit ex eo, quod paulo post ait: *Ducam te in domum matris meæ, ibi me docebis*, &c.

6. Pergit sponsa suum explicare desiderium dicens, *Vt inueniam te foris*, quo expressius significat diuinam eius naturam secundum quam intus latebat in cœlis, & in sinu Patris tanquam vnigenitus illius. Optabat autem vt extra cœlos se foris C manifestaret in terris. Et ideo Isaias dicebat: *Vtinam dirumperes cœlos & venires*: & Dauid inquit,

Isai.64.v.1. Psal.18.v.7. *Exultabit vt gigas ad currendam viam, à summo cœlo egressio eius.* Quod sic explicat Diuus Ambro-

Li.de in stit.Virg. c.1. » sius: tanquam gigas foris est quia non rapinam ar» bitratus esse æqualem Deo, formam serui accepit. » Foris ergo factus est qui erat intus. Vide illum in» tus, quando legis quod in sinu est patris: cognosce » illum foris, quando nos quærit vt redimat: foris » sibi factus est, vt mihi intus esset, & fieret medi» cus noster. Ibi ergo simus, vbi Christus medicus » est radicatus & fixus in cordibus nostris. Sic ille; insinuans ideo Christum à sinu patris prodiisse foras vt factus homo intraret tanquam medicus intra nos, vt nos curaret, & fixus permaneret in nobis.

7. Sed alio modo sponsa desiderabat. Messiam inD uenire foris, quia multo iam tempore latebat inclusus & occultus intra sacramenta & sacrificia, ac ceremonias legis veteris quæ omnia præfigurabant Christum venturum. Cupiebat igitur eum extra has vmbras & figuras foris conspicere, & eo modo quo repræsentabant venturum, palam eum videre. Apte autem vtitur verbo inueniendi, quod quæsitionem præsupponit, nam per omnia illa sacrificia Christum quærebat, & in ipsis sacris scripturis, vbi cunctæ illæ figuræ scriptæ erant, Christus latebat, quam inquirere non cessabat, cupiens iam extra literam illum foris inuenire, & quod per fidem in scripturis inclusum credebat, foris impletum propriis oculis cernere?

De causis mouentibus ad desiderium Incarnationis Dominicæ. §. 2.

IAM finem & causam huius sui desiderij exprimens subiungit: *Vt deosculer te.* Quod Septuaginta sic vertunt: *Inueniens te foris deosculabor te*, sed clarius Symmachus: *Vt cum inuenero te foris, deosculer te.* In exordio Cantici dixerat sponsa: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino.* Cant 1.v.1. Desiderans eundem Dei aduentum in carne, vt ipse oscularetur eam vniens sibi naturam humanam, & tribuens illi pacem, reconciliationem & gratiam, cæteraque ingentia dona quæ ab eius vberibus promanant, sicut affatim suo loco explanatum est: at modo potius petit eum foris inuenire, vt deosculetur illum, hanc nouam ex parte sua adducens rationem, vt eum ad citius veniendum alliciat, dum ipso adueniente in eius gratiam quatuor satis præclara se præstitura hoc verbo pollicetur, quod & synagoga iustorum quorundam præstitit. Vtinam vniuersa præstitisset, sed maior pars præstare renuit?

1. Primo inquit, *Vt deosculer te*, id est te adorem, ac amanter recipiam tanquam verum Deum regemque mihi promissum, & publice coram omnibus me tibi subiiciam. Osculatione enim ab an- 1.Reg 10.1. tiquis adoratio fieri solebat, sicut de Samuele dicitur, quod tollens lenticulam olei effudit Lib.1.exh.1. ad finem, & cvh 14 §.1. super caput Saul, & osculatus est eum. Et sic Psal.2.v.12. eum regem constituit super hæreditatem Israël. De hoc autem alibi diximus notantes, quod vbi Psalmista inquit, *Apprehendite disciplinam*, D. Hieronymus vertit, *Adorate filium.* Et Aquila, *Osculamini filium*: apud nostros etiam mos inoleuit, qui forte etiam erat apud antiquos, vt aduenientem regem in regnum suum, omnes C venerentur osculando manus, aut pedes, sicut osculantur omnes Pontificem Romanum. Quod igitur Psaltes prænunciauerat, & vice Dei iusserat, sponsa se facturam promittit, cum Rex Christus veniret in mundum, & se foris hominibus manifestaret. Iuxta illud, *Post hæc in terris visus est,* Baruch.3.v. *& cum hominibus conuersatus est.* 38.

2. Deinde desiderat illum venire vt deosculetur, id est, vt pacem & reconciliationem cum eo ineat, & veniam peccatorum quæ pacem inter Deum & homines abruperunt, imploret: quasi offerens se ad acceptandam pacem quam ipse Psal.72.v.7. allaturus erat, sicut scriptum est; *Orietur in die-* Psal.84.v.11. *bus eius iustitia, & abundantia pacis*: has autem osculo acceptamus, nam de ipsis dicitur: *Iustitia & pax osculatæ sunt.* Osculari autem Christum est illi confœderari, & Euangelium pacis recipere ac doctrinam ipsius Christi quæ in charitate & pace stabilienda erat: vnde cum 3. ait, *Vt deosculer te*, etiam spiritum legis mutare proponit: ac si dicat, non amplius tibi inseruiam spiritu timoris, qui proprius est legis veteris quam hactenus seruaui, sed spiritu dilectionis ad tuam nouam legem spectantis, sicut decet inseruire ei qui frater meus factus est, adeo dulcis & amabilis vt sis sicut infans, sugens vbera matris meæ. Hoc autem optime significat phrasis ista, nam vbi vulgata habet Pharaonem dixisse Iosepho: *Ad tuum* Genes.41.v. *oris imperium cunctus populus obediet*, iuxta 40. verbum Hebræum *Nasak.* Potest verti, *Ad os tuum cunctus populus osculabitur*, tuo imperio placide obediens. Denique cum ait, 4.

Deosculer te, ad desponsationem spiritualeque A connubium respicit, quod mutuo osculo inter Christum & Ecclesiam, inter Deum & animam perficitur: vnde sicut in initio Cantici petit, vt Deus osculetur illam huic desponsationi felix tribuens initium, modo postulat aduentum eius, vt ipsa re osculetur, & per reciprocum osculum integre desponsatio perficiatur. Prius autem petit Dei osculum quam offerat proprium, quo-

1.Ioan.4.v. 10.&20. niam sicut ait Ioannes: *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Nec mirum quod quæ paulo ante dixerat, *Dabo tibi vbera mea*, modo dicat, *vt deosculer te*; nam ex vtroque mutua hæc amicitia, & desponsatio spiritalis perficitur. In initio tanquam paruula & imperfecta magis intenta erat donis Dei recipiendis, quia sciebat nihil à se habere, nisi quod ipse ei præstaret; modo autem postquam tot recepit beneficia, magis attendit ad id quod ipsa præstare & agere debet, vt non ingrata inueniatur, & B vt acceptis donis bene cooperetur, ideoque ait, dabo tibi vbera, & osculabor te.

5. Subdit tandem; *Et iam nemo me despiciat*, sicut populus gentium me despicit, quia expecto quem nescio, desidero quem non video, & tot sacrificiorum & mandatorum onere grauata colo, quem regem meum profiteor: te enim aduenientem omnes potius honorabunt me propter te, & scient quam recte, prudenter, & sancte expectauerim, & adorauerim te regem

Iudic.11.v. 37. Isai.4.v.1. regum, & omnium dominantium Dominum. Fit autem allusio in hoc verbo ad opprobrium quod inter Israelitas erat sterilem esse, quare filia Iephte suam solemni forma deplorauit virginitatem: & septem mulieres quæ teste Isaia apprehendere cupiebant virum vnum, causam reddentes dixe- C runt: *Aufer opprobrium nostrum*, opprobrium enim putabant ante aduentum Messiæ quem expectabant, prole carere ex qua nasci posset. Ipso autem adueniente hoc opprobrium cessaret.

6. Sed aliud duplex opprobrium perniciosius vexabat synagogam, quandiu Christus non veniebat, primum vniuerso generi humano commune propter Adæ peccatum. Nulla enim maior est despectio apud Deum & Angelos quam culpa, & pœna illa annexa. Hæc autem tollenda erat in

a Dan.9.v.24. aduentu Christi, iuxta vaticinium [a] Danielis: *Septuaginta hebdomadæ abbreuiatæ sunt, &c. vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum*, &c. [b] Vnde D. Cyprianus notat Christum

b Serm. de Spiritu sancto. c Luc.3.v.24. Iesum secundum generationes quas ab Adam D. [c] Lucas commemorat, inueniri septuagesimum D

d Gen.4.v.24 septimum, vt vltionem in [d] Lamech septuagies septies promulgatam veniens terminaret, & Diuus

e Lib.2 de consensu Euangel. c 4. tom.4. [e] Augustinus addit, eodem numero significari omnia peccata iuxta illud: [f] *Non dico tibi septies, sed septuagies septies*: quorum abolitio facienda erat per Christum, & consequenter summum istud opprobrium auferendum.

f Matth.18. v.22. Alterum vero opprobrium magis proprium synagogæ fuit ob sterilitatem virtutum & bonorum operum, maxime eorum quæ heroïcam indicant sanctitatem; qualia sunt voluntaria paupertas, perpetua castimonia; humilis obedientia ad Prælati voluntatem, mundi contemptus, & alia huiusmodi. Qua de causa virtutes repræsentatæ per septem supradictas mulieres, vt cum D. Lib.2.exh. 16.§.2. Hieronymo superius diximus, Christi aduentum desiderabant, vt earum auferret sterilitatis oppro-

brium, nemoque eas despiceret cum fœcundas iam videret. Hoc igitur est quod Ecclesia antiqua ait: *Quis mihi te det fratrem meum.* Id est, vtinam te viderem in mundo paruulum, humilem, mitem affabilem & benignum, qualis est infans sugens vbera matris suæ, vt deosculer te, & has tuas virtutes amplectar, & bona opera quæ te facientem videro, etiam ego faciam, & iam nemo me despiciat tanquam sterilem & infœcundam. Obtinuit autem hoc synagoga in Apostolis & primitiuis Christianis, qui ex ea desumpti sunt; licet in maiori parte, quæ Christum non admisit sterilis permansit, vnde fœcunditas ad gentes quæ in eum crediderunt transiit, de quibus dicit Isaias: *Lauda sterilis quæ non paris, decanta laudem, & hinni,* Isai 54. v.1. Ad Gal. 4. *quæ non pariebas, quoniam multi filij desertæ, magis* v. 27. *quam eius quæ habet virum* Gentilitas enim quæ deserta videbatur à Deo, post Christi aduentum copiosiorem sanctorum operum prolem peperit B quam synagoga, cui promissus fuerat Christus, & ideo illa honorificata fuit ablato sterilitatis opprobrio: hæc vero magna ex parte non effugit damnum quod timebat cum dixit: *Et iam nemo me de-* Mat.21.v.19 *spiciat.* Horrendum enim est & supremo despectu dignum post Christi aduentum sterilem esse: in cuius signum ipse Christus siculneæ carenti fructu, maledixit dicens: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuo.* Quod miserum synagogæ statum indicabat. Hæc de antiqua Ecclesia dicta sufficiant, iam ad lætiora transeamus.

De affectu quo B. Virgo desiderabat Christi aduentum. §.3. *Pro festo expectationis partus.* I.

IVCVNDIVS hæc verba aptabimus beatissimæ virgini Mariæ, quæ duplici tempore ea dixisse credimus. Primo ante Angeli annunciationem feruentius, quam omnes alij Patriarchæ, & prophetæ dicebat, *Quis mihi det te fratrem meum*, de Iudæa gente natum sugentem vbera matris meæ (mater enim tua mater mea erit) vt foris te inueniam in terra nostra: vt sicut intra cœlos in sinu patris adoraris, coleris, & amaris ab Angelis, ita ego in terris te deosculer, amem, adorem, & inseruiam, vt iam nemo me despiciat; nam despectum gentis meæ tanquam meum reputo. Perpen- Luc.1.v.30. denda est deuota & perspicax virginis fides qua *Significatio* Deum intuebatur, ab eoque efflagitabat vt homo *nominis* fieret. Ad quam fidem respiciens Deus, dum hæc *Gabrielis.* forte verba illa orans proferret, misit Angelum Refert Vie- Gabrielem qui personam gerebat Dei huma- gas in nam carnem assumpturi, & legationem suam le- Apoc. 12. gatus ipse suo nomine significabat, vt testatur Pro- sect.16. clus Episcopus in homilia Constantinopoli habita " coram Nestorio, cui loquens sic ait: reuerere no- " men Archangeli qui nuncium illud lætissimum " apportauit Mariæ, qui Gabriel est appellatus, di- " ctus Gabriel, id est, *Deus homo* (*Geber* enim ho- " mo est, *el* Deus) nomine ipso significans nuncium " quem apportat, quoniam is quem euangelizat, " Christus Deus & homo erat nasciturus. Sic ille, " quia vero nomen *Geber*, Hebraicè virum significat, ita dictum à robore & fortitudine, communius patres Gabrielem Dei fortitudinem interpretantur.

Gabriel ergo suum Beatæ Virgini explicans nuntium, sic ait: *Ecce concipies in vtero, & pa-* Luc.1.v.31. *ries filium.* Hunc scilicet quem fratrem tuum

fieri cupis' verum Deum & hominem. Tu enim A es mater illa cuius vbera suget ipse. Stupefacta virgo angelico nuncio, quid putas reuoluebat animo? forte sicut Abraham cum promissus esset ei filius centenario, ex Sara nonagenaria obstupefactus, sed non incredulus dixit, *Vtinam Ismaël viuat coram te*, id est, sat mihi esset, si Ismaël viuat, in quo tua impleas promissa. Cur ergo tam grandi miraculo nouum mihi promittis filium? sic gloriosissima Virgo nuncij nouitate admirata, repetebat intra se, *Quis mihi det te fratrem meum*, &c. vtinam qui te mihi filium polliceris, sis mihi vel frater meus per humanæ communionem naturæ: sufficit enim mihi quod carnem assumas, etsi ex alia matre cuius vbera sugas, cui ego libentissime tanquam ancillula famulabor. Vnde enim hoc mihi vt Dominus meus nascatur ex me, & de meis pascatur vberibus, qui etiam ipsos Angelos pascit in cælestibus? quod si hanc mihi singularem dignaris tribuere dignitatem, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*: eodemque temporis momento in vtero eius verbum factum est frater simul & filius ipsius: frater per communionem eiusdem naturæ, filius per veram ex eius visceribus conceptionem.

Gen. 17. v. 18.

2. Ex tunc autem alio modo cœpit dicere; *Quis mihi det te fratrem meum*, quem in vtero meo gesto, vt inueniam te foris natum ex me ipsa, & sugętem vbera matris meæ. Id est, quæ diuinitas ipsa mihi dedit de cœlo plena, quæ propter hoc magis ipsius sum quam mea. *Vt deosculer te*, vt te adorem, in brachiis portem, lactem, osculis mulceam, & tibi diligentissime inseruiam? quis enim dubitat beatissimam Virginem vehementer desideresse videre, & ex facie cognoscere filium quem genuerat, & opus redemptionis perfectum conspicere, vt ipsa & omnes eo fruerentur, & miris replerętur donis? sed quid est quod ait, *Et iam nemo me despiciat*? nunquid timebat despici si prole careret, sicut aliæ fœminæ Israëlitæ? absit: nam quæ votum virginitatis emiserat, hoc opprobrium pro nihilo reputabat, sed quę non timebat contemni ob sterilitatem, maius opprobrium pertulit cum à sponso suo Ioseph inuenta est in vtero habens, & mysterium ignorans voluit occulte dimittere eam, ne videretur adulteræ communicare; tacuit tamen humillima Virgo nolens secretum propalare, confidens quod vel Deus ipse manifestaret, vel prodigiosus eius partus sine corruptione, dolore & aliis ærumnis quas patiuntur puerperæ, stupendaque futura miracula in filij natiuitate, innocentiam suam & virginitatem comprobarent, & tunc ait, nemo me despiciet, nec ipse sponsus contemnet, sed præuenit angelica reuelatio Ioseph manifestans mysterium. Quamuis citra dubium multum sit in fide confirmatus ex partu virginis, & ex mirabilibus quæ in Domini natiuitate euenerunt, vt non solum non contemneret matrem, sed pluris supra modum faceret, & tunc profecto multo mesius quam Rachel cum peperit filium suum primogenitum Ioseph, dicere posset: *Abstulit Deus opprobrium meum*. Id est, iam nec Lya fœcunda, nec vllus alius me contemnet, quia hic filius pro mille millibus computatur, propter quem non solum non contemnar, sed ab omnibus honorabor. Nam etsi ad tempus contempta sum, iuxta crucem in eius passione, post eius tamen resurrectionem ab omnibus glorificor; *Et beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est.*

Mat. 1. v. 19.

Gen. 30. v. 23.

3. Tandem quis dubitauit quotquot tanti mysterij reuelationem habuere ante Christi Natiuitatem, nimirum B. Ioseph Pręcursoris parentes, ac præcursorem ipsum, idem habuisse desiderium videndi illum iam natum, quo affectu dicebant, *Quis mihi det te fratrem*, &c. id est vtinam tu qui factus es frater noster per assumptionem carnis, sed adhuc latens intra hortum conclusum & fontem signatum Virginei vteri genitricis tuæ, foras prodires, & nascereris in mundo, vt videntes te foris sugentem vbera matris tuæ, & nostræ deosculemur te, & tuo nos iugi manciparemus obsequio?

De modo contemplandi hæc mysteria.
§. 4.

SED nos qui fide credimus hæc esse iam peracta mysteria, alio titulo hæc verba dicere debemus, exprimentes vehementem affectum contemplandi ea, vt illorum pascamur delitiis, ac si diceres, *Quis mihi det*, videre & contemplari, *te fratrem meum sugentem*, &c. vbi tria cõtemplanda proponuntur. Primo enim considerare debes immensam illam charitatem Dei, qui eum cum omnium sit pater & Dominus, humiliauit semetipsum vt fieret frater hominum illis similis in natura, vt quem antea diligebas, vt patrem quod nomen est reuerentiæ, & maiestatis, iam etiam possis diligere vt fratrem, quod quandam præ se fert æqualitatem, etsi ipse sit primogenitus in multis fratribus, quos eiusdem cælestis hæreditatis voluit esse participes. Nam dum se fecit fratrem nostrum in natura humana, fecit nos fratres suos in gratia, per quam diuinæ sumus consortes naturæ, filiosque eiusdem patris cœlestis per adoptionẽ. *Quod si filij, & hæredes, hæredes quidẽ Dei, cohæredes autem Christi.* Confidenter ergo ad illũ accedere potes, tãquam ad fratrem; & quæ indiges, ab eo postulare. Nec enim exuit omnipotentiam patris ex eo quod assumpsit fratris naturam: sed plures cumulauit titulos, vt sua omnipotentia ad se accedentes protegeret, & adiuuaret. Nec tamen ex eo quod plures tecum sint fratres eiusdem Christi, spes tua minui debet, ita enim te gerere potes erga illum, ac si vnicus eius esses frater: & hoc denotat oratio ista, *Quis mihi det te fratrem meum*, mihi inquit, quia pro me factus es frater omnium, ac si tantum esses frater meus. Quod agnoscens Paulus ait, *Jn fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

1.

1. Petr. 1. v. 4. Ad Rom. 8. v. 17.

Ad Gal. 2. v. 20.

2. Sed vlterius progressa est Dei charitas, vt non quomodocumque se faceret fratrem nostrum, sed paruulum, *Sugentem vbera matris meæ*: voluit enim profundissime humilitatis præbere exemplum, omnes infantium ærumnas & indigentias sustinens; quo etiam maiorem in nobis dilectionis flammam accendit. Nam quo pro me humilior, eo mihi amabilior: & fratelli paruuli amabiliores sunt amore tenero & suaui, ideoque sponsa vt sui amoris exercere posset vires, sponsum desiderabat esse instar infantis vbera materna sugentis. Et tu ergo hanc admirare paruitatem, & imitari conare, tunc enim clamat exemplo quod postea dicturus est verbo, *Nisi efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnum cœlorum. Et quicumque humiliauerit se sicut paruulus iste hic maior est in regno cœlorum.* Dum autem inquit, paruulus iste seipsum signat, qui mitis erat & humilis corde. Nos autem cõiiciamus oculos in eum qui *Paruulus natus est nobis sugens vbera matris nostræ.*

Matth. 18. v. 3.

Isai. 9. v. 6.

Sed aliam hic contemplare Dei benignitatem qua A voluit infantem fieri & matrem habere, vt matrem suam etiam faceret nostram: & hoc insinuat pronomen illud, *Vbera matris meæ*, non ait tuæ, sed meæ, quia matrem quam elegisti in tuam, fecisti etiam esse meam. Vnde & in cruce dixisti ei signans discipulum quem diligebas, & in eo reliquos omnes, *Ecce filius tuus*, discipulo vero ait: *Ecce mater tua*, sicut ergo ad Christum fidenter accedere potes, tanquam ad fratrem tuum, ita ad Deiparam, sicut ad matrem tuam: & quæ ex vberibus suis lactabat filium suum Christum, ex eisdem vberibus lactabit spiritualiter reliquos filios, lactabat & te, lac sapientiæ & gratiæ implorãs omnibus. Et dum Christum in natiuitate contemplaris sugentem vbera matris suæ, inflammari debes ad desiderandum spiritualiter sugere vbera matris tuæ: nam propter vtrumque prædicatur de illa; *Beata vbera quæ suxisti*, siue tu ipse dum eras paruulus, siue B paruuli tui in quibus ipse manes.

Ioa. 19. v. 26

Luc. 11. v. 27

De hoc loco plura dicta sunt, l. 1. exhor. 20.

Sed adhuc tertio perpendere debes quod additur, *Vt inueniam te foris*, sufficere enim videbatur dixisse quod præcesserat. Nam si vbera matris sugit, iam foris erat; vt quid ergo de nouo desiderat inuenire illum foris? sed nomen foris extendendum est vt significet, non tantum extra sinum patris, vel matris, sed etiam discurrentem per vias publicas, & plateas vrbium sicut peregrinabatur, & pertranśibat per omnem Galilæam & Iudæam, docendo, & prædicando, benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo. Vt dictio foris comprehendat quidquid Baruch per nomen illud, *Interris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Quasi Christi sponsa dicat, non solum te desidero videre paruulum, sed etiam virum grandęuum, foris ambulantem, & munus obeuntem redemptoris, vt tua doctrina, sapientia, & virtute frui valeam.

Ad Hebr. 12. v. 12.

Dum autem ait, *Vt inueniam te*, inquisitionem præsupponit, quærendus enim est vt inueniatur. Multi enim sunt qui desiderant Christum videre, sed ex pigritia, vel elatione animi nolunt quærere vt inueniant, quasi expectantes vt Christus occurrat illis. Qui tamen nunquam eius dulci fruentur præsentia & colloquio. Legimus in Euangelio cum Pilatus remisit Christum ad Herodem; *Herodes viso Iesu gauisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierit multa de illo.* Et tamen Iesus, nec vllum verbum ei loqui voluit, nec ad eius interrogationes respõdere, cum tamen ad Caipham, Pilatum, & Iudam proditorem aliquid locutus legatur. Sed cur hoc: quia ex multo tempore desiderauit eum videre, & adeo fuit segnis vel elatus, vt non dignatus sit illum quærere. D Gauisus est autem cum eum vidit, etsi non quæsierit, sed sine fructu vidit, & gaudium illud versum est in odium seu contemptum Christi. Nam propter hoc dicitur, *Desideria occidunt pigrum*: nam cum ea non implet, occasio sunt ruinæ ipsius. E contra Zachæus desiderabat videre Iesum, & quia desiderium erat efficax, pusillusque erat corpore: *Præcurrens ascendit in arborem sycomorum vt videret eum.* Quod sic gratum fuit Christo vt dixerit ei, *Festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere*, tecumque prandere & confabulari. Oportet igitur nos ita desiderare Christum videre, vt eum quæramus, & ita quærere vt possimus inuenire.

Luc. 23. v. 8.

Prou. 21. v. 25.

Luc. 19. v. 4.

4. *Quærendus est Christus à desiderãtibus videre illum.*

A multis enim quæritur, & non inuenitur, quia non vt oportet eum quærunt, vel forte quia probationis ergo se occultat ne inueniatur. Vnde & ipsa sponsa sicut ex supradictis constat, sæpius dicit se quæsiisse illum & non inuenisse. Quod in oratione & contemplatione crebro nobis contingit, cum inuiti vagationes mentis, & cordis ariditatem patimur, nec Deum quem meditationibus quærimus, inuenire vt cupimus, valemus, & ideo instãter orãs ait: *Quis mihi det vt inueniam te foris*, iam peregrinantem in Ægyptum, iam tendentem in Iordanem ad baptismum, vel discipulos docentem, iam etiam vt inueniam te foris extra prætorium Pilati cum ille exiens, & secum te ducens dixit ad populum: *Ecce adduco vobis eum foras vt cognoscatis, quia nullam inuenio in eum causam*, iam denique cum existi foras extra portam ciuitatis baiulans tibi crucem in eum qui vocatur Caluariæ locus, vbi crucifixus es. Hæc omnia vehementi affectu debes contemplari desiderans in iis omnibus locis Christum inuenire foris, omni nebula, vmbra & obscuritate fugata.

Ioan. 19. v. 4 & 17.

Antiqua Ecclesia vt supra insinuauimus, contemplabatur ista intra vmbras suas, nimirum intra agnum Paschalem, intra vaccam, aut hircum in sacrificium oblata, intra serpentem æneum super lignum positum; at nos contemplamur hæc iam foris, vt suis in locis peracta sunt, figuris & vmbris omnino sublatis. Illa non poterat intueri splendorem vultus Moysis, qui velamen ante faciem posuit, quod vsque hodie manet in Iudæis incredulis; at nos reuelata facie gloriam Christi speculamur, quia foras exiit, & se nobis manifestauit. Desideramus autem illa vt foris sunt, distincte inuenire, perscrutari & intelligere, eorumque fide & cognitione repleri.

2. Cor. 3. v. 13.

Subdit autem, *Vt deosculer te*, insinuaris contemplationis scopum in his mysteriis præfigendum; nempe vt te ex toto corde meo diligam, & dilectionis meæ magna signa prębeam, vt te adorem tanquam Deum meum & regem meum, & tuam legem ac doctrinam suscipiam: vt me totum tibi tradam & vniam, tanquam sponsa dilectissimo sponso suo. Hoc enim est vt deosculer te, id est vt intra viscera mea te intromittam, & vnum tecum fiam. Nam vehementer se amantes, cum se osculantur, eo se affectu tangunt, vt quasi vellent se penetrare vsque ad intima & vnum fieri, sed amplius hoc verbum innuit: nimirum deosculabor te foris vbicumque te inuenero, siue in præsepio, siue in prætorio Pilati; vel in cruce. Non enim erubescam te in iis locis afflictum, & contemptum inuenire, sed potius de iis omnibus gloriabor in te, illaque confitębor & prædicabo. Non enim erubesco Euãgelium, nec Christum crucifixum quem Iudæi & gentes contemnere. Si enim tu proposito tibi gaudio sustinuisti crucem confusione contempta, quid quod ego tuam etiam amplectar crucem, non timens confusionem & opprobrium, neque quod vllus me despiciat, quin potius te & crucem tuam coram omnibus libenter osculabor. Iacob moribundus, *Adorauit fastigium virgæ eius*, scilicet Ioseph, nam vt interpretatur D. Chrysosto- Ad Hebr. 12.
mus, osculando summitatem Virgæ & sceptri eius Ad Hebr. 11. v. 21.
adorauit eum ob dignitatem regiam vt impleretur Ex Gen. 47. v. 31.
quod aliquando præuiderat Solem, Lunam, & vndecim stellas adorasse illum. At ego osculabor fastigium crucis Christi, quæ virga & sceptrum regium eius est, nam Dominus regnauit à ligno; desideroque omnes maiores & minores osculari & adorare illum. Iuxta Sept. Ita interpretatur D. Chrysost. & alij.

5.

Sed amplificatur valde per id quod addit, *Et* 6.

iam nemo me despiciat? quo vt iam diximus, desiderium insinuatur spiritualis connubij ad tollendum opprobrium sterilitatis, quod eleganter præfiguratur in Rachele quam constat symbolum esse vitæ contemplatiuæ, quæ multis annis sterilitatis ignominiam pertulit; cum autem primum enixa est filium, dixit: *Abstulit Deus opprobrium meum, &* Gen.30.v.23. *vocauit nomen eius Ioseph*, dicens, *Addat mihi Dominus filium alterum.* Ioseph enim significat accrescens; vnde post Ioseph, accreuit illi alter filius, nempe Benjamin. Ad hunc igitur modum vita contemplatiua, cum sterilitatem bonorum operum præsentit, vehementer desiderat illam propellere, quia supremum hoc putat opprobrium virtutibus & studiosis operibus carere. Neque merito quis despici, & contemni potest propter defectum diuitiarum, aut salutis, vel fortitudinis, aut nobilitatis, vel scientiæ, & eloquentiæ, aut aliorum eiusmodi quæ nobis inuitis deficere possunt. Sed tantum propter defectum virtutis, & boni operis, quod in nostra est libera potestate cum Dei gratia: vt ergo nemo iure eam despiciat, desiderat hac spiritali prole abundare, & cum aliquod egregium opus parit, lætatur valde, quia Deus abstulit ab ea opprobrium istud, & magnam concipit spem pariendi aliud. Et ideo primum vocat Ioseph, seu accrescens, desiderans & expectans quod accrescent alia.

Sed perpendamus vlterius Rachelem, non tantum timuisse opprobrium ex sterilitate, sed etiam Gen.30.v.1. mortem, ideo enim marito suo dixit: *Da mihi liberos, alioquin moriar*: cui ille, *Num pro Deo ego sum qui priuauit te fructu ventris tui?* & bene quidem, quoniam sanctorum operum procreatio Psal.112.v.9. non est opus solius hominis, sed gratiæ Dei, *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.* Aliquando autem hoc fructu hominem priuat propter secretam eius superbiam & præsumptionem, vel obliquam intentionem quam præ se fert, permittens eum labi, tædio affici, & tandem mori. Merito igitur vita contemplatiua Thren. 1. v.7. opera ad Christi imitationem appetit, ne aliquis eam despiciat, vel ex incuria mori contingat, & videntes eam hostes derideant sabbata eius. Reflecte ergo super cor tuum, & intuere an Christus qui iam venit, abstulerit à te opprobrium istud, an nullus iure te despicere queat, & sterilitatis ignominiam exprobrare. Si enim illum vt decet contemplaris vagientem & sugentem vbera matris; si quæsiisti & inueneris eum foris, meditatione assequens quæcumque pro te fecit, & passus est, si osculatus es illum, & ad nuptias spirituales peruenisti, bonis operibus fœcundus eris, nec vllus te contemnet. Si autem hæc contemnens, adhuc sterilis es, & iniquis operibus abundas, omnes te despicient, contemnent te Angeli, spernent te iusti, despiciet ipse cœlestis sponsus & omnibus tandem hominibus despicabilis eris, & execrabilis. Ab his time despici sicut sponsa, & nihil faciens in conspectu tanti fratris indignum, eius consequeris gratiam & gloriam in secula seculorum. Amen.

EXHORTATIO II.

De inflammato desiderio, quo flagrat Ecclesia conuersionis Iudæorum gentium, quæ per Christum Dominum inchoata est, & per Apostolos & successores protensa vsque ad finem mundi, & de conuersione secularium ad religionem.

In id, *Euntes in vniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Vel in id, *Ite, docete omnes gentes.* &c. In festis Ascens. et S. Trinitatis.

Quis mihi det te fratrem meum, &c.

APPREHENDAM *te, & educam in domum matris meæ, ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.* Persistens sponsa in eadem metaphora pollicetur se facturam id quod solet soror erga paruulum fratrem, quem quæsierat cum eum offendit foris. Non solum enim eum osculatur, sed in vlnas accipit, & portat in domum matris suæ, vtrique communem; vbi ipsa habitat: ibique eum alloquitur, & quid ipse respondet audit, eique aliquid gustui sapidum mulcens largitur. De hac autem metaphora plurima dicta sunt in libro 6. in illud, *Tenui eum nec dimittam, donec introducam in domum matris, & in cubiculum genitricis meæ.* Cant.3.v.4.

De Christi prædicatione vsque ad mortem.
§. 1.

1. SYNAGOGA igitur iustorum, quæ Christum iam appropinquantem expectabat, vel foris natum infantem agnouerat, & eum iam foris per regionem suam ambulantem, & prædicantem videre cupiebat, proponit se apprehensuram illum tanquam legitimum sponsum, ac virum suum. Quæ phrasi dicitur quod apprehendent septem mulieres virum vnum; aut accepturam etiam eum tanquã magistrum & doctorem sibi de cœlo missum: quem ducet in domum matris suæ, id est valde sibi complacebit, quod eat in domum matris suæ, illumque libenter comitabitur, ad modum quo Zacharias ait, decẽ homines apprehensuros fimbriam viri Iudæi, tanquam sui magistri, & ducis, dicentes, *Ibimus vobiscum*, scilicet ad quærendum Dominum. Vocat autem domum matris suæ, omnem terram Israël quam Deus promisit patribus suis, à quibus eam in hæreditatem cæpit; templum etiam Ierosolymitanum, & synagogas vbi Hebræi conueniebant ad audiendam legem. Fauet magis versio Sept. quæ dicit, *Ducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Domum referens ad vniuersam terram promissionis, cubiculum ad templum & synagogas. Matrem autem dicit ac si nos modo, qui Ecclesiam præsentem repræsentamus, primitiuam Apostolorum, & discipulorum Christi Ecclesiam vocaremus matrem nostrã. Hac ergo periphrasi & circumlocutione explicat id, quod futurum erat, vt nimirum Christus circumiret prædicans, & docens in omni regione Iudeæ, & Galileæ, in templo, & in synagogis, in montibus & aliis locis, in quos plurimi ex Iudæis concurrerent, ad audiendum illum. Quo videtur confirmari id quod sub alia metaphora supra petierat, dicens: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis*, &c. Isai.4.v.1. De hoc 19. exh. 24. plura dicta sunt.

2. Et hoc est quod inquit, *Ibi me docebis*, hoc verbo videtur parabolam enucleare, vt sciremus totum esse spiritale quod illa præ se ferebat. In iis inquit locis docebis me doctrinam tuam, Euangelii pacis, viam perfectionis, & quidquid mihi necessarium est, & expediens ad salutem & vitam sempiternam; docebis me legem charitatis & dilectionis quæ foras mittat spiritum seruilis timoris præbens noua mandata quæ perficiant vetera. Tantum autem tu docebis me, & non gentes; & ego te introducam in domum matris meæ, quia non est missus ad gentes, sed solum ad oues quæ perierunt domus Israël, vt illas doceres, & ad te reduceres. Ego autem vicem rependam; nam *dabo tibi vinum*, melle, vel aromatibus odoriferis *Conditum, & mustum malorum granatorum meorum*: Id est, viros valde perfectos, quos tu ex populo Hebræo eliges in Apostolos & discipulos, qui te feruenti amore prosequentur, quasi potantes te suaui & forti dilectionis vino, aliarum etiam virtutum operibus condito, qui insuper pro te proprium sanguinem ex eodem amore profundent, quasi te inebriantes musto amoris, omnia virtutum grana in se congerentis; etsi enim tu nobis daturus sis hoc vinum & mustum, quo potemur & inebriemur, tamen per illud à te acceptum te ipsum etiam potabimus, & inebriabimur; nam hac nostra cooperatione & oblatione reficeris, & oblectaris. Math. 15. v. 24. De Deipara

3. Hæc inquit Synagoga iustorum, quæ per Apostolos & discipulos Christi expleta sunt, & per reliquam piam turbam quæ Christum sequebatur. Sed longe præcellentius per Deiparam, quæ illum sæpius apprehendit, & secum duxit in templum Hyerosolimitanum, suisque precibus etiam fecit illum exire ad docendum & prædicandum, eumque libentissime audiebat: quam præcellentius multo filius ipse legem perfectionis docuit, ne vllus sicut illa tam pretiosum vinum, & mustum amoris ei præbuit.

Sed nunquid dicit hoc sponsa de omnium Iudæorum congregatione? minime, nam si sacerdotum & Pharisæorum, ac scribarum cætum spectes, non nisi per ironiam hæc verba in illos quadrant. Apprehenderunt enim Iesum, imo & comprehenderunt in horto, & ligauerunt eum, & duxerunt in Ioã 18 v.12 domum Caïphæ, & in prætorium Pilati, ac in Caluariæ montem, vbi dederunt ei vinum conditum, sed myrrha amarissima, & felle mixtum, mustumque malorum granatorum; proprio cruore crudelissime eius tingentes corpus; & in crucem actum irridebant eum, ironiceque dicebant: *Ibi me docebis*: Hoc enim significant blasphemiæ illæ: *Si Rex* Math.27.v. 42. *Israël est, descendat de cruce, & credimus ei.* Et rursus, *Videamus si sermones illius veri sunt, contumelia &* Sap.2.v.17. & 19. *tormento interrogemus eum vt sciamus reuerentiam eius.* Nec destiterunt donec tandem introduxerunt illum, *in domum matris meæ:* Id est Math.27.v. 66. in sepulchrum, quod domus est mortuorum in Lib.6.exho. 13. terra, quę omnium communis mater dicitur, vt supra expendimus. Ibi enim collocauerunt Christũ, & clauserunt, munieruntque sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.

De desiderio Patrum qui erant in limbo, videndi Christum. §. 2.

4. SED iniquus Iudæorum cætus, prævalere non potuit contra Christum. Resurrexit enim gloriosus è sepulchro, adducens secum è limbo sanctorum patrum congregationem ex eadem Israëlitica gente partim desumptam. Clamabat hæc sancta congregatio, & vera Dei sponsa in suo carcere detenta; dicebatque, *Quis mihi daret te fratrem meũ sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris.* Id est vtinam iam ego te videre possem hominem factum propter me, vt inuenirem te foris, non tantum extra cœlum conuersantem, cum hominibus in terra, in eaque opus redemptionis humanæ perficientem, sed etiam eo peracto vt inuenirem te foris extra terram, & mundum visibilem, in hunc tenebricosum carcerem descendentem, vt me etiã visitares, & ab opprobrio quod in hac captiuitate posita patior, me eriperes, tunc enim osculabor te, & adorabo te tanquam Deum meum, quia tu osculaberis me osculo oris tui; & implebis me lætitia, cum vultu tuo, quem mihi clarè manifestabis. Deinceps autem nullus me despiciet, *Sed apprehendam te, & ducam in domum matris meæ*, &c. *De Patribus existentibus in limbo.*

Hæc autem impleta sunt, tum post mortem Christi Domini, cum descendit ad inferos, vbi docuit, & illuminauit dormientes sperantes in Domino; & Eccl. 24. v. 45. vt inquit D. Petrus, *His qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit.* Vt supra explicatum est. 1.Pet.3.v.19 Deinde vero cum post resurrectionem suam è terra migrauit in cœlum. *Et ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* Illa enim gloriosa captiuitas, & ducebatur à Christo, & ducebat Christum tanquam pompaticus eius currus: *Nam currus Dei decem millibus multiplex. Millia lætantium Dominus in eis.* Captiua fuit, sed deposita captiuitatis veste assumpta est in sponsam. Et tanquam sponsa comitatur sponsum suum in cœlum ascendentem, *in domum matris meæ*, id est cœlestis Ierusalem, quæ vt diximus ex D. Paulo est mater Ad Gal.4.v. 26. nostra. *De ascensione in cœlos.* Psal.67.v.19. Ad Ephes.4 v.8.

Ibi (inquit) *me docebis* scientiam beatorum, atque visione tuæ diuinitatis omnia quæ scire desidero, apprehendam. Antea apprehendi te per fidem, tunc apprehendam per claram intuitionem, daboque & offeram tibi tanquam vinum conditum, & mustum malorum granatorum, duo sanctorum agmina, quæ in hac captiuitate detenta erant, alterum illustrium confessorum qui vino dilectionis redundarunt: altero fortissimorum martyrum qui proprium sanguinem pro te fuderunt, qui omnes tam ardenti te amore prosequentur vt mirifice illo potẽris & reficiaris.

De conuersione Iudæorum in fine mundi & gentium. §. 3.

IAM quid Ecclesia egerit post ascensum Christi in cœlos ex his verbis deducamus. Apostoli enim & discipuli, qui vasa electionis erant vt nomen Iesu per vniuersum mundum portarent, apprehẽdentes ipsum per fidem & amorem conati sunt ducere in domum matris suæ, id est in ipsam Iudæorum Synagogam quæ mater eorum erat. Nam ex ea prodiere, & electi sunt. Et quamuis plurimos eorum ad fidem conuerterint, cæterum maxima pars Apostolorum prædicationi restitit, quæ innumeris est afflicta suppliciis. Nihilominus tamen qui adhuc ex ipsis persistunt, in sua perfidia obstinati manẽt vsque ad aduentum Antichristi. Tunc autem Ecclesia media prædicatione Eliæ & Enoch, reliquias Israël conuertet ad fidem Christi. Quod in hoc loco vaticinatur Salomon, cum sponsa id est Ecclesia, inquit, *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ. Ibi me docebis*, &c. Quia (vt D. Gregorius interpretatur) Synagogæ in fine mun-

» di Christum prædicabit; dumque per prædicatio- A
» nem susceptus fuerit, ibi Ecclesiam docebit, quia
» se doceri gaudebit, quando Synagogam iam idem
» corpus factam eruditi secum videbit. Poculum
» ex vino conditum Ecclesia dabit, quia ipsi Synago-
» gæ nouum testamentum cum veteri prædicabit, &
» quasi vino poculum condiet, quia dulcedinem E-
» uangelij testimoniis legis, quæ aspera est vt robu-
» stius teneatur, cinget. Mustum vero malorum gra-
» natorum suorum tribuet, quia martyrum in vnita-
» te eiusdem Ecclesiæ exempla apponet, vt ad eorũ
» similitudinem Synagoga inardescat, & Antichristi
» persecutionibus non succumbat. Hæc fere D. Gre-
In exhort. 14. gorius. De quo plura in lib. 6. dicta sunt.

Act. 13. v. 46 Sed interim quid cætus Apostolorum & suc-
cessorum eius egerint, audiamus. Nam vt D. Pau-
lus testatur, quia Iudæi recipere fidem noluerunt,
conuersi sunt ad prædicandum Euangelium gen-
tibus, quæ ab eodem Apostolo dicuntur esse foris,
id est extra Ecclesiam, & ideo hæc sponsa Christi
ait: *Quis mihi det te fratrem meum, vt inueniam
te foris.* Id est, si quidem non te inuenio intra Sy-
nagogam, inueniam te in iis qui sunt extra illam, vt
introducam te in illos. In hunc sensum explicat
Rupertus quod sequitur, *apprehendam te*, &c. ap-
prehendit enim Apostolica Ecclesia Christum, &
deduxit illum in domum matris suæ, non quidem
Synagogæ, sed vniuersæ terræ, quæ domus est diui-
næ sapientiæ ab ipsa fabricatæ, de qua dicitur: *O*
Baruch 3. v. 24. *Israël quam magna est domus Dei, & ingens locus
possessionis eius.* Introduxit itaque Christum in pa-
latia regum, in ædes principum, in ciuitates & vr-
bes totius orbis, ibique ædificauit templa, in qui-
bus Christus coleretur sicut modo colitur; *& ibi,*
inquit, *me docebis.* Nam etsi Apostoli & Prædica-
tores docuerint populos doctrinam Euangelij, ta-
men multo magis ipse Christus per illos, imo ipsos-
met Apostolos & doctores docet, quid docere de-
beant; vt exhortentur alios per exhortationem
1. Cor. 1. v. 4 qua ipsi exhortantur à Deo sicut Paulus inquit.
Virtute autem huius doctrinæ à Deo receptæ con-
gregauit Ecclesia abundantiam vini conditi, &
musti malorum granatorum, nimirum innume-
ram multitudinem iustorum, qui fidem & charita-
te multis bonis operibus mixtam amplexi sunt,
& aliorum qui etiam proprio sanguine eam defen-
derunt, & vniuersum hoc vinum & mustum obtu-
lit ipsi Christo, quia non sibi, sed illi animas lucra-
batur, & eius obsequio dedicatas esse volebat.

De ardenti desiderio conuersionis infidelium & peccatorum quo flagrat nunc Ecclesia.
§. 4.

1. SED adhuc hinc subtiliorem totius parabolæ de-
ducamus expositionem, vt ea quæ modo in Ec-
clesia eueniunt, intelligamus. Supponendum est
autem Ecclesiam Catholicam diuersis rationibus
vocari domum matris nostræ, & matrem nostram.
Primum quidem, quoniam vere est domus Dei, &
sapientiæ increatæ, ac æternæ, quæ dicitur prin-
ceps mater nostra quia creauit nos, & ipsa nobis
ædificauit Ecclesiæ domum, de qua dicitur: *Sa-*
Prou. 9. v. 1. *pientia ædificauit sibi domum, miscuit vinum, propo-
suit mensam.* Vinum autem & mensa significant v-
bera huius piæ matris, quibus nos lactat, nimirum
vtrumque sacræ scripturæ testamentum, vel sacri-
ficia & sacramenta ad refectionem hominum in-
stituta. Dicitur autem Ecclesia Catholica etiam
mater nostra respectu cuiuscumque fidelis in par-
ticulari, quia eum per baptismum regenerat, &
parit, & per vbera doctrinæ & sacramentorum nu-
trit, & ideo D. Ioannes repræsentauit eam sub ty- Apoc. 12. v. 1
po mulieris in vtero habentis filium. Verba igitur
ista; quis mihi det te fratrem meum, referenda sunt
non ad Ecclesiam vniuersalem, sed ad partem eius
nobiliorem scilicet pastorum, doctorum, & con-
cionatorum, qui conuersioni infidelium & pecca-
torum incumbunt, & eam vehementer desiderant.
Quare merito cætus eorum sponsa Christi fœcun-
da nuncupatur.

Hinc est per nomen *fratrem meum*, intelligen- 2.
dum esse non ipsum Christum in propria persona,
sed in membris suis (quod frequentissimum est in
scriptura vt sæpius diximus) id est, cætum omniũ
electorum, quos Deus præsciuit & prædestinauit Ad Rom. 8.
conformes fieri imaginis filij sui, vt sit primo ge- v. 29.
nitus in multis fratribus quos disposuit vocare, iu-
B stificare, & glorificare; ad quod suorum ministro-
rum vtitur opera. Dirigitur autem parabola ad vi-
rum non ad fœminam, quoniam Ecclesia omnes
qui conuertuntur, vellet esse viros animo & forti-
tudine, non molles & effœminatos. Qua ratione
de ipsa ait Ioannes, *peperisse filium masculum.* Quod Apoc. 12. v. 5
prius vaticinatus est Isaias dicens: *Antequam ve-* Isai. 66. v. 7.
niret partus eius, peperit masculum. Quare tantum
mares à vigesimo anno iussi sunt numerari in po-
pulo Israël, antequam terram promissionis ingre-
derentur, quoniam vt inquit D. Cyrillus, reiicitur Num. 1. v. 2.
quod est reprobum, molle, & imperfectum; & so- Lib. 4. de
lis maribus diuiditur terra promissionis. Vnde spir. & lit.
Pharaon volens populum Israël penitus extingue- Exod. 1. v.
re, iussit obstetricibus vt mares eorum occiderent, 16.
fœminas tantum reseruarent: quia princeps hu- Hom. 2. in
C ius mundi (inquit Origenes) viuificari non vult Exod.
mares, sed fœminas, in quibus carnis affectus ex-
primitur. Vir autem est sensus rationalis, qui cœ-
lestia sapit. Hunc odit Pharao, & necare cupit. Vult
enim vt omnes carnalia sapiant. Et sicut mares
Hebræorum adhuc infantes rapiebantur ad mor-
tem, sic diabolus natiuitati fidelium, cum per bap-
tismum regenerantur, insidiatur vt eos perdat. Si-
cut etiam Draco expectabat partum mulieris vt
mox filium eius deuoraret. Sancta igitur anima,
Christi sponsa vehementer cupiens omnium infi-
delium & peccantium conuersionem, respiciens
in omnes quasi in vnum, & in vnum quemlibet
ac in omnes, in singulisque intuens Christum qui
factus est pro cunctis frater noster, sic ait: *Quis mi-*
hi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ.
Hoc est, quis mihi det te, ô homo qui frater meus
es per naturam fieri etiam fratrem meum per gra-
tiam & regenerationem ex aqua & spiritu sancto?
D quis mihi det te videre tanquam paruulum & in-
fantem modo genitum, lac rationabile concupis-
centem, & sugentem illud ab vberibus matris meę
quæ est Ecclesia? quis mihi det te docilem, humi-
lem, mitem & promptum ad obediendum fidei, &
recipienda consilia & monita matris meæ quæ in
tuam vergunt salutem æternam?

Vt inueniam te foris. O quis mihi tribuat vt 3.
inueniam te iam esse foris extra cætum idololatra-
rum, & hæreticorum, elongatum maxime ab erro-
ribus, in quibus hactenus immersus eras? Osi in-
uenirem te foris extra congregationem peccatorũ,
extra cætum malignantium, extra omnem labendi
occasionem, vt longe sias à peccatis, & miseriis in
quibus degis? Veluti si quis videret fratrem, aut
amicum suum in tenebroso & horribili carcere,
vinculis ferreis constrictum, ac miseratione com-

motus diceret; O si viderem te fratrem meum fo- A
ris extra tenebrosum istum carcerem à malis omnibus
ereptum! sic feruens anima ait, ô si te peccatorem
viderem iam extra tenebrosam Ægyptum, extra
confusionem Babylonicam, extra diaboli tyranni-
dem erutum. Et quia hoc desiderium ex parte sua
efficax est, omnia fratri præstat auxilia, quæ neces-
saria sunt ei, vt ex illo tetro carcere, & pessimo
peccati statu egrediatur foras. Quemadmodum
Ierem. 38. v. 6. cum Ieremias proiectus est in lacum, in quo non e-
rat aqua, sed cœnum, vir pius Abdemelech mise-
ricordia motus eduxit illum, mittens funes & ve-
teres pannos quos cubitis supponeret, vt inde faci-
lius exiret.

4. Deinde rationem subiungit ad alliciendum di-
cens, *vt discipulet te*, ac si dicat, non ex odio te cu-
pio videre foris, sed ex amore, vt tecum veram in-
eam amicitiam & fraternitatem, vt in eadem fide,
& dilectione vniamur in Christo, & simus vnum B
cor, & vna anima, sicut est vna spes vocationis no-
stræ: & vt eorundem bonorum tanquam fratres
possimus simul esse participes: quandiu es foris ex-
tra Ecclesiam, vel extra fidem, aut gratiam, non
poteris in tuae in regnum Dei, sed in æternum ma-
nebis foris æternis flammis cremandus. Sicut scri-
Apoc. 22. v. 15. ptum est: *foris canes, & venefici, & impudici, &*
homicidia, & idolis seruientes, & omnis qui amat, &
facit mendacium. Nam pars istorum erit in stagno ar-
Apoc. 21. v. 8. *denti igne & sulphure:* intra ergo intus Ecclesiam
& deo seruiebor te tanquam fratrem filium matris
meæ ecclesiam regni cohæredem.

5. *Vt iam nemo me despiciat.* Potius videretur di-
cendum, vt iam nemo te despiciat, quia infideles
& peccatores coram Deo & Angelis, ac sanctis ve-
re sunt despicabiles, & contemptibiles, ac omni
confusione digni, cæterum postquam illum vo-
cauit fratrem, aptius dicit, vt nemo me despiciat, C
nam despectionem illius ex charitate, tanquam
propriam putat, & quia propter infideles, & pec-
catores etiam nomen Dei inter gentes blasphema-
tur, & eius fides, & Ecclesia despicitur, hunc
Psalm. 68. v. 10. contemptum etiam vt proprium reputat. Sicut
Dauid dicebat; *opprobria exprobrantium tibi cecide-*
runt super me. Propter hęc igitur illius conuersio-
nem desiderat, vt iam nullus deinceps iure possit
despicere illum, tanquam indignam homine vi-
tam agentem, nec contemnere Deum, aut Eccle-
siam eius, nam hoc est me ipsum despicere. Præter-
ea vt nemo me despiciat, tanquam qui in vanum
laboraue im Euangelium prædicando, & nullum
ferendo fructum, attribuens id non auditorum
proterui ati, sed vel doctrinæ qualitati, vel docen-
D tis ignauiæ. Nam sicut conuersio peccatorum est
gloria, gaudium & corona prædicantium, ita eo-
rum resistentia in nonnullam vergit ignominiam
& dolorem.

6. Si autem ad Deum volueris conuerti, *apprehen-*
In id, *trahe me post te*, &c. Cantic. 1. v. 3. *dam te, & ducam in domum matris meæ*, id est forti-
ter te ipsum tenebo, & alligabo non vinculis fer-
reis, sed rationibus & argumentis, ac beneficiis, vt
quod tibi prædico firmius teneas, idem enim est
apprehendam te, quod supra vocauimus, trahaм
te, & quod in parabola cœnæ dicit Dominus, *com-*
Luc. 14. v. 23. *pelle eos intrare*, dum ait, *ducam te*, saluam liberta-
tem esse demonstrat: apprehendam enim te non
inuitum, sed volentem, & ducam te sponte tua
me sequentem in domum matris meæ, quæ est Ec-
clesia, vt omnium bonorum quæ in ipsa sunt parti-
ceps sias, & illius præcipuè cœnæ magnę, & conui-
uij nuptialis quod in ea iugiter filiis suis præstat.

Et ibi me docebis. Docere in hoc loco, si ad vim 5.
parabolæ attendas, idem est quod ad interrogata
respondere: in hunc enim sensum soror paruulum
fratrem domi interrogans, quis te in talem locum
adduxit, quid ibi agebas? & cæt. cum ipse respon-
det, ait, ibi me docebis de omnibus quæ te inter-
rogauero. Idem igitur, ait pius doctor ad eum
quem secum trahit ad Ecclesiam, vel ad Christi
gratiam: ibi docebis me omnia quæ abs te de tua
anteacta vita quæram vt te melius dirigam: do-
cebis me, & annunciabis peccata tua, & prauas
propensiones tuas, vt congruentem adhibeam me-
dicinam: cathecumenus enim cum ad baptismum
venit sicut edoctus est, & mysteria didicit fidei, ita
ipse docet cum ad interrogata respondet se illa cre-
dere, mundo, & pompis diaboli abrenunciare.
Peccator autem ad confessionem accedens docere
dicitur, cum omnia suæ conscientiæ arcana mani-
festat, & ad cuncta quæ confessarius interrogat, fi-
deliter & integrè, prout ad salutem oportet, res-
ponsum tribuit. Post hæc autem quid sequitur? 8.
Dabo tibi vinum conditum, & mustum malorum
granatorum, id est participem te faciam cœnæ
magnæ, & nuptialis conuiuij, quod in domo matris
meæ solemniter celebratur. Per hæc duo intelligit
Rupertus duo sacrificia Ecclesiæ, alterum incru-
entum sacratissimæ Eucharistiæ, quod est quasi vi-
num conditum, vt mox videbimus: alterum cruen-
tum, vel passionis Christi, vel martyrum qui pro
ipso sanguinem fuderunt, vel sanctorum qui in
vnione charitatis ei obsecuti sunt; & per mustum
malorum granatorum designantur; quæ prudens
doctor conuersis ad Deum fratribus, distribuit vt
ex sacramentis, & ex sanctorum exemplis refician-
tur: aut possumus per vinum conditum copiosio-
rem doctrinam Euangelij multis aliis rationibus &
C argumentis conditam, quæ quotidie illis prædica-
tur, vt amplius proficiant. Cuncta hæc enim ad id
spectant quod sapientia domum sibi ædificans ait,
immolasse victimas & miscuisse vinum, & cæt. En
descripsimus progressum Euangelici operarij, qui
peccatorum conuersioni incumbit, qui tanta soli- Prou. 9. v. 1.
citudine vniuscuiusque debet saluti inuigilare, ac
si solus esset, ideo colloquium istud ad fratrem in
singulari dirigitur, siquidem & ille qui centum
oues habebat, relictis nonaginta nouem in deserto
ad quærendam vnam venisse dicitur: si enim scri- Luc. 15. v. 4.
bæ & Pharisæi Moysis discipuli, circuibant mare Matth. 23.
& aridam, vt facerent vnum proselytum, multo v. 15.
magis discipuli Christi omnem debent adhibere
operam, vt aliquem proximum lucrentur, & in
D eius ouile & domum introducant.

Applicantur dicta Religiosis. §. 5.

QVæ diximus de vniuersa Ecclesia, facile aptari
possunt religiosæ familiæ quæ mater est, respe-
ctu singulorum religiosorum, cuius domus est
claustrum & monasterium, in quo plures congre-
gantur. Vbera vero sunt constitutiones, & media
quæ continet ad prębendum lac doctrinę, ac per-
fectionis Euangelicæ, & lac etiam deuotionis &
amoris, quibus potissime suos nutrit alumnos. Re-
ferenda sunt autem hæc verba ad illustriorem reli-
gionis partem, nimirum ad prælatos & antiquiores
patres, & ad eos qui præ aliis spiritu sunt feruẽtes,
& duplici flagrant desiderio: vel, vt multi ex fi-
delibus qui fratres sunt in Christo, seculo relicto
ad religionem aduolent, vel vt fratres qui iam in
ea degunt, amplius proficiant. Et vtrumque per

hæc verba exprimunt: *quis mihi det te fratrem meum A sugentem vbera matris meæ, &c.*

1. Etenim cum licite, & sancte quisque desiderare possit, vt plures ex Dei vocatione religiosam vitam assumant, quam ipse profitetur, imo vt inquit Angelicus doctor, ad id alios ordinate tamen, possit inducere; ex hoc affectu dicere potest cũ aliquem ad religionem idoneum intuetur: quis mihi det te, qui frater meus es in Christo, eiusdem Ecclesiæ filius, fieri etiam fratrem meum strictiori vinculo per religiosa vota, sugentem vbera matris meæ, & eius doctrinam amplectentem. Vtinam inuenirem te foris extra seculum in quo degis, extra terram tuam, & cognationem tuam, & domum patris tui, relinquendo hæc omnia & obliuiscendo eorum, vt Christum sequaris. Tunc enim oscularer te, amplecterer te, & eximio amore prosequerer, apprehenderemque te libenter, & ducerem in domum matris meæ, vt in ea etiam perpetuo mecum B
res. Vbi ego te in examen adducam proponens cuncta quæ institutum religionis præscribit, & suscitans à te an ad ea obseruanda paratus sis, & vires ac animum sentias, & tu docebis me ad interrogata respondens. Postea autem potabo te paulatim vino condito amoris & deuotionis, plurimis operibus studiosis quæ in regulis habentur permixto; & musto malorum granatorum vnionis & charitatis fraternæ: quæ in eorundem exercitiorum communicatione consistit, & quia hoc vinum & mustum ex multis vuis & granis contritis exprimitur, *ibi* dabo tibi mortificationis & abnegationis propriæ exercitia quibus hæc valeas obtinere.

2. Sed alterum desiderium perfectionis in singulis eiusdem religionis, quod nobilius est, & vtilius explicemus: aduertendo hoc colloquium ad Christum dirigi sub nomine fratris, eo quod quilibet C
perfectionis studiosus in quolibet fratre debet Christum Dominum intueri: vt sic increscat amor, reuerentia & solicitudo, atque vt Christus in dies perfectius per fidem & charitatem in eo commoretur. Vocat autem eum fratrem meum ad indicandum amorem fraternæ charitatis, & vnionem
Psalm. 132. v. 1. quam in eodem Christo habere debent, de qua dicitur: *O quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Qua supposita primum quod desiderat est sugentem esse vbera matris meæ. Quo duas tangit virtutes, quæ religiosæ perfectionis sunt fundamentum, vna est humilitas de qua dici-
Mat. 18. v. 2. tur: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et ideo ait, vtinam esses sicut infans sugens vbera matris, qui te in victu & vestitu, & in omnibus aliis à matre agi quocumque vellet, sineres, in nulloque ei resisteres, sed minimum te reputares inter omnes; altera D
vero est auiditas sugendi religionis vbera & proficiendi regulis, ac mediis quæ ipsa ad perfectionem acquirendam præfigit. Miserum enim esset hæc vbera respuere, nolleque spiritali religionis nutriri lacte, sed fastidire illud, & ollas Ægypti iterum esurire: vnde fiet macidum esse, & languidum, tristitiaque & mœrore confectum; at qui hæc vbera sugit, fit deuotione pinguis, fortis, hilaris, & iucundus. Hæc autem duo non solum seruanda sunt à nouitiis, sed etiam ab antiquis quos oportet semper spiritum gerere paruulorum, vbera religionis sugentem. Nam qui vult esse maior, debet fieri sicut minor: nec contra hoc est exprobratio illa
Ad Hebr. 5. v. 12. Apostoli, *facti estis quibus lacte opus est, non solido cibo, perfectorum autem est solidus cibus.* Nam perfecti licet non pascantur solo lacte, ita tamen sumunt solidum cibum, vt lac non contemnant, nec reiiciant: quia ita aspirant ad grandia, vt etiam amplectantur modica, & qui profectu sunt grandæui, affectu sunt velut paruuli.

3. Deinde ait, *vt inueniam te foris*, optans illum Exod. 8. omnino extra seculum esse, & ab iis quæ mundi v. 25. sunt, valde elongari. Sicut enim Pharao volebat Israëlem manere intra Ægyptum, & sacrificare Deo in terra illa; Moyses è contra cupiebat illum videre iam foris extra Ægyptum, non quomodocumque, sed itinere trium dierum versus desertum elongatum, sic diabolus vocatos ad religionem retinere cupit intra mundum, religio è contra non tantum vellet eos foris extra mundum inuenire, sed nimis elongari. Et quia hæc elongatio non tam fit gressibus corporis, quam affectibus mentis, & dissimilibus moribus, cupit eum inuenire foris in externa conuersatione modestum, mitem, pacificum, vbique ea quæ Christi sunt cogitantem, & operantem vt domi & foris, in secreto & publico semper se gerat tanquam qui sugit vbera religionis, eius doctrinam seruans, & mores imbuẽs, omnibus se gratum & amabilem præstans. Ne forte dicatur de ipso quod de antiquis Nazareis: *non* Thren. 4. *sunt cogniti in plateis*, id est foris, quia eorum ex- v. 8. terna cum aliis conuersatio à sua consecratione, & sanctitate status degenerabat, at verus religiosus foris, & in plateis agnoscitur talis, quia suos sanctos mores secum portat. Propter quod (inquit) *ego deosculabor te*, & summo te amore prosequar. Etsi enim omnes fratres oportet diligere, præstantiores tamen & religiosæ vitæ studiosiores amplius diligi possunt, peculiaria dilectionis signa eis præstando, vt alij ad eos imitandos alliciantur.

C Vnde autem fiet, *vt iam nemo me despiciat.* Si e- 4.
nim tu agis vitam viro religioso dignam, quæ intus & foris Deo sit & hominibus commendabilis, nihilque perficias quod merito ab aliis reprehendi, vel propter quod possis despici, nemo religionem contemnet nec me, id est, congregationem hanc cuius ego pars sum paruipendet, sed potius magnificiet, nam ex vita laudabili, aut vituperabili cuiusque religiosi, valde increscit laus aut opprobrium congregationis suæ.

Tunc apprehendam te, & ducam in domum matris 5.
meæ. Sed nunquid iam non est intra illam, vt quid ait apprehendam & ducam? sed si præcedentia referantur ad religiosum dum adhuc est in probatione, facilis est responsio: talis enim dignus inuenitur, vt per professionem intra domum religionis recipiatur. Sed quia etiam in religione varij solent esse gradus, sicut sunt in nostra societate, qui in vno bene probatus est, digne apprehenditur, & transfertur in alium quo strictius in religionis domum introducitur, & ad grandiora munia eleuatur, & hoc est quod subiicit: *ibi me docebis*, tum exemplo, tum verbo, quia te in doctorem & magistrum aliorum constituam, daboque tibi fortissimum vinum, & mustum deuotionis, amoris, & zeli quod grandioribus & perfectioribus tribuendum est, vt aliis prodesse valeant.

Denique nouam rationem ex his verbis deduca- 6.
mus cum D. Ambrosio, qui agens de obitu Valen- *De morte iustorum.* tiniani refert illa ad fratrem qui sugit vbera Eccle- Orat. de obitu Valentiniani ad finem.
siæ per baptismum (& idem est de religioso) cui hoc bonum desiderat, vt in æternam gloriam tandem recipiatur. Hoc inquit est, *inueniens te foris osculabor te.* Id est, extra corpus te reperiens osculo

mysticæ pacis amplectar, vbi nullus te spernet, A
nullus excludet, in penetralia te arcana Ecclesiæ triumphantis, inducam, & in omnia secreta mysterij, vt bibas poculum gratiæ spiritualis. Vbi denique omnes lætemur, & quidquid desideramus
In Apoc. 12. v. 4. obtinere valeamus. Fauet eiusdem Ambrosij interpretatio de partu mulieris habentis in vtero filium masculum, quem dicit esse per mortem, nam Ecclesia quandiu in hoc seculo viuunt fideles, eos in vtero suo gestat, ibi nutrit, tuetur & perficit. Est enim velut vna plurium congregatio, se mutuo fouens. Tam autem mulier quam draco expectant partũ, & cupiũt filiũ videre foris, extra corpus, & extra vterum Ecclesiæ militantis, sed diuerso modo & fine, draco quidem vt deuoret illum, & in suum ventrem qui gehenna est, demergat illum: Ecclesia vero cruciatur, & vehementer desiderat eum suo tempore foras prodire, vt Deus rapiat illum ad se & ad thronum suum, & in securissimo B
felicitatis æternæ loco, collocet illum. Cum autem id videt impletum lætatur valde canens cum Psal-
Psal. 123. v. 6. mista: *Benedictus Deus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer liberata est de laqueo venantium.* Solicitudo enim Ec-
In Exhort. sequenti §. 4. iterum de hoc ad aliũ scopum. clesiæ ac religionis iugiter durat, donec alumnos suos ducat in domum matris nostræ supernæ Ierusalem, & in cœlestem transferat gloriam, quam Dominus præstare nobis dignetur in secula seculorum.

EXHORTATIO III.

PRO FESTO CORPORIS CHRISTI. *De desiderio fruendi Christo in Eucharistia, & duplici modo apprehendendi illum, vel per meditationem, vel per sumptionem sacramentalem, ac tandem apprehendendi illum clare in gloria.* C

Quis mihi det te fratrem meum, &c. Apprehendam te, &c.

1. ARDENS sacro-sancti Eucharistiæ sacramenti desiderium explicare aggredimur, quo omnes flagrare deberemus, sicut & ipse flagrabat Dominus qui Apostolis dixit: *De-*
Luc. 22. v. 15. *siderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Si autem viuida fide, profundaque meditatione quæ in hoc sacramento continentur, perpenderes, profecto sum- D
mo cordis affectu illico diceres; *quis mihi daret te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, &c.* Post hoc autem desiderium statim sequitur ipsiusmet sacramenti frequens & deuota assumptio, de qua subditur: *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, & ibi me docebis.* Et tandem conuiuij grata recompensatio inuitando ipsum qui te inuitauit, de quo dicitur: *Et dabo tibi vinum conditum, & mustum, &c.* de his ergo tribus aliqua breuiter attingemus.

De ardenti desiderio Eucharistiæ. §. 1.

2. SEd primo perpendamus originem tam vehementis desiderij, quo ardebat sponsa; noueratenim satis præcellentissima sponsi sui insignia quæ in capite quinto filiabus Ierusalem enarrauit, dum illum quæreret: dicens, *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus, &c.* Vnde tandem conclusit illum totum esse desiderabilem. Quid ergo quod illum desideraret iterum inuenire, & eo frui? At modo ardentiori affectu dicat: *Quis mihi det, &c. vt inueniam te foris.* Si enim probe nosses immensam Christi dignitatem, in sacramento latentem, proculdubio illum ardenter desiderares inuenire. Oportet ergo cuncta magnalia quæ de Christo fide credimus, mente reuoluere, vt totum desiderabilem totis præcordiis desideres. Filiæ Ierusalem auditis his magnalibus dixerunt: *Quo abijt dilectus tuus, & quæremus eum tecum?* Tu qui eadem nosti; & vbi sit non ignoras, dicito; quis mihi det te ipsum Domine, vt tradas te mihi in fratrem meum? *Nam quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terrã?* profectò nihil nisi te ipsum: vt autẽ suũ exprimat desideriũ, non ait, vtinam viderem, vel inueniré te fratrem meum; *sed quis mihi det te fratrem meum.* Supponit enim ab alio sibi dandum esse. Quis ergo est daturus? & à quo petit vt det? Respondet nobis ipse sponsus: *Sic Deus* Ioan. 3. v. 16. *dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Dedit autem cum ex beatissima Deipara carnem assumpsit, & factus est noster frater. Ipse etiam sponsus dat se ipsum, iuxta illud quod Zacharias dixit: *Iusiurandum quod iurauit ad Abraham pa-* Luc. 1. v. 73. *trem nostrum daturum se nobis.* Sed quia per incarnationem tantum datus est vnicæ naturæ humanæ à filio Dei assumptæ, in bonum tamen totius mundi, decreuit alio modo se dare vnicuique fidelium per sacratissimã Eucharistiam, quæ teste D. Tho- Opusc. 58. c. 5 ma, est quasi quædam pro singulis, incarnationis innouatio, dum ipsemet Christus Deus & homo sæpius descendit è cœlo & intra viscera recipientis ingreditur, vt suæ redemptionis illi applicet effectus, & fructus. Tunc autem pater dat nobis illum sicut testatur saluator dicens: *Pater meus dat* Ioan. 6. v. 32 & v. 52. *nobis panem de cœlo verum:* ipse etiam saluator dat iuxta illud; *Panis quem ego dabo caro mea est pro* 3. *mundi vita.* Hoc ergo credens sponsa ait: *quis mihi det te fratrem meum:* à quo id petis ô dilecta! & quis eum est daturus tibi? nunquid solus Deus? vtique ipse est princeps tanti doni largitor; at non se solo, sed per Sacerdotes, quos ad id præstandum in Ecclesia consecrauit. Ipsi dant, ipsi quasi de cœlo descendere eum faciunt, vt foris appareat & inueniatur. Cum primum enim vice Christi super panem, & vinum verba proferunt consecrationis, statim fit præsens ipse Christus obediente Deo voci hominis, & ideo sponsa ipsis etiam Sacerdotibus suum infinuans desiderium ait; *Quis mihi det te fratrem meum.* Id est, ô si vos Sacerdotes Dei altissimi daretis mihi fratrem meum, vel quis ex Sacerdotibus tuis, dabit mihi te fratrem meum. Bene ait *mihi*, nam cum natus est, in mundo pro omnibus natus est. *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis.* At in sacramento mihi etiam peculiariter datur, & intra me ingreditur, & fit frater meus, cibus meus, robur & omne bonum meum.

Sed qualem fratrem desiderat. *Sugentem vbera* 4.
matris meæ, illum scilicet qui suxit vbera Beatissimæ Virginis matris suæ, & nostræ, & qui modo sugit vbera matris nostræ Ierusalem, quæ sursum est, summis eius delitiis præ omnibus fruens. Sed cur inquit sugentem vbera, cum potius dicere debuisset lactantem vberibus suis? ad sacramentum enim non descendit Christus, vt vbera sugat, sed

Lib.1.exhort 15. in id *meliora sunt vbera tua vino.*

potius vt vbera sua aliis præbeat, ipse eos lactet & illi sugant. Diximus enim supra cum de sponsi vberibus ageremus, duas partes Eucharistiæ esse quasi duo Christi vbera ad lactandos filios suos, quos materno prosequebatur amore. Sed attende infinitam Christi charitatem erga Ecclesiam matrem nostram quæ corpus eius mysticum est. Ipse enim in qua nocte tradebatur recumbens in cænaculo cum Apostolis qui Ecclesiam repræsentabant, hoc venerabile instituit sacramentum sub accidentibus panis & vini, volens has duas sacramenti partes esse velut duo vbera Ecclesiæ suæ, quibus filios per baptismum genitos nutriret, & lactaret. Ipse autem primus hæc suxit vbera, cum sub vtraque specie Sacramentum sumpsit; suum proprium corpus manducans & sanguinem bibens, vt fere omnes patres affirmant. Quid ergo mirum dicat sponsa; *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ*: illa inquam vbera quæ tu tradidisti Ecclesiæ matri meæ, cum hoc sacramentum instituisti?

D.Tho.3 p. q 81 artic.1. ibi Theologi & Suares fuse.

Sed præterea cum Ecclesia hæc vbera fidelibus præbet, & illi sugunt ex eis lac deuotionis & gratiæ ac spiritualis lætitiæ: ipse Christus Dominus dicitur etiam sugere illa, quatenus idem est cum membris suis, in illisque, & per illos sugit, quos facit vt digne sugant. Vnde idem est quis mihi det te sugentem quod te me facientem sugere, & sugentem mecum, dum mea communione tu pasceris etiam, & reficeris. Propter quod supra de Ecclesia dicitur: *duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli qui pascuntur in liliis*, id est, duo vbera tua tumentia sunt & lacte referta ad nutriendos duos hinnulos capreæ gemellos, hoc est illum qui communicat, & ipsum Christum qui per modum vnius ad sacramentum accedunt, & lac sugunt; vel ad lactandos fideles qui charitate sunt quasi fratres gemelli eiusdem Ecclesiæ filij: sine huiusmodi enim vnione neminem hæc vbera vtiliter lactant.

Cant.4.v.5.

5.

Pergit vlterius suum desiderium exprimere dicens: *quis mihi det, &c. vt inueniam te foris*, iam viderat & inuenerat eum foris extra cælum & sinum patris cum factus est homo propter nos, sed quia decreuerat iterum in cœlum regredi, & intus abscondi sedens ad dexteram patris in throno gloriæ suæ, ne omnino nos relinqueret, sacramentum istud instituit, in quo sæpius posset è cœlo descendere, vt eum etiam foris inueniremus in terra, sicut inuenitur in templis, & locis sacris, & multoties in vicis & plateis, per quas defertur: anima igitur huius auida conuiuij, cum Christum intuetur in cœlis supernas dapes præbentem beatis exclamat & dicit: quis mihi det te fratrem meum qui sugis vbera matris meæ cœlestis Ierusalem, *vt inueniam te foris* extra illam, vt in hac Ierusalem terrena tua amabili præsentia frui valeam.

Præterea per incarnationis mysterium, non est inuentus Christus plene foris extra figuras, & vmbras antiquæ legis. Hoc enim diuinissimum sacramentum adhuc latebat inclusum in agno Paschali, in manna descendente de cœlo, in panibus propositionis, & aliis variis figuris: vnde Saluator noster in vltima cœna volens comedere agnum typicum, quem à pueritia quotannis comederat, desiderauit se foris manifestare, & propalare mysterium quod in eo agno latebat. Ideoque dixit: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Hoc inquam Pascha, non tantum quod oculis cernitis, sed quod intus latet, velut nucleus in cortice, & foras educam, vt seorsum manducemus illud; similiter etiam cum hic Eucharisticus panis lateret in manna, foris eum manifestare cœpit cum Iudæis dicentibus: *Patres nostri manducauerunt manna in deserto.* Ipse respondit; *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Manna panis erat vmbraticus, ego autem sum panis verus, qui de cœlo descendi, vt dem vitam mundo. Qui manducauerunt illum panem mortui sunt, qui vero manducat hunc, viuet in æternum: ille fastidium generauit, hic maiorem sui famem excitat, vt qui semel comederit, amplius esuriat, & dicat: *quis mihi det te fratrem meum*, qui panis es viuus de cœlo descendens, *vt inueniam te foris*, sub accidentibus panis constitutum, vt per te in æternum viuam?

Luc.22.v.15

Ioan.6.v.32 & 48.

Ad quid desideranda est Eucharistia, & de præparatione ad illam. §. 2.

1.

IAm ad quid sacramentum desideret explicat dicens primo: *vt deosculer te*, supra dixerat: *osculetur me osculo oris sui*: *quia meliora sunt vbera tua vino*, quod de Eucharistia ibi explanauimus, per quam Deus osculatur animam, illam sibi vnit, & nutrit, ac in seipsum transformat: nunc potius ait, vt ego ipsa deosculer te, quo plures insinuat deuotionis affectus, nimirum vt te summo prosequar amore, tuam etiam immensam adorem maiestatem, nam vt diximus, osculando fiebat adoratio, protestatioque amoris. Deinde cum triplex superius assignauerimus osculum pedum, manuum, & oris, de iis omnibus loquitur, vt deosculer pedes tuos instar Mariæ Magdalenæ, sperans ab hoc sacramento & sacrificio peccatorum meorum impetraturum indulgentiam. Deinde vt deosculer manus tuas, tanquam omnium bonorum largitorem, & huius boni, in quo est omne bonum, quod à sacratissimis tuis manibus processit, sicut scriptum est: *qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & elenatis oculis in cœlum, &c. benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis.* Tandem vt etiam deosculer, si fas mihi sit, ipsum os tuum, ex intimis præcordiis meis te diligens, tibi adhærens, & meum cum tuo spiritu vnum per amorem constituens. En triplicem finem ob quem desideranda est Eucharistia, vel ad impetrandam peccatorum veniam, vel in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, vt aliorum mereamur esse participes, vel denique ad vniendum spiritum intime cum ipso Christo: hæc enim tria per illam obtineri valent.

In lib.1. exhort. 15.

Supra in §. 3 adducitur illud: *osculamini filium, vel adorate pænem.*

De hoc lib.1. in exhort. 14.

In canone Missæ.

Inde autem quid sequatur ostendit, dicens: *vt iam nemo me despiciat*, ac si diceret; confido per diuinissimam Eucharistiam hoc osculo acceptam diuinam instituere vitam, cœlestes imbuere mores, & omnino irreprehensibiles, vt nihil habeam propter quod possit quis me despicere. Antea inimici mei despiciebant me & irridebant, quoniam in tribulationibus meis, & tentationibus multoties me superabant, & conculcabant: at nũc per te fratrem meum, qui in hoc sacramento es mihi adiutor fortis, ego potius irridebo & despiciam inimicos meos, confringam, & cõculcabo illos. Parasti enim in conspectu meo, hanc diuinam mensam quæ tu ipse es, aduersus eos qui tribulãt me; antea sterilitatis patiebar opprobriũ bonis operibus destituta, & ideo desiderabam te apprehendere dicens, cum mulieribus

2.

Psal.22.v.2.

Isai.4.v.2. mulieribus Hebræis: *Inuocetur nomen tuum super nos, & aufer opprobrium nostrum*: At si te cordi meo per hoc inseris Sacramentum, inuocabitur nomen tuum super me, vt merito Christifera dicar, te Christum sponsum meum intra me ferens, qui auferes à me opprobrium meum, & præclaris operibus me facies fecundam: *Quis ergo det te* fratrem meũ vt inueniẽs te, iam nemo me despiciat?

3.

Psal. 41. v.1. Clamabat Psaltes dicens: *Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Sed cur tam vehementer desiderat? quia despiciebar (inquit) ab inimicis meis, qui hanc mihi absentiam exprobrantes dicunt quotidie: *Vbi est Deus tuus?* Ego tamen non cadebam animo, recordatus quod iuxta tua promissa aliquando: *Transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. In voce exultationis & confessionis sonus epulantis.* Id est, vbi tantum resonat vox laudantium Deum, & sonus epulantium; nec vlla iam exprobratio mihi poterit molestiam inferre. Hoc igitur est quod sponsa ait: *Quis mihi det te fratrem meum*, qui tandiu à me absenses, vt iam inueniam te foris, vt tibi coniungar & deosculer? nemo enim tunc me amplius exprobrabit, nec despiciet dicens: *Vbi est Deus tuus?* Dicam enim illi, ecce iam mecum est foris extra cælum. Transibo in locum admirabilis tabernaculi quod est in domo Dei quam habet in terra. Ibi eum inueniam, ibi epulas mihi cælestes præparauit; ibi cum ipso lætabor & exultabo. Admirabile tabernaculum domus Dei est sacer templi locus, in quo asseruatur Eucharistia, vel altare vbi celebratur sacrificium Missæ. Fauet D. Hieronymi versio ex Hebræo; *veniam ad vmbraculum*: Nam sub accidentibus Eucharistiæ tamquam sub vmbra latet Christus, vt vmbra ista nos protegat & auxilietur, ne vllus hostis nos despiciat & irrideat.

Isai.48.v.17. 1.Reg 5.v.10. Psal.84.v.9 5.

4.

De communione spiritali per meditationem & affectum.

Prosequitur suum animi decretum exprimere dicens: *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ.* Huiusmodi autem apprehensio dupliciter potest fieri, sicut & duplex assignatur communio huius Sacramenti, altera spiritualis quæ per meditationes fit & affectus, altera sacramentalis per ejusdem Sacramenti receptionem: per vtramque autem introducitur in domum matris nostræ, quæ est natura humana, aut potius sapientia increata, quæ hominis mentem fecit, tamquam præcipuam domum & cubiculum in quo ipsa maneret, & requiesceret. Prior apprehensio disponit ad posteriorem, per quam postea melius perficitur. Et late patet non solum ad mysterium Eucharistiæ; sed etiam natiuitatis, vitæ, passionis & mortis Christi, & ad cuncta quæ sponsa desiderabat cùm ait: *Quis mihi det te fratrem meum, &c.* Vt sensus sit, Apprehendam te spiritu, cogitatione & affectu; te, inquam, fratrem meum factum per carnis assumptionem, te sugentem vbera matris meæ, te prædicantem legem tuam per vniuersam Iudæam, te vinctum, afflictum, & despectum in Prætorio Pilati, vel te in monte Caluario crucifixum; & ducam in domum matris meæ, vt intra mentem meam, & intra cubiculum cordis mei diutius mecum maneas: ibi profunda meditatione, cuncta quæ ad te spectant, apprehendam. Proprium enim munus intellectus est res quas intelligere cupit, apprehendere, ad se trahere, & quasi intra se collocare, vt quod res habet foris, per repræsentationem vel apprehensionem sibi sit præsens intus; vnde intra mentem apprehendit Christum paruulum in præsepio, vel pendentem in patibulo. Nec tamen hæc apprehensio esse debet quasi solius imaginis, & figuræ, sed tamquam rei viuæ, nempe ipsiusmet filij Dei viui, qui vbique reuera præsens est, & eriam intra mentem adest. Vnde coram ipso flectere debes genua cordis tui, vel sedere ad pedes illius vt accipias de doctrina eius, humiliter precans vt qui doctor est & magister, intus te instruat & doceat quid te agere oporteat: ipse enim ait: *Ego sum Dominus Deus tuus docens te vtilia.* Tu vero dicito ei: *Loquere Domine quia audit seruus tuus.* Et: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.*

Et hoc est quod sponsa ait; *Ibi me docebis*: Docet enim in oratione & contemplatione quidquid in terra propter nos egit, docuit, & passus est: suggerit & in memoriam reducit, ac cordi imprimit, quod Apostolos & populos docuit, & omnia virtutum exempla quæ illis præbuit, quæque nos amplecti desiderat. Docet deniq; vnumquemque viam salutis & perfectionis iuxta proprium statum & capacitatem, illustrans mentem & inspirans meditationes & cogitationes, quibus cuncta hæc dicat, apprehẽdat, & intime in se ipso sentiat, implens quod scriptũ est: *Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino*: seu, *erunt omnes docibiles Dei*: Quia facile se doctrinæ Dei subiicient, eo quod Christus Dominus non docet sicut homines, sed si cut potestatem habens, menti lumen infundens vt doctrinam penetret & amplectatur. Site (inquit) consido sugentem vbera matris vel cruci affixum vel latentem in Sacramento, ibi me docebis quomodo paruulus fiam, vltimum locum eligam, contemnam prospera mundi, & complectar aduersa, amem nesciri, & ab omnibus vilis reputari, abnegem memetipsum, tollam crucem meam & sequar te. Sed altiora adhuc me docebis; immensam nimirum charitatem & misericordiam tuam, infinitam sapientiam & omnipotentiam virtutis tuæ, & alia præclarissima attributa quæ his manifestantur operibus, dum fieri voluisti noster redemptor, magister, & pastor, medicus, & medicina, cibus & potus, & omnium bonorum fons indeficiens.

Isai.54.v.13 Ioan.6.v.45.

6.

Psal.38.v.4

Sed quoniam meditationis præcipuus scopus non est solum doctrinam percipere, & veritatis lumine perfundere intellectum, sed voluntatem mouere vt ardentes dilectionis exerat affectus, iuxta illud: *In meditatione mea exardescet ignis*, subdit statim: *Dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum*: Proculdubio sicut dixit; ibi me docebis, potuisset dicere; ibi dabis mihi poculum ex vino condito, & mustum granatorum tuorum, nam hoc vinum & mustum non habet anima à se nisi à Christo accipiat, & quod ab illo accipit, reddit illi, & sicut accipit doctrinam & instructionem mentis, ita accipit voluntatis affectus & actus: tamen aptissimè loquendi modum mutauit: nam per doctrinam intus à Deo acceptam, etsi voluntas excitetur & præmoueatur à Deo, ipsa tamen libere assentitur, & feruentissimos actus amoris producit, quos ipsi Deo offert; seipsamque vrget & agitat, agitata à Deo vt ardentius diligat, & ampliora concupiscat illi offerre dona.

Ait igitur tunc iam à te edocta, dabo tibi poculum ex vino amoris & deuotionis, compunctioniſque plurimis aliis virtutum actibus & aromatibus condito; dabo etiam muſtum zeli & feruoris, ac propriæ mortificationis vſque ad effuſionem ſanguinis, expreſſum è malis granatis meis, id eſt, ex meis bonis operibus, quæ licet minuta ſint, tamen vtcumque libentiſſimè offero illa tibi, vt omnia in tuæ gloriæ laudem cedant, & obſequium. Scio enim quod hoc vino & muſto valdè delectaris. Per has igitur metaphoras omnes internos actus & affectus intelligit, quos miro modo in contemplatione horum myſteriorum voluntas elicit, quia introducta eſt in cellam vinariam, & aciem charitatis ordinat vt Deum ſibi deuinciat.

De ſumptione Sacramenti. §. 3.

1. HIs autem conſiderationibus ſtimulata Chriſti ſponſa ad alteram ſacramenti ſe conuertit apprehenſionem, dicens: *Apprehendam te*, qui reuera in hoc lates ſacramento, vt intra viſcera mea te introducam in domum matris meæ, vt in mente mea ſemper maneas: Nam, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ioan. 6. v. 57. Sed apprehenſio iſta fieri debet corpore ſimul, & mente, ſacramentum etiam ſpiritualiter ſecundum omnia quæ continet apprehendendo. Ac ſi dicat, apprehendam ſacratiſſimam carnem tuam, apprehendam diuinitatem cui eſt vnita, animam qua viuificatur, ſanguinem qui replet eius venas; apprehendam theſaurum ſapientiæ & ſcientiæ qui eſt in mente tua, apprehendam tuas virtutes, tua merita, tuas ſatisfactiones, te ipſum cum omnibus quæ in te habes. Apprehendam te vt paſtorem meum, redemptorem, medicum, magiſtrum, ducem, & glorificatorem meum. His omnibus modis te apprehendam & ducam in domum matris meæ vt illi benedicas ſicut domui Lucæ 19. v. 9. Zacchæi benedixiſti dicens: *Salus huic domui facta eſt.* Et ſi domus Obededom benedicta eſt etiam, 2. Reg. 6. v. 11. quia introducta eſt in ea fœderis arca, cur non benedicetur domus mea, in quam introducam te qui viua es noui teſtamẽti arca, tanto altera præcelſior, quanto verum corpus ſuam excedit vmbram?

2. Quid autem ingrediens Chriſtus in domum animæ faciat, declarat ſequens verbum: *Ibi me docebis.* Poſſet quippe dicere ibi me curabis, paſces, reges, cibabis, quia cuncta munia Saluatoris propria ſibi gerit: ſolum tamen inquit: *Ibi me docebis:* quoniam doctrina Chriſti reliqua omnia bona ſecum affert, illuminat, ſanat, paſcit, lactat, exhilarat, accendit, roborat & perficit illum quem intus informat. 1. Ioan. 2. v. 27. Eſt enim Chriſtus in Sacramento Vnctio quæ docet nos omnia, & docẽdo vnget oleo deuotionis & lætitiæ ſpiritualis: eſt ſapientia increata, quæ tamquam mater honorificata & puriſſima viſitat iuſtum vt cibet illum pane vitæ & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potet illum: cibat pane vitæ, quia confert gratiam viuificantem animam, & reddentem illam dignam vitæ æternæ: cibat pane intellectus, quia infundit lumen illuſtrans intellectum vt res fidei penetret, & inuiſibilia Dei perſcrutetur: potat aqua ſapientiæ, quoniam ſapidam tribuit ſcientiam ſpiritus quæ voluntatem afficit, & ſaporem ac dulcedinem circa res diuinas elargitur. Et vocatur ſalutaris ſapientia, quia eſt ſapientia Chriſti, & veram impertitur ſalutem, quam ipſe mundo attulit, & in hoc Sacramento dilectis ſuis ſingulariter applicat, & ideo ſponſa non ſignat quæ ſint illa quæ docturus eam eſt, ſed tantum ait: *Docebis me*, vt ſignificet docturum ſigillatim quæ vniuerſum mundum docuit. Peculiariter vero docebit doctrinam amoris, & vnionis, quam in ſequentibus verſibus tradet illi. Nam propter hanc hoc Sacramentum inſtituit, vt huius dilectionis firmiſſimum eſſet ſignaculum. Aſſeueranter autem ait: *Docebis me*, non addens forſitan, vel ſi volueris, quoniam certo ſcit aduentum eius in animam quæ auide apprehendit illum, non otioſum eſſe & inanem, ſed inſtar ſolis cum primum eam intrat, totam illuminat; nec per illum ſtabit quominus illuminata maneat, ideoque Pſalmiſta eadem aſſeueratione inquit: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Pſal. 33. v. 6. Et: *Qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina illius.* Deut. 33. v. 3.

B Et ratio eſt, quoniam Euchariſtia vt ipſe Dominus inſinuat de ea loquens, facit *homines dociles Dei*, id eſt, reddit bene diſpoſitos vt doceantur, & ideo etiam conſtituit doctos à Domino, vt ex Iſaia diximus. Ioan. 6. v. 45. Iſai. 54. v. 13. Iſai. 30. v. 20. Qui etiam dum inquit: *Non faciet auolare à te vltra doctorem tuum.* Et: *erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*: Chriſtum inſinuat in hoc Sacramento viſibilẽ exiſtentem: qui numquam auolabit, ſeu alas ſumet vt fugiat à nobis & deſerat nos, ſed vſque ad conſummationem ſæculi permanebit nobiſcum munus gerens præceptoris.

3. De gratiarum actione poſt cõmunionem. Sed iam quid accepta communione in gratiarum actionem retribuere ſtatuat declarat dicens: *Dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum, &c.* Ac ſi tanti beneficij memoria oblectata dicat: *Quid retribuam Domino pro omnibus* Pſal. 115. v. 3 *quæ retribuit mihi?* C Benè inquit pro omnibus, quia in hoc vno omnia accipit, nam qui proprium filium tradit, & ſe ipſum tribuit, quomodo non omnia ſimul tunc donauit? Reſpondet autem Pſaltes ſibi ipſi, narrans quæ retribuere decreuit inquiens: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Vota mea Domino reddam coram omni populo eius.* Vbi tria ſe oblaturum dicit; nempe calicem ſalutaris ex vino compunctionis, & contritionis de peccatis ad perfectiorem ſalutem obtinendam, vel calicem ipſius Saluatoris, quem ipſe pro nobis bibit, mente reuoluendo eius paſſionem, & ei ſe conformari ſtudendo, vel calicem hunc Euchariſticum iterum atque ſæpius illum ſumendo in gratiarum actionem pro omnibus antea acceptis beneficiis. Deinde inuocationem nomi- D nis Domini, offerendo varios & feruentes affectus deuotionis & precis, laudis, & gratitudinis, corde & lingua tanti doni magnificans largitorem, & tandem vota illuſtrium operum, & aliorum donorum quæ iuxta vires ſuas coram omnibus in Dei gloriam præſtabit. Inter quæ computat calicem paſſionis & mortem ſi opus fuerit, quoniam (inquit) *pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* Hæc eadem tria teſtatur ſponſa reddituram dilecto ſuo pro accepto beneficio. Nam poculum ex vino condito vocat calicem ſalutaris & inuocationem diuini nominis; muſtum vero malorum granatorum meorum idem eſt quod vota mea cum promptitudine ad proprium pro ipſo effundendum ſanguinem. Sed dulciorem audi huius muſti interpretationem ex eo quod

Zachar. 12. v. 21. quod Zacharias loquens de planctu ſuper mortem Chriſti quaſi ſuper vnigenitum, addit iuxta Lxx. *In die illa magnus erit planctus in Ieruſalem ſicut planctus mali granati quod in campo ſuccidi*tur. Meminit malogranati, vt ibi dicit Theodoretus, quia ſymbolum eſt amoris. Vt ſenſus ſit: plorabunt mortem Chriſti planctu ex magno amoris affectu procedente, vertentes lachrymas inſtar ſanguinis ſicut muſtum malogranatorum, vel vt dicit D. Cyrillus, plorabũt velut ille, cuius malo- Vulgata habet *planctus Adremmori in campo Maggedon.* Eſt locus vbi Iudæi planxerunt regem Ioſiam in bello occiſum. granata, quæ ei erant in delitiis, deſtructa ſunt. Clare igitur Chriſto poſt ſumptionem Euchariſtiæ, muſtum malorum granatorum eſt offerre illi has pretioſas amoris lachrymas in memoriam mortis quam pro nobis paſſus eſt. Quod donum maximè illi gratum eſt. Vtinam grati illi ſimus, nam quæ bona hinc proueniant, ſequentes fauo- B res indicabunt.

De deſiderio videndi Chriſtum clare in gloria. §. 4.

SEd quoniam Chriſtus Dominus adhuc latet nos in ſacramento, nec eum videmus, niſi per ſpeculum & in ænigmate adeo obſtruſo, vt omnes ſenſus hallucinentur niſi fides corrigat illos, ideo anima ſæpius deuote illum apprehendens per hanc fidem, & eius miram dulcedinem guſtans, ardenter deſiderat clare illum videre, & facie ad faciem ſine velo. Quod deſiderium etiam his verbis exprimit dicens: *Quis mihi det te fratrem meum*, qui ſuxiſti vbera matris meæ & fugis vbera cæleſtis Ieruſalem matris noſtræ, *vt inueniam te foris?* extra hoc ſacramentum, in quo abſconditus & occultus lates, in ea gloria & claritate quam habes in throno tuo ad dexteram Patris. Hanc intuetri deſidero, ea frui, & tecum in cæleſtibus congaudere: nam ſicut deſiderat ceruus ad fontes Pſal. 41. v. 1. aquarum, ita adhuc deſiderat anima mea ad te Deus; & gemens dico: quando veniam & apparebo ante faciem Dei, vt faciem hanc videam, quam modo non video, ſed tantum fide teneo? Et ideo adhuc etiam erunt mihi lachrymæ meę panes die ac nocte dum dicitur mihi quotidie vbi eſt Deus tuus. Vbi inquam, eſt in manifeſto vt ſe videri ſinat?

Iuxta hunc ſenſum explicant etiam hæc verba tres Patres apud Theodoretum dicentes ſponſam deſiderare ſecundum Chriſti aduentum. Quod dupliciter intelligere poſſumus, videlicet vt Eccleſia tot malis pertæſa, tot perſecutionibus agitata, maxime prope finem mundi dicat, quis mihi det te fratrem meum vt iterum inueniam te foris extra cælum empyreum quo aſcendiſti, & vbi D modo lates veniens ad iudicandum mundum vt retribuas vnicuique iuxta opera ſua? Etſi enim venturus es vt iudex, tamen etiam venies tamquã ſponſus vt ſponſas tuas tecum deferas in regnum Matth. 25. tuum: ſic enim de hoc aduentu ſcriptum eſt: *Ecce ſpõſus venit, exite obuiam ei*: Vel aliter, quis mihi det vt inueniam te foris extra hunc mundi ambitum, extra hæc terrarum loca tenebroſa, vbi multis premor calamitatibus, nec te niſi obſcure video, vt iam te reuelata facie gloriam tuam videam, & illa bona conſequar quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt? Tunc 2. Co. 3. v. 18. enim etiam adipiſcar, *vt deoſculer te*: & ibi pleniſſimè tamquam ſponſo meo coniungar, & deinceps nullus me deſpiciet, ſed honorificabit cum 1. Cor. 2. v. 9. me coram vniuerſo mundo ſeparatam ab hædis in tua dextera collocabis, inuitabiſque ad tuum regnum capeſcendum. Mox autem apprehendam te, & ducam glorioſiſſimo comitatu iterum in domum matris meæ cæleſtis Ieruſalem, vbi me docebis quidquid ſcire deſiderabo, quia viſio tuæ diuinitatis ſatiabit in bonis omne deſiderium meũ, & ego viciſſim reddam tibi ſumma cum voluptate omne vinum & muſtum amoris & affectuum præcordiorum meorum.

Eadem verba poteſt etiam dicere iuſtus quilibet qui ad hanc Dei viſionem aſpirat dicens, vtinam te fratrem meum inuenirem foris extra corpus hoc caliginoſum, in quo tamquam in carcere concluſus maneo: educ iam de cuſtodia animam Pſal. 141. v. 8. meam ad confitendum nomini tuo. Heu mihi Pſal. 119. v. 5. quia incolatus meus prolongatus eſt! habitaui cum habitantibus Cedar: cupio ab eis elongari, & extra illorum cœtum eſſe, vt ſine vllo impedimẽto deoſculer te. Curemus igitur ita ſtrenue Chriſtum quærere in hoc ſæculo, vt inueniamus eum apud nos modo, & tandem apprehendamus in vita æterna, quam ipſe nobis præſtare dignetur. Amen.

EXHORTATIO IV.

De miris effectibus myſtici ſomni qui ad tranquillam & ſublimem Dei ſpectat contemplationem, & de aſcenſibus qui in illo fiunt.

Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Verſ. 3.

C Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipſa velit. Verſ. 4.

Hi duo verſus fuſe explicati ſunt lib. 4. exhort. 40. & ſequentibus in primo Tomo.

Væ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delitiis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Hic verſus explicitus eſt ſupra lib. 6. exhort. 15. & ſequentibus tripliciter. Primo de aſcenſu per pœnitẽtiam iuxta verſionem Lxx. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata.* Verſ. 5. In exhort. 17. §. 2. Secundo de aſcenſu per orationem & contemplationem. Tertio de aſcenſu per mortem in cælum: maxime de Deipara. Exhort. 18. §. 4. Exhort. 20. §. 2. & exhort. 21.

Quid hoc loco læua, & dextera ſponſi denotent. §. 1.

SVppoſitis ergo quæ de his tribus verſibus locis citatis prædicta ſunt, nunc tantum connexionem eorum cum præcedentibus & ſequentibus attingemus, nonnulla ſuperaddentes quæ ad maiorem eorum quæ ſuperius dicta ſunt, intelligentiam valdè conducent. Ingentia ſunt, vt vidimus, quæ in initio huius capitis ſponſa deſiderauit, petiuit, decreuit, & obtulit ſponſo ſuo, ſi voti ſui compos fieret. Ne autem videretur ſuperbe altiora ſe quæſiiſſe, & fortiora ſe aggreſſam eſſe, cuncta hæc ſuas ſuperare vires agnoſcit, & de ſponſi ſui omniporenti benignitate confidens ait: *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Ac ſi dicat: Non ego ſola meis viribus apprehendam illum, & ducam in domum matris meæ, ſed ipſe potius De hoc lib. 4. exhort. 40. & 41.

apprehendet & ducet me, quoniam omnipotens A eius virtus, quæ manus eius appellatur læua & dextera debilem sustinet animam, & amplexatur, ac ducit quo ipse vult, læua sustinet me in aduersis, dextera amplexatur in prosperis, vt in vtrisque firma perseuerem, nec eum quem semel apprehendi, vnquam dimittam donec in domum matris meæ cælestis introducam. Nemo ergo animum despondeat, sed viriliter res eximias aggrediatur, dum tamen non sibi, sed Deo dilecto fidat, quia manus eius cum ipso erit, & dextera Domini faciet virtutem, & exaltabit illum, vt etiam supra se ascendat sicut mox de sponsa dicitur ascendere innixa dilecto suo.

2. Præterea desiderauerat sponsa Dei aduentum in carne vt fieret tamquam paruulus fugens vbera matris suæ, quem oscularetur, & suis manibus apprehenderet, & amplexaretu. Vt autem constaret id ipsam petere nihil hæsitando, sed certa B fide & spe id quod sibi promissum erat expectando, subdit: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*: Intelligit autē per læuam & dexteram, vt suo loco diximus, vtramque naturam, humanam & diuinam in eadem sponsi persona coniunctam. In Deo autem qua Deus, nihil est læuum, sed dextrum, cum autem factus est homo cœpit habere læuam, id est naturam miseriæ, doloris & ignominiæ capacem, per quam suis meritis & exemplis, vniuersam sustineret Ecclesiam, quam tamen vt Deus est, amplexaretur, & magnis mulceret fauoribus & præmiis. Si autem læua est sub capite, & dextera amplexatur, osculatur etiam eam & apprehendit illam iuxta eius desiderium innumeris illud replens bonis.

3. Vnde tandem his verbis quasi rationem reddit eius quod desiderauerat ac decreuerat, ac si diceret: quid mirum quod desiderem eum tamquam paruulum sugentem vbera, & proponam apprehendere eum vt me doceat, offeramque ei poculum valdè gratum, quoniam scio eum adeo esse ingenuum & benignum, quod illico vicem mihi repender; maiora sibi amoris præbens signa: confestim enim: *Læua eius erit sub capite meo*, vt in ea requiescam; *Et dextera illius amplexabitur me*: Mihi blandiens & delitiis suis satietatem præstans. Nemo enim potest Deum obsequiis superare; quin potius obsequentem nouis cumulat beneficiis, legesque grati animi ita seruat, ac si nostra obsequia non essent gratuita eius dona. Dabo igitur ei vbera mea, dabo ei poculum ex vino condito: quia ipse diligentes se diligit, & læua eius supponetur capiti meo, amplexabiturque me dextera sua.

4. Denique ante somnum mysticum hæc verba præmittuntur, quoniam quæ in eo contingunt ita vires naturæ superexcedunt, vt necesse sit à Deo fulciri, & quod læua eius teneat corpus ne deficiat, nam amore anima languet: dextera vero amplexetur spiritum vt sibi vnitum teneat. Aliquando autem tam fortis & constrictus amplexus, vt quasi videatur anima à corpore diuelli, vt ipsi Deo vniatur, corpusque deficeret, nisi à Deo corroboraretur. In capite autem 3. non præmittuntur hæc verba quia sponsa dixerat: *Inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam*: Non autem teneret nisi teneretur à læua sponsi, illam per dexteram amplexantis.

Quid sit somnus mysticus, & de reuelationibus quæ in eo contingunt. §. 2.

NOn est fraudata sponsa à desiderio suo, nec eam fefellit spes: nam statim accurrit sponsus præstans quod sperabat, nec tamen audebat petere. Vnde super læuam illius inclinata, amplexante dextera dulcem cepit somnum adeo ipsi sponso gratum vt mox diceret: *Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit*. Explicandus autem est iste somnus per analogiam ad naturalem somnum, qui teste Aristotele, est animalium virtutum quies cum intentione naturalium; animales virtutes vocat sensus, & vires motiuas, imaginationem & appetitus, reliquasque partis sentientis potentias; imo & rationales vires quatenus phantasiæ sunt alligatæ. Virtutes vero naturales sunt quæ spectant ad animam vegetantem, & per natiuum calorem, & spiritus vitales à corde procedentes, cibum coquunt, digerunt, transmutant & assimilant, & cetera quæ ad cordis respirationem, & motum attinent. Illæ quidem vires in vigilia valdè laborant, cum per spiritus animales per cuncta sensuum organa diffusos suas exercent operationes. Sed tunc nonnihil impediunt partem vegetantem, ne perfectè suas valeat exercere; aduenientē autem somno, illæ quiescunt, & istæ roborantur. Ad hunc igitur modum (sicut supra insinuauimus in id: *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes, &c.*) sancta anima dicitur esse in vigilia quando omnes suas vires exerit, vt operibus vitæ actiuæ incumbat, siue proprias mortificando passiones, siue proximis benefaciendo; imo etiam quando discursibus, meditationibus, precibus, & colloquiis cum multiplicitate quadam affectuum Deo vacat: Ad hæc enim sedula & vigilans industria, ac proprius labor cum Dei auxilio multum præstat. Cum autem hæc omnia ex Dei speciali gratia cessant, & mens cum quadam tranquillitate & silentio ad contemplanda diuina eleuatur, tunc dormire spiritualiter dicitur. Quod & Plato ex parte agnouisse constat cum ait: Quemadmodum in dormientibus sensus ab actionibus vacant, ita in illis qui summi illius pulchri, & causæ contemplationi incumbunt ea animi vis quæ in sensibiles voluntates propensa est, non tumultuatur, sed quiescit, & rationi obsequitur. Illa præterea quæ iras excitat, vindictas expetit, silet & vacat, nullum rationi negotium facessit. Indeque sequitur dulcis sopor & animi somnus. Sic ille. Sed sublimius D. Dionysius cum Timothæum monet linquere sensus, & omnes intelligibiles operationes, vt in supersubstantialem Deitatem ascendat sicut alibi explicatum est. Quod licet solis perfectis & consummatis viris tribui soleat, nonnumquam tamen aliis tribuitur, imo ter in hoc Cantico fit eius mentio in capite 2. & 3. & 8. quia incipientibus, proficientibus & perfectis communicatur. Incipientibus quidem aliquando ex speciali priuilegio, & fere sine vlla eorum præcedenti industria vt terrena penitus contemnant, & ad sublimiora præparentur; proficientibus autem propter eorum iuges in Dei obsequio labores, vt fortiores vires recuperent, & amplius proficere satagant: perfectis vero vt supernaturalia præmia prælibent, & laborum suorum fructum ex parte iam capiant. Sicut enim somnus corporalis congruit post

Da hoc lib. 4 exhort. 42. & 43.

Lib. de somno & vigilia.

Lib. 5. exhort.

Lib. 9. de republ.

Lib. de mystica Theologia c. 1.

In lib. 6. exhort.

post laborem sic & spiritualis. Vnde antequam A hic somnus referatur præmittitur sedula sponsæ sollicitudo circa diuina, vel inquisitio sponsi per vicos & plateas, donec eum tenuerit, vel feruens desiderium apprehendendi eum vt in suis locis explicuimus.

2. Est ergo mysticus iste somnus de quo supra dictum est: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, non vacatio ab omni mentis operatione, nam hoc potius esset animi deliquium, sed perfectissima quędam cōtemplatio, quæ ab aliis suspensio, extasis, raptus, vel vnio vocari solet, in qua consopitis omnino sensibus circa omnia corporalia mens tranquillè, & sine vlla prorsus externa vel interna conturbatione soli Deo vacat, & sublimem Dei cognitionem, ardentemque amorem & intimam vnionem cum ipso obtinet. In qua magnæ fieri solent reuelationes, & apparitiones sacræ, & intellectuales visiones, quibus secretissima Dei B mysteria panduntur, & audiuntur arcana verba quæ non licet homini loqui: & denique miro quodam modo anima tunc diuina patitur, & actus, vel excessus anagogicos, id est sursum ducentes, affectusque circa Deum valdè sublimes: qui indicium sunt singularis Dei amoris erga animam, nec concedi solent nisi ei quæ singulariter est dilecta, & gratiam inuenit apud ipsum, vt testatur Richardus de sancto Victore his verbis: Certum tibi signum sit quæcumque es anima, quod dilectum tuum minus diligis, vel ab illo minus diligeris, si ad theoricos illos excessus nondum vocari vel vocantem sequi nondum merueris. Quomodo enim perfectè diligis, vel diligeris, si in summorum desiderio ad superna non vageris, & in anagogicos illos conatus mentis alienatione non transis? Idque probat ex eo quod in hoc Cantico dicitur, vt iam vidimus: *Comedite amici, bibite & inebriamini charissimi*: Ebrietas autem mentis alienationem efficit, quæ solis charissimis tribuitur, quibus arcana reuelantur mysteria, iuxta illud: *Vos autem dixi amicos, quia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis*.

Lib. 4. de contemplat. c. 16. Idem repetit lib. 5. c. 5.

Cant. 5. v. 15

Ioan. 15. v. 15.

Hoc autem satis constare potest ex dictis circa caput secundum Cantici, vbi postquam sponsa introducta in cellam vinariam super læuam sponsi primum dormiuit mysticum somnum, de quo adiurauit filias Ierusalem ne excitarent illam, miras accepit visiones & reuelationes quibus dilectus seipsum suaque arcana mysteria pluribus modis manifestauit, de quibus dicitur: *Vox dilecti mei. Ecce iste venit saliens, &c. En ipse stat post parietem nostrum, prospiciens per fenestras, respiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi, surge, propera amica mea, columba mea, &c.* His enim metaphoris vt suo loco explicuimus, denotantur variæ visiones intellectuales maiestatis Dei & attributorum, ac operum eius, plures etiam reuelationes futurorū, & dulces allocutiones ad egregia facinora prouocantes quæ communiter non tribuuntur nisi animæ ardenter Deum amanti.

3. Hoc denotat Scriptura sacra de Abraham loquens cum ait: *Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei*. Feruor autem Dei feruorem indicat spiritus, & ardentem Dei, & peregrinorum amorem, quo patriarcha flagrabat. Propter quem Deus apparere dignatus est sub figura trium virorum qui mysterium sacræ Triadis repræsentabant. Ita enim Deus eos menti ipsius proponebat, vt iam vnum, iam tres ei viderentur, vnde ipse alloquebatur eos iam vt tres, iam vt vnum, à quo varias futurorum accepit reuelationes. Respiciens enim ad hunc eius amorem dixit illi Deus: *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum? &c. Scio enim quod præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam, &c.* Quæ verba D. Chrysostomus sequens aliam lectionem, scilicet *Num celabo Abraham puero meo quæ ego faciam? &c.* sic connectit: Mirum in modum Deus obsequitur iusto, & plurimo eum honore dignatur, & neputes honorem tantum iusto concessum solius diuinæ esse bonitatis, vide quomodo Scriptura diuina docet nos, quod ipse sibi ipsi honoris fuerit etiam author; obediendo mandatis Domini magna sedulitate. Et paulò pòst: Quantæ enim dignitatis esse putas quod dicit Abraham puerum suum? Quantæ affectionis? quanti amoris? D. etiam Ambrosius eamdem sequens lectionem sic exaggerat Abrahæ feruorem quem cum senex esset nonaginta nouem annorum, puerum Deus vocat: Cum (inquit) immemorem senectutis, exploratorem indefessum, cursu impigrum, standi patientissimum, deducendi studiosissimum expresserit, nonne conuenire nomen pueri videtur? Officiis merito puer dicitur, qui senile nesciebat fastidium, pueritiæ innocentiam & obsequium deferebat: merito ergo dicimus sicut & experientia testatur, fauores huiusmodi iustis qui feruentes sunt spiritu, reseruari.

Hom. 42. in Genes.

Lib. 2. de Abraham c. 6.

De miris profectibus quæ in hoc somnio mystico fiunt, vel ex illo procedunt. §. 3.

MIrabiles etiam sunt spirituales profectus circa actus vitæ actiuæ & contemplatiuæ qui in hoc mystico somno fiunt, vel ex illo procedunt vt in cap. 3. & hoc 8. narrantur. Hoc indicat illa cap. 3. admiratio immediate post somnum secuta: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Quæ verba magnam indicant super se eleuationem ad actus & excessus valdè sublimes. In illo enim somno magnus ascensus est ignis, vnde fumus ille aromatum procedebat. Ignis autem proprietas est sursum ascendere, & alia etiam sursum impetu quodam proiicere. Si enim apponatur ei vas liquore aliquo perfusum, paulatim eum calefacit, commouet, & in superiora eleuat, vas totum replet vsque ad summum, supra ipsum attollit, imo & foras cum violentia quadam eiicit. Si autem in eum injiciantur aromata, terrestres partes consumit, & fumum seu exhalationem educit, quæ sursum tendit. In illo ergo somno ingentia inuenit anima diuinitatis mysteria, & recondita attributa, cælesti lumine ei manifestata, quæ vehementem in ea accendunt dilectionis ignem, à quo sursum agitur, & super se eleuatur vt à se ipsa egressa terrena cuncta despiciens, in suum dilectum transformetur, & illi intima vnione coniungatur. Tota in se ipsa feruens ebullit, & cælestia petere anhelat, secumque virtutes per myrrham, thus, & aromata designata eleuat supra se ipsas, vt ni-

Cant. 3. v. 5.

Richardus de sancto Victore lib. 5. de contempl. c. 6. & 7.

hoc prosequitur.

mirum actus, & affectus, communes non tantum naturæ, sed gratiæ etiam vires excedẽtes, exerant; quoniam à Spiritu sancto, qui ignis est, & amor increatus, vehementer impelluntur vt tunc eis conueniat quod scriptum est: *Qui spiritu Dei aguntur hi filij Dei sunt.* Ad Rom. 8. v. 14.

2. Sed sublimiora sunt quæ in vltimo somno in hoc cap. 8. relato contigerunt sicut explicat altera admiratio: *Quæ est ista quæ ascendit è deserto delitijs affluens, innixa super dilectum suum?* quæ multo est præcedente mirabilior? illa enim facta est cum quodam impetu & violẽtia per separationem terrestrium partium à subtilioribus, eo quod vel caro adhuc concupiscit aduersus spiritum, vel quia non est assueta motibus anagogicis, ideo quodãmodo reluctatur & trepidat in illis: at hęc magna fit cum suauitate, carne hilaritet sequente spiritum iuxta illud: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*: Et ideo ascendere dicitur tantis affluens delitiis vt etiam carnem repleant. In illa ascendit anima vt virgula fumi quæ in altum tendit, sed nondum peruenit, & à ventis vehementibus posset dispergi, quia nullum eius apparet fulcimentum: at in hac ascendit innixa super dilectum suum quasi iam ex parte peruenerit quo tendit dum dilecto suo fruitur, & ab illo ne impediatur fortiter fulcitur. In illa ascendit adhuc per desertum, quia nondum omnia deseruit, etsi deserere conetur; at in hac ascendit è deserto, quia cuncta sua ac se ipsam & cor suũ deseruit. Quasi de deserto (ait Richardus) humanus animus ascendit, quando supra semetipsum mentis alienatione transit: quando semetipsum deserens, & ad cælum vsque pertransiens solis diuinis se totum per contemplationem & deuotionem immergit. Egreditur ergo à se ipso, non sicut peccator vt descendat in abyssum, & abeat post inuentiones suas quò eum propriæ deferunt cupiditates, sed vt ascendat supra se vsque ad cælos, vbi cum Deo familiariter conuersetur. Ascendit autem delitiis affluens, quoniam ipsa delitiarum affluentia causa est huius ascensus. Ex magnitudine enim iucunditatis & exultationis (vt dicit idem Richardus) humana mens solet in extasim cadere, & se ipsam excedere, quemadmodum & animalia tripudio quodam in suis lusibus saltus quosdam dant, & corpora sua quasi in aëra suspendunt: sic pisces dum in aquis ludunt, supra aquas exiliunt, & vel ad modicum per inane suspẽdunt: sic etiam tripudiãt arietes, & agni; vnde Dauid dixit: *Montes exultauerunt vt arietes, & colles sicut agni ouium*: Quoniam in sanctissimis viris humana natura vltra humanam naturam ascendit, & præ nimia iucunditatis spiritualis abundantia supra se ipsam fertur, in cælestibus que tota suspenditur.

Sed forte cum dicitur delitiis affluens, non causam, sed concomitantiam insinuat ascensus, qui fit cum maxima spiritualium delitiarum affluentia, quam Deus animæ largitur; iuxta id quod legitur apud Iob: *Videbit faciem eius in subsilo*: Id est, (sicut D. Gregorius interpretatur) cum ineffabili gaudio, quod vix anima capere potest, cum extra se rapitur vt diuinã præsentiam cõtempletur. Nec tamen hæc visio in hac vita vna est, sed multiplex, multarũ. s. perfectionum Dei, vel sapiẽtię, vel misericordiæ, vel omnipotentiæ, imo eiusdẽ attributi multiplex est visio, quia variis modis à Deo manifestatur, innumera enim sunt quæ de vnoquoque menti possunt reuelari, vt ea contempletur. Multiplices etiam & stupendi sunt modi vnionis, suspensionis, raptus & actuum anagogicorum quos Deus dilectæ animæ in hoc somno spirituali impartitur. Et vnaquæque visio & vnio proprium habet iubilum & ineffabile gaudium. Ex omnibus autem mira fit abundantia delitiarum, quibus anima in hoc ascensu supra se, perfruitur: ideoque cum quadam admiratione & stupore Angeli clamant: *Quæ est ista quæ ascendit delitijs affluens?* Et nos etiam cum hæc audimus ab eo qui illa experitur (nemo enim nisi expertus ea scire valet) etiam admiramur & stupemus, immensam Dei sapientiam & charitatem, ac omnipotentiam, quæ tot, tamque miris modis scit, vult, & potest dilectis suis seipsum manifestare, & tam iucunda suæ erga ipsos dilectionis signa præbere.

Additur autem, *innixa super dilectum suum*: 3. quoniam ascensus iste, atque hæc delitiarum affluentia, non propriis viribus, sed sola dilecti Dei virtute fit, quæ læua manu ascendentem tenet, & subleuat, atque dextera amplexatur, & delitiis replet. Nam scriptum est: *Delectationes in dextera tua vsque in finem*: Id est, in dextera tua quasi in promptu delitias & delectationes habes, vt dilectis tuis eas largiaris. Nec tamen ait innixa super lævam vel dexteram, sed super dilectum, quoniam super totum illum, & quidquid in illo est innixa ascendit: innititur enim super eius sapientiam, super eius bonitatem, super eius misericordiam, & iustitiam; fortitudinem & liberalitatem & omnipotentiam: omnia enim Dei attributa sunt nostra fulcimenta. Omnia sunt fundamenta nostræ spei, & ascensus nostri in ipsum origo & causa trahens. Hoc autem ita certo anima tunc cognoscit vt nullus maneat superbiæ & inani gloriæ locus, cum sciat & experiatur impossibile sibi esse sic ascendere nisi à dilecto suo fulciretur, & veheretur, & ideo quanto sublimius ascendit, tanto est in se ipsa humilior, ac proinde securior, ne ab illa decidat sublimitate, & quia profectus in humilitate, profectus est in omni virtute, sicut D. Basilius testatur, miro modo in isto ascensu anima ascendit simul in omnibus virtutibus, & quasi cum ea ascendit & crescit sapientia, fides, prudentia, obedientia, castitas, fortitudo aliæque virtutes. Propter quod multi Patres vt in loco allegato diximus, affluere delitiis interpretantur, id est virtutibus; virtutes enim veræ sunt delitiæ animæ, & quæ ingentes cordi delitias præstant. In quod etiam recidit versio Lxx. *Quæ est ista quæ ascendit dealbata*: Dealbatio enim hæc super niuem per eximiam fit munditiem & sanctitatem tunc animæ collatam, cui etiam confertur in veste candida gratiæ nouus albor & splendor, quo fit adeo pulchra vt intuentes in admirationem rapiat.

Ecce quot bona consequitur anima in hoc 4. mystico somno quo tranquille potitur, sed adhuc plura insinuantur in eo quod prohibetur suscitari, *donec ipsa velit*. Non ait sponsus, donec ego velim, etsi verè ab illius pendeat voluntate, sed, donec ipsa velit, eo quod admirabili prouidentia in eo ipso somno ostendit illi eum in hac vita non debere esse continuum, sed sæpius propter proximos interrumpendum, iuxta illud Apostoli: *Sine mente excedimus, Deo: sine sobrij sumus, vobis*. Et quia delitiæ huiusmodi somni, & contemplationis solent animam ad se rapere, ac detinere ne illas relinquat, vt proximorum lucris vacet, in eo ipso docet eam Dominus rationes quæ eam erga proximos afficiant, & regulas perfecti amoris in sequentibus versibus tradit, quæ ipsam impellunt vt suauiter velit suscitare, & ad operandum surgere.

De hoc lib 6. exhort. 17. & sequẽtibus circa id, *Quæ est ista quæ ascẽdit per desertum sicut virgula fumi? &c.* Ita Richardus lib. 5. c. 14.

Pſal. 83. v. 3.

Primus sensus.

Alius sensus.

Iob 33. v. 26. Lib. 24. mor. c. 5.

Pſal. 15. v. 11

1. Cor. 5. v. 13.

Fauet huic intento alia communior expositio 5. Patrum qui hunc ascensum è deserto, transacto somnio, interpretantur de progressu primitiuæ Ecclesiæ Christi è deserto gentilitatis magnis virtutum, gratiarum & donorum delitiis cumulata, qui progressus duplex includit augmentum, alterum quasi dilatationis & extensionis per plures prouincias & personas, quas Christo lucrabatur, & sibi in vnione eiusdem corporis mystici quotidie aggregabat: alterum quasi intensionis per maiora in singulis incrementa sanctitatis & gratiæ augebatur: itaque in dies Ecclesia tum multitudine credentium, cum maiori eorum perfectione si- B cut D. Lucas testatur cum ait: *Dominus autem augebat qui salui fierent quotidie in idipsum*, id est, in eãdem obseruantiam regulæ Apostolicæ quam reliqui credentes obseruabant. Ait autem Dominus, augebat, quoniam licet Apostolica Ecclesia Spiritu sancto recepto id diligenter operabatur iuxta fidem Christi prędicans, tamen vt ait D. Paulus: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*: hoc autem ipsum significat admiratio ista, *quæ est ista quæ ascendit è deserto*, id est, quæ progreditur per vniuersum orbem ascendens de virtute in virtutem delitiis spiritualibus affluens & animarum lucra in dies acquirens, *innixa super dilectum suum*. Non enim progreditur & ascendit sola, sed cum sponso suo qui dixit ei: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*. Non est autem nobiscum C otiosus, sed operans cum operantibus, ascendens cum ascendentibus & verbum tribuens euangelizantibus virtute multa, vt plures lucrentur animas, quæ in cælum ascendãt & regnent cum ipso.

Act. 2. v. 42.

1. Cor. 3. v. 7

Matth. 28. v. 20.

Mysteria humanitatis Christi non excludi à mystico somno, & suprema contemplatione. §. 4.

SEd vt viam paremus ad sequentia sponsi verba, statuendum est in hoc deserto à quo ascendit sponsa, cuncta creata deserendo, non comprehendi Christi humanitatem, & mysteria ipsius, sed in somno mystico multam de illis haberi rationem. Nam vt suo loco diximus, læua humanitatis Christi est sub capite sponsæ, & dextera diuinitatis amplexatur illam cum hunc somnum capit; & cum ascendit delitiis affluens nititur super D dilectum suum, qui Christus est Deus & homo vt ex sequentibus verbis constabit. Vnde crediderim intolerabilem esse errorem eorum qui à perfecta contemplatione reijciendam esse putant omnem memoriam Christi Domini qua homo est, & quæ ad eius natiuitatem vel passionem pertinent, cum tamen scriptum sit: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur; ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet*. Quod ad incipientes, proficientes, & perfectos pertinere manifeste patet. Nam cum omnes cupiant saluari, & salutaria pascua inuenire, per hoc vnicum ostium ingredi debent, & egredi vt illa inueniant. Numquid non ipse ait: *Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad patrem nisi per me. Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis?* Qui ergo consulto à sua contemplatione Christum abijcit, ipse sibi viam occludit ne ad Patrem ascendat, ne veritatem primam contemplatur, ne supremam vitam assequatur.

Lib. 4. exhort. 40.

Ioan. 10. v. 9.

Ioan. 14. v. 6

Non nego imperfecta contemplatione cessare aliquando figuras imaginarias Christi in præsepio vel in cruce existentis, nec sub hac ratione ibi hæc mysteria contemplari, (etsi etiam sciã Deum aliquando has figuras mẽti imprimere, & per eas, aut in eis altissimam sui ipsius contemplationem præstare, sicut D. Ioanni in Apocalypsi præstitisse scimus.) Tamen nonnunquam nudam his imaginibus præbet contẽplationem, qua electi Deum ipsum simplici intuitu, eiusque attributa & magnalia contemplentur; & in abyssum diuinitatis immergantur. At dum suam omnipotentiam, sapientiam, & charitatem vel alias perfectiones manifestat, ibi Christum Deum & hominem demonstrat, in quo hæc omnipotentia, sapientia, & charitas Dei magis resplenduit, vt sic animam ad se vehementius trahat, & in eius amorem ardere faciat. Vnde ad eam quæ ascẽdebat delitiis affluens innixa super dilectum suum, mox sic loquitur: *sub arbore malo suscitaui te*, id est, memẽto dilecta, amoris quo te prosecutus sum, cũ ab arbore crucis pendens te suscitaui vt in me crederes, vt me cognosceres, & amares. Ibi te suscitaui vt ex deserto nunc ascenderes delitiis affluens innixa super dilectum suum; & deinde addit: *pone me vt signaculum super cor tuum*. Quod de Christo crucifixo interpretabimur. Imo ipse Christus in suprema contemplatione quam habuit in monte Thabor coram Moyse & Elia, admisit colloquium de excessu mortis suæ, quem completurus erat in Ieruſalem. Vnde & discipulis dixit: *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis: & credidistis, quia à Deo exiui*. Quod non de primo amore Patris intelligendum est. Nam, *ipse prior dilexit nos*, & ideo nos diligimus Christum, & credimus in eum: sed de alio nouo, & maiori amore quo nos prosequitur, & maiora nobis dona concedit quia valde Christum diligimus. Quo insinuat amorem Christi Dei & hominis scalam esse ad maiorem dilectionis gratiã inueniendam apud Patrem, amplioraque dona ab eo recipienda. Ita ferè D. Aug. & D. Cyrillus. Nullus ergo consulto à sua contemplatione Christum hominem, vel Christum crucifixum abijciat, quin potius tamquam fasciculum myrrhæ inter vbera sua, id est, intellectum & affectum commorari faciat, alioqui numquam ascẽderet ad supera delitiis affluens, innixus super dilectum suum. Omnis enim contemplatio quantumuis suprema Christo inniti debet, & eius dulcissima recordatione fulciri.

Lucæ 9. v. 31.

Ioan. 16. v. 27.

Tract. 102. in Ioannẽ. Lib. 11. in Ioan. c. 9.

Cum autem D. Dionysius ait vt deseramus sensus & sẽsibilia ac intelligibilia omnia, vt ad ignotum Deum perueniamus; ad id quod Deus est in se referendum est, quia Deus vt Deus nihil est sensibile, sed super omnia sensibilia & intelligibilia, & hoc modo etiam ipse Christus potest cognosci, qui cum Deus esset, se humanitati coniũxit vt per eam nos eleuaret ad cognoscendũ inuisibilia Dei, quæ ignota erant hominibus. Potest autem huic applicari quod dicit Apostolus; *Etsi cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus*. Quidam enim meditantur Christum secundum carnem cum ea quæ gessit in carne carnali modo considerant sub ijs figuris, & imaginibus quæ carni sunt proportionatæ vt affectus compassionis, lachrymarum & doloris excitent circa ea quę pro nobis passus est, vel vt similes virtutes in carne sua exerceant. Alij vero vlterius processerunt, vt Christum non carnaliter, sed spiritualiter contemplentur, diuinas eius perfectiones, virtutes &

2. Cor. 5. v. 16.

operationes, atque ſuprema Dei erga nos beneficia in ipſo, & per ipſum nobis collata. Vno autem vel altero modo numquam in contemplatione conſulto deſerendus eſt Chriſtus quaſi fugientes ab illo ne fugiamus à vitæ fonte, & pereamus ſiti. Nec vllus delitiis affluet ſpiritalibus, niſi per hoc oſtium ingrediatur, vbi delitiarum paſcua inuenire valent. Cum autem ipſimet Chriſto placuerit nos ad contemplationem ab omni imagine & re creata nudam eleuare, vt puram eius diuinitatem intueamur, grato & humili animo accipiendum eſt, cui ſit honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

PARS SECVNDA LIBRI DECIMI.

DE LEGIBVS EXCELLENTISSIMÆ charitatis erga Chriſtum ab eius ſponſa ſeruandis.

EXHORTATIO V.

Pro feſtis Crucis & pro Paraſceue.

De corruptione naturæ humanæ per lapſum Adæ, & de ſuſcitatione Eccleſiæ in cruce per Chriſtum; & quomodo ſub arbore crucis ſuſcitentur animæ ad amorẽ, & de Deipara.

Verſ. 5. Moderni quidam ſponſæ immeritò tribuunt.

Sub arbore malo ſuſcitaui te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.

VERBA ſunt, citra dubium, vt ſanctorum Patrum eſt communis ſententia, non ſponſæ, ſed ſponſi alloquentis illam in eo itinere quo ambo ſimul progrediebantur, ſed illa innixa ſuper dilectum. Cœpit autem loqui vt mos amantium eſt, de ſuorum amorum initio, loco, & occaſione; dicens: *Sub arbore malo ſuſcitaui te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Lxx. vero vertunt: *ſub malo exſuſcitaui te, ibi peperit te mater tua, ibi peperit te quæ genuit te*: alij legunt, *parturiuit*: quia intelligitur de partu qui eſt cũ corruptione, & dolore, quo inſinuat eam filiam eſſe paſtorum, qui in agris degere, & ſub arboribus ad eorum vmbras ſedere, dormire, & operam liberis dare ſolent.

De fundamento humilitatis ex corruptione naturæ. §. 1.

1. SEd quorſum hoc? dixerat ſponſa: *ibi me docebis*, incipit docere illam humilitatis viã, quæ omnium virtutum eſt fundamentum, & ideo vilem ſuam originem in memoriam reducit, & infamem matris corruptionem, vt eam in humilitate contineat, cohibeatque arrogantiam, ne ſurrepat, cum tot laudibus & fauoribus ſe videt cumulatam. Mos enim Dei eſt vilem noſtrã ſtirpem in memoriam reuocare cum ad ſublimem aliquam nos euehit ſpiritus dignitatem. Vnde quod conciſe hic dicit de ſponſa, vberius tradit per Ezechielem de antiqua ſynagoga loquens: *Radix* (inquit) *tua, & generatio tua, de terra Chanaam: pater tuus Amorrhæus, mater tua Cethæa, & quando nata es in die ortus tui non eſt præciſus vmbilicus tuus, &c. ſed proiecta es in faciem terræ, in abiectione animæ tuæ. Tranſiens autem per te, vidi te conculcari in ſanguine tuo, & dixi tibi; viue, &c.* Deinde narrat quomodo eam accepit in ſponſam, exprobrans tamen ei quod erecta in ſuperbiam ob pulchritudinem ſuã, fornicata ſit & receſſerit à Deo ſuo. Vbi videtur alluſio fieri ad morem gentium antiquarum quę multoties filios quos alere nollẽt, vel non poſſent, vel ob fœdam formam deſpiciebant, eo quo iacebant loco editos, morituros relinquebant in ipſo materni ſanguinis volutabro. Eos autem quos viuere cupiebant, eleuabant inde, & offerebant cuidã deæ quæ à leuandis infantibus vt D. Auguſtinus tradit, vocabatur *Leuana*. Quamuis autem Hebræi (vt tradit Clemens Romanus, & Tacitus etiam refert) omnes liberos tollerent & leuarent (niſi forte cũ idola gentium & mores ſequebantur) tamen ſat eſt eos ex gentium radice infecta etiam proceſſiſſe, vt hæc verba illis attribuantur. Eademque ratione applicantur ſponſæ, maximè ſi introducatur tamquam alienigena ex gentibus oriunda vt multi putant; vel quia Eccleſia noſtra quã ſponſa etiam refert, ex gentibus eſt congregata. Et ideo vt Origenes notat, ſe vocauit nigram tamquam tabernacula Cedar. Dicit ergo ſponſus hæc verba ſuæ dilectæ non vt ei exprobret, ſed ne ſuperbiat, & vt vehementius eam ad amorem accendat. Cognitio enim propriæ miſeriæ, quæ nos humiliat, inducit etiam ad magis amandum Deum qui nos miſeros exaltauit, ſuſcitans de terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem vt collocet eum cum principibus populi ſui. Si ergo dormiatis inter medios cleros, id eſt, inter medias ſortes terrenã & cæleſtẽ, vel vt (vertit Felix) inter chytropodes ſeu focos vel ollas, contemplantes vilem & abiectã veſtram vitam, ruſticam, & deſpectam, nigram & deformem quæ ex natura ſors veſtra eſt, orientur vobis pennæ columbæ deargentatæ, cuius poſteriora dorſi fulgeant in pallore auri, qua pulchritudine tum ſapientiæ, tum charitatis, ad aliorum onera portanda, allectus ſponſus in ſponſarum ſuarum numerum vos recipiet.

Ezech. 16. v. 3.

Refert Clemens Romanus lib. 9. recognit. prope finẽ. Tacitus; lib. 2. Plutarchus in Lycurgo. Lib. 4. de Ciuit. Dei, c. 11.

Hoc citat Gaſpar Sanctius prolegomeno 3. in Cant. 2.

Hom. 2. ex quatuor in Cant. in initio.

Pſal. 112. v. 7.

Pſal. 67. v. 14.

2. Hoc igitur eſt quod ſponſus modo inquit: *Sub arbore malo ſuſcitaui te, ibi corrupta eſt mater tua, &c.* Suſcitationem & corruptionem refert; illam glorioſam, hanc ignominioſam; hanc matris, illam filiæ; vtramque ſub arbore malo factam, ſiue malus ſumatur pro quauis arbore fructifera (ponitur enim ſpecies pro genere) ſiue pro ipſa malo peculiariter, quam ſymbolum eſſe amoris diximus ſupra circa illud: *Sicut malus inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus inter filios.* Vbi multa ad huius loci intelligentiam conducẽtia adducta ſunt. Primo autem verba iſta ad ſtatum innocentiæ, & ad ea quæ in paradiſo terr. ſti contigerunt referamus. Suſcitatio enim vocatio Dei eſt excitantis animam vt ſuſcitatus gratiam & amicitiam eius recipiat, aut peculiarem amoris vnionem quæ in intima familiaritate cum ipſo conſiſtit. Hæc autẽ ſuſcitatio dupliciter fieri ſolet beneficiis eam afficiendo & trahendo ad ſe: vel ſi reſiſtit, aut ſegnis eſt, tribulationibus eam ſtimulando. Priori modo ſuſcitauit Deus primos parentes creans Adam ex limo terræ & transferẽs in paradiſum, vbi ex coſta eius formauit Euã, eiſque facultatem conceſſit omnibus lignis paradiſi veſcendi, vt ſuam erga eos benignam oſtenderet

Cant. 2. v. 3.

Quomodo ſuſcitatus eſt Adam in paradiſo.

ret munificentiam. Prohibuit tamen eſum arboris ſcientiæ boni & mali vt eorum probaret fidem; & obedientiam. Hæc autem ſuſcitatio non tantum pro ipſis facta eſt, ſed pro omnibus etiam eorum poſteris, qui in gratia & amicitia Dei naſcerentur, ſi ipſi Dei mandatum cuſtodirent. Propter quod merito ſponſus ait: *ſub arbore malo ſuſcitaui te*, id eſt, te ad gratiam primo inuitaui.

Corruptio Euæ.

Cæterum ibi corrupta & violata eſt mater tua: quoniam Eua mater omnium viuentium ibi corrupta eſt per culpam & inobedientiam Dei tranſgrediens mandatum, eiuſque ſuaſu Adam etiam corruptus eſt: Vnde miſera hæc corruptio in omnes tranſiit eorum filios. Nam, *à muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur.* Et omnes item in Adam peccauerunt, quia, *per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors.* Vnde iuxta Hebræi textum verba iſta poſſunt ſumi actiue, vt ſenſus ſit: *Ibi corrupit te mater tua: ibi perdidit te genitrix tua.* Nam, ſicut cum dolore & corruptione corporis parit filios ſuos eidem corruptioni ſubiectos, ita cum eadem corruptione in ſpiritu eos generat vt vtrique morti ſuccumbant.

Eccleſ. 25. v. 33.

Ad Rom. 5. v. 12.

3. Sed numquid corruptio iſta Euæ & Adam fuit in mortem animæ ſempiternam? Minimè, quoniam immenſa cæleſtis ſponſi miſericordia voluit iterum miſeram & corruptam naturam humanam ſuſcitare vt in eius gratiam & amicitiam poſſet redire; vtroque vtens vocationis modo. Primo enim ſpem eorum qui ceciderunt, erexit, ac medium ſuæ ſalutis oſtendit cum eis audientibus ſerpenti dixit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius. Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius.* Vbi ſimul aduentum Redemptoris reuelauit, & etiam inteſtinum bellum diaboli per carnis rebellionem cum quouis ex mulieris ſemine propagato. Deinde terribiles vtrique parenti minatur tribulationes, & ærumnas, quibus excitarentur ad quærendum Deum, quem in tranquillitate prioris ſtatus contemſerant, quaſi ſepiens (ſicut Oſeas ait) ſpinis eorum vias, vt ad illum reuerterentur, relictoque adultero viro, ipſum Deum in legitimum ſponſum eligerent, iuxta illud: *& erit in die illa* (ait Dominus) *vocabit me vir meus, & non vocabit me vltra Baali.* Tandemque minatur & mortem vt illius metus peccandi libidinem coërceret, & ad tempeſtiuam ſtimularet pœnitentiam, vt in Dei gratiam ante mortem redirent, quam poſtea nequirent inuenire. Duplicem ergo Eua, omniſque natura humana tunc contraxit corruptionem, alteram culpæ, & alteram pœnæ, quæ mors animæ & mors corporis, mors prima & mors ſecunda nuncupari poſſunt.

Geneſ. 3. v. 15.

Oſeæ 2. v. 6. & 14.

Otat. in Chriſti natiuitatem.

Ideoque bis dicitur: *Ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Sed pœna (vt D. Gregorius Nazianzenus teſtatur) cecidit in miſericordiam. Nam mors corporis hoc præſtitit vt malum non eſſet immortale; & valde iuuat vt ſolicite curemus, vel lapſum impedire, vel cito reſurgere, & Dei nobis conciliare amorem & gratiam. Propter quod ſponſus cuncta hæc reducit in memoriam, vt ſicmius eum quærere, eique adhærere ſtudeamus.

De ſuſcitatione facta à Chriſto in cruce. §. 2.

SEd iam quomodo poſt lapſum iſtum, Chriſtus Dominus, qui ad illum reparandum venit, nos ſuſcitauerit explicemus, communem ſanctorum Patrum interpretationem ſequentes, qui per arborem malum crucem Chriſti ſignificari dicũt: ſed bifariam explicant corruptionem matris. Primo de corruptione vt diximus, humanæ naturæ per culpam originalem ex lapſu primorum parentum contracta, & tunc aduerbium, *ibi*, non ſignificat crucem, ſed arborem ſcientiæ boni & mali quæ generali ratione comprehenditur ſub nomine arboris mali, id eſt fructiferæ, quod expreſsè indicant verba illa Eccleſiæ in Hymno de cruce: *Ipſe lignum tunc notauit damna ligni vt ſolueret.* Et rurſus: *vt medelam ferret inde hoſtis vnde læſerat*: & in Præfat. de cruce: *vt vnde mors oriebatur, inde vita reſurgeret: & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* At quadrat ſimilitudo arboris mali, quæ ſymbolum eſt amoris praui, ſicut & boni. Quoniam ſub illo ligno cœpit amor inordinatus ſui, maximè circa cibum & ſcientiam, circa vxorem, & venerea, vt impudici carnis motus tunc inſurgentes teſtati ſunt. Non tamen deſunt qui affirment arborem ſcientiæ, vere fuiſſe malũ, à qua (vt D. Anſelmus refert ex traditione Græcorum) delatus eſt ramus in Iudæam, ex quo crucis arbor facta eſt. Et hanc expoſitionem proſecuti ſumus in lib. 4. circa id, *ſicut malus inter ligna ſiluarum*, &c. Cæterum per nomen matris tuæ plures [a] Patres intelligunt ſynagogam Iudæorum, maximè quoad cœtum Sacerdotum, Scribarum & Phariſæorum, quæ mater fuit Eccleſiæ à Chriſto Domino in ſuis Apoſtolis & Diſcipulis primo erectæ. Senſus igitur eſt, *ſub arbore malo ſuſcitaui te*, quia in cruce & per crucẽ te, quæ mortua eras per peccatum originis, & ſub poteſtate diaboli conſtitura, redemi, liberaui, ſuſcitaui, & vitam gratiæ tibi impertiui. Te etiam ibi ſuſcitaui & erexi in Eccleſiam meam, & in ſponſam mihi aſſumpſi, & meam erga te ardentiſſimam dilectionem mundo manifeſtaui. At ibi corrupta eſt mater tua, & violata genitrix tua per grauiſſimum peccatum quod in mei crucifixione commiſit, indues maledictionem quam ſibi imprecata eſt cum dixit: *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.*

Lib. 4. exhort. 25. §. 5.

[a] Ita D. Greg. Caſſiod. Beda, Anſelm. Rupert. & alij.

Matth. 27. v. 25.

2. Quid dicis ô dilecta! *Leua eius ſub capite meo, & dextera eius amplexabitur me.* Non abnuo ita eſſe; ſed memento, quod ad hanc te euexi dignitatem, cum *tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem mihi*: qui tandem manus meas extenderunt in cruce & duris affixerunt clauis, & ipſi quidem propter hoc corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt, miſereque perierunt in peccatis ſuis. At te ſuſcitaui vt digna eſſes quam mea læua ſuſtineret, & amplexaretur dextera mea. Tu aſcendis de deſerto delitiis affluẽs innixa ſuper me dilectũ tuum; ego vt ita tu aſcenderes, aſcendi in crucem doloribus affluens, innixus ſuper brachium meum: nam, *ſaluauit mihi brachium meum, & indignatio mea auxiliata eſt mihi.* Conferto ergo te ipſam matri tuæ, & conſidera te viuam, illam mortuam; te ſuſcitatam, illam corruptam; te ſanam & integram, illam violatam. Non tu te ſuſcitaſti, ſed ego ſuſcitaui te; ſicut nec ego corrupi matrem tuã, ſed illa corrupit ſe, *quia perditio tua ô Iſraël, ex te: tantummodo ex me auxilium tuum.* Iuſtum ergo eſt

Iſai. 65. v. 2.

Ad Rom. 10. v. 21.

Hai. 63. v. 5.

Oſeæ 13. v. 9.

vt me ardenter diligas, siquidem ita ardenter ego dilexi te.

3. Ad Titum 3.v.4. Hæc est huius sententiæ suauissima conclusio vt diligamus eum qui non ex operibus iustitiæ quæ fecimus, sed secundum suam magnam misericordiam saluos nos fecit, & cum natura essemus filij iræ fecit nos filios dilectionis suæ, præueniens & excitans ad amorem eos qui nihil minus quam de amore cogitabant: *In hoc enim est charitas* (inquit Ioannes) *non quasi nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos.*

Ioan. 4. v.10.

Perpende etiam quam ingens Dei beneficium sit vt eadem arbor mali, quæ multis sua culpa fuit mortis occasio, tibi fuerit ex Dei gratia causa vitæ. *Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est; ijs autem qui salui fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Nam prædicamus Christum crucifixum; Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis* B *Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, atque Dei sapientiam.* En elegantem explicationem eius quod sponsus ait: *sub arbore malo suscitaui te*, vt nimirum crederes me ab illa arbore pendentem esse Dei virtutem & sapientiam, vniuersumque tuum amorem in me conuerteres, cum tamen mater tua & plurimi ex genere tuo in arbore mali scandalizati sint, quam gentes stultitiam reputarunt. In

Iacobi 1. v.23. his ergo speculis, *considera vultum natiuitatis tuæ*, non superficie tenus, ne cito obliuiscaris qualis fueris: sed sedulo & constanter perpendens vultum quem accepisti in prima natiuitate naturæ corruptæ per peccatum Adæ: deinde vultum collatum in secunda natiuitate naturæ suscitatæ per gratiam in baptismo Christi. Nam prior te humilem, posterior vero fidentem reddet sicut sponsus cupit.

C

Quomodo sub arbore crucis suscitentur animæ multipliciter. §. 3.

1. IAm ad singulas animas hæc verba applicemus, proprium enim est Christi Domini eos qui sub arbore malo se humiliter constituunt, variis & miris modis suscitare, mortuos enim per peccatum suscitat ad pœnitentiam & gratiam: dormitantes & pigros excitat ad spiritus feruorem: pusillanimes & diffidentes erigit ad spem & fiduciamente distractos & vagos in oratione eleuat ad quietam & perfectam contemplationem: torpentes ad opera misericordiæ & ad animarum lucra suscitat vt ardenter proximos diligant, eisque in suis necessitatibus tum corporis, tum animæ, auxilium opportunum præstent. Denique in omnibus periculis & angustiis, in cunctis diuersitatibus & tentationibus, in quibuscumque negotiis & ministeriis ad arborem mali accurre, sub illa te humiliter prosterne; ibi enim Christus suscitabit te, consolabitur & auxiliabitur tibi, ac replebit in bonis desiderium tuum. Nam de hac arbore sponsa dixit: *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus illius dulcis gutturi meo.* Qui autem & quales sint fructus Christi crucifixi & crucis eius ibi explicuimus, & iterum circa illud: *ascendam in palmam & apprehendam fructus eius.*

Lib. 4. exhort. 26. & 27. Lib. 9. exhort. 20.

2. Sed dulcius est quod nunc dicitur, *sub arbore malo suscitaui te.* Ad quid? vt carperes fructus eius, qui dulces essent gutturi tuo; vt ascenderes in palmam & apprehenderes fructus illius. Quia nisi ego te suscitarem, & iuuarem, nihil proficere potuisses. Imo ipsa suscitatio primus est crucis fructus. Comprehendit enim omnes Dei vocationes, A inspirationes, & illustrationes quas Theologi vocant gratias præueniētes, vel excitantes, & auxilia Dei ad omne opus bonū sufficientia, & adiuuantia quæ Christus Dominus in arbore crucis nobis promeruit, & sedentibus sub illo copiosissimè elargitur. Maximè vt insignia perfectionis opera aggrediamur. Ibi suscitaui te ad fugam sæculi, ad religionis ingressum. Suscitaui te vt parentes relinqueres, diuitias contemneres, & honores mundi, carnisque etiam licitas voluptates. Ibi excitaui te ad perfectam mei sequelam; & etiam ad martyrium, vt pro me quæcumque dira tormenta vsque ad effusionem sanguinis libenter ferres. Propter quod nihil existimo vtilius, nihil iucundius, nihil salubrius, & sanctius quam sub arbore crucis Christi domicilium constituere, ibi per me-

B ditationē sedere, quiescere, & fructus eius carpere, quoniam vt D. Chrysostomus inquit, crux nobis totius beatitudinis causa est. Hæc nos à cęcitate liberauit erroris, hæc è tenebris reddidit luci, hæc debellatos quieti sociauit. Hæc alienatos Deo coniunxit: hæc longè constitutos Deo proximè præsentauit: hæc discordiæ amputatio est: hæc pacis firmamentum, hæc bonorum omnium abunda largitio. Rursus: Crux spes Christianorū, resurrectio mortuorum, cæcorum dux, desperatorum via, claudorum baculus, consolatio pauperum, refrænatio diuitum, destructio superborum. Crux monachorum abstinentia, virginum castitas, gaudium sacerdotum, Ecclesiæ fundamentum, inualidorum virtus, ægrotantium medicus, esurientium panis, sitientium fons, & nudorum protectio. Quidquid ergo quæris, & inuenire desideras, sub arbore crucis reperies, dummodo sub vmbra illius sedeas, ad modum quo suo loco explicatum est.

Hom. de cruce & latrone to. 3.

„ Hom. de cruce ibidem.

C

Quod si verba ista cum neothericis, sponsæ velis attribuere, etiam magnam habent vim ad id quod obtinere desideras. Ac si dicas; ego dilecte mi, sub arbore crucis te inueniens recumbentem, aut potius ab illa pendentem, suscitaui te vt orationes meas cito audires, vt omnium peccatorum mihi veniam largireris, vt ianuas paradisi mihi aperires. Nullibi enim facilius se Christus suscitari sinit, quam in cruce, vbi extensas habet manus vt omnibus benè faciat, cor apertum, vt omnes diligat, & inter se libenter recipiat. Nonne bonus latro quodammodo suscitauit Christum in cruce cum ei dixit: *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum?* Christus autem ita excitatus mox respondit; *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*, id est, hodie in hoc ligno paradisi ianuas aperio, quas in alio ligno clausit Adam terrenus. Ille per lignum à paradiso exclusus est, tu per lignum crucis hodie mecum intrabis in illum. Suscitauit latro Christum, sed prius Christus illum suscitauerat: nisi enim suscitasset, in blasphemiis perseuerasset cum socio. Suscitauit vt apertis oculis Christi videret innocentiam, perpenderet preces, miraretur charitatem, patientiam stuperet; deinde vt suam agnosceret miseriam, socij damnaret insolentiam, & ad diuinam accurreret misericordiam. Suscitatus est à morte in vitam vt è vita temporali mox transiret in æternam, & è patibulo in paradisum. O magna virtus crucis, ô stupenda vis Christi crucifixi! Suscita me Domine, & suscitabor, salua me & saluus ero. Suscita me ad amorem tuum vt te diligam in cruce pendentem, sicut tu in ea dilexisti me; vniar tibi sicut tu vnitus es mihi, vt iam non

3.

Lucæ 22.

D

viuam

Ad Gal 2. v.20. viuam ego, sed tū viuas in me, & ego in te, tuæ affixus cruci.

4. Lib. de Isaac c. 8. Ioan. 1. v.48. Denique perpendamus cum D. Ambrosio non dixisse sponsum, sub arbore malo vidi te, sed suscitaui te; cum tamen de Nathanaële qui erat verus Israëlita in quo dolus non erat, dixerit, *cum esses sub ficu, vidi te.* Diximus autem supra ficum symbolum etiam fuisse crucis. Plus autem est suscitare quam videre. Videt enim Christus eos quos ad fidem & communem dilectionem trahit. Suscitat autem quos ad insignem charitatem & familiaritatem desponsationis eleuare dignatur. Quod sic explicat D. Ambrosius ita hunc versum legens: *Sub arbore mali eleuaui te. Illic parturiuit te mater tua, illic parturiuit te quæ peperit te.* Bona anima „ quæ requiescit sub arbore fructuosa, & maximè boni odoris. Nam si Nathanaël bonus in „ quo dolus nullus erat, sub arbore fici visus est, B „ vtique bona anima quæ sub arbore fici eleuata „ est sponso suo. Plus enim est eleuare quam vi„ deri, plus etiam à sponso eleuari. Nam etsi Na„ thanaël videbatur sub arbore, tamen anima eius „ sponsa non erat, qui occulte veniebat ad Chri„ stum, quia verebatur Iudæos. Non erat specio„ sa sicut luna, electa vt sol, quę erat in vmbra, „ quia sponsa per diem nubit, publicè confitetur. „ Ideo ista sub arbore mali, illa sub fici, quia hæc „ confessionis suæ odorem diffundebat longius, il„ la habebat puritatis innocentiæ suanitatem, fra„ grantiam spiritus non habebat. Sic ille: qui insinuat eleuationem istam assumptionem esse ad dignitatem sponsæ singularis de qua in præcedentibus dixerat: *læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*, scilicet ducens me ad thalamum suum. Vnde subditur: *quæ est ista quæ ascendit* C *innixa super dilectum suum?* Sponsus vero ait, ego sub arbore mali te eleuaui vt ita ascenderes, & in tam magnam euchereris gloriam, qua tu publicè etiam gloriaris de arbore crucis, nec erubescis me in sponsum accipere, etsi crucifixum.

Quod autem subditur iuxta Lxx. *illic parturiuit te mater tua*, ad Ecclesiam refert D. Ambrosius.

Ad Gal. 4.v.19. „ Quoniam ibi inquit, nascimur, ibi renascimur: „ pariuntur autem in quibus Christi imago formatur: Vnde & Paulus ait; *filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* Parturit enim „ qui in vtero accipit spiritum salutis, & aliis infundit. Dicitur autem parturire, quia cum magno cordis dolore hæc parturitio fit, sicut de muliere quæ repræsentabat Ecclesiam dicitur quod clamabat parturiens: bis autem repetitur

Apoc. 12. v.2. ibi parturiuit: quoniam non semel per baptismum, sed sæpius per pœnitentiæ Sacramentum D nos parit Ecclesia, quia crebro in peccata relabimur, & suscitamur ad gratiam.

Quomodo Deipara suscitata dicitur à Christo Domino. §. 4.

5. Pro Concep. B. Virginis. PLacet tandem hæc verba Deiparæ applicare, & hinc immaculatam eius Cōceptionem deducere, sumendo arborem mali pro ligno in quo corrupta est Eua ac tota humana natura. Ibi (inquit cælestis sponsus) ô Virgo beata, suscitaui te, & ad amorem meum eleuaui, præseruans te ne in labem originalem caderes cum cadente, nec corrumpereris cum corrupta: quia nisi te misericorditer præseruarem, cum reliquis similiter in eamdem culpam caderes. Nec mirum quod tunc sub illa arbore gloriosissima Virgo dicatur suscitata, A siquidem illius expressam fecit Dominus mentionem ad serpentem loquens, cum ei dixit; *Inimicitias ponam inter te & mulierem, &c. ipsa conteret caput tuum.* Quasi dicat, ne glorieris ô serpens, purans te omnes mulieres, & semen earum corrupisse, & tuo subiugasse imperio: ego enim vindicaui mihi mulierem vnam, quæ non cadet cum reliquis: & hæc conteret caput tuum; quoniam semen illius, id est, filius qui nascetur ex ipsa, omnes tuas conteret vires, & peccatum mundi tollet. Quomodo autem sponsus suscitauit illam non post casum, sed ne caderet: quomodo etiam suscitauit ad amorem vt simul existere inciperet, & diligere, fusè supra explicatum est. Solum nunc addamus in parentum Virginis nominibus hanc præseruationem notatam videri. Quod non est insolitum in Scriptura, vt ex nomi-

Genes. 3. v.15.

Lib 1 exhort. 11. & lib 7. exhort. 20. Ex Galat. lib. 7. c. 8.

nibus Patriarcharum, & filiorum Oseæ & Isaiæ, quæ aliquid futurum portendebant, deduci potest. Ioachim enim idem est quod, *Deus eleuabit*, eriget seu excitabit: anna vero *gratiam* significat. Hoc autem portendebat, filiam quam habituri erant, eleuandam & suscitandam esse à Deo ne communi naturæ humanæ corruptione contaminaretur, sed concipereretur in gratia ex speciali priuilegio quia mater futura erat eius qui suscitaturus erat illam. Sed quod subditur iuxta Lxx. *ibi peperit te mater tua*, in eundem sensum explicari potest: facta enim hac reuelatione tam fœlicissimæ fœminæ ex Euæ semine nascituræ; tam Eua quam humana natura fide concepit ac peperit hanc beatissimam filiam, expectantes futuram per eius filium redemptionem.

6. Sed iam eadem verba ad arborem crucis referamus, ad quam Deipara libenter accurrit, vt pendenti ex ea filio semper assisteret, iuxta illud: *Stabat autem iuxta crucem Iesu Maria mater eius.* Sed quare tam firmiter stabat erecta, nisi quia filius eius suscitabat & eleuabat eam. *Sub arbore malo* (inquit) *suscitaui te*, vt ibi mecum stabiliter esses, vt me ardentius præ aliis diligeres, vt te ad meipsum traherem, simulque mecum spiritu in cruce penderes. Ibi corrupta est synagoga mater tua, & ego suscitaui te vt ardentius orares pro illa, & esses mater Ecclesiæ meæ, & omnium discipulorum meorum. Ideoque ostendens discipulum meum dixi tibi: *ecce filius tuus*: & illum alloquens dixi, *ecce mater tua.* Vere mater es omnium discipulorum meorum, quia per te ego illos gignam & pariam, & ego suscitabo illos vt mihi & tibi inseruire cupiant; & quicumque corruptionem prioris matris Euæ experti fuerint, accedentes ad te, suscitentur, vt ab illa eruantur corruptione, & in meam redeant amicitiam & gratiam.

Ioan. 19. v.25.

Ad hanc igitur pijssimam matrem fidenter omnes accurramus, quoniam benigne suscipiet nos, eo quod stans iuxta crucem nos omnes parturiuit vt etiam in hunc sensum intelligamus verba ista, ac si Christus diceret: sub arbore crucis; ô anima, suscitaui te vt mihi te traderes: *Ibi parturiuit te mater tua*, seu, *cum doloribus peperit quæ genuit te*, quoniam beatissima Virgo Maria mater tua te mihi prope crucem etiam parturiuit cum gemitibus & doloribus pro te, & omnibus peccatoribus preces fundens, vt fructus passionis meæ applicaretur illis, donec Christus formetur in eis. Vtinam filius Dei sic per matrem nos suscitet, quod vitam adipiscamur nūc gratiæ, & postea gloriæ in sæcula sæculorum. Amen.

EXHORTATIO VI.

Pro Dom. 12. & 17. post Pentecosten de præcepto dilectionis.

De signaculis dilectionis Dei nobis præceptæ, ac legis diuinæ, naturalis & Euangelicæ, ponendis super cor & brachium, & de miris eorum effectibus.

Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.

PROSEQVITVR sponsus simul & magister, docere sponsam perfectissimas amoris leges, proprietates, & effectus. Ad amorem autem duo sunt omnino necessaria, nimirum gratia ipsius Dei præueniens & excitans animam vt diligat: & liber ipsius animæ consensus, seu cooperatio cum ipsa gratia & auxilio diuino ad dilectionis actum exercendum: quia neutra sine alia sufficiet ad salutem, eo quod nec Deus solus vult saluare nos sine nobis, nec nos aliquid valemus sine illo. Docuit autem sponsus in præcedenti versu suscitationem à se factam sub arbore mali, vt sponsa eum diligere vellet, & eam in sponsæ eueheret dignitatem; nunc docet & præscribit ei suam ipsius cooperationem & industriam dicens: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Dum inquit, *pone*, indicit illi præceptum, aut legem vel modum amandi qui ab eius pendet arbitrio à suscitante iam præmoto. Et dicens: *pone me*, seipsum liberaliter offert vt ponatur tamquam signaculum, præstituturus auxilio sine dubio vt illum ponat. Veluti si quis porrigeret alteri sigillum vel annulum, & diceret ei, accipe sigillum istud, vel annulum, & pone in digito tuo: sic Christus ait, accipe me loco signaculi, & pone me super cor tuum, & ego ipse adiuuabo te vt ponas illum.

Vox autem illa *vt*, significat non loqui de signaculo corporeo, sed de eo quod similitudinem gerit illius: id est, pone me ad similitudinem signaculi seu sigilli. Et quia sigilla ista in annulis antiquitus ferebantur, pro eodem sæpius vsurpatur sigillum & annulus, seu annulus signatorius, de quo apud Ieremiam dicitur: *Si fuerit Iechonias annulus in manu dextera mea, inde euellam eum.* Et apud Aggæum: *Assumam te Zorobabel serue meus, & ponam te quasi signaculum, quia elegi te.* Qua phrasi rem esse dilectam, pretiosam, & plurimi habitam significatur: vnde & annulus iste ab antiquis ferebatur in digito qui minimo leuæ proximus est, quia in eum neruulus quidam desinit à corde prouenies: cor autem sedes est amoris, & rei vnicè dilectæ quasi receptaculum.

Ierem. 22. v. 24. Aggæi 2. v. 4. Pierius lib. 41. c. de annulo.

De omnibus quæ Dei perfecta dilectio comprehendit.

§. 1.

VT autem mysteria quæ sub hac & quatuor sequentibus metaphoris latent, indagemus, aduertendum est sponsum hic quinque proferre sententias, quibus perfectissimè declarat cuncta quæ ad Dei erga animam, vel animæ erga Deum dilectionem spectant. Et quamuis eas simul in singulis exhortationibus applicare possemus singulis dilectionibus, vt vna exhortatio esset de quinque notis amoris Dei erga nos, alia de aliis quinque notis amoris Christi in cruce, vel in Eucharistia, &c. sic enim coniunctim haberentur cuncta quæ ad idem mysterium pertinent: Tamen ne cogamur ea sæpius repetere, vnamquamque sententiam decreui seorsum interpretari singulis amoribus Dei & nostro per diuersos paragraphos applicando, vnde facile erit eas vnicuique mysterio aptare.

Comprehenduntur autem hæ quinque sententiæ in ea parte Euangelij quæ legitur in Communi Apostolorum, in qua Christus Dominus quasi alluſionem faciens ad hunc locum Cantici, quinque aut sex diuinæ dilectionis notas, & mirabiles effectus assignat. Primus est imitatio ipsius Christi in modo diligendi. *Hoc* (inquit) *est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos*: de quo hic dicitur, *pone me vt signaculum super cor tuum, &c.* Vt autem sciremus quomodo ipse dilexit nos, & nos eum imitari teneremur tamquam exemplar, & habere vt signaculum, subdit potissimum dilectionis effectum, qui est oppetere mortem pro Dei gloria, & proximorum salute. Nam, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Cui consonat quod hic subditur: quia, *fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Tertius autem effectus est obedientia, & obseruantia omnium præceptorum legis Euangelicæ, quæ est lex amoris. Nam, *vos* (ait) *amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Ea videlicet præponendo vestris commodis, & omnibus mundi rebus. Nam, *si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione*, id est, pro lege dilectionis seruanda, *quasi nihil despiciet eam.* Hinc quartus amoris effectus est familiaris cum Deo communicatio, & amica conuersatio, de qua inquit: *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis.* Id est, iam vos liberaui à seruitute, & tenebris legis veteris, & constitui in statu amicitiæ & claritatis legis nouæ, reuelans vobis multo clarius quam antiquis mysteria quæ audiui à Patre meo; hoc enim proprium est amoris: nam, *lampades eius lampades ignis atque flammarum*: quæ sua luce & ardore abscondita manifestant, & se communicant dum alia illuminant & inflammant. Quintus vero effectus est constantia permanens in Dei obsequio. Nam, *ego* (inquit) *elegi vos, & posui vos vt fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Potissimus autem fructus spiritus est ipsa charitas quæ semper manebit. Nam, *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Tandem ne despondeamus animum, subijcit vltimum effectum precis ad impetrandas à Deo vires vt cuncta hæc perficiamus: vt, *quodcumque* (inquit) *petieritis Patrem in nomine meo det vobis.* Dabit autem quia munificentissimus est: siquidem, *dedit omnem substantiam domus suæ pro dilectione.* Hæc concisè dicta sint sigillatim in sequentibus explananda.

Ioan. 15. v. 12. Connexio harū quinque sententiarum. 1. Quinque amoris effectus. 2. 3. 4. 5. 6.

De præcepto

De præcepto dilectionis Dei vt signaculi rationem habet.

§. 2.

Deut. 6. v. 4 Matth. 25. v. 35. Marci 12. v. 26. Lucæ 10. v. 27.

ET imprimis insigne dilectionis præceptum toties in vtroque testamento repetitum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota fortitudine tua*, seu, *ex omnibus viribus tuis*, sub hac metaphora commendatur, *pone me vt signaculum super cor tuum*, (sub quo mens & anima comprehenditur) & *vt signaculum super brachium tuum*, quod ad fortitudinem & vires refertur. Positio itaque huius signaculi est obseruantia huius præcepti. Duo autem videtur ad perfectam dilectionem exigere; vt scilicet signaculum amoris ponatur intus & foris, super animam, & super corpus, super cuncta nostra interna & externa, vt quidquid intra nos est, vel à nobis egreditur signatum sit signo Dei viui, sigillatum sigillo ipsius Christi, qui sub arbore malo crucis suæ ad amorem suum suscitauit nos, & tunc fecit se signaculum quo eius se signarent sponsæ. Petit igitur ab anima vt se totam intus & foris illi tradat tamquam ancillam & sponsam, quæ iam non est sui iuris, sed sui Domini & sponsi. Proprio enim sigillo ac propria nota signamus ea quæ nostra sunt, quæ ab aliis vsurpari nolumus, sed tamquam nostra ab aliis haberi & dignosci, à cæteris que non nostris secerni. Quemadmodum pecudes characterе proprio inurunt pastores, & heri seruos, aut ancillas: sed magis sit alluſio ad morem gentium, quæ eorum quos diligunt notas & signa quædam igne sibi imprimunt, vel super cor vel super brachia, quo ipsos etsi absentes quoquo modo habeant præsentes, & suum erga eos amorem testentur. Gentes etiam suorum Deorum notas vel imagines similiter impressas gestabant: vnde in tertio Machabæorum libro (etsi canonicus non sit) refertur Ægyptiorum regem præcepisse vt cum Iudæi ad ritum gentium se transferrent, in eorum corporibus pro stigmate bacchi folium hederaceum inureretur. Et in Apocalypsi dicitur eos qui se bestiæ, id est Antichristo dedidere, habere eius characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis: character autem iste erat, vel imago, vel nomen, vel numerus nominis eius impressus in manu vel fronte. Impressio autem fiebat vel cuspide alicuius cultelli in cute, quomodo milites stigma Imperatoris gerebant, vel stilo ferreo sicuti antiquitus fiebat inscriptio. Aliquando etiam inscriptio ista non in cute, sed in annulis vel in auribus fiebat sicut Ieremias ait: *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino, exaratum super latitudines cordis ipsorum.* Peccatum Iuda vocatur idolum quod adorabat. Sicut apud Amos vitulus aureus dicitur delictum Samariæ. Hoc exaratum erat in gemma inclusa in annulo vel in lamina quæ à collo vsque ad cor demittebat, quas idolorum imagines secum gestabant, vt eorum se cultores protestarentur. Imo de familia Iacob in Genesi insinuatur idola habuisse inaures in auribus suis è contra vero apud Ezechielem iubetur viro lineis induto vt signaret Thau frontes lugentium, quod erat signum veri Dei quem

Fertur morem hunc vigere apud fœminas Sarracenas 3. Mach. è. 2. prope finem. Apoc. 13. v. 16. Habetur hic liber in biblia Vatabli. Vide Lypsium lib. 1. Demilitia dialogo 4. Ierem. 17. v. 1. Amos 8. v. 14. Genes. 35. v. 4. Ezech. 9. v. 4.

A colebant. Et in Apocalypsi Angelus habens signum Dei viui signauit seruos Dei nostri in frontibus eorum, & centum quatuor mille referuntur habentes nomen agni & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Ad eumdemque morem alluſisse videtur Apostolus cum ait: *ego stigmata Iesu in corpore meo porto*, vt mox dicemus. Apoc. 7. v. 2. & c. 14. v. 1. Ad Gal. 6. v. 17.

Ad hunc igitur modum sponsus inquit: *pone me vt signaculum super cor tuum, & vt signaculum super brachium tuum.* Vt non solum interius coram Deo, sed exterius coram hominibus, nec tantum foris in ijs quæ hominibus patent, sed etiam vere & sine fictione in ijs quæ nota sunt soli Deo, profitearis te meam esse, & me solum habere tamquam Deum, Dominum, & Sponsum, meque corde & opere super omnia diligere, ita vt nec in corde tuo, nec in brachio tuo ponas signaculum diaboli, vel characterem Antichristi, aut signum alicuius idoli, vel creaturæ, quam propter se plus nimio diligas, sed dumtaxat signaculum meum vt ego ipse sim signaculum tuum, quo glorieris te meam esse. Quemadmodum apud Isaiam legitur: *Iste dicet, Domini sum, & ille vocabit in nomine Iacob. Et hic scribet manu sua Domino, & in nomine Israël assimilabitur*, id est, vnus dicet, totum me Deo mancipo; alius nomine Dei Iacob mihi impresso gloriabor: alius, in manu sua stigmate iusto testabitur, se Domini esse: alius denique eius similitudinem in se geret, & ei simillimum esse curabit. Confirmat autem his verbis sponsus quæ sæpius sponsa dixerat ei, *dilectus meus mihi, & ego illi. Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Ac si diceret: si id ita est vt tam asseueranter affirmas: *pone me vt signaculum super cor tuum, & brachium tuum*, quo constet te meam esse, & te mihi totam tradidisse. Isai. 44. v. 5.

Hinc etiam patet quid significet nomen *totum*, toties repetitum in dilectionis præcepto, ex toto corde, & ex tota anima, ex tota mente, vt nihil scilicet illius alteri quam Deo tradatur, nec alterius sit per amorem nisi solius Dei; vt totum sit Dei sigillo signatum & non alterius. Inepte enim eadem cera diuersis sigillis signatur, vnum enim alterum delet, & neutrum simul bene recipit; sic anima nequit simul Dei & Diaboli, Christi & Antichristi ac mundi signa recipere: *Nec duobus Dominis seruire: Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.* Impressio ergo sigilli diuini amoris totum cor occupat, totam animam & mentem replet, nihil vacuum contrario sigillo relinquit, per quod alius Dominus Deo aduersus, cordi valeat dominari. Matth. 6. v. 24.

De signaculo legis diuinæ & Euangelicæ in corde & operibus ponendo.

§. 3.

HÆc autem amplius patebunt, si verba ista intelligas de alio Dei & Christi signaculo, quod est lex ipsius tam naturalis quam Euangelica, vtraque enim scripta & signata est in cordibus nostris etsi diuersimode. Naturalis

Ad Rom.2. v.15. quidem impressa est à Deo mentibus hominum vt testatur Paulus cum de gentibus ait ostendere opus legis scriptum in cordibus suis. Quod prius docuerat Psaltes inquiens : *Multi dicunt quis ostendet nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Lumen vultus Dei est lex naturalis signata & sigillata in mentibus nostris per æternam legem quæ in mente Dei est tamquam æternum sigillum, cuius figuram altera exprimit, vel cuius dicitur participatio. Hæc ostendit nobis bona facienda, & fugienda mala. Lex autem Euangelica quæ est lex gratiæ & charitatis, similiter signatur in nobis à Spiritu sancto, & à Christo illius authore, iuxta illud : *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Charitas enim & supernaturales virtutes, quæ ad Dei mandata implenda inclinant, lex sunt ipsius Dei mentibus impressa: cum autem nos ea operibus complemus, amplius inscribimus & insculpimus illam, & ideo per Salomonem dicitur : *Fili serua mandata mea, & viues, & legem meam quasi pupillam oculi tui : liga eam in digitis tuis, & scribe eam in tabulis cordis tui.* Ligare in digitis refert ad memoriam & operationem, scribere vero in tabulis cordis ad amorem. Quod in Deuteronomio Moyses pluribus verbis dixerat: *Erunt verba hæc quæ ego præcipio tibi in corde tuo, & narrabis hæc filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque in limine & ostiis domus tuæ.* Quæ quo ad externa Pharisæi ad literam obseruabant vt iugem legis memoriam semper habere viderentur. Cuncta autem hæc vnico verbo sponsus complectitur dum ait : *pone me vt signaculum super cor tuum, &c.* me, inquam, qui viua sum lex, viuum Euangelium, in quo cuncta quæ lex & Euangelium præscribunt continentur; pone super cor & brachium tuum, vt sigillata à mea lege æterna maneant, vt nihil sit in corde tuo, vel in operibus tuis, quod huic legi non sit consentaneum, vt illam semper coram te habeas, & illam iugiter in corde mediteris, & cum ad operandum gradiaris, iuxta illam gressus tuos dirigas. Sicut enim numisma à regij signi impressione valorem habet, & pretium, sic opera nostra à conformitate cum diuina lege & beneplacito suam desumunt condignitatem. Et tunc iustus sicut Dauid, est vir secundum cor Dei faciens omnes voluntates eius, quia signaculum Dei vtrumque illi præstat.

Ierem.31. v.31. Ad Hebr. 10.v.16. Prou.7.v.2. & c.3.v.3. Deut.6.v.6. Exod.13. v.9. Erunt quasi signum in manu tua. Act.13.v.22

2. Sed non carent mysterio diuersæ istæ phrases scribendi legem in corde, vel ponendi vt signaculum super cor : inscriptio enim quæ fit calamo & atramento paulatim fit, & per partes, vnam literam vel dictionem post aliam exarando : impositio vero signaculi vno impetu fit, totamque figuram simul imprimit, in quo assimilatur typographiæ arti, quæ prælo simul plures characteres imprimit. Lex ergo diuina quo ad virtutum habitus, & quo ad voluntatem obseruandi eam, instar sigilli tota simul imprimenda est cordi ; nihil enim illius à corde expungendum est: at secundum executionem, per partes scribitur, vel quia successione quadam ipsa præcepta occurrunt implenda, vel etiam quia profectus & virtutum incrementum gradatim fit.

Sed cur sponsus non dixit, pone me vt signaculum super brachia tua, sed super brachium tuum ? siquidem vtrumque brachium signaculo isto ornare maioris dilectionis esset indicium. Sed forte solum meminit brachij, dexterum intelligens, quoniam illud est potissimum operandi instrumentum ; & quia signaculum Dei solum imprimitur in eo quod dexterum est, id est, directè ad Dei gloriam factum, non in eo quod est sinistrum, atque ad placendum sibi, vel hominibus ordinatur ; de quo dicitur : *Te autem faciente elemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Vnde & Dauid dicebat, *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear*, id est, vt semper id quod dexterum est in conspectu eius operer, numquam declinans ad sinistrum. Antichristus bellum indicens vero Christo, charakterem suum in manu dextera vt diximus imprimere compellet assecias suos, vt cuncta ad eius gloriam, in eius obsequium operentur. Cum enim in Dei templo sedeat tamquam Deus, quid quod dexteram ab omnibus sibi consignari petat ? At verus Deus sponsam suam monet vt dexteram hanc sibi seruet, & suo signaculo consignet, nihilque in alterius quam ipsius sponsi gloriam faciat. Denique non brachia dicit, sed brachium, vt vnionem operum quamuis plura sint, & diuersa commendet. Nam cum vno sigillo signentur diuinæ voluntatis, omnia vt vnum brachium debent reputari.

Matth.6. v.3. Psal.15.v.8. Apoc.13. v.16.

Hinc Theodoretus per cor intelligit vim contemplatiuam, per brachium vero actiuam. Quamobrem & sacerdotibus à populo brachium dexterum & pectusculum separabatur. Vult ergo Saluator vt eum pro signaculo in contemplationibus, & actionibus nostris habeamus, & notam ipsius in omnibus tam cogitatis quam dictis, & factis imprimamus: sic enim erunt numismata regia, non adulterina, sed regiam imaginem præ se ferentia. Sic ille. Quod optime confirmat D. Gregorius dicens : Sancta mens signum interius & exterius Christum portat, quia dum in eius meditationibus assidue laborat, in exteriori actione eum imitari non cessat, quo eius dilecta esse dubitare non debeat. De quo signo ipse sponsus discipulis suis aiebat : *In hoc cognoscent quod mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.*

Exod.29. v.27. In hunc locum. Ioan.13. v.35.

Vtriusque ergo vitæ opera exercere debet qui Christi amore flagrare desiderat, & ad perfectionis culmen peruenire : Sed prius super cor signaculum Christi constituat, vt quidquid ab illo progreditur hoc signum : *secum portet*, & à corde brachium idem sigillum recipiat. Quoniam Deo minime placet sigillum quod in solo brachio imprimitur, si à corde signato non procedat. Nam opus bonum mere externum, inane est & inanime, imaginem refert sanctitatis, sed intus nihil habet virtutis, imo multoties sub externa imagine Christi character latet Antichristi. Nam superbia tegitur humilitatis pallio. Prouidere autem nos oportet bona simul coram Deo, & coram hominibus, vt iuxta sponsi mandatum signaculum eius cordi & brachio simul imprimamus.

Sed

5. Iob.37.v.7. Ita Titelman.ibi. Sed adhuc subtilius hoc explanemus per id quod scriptum est in libro Iob ab Eliu Dei recensente magnalia ; *qui in manu omnium hominum signat vt nouerint singuli opera sua.* Manus (sumpto singulari pro plurali iuxtà phrasim Scripturæ) significat vires hominum operatiuas siue internas, siue externas, quas dicitur Deus signare, quia illis imprimit quasdam natiuas inclinationes per naturalem cuiusque dispositionem, ex quibus quisque cognoscere potest ad quas operationes & exercitia est aptus, & à diuina prouidentia quasi destinatus. Nam quidam ad agriculturam, alij ad militiam, alij vero ad artium fabrilium, vel ad literarum studium natura sua sunt propensi. Et quia homines communiter suas sequuntur propensiones, in illis tamquam in signis & notis cognoscunt in genere opera quæ facturi sunt.

Ad eumdem modum Deus vt auctor gratiæ, in manu electorum suorum signat, id est, imprimit & insculpit vehementes quasdam supernaturales propensiones, ex quibus facile dignoscere quisque valet ad quæ munia & ministeria, & ad quæ opera vitæ actiuæ vel contemplatiuæ sit aptus, & à Dei prouidentia destinatus. Nam alij ex Dei gratia propendunt in opera misericordiæ corporalia, vel spiritualia, alij in exercitia varia contemplationis, alij vero in diuersa religionum instituta : huiusmodi autem propensiones valde nostra cooperatione confirmari, augeri, & perfici possunt. Ideoque sponsus omnes sub vno generali signo comprehendens ait : *Pone me vt signaculum super cor tuum, & brachium tuum.* Ego ipse volo esse tua propensio, & quasi natiua inclinatio cordis ad operandum, vt in me & ex me agnoscas opera tua quæ facere debeas; vt in nihil aliud propendas quam in id quod mihi placet, & meæ consonat sanctitati.

De signaculo ad custodiam cordis. §. 4.

Sed quid prodesset multa & pretiosa bona thesaurizasse, si ea sine custodia relinquamus? Ideo cum tot tamque præcellentissima dona sponsus suæ dilectæ contulisset vt ex præcedentibus laudibus satis dignoscitur, nunc exhortatur illam ad firmissimam eis adhibendam custodiam, dicens : *pone me vt signaculum super cor tuum, &c.* Annuli enim, & sigilli vsus frequens est ad signanda ea quæ nimis clausa, & custodita esse volumus: ideoque signamus literas, & aliquando thesaurorum arcas. Vnde Darius Rex signauit annulo suo lacum leonum, in quem missus erat Daniel, & Iudæi signarunt lapidem sepulchri Christi Domini; & Clemens Alexandrinus refert antiquum morem virorum tradentium sponsis annulum non ad ornatum, sed ad obsignanda quæ domi digna erat vt custodirentur. Nihil autem est in nobis maiori dignum custodia quam cor nostrum ; dicente Salomone : *Omni custodia serua cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Cor enim recepraculum est cælestium thesaurorum, quæ iustis communicantur. In corde enim diffunditur gratia, charitas, & sapientia quæ infinitus thesaurus à Sapiente vocatur; omnes etiam supernaturales virtutes, & dona Spiritus sancti, ipseque timor Domini quem thesaurum etiam Isaias nuncupat. Imo ipsemet Spiritus sanctus, ac ipse Christus in cordibus nostris habitare dicuntur. Cum autem nihil sit instabilius, mobilius, & fragilius humano corde, quod nos vix continere possumus & reprimere, sed cito

Dan.6.v. 17.& c.14. v.13. Matth. 27. v.66. Lib.3.Pædag.c.2. Prou.4. v.23. Sap.7.v.14. Isai.33.v.7.

deserit nos, & ducit nos post se ad innumera quæ noxia sunt, sicut de impio dicitur: *abijt vagus in via cordis sui*; indiget custodia non humana, sed diuina, quia nisi Deus ipse custodierit cor, frustra vigilat qui custodit illud. Isai.57.v.7.

Propter hæc sponsus inquit : *pone me vt signaculum super cor tuum*, vt ego ipse custodiam illud, & cuncta quæ in illo habes, ne hostes audeant illud contingere, quod tantum vident munitum sigillo. Iccirco (inquit D. Gregorius) signaculum rebus ponitur, ne qua diripientium præsumptione temerentur. Sponsus ergo in corde signaculum ponitur, quando fidei eius mysterium in custodiam nostræ cogitationis imprimitur. Vt ille infidelis seruus, nimirum noster aduersarius, cum signata corda fide considerat, tentando ea irrumpere non præsumat. Docet igitur D. Gregorius cuncta Dei & Christi mysteria fide viuaci apprehensa, instar signaculi esse ad custodiam mentis, maximè autem mysterium crucis & passionis Christi, quod hostibus est formidabilius : quæ ergo Virgo cupit sancta esse corpore & spiritu, & mentis ac corporis integritatem illæsam custodire; & quicumque desiderat ab omni inquinamento carnis & spiritus immunis permanere; Christum ponat vt signaculum super cor suum, & brachium suum, quia ille potens est depositum in corde thesaurum seruare vsque in vltimum aduentus sui diem. Memento omnia opera tua, siue bona, siue mala, reposita esse in memoria Dei, & secreto quodam sigillo consignata, vt suo tempore manifestentur & reddat vnicuique iuxta opera sua. *Nonne* (inquit) *hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis ?* Cura igitur bona opera & insignia merita ac magna Dei dona, in thesauris cordis tui recondere, ad eorumque custodiam ipsum Christum tamquam signaculum supra cor tuum constituere, vt opus quod ipse in te cœpit, & perfecit, ipse custodiat, & remuneret. Deut.32. & v.34.

Quod vt auidius perficias, recordare quod supra diximus in illud Cantici, *ego dormio, & cor meum vigilat*, sponsam appellare cor suum ipsum Christum, qui amor suus, & omne suum bonum est, à quo omnis eius vita procedit. Ipse etiam brachium est nostrum vt Isaias testatur dicens : *Esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis*, quoniam per illum cuncta operamur, sine quo nihil facere valemus. Quid ergo est dicere sponsum : *pone me vt signaculum super cor tuum, & brachium tuum*, nisi, fac me esse tamquam custodem super meipsum, qui sum cor tuum & brachium tuum, & per fidem & dilectionem in corde tuo habito ? vt cum te custodis, intelligas custodire me, & ita solertius huic custodiæ inuigilare studeas, donec tandem me possideas in gloria in sæcula sæculorum. Amen. Cant.5.v.2. Isai.3.v.2.

EXHORTATIO VII.

Pro Pentecoste vel festo Crucis.

De signaculo quod est Spiritus sanctus, Christus crucifixus, seu crux ipsius, & sacra Eucharistia; & de perfectissima similitudine cum ipsis ad quam nos euehunt.

Pone me vt signaculum super cor tuum, &c.

QVÆ in præcedenti exhortatione diximus, ampliori & sublimiori indigent explanatione, à creatis ascendendo ad increata, quæ illorum sunt principia, & fontes: dupliciter enim sponsus munus gerit signaculi, aut per se ipsum, aut per eius dona nobis impressa. Cum autem sponsæ inquit, *pone me vt signaculum*, id ab ea exigit vt ad perfectissimam cum ipso secundum omnia interna & externa aspiret similitudinem, qualis inuenitur inter rem sigillatam & sigillum. Nomen enim signaculum sumi potest tam actiue, quam passiue: hoc est, tam pro signaculo quo figura in re signata imprimitur, quam pro figura ipsa impressa. Huiusmodi autem signaculum multiplex est & multipliciter explicari potest.

De signaculo quod est Spiritus sanctus & charitas.
§. 1.

1. Ad Rom. 5. v. 5. De hoc supra lib. 7. exhort. 28. §. 2. in id, fons signatus.

POtissimum autem signaculum est de quo D. Paulus ait: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Nam ipse Spiritus sanctus, qui à Patre & Filio datur iustis, omnium supremum est signaculum. Charitas vero creata & grata, ac ex consequenti fides, ac aliæ virtutes supernaturales, quæ eam comitantur est signaculum, id est, figura ipsa à Spiritu sancto in corde impressa, à qua anima tamquam à propria forma dicitur sigillata, & similis Spiritui sancto, ac Patri & Filio, qui vnus sunt Deus; cuius diuinæ naturæ similes, & participes efficimur per charitatem & gratiam. Nam de signaculo quod Spiritus sanctus est inquit Paulus; *Qui vnxit nos Deus, & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et rursus: *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto.* At Spiritus sanctus qui charitas est increata velut sigillum candens & ignitus, dum animæ coniungitur suam ei imprimit figuram, quæ est charitas creata. (2. Cor. 1. v. 22. Ad Ephes. 1. v. 13.)

2. Vnde in baptismo multiplex signaculum imprimitur animæ, nimirum character quo distinguitur baptizatus à non baptizato, & hic est indelebilis ac in æternum permanet, tam in cælo ad beatorum ornatum, quam in inferno ad damnatorum confusionem. Deinde imprimitur fides, qua tamquam signaculo fideles discriminantur ab infidelibus, & hæreticis: & præterea gratia & charitas, qua iusti secernuntur à peccatoribus. De his autem Apostolus inquit: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, Cognouit Dominus qui sunt eius. Et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.* Et Ioannes Baptista inquit: *Qui accepit eius testimonium, signauit, quia Deus verax est.* Fides enim est sigillum à prima veritate menti nostræ impressum, quo testificatur verum esse quidquid ab eo reuelatum est: charitas vero sigillum quo eius bonitas & sanctitas manifestatur. (2. ad Timoth. 2. v. 19. Ioan. 3. v. 33.)

De iis igitur sigillis inquit sponsus: *pone me vt signaculum super cor tuum.* Nam licet ipse Deus se ponat, & Spiritus sanctus se ipsum det, & Christus Dominus det illum, & infundat charitatem; tamẽ anima per suam liberam præparationem & consensum dicitur illum ponere super cor suum: additur vero; *vt signaculum super brachium tuum*, quoniam perfecta Dei similitudo in Spiritu & in corpore splendescere debet, dilectioque non solum corde sed opere manifestãda est, vt diligamus non verbo & lingua, sed opere & veritate. Quod sic explicat D. Ambrosius: signaculum Christus in frõte est, vt semper confiteamur; in corde vt semper diligamus; super brachium vt semper operemur. Luceat ergo imago eius in confessione nostra, luceat in dilectione, luceat in operibus & factis, vt si fieri potest, tota eius species exprimatur in nobis. Sic ille. Hoc sigillum vocatur à D. Ioanne signum Dei viui, quo magni testamenti Angelus signat electos suos ne lædantur. A plagis, quæ nocent terræ & mari, dummodo illud seruent quamdiu in sua peregrinatione degunt, ne sint sicut primus Angelus, quem Ezechiel vocat: *signaculum similitudinis*, quia diuina similitudine gratiæ & sapientiæ signatus erat: sed quia hoc signaculum non seruauit illæsum suam superbe appetens excellentiam, amisit illud. Ideoque Tertullianus legit; *tu resignaculum similitudinis*, id est, tu es qui integritatem imaginis, & similitudinis resignasti. Quam lectionem explicans D. Hieronymus, (etsi non omnino approbet) rationem reddit, quia signaculum Dei & figuram quæ velut in cera mollissima expressa erat, resignauit & perdidit, vt pro signaculo fecerit resignaculum. Conseruandum igitur est diligentissime signaculum Dei quod in hac vita imprimitur, etsi quamdiu viuimus deleri possit, atque amitti, ac in resignaculum verti. Nam si qui in cælo seruiebant ei, non fuerunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem, qui sigillum in auro præclaræ naturæ impressum destruxerũt, quanto magis nos qui habitamus domos luteas, & signaculum nostrum terrenum habet fundamentum? habemus enim thesaurum in vasis fictilibus. Propter quod Apostolus ait: *& nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis*, id est, Spiritum sanctum, quo signati estis in die baptismatis cum à peccatis eruti estis, & ad æternam redemptionem destinati, nolite fugare & expellere per peccatum. Hoc enim est quasi contristare eum, quia peccatum horret; & fugit ab eo, iuxta illud: *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate.* (Lib. de Isaac & anima c. 8. Apoc. 7. v. 2. Ezech. 28. v. 12. Lib. 2. aduersus Marcionem. c. 10. In Ezech. 28. Iob. 4. v. 18. Ad Ephes. 4. v. 30. Sap. 1. v. 5.)

Duo ergo sunt nobis valde procuranda quæ in his verbis potissime commendantur; nimirum intima cum Christo per amorem coniunctio, sicut sigillum coniungitur ceræ; & similitudo in moribus cum ipso, quæ inde promanat. De quibus in lib 6. exhort. 7. actum etiam est. (Ad hoc pũctum spectat signaculum dilectionis, & legis à Spiritu sancto impressæ, de quo in exhort. præcedenti.)

De signaculo

De signaculo quod est Christus crucifixus, vel eius crux. §. 2.

1. SEd aliam similitudinem hic exposcit sponsus qui sub arbore mali dilectam suscitauit, & quasi à crucis arbore pendens ait; *pone me vt signaculum, &c.* Oportet quidem nos signatos esse ipso Christo, sicut etiam dicimur vestiri illo vt ei omnino similes efficiamur, iuxta sententiam Apostoli dicentis: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis. Qualis terrenus, tales & terreni; qualis cælestis, tales & cælestes. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus & cælestis.* Nam primus homo per carnalem generationem communicauit nobis naturam peccato infectam, quæ eius imago est vt peccator fuit. At secundus homo Christus per regenerationem communicat nobis imaginem sui quæ est diuina gratia, per quam simus homines cælestes, sicut & ipse. At vlterius portare debemus imaginem eius, non modo qualem habet gloriosam in cælo, sed quam habuit in cruce, vilem & abiectam quæ in corpore eius ferro, clauorum, & lanceæ, ac flagellorum & spinarum cuspide insculpta est; veluti in lapide, vel ligno sculpitur imago. Sic enim scriptum est: *Ecce lapis quem dedi coram Iesu. Super lapidem vnum septem oculi sunt. Ego cælaui sculpturam eius.* Sculptura autem est figura omnium vulnerum, quæ septem oculi nuncupantur, id est, plurimi (septem enim in scriptura plures significat) & oculi dicuntur propter similitudinem oculorum quam habent foramina illa; & quia per illa nos Christus misericorditer intuetur. Hanc imaginem ita insculptam portabat ipse Apostolus. Postquam enim dixit: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, &c.* subdit: *De cætero nemo mihi molestus sit: Ego enim stigmata Iesu in corpore meo porto*, id est, mancipium Christi sum, miles sum ipsius qui ei iam manus dedi, vehemens sum illius amator, & ideo eius stigmata inusta, vel insculpta in corpore meo gero vt omnes sciant interius & exterius, corde & opere non meum iam esse, sed Christi, & illum viuere in me, vt crucifixum, quia Christo confixus sum cruci, & semper mortificationem Christi Iesu in corpore meo porto, vt vita illius manifestetur in me ipso. (Ad Rom. 13. v. 24. 1. Cor. 15. v. 47. Zach. 3. v. 4. Ad Gal. 6. v. 17. Vide dicta circa hoc exhort. præcedenti. §. 1. Ad Gal. 2. v. 20. 2. Cor. 4. v. 10.)

Hoc igitur est quod sponsus ait: *pone me vt signaculum super cor tuum*, me cruci affixum vnde te suscitaui, vt imago crucifixi in corde tuo imprimatur, & similis mihi fias in ijs potissimè virtutibus, quas in cruce tibi imitandas proposui, Et; *vt signaculum super brachium tuum*, vt has virtutes in opus etiam ad mei exemplum deducas; vt sis pauper spiritu & corpore, humilis corde & opere. *Christus enim passus est pro nobis, relinquens exemplum vt sequamur vestigia eius, qui cum malediceretur non maledicebat, &c.* (1. Petr. 2. v. 21.)

2. Hinc ortum est vt crux signaculum Christi sit, quo baptizati signantur tamquam eius milites, sub hoc vexillo contra diabolum pugnaturi; vt idem sit, pone me vt signaculum, quod, pone signaculum meum, in quo vel cum quo ego etiam sum. Nam hoc est ponere me: istud est signum Tau quo signabantur gementium frontes, vt eriperentur à morte. Tau autem figuram refert crucis. In Exodo etiam iubetur sanguinis agni occisi notas poni super vtrumque postem domus & super liminare, quod etiam formam crucis referebat vt superius diximus, vt hoc signo ab exterminatore tuti essent. Et denique signum Dei viui, quo in fronte signantur electi crux etiam dici potest, quæ licet signum sit Christi in ipsa mortui, merito signum Dei viui appellatur. Nam: *etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.* Ponitur autem hoc signaculum in fronte, vt de illo glorientur, & sine rubore gestent: repellentes omnino Antichristi characterem, quem sectatores suos in manu dextera vel in frontibus gestare compellet, vt crucis signaculum prorsus tollat. Quod eleganter D. Ephrem Syrus sic explicat: Dabit suum signum scelestus ille, non quidem promiscue pro quolibet corporis membro, ne hoc graue sit atque molestum; sed in dextera manu, aut fronte insculpturus est, ne scilicet facultas sit homini se signandi signo Christi, neque rursus in fronte tremendum, sanctumque nomen Domini imprimere queat, neque etiam gloriosam atque formidabilem Saluatoris crucem insculpere. Nouit quippe infelix ille per impressionem crucis Domini potestatem sibi omnem auferendam: quamobrem signat hominis dexteram, quod ea cuncta membra nostra signamus, similiterque frontem. Quod illa signum Saluatoris nostri in altum præbet in modum candelabri. Sic ille. (Ezech. 9. v. 1. Exod. 12. v. 7. Ex Ruperto lib. 2 In Exodo. Apoc. 7. v. 2. Apoc. 13. v. 16. Tract. de consummatione sæculi & de Antichristo.)

Tom. II.

Ne ergo sponsa Antichristo cedat, monet illam vt signaculum hoc super cor & brachium ponat. Non ait in fronte, sed in corde, quia Christus potissime signare cupit corda; & interna amat sine quibus nec valorem habent externa, nec firmitatem. Nec dicit in manu dextera, sed in brachio, quoniam in illo est fortitudo manus dexteræ; & tam opus quam radicem eius signanda esse docet, ne diabolus vel Antichristus locum in nobis inueniat, vbi characterem suum imprimere valeat. Et quanto ille amplius crucem horret, tanto nobis magis est amanda, & opponenda illi, memores eius qui in ipsa magno sui sanguinis pretio redemit nos, vt de eius signo gloriemur iuxta illud Apostoli: *Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro*, id est, glorificate portando in corpore vestro imaginem Dei qui in cruce magno sui sanguinis pretio emit vos. (1. Cor. 6. v. 20.)

3. Præterea cũ in hac vita duplici premamur ærũnarum genere, de quo Paulus ait: *foris pugnæ, intus timores*: intus enim graues patimur tentationes & afflictiones spiritus, partim ab effrenato appetitu, partim à diaboli prouenientes suggestione: foris etiam dolores, languores, & vulnera corpus premant; inimici etiam & persecutores infestent: merito sponsus ait: *pone me vt signaculum super cor tuum*, vt crux & passio mea te muniat & protegat, sitque scutum cordis tui iuxta id quod Ieremias in Threnis cum inscriptione literæ Tau inquit: *dabis eis scutum cordis laborem tuum*: quod de labore à Christo in cruce suscepto potest intelligi. Et fauet lectio D. Hieronymi quæ sic habet: *pone me vt vmbraculum in corde tuo*, vt nimirum temperet & moderetur concupiscentiarum æstus, quæ intus te vexare possunt, ne illis absumaris. Deinde, *pone me etiam super brachium tuum*, (2. Cor. 7. v. 5. Thren. 3. v. 65. Epist. ad Eustoch. in fine.)

vt contra externas pugnas corroboretur, dum mea cruce quasi armatur: sit illa vt scutum brachio assumptum, quod corpus vniuersum protegat ne hostium ictibus aliquid non tectum pateat.

4. Sed quoniam cuncta hæc etiam præstat iugis Dei & Christi crucifixi memoria, hanc etiam videtur exigere cum ait; *pone me vt signaculum, &c.* Cant. 1. v.12. Dixerat supra sponsa: *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Quod de Christo crucifixo & amaritudinibus eius explicatum à nobis est, quem semper ante oculos habere, & ex toto corde suo diligere illis verbis testabatur. Nunc autem sponsus amplius ab ea expostulat. Fasciculus enim facilè ponitur vel auferrur; signaculum autem figuram suam inurit & imprimit permanentem. Pone (inquit) me non iam vt fasciculum myrrhæ, sed vt signaculum B intra cor tuum, vt ibi hæreat per amorem, & super brachium tuum vt me præsentem habeas & intuearis quoties aliquid volueris operari. Nam vbi est vehemens amor nulla est rei amatæ obliuio, & signaculum cordis comitatur signaculum brachii vt memoria eius in ipsis etiam operibus semper maneat. Quomodo ipse Dominus ciuitati Ierusalem cum eius misertus est numquam se illius obliturum promisit dicens: *Ecce in manibus tuis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper.* Isai. 49. v. 16. Vtitur metaphora supra dicta, allusionem faciens vel ad eos qui in annulis manuum gestabant imagines eorum quos diligebant, vel qui manus aut brachia, ipsorum signis inurebant, vt eorum etiam absentium recordarentur. Ac si diceret; non obliuiscar tui quoniam ita habeo te ex corde coram oculis præsentem, ac si in manibus meis te C haberem insculptã; sed sublimius quid in ijs verbis agnosco; non enim per similitudinem, sed per veritatem Deus inscriptam habet in manibus dilectam animam, cuius ideam semper in sua virtute operatiua præsentem habet. Vlterius autem Christus Dominus in manibus suis clauis perforatis nos habet inscriptos, dum per ea vulnera nostri causa & amore susceptra, nos intuetur, nostrisque compatitur necessitatibus. Quid igitur mirum vt ab eadem anima exigat quod eum ponat, scribat, & insculpat tamquam signaculum in corde & brachio ne vnquam obliuiscatur illius? Ac si diceret; scribe me in manibus tuis, sicut ego descripsi te in manibus meis, & memorare iugiter mei, sicut ego memor fui tui.

Cicero lib. de finibus, Plinius lib. 35. c. 2 refert de Epicureis imaginem Magistri in annulis & poculis habuisse insculptam.

5. Confirmemus hæc exemplo D. Francisci, qui omnibus modis hactenus dictis posuit Christum vt signaculum super cor & brachium suum, propter quod ipse Christus crucifixus se posuit vt signaculum super cor & caput eius imprimens illi suorum vulnerum stigmata, quibus peculiariter maneret signatus tamquam eius seruus, in quem quadret quod supra retulimus ex Isaia: *iste dicet, Domini sum, &c.* Exhort. 6. §. 2.

De signaculo Eucharistiæ. §. 3.

EX ijs quæ dicta sunt facilè erit hæc verba sacrosancto Eucharistiæ Sacramento aptare. Ad cuius communionem hortatur nos sponsus cum ait: *pone me vt signaculum super cor tuum.* Me inquam, qui re vera intra accidentia panis & vini lateo; vt intra te me recipias, & instar signaculi & sigilli supra cor tuum me constituas. Efficit autem Christus Dominus tunc quinque signaculi munia iam commemorata. Primo enim signat nos, vt simus non nostri, sed ipsius. Qui enim panem corporeum manducat, illum efficis suum, quia in se conuertit, & panis desinit esse in se, & pars fit comedentis. E conuerso autem, qui hunc panem cælestem & vinum manducat & bibit, in ipsum conuertitur, & mutatur, vt Augustino dictum est, & ideo in se desinit esse, qui erat, & nouo modo incipit esse Christi quasi signaculo eius consignatus, eo modo quo nimium se amantes stigmata aliorum ferunt.

Deinde summam efficit similitudinem inter ipsam & animam ad modum quo res sigillata similis est sigillo: nam & cibus iste viuificus non solum gratiam infundit, & charitatem, virtutesque omnes auget, sed mores suos cælestes communicat. Sicut enim cibus proprias comedenti communicat qualitates, ita Christus suas præclaras virtutes, & earum actus. Et quia potissimè est in memoriam passionis institutum, Christo crucifixo nos valde efficit conformes. Hinc etiam est iugem sui memoriam mentibus nostris imprimere. Cum enim Christus in cælum se vellet recipere, ne absens omnino à terra esset, decreuit in hoc Sacramento occultus tamen, permanere, vt excitatiuum esset memoriæ ipsius: cum autem animam ingreditur, id in ea operatur, vt iugiter eius memoretur, & amore illius inardescat. Quadrat autem huic Sacramento versio D. Hieronymi: *pone me vt vmbraculum super cor tuum*, quia Christus sub vmbra Sacramenti tegitur, & fit protectio nostra contra omnes qui tribulant nos. Et aliquando tam feruenti Dei amore flagrat anima vt vix ardorem tolerare posset, nisi super cor suum huius diuini Sacramenti vmbraculum collocaret, quod amoris flammam sua præsentia mitigaret.

Præterea Christus vt signaculum intrans in animam, legis diuinæ sigillum in corde imprimit, vt legem viuam amoris amplectatur, & cuncta ad contemplationem & actionem spectantia ita corroborat, vt per ea in fortitudine huius cibi & sigilli progrediatur vsque ad montem Dei Oreb. Ad quod securius præstandum, officium tandem gerit custodis cuncta sigillans dona quæ in corde reposuit ne ea hostis surripiat.

Cuncta autem hæc confirmare possumus ex eo quod Saluator ipse cum huius Sacramenti arcana propalare ex parte voluisset, post miraculum de quinque panibus patratum, Iudæis dixit: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis; hunc Pater signauit Deus*, id est, impenso inquirite studio cibum qui elargiri vobis potest æternam vitam, nempe carnem meam, & sanguinem meum, ac me ipsum, quem ego qui filius hominis sum, paratus sum vobis dare. Sed perpendite pretiositatem eius. Hunc enim cibum & hunc filium hominis, *Pater signauit Deus*, hoc est (vt D. Augustinus, Hilarius & Cyrillus explicant) sigillauit eum diuinitate sua, siue illi veluti sigillo diuinitatem suam impressit, & vniuit humanitati illius, vt qui verus erat homo, ita similis maneret sigillo vt esset verus Deus. Elegantissima autem fuit hæc metaphora: quia enim filius Dei qui imago est & character Patris, humanitati coniunctus est, propterea humanitas dicitur

dicitur in se habere sigillum, & characterem Patris.

Qui ergo hoc increatum sigillum humanitati & viuifico cibo in Sacramento latenti communicauit, voluit etiam sigillum fieri, quo se manducantes sigillaret & sibi valdè similes efficeret, & quæ ineffabili modo suæ humanitati per vnionem communicat hypostaticam, nobis quodammodo tribueret per vnionem amoris, vt sicut ipse est in Patre & Pater in ipso, sic etiam (inquit) Ioan. 6. v. 57 *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in illo*: Et ex hac vnione me ipso sigillatus manet. Vt autem illius particeps fiat ait: *Pone me vt signaculum super cor tuum*: Nostra enim præparatio necessaria est, vt digne hunc cibum recipientes, signaculum fiat nostrum, suamque nobis imprimat præcellentem similitudinem. Vt hinc discas quo affectu ad sacram Eucharistiam accedere debeas, si iuxta Christi desiderium illum intra te vt decet, recipere concupiscis.

Cetera quæ sequuntur Eucharistiæ applicantur in singulis exhortationibus ex quibus vna satis copiosa texi potest.

Denique ex eo deduces quantum vrgeat præceptum istud: *Pone me vt signaculum super cor tuum*, quia nullus in cælum ingreditur, qui signaculo Christi signatus non fuerit, sed omnes qui sine Tau, & signo Dei viui inuenti fuerint, & Paradisi fores clausas inuenient, & ab exterminatore dissipabuntur. Sed quoniam etsi idem sit signaculum, non tamen eosdem æqualiter effectus operatur in omnibus, sed magis aut minus perfectos pro diuersa recipientium dispositione, oportet summopere curare perfectiori modo quo possumus, illud supra cor nostrum ponere. Sed quia imbecilles sunt vires nostræ, tu potius dicito illi, Domine, da quod iubes, & iube quod vis. Tu te ipsum pone vt signaculum super cor & brachium meum, & ego liberrimè suscipiam illud: vt ceram mollem cor meum tibi offero, imprime illi sigillum tuum. Quod si vis vt illud etiam ego imprimam, tu voluntatem infunde & vires præbe; fac vt faciam, & te tamquam sigillum super me ponam in sæcula sæculorum. Amen.

EXHORTATIO VIII.

Pro Paraseeue, & pro festo Corporis Christi.

De fortitudine amoris & zeli Christi Domini erga nos instar mortis & inferni, & de præclara morte quam efficit in nobis, & præcellentius in quibusdam dilectio Dei.

Quia fortis est vt mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio.

RAtionem iniuncti præcepti sponsus reddit dicens, quia, *fortis est vt mors dilectio; dura sicut infernus æmulatio.* Loquitur autem de amore ac æmulatione ipsius erga nos, & de nostro erga ipsum: vel de amore in genere, qui vtrumque comprehendit, vt sensus sit: quia hæc est lex, natura, & conditio amoris, vt fortis sit sicut mors: æmulationis vero vt sit dura sicut infernus. Hanc legem dilectio mea erga te seruat, & eamdem te in dilectione tua erga me seruare volo, ideoque iussi tibi vt me solum tamquam signaculum super cor & brachium tuum poneres, mihique tantum assimilari curares. Æmulatio autem vel est vehemens amor, vel vehementis amoris effectus, qui zelus dicitur, & est ingens tristitia & dolor de damno, vel iniuria illata rei amatæ, cum impetu vel studio vlciscendi illam: est autem duplex: quidam perfectus ex amore amicitiæ ortus, & hic inuenitur in sanctis qui de peccatis hominum dolent vt sunt offensæ Dei, quem summe diligunt, eaque vlcisci & repellere eo quo possunt mundo, instanter curant; quomodo Moyses, Phinees, Elias & Prophetæ zelum Dei & leges habuisse dicuntur. Alius est imperfectus ex amore concupiscentiæ, quo rem aliquam nobis diligimus, & cum de damno vel iniuria ei illata dolemus, & ad vltionem accingimur, magis de nostro damno tristamur, & propriam iniuriam vlcisci cupimus. Et hic sæuit inter homines, & aliquando inter coniuges. Nam de vxore inquit Ecclesiasticus; *Dolor cordis, & luctus mulier zelotypa. In muliere zelotypa flagellum linguæ omnibus communicans.* Eccles. 26. v. 8. Quia assidue flagello linguæ affligit virum suum, grauemque dolorem cordis & luctus ei affert. De viro autem qui ab adultero iniuriam passus est sic inquit Salomon: *Quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Prou. 9. v. 34. Ac si diceret: *Dura est sicut infernus æmulatio*, quæ placari nequit. Infernus autem sumi potest vel pro sepulchro, vel proprie pro inferno inferiori, vbi detinentur animæ, quæ est verior & communior vocis significatio. Vtrumque autem victoriam à morte quæ fortis dicitur inchoatam prosequitur. Nam postquam mors hominem vincit tollendo ei vitam, & animam à corpore separando, sepulchrum corporis dissoluit, & in puluerẽ redigit: infernus vero animam captiuam detinet & sæue torquet. Hæc de ipsa metaphora: iam mysteria propalemus.

Duplex æmulatio & zelus.

De amore & zelo Dei & Christi erga nos vsque ad mortem. §. 1.

CVm igitur sponsus dilectam exhortatus esset vt tot, tamque variis modis eum tãquam signaculum supra cor suum cõstitueret, rationem adducit, primo ab amore quo eã prosequitur desumptam: quia, *fortis est vt mors dilectio, &c.* Ac si diceret, quid quod me crucifixum pones vt signaculum super cor tuum? Siquidem ego propter amorem tuum mori volui, & crucifigi: nam sicut mors vincit omnia, ita charitas & dilectio tui me vicit vt homo mortalis fierem, & morti ipsi me subiicerem, in sepulchrum infernumque descenderem. Magna quidem est fortitudo mortis, sed maior multo fortitudo charitatis. Illa mortales aggreditur, Deum autem immortalem aggredi non præsumeret: at hæc Deum ipsum aggressus est, & ipsi morti pro omnibus subiecit, in quo suam immensam charitatem demonstrauit. Quo exemplo sponsam exhortatur ad supremum & certissimum dilectionis signum & affectum, qui est mortem obire pro dilecto, iuxta illud: *Maiorem hac dilectionem nemo habet quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et D. Ioannes inquit: *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniã ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Sed quomodo hoc cohæret cum eo quod D. Paulus ait: *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest?* Non ergo certum signum charitatis est pro Christo mori. Respondet D. Fulgentius obseruãdo diuersam phrasim D. Ioannis & D. Pauli. Nã tantum (inquit) dilectionis est signum animã po-

Ad Rom. 5. v. 8. Ioan. 15. v. 13. 1. Ioan. 3. v. 16. 1. Cor. 13. v. 3. Lib. 3. ad Trasimundum Regẽ c. 24.

nere. Vbi autem dilectio non est corpus dicitur, anima poni non dicitur. Forte causa est; quia ille dicitur tradere corpus qui non tradit Deo simul cor, & animam, sed tantum corpus quod exterius apparet ex inani gloria vel alio terreno fine. At ponere animã vtrumque includit, s. tradere Deo cor & corpus, id quod intus latet & quod foris apparet. De quo sponsus dixerat: *Pone me vt signaculum super cor tuum, & super brachium tuum, quia fortis est vt mors dilectio.* Et hoc est certum & supremum dilectionis signum. Propter quod (ait Ful-
„ gentius) Petrum, qui se pro Domino animam suã
„ spoponderat positurum, vt agnosceremus offi-
„ cium ponendæ animæ in dilectione constare pri-
„ mitus: Christus ad confessionem amoris inuitat,
„ vt facultatem ponendę animæ suo deinceps ama-
„ tori concedat. Ideoque ter ab eo interrogauit an
„ eum diligeret, & cum trinum sui amoris testimo-
nium reddidisset, statim ponendi pro se animam
concessit facultatem dicens: *Cum senueris extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis.* Hoc autem dixit *significans qua morte clarificaturus esset Deum.* D. etiam Paulus vbi dilectionis suæ si-
„ gnificare nititur puritatem, sic Thessalonicensi-
„ bus scribit: *Cupide volebamus tradere vobis non so-*
„ *lum Euangelium, sed etiam animas nostras.* Et vt cha-
„ ritatis hoc esse demonstraret, adiecit: *Quoniam*
„ *charissimi nobis facti estis.* Hæc autem cupida & quantum ex se est, efficax voluntas ponendi animam pro Christo & fratribus, & per compassionem charitatis illis condolere, & commori, etiam est certum dilectionis signum & effectus, ad quẽ sponsus exhortatur. Est enim singularis modus ponendi animam pro ipso, de quo Simeon Deiparæ dixit: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Nam licet iuxta crucem corpus eius ex Dei ordinatione traditum non sit ferreo gladio, lancea, vel clauis vt illud transfigerent, anima tamen posita est acerbissimo instar mortis gladio, amoris & doloris transfigenda. Amor enim, qui lampades habet, alas, sagittas, & iacula quasi ignis & flammarum, vt mox dicitur, imitatur aliquando fulmen, quod mollia relinquens dura conterit, sicut intacta vagina ensem consumit: sic amoris igneus gladius carnẽ intactã prætermittẽs, animã vrit & trãsfigit, atque ita eam pro Christo ponit.

Ioan.13. v.37.

Ioan.21.v. 18.

1.ad Thessal.2.v.8.

Luc.2.v.35.

Sed sublimior & fortior morte fuit dilectio ipsius Christi, præclarioraque sui præbuit certissima signa dum animam suam posuit non tantum pro amicis, sed etiam pro impiis & inimicis, suscitans eos sub arbore crucis, vt sibi amicos constitueret, iuxta illud D. Pauli: *Commendat Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Si quid Deo obstare posset ne homo fieret, & morti se traderet, peccatum est, omnium malorũ horribilissimum, & maxime Deo aduersum: at peccatum obsistere non potuit quin Deus palam faceret vim charitatis suæ vt pro nobis etiam peccatoribus mortem subire voluerit. Fortis ergo est mors, cui nemo resistere valet. Sed fortior Dei charitas, quam nec peccatum nec vis mortis potuit impedire.

Ad Rom. 5. v.

Act.2.v.24. ex Psal.15. v.10.

Ad breue tempus videtur mors vicisse Christum: & sepulchrum ac infernus illum superasse, quatenus triduo mansit sine vita iacens in sepulchro, & detentus in limbo: at moriendo mortem ipsam omnium fortissimam vicit, authorem eius diabolum subegit, de sepulchro exiit gloriosus, infernum ipsum spoliauit. *Cornua* (ait Abacuc) *in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius, ante faciẽ eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.* Cornua enim crucis quibus affixæ sunt manus eius fuerunt eius virtus & potestas ad debellandos inimicos, licet ibi fortitudo eius lateret abscondita, vnde mors & diabolus tamquam victi fugam capesserunt, sed clarius Oseas: *Ero mors tua, ô mors: morsus tuus ero inferne.* Dictio morsus passiue potest summi & actiue: vt sensus sit, ego moriar quidem, & mordebor à te, ô inferne, & deuorabis me vt hamum; sed ego te ô mors, occidam; & te mordebo, ô inferne, partem eorum quos habes, à te auferendo, & tandem electos meos faciam vt mortem & infernum vincant. Ita vt de sua victoria Christus Dominus tripudians dicat sicut D. Paulus referens eadem verba ex Lxx. versione ait: *Absorpta est mors in victoria, vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus?* Lxx. verterunt apud Oseam: *Vbi est mors causa tua? vbi stimulus tuus inferne?* Id est, vbi est mors causa illa tua, qua contra homines in iudicio Dei certabas, & superior illis eras? Vbi est ius illud quod in genus humanum habebas, vt totum perderes? Vbi est pœna illa durissima, ô inferne, qua homines dire multabas? Omnia ego moriendo vici, & de omnibus victoriam reportaui. Hanc victoriam cœpit Christus in resurrectione sua, perficiet autem in resurrectione nostra; ostendens se phœnicem singularem. Nam sicut hic naturali propensione voluntariam oppetit mortem, & in igne ex odoriferis lignis à se accenso, fortiter se cremari sinit vt ex suis cineribus noua germinet proles: sic Christus spontaneam elegit mortem in odorifero crucis ligno igne sui amoris combustus, vt sibi corporis, nobis autem corporis & animæ adferret renouationem.

Osææ 13. v. 14.

1.Cor. 15.v. 55.

Sed adhuc sponsus amplificat suum amorem per secundam sententiam: *Dura sicut infernus æmulatio.* Etsi enim mors terribilis sit homini & amara, tunc tamen terribilior cum maximis doloribus & cruciatibus extorquetur, qui similes videntur doloribus inferni omnium grauissimis: vnde hyperbolice Dauid dicebat: *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me; dolores inferni circumdederunt me.* Æmulatio igitur quam Christus Dominus habuit pro nobis, adeo excreuit, vt durissima tormenta crucis subierit ad tollenda peccata. Propter quod D. Paulus modum mortis exaggerans ait: *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Mors enim confixorum cruci acerbissima est, & ignominiosissima: in Christo autem Domino peculiaribus de causis, quas D. Thomas refert, omnes huius vitæ cruciatus superauit. Vnde fit maiorem cum doloribus inferni habuisse similitudinem: præcipue cum ipsis infernorum potestatibus se torquendum tradiderit illis verbis: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Fortissima igitur ratio est vt Christum crucifixum ponas tamquam signaculum super cor, & brachium tuum, ei studens assimilari, siquidem ipse amore tui non solum mortem, sed acerbissimos instar inferni crucis dolores pertulit. Caue tamen hæreticorum blasphemiam qui desperationem & alia mala dãnatorum propria, Christo in cruce tribuunt: hyperbolica enim est locutio ista ad modum explicatum.

Philip. 2.v.8.

3.p.q.46. ar.6.

Lucæ 22.v. 53.

De zelo vindictæ quem habet Christus contra infidelem sponsam. §. 2.

HInc fit per hæc verba sponsum simul spem erigere & timorem incutere. Nam tãquam doctus

doctus paterfamilias de thesauro suo profert noua & vetera. Spem quidem animæ erigit, vt amet & tamquam signaculum eam recipiat, quoniam fortissima est eius dilectio sicut mors, & durissima sicut infernus eius æmulatio ad pugnandum pro ea, vt eam protegat ac intra se retineat: ita vt portæ inferi prævalere non possint aduersus illam. Ceterum timorem incutit, quoniam amor, æmulatio & zelus eius etiam est fortis sicut mors, & durus sicut infernus contra eos qui ei fidem non seruant: vnde in Exodo de se dicit: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, &c.* Et rursus: *Dominus zelotes nomen eius. Deus est æmulator.* Nec frustra vt D. Dionysius ait, hoc nomen habet: adulteram enim & infidelem animam vsque ad mortem punit, & in infernum detrudit, ideoque dixit: *Timete eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam.*

Matth.16. v.18.

Exod.20.v. 5.& c.34.v. 14.

c.4.de diuin.nomi.

Matth.10. v.18.

Et quoniam in viris zelus iste prouenit ex iniuria sibi ab infideli vxore illata, quæ summum infert dolorem eo maiorem quo maiori antea prosequebatur illam amore, maioraque & pretiosiora dona illi contulerat, ideo Dominus humano loquendi more se accommodans, magnum se dolorem & vlciscendi studium concepisse dicit, cum sponsa infidelis est illi, sicut sæpius per prophetas sub hac metaphora de Ierusalem conquestus est: sponsam igitur quam tot laudibus extulerat, tamque pretiosis ornauerat donis, & monilibus, tacite nunc monet vt fidem seruet, nec ei tam grauis doloris occasionem præbeat; quia fortis iniuriæ vltrix instar mortis est dilectio, & dura sicut infernus æmulatio, & zelus viri non parcet in die vindictæ.

Ezech 16. Oseæ 2.

Addamus huic expositioni interpretationem D. Gregorij, Cassiodori, & Bedæ, qui æmulationem in malum accipiunt. Non enim nouum est, vt sæpius diximus & probauimus, eadem Scripturæ verba in bonum & in malum vsurpari si diuersimodè accommodentur. Vsurpatur ego hic pro æmulatione praua quæ sæuissima est, dura & intolerabilis sicut infernus, qualis fuit Iudæorum æmulatio contra Christum Dominum, cuius dilectio fuit fortissima sicut mors vt superare posset hostium æmulationem durissimam sicut infernus. Dum synagoga (inquit D. Gregorius) „ Christum ad inferos posse transmittere se puta-
„ uit, ei vsque ad mortem corde immisericorde in-
„ uidit: vt infernus æmulatio dura extitit, quia sicut
„ infernus sine misericordia quos tenet cruciat.
„ Sic Iudaica plebs Christum apprehendens, sine
respectu pietatis ad mortem trahebat. Vnde D. Augustinus de Iudæorum rabido furore contra Saluatorem interpretatur quod Salomon ait impios dixisse contra iustum: *Deglutiamus eum sicut infernus viuentem, & integrum quasi descendentem in lacum.* Vehementer enim sitiebant non solum Christum occidere, sed grauissimis eum tormentis vndique cruciare, quomodo infernus in se viuentes cruciat, & illum tandem in ipsum infernum demergere. Suo igitur exemplo sponsus monet oportere dilectionem esse fortem sicut mortem, quoniam æmulatio illi aduersa, quam diligentes Deum ab hostibus patiuntur, est dura sicut infernus, sed hanc æmulationem longissime à se remouet charitas: vbi enim viget Dei dilectio, peruersa nequit esse æmulatio: nam charitas quæ patiens est, non æmulatur, nec perperam agit. At sanctam admittit æmulationem, nam Christus vt Deus zelotes, armauit zelum suum contra adulteram synagogam, faciens vt infernus omnes rebelles deglutiret.

In hunc locum.

Lib.17.de ciuit.Dei c. 20. & Beda idem dicit.

In Prou. 1. v.12.

Æmulatio Iudæorum cõtra Christum.

1 ad Cor. 13.v.4.

De eodem Christi amore in sacrificio incruento Eucharistiæ. §. 2.

ADhuc in his duobus encomiis resplendet animia Christi charitas dum nobis delineant duos insignes actus ad integram & perfectam essentiam sacrificij incruẽti Missæ spectantes. Prior est consecratio corporis & sanguinis Domini seorsum sub accidentibus panis & vini ad repræsentandam eius mortem per totius sanguinis à corpore separationem. Posterior est consumptio vtriusque partis sacrificij à sacerdote facta, per quam repræsentatur sepultura Christi in qua corpus eius absconditum est, & testificatur etiam mortis veritas, nec non & significatur descensus animæ in infernum, vbi abscondita etiam mansit lætificans & beatificans animas Patrum in limbo existentes. Vterque autem actus essentiam Eucharistici sacrificij integrat & perficit, sicut & vtriusque significatio pertinet etiam ad baptismum, iuxta illud Pauli: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.* Sicut ergo immersio intra aquam mortem & sepulturam Christi denotat, sic consecratio & consumptio Eucharistiæ vtramque significat, vt rationem habeat perfecti sacrificij, quod est holocaustum quod totum absumebatur in Dei honorem.

Consecratio & consumptio ad integram essentiam sacrificij Missæ spectant.

ad Rom. 6. v.3.

De hoc fuse Suarez to.3.in 3.p. disp. 75. sect.5. vbi doctores pro variis sententijs citat.

Propter priorem actum peculiariter dicitur: *Fortis est vt mors dilectio*: Propter posteriorem vero, *dura sicut infernus æmulatio.* Etenim fortitudo Christi & charitas eius instar mortis, maxime resplendet in consecratione: in ea enim omnipotente quadam vi quasi necat, & destruit substantiam panis & vini separando eas à propriis accidentibus vt sub illis collocet suum corpus, & sanguinem pretiosum ad suã mortem repræsentandam. Vnde fortis vocatur vt mors dilectio eius, quæ has separationes instar mortis, & reales, & mysticas propter nos operatus est. At durities æmulationis instar sepulchri seu inferni, magis splendet in consumptione. In ea enim ipse Christus sub forma cibi & potus, dura pati repræsentatur, dum dentibus quasi frangitur, conteritur, comminuitur, deglutitur, & concoquitur donec absumantur species sacramentales. Quibus repræsentantur quæ Iudæi dixerunt contra ipsum, vt iam vidimus: nam dicebant: *Deglutiamus eum sicut infernus viuentem, & integrum quasi descendentem in lacum*: In hoc enim Sacramento Christus qui per antonomasiam insons & integer nominatur, viuens & integer deglutitur; quia licet frangantur & comminuantur species Sacramenti, ipse viuus & integer perseuerat. Cum ergo sponsus dixisset: *Pone me vt signaculum super cor tuum, &c.* quod de Eucharistia interpretati sumus, rationem reddit, quia *fortis est vt mors dilectio*, quam in hoc Sacramento constituendo exhibetur tibi, & dura sicut infernus æmulatio, seu zelus qui comedit me, id est fecit me cibum qui comederetur à te; quæ omnia ardentem in nobis excitant charitatem, & lampades sunt nos vehementer in eius amorem inflammantes, vt mox subiungit.

Prou.1.v.22. Ex D. Augustino lib. 17. de ciuit. Dei, c.20.

Ioan.2.v.17

Qualem mortem dilectio Dei efficiat in nobis.
§. 4.

Pro Euang. de Communi vnius Martyris Pontificis: idem prosequitur in exhort. sequenti. 1.

SEd iam hæc verba ad amorẽ ipsius spõsæ erga Deum applicemus, in quibus perfectissimæ dilectionis leges & proprietates describuntur. Quarum prima & aliorum basis est, amorem quamdam efficere mortem ciuilem dum animam à proprio corpore transfert in alienum: eius scilicet personæ quam amat; non re, sed affectu, iuxta sententiam Platonis sæpius relatam & communiter receptam, quod anima diligentis magis est vbi amat, quam vbi animat; & quod amans est mortuus in se, & viuit in re amata. Vnde sicut mortuus, non suo se iudicio regit, nec se suo motu agit, sed ab alio mouetur & regitur; ita qui perfectè Christum amat, non in se viuit, sed in Christo, nec à se mouetur aut regitur, sed ab ipso Christo, qui est vita ipsius, iuxta illud: *Viuo non ego, sed viuit in me Christus.* Hanc legem præscribit Dominus sponsæ vt intelligat iam non esse sui iuris, sed alterius, ex ea confirmans quod dixerat: *Pone me vt signaculum super cor & brachium tuum*, deincepsque statuat non sibi viuere, sed Deo; nec suo arbitratu, iudicio, aut voluntate quicquam operari, sed arbitratu Christi, cui se in omnibus mancipauit. Vnde fit debere esse tamquam mortuam ad omnia quę Christi voluntati, ac beneplacito aduersa sunt, omnia illa in se penitus extinguendo, vt tantum ea in ipsa viuant quæ secundum sponsi voluntatem sunt; quæ illi placent dumtaxat perficiens.

Ad Gal. 2. v. 20.

Explicat hoc eleganter D. Augustinus in hunc modum: Magnificentius exprimi non potuit fortitudo charitatis quam vt diceret: *Valida est sicut mors dilectio.* Quis enim resistit morti? Resistitur ignibus, vndis, ferro: resistitur potestatibus, & regibus. Venit vna mors, quis ei resistit? nihil est illa fortius: propterea viribus eius charitas cõparata est, quia & ipsa charitas occidit quod fuimus, vt scimus quod non eramus. Facit in nobis quamdam mortem dilectio: ipsa morte mortuus erat qui dicebat: *Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo*; & illi quibus dixit; *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Fortis ergo est dilectio, & magnæ virtutis, per quam regnntur infirmi à firmis, terra à cælo, populi à sedibus. Sic ille.

In illud Psal. 121. fiat pax in virtute tua.

Ad Gal. 6. v. 14. Ad Col. 3. v. 3.

2. Hinc fit his verbis excellentissimam commendari mortificationem, quam perfecta charitas efficit, de qua Christus Dominus ait: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, &c.* Hæc autem mortificatio omnia in vniuersum comprehendit, quæ quomodocumque Christo dissimilia sunt, & eius legi ac consiliis dissona, etsi gradus plures habeat, quosdam quidem necessarios ad vitam æternam consequendam, quosdam vero expedientes tantum ad maiorem in spiritu profectum, & vt magis intimam cum Deo consequamur familiaritatem, & vnionem. Sicut enim mors vitam aufert à toto corpore & singulis eius mẽbris magnis & paruis, vt deinceps nullus sensus aut motus vitæ in eis remaneat, sic charitas perfecta omnem vitã aufert vitiosam, carnalem, & mundanã, vt nihil eius voluntarie permaneat in diligente. Vnde primo aufert cuncta peccata non solum grauia, sed leuia etiam ex certa scientia vt scienter nullum admittat; etsi ea inaduertentia vel subita passione irruente omnia in hac vita euitari nequeant, deinde mortificare studet peccatorum radices, ipsas scilicet carnis concupiscentias & sensuum inordinatas propensiones. Cuncta etiam externa reiicit quæ ad peccatum alliciunt, vel sensuum & appetituum concupiscentias effrenatè post se trahunt, ac denique multa etiam quæ licita esse possent, sed maioris boni sibi sunt impedimentum, vt perfectè & in omnibus Christum possit imitari. Ad hæc enim quatuor capita reducuntur cuncta quæ perfecta mors charitatis inducit vt plene verificetur quod sponsus ait: *Fortis est vt mors dilectio.*

Ad quatuor reduci omnia mortificanda.

Confirmat hoc signaculum Christi crucifixi, qui omnes has mortificationes pro nobis amplexus est, quem si supra cor & brachium nostrum imprimamus, facile reliquas sibi aduersas figuras relegabit. Quod sic egregie D. Ambrosius explanat: Infige pectori tuo & cordi tuo hoc signaculum crucifixi, infige & brachio tuo, vt opera tua peccato mortua sint. Nihil in iis criminis reuiuiscat, nihil erroris resurgat; non te offendat duritia clauorum, quia est duritia charitatis: nec validus clauorum rigor, quia valida etiam est charitas sicut mors. Charitas enim omnia peccata mortificat, charitas mortis ictus interimit: denique morimur flagitiis, atque peccato, dum Domini mandata diligimus: charitas est Deus. Charitas Dei verbum est, quod est validum, & acutius omni gladio acutissimo, vsque ad diuisionem quidem animæ atque spiritus, actusque, & intima penetrans medullarum. Vnde alibi concludit, ideo anima nostra indicat charitatem quæ sit valida vt mors, quia sicut mors finis peccatorum est, ita & charitas; quoniam qui diligit Dominum peccare desinit. Charitas enim non cogitat malum, nec gaudet super iniquitate.

Serm. 15. in Psal. 118. v. 8. Lib. de Isaac, c. 8. 1. Cor. 13. v. 5.

Sed quoniam peccata repullulant per carnis concupiscentias, & sensus, has charitas mortificare conatur: imo ideo inquit D. Augustinus, fortis est, vt mors dilectio, quia sicut mors animam auellit à sensibus carnis, sic charitas à concupiscentiis carnalibus: quod sic confirmat D. Gregorius: Dum per dilectionem à vitiis mortificamur, quod mors agit in sensibus corporis, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis. Singulæ virtutes, singula vitia, ac peculiares concupiscentias circa quædam obiecta mortificant, vt temperantia occidit gulam, ac ebrietatem & omnes effrænes circa delectabilia gustus concupiscentias: auaritiã vero & affectiones ad diuitias interficit liberalitas: humilitas autem superbiam, ambitionem, & honores vanos: at charitas mors est vniuersalis omnium vitiorum, & concupiscentiarum, cunctaque externa quæ illarum sunt nutrimentum, validè separat, & relinquit, diuitias contemnit, reiicit honores, vilipendit salutem, imo & propriam vitam spernit, ipsamque amplectitur mortem vt dilecto suo placeat. Nam ita moriendo, meliorem consequitur vitam; nec violenter moritur, sed sponte, quia ipsam mortem corporalem elegit, vt priorem mortem vitiorum occidat, vt sibi illud prophetæ vsurpet: *Obliuioni datus sum tamquam mortuus à corde*, id est tamquam mortuus ex corde & voluntate mea; mortuus etiam in corde & voluntate propria, vtpote qui omnes eius motus interfecerim vt Deo viuam. Mortem hanc (ait D. Bernardus) quæ fit à corde infert charitas, de qua loquitur sponsa in Canticis: *Vulnerata charitate ego sum*: Fortis quippe est vt mors dilectio, & mortem

Epist. 29. ad Hieron. In Cant. 8. Psal. 30. v. 13. Epist. 42. circa medium.

mortem in nobis: non vitam occidit. Vnde & audaciter minatur: *O mors, ero mors tua*, peccatum extinguit quod animę vitam expulerat, animamque restituit innocentiæ. Sed mouet D. Bernardus subtilem quæstionem: Si prævalet, inquit, morti charitas, ita vt illam in congressu perimere possit, cur dicitur fortis vt mors, & non potius morte fortior? An forte quia ipsa est mors, & se ipsa fortior esse non potest? Bona mors non vitæ, sed mortis. Bona mors, & nequaquam abhorrenda, quæ vitam etsi adimit, non perimit: adimit quidem, sed ad tempus restituendam in tempore, duraturam sine tempore. Denique; *Mortui estis*, ait Paulus, *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem apparuerit Christus vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Libenter igitur carebo ad tempus vt in æternum possideam. Ita Bernardus.

Isai. 13. v. 14.

Quomodo contemplatiuis, religiosis, & martyribus hæc mors conueniat. §. 5.

1. HInc colligo triplici fidelium generi hoc charitatis encomium peculiariter aptari. Primo illis qui per contemplationem omnibus visibilibus moriuntur, & se intra Deum abscondunt. Qua ratione D. Gregorius explicat illud Iob: *Qui expectant mortem, & non venit, gaudentque vehementer cum inuenerint sepulchrum.* Vbi docens contemplationem esse quasi quoddam sepulchrum mentis, vbi absconditur anima subdit; qui mortificare se appetit valdè ad inuentam requiem contemplationis hilarescit, vt extinctus mundo lateat, & à cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra sinum se intimi amoris abscondat, iuxta illud Psalmistæ: *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.* Idem autem est quod hic ait sponsus: *Fortis est vt mors dilectio*: quoniam (inquit ille) sunt nonnulli qui sic diligunt Deum, vt omnia visibilia negligant: & dum in æterna mente tendunt, ad omnia temporalia penè insensibiles fiunt; in iis nimirum vt mors dilectio fortis existit, quia sicut mors exterioris corporis sensus ab omni proprio & naturali appetitu interficit: sed dilectio in talibus viris omnia terrena desideria contemnere mentem alias intentam compellit. Sublimius hoc eleuat D. Bernardus contemplationem vocans mortem, quæ non vita, sed vitæ eripit laqueis, qui totiens non timentur, quotiens sancta aliqua & vehementi cogitatione anima à semetipsa arripitur, &c. *Moriatur* (ait) *anima mea morte iustorum*, vt nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Verum hæc hominum est, sed moriatur anima mea (si dici potest) morte etiam Angelorum, vt præsentium memoria excedens, rerum se inferiorum, corporearúque non modo cupiditatibus, sed similitudinibus exuat: sitque ei pura cum illis communicatio, cum quibus est puritatis similitudo. Sic ille, affirmans hic perfectam habere contemplationem.

Iob. 3. v. 21. Lib. 5. mor. c. 5. Psal. 30. v. 21. In Cant. 8. Idem hom. 11. in Euang. Serm. 52. in Cant.

2. Deinde quadrãt hæc verba maxime in Religiosos, in quibus vere dilectio fuit fortis sicut mors, quia ex dilectione ipsam mortem præueniunt, in vitaque imitantur dum sponte cuncta relinquunt, quæ mors posset ab illis auferre, contemnunt enim diuitias, honores, parentes, & carnis nuptias, propriamque voluntatem, vnde instar mortui non suo se arbitrio regunt, sed alterius, idque non ad tempus, sed perpetuò per tria vota vt in hoc etiam imitentur mortem quæ irreuocabiliter aufert vitam. Vt enim inquit D. Ambrosius, vnusquisque in hac vita positus speciem mortis imitatur, qui potest ita se agere vt ei moriantur omnes corporis delectationes, & cupiditatibus omnibus, mũdique illecebris etiã ipse moriatur. Plura de hoc eleganter prosequitur. Et postea inquit: Imitatur mortem qui se voluptatibus exuit, & à terrenis cogitationibus attollit, atque ablatuar, & in illo cælesti habitaculo locat, in quo Paulus cum adhuc viueret conuersabatur, dicens: *Nostra conuersatio in cælis est.* Cum igitur ex proprio instituto religiosi præstent, & Christi amor ad id eos compellat, fortis in illis est sicut mors dilectio; atque etiam valdè pretiosa sicut mors martyrum: Cum videris (inquit D. Leo) te multiplicem habere pugnam, tu quoque imitator martyrum numerosam quære victoriam. Toties enim peccatis morimur, quoties in nobis peccata moriuntur. Et pretiosa in conspectu Domini etiam ista mors sanctorum eius; vbi homo occiditur mundo, non terminatione sensuum, sed fine vitiorum.

Lib. de bono mortis. c. 3. Serm. in natali septem Machabæorum.

3. Tandem hæc verba apprimè conueniunt martyribus; nec dico tantum iis qui effectu ipso martyres sunt, & sanguinem pro Christo profundũt, sed eis etiam qui ex toto corde prompti ac parati sunt pro ipso mori, vitamque propriam illi offerunt & mortem ipsam affectu superant, dum contemnunt, & sponte oppetunt. Vnde D. Augustinus ita exponit dilectionem fortem esse sicut mortem, quia mors in hac vita mensura est dilectionis, sicut Dominus in Euangelio ait: *Maiorem hac dilectionem nemo habet quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et præterea sicut mortem nullus vincere potest, ita nec ipsa mors potest vincere charitatem, quia vt D. Ambrosius ait, nemo potest à Christo vel periculo mortis auelli, si sit velut Paulus qui dicebat: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia? &c. Certus sum quod nec mors, nec vita, &c. poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.*

Epist. 29. ad Hieron. Ioan. 15. v. 13. Serm. 19. in Psal. 118. v. 4. Ad Rom. 8. v. 35.

4. Hic igitur est supremus charitatis & mortificationis gradus, de quo D. Ioannes testatur se audisse vocem de cælo dicentem: *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo enim iam dicit Spiritus vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* Etsi enim multi Patres de vere mortuis in Christi confessione, vel in martyrio hunc locum interpretentur, non tamen est à contextu alienũ vt intelligatur de ijs qui ex amore Christi hanc amplexi sunt mortificationem seu spiritualem mortem, qua propriam vitam etiam contemnunt & libenter ei offerunt, ad modum quo dicebat Paulus: *Quotidie morior propter gloriam vestram fratres*: Id est, quotidie me morti offero. Et rursus: *Propter te mortificamur tota die*: Qui ergo ita mortui sunt in Domino pro ipsius dilectione, & ita quotidie moriuntur, duo eximia consequuntur bona, quæ Spiritus sanctus illis impertitur. Alterum quod amodo, id est, cum primum hanc præclaram mortificationem adepti sunt, requiescant à laboribus suis, & veram quietem ac internã pacem inueniant. Omnis enim animæ perturbatio, & inrestinum inter carnem & spiritum bellum, cunctusque virtutum labor vsque ad hanc mortẽ consequẽdam durat, qua adepta cessant timores, & terrores, ac turbationes omnes, cum potius anima gaudeat iam in tribulationibus, & omne gau-

Apoc. 14. v. 13. 1. Cor. 15. v. 31.

dium existimet in varias incidere persecutiones, ipsaque mors quæ aliis est terribilis & amara, illis pro Christo sit amabilis, & suauis. Propter quod huiusmodi iustos etsi tangat mors, eorum tamen animas vt Sapiens ait, non tangit tormentum mortis. Hanc quietem à laboribus per mortem amoris in his Cantici verbis agnoscit D. Gregorius explicans illud quod habetur in Iob: *Requiesces, & non erit qui te exterreat. Valida* (inquit) *est vt mors dilectio*: Virtuti etenim mortis dilectio comparatur, quia nimirum mentem quam semel ceperit, à delectatione mundi funditus occidit: & tanto hanc valentius in authoritatem erigit, quanto & insensibilem contra terrores reddit. Vnde Abacuc relatis quæ futura erant in tempore Messiæ ait: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis.* Ac si diceret, vt inam ad eam mortificationis perfectionem peruenirem vt omnes in me congererentur tribulationes; sic enim in ipsis requiescam, pacem inueniam, & consolationem.

Sap. 3. v. 1.

Iob 11. v. 19.

Lib. 10. Moral. c. 12.

Abacuc 3. v. 16.

Vt autem sciremus hanc quietem animi non frustrandam, nec infœcundam fore, addit vox cæli alterum bonum huius mortis, quia, *opera illorum sequuntur illos*, id est, ad hanc mortem ingentia consequentur opera cum magna patientia, atque constantia vsque ad finem vitæ: sublatis enim timoribus & terroribus, quos mundus & caro ac diabolus incutiunt, quia omnimoda hæc mortificatio extinguit eos, mox sequuntur suauiter & constanter plurima & præclara sanctitatis opera, sicut in Diuo Laurentio, Vincentio, & aliis qui ad martyrium præparabantur, in ipsoque tormentorum decursu videre licet: beatos ergo cælestis vox hos mortuos in Domino vocat, quia in eis fortis est vt mors dilectio, nec erit qui eos vincat, vel detineat, quominus talia charitatis opera exerceant, vt tandem vitam consequantur æternam vbi plene requiescent à laboribus suis, & operum suorum præmium inuenient in sæcula sæculorum. Amen.

EXHORTATIO IX.

Pro festo cuiusque Martyris.

De miris effectibus quos sancta æmulatio, & zelus efficit instar mortis, sepulchri, & inferni: & de contritione, ac de omnimoda sui abnegatione, ex amore proueniente.

Quia fortis est vt mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio.

EX dictis in præcedenti exhortatione nonnulla dilucidius deducamus, in quibus amor proprius & amor diuinus discriminantur. Vterque enim aliquam mortem efficit, sed ille bonam & pretiosam in conspectu Domini, hic malam, imo & pessimam. Bona mors priuatio est vitæ carnalis & mundanæ, mala vero priuatio est vitæ spiritualis & diuinæ, quæ in dilectione Dei & in obseruantia mandatorum ipsius consistit, ideoque D. Ioannes ait: *Qui non diligit, manet in morte.* Et Saluator noster: *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Id est, mortem illam pessimam, quæ peccatorum est propria: nam sicut mors naturalis separat animam à corpore, ita illa separat ab anima Deum & gratiam quæ est vita ipsius, sine qua misere iacet mortua: mors autem bona separat animam à peccatis, & ab omnibus quæ Deo & legi eius sunt aduersa: & in hoc eius felicitas cõsistit. Vterque amor fortis quia fortiter adhærere facit rei dilectæ, & validè resistit cũctis quæ ab ea eum separare cõtendunt: at Christi amicus sicut mutat amorem carnalem in spiritualem, ita etiam mutat fortitudinem humanam in diuinam. Est enim amor Dei omnium rerum fortissimus, qui amorem proprium conculcat, & vincit, particularesque amores propriæ delectationis, & honoris, proprij cõmodi, & salutis, ac ipsius vitæ omnino sibi subiicit, dum cuncta hæc pessumdat & contemnit, ac de omnibus hostibus in Christo triumphat. Quod magnificis verbis D. Dionysius explicat dicens: qui se Deo omnino deuouit, & quantum fas homini est ad summam peruectus est diuinæ imitationis effigiem (en quod sponsus dixerat: *Pone me vt signaculum super cor tuum*) is neque ea quæ carnis sunt gerat, nisi inquantum vrgebit necessitas naturæ; idquè veluti ex latere, atque per transitum faciet: templumque simul & sequax diuini Spiritus erit, simile in simili collocans: numquã aduersis imaginibus, terroribusque vexabitur, sed ridebit potius, accedentesque profligabit, ac persequetur, agetque potius quam patietur (id est magis ipse timorem ac terrorem hosti & tentatori incutiet, quam patietur terrorem, vel succumbet.) Pro ea constantia habitus quam induit, nulla perturbatione violabili, nullique cedenti. En quomodo fortis est vt mors dilectio, quæ omnia vincit, & nulli cedit; alios terret, & ipsa terrorem non patitur: est autem dura ad maxima toleranda tormenta, cum ingenti patientia, quam ipsa gignit, quia sine ea subsistere nequit, vt in lib. 6. dictum est.

Diserimen inter amorem proprium & diuinum, à morte qua afficiunt.

1. Ioan. 3. v. 14.

Ioan. 8. v. 51.

" De Eccles. Hierar. c. 3. p. 3. ad medium.

Exhort. 2. §. 4.

Quomodo zelus assimiletur sepulchro, & inferno.
§. 1.

HÆc autem amplificat secunda similitudo: *Dura sicut infernus æmulatio*: Siue sumatur æmulatio pro eodem amore, sed vehementi, siue pro actu illius, qui zelus est, & tristitia, seu dolor de iniuria dilecto illata. Assimilatur autem inferno, primo propter tenacitatem qua rem semel receptam retinet, neque vmquam à se proiicit, nec vlla est vis humana quæ illam inde valeat extrahere; sic perfecta Christi charitas, quæ Deum apprehendit, tenaciter eum retinet, nec ipsa sponte expellit, nec ab alio expelli permittit, sed potenter resistit, dicens: *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam: quis enim nos separabit à charitate Christi? &c.* Dimittet quidem anima libenter diuitias, honores, & voluptates, relinquet parentes, amicos, & domesticos, immo & proprium corpus in quo creata est, & diu permansit, ne relinquat Deum, vel extinguat charitatem. Hyperbolica autẽ videtur hæc assimilatio inferni quoad tenacitatem, in cælo tamen plene explenda.

1.

Cant. 3. v. 4. Ad Rom. 8. v. 35.

Sed quoniam caro quæ concupiscit aduersus spiritum, fortiter pugnat contra charitatem, & amor carnalis contra diuinum: hinc charitatis æmulatio dura est sicut infernus contra carnem, ne à spiritu Deum expellat. Infernus autem si pro sepulchro sumatur, durus est, & sæuus contra corpus, cuius vniuersam fabricam dissoluit, comminuit, & in minutum puluerem vnde formatus est, conuertit: sic charitas dura est contra carnem, & piè sæua, dum eam castigat, domat, & conterit,

2.

conterit, omnes eius prauos insultus conterendo, & florentem virorem eius vsque ad puluerem humiliando. Hoc est quod Paulus aiebat: *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem*: Hostia est animal quod mactabatur, vt Deo in sacrificium & holocaustum offerretur. Holocaustum autem totum incendebatur, donec animal redigeretur in cineres: offerendum est ergo corpus Deo in hostiam & holocaustum, vt quidquid vitiosum est in carne, penitus diuini amoris igne absumatur; ipsa vero ita mactetur, vt nihil Deo aduersum pullulet, nihil deinceps in ea carnale viuat. Sed quid est quod ait: *Hostiam viuentem*? Si hostia mactatur, quomodo viuens? Si viuens, quomodo mactatur? Sed cum mactatur, tunc perfectè est viuens, sicut idem testatur Apostolus inquiens: *Debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*: Spiritu autem mortificare est ex Dei amore facta carnis omnino perimere, & eius concupiscentias infrænare: quod necessarium est vt spiritus viuat. Nam vt inquit D. Gregorius Nyssenus, cum duo capitali odio contra se pugnant, non possunt ambo esse victores, sed victoria vnius est mors alterius: sic cùm caro & spiritus contra se pugnant, victoria carnis mors est spiritus: victoria vero spiritus, est mors carnis. Tunc autem ipsum corpus fit hostia viuens, non solum, quia spiritus viuit vitam gratiæ, sed etiam quia ipsius corporis vires & sensus tunc melius viuunt, cum rationi subduntur, & ex eius imperio sua opera peragunt: cum enim charitas carnem & spiritum quæ discordes erant, & sibi inuicem aduersabantur, in vnionem, concordiam & pacem reducit, vtriusque vitam valdè perficit: nam vita duorum qui simul degunt, sed non conueniunt, amarior est ipsa morte; cum autem pacificantur, tunc dulciter viuere incipiunt. Per iugem enim mortificationem reducunturad illam fere vnionem quam in statu innocentiæ haberent, suauemque degunt vitam ad modum quo Psalmista dicebat: *Tu homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.* Interim autem gemendum est cum Apostolo dicente: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum.* Hæc gratia nos liberat, cum charitas per studium abnegationis animam corpori ita vnit, vt plene sibi subiiciat, omnesque facultates inferiores, eius subduntur imperio, vt sit velut Centurio habens sub se milites, & dicens huic vade, & vadit, & alij veni, & venit: ac seruo, fac hoc & facit.

Ad Rom. 12. v. 1.

Ad Rom. 8. v. 12.

Orat. de perfecta hominis christiani forma.

Pſal. 54. v. 14.

Ad Rom. 7. v. 24.

Matth. 8. v. 9.

Sed validior est assimilatio si infernus significet locum damnatorum qui durissimus est animabus quas retinet, omnes dire torquet, & nulli parcit: sic charitas dura etiam est carni, cum eam cogit dura pati vt spiritui subiiciatur, & legi Dei obediat, dicens cum regio vate: *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* Et quid quod æmulatio sanctæ animæ dura sit sicut infernus contra carnem, quæ sæpius eam impulit, & impellit in culpas, propter quas incurreret inferni pœnas, nisi diuina gratia tenuisset eam? Vt ergo æmulatio vtramque eruat ab inferno, dura est contra illam sicut infernus.

Pſal. 16. v. 4

De zelo salutis proximorum & contra eorum peccata. §. 2.

PRoprius adhuc comparatio ista apratur ipsi animæ, in qua dura est sicut infernus æmulatio: Id est zelus amore Dei inflammatus, quo doler de omnibus iniuriis, siue à se, siue ab aliis hominibus Deo illatis cum vehementi impetu propellẽdi illas, ac vlciscendi eo modo quo ipsi Deo placet. In hoc autem assimilatur quatuor inferni proprietatibus, cuius dolor est vehemens seu valdè intensus, continuus, perpetuus, & insatiabilis, talis est dolor quem zelus efficit in sanctis, de quo Dauid dicebat: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Vidi prævaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Est enim zelus iste dolor quidam & ardor ad modum febris ethicæ, quæ intensa est, continua, & perpetua vsque ad mortem, tabescere faciens corpus & viscera depascens, nam & iterum dicit: *Zelus domus tuæ comedit me*, quoniam totam animam vrit, torquet, & in se transfert: si quod comeditur esset quid viuens, profecto in ipso ventriculo vehementem dolorem ac cruciatum sentiret, sicuti cum Ionas viuus à cete deuoratus est, de se inquit, *cum angustiaretur in me anima mea.*

Pſal. 118 v. 139. & 158.

Ioan. 2. v. 17.

Ionæ 2. v. 8.

Cum igitur zelus Dei animam viuentem cõmedit, vehementer illam torquet, & ignis diuini amoris iuges in illa dolores efficit, sicut Apostolus dicebat: *Quis scandalizatur, & ego non vror?* Et rursus: *Tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, &c.* En vbi tristitiam magnam & continuum dolorem coniungit cum alio desiderio, quod nuncupat anathema esse à Christo, id est ab illius visione & gloria esse ad tempus separatum. Quod maxime in inferno etiam damnatos cruciat, & tamen vehemens Christi amor, ac sancta hæc æmulatio pro Israëlitis duros istos cruciatus illi reddebat amabiles, ita enim (inquit D. Chrysostomus) totam eius mẽtem deuinxit amor Christi, vt etiam hoc quod ei præ ceteris omnibus amabilius erat, esse cum Christo, rursum id ipsum quia ita placeret Christo contemneret. Sed & cælorum regno, quod videbatur laborum esse remuneratio, pro Christo nihilominus carere pateretur, ab ipso etiam Christo anathema effici pro Christo, optabile haberet: rursus perpendens immensos Apostoli labores nomine eius sic ait: vt fides Christi prædicetur, & vt ipse ab omnibus ametur, propterea & famem, & sitim & nuditatem, & vincula mortesque sustineo, & maris pericula, & naufragia, cunctaque omnino quæ inferuntur in me, libens perfero, & non solum nihil mihi horum graue est, sed & pro his omnibus glorior: causa autem mihi gloriãdi pro his charitas Christi est. En quomodo Paulo dura fuit sicut infernus æmulatio, quæ tot tamque graues cruciatus tolerare compulit: & tamen etsi dura, suauis ei erat, quoniam ipsam duritiem pro Christo amabat, de illaque gloriabatur & gaudebat.

2. Cor. 11. v. 29.

Ad Rom. 9. v. 2.

" Lib. 1. de compunct. cordis post med. to. 5.

" Ibidem paulo ante.

His accedit quod infernus à Salomone vnus ex quatuor quæ insatiabilia sunt nuncupatur, nã charitatis ignis numquam dicit sufficit. Quadrupliciter autem est insatiabilis. Primo in proprio augmento vsque ad mortem, nam semper amplius crescere, & augeri desiderat vt amplius

Prou. 30. v. 16. Charitas quadrupliciter insatiabilis.

dilecto suo placeat, & ei inhæreat. Vnde fit insatiabilem esse in operibus bonis pro dilecto peragendis. Nam quantum vires suppetunt operatur, & adhuc plus sitit posse, vt plus valeat operari. Deinde insatiabilis est in perferendis laboribꝰ, & cruciatibus instar ipsius Christi, qui post tot tormenta in cruce susceptа, adhuc dixit *sitio*, plus enim multo pati desiderabat si nobis expediret.

Isai.5.v.14. Vnde tandem insatiabilis est in lucrandis proximis: nam sicut infernus dilatat animam suam vt innumerabiles recipiat peccatores, quos torqueat: ita per charitatem iustus dilatat cor suum ad innumeros peccatores conuertendos vt Christo vniantur, dicens cum Psalmista: *In matutino*

Psal.100.v.8. *interficiebam omnes peccatores terræ vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Interficiebat autem peccatores non vt homines, sed vt peccatores, occidendo peccata vt viuificaret animas, omnes autem hoc modo interficere cupiebat, quia omnium salutem & vitam desiderabat: consolemur tamen eos qui hoc zelo contristantur, torquentur, aduruntur, nam de aliquorum conuersione aliquando valde lætabuntur: *Mulier*

Ioan.16.v.21. enim *cum parit tristitiam habet: sed cum peperit, non meminit pressuræ propter gaudium quia natus est homo in mundo.* Quod eleganter declarat D. Augustinus loquens de peccatoribus obstinatis: Nostram (inquit) tristitiam consolatur Deus, quia & ipsa

Epist.241. ad Maximum. » tristitia quam pro eis habemus, nos releuat: illos » autem in sua peruersitate perseuerantes grauat. » Gaudium vero quod percipimus quando aliqui » ex eis correcti in melius commutantur, & sancto- » rum societati copulantur, nulli gaudio in hac vi- » ta comparari potest.

De zelo vindictæ contra propria peccata, & mortificandi concupiscentias carnis. §. 3.

C IAm hæc verba præcedentibus connectamus vt nostræ congruunt indigentiæ: *Pone me* (inquit Christus) *vt signaculum super cor tuum, & super*

1. *brachium tuum*, sollicite studens mihi assimilari & imaginem meam in te portare. Nec id tibi videatur, aut impossibile, aut difficile; in te enim habes charitatis vires per quas id præstare potes, quia, *fortis est vt mors dilectio*, ad occidēdum in te quidquid hanc similitudinem valet impedire, nimirum peccata, concupiscentias, & quidquid te à mei sequela retrahit, vel retardat, nec tantum occidit, sed penitus comminuit: Nam, *dura est sicut infernus æmulatio*: & sicut sepulchrum consumit corpus, ita sancta æmulatio consumit etiam reliquias peccati. Et quòmodo consumit? Contristando, affligendo, & vehementer torquendo animam propter peccata commissa. Sicut enim infernus tamquam vindex Dei cruciat animas propter sua scelera, inuitas tamen & contradicentes; ita contritio à charitate proueniens est quædam tristitia & dolor vehemens de peccatis, sed voluntarie assumptus, qui animam cruciat, & in ea Dei iniurias vlcisci conatur. Nam, *tristitia quæ*

2.Cor.7.v.10. *secundū Deū est* (vt ait Paulus) *pœnitentiā in salutem stabilem operatur, &c. Ecce hoc ipsum secundum Deum contristari vos quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam.*

Sed qualem vindictam? dura est sicut infernus æmulatio, & ipsas inferni pœnas mallet pati, quam peccasse; eligeret potius eas quam

A deinceps peccare, & dilectum suum offendere, quemadmodum sanctus ille Eleazarus cui amici suadebant vt idolis sacrificaret, respondit, *Cito præmitti se velle in infernum*, scilicet ante- 2.Matth.c. v.23.
quam assentiri illis. Nam mille gehennas charitas pateretur, ne Deo vlla inferretur iniuria, & pro iam à se illata: nec cessat dolere & gemere, nec vindictam de illa in se sumere, & omnes huius vitæ cruciatus vndecumque illi proueniant, libenter suscipit vt Deo plenius satisfaciat dicens: *Peccaui, & vere deliqui, &* Iob 33.v.27
vt eram dignus non recepi, vlterius autem vt signaculum Christi perfectius super se ponat: hæc eadem charitas in ordine ad omnium hominum peccata, etsi proprium nullum habuisset, eosdem operatur effectus, omnes enim etiam inferni dolores sustineret vt ea peccata impediret, vel veniam peccatoribus impetraret,
B dicens cum Moyse: *Aut dimitte eis hanc noxam,* Exod.32.v.
aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. 32.

Sed cur quæso tam insignes virtutes dilectionem & zelum comparat sponsus duabus rebus omnium acerbissimis, & terribilissimis, quæ in mundo sunt, morti & inferno? Sed quid mirum? cum imitationem Dei quæ omnium est glorioſissima, (nam *quid est homo vt possit sequiregem factorem suum?*) amarissimis duabus rebus Eccles.2.v.13.
coniunxerit Christus dicens: *Si quis vult venire* Matth.16.
post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & v.24.
sequatur me. Quid amarius quam se abnegare?
Quid acerbius quam crucem ab alio impositam ferre? Illud morti, hoc inferno comparatur vtrumque ad perfectionem amplectendam & ad sequendum Christum necessarium, quoniam impedimenta virtutis & huius sequelæ quædam sunt ab intrinseca & depraua ta propensione, & hæc tolluntur per abnegationem &
C mortem; quædam ab extrinseca inimicorum persecutione, & hæc vincuntur per patientiam, ferendo libenter crucem, & dolores inferni tolerando. In primo splendet fortitudo, quæ res arduas aggreditur, & ideo dicitur: *Fortis vt mors dilectio*: In secundo patientia quæ res duras tolerat, & ideo ait: *Dura sicut infernus æmulatio.* Hæc autem durities potissima est probatio perfectæ dilectionis. Vnde Apostolus charitatis encomia recensens primo loco ait: *Charitas patiens est.* Et 1.Cor.13.v.4.
Saluator de se ait: *Faciem meam non auerti ab* Isai.50.v.6.
increpantibus & conspuentibus in me, &c. Et paulò pòst: *Posui faciem meam vt petram durissimam.*

Præterea cum sponsus præciperet vt ponamus 3.
D eum tamquam signaculum & super cor, & super brachium, eo quod perfecta charitas & virtus actibus internis & externis constat; duo mortificationis genera subijcit, quæ illis respondent, etsi ordine inuerso, qui in hoc Cātico obseruatus est iterum à sponso cum dixit: *Ostende mihi fa-* Cant.2.v.
ciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox 14.
enim tua dulcis, & facies tua decora. Vbi in reddenda causa prius refert vocem, quam in secundo loco posuerat. Sic fortitudo mortis, quæ visibilis est, ad signaculum ponendum super brachium refertur: durities vero inferni qui inuisibilis est & inuisibiliter intra cauernas terræ torquet ad signaculum super cor. Duplex enim debet esse mortificatio, alia exterior & visibilis quæ res externas contemnit & reijcit, vt cupiditates melius reprimi possint: alia interior & inuisibilis

& inuisibilis quæ intra cor proprium exercetur A
vbi anima se ipsam cruciat & potenter abnegat, tristitias & dolores patitur. Vtraque ad perfectionem charitatis & virtutis necessaria est vt anima munda sit ab omni inquinamento carnis & spiritus, & vt sit sancta corpore & spiritu, & vt hostes foris & intus oppugnantes deuincat, & tandem vt ad opera vtriusque vitæ contemplatiuæ & actiuæ idonea reddatur.

Ierem.1.v.10. Cogita ergo te instar Ieremiæ constitutum esse à Deo: *Vt euellas, & destruas, & dispergas, & dissipes, & ædifices & plantes*: Quatuor prima perfectissimam mortificationem indicant, quam charitas fortis vt mors & dura vt infernus operatur. Euellit enim penitus peccata, destruit habitus vitiosos propriis actibus acquisitos, dispergit passiones & appetituum propensiones inordinatas; & dissipat B
cuncta externa, quæ vel ad peccatum inducunt, vel à meliori bono quod sibi in votis est, retrahunt. Post hæc autem sequitur ædificare & plantare, quod ad ponendum signaculum super cor & brachium per virtutes ipsam abnegationem perficientes referri potest: nam quædam propriis actibus acquiruntur, & vocantur virtutes morales acquisitæ, ideoque apte comparantur ædificio quod ex artificis industria tantum cōsurgit. Aliæ sunt supernaturales quæ à Deo infunduntur, etsi per proprios actus nos ad eas recipiendas, vel augēdas disponamus. Deus autem est qui eas efficit, & auget, & ideo aptius assimilantur plantationi, quam etsi agricola faciat, tamen ipse non dat incrementum, sed Deus, qui plantam crescere facit. Vtrisque autem virtutibus acquirendis incumbendum est nobis, vt penitus extinguantur vitia, C
& tam cor quam brachia Christi signaculis maneant obsignata. Præterea sicut signaculum cordis & brachij perfectionē indicat vitæ contemplatiuæ & actiuæ, ædificare & plātare ad vtriusq; vitæ opera referri possunt. Nam per ædificium fit domus in qua homo habitat, & requiescit; per plantationem vero colliguntur fructus quibus vescitur & nutritur: illud præstat vita contemplatiua quæ internam quietem appetit: hoc actiua quæ fructibus obedientiæ & bonorum operū pascitur, & quia hæc prior est in executione, etsi illa intentione antecedat. Salomon in Prouerbiis alium ordinem seruauit quam Ieremias, cum dixit: *Præpara foris opus tuum, & diligenter excrce agrum tuum, vt postea ædifices domum tuam*, in qua requiescas absconditus cum Christo in Deo.

Aliquot proprietates insignis mortificationis ex his verbis deductæ. §. 4.

TAndem ex prędictis similitudinibus deducamus aliquot insignes proprietates omnimodæ mortificationis quam efficit charitas, quæ cū obtineat quasi vniuersalem principatum ad imperandum omnibus virtutibus quarum actus illi attribuit D. Paulus, etiam omnigenam facit abnegationem præstantius quam singulæ virtutes. Si-
Simile. cut enim in rebus corporalibus duplex inuenitur modus destruendi noxias herbas in agro; vel sarculo aut falce eas euellendo & abscindendo; vel iniecto igne eas cremando, sicut in agris restibilibus post messas segetes fieri solet; & similiter sicut duplex est modus mundandi vas aliquod argenteum, vel per aquam, aut per ignem, & hic

Opus de mystica Theolog. c. devia vnitiua p.4.

posterior efficacior est multo. Sic (inquit D. Bonauentura) duplex est modus purificandi animam & conscientiam, vel per examen singulorum vitiorum, adhibitis vnicuique propriis remediis prout singulæ exigunt virtutes illis aduersæ; vel per ardentem Dei amorem qui instar ignis omnium vitiorum consumit rubiginem, & pullulantes destruit prauas affectiones. Vtrumque modum insinuat Isaias cum ait: *Si ablouerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij, & spiritu ardoris:* Isai.4.v.4.
Spiritus iudicij refertur ad examen & discussionem singulorum defectuum: Spiritus vero ardoris ad ignem charitatis, de qua hic dicitur: *Fortis est vt mors dilectio, &c.*

1. Etenim sicut mors omnes homines vincit, ac subiicit; non solum pauperes, debiles, & ignobiles, sed etiam diuites, robustos, & magnates, omnesque mundi monarchas: sic charitas omnes homines tam paruos quam magnos in quos ingreditur, omnino vincit atque subiicit vt mundo moriantur, & Deo viuant, & hæc est maxima eius fortitudo. Nec mirum quod potentatus vincat, quæ quodammodo vicit omnipotentem, & inuincibilem, faciens eum hominem mortalem in quem ipsa mors suas exerceret vires, licet dum vicit victa mansit: *Commendat* enim *charitatem* Ad Rom.5.v.8.
suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Quare non incongrue charitati aptare possumus quod patriarchæ Iacob dixit Angelus: *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra* Gen.32.v.28.
homines prævalebis? Quid igitur mirum si charitas quæ fortis fuit contra Deum, fortis etiam sit contra homines, & omnes sibi & Deo subijciat, sicut subijcit, & præualet mors? Tamen sicut Iacob cum ita constitutus est fortis contra Deum & homines, exiccato femoris neruo ad tactum Angeli, debilis mansit & claudus; sic etiam charitas dum inuicta tribuit fortitudinem spiritualem, carnalem debilitat, & concupiscentiæ neruum exiccat, vt quanto debilius fertur in ea quæ caro appetit, tanto fortius eleuetur ad ea quæ spiritus concupiscit vt Deo vniatur?

2. Deinde sicut mors cœptam victoriam fortiter prosequitur, donec corpus mortuum penitus absumat, & in minutum puluerem in sepulchro deducat vbi omnes homines paruos & magnos facit æquales, imo & minimos: sic charitas quod semel cœpit bellum contra vitia, & passiones acriter ad finem vsque deducere conatur vt penitus ea dissiper, & eradicet: eius D
enim vox & impulsus est quo dicebat Psaltes: *Persequar inimicos meos & comprehendam illos, &* Psal.17.v.38.
non conuertar donec deficiant: confringam illos, & non poterunt stare: cadent subtus pedes meos. Quæ verba omnimodam & consummatam denotant victoriam, per quam in nihilum redigūtur, non solum vitia grauiora, sed leuiora etiam & minima. Vnde charitas per humilitatem homines quantumuis magnos ita deiicit, vt in puluerem deducat, & omnium minimos se appellare faciat instar puluēris in quem conuertendi sunt, sicut magnus dicebat Abraham: *Loquar ad Dominum meum cum sim puluis, & cinis.* Genes.1.v.19. Genes.18, v.17.

sed quid significat coniunctio illa pulueris & cineris qua vsus est Abrahã, & Ecclesiasticus increpãs superbos ait: *Quid superbit terra & cinis?* Forte vtrũque compositionẽ hominis insinuat ex anima & corpore, tãquam lutũ ex aqua & puluere, vel tamquam ardentẽ carbonem ex igne & ligno: per mortem autem dum separatur anima, aresçit vitale humidum, & remanet solus puluis: & homo qui dum viuit ardet, & calet velut inflammatus carbo, discedente anima & extincto natiuo calore & igne, tantum remanet cinis. Sic in morte spirituali quam efficit charitas, quia spiritum separat à carne, & mentem inflammatam mundi affectionibus seiungit, quod remanet in hominis opinione & conceptu est quasi puluis & cinis, vt puluis opponatur terrenis & carnalibus affectionibus, cinis vero vanis mundi splendoribus: cuncta autem propter Christum arbitratur vt stercora & detrimenta.

Ecclesi.10. v.9.

A

3. Ceterum fortitudo mortis aliter ostenditur in bestiis & in hominibus, animas enim bestiarum penitus extinguit, & in nihilum redigit, animam vero hominis minime, sed in nouam mutat vitam à corpore independentem, corpus autem consumit, & in puluerem conuertit: sic charitas omnes bestiales motus carnis penitus absumit, spiritum vero hominis in melius mutat, ad Deumque eleuat vt in ipso viuat, reiecta superflua carnis cura, & tamquam vilem puluerem reputans quidquid ad ipsam spectare videtur: in quem sensum trahere possumus quod scriptum est in libro Iob: *Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius & flatum ad se trahet: deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur.* Vt sensus sit: si Deus apposuerit cor suum erga hominem, amore illum prosequens, & consequenter suo amore eum inflammans; trahet ad se spiritum illius, & flatum, id est, animam seu mentem & omnes eius internas ac externas operationes quæ hominis propriæ sunt, & ad spiritalem vitam diriguntur, simul autem quidquid carnale in eo est, deficiet, & consumetur, ac reuertetur in cinerem.

Iob.34.v. 14.

B

C

4. Denique mors quem semel vincit, semper victum tenet, nec est potestas in terra vt mortuum ad vitam reuocet, reparãs quod ipsa destruxit: ad hoc autem conatur charitas quę fortis sicut mors prædicatur, vt anima quã semel mortuã peccatis cõstituit, nõ amplius viuat illis, sed soli Deo, nec ad impiam culpæ mortem reuertatur, in quo ipsa morte fortior est, cum dicat Apostolus certum sẽ esse quod neque mors poterit eum separare à charitate Dei, & mox subiungitur: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem:* de quo postea. Hoc autem intelligẽdum est in eo sensu quod D. Ioannes ait: *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest facere, quia ex Deo natus est.* Loquitur autẽ de peccato lethifero, quod mortem efficit & charitatem destruit: sed inquit non posse peccare, quamdiu in eo manet semen Dei, quod est Spiritus sanctus, & verbum diuinum, ac gratia & charitas per quam natus est ex Deo: hæc enim omnia quantum est ex propria propensione animam quam semel possident, perpetuo possidere desiderant, & ad propellendam peccati mortem vires conferunt. Vtinam ita charitati adhærere studeamus, vt numquam deseramus illã, quia illa non deseret nos donec in eo statu collocet vbi sempiterna sit vnio in gloria quam Deus nobis præstare dignetur. Amen.

Ad Rom.8. v.38.

1.Ioan.3.v. 9.

D

EXHORTATIO X.

De lampadibus ignis amoris diuini erga nos, & amoris nostri erga Deum, & vtriusque proprietatibus.

Pro festo Pentecostes.

Lampades eius lampades ignis, atque flammarum.

ASsimilauerat sponsus dilectionem & æmulationem morti & inferno, quæ terribilia sunt & fortissima ad consumendum & torquendum alia: nunc laudem amplificat assimilando eam igni qui inter elementa fortissimus est non solum ad consumendum, & torquendum, sed ad alia perficiendum præclara opera, & ideo ait: *Lampades eius lampades ignis, atque flammarum*: Id est, pone me vt signaculum super cor & brachium tuum, vt me solum perfectissime diligas, quia dilectio & æmulatio non tantum est fortis sicut mors, & dura sicut infernus, sed etiam eius lampades sunt lampades ignis, atque flammarum, per quas, & non per gladium vel aquam hanc mortem efficit. Repetitio hæc eiusdem fere nominis, ignis atque flammarũ, & non flãmę, sed flãmarũ, significat esse ignẽ vehementissimũ atq; inflammatissimũ. Vnde in Hebræo additur *flãmæ Dei*, qua phrasi significantur ea quæ sunt in eo genere perfectissima, vt mõtes Dei mõtes sublimissimi. Quod Interpres vertit lampades iuxta vocem Hebræam *Bisphæ*: sunt prunæ vel carbones igniti: & quia etiam significat quodcumque celer & volatile. Lxx. vertunt: *Alæ eius, alæ ignis: flamma eius*, scilicet, est flamma ignis: seu flamma Dei, id est inflammatissima: Alij *sagittæ eius, sagittæ ignis*. Nam etiam sagittæ formam habent alarum ad celeriter tendendum in scopum: possunt autem hæc verba, sicut & præcedentia, interpretari vel de amore Dei erga nos, vel de amore nostro erga Deum, & quia Dei amor erga nos exemplar est amoris nostri erga ipsum, & illum valdè excitat: quod de illo dicitur huic etiam facile aptabitur.

Cant.2.v.4. lib.4.ex-hort.39.

Cap.15. de cælesti hierar.lib.1. exhort.8.

Deut.4.v. 24.& c.35. v.2.

Actuum 2. v.3.

Lucæ 12, v. 49.

De lampadibus igneis diuinarum perfectionum. §. 1.

VT ergo à Dei amore inchoëmus vere *lampades eius, lãpades ignis atque flãmarum*. Sed quæ sunt hæ lampades diuini amoris? meminisse oportet quæ diximus supra circa illud: *Ordinauit in me charitatem.* Vbi duplicem assignauimus aciem à Deo ordinatam aduersus animam ad cor eius expugnandum, & introducendum in eam ardentem charitatem; scilicet aciem diuinarum perfectionum, & beneficiorum: hæc autem sub metaphora lapidum ignis modo amplius explicanda sunt: ignis enim propter sua præclara insignia quę D. Dionysius refert, symbolum est diuinitatis; de quo plura diximus in libro primo cum aduentum Spiritus sancti explanauimus, est enim maxime lucidus, calidus, & effectiuus: celeriterque suum communicat lumen, splendorem & ardorem, ac seipsum, materiã dispositã in se conuertens: ignis enim facile generat ignẽ, & ex hac potissimũ parte in scriptura Deus vocatur ignis, & quæ ad ipsũ spectãt ignea dicuntur, vt ignea lex eius, & Spiritus sanctus in linguis igneis super Apostolos venit, ac Christus Dominus inquit se venisse vt ignẽ in terram

in terram mitteret qui accenderetur, & se communicaret, ac diffunderet plures generãdo ignes. Hæc autem omnia ad charitatem & amorem ordinantur: nam etiam Deus charitas est, cor illuminans & inflammans, amoremque sui in eo generans: etsi autem Deus vnicus sit, atque simplicissimus, ac proinde vnicus tantum ignis, & vnica ignis lampas, eaque infinita & immensa sit dicendus, sicut reuera est: tamen quoniam in hac vita vnico eum conceptu perfectè cognoscere nequimus, plures formamus perfectionum & attributorum quæ in ipso resplendent; & hæc, lampades ignis vocamus, vt tot sint in Deo lampades ignis, quot sunt eius attributa, nimirum sapientia, bonitas, omnipotentia, misericordia, & alia eiusmodi, eo quod cuncta & singula ignem amoris spirant, illuminant mentem ad sui cognitionem, inflammant ad amorem, eam in se ipsam transformant, & eo modo quo capax est, sibi efficiunt similem; & sicut omnes illæ perfectiones coniunctæ vnam efficiunt aciem quæ incredibilem habent vim ad cor expugnandum, sic cum coniunguntur ex speciali Dei gratia, mirabiliter illuminant & inflammant; veluti cum plures lampades in eodem cubiculo collocantur multo magis illuminant, vehementioremque calorem etiam imperti untur, & ideo coniunctim sponsus ait: *Lampades eius*, & non lampas. Sed hoc mirabile est, & stupendum quod in vna lampade omnes coniunguntur lampades, & in omnibus lampadibus singulæ, ideoque si vna perfectè intelligatur, in ea intelliguntur & reliquæ. Etenim diuina sapientia & bona est, & omnipotens, & misericors, & iusta: omnipotentia sapiens est & bona, iusta & misericors. Misericordia etiam sapiens est & omnipotens, bona & iusta, & sic de aliis. In singulis enim Dei attributis contemplari potest efficacitatem omniporentem vt se communicent, & omnipotentiam ad faciendum quod lubet, non quidem omnipotentiam præcipitem, non crudelem, non iniustam, sed sapientem, benignam & iustissimam, vnde omni ex parte omnes lampades ignis sunt efficacissimæ mouentes ad amorem, ignemque amoris generantes: flammæ sunt Dei, non per allegoriam tantum, quia sublimes, sed quia verissimè sunt Dei, & singulæ sunt ipse Deus: sapientia enim & omnipotentia atque misericordia ipsa eius Deitas sunt, & infinitam Dei continent excellentiam.

Hinc igitur constat dulcissimus horum verborum sensus, pone me vt signaculum super cor tuum, quia lampades dilectionis & charitatis quæ ego ipse sum, lampades sunt ignis atque flammarum, & super cor tuum positæ ad vehementissimum amorem inflammabunt illud, in meipsumque conuertent. Contemplare omnes perfectiones meas quoniam alæ ignis sunt, atque flammæ vehementes, quæ ad te celeriter volabunt vt te illuminent, & accendant, totamque reddant igneam & vndequaque perfectam. Nam de sole iustitiæ scriptum est: *Sanitas in pennis eius.* Pennæ solis sunt igniferi eius radij, qui hic dicuntur lampades flammarum: in iis autem alis ignis sanitas nostra est, quia ab omni nos languore, & miseria eripiunt. Eædem etiam sagittæ sunt ignis vehementer acutæ, quæ cor tuum penetrabunt, vulnerabunt, & charitate vulneratam te constituent. Sagittæ sunt potentis acutæ cum carbonibus igniris & desolatoriis ad destruenda omnia vitia & amoris impedimenta propellenda vt

Malach.4. v.2.

Psal.119.v. 4.

ipsum in cordis intima vehementer introducant: quo fit in contemplatione miro, & stupendo modo Deum ipsum hæc sua attributa animæ manifestare, vt eam in sui amorem inflammet: animam vero sic à Deo illustratam eadem attributa diuina magnificare, extollere, & per ea se in amorem excitare, & ad orationem, spem, gratitudinem & obedientiam, aliasque virtutes vehementer se mouere.

Quod deduci potest ex eo quod scriptura inquit: *Cum descendisset Dominus per nubem stetit Moyses cum eo innocans nomen Domini*: Id est, vehementes fundẽs preces ante illum, vt quod promiserat perficere dignaretur: *Nempe, transibit gloria mea, & videbis posteriora mea, &c.* Tunc subditur: *Quo transeunte coram eo ait: Dominator Domine, Deus misericors, & clemens, patiens ac multæ misericordię ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui auferes iniquitatem & scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est, &c.* Quæ verba vt erudite perpendit Lipomanus iuxta Hebręum textum ipsi Deo attribuuntur, vt ipse transiens primo Moysi dixerit: *Ego dominator Domine Deus, &c.* reuelans illi hæc sua præclara attributa, quæ dum Moyses diuino lumine agnouit, maximo affectu exclamans eadẽ repetiit & dixit: *Dominator Domine Deus, &c.* admirans immensam tanti Dominatoris & Domini misericordiam, clementiam, patientiam, & veracitatem siue iustitiam, propter quę summe est diligendus ex toto corde & ex omnibus viribus nostris.

Exod.34. v.5.

In Catena.

De lampadibus igneis mysteriorum Christi, & beneficiorum Dei. §. 2.

SEd amplius inardescit amor si verba ista ad Christum Dominum referamus, qui sub nomine lampadis in scriptura significatur, iuxta illud Isaię: *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur.* Olim etiam cum Deus fœdus inire vellet cum Abraham, diuisis animalibus sacrificandis in duas partes, apparuit *lampas ignis tranfiens inter diuisiones illas*, quæ significabat Deum in mundum venturum, qui trãsiturus erat per vniuersam Iudęam, & Galilæam, & Iudaica sacrificia, atque cęremonias, cum in terris visus est, & cum hominibus cõuersatus est. Zacharias etiam super caput candelabri aurei vidit lampadem magnam, & alias septem lampades per modum coronæ circumcingentes illam, quę repræsentabat Christum, & supremum incarnationis mysterium, reliquæ vero singulę eius insignia mysteria, beneficia, opera vel septem Sacramenta, aut particulares Ecclesias & animas sanctas, aut septem dona Spiritus sancti, vel septem præcipuas virtutes supernaturales, quæ magnam charitatis lampadem circumcingunt, & comitantur. Quæ omnia ex sequentibus interpretationibus constabunt. A Saluatore ergo exordientes, etsi vna sit lampas, quoniam vnus est Christus duplicem continens naturam, diuinam & humanam, nihilominus quoniam plurima in hoc mundo, stupendaque opera in salutem hominum perfecit, quæ omnia ignis flammas erumpunt, & illas in cordibus nostris vehementer accendunt, ideo hic plures lampades dicuntur. Et tot in Christo sunt lampades, quot sunt eius mysteria. Vt vna lampas sit incarnatio in vtero Virginis, alia natiuitas in diuersorio, alia circuncisio, & sic de reliquis, donec tandem lampas ista amplius videtur multiplicata in pas-

Genes.15.v. 17.

Zachar.4. v.2.

sione sua. Nam tot lampades ignis agnoscimus, quot sunt passionis mysteria; vt sudor sanguineus, comprehensio in horto, flagellatio, coronatio, & cetera, donec tandem lampas hæc constituta est in candelabro crucis vt totam domum Ecclesiæ, imo mundi, illuminaret & inflammaret ad amorem, per quem exaltatus à terra omnia traheret ad se ipsum; qui per foramina vulnerum ardentissimas efflat amoris flammas.

Quare merito sponsus qui sub arbore crucis sponsam suscitauit ad amorem dixit illi; pone me crucifixum vt signaculum super cor & brachium tuum, quia dilectio mea erga te non tantum fuit fortis vt mors, &c. sed etiam *lampades eius*, id est, cuncta mysteria quæ operatus & passus sum pro te maxime in cruce, *lampades sunt ignis atque flammarum*: vehementissimeque te inflammabunt ad amorem; & te in meipsum transformabunt, vt tota ignescas sicut ego, & diligas me sicut dilexi te, & meas in te transferas virtutes vt mihi omnino similis fias. Meditare profunde cuncta hæc mysteria dilectionis meæ, quia *alæ eius alæ ignis sunt atque flammæ Dei*, in flammatissimæ, quæ celerrime volabunt vt te totam inflamment: sagittæ ignis sunt vt te vulnerent sicut me vides vulneratum. Hæc Christus Dominus. Et apritsime quidem, quoniam lampades diuinorum attributorum lucem quamdam habent inaccessibilem quæ ab oculis mortalium non satis perspici potest. Vnde licet beatis clare intuentibus illa, lampades sunt ignis vehementissimi, quæ eos in Dei amorem transformant: nobis tamen qui per obscuram fidem ea intuemur, non ita sunt proportionatæ nisi cum suis operibus & diuinis beneficiis coniunguntur. Inter quæ primas tenent mysteria nostræ redemptionis, quæ reliquas alias lampades splendore & ardore antecellunt, & stupendam habent efficacitatem si simul cum illis diuinorum attributorum lampades coniugas.

4. In Christo enim iacente in præsepio vel suspenso in patibulo considerare potes simul lampades diuinæ sapientiæ & charitatis, misericordiæ, patientiæ & iustitiæ, ac lampades etiam heroïcarum virtutum Christi qui tunc supra modum erat lampas ardens & lucens: hæc autem omnia splendoribus & ardoribus diuinis te replebunt, vt nihil scire, nihil diligere appetas nisi Christum & hûc crucifixum, qui tuus est amor, tua salus & vita sempiterna. Fuit quidem Christus in cruce: *Lampas contempta apud cogitationes diuitum parata ad tempus statutum.* Nam contemptus fuit ab Herode & Pilato, à principibus sacerdotum & primoribus Iudæorum, quibus scandalum fuit sicut & Gentibus stultitia: parata tamen est reuelari in tempore statuto; non solum in die iudicii, quando omnibus clarè eius splendor apparebit, sed etiam in hac vita, in loco & tempore à Deo statuto humilibus manifestatur, & fit illis lampas ignis, atque flammarum, illuminans per fidem & accendens per charitatem: ita vt tanto pluris eum faciant, tanto que ardentius diligant, quanto eum vident pro ipsis magis spretum & neglectum. Et vulnera eius quæ incredulis sunt velut carbones nigri, fidelibus sunt sicut prunæ & carbones ignis splendentis, qui omnem culpæ nigredinem à corde tollunt, & splendidum reddunt per gratiam, ardensque per charitatem.

5. Etas vniuersus mundus peccati originalis & aliorum quæ ex eo pullulant peste infectus. Solet autem aër corruptus & pestilens pluribus & ingentibus flammis purgari. Christus ergo qui ad hanc purgationem faciendam venerat, plurimas & inflammatissimas lampades ignis atque flammarum incendit, vt omnia peccata consumeret, cum has autem lampades, id est hæc mysteria per fidem & meditationem singulis applicat, cuncta eorum vitia consumit, & quod mors & infernus agere dicuntur, lampades ignis & flammæ istæ celeriter perficiũt, iuxta illud quod citauimus ex Isaia: *Si ablueris Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij, & spiritu ardoris*: Id est, vehementis dilectionis quo illa aduruntur & consumuntur: propter quod Ioannes dixit Christum baptizaturum *in Spiritu sancto & igne*, & Deus ipse ignis consumens vocatur?

B Nec incongrue etiam hæc verba Eucharistiæ applicari possunt, cuius duæ partes sunt duæ lampades, ignis atque flammarum Dei, duæ alæ, duæque sagittæ ignis sunt ad celeriter transfigenda corda, ad illuminanda & in Dei amorem inflammanda. Sicenim iuxta Salomonis sententiam, cibus & potus inimico esurienti & sitienti libenter tributus sunt prunæ & carbones ignis super caput eius congesti, qui eum ad amorem accendunt, & ex inimico amicum faciunt, quanto magis diuinus iste cibus & potus corporis & sanguinis Domini, prunæ & carbones ignis erunt ad vehementer fidelium corda in Dei amorem inflammãda? Vnde & à D. Damasceno Eucharistia carbo ignitus vocatur, & calculus ille à Seraphino de altari forcipe sublatus ad mundãda Isaiæ labia, de quo plura supra dicta sunt: quam etiam comparauimus ferculo Salomonis, in cuius medio ipse erat C accensus & combustus propter filias Ierusalem vt suo loco explicuimus.

Tandem lampades istæ cetera Dei beneficia cõprehendunt, siue quæ sunt omnibus communia, siue quę singulis in particulari sunt præstita, tam quæ ad ordinem naturæ spectant, quam quæ ad ordinem gratiæ: cum enim cuncta hęc ab immenso Dei amore procedant & amorem eius testẽtur, lampades sunt ignis atque flammarum quæ vehementer amorem incendunt. Vnaquæque enim res ad amorẽ sui excitat, vel per pulchritudinem, vel per beneficẽtiam: sic & Deus in se pulcherrimus, ob sua attributa, & beneficus valdè propter innumera, quæ nobis cõfert beneficia, quæ prunæ sunt ardorem amoris generantia: sicut enim ignis generat ignem, ita amor amorem, diuinus humanũ: mille ergo modis nobis sit Deus amabilis speciali amore, quia sapiens in se, & quia per sapientiã benefacit nobis, quia in se bonus, in se misericors, in se omnipotens, & quoniam cuncta hæc exerit erga nos, & participes nos suarum perfectionum efficit, vnde lampades ignis ipsius, lampades ignis efficiunt in nobis.

Ita fecisse insignem medicum Athenis refert Cælius Rhodiginus lib. 24. varia. lect. c. 22.

Isai. 4. v. 4.

Ad finem exhor. præcedentis.

Matth. 3. v. 11.

Deut. 4. v. 24.

6.

Eucharistia

Prou. 25. v. 11.

Ita D. August. serm. 168. de tempore.

Lib. 1. exhort. 15. §. 6

7.

Lib. 6. exhort. 33.

Ex D. Tho. 1. 2. q. 27. ar. 4.

1. Ioan. 4. v. 9.

Quomodo noster amor erga Deum debeat esse sicut lampades ignis. §. 3.

DEnique sententia ista nostri amoris erga Deum leges etiam præscribit: *Vt lampades eius sint lampades ignis atque flammarum.* Nonnulla de huius loci interpretatione diximus in libro primo, sed nunc alia plura superaddemus. Prima igitur lex diuini amoris est, vt ignis non tantum sit intra infernum absconditus, id est intus & in secreto animã torquens, sed etiã sit sicut lampades ignis

Lib. 1. exhort. 8 §. 3. & 4.

ignis atque flammarum, foras erumpens, & multis splendidis, & præclaris operibus se manifestans. Nam probatio veræ dilectionis (vt D. Gregorius ait) exhibitio est operis: *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, & quod vestimenta illius non ardeant?* Ignis enim amoris in corde absconditus, foras prodit in opus, & externa vestimenta charitate ardere facit. Vnde quod dixerat sponsus: *pone me vt signaculum super cor, & super brachium*; quod ad internos affectus, & ad opera externa retulimus, modo magis explicat per lampades ignis atque flammarum, vt lampades ignis sint affectus cordis, lampades flammarum externa charitatis opera, de quibus Paulus ait: *omnia vestra in charitate fiant.* Vnde quot sunt virtutes per charitatem quæ eis imperat operantes, vel quot fiunt in charitate, & ex charitate opera, tot sunt lampades flammigeræ quæ magnum emittunt splendorem, iuxta illud: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes opera vestra bona glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Propter quod iubemur lucernas ardentes in manibus tenere, id est, virtutes operibus coniungere. At sicut Salomon prius dixit, *fortis est vt mors dilectio*, deinde, *lampades eius lampades ignis*, ad significandum mortificationem quam facit charitas præcedere splendorem virtutum: sic Saluator prius inquit, *sint lumbi vestri præcincti*, deinde, *& lucernæ ardentes in manibus vestris*, vt sciremus mortificationem carnis, & ablationem terrenorum impedimentorum, quæ per constrictionem vestium circa lumbos denotatur, necessariam esse vt lucernæ ardentes virtutum suum emittant, & retineant splendorem & ardorem.

Hom. 3. in Euang. Prou. 6. v. 27.

1. Ad Cor. 16. v. 14.

Matth. 5. v. 16. Lucæ 12. v. 35.

2. Vnde alia est amoris proprietas vt instar ignis sit, qui ad superna tendit quasi terram relinquere cupiens, vt ad propriam ascendat sphæram quæ sursum est: sic amor per intentionem ac contemplationem terrena relinquit, & omnia opera ad Dei gloriam eleuat: quæ sursum sunt quærit, & sapit, vbi Christus eius dilectus est sedens ad dexteram Patris, conuersationem suam habens in cælis. *Vbi* enim *est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Thesaurus autem diligentis est res dilecta; & thesaurus charitatis est ipse Deus, super omnia ab ipsa dilectus, & ideo cor charitate inflammatum celeriter, sursum tendit vt se Deo vniat, & simul sit cum ipso dilecto.

Matth. 6. v. 21.

3. Et quoniam multa sunt quæ eum sursum ascendere impediunt, cuncta ignis iste comburit, & consumit, separans pretiosum à vili, purum argentum à scoria & stanno; vt nihil in corde verbis aut operibus inueniatur, quod non sit velut aurum purum & argentum purgatum terra, purgatum septuplum. Egregiè hoc confirmat quod inquit Dominus per Zachariam, *ero ei murus ignis per circuitum.* Murus autem igneus non solum defendit ab hostibus sicut lapideus, sed lædit, comburit & consumit accedentes ad illum. Diuinus ergo amor murus est igneus hostes suos in cinerem redigens, & omnia sordida consumens. Vnde amor diuinus ab omnibus terrenis expeditus, celeriter volat tum ad cælestia, tum ad implendum omnia diuina mandata. Et ideo Angeli & Seraphini atque mystica animalia in Scriptura pinguntur alata ob promptitudinem & celeritatem ad exequendum quæcumque Deus iubet illis. Et hoc ipsum est

Zachar. 2. v. 5.

Psal. 11. v. 7.

4. quod Lxx. versio innuit: *Alæ eius alæ ignis, atque flammæ.* Quod explicans D. Ambrosius fe-

Lib. de Isaac. c. 8.

re cuncta supra dicta complectens sic ait: Bona charitas habens alas ignis ardentis, quæ volitat per pectora, & corda Sanctorum, & exurit quidquid materiale & terrenum est, quidquid vero sincerum est probat; & quod contigerit suo igne meliorat. Hunc ignem in terras misit Dominus Iesus, & refulsit fides, accensa deuotio, illuminata est charitas, iustitia resplenduit. Hoc igne inflammauit corda Apostolorum suorum, sicut testatur Cleophas dicens: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum aperiret Scripturas?* Alæ igitur ignis in flamma, Scripturæ sunt diuinæ: aperiebat scripturas & ignis lucebat, atque audientium corda penetrabat. Et verè alæ ignis, quia eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum. Spiritus quoque sanctus descendit, & repleuit totam domum vbi erant plurimi sedentes, & visæ sunt dispersæ linguæ tamquam ignis. Bonæ alæ charitatis; veræ alæ quæ volitabant per ora Apostolorum; & alæ ignis quæ purgatum ser-monem loquebantur. His alis euolauit Enoch vsque ad cælum; his alis euolauit Elias curru igneo equis igneis ad superna transfatus. Has alas habuit Seraphim quando sumpsit carbones ignis de altari, & tetigit os Propheræ, & iniquitates eius abstulit, &c. Post alia adducta exempla concludit: Sumamus igitur has alas, quæ sicut flamma ad superiora dirigunt; exuat vnusquisque animam suam inuolucris sordidioribus, & quasi aurum igne approbet detersum luto. Sic Ambrosius. In cuius sententia illud nota, alas ignis esse sacras Scripturas, maximè noui Testamenti; & forte quatuor animalia quæ quatuor Euangelistas significabant quatuor habebant alas; id est, quatuor Euangelia quæ alæ sunt ignitæ tot habentes plumas igneas, quot sententias ad amorem inflammantes. Et qui eas vt par est meditatur, assumet pennas sicut columbæ, id est, pennas Spiritus sancti qui spiritus amoris est, vt per amorem ad cælestia tendat, & in ea se transformet.

C

Scripturæ alæ ignis.

5. Præterea dilectio nostra non vna lampas, sed plures esse debet, innumeras erumpens flammas, quia omnes actus in quos charitatis lex perpendit, promptissimè exerit, vt nihil propter Deum diligibile à sua dilectione excludat, non inimicos, non ingratos, non infideles, nec vllos Dei hostes quamdiu in exilio viuunt. Dum tamen omnes flammæ, *sint flammæ Dei*, id est, in Deum, & propter Deum, & ex amore Dei proueniant, cupiens omnes his ardere flammis. Generaliter vero nobis incumbit duas charitatis alas igneas assumere, quæ sunt duo eius actus, scilicet amor Dei & amor proximi, quibus volemus ad celeriter exequenda cætera legis præcepta quæ ab his duobus pendent, nimirum ad omnia quę Dei cultum & gloriam, cognitionem & dilectionem spectant, & cuncta etiam quę in proximorum cedunt vtilitatem, siue corporis, siue animæ, quoniam sanitas nostra in his duabus est pennis. In omnibus autem his insatiabilis esse debet ignis charitatis, vt numquam dicat sufficit; quatuor illis modis in metaphorade inferno iam explicatis. Ex quibus concluditur iustorum congregationem egregie assimilari septem lampadibus circumcingentibus lampadem magnam qui Christus est, à quo oleum, flam-

Ita Apponius.

Malach. 4. v. 2.

6.

Zach. 4. v. 2.

mam vim, & formam diligendi accipiunt. De A
quibus Ezechiel ait: *Similitudo animalium, & aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum.* Sancti (inquit D. Gregorius) dicuntur carbones ignis ardentes, quia iuxta se positos ad amorem Dei accendunt, lampades vero, quia etiam longè à se positis lucent, & ab eis ignorantiæ & culpæ tenebras pellunt.

§. 4.

Sed vltimum addamus Colophonem vsurpantes hæc verba per modum minæ. Quoniam in scriptura ignis etiam iram Dei & vindictam furoris eius significat. Ne ergo anima in Dei amore segnis sit, monet ipsam quod lampades æmulationis sunt lampades ignis, atque flammarum, quæ dum viri zelotypi cor vrunt, ad B
sæuam vindictam contra infidam sponsam accendunt. Cauta ergo debet esse anima Dei dilectrix, ne alium amatorem admittat, vel in sponsi sui amore tepescat, ne ira Dei exardescat contra illam. Nam vt Iob inquit adulterij supplicium referens; *Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Sed vt notat Rupertus, hoc etiam ad amorem Dei pertinet, quæ æmulationem & zelum parit lucentem & ardentem, illuminantem quidem amicos, ardentem vero & comburentem inimicos, quando Dei veritati & voluntati contradicunt. Quomodo Elias zelo Dei actus ignem fecit de cælo descendere, vt idololatras deuoraret. Etsi autem Apostolis idem petere volentibus, Christus Dominus prohibuerit, dicens: *nescitis cuius spiritus sitis*: tamen hoc est, quia lex Euangelica C
potissimè ad hoc tendit vt ignem amoris in terram mittat: aliquando vero iustis de causis in hæreticos & peccatores ignem vltionis exercet.

Iob.31.v.12.

3.Reg.18. v.12.

Lucæ 9. v.54.

8. Cauendum tamen est à peruerso amore sui, & ab iniusta æmulatione ex liuore proueniente, de qua D. Gregorius hunc locum intelligit, dicens æmulationem Iudæorum contra Christum Dominum assimilari lampadibus ignis, atque flammarum, quoniam dum hunc ignem in sinu suo portabant, ipsos adurebat & consumebat; & tunc flammas protulit quando per exempla in gentibus, in quibus accensus est, vsque ad Christianorum martyria, per mundum vniuersum excreuit. Sed de igne & Cant.1.v.5. æstu concupiscentiæ iam diximus circa illud: *quia decolorauit me sol.* Hoc autem nobis curandum est vt diuini amoris ignis ita in nobis ex- D
crescat, quod omnem amoris proprij ignem extinguat; & ita hunc ignem totis viribus, iugibusque abnegationibus extinguamus, vt alter vsque ad summum crescat; nam diminutio cupiditatis, vt inquit D. Augustinus, est augmentum charitatis; & perfectio eius nulla cupiditas: quam perfectionem præstare nobis dignetur ipse Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Lib.83. qq. q.36.

EXHORTATIO XI.

De mira potentia charitatis ad superandas omnes aquas, & flumina persecutionum & tribulationum huius vitæ.

In Euang. de octaua Apostolorum Petri & Pauli, vel cathedra sancti Petri, & in id, beati qui persecutionem patiuntur &c. Vers. 7.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.

PROSEQVITVR sponsus charitatis encomia; cum enim lampades eius dixerit esse sicut ignis atque flammarum, magnitudinem & fortitudinem eius exaggerat dicens: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Id est, adeo magnus & fortis est charitatis ignis, vt quamuis ignem corporeum extinguat aqua, tamen illum vtpote maiorem & fortiorem, nec multæ aquæ extingunt, nec flumina obruunt. Potest autem laus ista intelligi sicut & præcedentes, vel de Christi charitate erga nos, vel de nostra erga ipsum quando est perfecta, & similis illi ex eo quod ipse vt signaculum positum est super nostrum cor & brachium. De vtraque autem simul agemus studentes breuitati: & quamuis ad idem significandum communiter vsurpentur aquæ multæ & flumina, prius nonnullam inter ea distinctionem assignauimus.

Quid est charitatem extingui, vel obrui. §. 1.

Duplex modus quo deficit charitas.

AD cuius intelligentiam aduertendum est duplicem ex hoc loco deduci modum quo ignis charitatis deficere potest in anima, qui explicatur his verbis extingui & obrui. Extinctio fit quouis lethifero peccato, etsi cum delectatione, ac voluptate perpetretur. Cuiusmodi sunt gulæ, libidinis, & carnis peccata, ac alia eiusmodi. De quibus dicitur in libro Iob, quod abominabilis & inutilis homo bibit quasi aquam iniquitatem: aqua enim vocatur iniquitas quæ sine vlla vi, aut metu, sed libenter & sponte committitur ad satiandam concupiscentiarum sitim & amoris proprij ardorem, quomodo honesto vocabulo adolescenti coniugato ait Salomon: *bibe* Prou.5.v. *aquam decisternatuæ*: &, *aquæ furtiuæ dulciores sunt*; 15.&c.9. obrui autem charitas dicitur, cum vehementi vi v.17. aut metu, aut passionis impetu homo in peccatum pertrahitur, quo charitas foras pellitur, sicut in ijs qui metu persecutionum, vel à tribulationibus oppressi delinquunt. Iuxta hæc autem duplex etiam distingui potest tentationis modus, qui significetur per aquas multas, & per flumina, vt aquæ multæ vocentur carnis illecebræ & cætera delectabilia quibus ad peccandum pellicimur: præstante autem voluntate suum consensum charitas extinguitur, & ipse homo sponte extinguit eam, introducens in cor suum frigidissimam aquæ malitiam, quæ ardorem suffocat diuini amoris iuxta illud: *Quoniam abundauit iniquitas refrigescet charitas multorum.* Frigiditas autem iniquitatis quanta sit patet ex illo Ieremiæ: *Sicut frigidam facit cisterna aquam suam; sic frigidam fecit malitiam suam.* Flumina vero quæ

Iob.15.v.16

Matth. 14. v.12.

Ierem.6. v.16.

maiori

maiori fluunt impetu, persecutiones, tentationes ac tribulationes significant, quæ deforis veniunt ex rabie inimicorum, & vi aut metu ad peccandum impellunt; & domum euertunt quæ super arenam fundata est. Cæterum prævalere non possunt contra eam, quæ firmiter est fundata super solidam petram diuinæ dilectionis & charitatis bene radicatæ & perfectæ, de qua Paulus ait: *Christum habitare in cordibus vestris, in charitate radicati, & fundati.* De qua hic dicitur: *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Quia omnibus tentationibus cunctisque blanditiis, & minis; delitiis, vel tormentis superior est. Non cedit delitiis terrenis & carnalibus, quia potitur cælestibus & diuinis, quæ multo dulciores sunt: nec minis & suppliciis, quoniam illis potius delectatur, desiderans multa pati pro dilecto: nam eo magis charitas radicatur, quo vehementius vrgetur.

Matth.7. v.14.

Ad Ephes. 3.v.17.

Sed quoniam communiter Patres tam aquas multas quam flumina ad tribulationes & persecutiones referunt, in quarum victoria magis splendet inuictæ charitatis potentia, per hæc duo intelligere possumus, tribulationes minores, & maiores, vel internas quæ animam penetrant, & externas quæ vexant corpus; vel eas quæ de cælo cadunt sicut pluuiæ, & quæ de terra proueniunt sicut flumina. Vtræque enim domum euertere conantur, nullæ tamen earum nec omnes simul contra perfectam charitatem Christi erga nos, vel nostram erga Christum prævalere possunt: nam de vtrisque simul loquitur Apo- Ad Rom.8. stolus cum ait: *quis nos separabit à charitate Chri-* v.35. *sti?* id est, ab ea qua ipse nos diligit, vel qua nos diligimus illum. Nulla enim tribulatio vel persecutio efficere poterit quod vel ipse non diligat nos, vel quod nos ab ipso adiuti, non diligamus eum.

Charitatem Christi omnes superasse tribulationes. §. 2.

Psal.68.v.1.

1. INtuere primo charitatem Christi Domini quem aquæ multæ, & flumina, imo tribulationum maria intus & foris circumdederunt testante ipso cum ait: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Sed nunquid aquæ istæ extinxerunt vel obruerunt charitatem eius? minime; imo auxerũt valde. Non odit inimicos persequentes, non vlciscitur de crucifigentibus, sed potius in cruce pro eis orat, & eos excusat, ad se trahit blasphemantes, amicos facit, paradisumque promittit, & postquam tot, tamque immensæ aquæ intrauerunt in animam eius, sitim patiendi non satiarunt, sed adhuc moribundus dicit, *sitio*: quia acerbiores, & copiosiores aquas paratus erat bibere: quæ dum cor intrabant, velut guttulæ aquæ erant in fornacem ferrariam missæ, quæ ignem non extingunt, sed alunt, & suscitant, vt vehementius 2. ardeat. Vsque nunc autem etiam aquæ multæ non possunt extinguere charitatem Christi in Eucharistia existentis: nec enim innumeræ hæreses & blasphemiæ contra illum, nec innumerabilia scelera indigne communicantium, nec iniuriæ, conculcationes, & irrisiones ab infidelibus irrogatæ, obruere possunt hanc dilectionem; nec vllo modo efficere vt immobili-

A

B

C

D

ter in hoc Sacramento non perseueret vsque ad finem sæculi; hæc cuncta libenter patiens propter electos, quia dura est sicut infernus æmulatio.

Conferto igitur hanc similitudinem cum præ- 3. cedenti, *lampades eius lampades ignis*, & in lampade inuenies nonnullum symbolum huius encomij charitatis. In vas enim vitreum, quod lampadem vocamus, aqua fere plenum proijcitur oleum; quod licet primo impetu ad ima descendat, mox ascendit sursum super aquam, & ignis flammam nutrit. Oleum autem symbolum est charitatis; nam sicut oleum super aquam eminet, ita charitas ipsis tribulationibus est superior. Videtur quidem ad tempus deprimi, sed dum deprimitur, fortius eleuatur, suosque actus amoris Dei & proximi tamquam ardentes flammas nutrit. Christus ergo qui oleum effusum Cant.1.v.3. est vt supra diximus, super omnium tribulationum aquas ascendit, quæ nec illum detinere, vel obruere potuerunt, nec vllo modo impedire, quin feruentes sui amoris flammas in Patrem, & in proximos emitteret. Erant aliquando Apostoli in nauicula, *quæ in medio maris iactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus*, & ta- Matth.14. v.24. men Christus Dominus qui in terra remanserat, venit ad eos ambulans super tempestuosum mare. Et quid hoc præsagiebat, nisi immensam eius virtutem quæ à tempestatibus tribulationum & persecutionum quas impiorum cor tamquam mare feruens contra ipsum excitauit, obrui non potuit, sed super ipsas illæsus ambulauit, ac si graderetur per aridam. Olim vt filij Israël ab Ægypto fugientes Pharaonis persecutionem, Exod.14. euaderent, diuisum est mare in duas partes, vt v.21. non super aquas, sed inter aquas super terram Iosue 3. siccam graderentur. Similiter vt Arca fœderis v.13. cum Israëlitico populo in terram Promissionis ingrederetur, Iordanis diuisus est iter illis per aridam humum præbens: vmbra enim non ad eam sublimitatem ascendere debuit ad quam veritas ipsa, qui Christus est, & eius Ecclesia. Sublimius autem quid est, super aquas ambulare quam aquas diuidi, vt per medium earum progrediatur. Hoc ad eos spectat qui per huius sæculi tribulationes gradiuntur diuina illos protegente gratia ne eos tangant, & perimant, sed potius instar muri eis sint, quo ex Dei timore ab hostium insidiis se tueantur. Illud autem eorum est, quos tribulationes vexant quidem, sed superiores illis sunt, super eas ambulant ac conculcant, & per illas in sublimiorem euehuntur sanctitatem. Gloriantur enim de illis, & omne gaudium existimant eis concuti, quoniam dum eos concutiunt, altius subleuant, sicut aquæ diluuij subleuauerunt in sublime Arcam quæ fi- Genes. 7. gura Ecclesiæ erat. v.17.

Charitatem per Christum nullis obrui persecutionibus. §. 3.

HOc igitur efficit Christus Dominus in Ec- 1. clesia quam fundauit, cui tam ingentem contulit charitatem, vt aquæ multæ & flumina tribulationum irruentia non solum non eam obruerent, sed potius in altum eleuarent, vt charitas natare t super aquas multas, & ad cælum vsque perueniret. Ante Spiritus sancti aduentum Petrus charitatem quidem habebat, sed imperfectam: cœpit virtute Christi ambulare

super aquas, sed videns ventum validum timuit, A dubitauit, & mergi cœpit, mergereturque nisi Christus apprehenderet manum eius increpans
Matth.14. v.30. modicam eius fidem. *Modicæ fidei* (ait) *quare dubitasti?* Indicabat autem hoc timorem eius humanum, quo in nocte Passionis ad vocem ancillæ Christum negaturus erat, & aquę multæ tribulationum charitatem eius extinxerunt, & obruerunt, imperfecta enim adhuc erat. At per aduentum Spiritus sancti repletus est perfectissima charitate, quæ foras misit omnem seruilem & humanum timorem, & confirmatus à Christo per Spiritus sancti plenitudinem cœpit super innumeras aquas persecutionum incolumis
Matth.16. v.18. ambulare, ita vt portæ inferi prævalere non potuerint aduersus hanc petram super quam Saluator suam fundauit Ecclesiam.

2. In Apocalypsi legimus mulieri, quæ Ecclesiam B
Apoc.12. v.14. Christi repræsentabat datas fuisse duas alas aquilæ magnæ vt volaret in desertum in locum suum, ibique aleretur à facie serpentis, *qui misit ex ore suo aquam tamquam flumen post mulierem, vt eam faceret trahi à flumine.* Et quidem cum mulier ista amicta esset sole qui igneos radios exufflat, quis non dicet alas illi datas igneas fuisse vt de ea dicamus, *alæ eius alæ ignis, atque flammæ?* maximè cum hæ duæ alæ aquilæ magnæ duos affectus repræsentent, amoris Dei & amoris proximi quibus volat
Ita Primasius, Richardus, Haymo, Ribera & alii. ad præparatum sibi à Deo locum, in eo pascatur tum cibo diuinæ contemplationis, tum vero cibo obedientiæ circa lucrandas animas quo
Ioan.4. v.34. vescebatur & ipse Dominus cum dixit: *cibus meus est vt faciam voluntatem eius qui misit me & perficiam opus eius.* Alitur autem à facie serpentis tuta & protecta; nam velit nolit serpens Diabolus, suo vescetur cibo: nec enim fugit tam- C
De hoc in exhort.10. verbum. quam timida, & ideo non sunt datæ ei alæ timidæ columbæ, sed aquilæ magnæ & fortis; quoniam fugit vt fortis ad melius exequendum Dei voluntatem eo loco & tempore quo ipsi magis placet.

3. At draco ex ore suo pestifero veneno infecto venenatam aquam & copiosam admodum fluminis emisit post mulierem, plurimis & grauissimis eam vexans tribulationibus, & persecutionibus vt eam perturbaret, extingueret, obrueret, & penitus si posset, exterminaret. At flumina ista ersi corpora tangant, imo multoties perimant, ad animam tamen non perueniunt, charitatem non
1.Cor.13. v.8. extinguunt, nam Ecclesiæ *charitas numquam excidit*, sed inuicta perseuerat. Et, *in patientia vestra*
Lucæ 21. v.19. (ait Christus) *possidebitis animas vestras.* En quomodo persecutio non perdit animam, sed potius D
1.Cor.13. v.4. facit eam per patientiam possidere: patientia autem ex charitate procedit: nam, *charitas patiens est.* Per charitatem ergo possidemus animam, & anima charitatem habens possidet seipsam, sed in
Prou 16. v.32. Deo, & ad Deum. Propter quod Salomon ait: *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium.* Nam fortis circa corporalia, multoties possidetur ab alio, à quo vincitur, nimirum à vitiis & concupiscentiis suis: nam, *qui*
Ioan.8. v.34. *facit peccatum, seruus est peccati.* At qui patiens est à nullo alio possidetur, sed dum suas vincit concupiscentias, & ipsas amat tribulationes quas patitur, se possidet, & omnibus rebus creatis superior
2.Cor.12. v.10. est. Ideoque Apostolus dixit: *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor tunc potens sum.* Id est, tunc meam in Christo potentiam manifesto, & illam ampliorem possideo.

Potest ergo draco aquas instar fluminis mittere post mulierem vt illam faciat à flumine trahi, sed non trahet, quia Deo fixa manet cui innititur, & ad quem confugit; oratione sua auxilium imperrat vt flumen euanescat, ne ipsam lædat, & hoc est quod D. Ioannes ait: *Adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen*
Apoc.12. v.15. *quod misit draco de ore suo.* Diuina enim prouidentia ita cuncta disponit, vt persecutionem quam vnus homo excitat, alter multoties dissipet, vt Ecclesia respiret. Sicut persecutionem Neronis impediuit permittens quod à Romanis occideretur: & persecutionem Antichristi cum terra absorbebit illum. Denique omnes creaturæ seruiunt Deo, & seruis ipsius, atque diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, & ipsæ
Marci 10. v.30. etiam tribulationes in eorum cedunt incrementum, vt cum illis præmium recipiant centuplum.

Charitatem omne tribulationum genus superare, & ad cælum vsque per meritum euehere.

§. 4.

SEd varios persecutionum modos phrasis ista 2.
insinuat. Nam aquæ multæ videntur significare plurimas tribulationes, quę simul occurrunt, sicut illæ quibus operante satana, Iob vexatus
Iob 1. est: Flumina vero illa quæ longa successione, & decursu, Ecclesiam & animam vexant. Neutræ tamen perfectam charitatem extinguent, vel obruent, quia nec à multitudine deijcitur, nec à longitudine vincitur; sed ad omnia quouis modo, quauis duratione perferenda parata est. Sed id peculiariter obseruandum, tribulationes huius vitæ, & flumen vocari, & etiam torrentem, ad denotandum eius rapidissimum impetum, sicut in Psalmo legitur: *Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuissset nos. Torrentem pertransiuit*
Psal.123. v.3. *anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* Cæterum hoc interest inter vtrumque, quod flumen quia aquam habet à fonte manantem, iuge est & perpetuum, & ideo perpetuitatem quamdam tribulationis vsque ad finem sæculi, vel vsque ad finem vitæ designat. At torrens, vt notat D. Hieronymus, etsi multum intumescat, quia tamen aquas habet collectitias de tempestatibus & pluuiis & procellis, & non ex proprio fonte manantes, cito deficere solet, & siccari, & ideo ex hac parte melius significat huius vitæ tribulationes, quę celeriter transeunt, vel cum in vita ex variis causis deficiunt, vel quia ipsa vita cito etiam finitur. Quare passionem Christi quæ triduo cõsummata est torrentem vocauit Psalmista cum ait; *de torrente in via bibit,*
Psal.109. *propterea exaltabit caput.* Vbi D. Hieronymus sic v.7.
ait: audientes torrentes huius sæculi, nolite de- "
sperare. Frequenter hic torrens deficit: videtur "
quidem tumescere, videtur habere aquas multas, "
sed cito deficit, si sustineas: & Elias quidem bibit "
in deserto aquam eo tempore quo erat in tristitia "
3.Reg. & angustia, quia persequebatur eum Iezabel: ve- "
17.v.7. rum quia perseuerauit vsque in finem, propterea "
defecit ei aqua torrẽtis, & ideo dixit ei Dominus: "
vade ad viduam in Sarepta Sydoniorum, &c. Christus
Ioan.18. v.1. ergo Dominus qui ad passionem egressus est trans torrentem Cedron, id est tenebrarum, de torrente bibisse dicitur calicẽ amarissimæ passionis quam pertulit

pertulit pro nobis, sed bibit in via, id est, in hac peregrinatione tendens in propriam domum & patriam, vt sciamus & nos de eodem torrente in via A
nostra bibituros vt perueniamus ad cælum. Erit autem via breuis, citoque finietur torrens noster iuxta illud D. Petri, *modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, &c.* Torrens autem voluptatis quo potabimur in cælo sempiternus erit.

Siue ergo torrentes sint cito transeuntes, siue flumina diu fluentia etiam vsque ad consummationem sæculi, non extinguent nec obruent charitatem Christi. Quare non sine mysterio in correctis Bibliis legitur non de futuro, poterunt, sed de præterito: *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Deinde vero de futuro subiungitur: *nec flumina obruent illam*, vt ex præteritis colligamus futura. Sicut enim innumeræ persecutiones
B quæ hactenus vexauerunt Ecclesiam à tempore Apostolorum vsque modo, non extinxerunt fidem & charitatem illius, sic nec flumina earum quæ deinceps fluent vsque ad persecutiones Antichristi, & vsque ad finem mundi, non obruent illam, sed super omnes stabit, & omnibus hostibus suis euadet superior. Eadem igitur spe te ipsum munire debes sicut se muniebat Apostolus suas referẽs ingentes tribulationes, fiduciam suam non in se sed in Deo collocans, qui (inquit) *De*
2.Cor.1. v.10. *tantis periculis nos eripuit, & eruit, in quem speramus quoniam & adhuc eripiet.*

2. Promissionem ergo in ijs sponsi verbis agnosce, si non tibi, sed illi fidas, quod etsi multæ aquæ vel flumina persecutionum & tribulationum in tuam irruant domum, non illam euertent, nec tuam extinguent vel obruent charitatem, quo-
1.Ioan.4. v.16.& 4. niam: *Deus charitas est, & qui manet in charitate in* C
Deo manet & Deus in eo. Deus autem omnipotens est vt tueatur charitatem, quam ipse infundit, vel seipsum in anima seruet ne ab hostibus inde propellatur. Quamobrem D. Ioannes de persecutione eorum qui Antichristi dicuntur & diaboli loquens ait: *Vos ex Deo estis filioli, & vicistis eum, quoniam maior est qui in vobis est, quam qui in mundo.*
1.ad Thessal.5.v.19. Vide ne tu ipse sponte hosti des manus, tu spiritũ noli extinguere; quia aquæ multæ te nolente illum extinguere non valebunt; signaculum quod super cor tuum posuisti firmiter tene, & ipsum aquas detinebit, ne cor penetrent, & charitatem suffocent.

3. Sed adhuc maior est vis charitatis quæ ita superemineat aquis multis vt eas quasi secum ad cælum vsque rapere videatur, dum eis virtutem regnum cælorum merendi impartitur. Scriptum
Matth.5. v.10. quippe est: *Beati qui persecutionem patiuntur propter* D
Ad Rom.8. v.18. *iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et
2.Cor.4. v.17. rursum: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Et: *Quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Sed vnde tanta virtus tribulationis? numquid à seipsa? minime, sed à charitate. Nam iterum idem Apostolus ait: *Si tradidero*
1.Cor.13. v.3. *corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.* A charitate ergo habet tribulatio quod prosit: charitas condignas facit passiones huius temporis ad futuram gloriã quam speramus. Charitas leue & momentaneum tribulationis eleuat vt sublime & æternum gloriæ pondus operetur in nobis. Imo maiorem merendi vim persecutionibus præbet, quam aliis bonis operibus, eo quod in illis magis suas vires exerit. Vt hic
Sap.16.v.17 liceat applicare quod Sapiens aliud intendens dixit: *Quod mirabile erat in aqua quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.* Mirabile profecto est in aquis tribulationum, quæ innumeros homines potentes & fortes extinguunt, cum charitate destituti sunt, ignem charitatis suam maximam vim ostendere, dũ eas ardere facit: & quæ ex se frigidæ erant igneæ redduntur per illam. Vt hic impletum videamus quod de aduentu Messiæ vaticinatur
Isai.64.v.2. Isaias dicens: *Aquæ arderent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis.* Aquæ ardent igni, cum mentes Gẽtium gelidæ & fluidæ quas in innumera vitia idololatriæ præcipitauerat frigus, Christi prædicatione ardent flagrãti charitate. Sed etiam aquæ ardent igni, cum tribulationes ignescunt igne illo quo Christus misit in terram, vt cor non liquefaciant, sed potius ad amorem accendant. In
B quo valde Dei nomen inimicis suis manifestatur. Nam sola eius omnipotentia hanc valet efficere transmutationem, vt aquas conuertat in ignem, persecutiones in amorem; vt tuum persecutorem diligas tamquam benefactorem: nam etsi nolens plurimum tibi benefacit dum persecutiones quibus charitas nutriatur & increscat, administrat.

4. Denique quantumuis homo præclaris virtutum operibus fulgeat, nihili fit ab ipsis dæmonibus quamdiu tribulationibus non exercetur; nec charitatis lampades multum splendescere putant, quando aquas multas & flumina tribulationum non superarunt. Quare cum sanctus Iob miris splenderet omnigenæ virtutis operibus, quæ ipse fuse narrat vt se consoletur, & ipsemet Deus de illo coram Sathan quasi glorians diceret: *Numquid*
Iob.29. & 31. *considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus ac timens Deum,* C
& recedens à malo? Ille tamen nihili illum fecisse videtur, nec dignum quem consideraret, & magnificaret quia cuncta ei prospera euenerant. *Sed*
Iob.1.v.8. *extende* (inquit) *paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet nisi in faciem benedixerit tibi.* Vt autem Sathan, imo etiam vniuersus orbis, ingentem Iobi charitatem agnosceret, permisit plurimis aquis & fluminibus ingentium tribulationum concuti; quæ non solum charitatem non obruerunt, sed reddiderunt splendidiorem. Nam adhuc maiores tribulationum aquas sitiebat; cum
Iob.6.v.8. dixit: *Quis det vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus? & qui cœpit ipse me conterat, soluat manum suam & succidat me, & hæc mihi sit consolatio vt affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti.* Quid hoc splendidius? quid gloriosius? quid fortius, & valentius? O fortissima sancti viri charitas, quam tam immensæ aquæ D
non extinxerunt, sed ardere fecerunt amplius, & vehementiores emittere flammas, quæ etiam gelida corda nostra modo calefaciant! vtinam ita ardeant vt omnibus ærumnis per dilectionem consumptis, vitam consequamur æternam. Amen.

EXHORTATIO XII.

Pro Euangelio de parabola thesauri absconditi vel pretiosæ margaritæ, vel ecce nos reliquimus omnia. Vers. 7. Lxx.

De stupendo modo quo Christus dedit omnem substantiam suam pro dilectione hominum; & nos debemus dare omnem substantiam nostram pro dilectione ipsius.

Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione quasi nihil despiciet eam.

Si dederit vir omnem vitam suam in charitate, contemptu contemnent eum.

VLTIMVM charitatis encomiũ continent hæc verba; sub eodem autem versu continentur cum præcedentibus; quoniam sponsus legem coniugij præscribere videtur, iuxta quam coniuges ita sibi seruare debent fidem & dilectionem, vt nullis minis, nullis promissis eam frangant. De minis & tormentis dixit: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, &c.* De promissis modo ait: *Si dederit homo omnem substantiam suam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Ac si dicat, tua charitas erga me ô sponsa, adeo firma & constans esse debet, vt non cedat minis, nec frangatur doloribus, nec vllo metu aut viin aduersum tendat, quia perfecta charitas foras mittit timorem, & omnem paruipendit violentiam. Rursus, etsi homines quamuis diuites & liberales offerant tibi ingentia munera, & omnes facultates suas vt tibi dilectionem eripiant, quasi nihil despicere debes omnia illa. Hic est prior huius sententiæ sensus: alter est de summo pretio quo habenda est dilectio; quodque exhibendum est pro ea acquirenda, qui tamen in idem recidit. Nam tantum dare oportet pro dilectione non amittenda, quantum pro acquirenda: sed possunt etiam verba ad ipsum sponsi amorem erga nos, sicut & reliqua præcedentia adaptari, vnde & de vtroque explicanda sunt.

De amore Dei & Christi erga nos tribuentis nobis omnem substantiam suam. §. 1.

1. INchoëmus ergo ab amore verbi diuini, quod pro nobis factus est homo: sed si amorẽ istum in sua origine consideres, perpende Deum ipsum pro dilectione dedisse nobis omnem substantiam domus suæ: *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Dans autem filium simul dedit diuinitatem quæ est tota substantia domus suæ, tota natura & essentia, & omnes diuitiæ quas in se habet: dans ergo filiũ omnia quæ habuit dedit. Nam: *qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Deinde Pater & Filius dant nobis Spiritum sanctum, cum quo etiã datur tota diuinitatis substantia, & dona ipsius: nam qui dat donorũ datorem, quid quod etiam dona ipsa largiatur? & tandem ipse Pater cum Filium dat, & Spiritum sanctum, sei ipsum etiam tribuit, quia cum illis simul in animas venit, & in eis mansionem facit. Valde igitur Deus commendat charitatem suam in nobis, cum omnem substantiam diuinitatis, tres personas, cuncta diuina attributa & consequenter thesauros qui in eius sapientia & omnipotentia continentur, largiter nobis tribuit, vt dilectionem erga ipsum in nobis generet, vt vere dicere possit sponsa Dei, *dilectus meus mihi & ego illi.* Ille tradidit mihi omnem substantiam domus suæ, ego vicissim meam tradam illi. Ille ait; *omnia mea tua sunt*; ego dicam, omnia mea tua erunt.

Cant. 2. v. 16. Lucæ 15. v. 31.

Sed iam ad Christum conuertamus sermonem qui se hic homihem vocat, *si dederit homo omnem substantiam domus suæ.* Et quæ est huius hominis substantia, nisi quam à nobis sumpsit, & ei quam ab æterno habuit in vnitate eiusdem personæ coniunxit? nimirum corpus & animam, & quidquid in illis latet, vel ad illa pertinere potuit: vnde ad hanc substantiam pertinet gloria corporis, quæ illi debebatur, cui renuntiauit vt corpus mortale ad sacrificium aptum acciperet: omnes etiã diuitiæ, honores & dignitates temporales, quas contempsit vt vitam ageret pauperem, & humilem, ita paupertatem colens, vt in cruce moriens etiam propria abijceret vestimenta. Hic igitur cælestis sponsus vt sub arbore malo crucis sponsam ad dilectionem susciteret, omnem substantiam domus suæ dedit, tradens corpus in mortem, totum suum profundens sanguinem qui nostræ esset redemptionis pretium: dedit itaque cuncta hæc tum pro dilectione Patris seruanda iuxta illud: *Vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio: surgite, eamus hinc*, scilicet ad moriendum iuxta eius voluntatem; tum vero pro dilectione introducenda in gelida hominum corda, cum viderent tanti se habitos & dilectos à Christo quod omnem humanam & diuinam contulerit illis substantiam.

2.

Ioan. 14. v. 31.

Hic enim est homo ille, qui inuenit thesaurum absconditum in agro, quẽ abscondit, & præ gaudio illius vendidit vniuersa quæ habebat, & emit agrum illum. Christus enim solus inter homines & Angelos inuenit, id est agnouit thesaurum innumerabilium electorum, qui absconditus erat in hoc mundo inter alios homines. Cum enim nullis signis externis prædestinati ad gloriam, à non prædestinatis secernantur, omnibus sunt quasi abscõditi. Imo ipse Christus abscondit eos, dum easdem fere miserias pati finit, quas non electos etiam pati videmus. Lætatus autem est valde cum primum hunc thesaurum agnouit. Ideoque omnia sua bona in cruce distraxit, vt agrum sibi emeret, id est, vt pretio sanguinis sui sufficientissime sibi totũ mundum acquireret, & redimeret; & hoc pretium efficaciter electis & dilectis applicaret. Empti enim omnes sumus pretio magno; non corruptibilibus auro, vel argento, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati: vt hoc pretio nobis compararet gratiam & charitatem, qua filij Dei à filiis diaboli secernuntur, & ius vitæ æternæ conceditur. Idem etiam Saluator est homo ille negociator, qui in mundum venit quærere bonas animarum margaritas, ex quibus suam ornaret Ecclesiam: inuenta autem vna pretiosa margarita, scilicet electorum collectione, quæ in oculis eius pretiosa est, quia vnionem charitatis est amplexa; *vendidit omnia quæ habuit, & emit eam*, quoniam vitam, labores, sanguinem, & cuncta sua pro ea comparanda liberaliter dedit.

Matth. 13. v. 44. Prior sensus parabolæ.

1. Cor. 6. v. 20. 1. Petr. 1. v. 18. Matth. 13. v. 45.

3. Eucharistia

Sed ne putes hoc tantum semel feciſſe Dominum; ecce quotidie renouat illud in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, vbi omnis Christi substantia

substantia continetur, & tamen ingenue quotidie pro dilectione tribuit nobis illam, vt sui dilectionem in nobis generet, augeat, & perficiat. Per cætera sacramenta tantum largitur Christus diuitias suas, nimirum gratiam & charitatem creatam quæ accidentia sunt. At per hoc vlterius tribuit omnem suam substantiam carnis & sanguinis, animæ & diuinitati vnitam, vt hanc gratiam efficiat & ipse in nobis nouo modo vnitus perseueret. Vnde ipse est primus qui hunc thesaurum absconditum in agro inuenit, id est, suam diuinitatem in carne absconditam, & vtramque in accidentibus panis latitantem. Sola enim eius infinita sapientia hoc arcanum inuenire, & efficere potuit, nobis autem reuelauit vt vtrumque simul compararemus. Nam vt inquit Paschasius Abbas, non recte caro sine diuinitate sumitur, nec diuinitas sine carne præstatur. Nec ager, corpus videlicet Christi, sine thesauro, id est, diuinitate, nec thesaurus diuinitatis sine agro carnis comparatur.

Lib. de Sacramento Corporis Christi. c. 17

4. Sed id magis in his donationibus stupendum quod largiens omnem substantiam suam; *quasi nihil despiciet eam.* Nunc Christus despicit substantiam suam, quæ infinitæ dignitatis est & valoris immensi? absit, sed quasi nihili despicere dicitur, quia ita prompte, hilariter, & faciliter dat, ac si nihil dedisset. Immensus enim amor, etsi immensa impertiatur dona, ita libenter tribuit, ac si minima dedisset. Etsi autem det omnem victum, vestitum, honorem, ac temporalem ipsam vitam quasi nihil hæc omnia despicit, vt dilecto benefaciat; etsi innumeros etiam & grauissimos mortis patiatur dolores, & cruciatus, quasi nihil contemnit eos vt dilectum suum ab omnibus eruat malis. In hoc ergo commendauit Christus Dominus charitatem suam erga nos, quod hæc omnia tanquam nihil despexit vt nos redimeret à morte & vitam tribueret gratiæ & gloriæ.

5. Sed adhuc amplius charitatem hanc commendat effectus alius inde secutus, qui ipsum Christum haud latere potuit. Exprimit autem hunc Septua. versio quæ dicit: *Si dederit vir omnem vitam suam in charitate, despectione despicient eum.* Ex eo enim quod Christus Dominus vitam suam ita composuit prout ad charitatem hanc excitandam oportebat, & eam tandem in cruce prodegit, summa despectione despectus est à Iudæis, & à gentibus. Illis enim scandalum fuit, his vero stultitia visus est, & vsque hodie à multis despicitur, velut Noe; quia vino amoris vineæ quam plantauit, inebriatus, omnibus expoliatus & nudus iacuit in cruce; propter quod à Cham, & Chanaam, id est à Iudæis, & gentibus incredulis irridetur. Et in sacramento Eucharistiæ etiam contemnitur, & conculcatur, *estque adhuc lampas contempta apud cogitationes diuitum*, superborum & sapientium huius seculi. Has tamen despectiones Christus Dominus præuidit, & pro dilectione acceptauit. Nam *proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta*, id est contemnens confusionem & opprobrium quod ex ignominiosa mortis cruce illi proueniebat. Quid ergo cœlestis sponsus potuit facere pro dilectione & non fecit? fecit quidem quantum potuit, & decebat, vt nos ad ipsius similitudinem quantum possumus efficere conemur.

Genes. 9. v. 20.

Iob. 12. v. 6.

Ad Heb. 12. v. 2.

De modo dandi omnem substantiam nostram pro dilectione Christi. §. 2.

EADEM autem verba præscribunt quod nobis faciendum est, sed cur ait: *Si dederit homo omnẽ substantiam, &c.* & non potius imperando inquit det homo? sicut dixerat, *pone me vt signaculum super cor tuum?* forte quia tantum hic intendit immensum charitatis valorem ostendere, qui excedit omnia quæcumque potest homo in pretium exhibere pro ea, sed quia quædam tantum præstare tenetur ex præcepto, alia vero ex consilio, ideo ait: Si homo dederit omnia ista, quasi nihil despiciet ea, quia respectu dilectionis quasi nihil sunt computanda.

Quatuor ergo nobis hic commendantur. Primũ vt homo promptus sit, & paratus pro dilectione acquirenda vel conseruanda dare omnem substantiam domus suæ, id est omnes facultates suas etiam quæ ad victum & vestitum sunt necessariæ, & insuper salutem & vitam, ac proprium corpus quod velut domus est animæ, & omnia quæ quomodocumque ad ipsum pertinent. Charitas enim quæ Deum secum affert, & quæ Deus est, neque vnquã separatur, in infinitum illa superat. Quare etsi Deus omnia hæc actu relinquere non præcipiat, tamẽ paratus debet esse homo ad ea relinquenda, cũ id oportuerit ne charitatem perdat, vel vt eam sibi acquirat, & ad hoc charitas ipsa omnes impellit fideles. Et quanto maior est charitas, tanto amplius omnem substantiam domus suæ pro ea tuenda vel augenda largitur, vt patet in variis fidelium gradibus. Nam iusti seculares multa ex misericordia relinquunt dum pauperibus eleemosinas largiuntur; virgines & continentes nuptias contemnunt, & cuncta delectabilia carnis quibus licite frui possent; religiosi penitus omnibus renunciant, ac etiã propriæ voluntati: martyres autem vitam & sanguinem profundunt ne fidem vel charitatem perdant.

Ad hunc igitur sensum quilibet iustus ad regnũ cœlorum quod est Ecclesia spectans, est sicut homo ille qui inuenit thesaurum absconditum in agro, *& præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum*, thesaurus iste sapientia est, & charitas ac Dei gratia, de qua dicit sapiens: *Infinitus thesaurus est hominibus; quo qui vsi sunt participes facti sunt amicitiæ Dei propter disciplinæ dona commendati.* Et iterum, *melior est sapientia cunctis pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari.* Hic autem thesaurus absconditus est in agro legis Euangelicæ, vel scripturæ sacræ, nec inuenitur nisi per Dei reuelationẽ seu illustrationem qui intus eum animæ manifestat, & desiderium imprimit possidendi illum, & tunc homo abscondit cum ab omnibus carnalibus & mundanis hominibus, qui eius inquisitionem & possessionem impedire possunt. Gaudens autem gaudio magno propter notitiam tanti thesauri sibi à Deo infusam, vendit omnia quæ habet; non partem tantum, quemadmodum Ananias & Saphira, qui venditi agri pretium defraudarunt, sed integre omnia tradunt, vt legem Euangelicam perfecte amplectantur, & thesaurum charitatis sibi arripiant: quia vt saluator ait, qui non *renunciat omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus.*

Matth. 13. v. 44. Posterior sensus parabolæ. Sap. 7. v. 14. Prou. 8. v. 11

Act. 5. v. 2.

Luc. 14. v. 33

Est etiam iustus vt homo ille negociator qui quærebat bonas margaritas, *inuenta autem vna pretiosa vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* In-

Tract. 5. in Epist. Ioan. to. 9.

ter omnes autem virtutum margaritas vna & pretiosa (inquit D. Augustinus) charitas est, sine qua nihil tibi prodest quodcumque habueris. Quam si solam habeas, sufficit tibi: & ideo merito pro illa omnia tua tribuere debes. Reliquæ virtutes Margaritæ bonæ, sola charitas vna & bona & pretiosa est, quia condignum habet valorem & pretium ad emendam vitam æternam, aliisque virtutibus hanc tribuit pretiositatem, cum illis coniungitur; qua carent si ab illa separentur: dicente Apostolo: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, quo sensu explicat Beda hæc verba Cantici: Si dederit homo omnem substantiam domus suæ in eleemosinas pro dilectione; id est loco dilectionis, putans se sine dilectione illa sufficere, iudex hominum Christus quasi nihil despiciet eam substantiam: quia in die iudicij nulla opera bona supplere poterunt charitatis absentiã, nec sine illa ius habent ad regnum cœlorum possidendum. Pretiosissima ergo omnium margaritarum est charitas, qua ita ornantur Dei sponsæ vt dilecto suo placeant; ita dignificantur vt regnum cœleste comparare possint; ita delitiis spiritualibus affluunt, vt alias carnales non concupiscant; ita diteſcunt vt omnia relinquentes in ea tamen omnia possideant, & locupletiores sunt dum omnia pro dilectione tribuunt nihil sibi reseruantes, quam si illa sine dilectione retinuissent.

1.Cor. 13.v. 3. Eodẽ modo etiam Philo Carpathius, & Iustus Orgelitanus.

2. Vnde prouenit aliud saluberrimum monitum ad superbiam & elationem animi comprimendam cum dicitur, *quasi nihil despiciet eam*, ac si dicat, non putet homo magnum aliquid se fecisse cum omnem substantiam domus suæ pro dilectione tribuit. Tam pretiosa enim est vt nihil se fecisse putare debeat, ac si nihil dedisset pro illa, & quasi gratis accepisset: *diuitias* (inquit sapiens) *nihil esse dixi in comparatione illius*; *nec comparaui illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius*. Comparamus quidem eam thesauro abscondito & pretiosæ margaritæ, eo quod ex visibilibus ad inuisibilia æstimanda manuducimur; at thesauri & margaritæ pro nihilo respectu ipsius computantur; *Et omnia* (inquit Apostolus) *detrimentum feci & arbitror vt stercora vt Christum lucrifaciam*. Per charitatem autem Christum lucrifacimus, nec maius lucrum inueniri potest quam lucrum charitatis, cum qua lucramur regnum cœlorum, & ipsummet regem regum, qui in diligentis transit possessionem. Merito ergo religiosi omnibus renunciant; merito martyres sanguinem profundunt; merito mille mundos & mille vitas pro charitate offerre deberemus; quia nihil hæc sunt comparatione illius. Quis sapientior rerum æstimator quam ille in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei? ille autem vt iam vidimus, omnia pro dilectione dedit, illam omnibus præposuit, exemplum nobis præbens vt similiter & nos faciamus. *In hoc enim cognouimus charitatem Dei* (inquit Ioannes) *quoniam ipse animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*. Magnificentes scilicet charitatem sicut ipse magnificè eam.

Sap.7.v.8. Ad Phil. 3. v.8. 1.Ioan.3. v.16.

3. Tandem suprema, sed vera huius sententiæ amplificatio est vsurpando dilectionem pro dilectione increata, qui est ipsemet sponsus. Ac si diceret, si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro me ipso habendo & possidendo. Ego enim sum dilectio & charitas ipsa qui solus propter me super omnia sum amandus, & omnis sum dilectionis fons, qui amicis meis me ipsum gratis tribuo. Iuxta illud Christi Domini ad Patrem suum. *Vt dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, & ego in ipsis*. Ego sum thesaurus infinitus absconditus in agro carnis humanæ: ego vna pretiosa margarita in concha humanitatis contenta: pro me emendo omnia sunt vendenda, & relinquenda; & postquam omnia tradita sint, quasi pro nihilo sunt computanda, quia omnis substantia domus sine me subsistere nequit; & ego libentius habito in domo omnino nuda, & omni sua substantia expoliata, quia ego solus ornamentum sum domus, nec alio quam me ipso ornari indiget. Nec tamen hæc expositio præcedentes excludit, sed perficit, quoniam Christus qui dilectio & charitas increata est, & omnem substantiam temporalem domus pro se dandam exigit, secum affert aliam substantiam & supellectilem spiritalem, qua nudatam domum ornat, videlicet charitatem creatam, & reliquas supernaturales virtutes, quæ sunt velut lapides pretiosi & bonæ margaritæ ornantes animam, in qua vna pretiosa margarita Christus collocandus est. Per omnium ergo rerum denudationem, per omniumque virtutum studiosos actus nos efficere dignos conemur, in quibus increata hæc dilectio resideat, in qua omnia bona continentur. Gemma (inquit D. Ambrosius) sicut scitis, nisi auro non conuenit, margarita nisi pretiosis monilibus non aptatur. Estote ergo aurum optimum, estote monile pretiosum, vt possit in vobis margarita spiritalis includi. Margarita enim Christus est Dominus, quam negociator ille diues in Euangelio venditis omnibus rebus suis emere festinauit, & maluit omnes quas habebat seculi gemmas amittere, tantum vt vnam Christi emeret margaritam. Sic ille.

Ioan. 17. v.26.

« Serm. 6. « tom. 3.

De charitate vincente opprobria hominum, cui conformanda est vita. §. 3.

SED iam aliud insigne in quo charitas commendatur, perpendamus ex versione Sept. *Si dederit vir omnem vitam suam in charitate, contemptu contemnent eum*: Quibus verbis sponsus monet dilectos suos qui omnem suam vitam in charitate, & iuxta charitatis formam componunt, vt non expectent præmium, remunerationem, & laudem ab hominibus, sed potius irrisionem, opprobrium & contemptum, sicut ipse in hac vita irrisus, exprobratus, & contemptus fuit: eo quod infideles quæcumque ignorant blasphemant; mundi vero dilectores omnia relinquere, vitam periculo exponere, & alia huiusmodi stultum putant. Diabolus etiam eos instigat vt iustos despiciant, sicut instigauit amicos Iob vt illum aspernarentur. Quoties (inquit D. Ambrosius) benefacta crimini dantur? quoties virtus opprobrio ducitur? quoties ipsa ingrata est gratia? vendidit iustus facultates suas, dispensauit pauperibus, nihil sibi reliquit, contemnitur plerumque in Ecclesia, quia diues esse desiuit: sicut scriptum est, *Si dederit vir omnes facultates suas in charitate, contemptu contemptus erit*. Non ergo moueatur; non enim mercedem huius seculi nec gratiam, sed vitæ quæsiuit æternæ. Nõ indignetur, quia homines pecuniis, magis quam operibus bonis deferunt. Nam si ei pro-

« Serm. 21. « in Ps. 118. « v. 5.

» pter bonum opus in hoc seculo deferatur, & huius A
» studij fructum hic adipiscatur, dicetur de eo, *rece-*
Math. 6. v.16. » *pit mercedem suam*, seruia futuris mercedem tuam,
» & istius seculi opprobria incrementa mercedis tuæ
» iudica. Sic ille sequens versionem Sept. quæ consentanea est ei quod antea (vt supra citauimus) testatus est Iob dicens: *Deridetur iusti simplicitas lampas contempta apud cogitationes diuitum*. Quoniam cum iustus velut lampas accensa sanctorum operum splendoribus coram Deo fulgeat, diuites tamen huius mundi derident & contemnunt eum in cogitationibus suis, iudicantes illum vecordem & insanum, quomodo amici eiusdem Iob eum amẽtem putarunt, & sodales Iehu insanum vocarunt Prophetam Domini, passimque ineptum vulgus Prophetas qui spiritu Dei agebantur, insanire dicebat. Hoc autem iudicium habent diuites, quia apud ipsos nihil est splendidum nisi aurum & argentum, atque honores quos ambiunt, & hæc sunt eorum lampades accensæ, dicente Salomone *lucerna impiorum peccatum*, sed patienter hoc ferat iustus, lampas enim ista *parata est ad tempus statutum* à Deo vt eius splendor conspicuus sit vniuerso mundo. Sicut scriptum est de iustis: *In tempore* (scilicet statuto) *erit respectus illorum. Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, iudicabunt nationes & dominabuntur in populis*.

Iob.12.v.4. 4 Reg. 9. v. 11. Prou.21.v.4 Sap.3.v.7.

Si Euangelicam igitur appetis perfectionem, hanc despectionem libenter amplectere. Nam qui propter illam non deserit charitatem, sed potius auget, & maioribus virtutis operibus cumulat, hic perfectus est vir. Sicut idem Apostolus qui dicebat: *Maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur & sustinemus: blasphemamur & obsecramus; tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema vsque adhuc*.

2.Cor. 4. v. 13.

2. Sed adhuc subtilius consideremus hanc sententiam amplificationem esse præcedentis. Magnum quidem est aquas multas non extinguere charitatem. Sed aquæ istæ tribulationum ex variis fontibus oriuntur. Aliquãdo enim infliguntur propter peccata præterita: aliquando ex odio inimicorum vel liuore falsorum fratrum; sed tunc sæuissimæ putantur persecutiones cum propterea eueniunt, quæ digna erant laude, & præmio, quales fuerunt persecutiones Christi Domini, & martyrum, & quæ dicuntur propter iustitiam de quo fusius egimus supra circa illud, *nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem*. Summa igitur charitatis perfectio est velle omnia relinquere propter charitatem, & secundum regulas charitatis viuere, & tamen nolle propter hoc laudari, & magnifieri, sed potius contemni & vilipendi. Et quia paupertas voluntaria solet esse apud fideles honorata, auertit D. Bonauentura Christum Dominum, cum diues esse posset, ita pro nobis inopem factum esse vt eius inopia non spontanea ab hominibus haberetur, sed despecta tanquam necessaria, quia fabri filius ex parentibus pauperibus ortus. Audiant hoc religiosi qui omnia pro dilectione libenter tribuunt, & tamen inde honorari appetunt, & opprobria paupertatis formidant, cum tamen iuxta cœlestis sponsi & magistri monitum parati esse deberent vt homines, quia reliquerunt omnia, contemptu contemnant eos, id est valde contemnant. Per hunc enim contemptum completur paupertas spiritus, quæ omni superbiæ vento & inflatione caret; & charitas ipsa illustrior redditur. Propter quod obseruandus valde nobis est Canon ille Ecclesiastici, qui hanc confirmat sententiam dicens: *Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, & in labore sustine, & in humilitate tua patientiam habe. Quoniam in igne probatur aurum, & argentum; homines vero receptibiles in camino humiliationis*. A quo instar auri & argenti splendidiores prodeunt & pulchriores.

Lib.2. exh. 22.& 23. In meditationibus vitæ Christi c.4.

Eccl.2.v.4.

Tandem vt vltimam charitatis excellẽtiam propalemus, perpendamus verba illa, *Si dederit vir omnem vitam suam in charitate*. Non sine mysterio vocatur vir seu homo, cuius nominis hactenus in hoc Cantico nulla facta mentio fuerat, forte ad significandum necessarium esse plus quam fœmineum animum, nempe virilem, fortem, & robustum vt quis det omnem vitam suam in charitate. Quod non est aliud quam omne studium, omnem cogitationem, omnem affectum, & actum iugiter per omnem vitam vsque ad mortem versari in exercitio charitatis, vt quidquid cogites, quidquid velis, quidquid agas sit diligere, vel ex dilectione & propter dilectionem; sicut dicebat D. Augustinus, dilige, & fac quoduis, siue taceas, dilectione taceas; siue clames dilectione clames; quidquid agis, dilectione age. Quod meliusD. Paulus docuit dicens: *Omnia vestra in charitate fiant*. Non tantũ in charitate quæ habitu retinetur, sed quæ actu exercetur, vt omnia exactu charitatis, vel cum actu charitatis, vel ad feruentiorem actum charitatis habendum prodeant, fiant, destinentur, vt sicut *iustus ex fide viuit*, sicut Abacuch dicit, & Apostolus sæpius repetit, quia fides radix prima est vitæ spiritualis: ita iustus & perfectus ex charitate viuat, & viuere eius sit diligere; nec quomodocumq; diligere, sed ex toto corde, ex tota anima, & mente, & ex omnibus viribus amore puro, vehementi, continuo, insatiabili, & constanti vsq; ad mortem. Nam charitas (inquit idem Augustinus) cum fuerit nata nutritur, cum fuerit nutrita roboratur, cum fuerit roborata perficitur, cum ad perfectionem venerit quid dicit? *mihi viuere Christus est & mori lucrum*. Illi autem viuere Christus est cui viuere diligere Christum est, & ex eius dilectione cuncta operari. Quod si hæc faciẽs: *Contemptu contemnant eum*, homines tanquam fatuum vel ociosum & inutilem, nihili facit eorum iudicia, nec propter hoc vitam in charitate degere curat, quoniam si homines contemptu eum contemnunt, Angeli veneratione eum venerabuntur, & Deus ipse honorificabit illum.

1.ad Cor.16. v.14. Abacuch 2. v.4. Ad Rom.1. v.27 Ad Heb.10. v.38. « Tract. 5. in Epist. « Ioan. « Ad Phil.1.v. 21.

Dicebat Diuus Petrus ad Iesum, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* At quid respondit Dominus, si ad decursum Euangelij attendas sæpius dixit illis; contemptu contemnent vos homines & persequentur ac odio habebunt propter me, arbitrantes obsequium se præstare Deo. At ego vos nimis honorificabo, & exaltabo. *Nam vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël*. Illi modo vos iudicant, & condemnant; vos tunc magno cum honore iudicabitis, & condemnabitis eos; & omnis qui reliquerit omnia propter me centuplum accipiet delectationis & gaudij, etiam cum ipsis persecutionibus & contemptibus. Ipsa enim charitas erit illis centuplum, quia in illa possidebit omnia. *Venerunt* (inquit sapiens) *mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius*, hæc dixit Christus Dominus vt discipulos animaret.

4. Math. 19.v. 29. Marci 10.v. 30.

Nam interrogatio illa Petri imperfectum adhuc animum indicabat, & ad mercedem propensum. Nondum enim venerat Spiritus sanctus qui perfecit Apostolos. At quid modo dicit cœlestis sponsus vt sponsam suam circa perfectionem instruens? *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione.* Non ait pro retributione, non pro mercede, aut præmio, sed pro dilectione: Dilectionem appetat, pro hac omnia det, hanc pro mercede & præmio computet, non aliud tanquam mercenarius expostulet. Nam amor (inquit D. Bernardus) ipse per se sufficit, ipse per se placet, & propter se, ipse meritum, ipse præmium sibi est amor, præter se non requirit causam, non fructum, fructus eius, vsus eius amo quia amo; amo vt amem: plura de hoc diximus circa illud, *recti diligunt te.* Quæ non asserimus vt verum auferamus meritum & præmium, nec vt condemnemus operandi modum propter præmium, sed vt præcellentius purgemus affectum, eumque eleuemus ad id quod perfectius est, seruientes Deo gratis & propter se ipsum. Hoc enim est quod dicitur, *quasi nihil deficiet eam.* Qui enim omnem substantiam dat pro dilectione, & nihil se dare putat, gratis se etiam putat accipere. Nec nouam requirit mercedem, sed nouam gratiam, iuxta illud: *Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis*, sed quanto minus mercedem quærit, tanto maiorem inueniet, ipsum scilicet Deum, qui est merces nostra magna nimis in secula seculorum. Amen.

Nota.

Serm. 83. in Cant.

Lib. 2. exho. 17. maxime §. 3.

Ap. 22. v. 17.

PARS TERTIA
LIBRI DECIMI.

De ardenti solicitudine & zelo iustorum erga proximos sibi commotos.

EXHORTATIO XIII.

Tres sequentes exhortationes sunt vel, PRO FESTO PENTECOSTES *vel* PRO TOM. 12. & 17. POST PENTEC. de dilectione proximi.

De prouidentia quam Christus Dominus, & tres diuinæ personæ habent de Ecclesia, & quauis sancta anima: de duplici allocutione facta ad Ecclesiam in sui exordio, & ad quamlibet piam animam à bono & malo spiritu?

Soror nostra parua vbera non habet, quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est.

MAGNAM solicitudinem indicant verba ista, non tamen satis constat cuius sint, de quo, & cum quo; tripartita autem potest esse interpretatio. Primo, tribuendo ea sponso, qui prouidentiam & solicitudinem ipsi sponsæ refert, quam de ea habuit cum erat parua, vel quam modo habet de paruula sorore ipsius. Secundo, vt ipsa sponsa solicita de sua sorore paruula, cum sponso conferat quid agendum sit de illa. Tertio tandem vt sodales sponsi, vel adolescentulæ sponsæ comites, eandem solicitudinem habentes, quid faciendum sit interrogent. Et quia omnes istæ interpretationes ad tropologiam sunt pertiles, eas sigillatim prosequemur ab ipso sponso inchoantes.

A

B

C

D

1.

De Christi solicitudine erga nouellam suam Ecclesiam. §. 1.

SVPPONENDVM autem est morem fuisse Christi Domini, doctrinam de dilectione Dei super omnia cum dilectione proximi sicut se ipsum coniungere, quia vna ab altera separari nequit, & vtraque necessaria est ad salutem & Euangelicam perfectionem. Vnde cum quidam legis doctor interrogasset eum *quod est mandatum magnum in lege?* inspiciens mutilam doctoris interrogationem, integrum tradit responsum de maximo mandato dilectionis Dei, adiungens aliud ei simile de dilectione proximi, à quibus vniuersa lex & Prophetæ pendent. Et cum alius legis peritus scire desideraret quid sibi faciendum vt vitam æternam possideret; respondit Christus, *in lege quid scriptum est?* Suggerens illi intus quod de vtroque præcepto scriptum erat. Moxque subiecit parabolam vt doceret modum diligendi proximum: in qua occulte se ipsum proponit in exemplum sub metaphora Samaritani, qui curam egit eius qui incidit in latrones; subiiciens, *vade & tu fac similiter.* Ad hunc igitur modum cum cœlestis sponsus sublimem tradi disset sponsæ suæ doctrinam de dilectione Dei super omnia dum ei dixit, *Pone me vt signaculum super cor tuum*, &c. Nunc de dilectione proximi agere aggreditur, parabolam adducens quæ tam ipsum quam sponsam complecteretur, vt suo exemplo eam ad hanc dilectionem fortius adduceret: proponit autem sponsæ suæ sororem paruam, egentem & nubilem, cuius cura iure consanguinitatis vel affinitatis vtrique competit, & ideo quid faciendum sit inquirit simul, & insinuat vt digne nuptiis tradi valeat.

Matth. 22. v. 35.

Luc. 10. v. 25

2.

Sed quoniam parabola ista plures præclarosque mysticos sensus habet, à faciliori exordiamur de Christo Domino qui cœptam prosequitur narrationem. Postquam enim perfectissimas amoris leges statuerat, quas sponsa seruare deberet, instruere eam peculiariter cupit circa excellentissimum actum amoris simul Dei & proximi, qui est spirituales filios gignere, & nutrire, eius gregem pascere, & peccatores in viam salutis reducere, iustosque in melius promouere. Elegans autem sumit exordium per modum interrogantis, ne eam terreat, sed potius paulatim spem erigat. Nam eius fragilem naturam intuens ait: *Soror nostra parua, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die qua alloquenda est?* loquitur Christus Dominus vel ad Angelos, vel ad Patriarchas, & antiquos Synagogæ patres, vt Cassiodorus, Beda & D. Gregorius interpretantur, quasi solicitus de Ecclesia nouella quam fundabat, & sibi in nouam sponsam ascisere volebat, quam vocat sororem propter participationem eiusdem naturæ humanæ, & consortium similitudinis in diuina natura, propter quam eundem patrem habet Deum, cuius est filia per adoptionem, & ideo ipsius Christi & etiam Angelorum soror. Loquitur autem de Ecclesia in suo exordio, in eo videlicet statu quem habebat, vel in Apostolis & discipulis ante aduentum Spiritus sancti,

vel ingentibus quando Ecclesia cœpit à Iudæis in eas transferri.

3.

Vocatur autem soror parua respectu antiquioris sponsæ & sororis, scilicet synagogæ, quæ tunc maior erat. Ait igitur soror nostra parua est tum numero; paucos enim habet suæ fidei sectatores; tum virtute; quia nondum ad statum perfectæ sanctitatis peruenit, tum viribus quia debilis est & imbecillis ad tam arduas seruandas amoris leges, & ad huius desponsationis onera portanda, & præterea vbera non habet, id est, nondum peruenit ad ætatem nubilem, vt possit nuptias contrahere, nondum idonea est ad filios spirituales generandos, & nutriendos. Non enim habet magistros & doctores ad id sufficienter instructos, qui lacte doctrinæ & exemplaris vitæ alios ad fidem trahant, eosque in ea nutriant, nec habet intelligentiam plenam scripturarum vtriusque testamenti, quæ velut duo vbera sunt diuinæ sapientiæ lacte redundantia. Hæc autem omnia solicitum me illius reddunt, & ad compassionem quandam commouent.

Sic Christus loquitur qui probè nostram nouit naturam, & quam ex se Ecclesia habeat paruitatem, & ineptitudinem ad tantum obeundum munus. Et ideo consolatur Apostolos dicens: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Pusillum gregem vocat quem hic dicit sororem paruam non habentem vbera, & ne animum despondeat, inquit complacuisse patri ei regnum dare, id est, regni sui diuitias impartiri, & in regiam dignitatem assumere, vt eius sit sponsa, suique regni, & potentiæ particeps. Paruitas enim nostra potius Deum commouet, vt maius auxilium præstet ad id efficiendum, quod per nos efficere decreuit. Sicut in Apocalypsi dicitur: *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem,* id est, modicas vires ad conuertendum animas. Sic quia sponsa parua est, & sine vberibus, quibus tamen indiget ad filios spirituales nutriendos, solicitus est sponsus de eius incremento, & vberibus ei præstandis.

Luc. 12. v. 32.

Apoc. 3. v. 8.

De cura quam tres diuinæ personæ gerunt Ecclesiæ, & cuiusque sanctæ animæ. §. 2.

1.

SED subtilius explanemus mysterium reconditum in hoc verbo, *quid faciemus?* in prima rerum creatione cum Deus sex dierum opera fecisset, solum refert scriptura dixisse eum, *fiat lux, fiat firmamentum*, &c. at cum ventum est ad hominis creationem dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris*, &c. Vbi sancti patres communiter testantur tres diuinas personas id dixisse quasi communi consilio & decreto ad denotandam magnitudinem operis faciendi, & imaginis ac similitudinis imprimendæ illi, ad quam tres diuinæ personæ conueniebant per tria potissime attributa illis aptata, dum pater omnipotens tribuit homini potestatem super reliqua opera: filius sapientiam vt alia agnosceret & regere sciret; Spiritus sanctus bonitatem, & virtutem qua perfecte completur Dei similitudo. Postea vero vt ostenderet prouidentiam & solicitudinem, quam eiusdem hominis iam creati gerebat eadem phrasi ait: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*, prouidentia enim & solicitudo Dei, vt & Dorotheus testatur, eisdem trium personarum attributis nititur.

Genes. 1. v. 26.

De hoc plura in lib. 3. exhort. 15. & infra exhort. 17. §. 2

Genes. 2. v. 18.

Serm. 13.

A

B

C

D

Nam pater per omnipotentiam cuncta præstat quibus indigemus, filius per sapientiam ea agnoscit, & præuidet; Spiritus S. per bonitatem in id perpendit, vt ea largiatur & compleat. His enim tribus digitis appendit & sustinet molem terræ. Vnde cum Christus Dominus de prouidentia agens, inquit: *scit enim pater vester quod iis omnibus indigetis*, nomine patris non intelligit primam tantum personam, sed etiam seipsum & Spiritum S. qui sunt vnus Deus & vnus pater, omnesq; vnam eandemque prouidentiam & solicitudinem nostri gerunt, licet per quandam coaptationem communia tribus tribuantur vni.

Isai. 40. v. 12. Mat. 6. v. 32.

2.

Ad hunc igitur modum in hoc loco tres diuinæ personæ dicunt, *soror nostra parua vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ?* quasi inter se consultantes, vnico tamen & indiuisibili consilio, de modo quo promouenda est hominum natura, quam ad suam imaginem fecerant, & per mysterium crucis & passionis Christi iam perfectum reparauerant. Siquidem dictum est illi, *sub arbore malo suscitauite, ibi corrupta est mater tua*, &c. Et sicut Christus Dominus quondam dixit ad Philippum: *vnde ememus panes vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum. Ipse enim sciebat quid esset facturus.* Sic modo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus magna charitatis significatione dicunt: *quid faciemus sorori nostræ?* non interrogant, vt ignari qui sunt vnus Deus omnia comprehendens, sed vt solicitudinem quam hominum gerit manifestet, suaque interrogatione & responsione satis eam prodit.

Ioan. 6. v. 6.

3.

Quamuis autem Deus omnium hominum curam gerat, quoniam vt inquit sapiens: *pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter, id est* (ex æquali sapientia & bonitate, vt explicat D. Thomas) *est illi cura de omnibus*: tamen peculiarè habet solicitudinè cõgregationis hominũ quę est Ecclesia, in qua dũtaxat inuenitur reformatio naturæ facta per Christum, & vltra hoc etiã singularem gerit prouidentiam & curam cuiuscũq; animæ sanctæ: & eo maiorẽ quo ipsa est sanctior, cui maxime cõgruunt tria epitheta hic commemorata, vt sit *soror parua vbera nõ habens*. Soror quia Deo valde coniuncta per charitatem & obedientiam: parua, in oculis suis per profundam humilitatem: vbera non habens propter virginitatem aut puram castimoniã. Quæ ergo cuncta splendida & carnalia respuit propter Deũ, merito sub eius prouidentia & cura continetur, dicens cum Psalmista: *ego mẽdicus sum & pauper, Dominus solicitus est meî*: qua de causa D. Chrysost. adducẽs sententiam illam: *primum quarite regnum Dei: & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis*, ait Deũ maiorem curam gerere eorum qui minus sua curant. Ne, inquit, cures tua (scil. anxie & inordinate) sed ea Deo dimitte. Nam si satagas, tanquam homo satagis: si vero dimittas, Deus prouidebit. Vt igitur eorum magnam gerat prouidentiam, ipsi soli omnia cõmitte. Quod hæc parabola cõfirmat, nam cum soror hæc parua vberibus carens, nihil de se ipsa cogitaret, Dominus solicitè cogitabat de illa & dicebat: *quid faciemus ei?* non ait, quid dicemus? sed quid faciemus? quia prouidentia Dei non solis verbis, sed factis nobis succurrit. Sed cur ait: quid faciemus, propalans quod facere decreuerat? nõne melius esset occulte & nihil dicens id facere? sed eleganter respondit idem Chrysostomus in hunc modũ: quia Deus sola bonitatis suæ gratia mortalibus per omnia prospicit, nihil nostris indigens laudibus; nullaq; alia remuneratione opus habens, plurima beneficia nos latere permittit: sed si aliquãdo

Psal. 39. v. 18. Hom. 56. ad populum. Mat. 6. v. 33.

4.

Lib. 1. de prouidentia ad Stagirium monachum.

" hæc reuelat, & illud noſtræ vtilitatis cauſa facit, A
" vt gratias ſemper illi referentes ex hac gratitudine
noſtra amplius nobis attrahamus illius auxilium.
Sic ille, ideo ergo ait: *quid faciemus ſorori noſtræ?*
vt attente inſpiciamus quod reuelat ſe facturum, &
gratias illi agamus, noſque ad id recipiendum pre-
paremus. Inde etiam deducentes alia beneficia quę
nobis neſcientibus confert: & pro occultis, his
etiam grati ſimus.

5. Denique ait *ſorori noſtræ*, in ſingulari, vt intelli-
gas prouidentiſſimum Deum, etſi multorum iuſto-
Lib.3. confeſſ.c.11. rum curam gerat, tamen ita ſolicitum eſſe de vno-
quoque ac ſi vnus & ſolus eſſet, iuxta illud D. Au-
guſtini: ô tu bone omnipotens qui ſic curas vnum-
quemque noſtrum, tanquã ſolum cures: & ſic om-
nes tanquam ſingulos. Vnde ad hoc explicandum
ſingulari nomine crebro vtitur, vt cum per Iſaiam
Iſai.48.v.17 ait: *ego Dominus docens te vtilia & gubernãs te in via*
Pſal.22.v.1. *qua ambulas, &c.* Et Dauid inquit: *Dominus regit* B
me, nihil mihi deerit. De fratribus carnalibus dice-
bat ſponſa: *filij matris meæ pugnauerunt contra me*,
at frater ſpiritualis & primogenitus Chriſtus è cõ-
Cant.2.v.16 tra ait: *quid faciemus ſorori noſtræ?* immenſas ergo
vide dicta circa hunc locum cant. grates tibi Domine reddimus, quia ita noſtri cu-
ram geris. Vtinam ſicut dilectus meus intendit
mihi, ego intendam illi.

De allocutione facta Eccleſiæ in die Pentecoſtes. §.3.

1. SVbdit ſponſus, *quid faciemus ſorori noſtræ in die*
In hunc locum, & lib. 19.mor.c.9. *qua alloquenda eſt?* ſed quis ſit dies iſte, quis allo-
cuturus ſit eam, qua de re & ad quid? non explicat,
ſed nobis conſiderandũ & explanandũ reliquit. Et
in primis dies iſte vt D. Gregor. teſtatur, fuit dies
Act.2.v.2 Pentecoſtes, quando Spiritus S. deſcendit ſuper A-
poſtolos in linguis quaſi ignis, & ſpiritalis deſpõſa-
tio Chriſti cum Eccleſia noua confirmata eſt, ipſaq; C
miris donis à ſuo ſponſo exornata. In hac ergo die
Serm.45. in Cant. Chriſtus locutus eſt paruulę ſuę Eccleſię, cum ei in-
fudit Spiritum S. Nam teſte D. Bernardo diuini
verbi locutio eſt infuſio doni: viuus eſt enim ſermo
Dei, & efficax; ipſe etiam Spiritus S. qui vnus eſt
Deus cum filio, etiam intus locutus eſt illi, linguæ
enim igneæ quæ foris apparuerunt, non ſolũ indi-
cabant donũ linguarũ ad prædicandum variis na-
tionibus magnalia Dei, ſed etiam internam Spiri-
tus S. locutionem, per quam Eccleſiam impleuit
cœleſti lumine & amoris ardore, ſapientia & ſan-
ctitate perfecta; vnde ſimul fecit eam magnam ex
parua, ex debili fortem, ex ignara ſcientem, ex ſte-
rili fœcundam & habẽtem vbera. Habebat quidem
antea vbera cum eo lacte quod à Chriſto acceperat,
ſed nondum ſatis excreuerat, nec lac illud doctrinæ
percipiebat; venit Spiritus S. vt doceret, & ſuggere-
ret ei omnia quę Chriſtus docuerat, & opus ab ipſo D
cœptũ perficeret & cõſumaret. Repleuit Apoſtolos
ſcientia & virtute, repleta ſunt vbera eorũ, & ap-
parere cœperunt: mox magni facti ſunt, & potẽtes
virtute ad filios ſpirituales generandos. Vnde eadẽ
die per prædicationem tres mille Chriſto filios pe-
pererunt. Et ita cœpit impleri ſponſi deſiderium
quod inſinuat cum ait: *ſoror noſtra parua, & vbera*
non habet: his enim verbis teſtatur deſiderare, vt ſit
magna, & vbera plena habeat, cum autem ſubiun-
git: *quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquẽ-*
da eſt? idem fuit, ac ſi diceret in die qua alloquen-
da eſt, faciemus ei vt id habeat quo nunc caret: &
ad eam perueniat magnitudinem & perfectionem,
quam talem ſponſam habere decet. Oportet enim
vt magna ſit quæ filios ſpiritales Chriſto gignere
debet. Cæterum dum præmittit eam paruam, ſi-
2. ne vberibus, clarè docet non ob ſua merita, ſed
gratis ex Dei miſericordia alloquendam eſſe. Vn-
de qui fecit eam magnam virtute & fœcunditate,
ſimul fecit eam alio modo paruam & minimã hu-
militate, dum noua luce ad tantum munus nihil à
ſe virtutis, nihil virum habere conſpicit, ac proin-
de filiorum ſpiritalem prolem non ſibi, ſed Deo at-
1.Cor.3.v.7. tribuat: *quia neque qui plantat eſt aliquid, neque qui*
rigat, ſed qui incrementum dat Deus, generat quidẽ
filios, at non propria virtute, ſed Chriſti cuius in-
1.Cor.4.v. ſtrumentum eſt, iuxta illud Apoſtoli *in Chriſto Ieſu* 15.
per Euangelium ego vos genui. Ego quidẽ genui, ſed
in virtute Chriſti Ieſu, & per Euangelium eius, qui
magis quam ego genuit vos. Vnde apud Iſaiam no-
uella hæc Chriſti Eccleſia ſuam intuens paruitatẽ,
& ſimul tam copioſam filiorum multiplicationem,
etſi à tyrannis maxime vexata eſſet, admirans dicit
in corde ſuo: *quis genuit mihi iſtos? ego ſterilis & nõ*
pariens, tranſmigrata & captiua. Et iſtos quis enutri-
uit? ego deſtituta & ſola, & iſti vbi erant? agnoſcebat
enim tantam filiorum prolem, tam fœcunda vbera
ad eorum nutritionem non à ſe prouenire, ſed à
ſuo ſponſo Chriſto, qui ſub arbore crucis ſuſcitauit
eam ad amorem, & hanc vim illi conferre potuit,
ipſeq; hoc opus perficit, vnde Iſaias ſubiicit. *Hæc*
dicit Dominus Deus: Ecce leuabo ad gentes manum
meam, & ad populos exaltabo ſignum meum, & affe-
rent filios tuos in vlnis, &c. id eſt, ego tanquam rex
magnus & potens oſtendam omnipotentem meam
virtutem, & exaltabo crucis meæ ſignum, ſeu ve-
xillum, vt omnia traham ad me ipſum, & aggre-
gem tibi plures filios, quo gloria tua vbique dila-
tetur.

Sed ponderemus amplius omnipotentem Spi-
3. ritus ſancti virtutem, qui ſuo eloquio tam ſtupen-
C das efficit tranſmutationes cordiũ, vt in ictu oculi
ſi velit ex minimis maximos, ex debiliſſimis fortiſ-
ſimos faciat, quos repler. Ecce (inquit D. Gregor.) Hom.30.in Euang.
apertis oculis fidei Dauid, Amos, Danielem, Pe-
trum, Paulum, Matthæum intueor, & ſanctus iſte «
Spiritus qualis ſit artifex conſiderare volo, ſed in «
ipſa mea conſideratione deficio, implet namq; cy- «
tharædum puerum & Pſalmiſtam facit, implet pa- «
ſtorem armentarium ſycomoros villicantẽ & pro- «
phetam facit, implet abſtinentem puerum, & iudi- «
cem ſenum facit, implet piſcatorem & prædicato- «
rem facit, implet perſecutorem & doctorem gen- «
tium facit, implet publicanum & Euangeliſtam fa- «
cit: ô qualis eſt artifex iſte ſpiritus! nulla ad diſcen- «
dum mora agitur, in omne quod voluerit, mox e- «
nim vt tetigerit mentem, docet, ſolumque tetigiſ- «
ſe docuiſſe eſt. Nam humanum animum ſubito, vt «
illuſtrat, immutat, abnegat, hoc repente quod e- «
rat, exhibet repente quod non erat. Sic Gregorius. «
Mirabilis ergo virtus ſpiritus S. qui per locutionem
cor tangendo, tot ſtupendos in eo effectus operatur.

De allocutione facta Eccleſiæ à perſecutoribus, & piæ animæ à bono & malo ſpiritu.
§. 4.

SEd aliam allocutionẽ omnino huic aduerſam in
his verbis indagemus. Præſciebat enim ſponſus
ſponſam ſuam ab adulteris ſolicitandam fore, &
tentandam, vt fidem illi debitam frangeret, ab e-
iuſque dilectione diſcederet; atq; alloquendã eſſe
Eccleſiam à dæmonibus, & tyrannis, ab imperato-
ribus & præſidibus perſequentibus illam, nec non
& à parentibus, fratribus, domeſticis & amicis, qui

omnes vno ore conſpiraturi erant in ipſam, vt ei à A
Chriſto deficere ſuaderent. Fauet huic interpre-
tationi lectio Sept. *In die quando loquetur in ea*, præ-
poſitio autem *in* aliquando etiam habitudinem ac-
cuſatiui habet, vt idem ſit quod in eam, vel contra
eam. Id eſt, quando alij de ea loquantur vt eam ex-
pugnent, & à ſua fide auertant, ad modum quo
ſupra ſponſa, *Filij matris meæ pugnauerunt contra*
me. Circa quem locum plura de hac pugna dixi-
mus. Fauet Rupertus in his verbis intelligens allo-
cutiones Neronis, & aliorum tyrannorum, qui ab
Eccleſia diſquirebant rationem fidei quam profi-
tebatur. Hæc igitur Chriſtus præſciens, ſolicitus de
ſuæ Eccleſiæ conſtantia, inquit: *Quid faciemus ſo-*
rori noſtræ in die qua alloquenda eſt? loquitur autem
more hominum amantium. Nam res eſt ſolliciti
plena timoris amor. Ipſe autem ſciebat quid factu-
rus erat: eodem enim tenore verborum, languo- B
rem explicat, & medicinam: pugnam inimicorum,
& victoriam contra illos. Allocutio enim Dei vin-
Luc.21.v.15. cet allocutiones Dæmonum & hominum. *Ego* (in-
Luc.12.v.12 quit) *dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt*
reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Spi-
ritus enim ſanctus docebit vos in ipſa hora, quid opor-
Matth.10. *teat vos dicere. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed*
v.20. *ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. At de hoc*
poſtea.

2. Ex hactenus dictis deducere poſſumus quamuis
piam animam, vt hîc etiam ſupponi videtur, allo-
quendam eſſe tam à bono ſpiritu, quam à malo; à
Lib. de tri- plici habi- taculo. Deo & à diabolo. Allocutio Dei (vt D. Auguſtinus
inquit) eſt occulta ipſius inſpiratio, qua animæ ſuã
voluntatem, & ſuam veritatem inuiſibiliter oſten-
dit. Quo diſcriminatur à locutione diaboli quæ
eius eſt interior ſuggeſtio, ſuadens aliquid contra-
Ioa.8.v.44. rium diuinæ voluntati, & veritati, videlicet pecca-
tum & mendacium; hoc enim loquitur ex propriis, C
licet aliquando tegat illud ſub ſpecie virtutis & ve-
ritatis. Ideoque vtraque allocutio fieri dicitur, *in*
die, ſed diuerſimode, quia allocutio Dei fit in vero
die, quia veram affert lucem; allocutio vero dia-
boli fit in die apparente, qui vera eſt nox, ſed ipſe
transfigurat ſe in Angelum lucis, & ideo vocatur
Dæmonium meridianum, cum re ipſa non fit niſi
nocturnum de quo poſtea. Quando autem allocu-
tio Dei eſt frequens, terret diabolum, & fugat, ob-
muteſcere facit, nec loqui audet. Quando autem
illa ceſſat, tunc diabolus vehementius loquitur, &
animam exturbat, donec iterum loquatur Deus.
Pſal.84.v.9. Loquitur enim pacem in plebem ſuam, pulſa tur-
Lib.6. mor. c.15. batione quam ſuggeſtio diaboli efficiebat. Quod
In Iob. 5. v. 20. ſic explicat D. Gregorius in illud libri Iob, *In fame*
eruet te de morte, & in bello de manu gladij. Famem
reſultare dicit ex abſentia diuinę locutionis & ver- D
bi, bellum autem paci opponitur. Cum ergo hu-
" manam mentem diuina allocutio deſerit, contra
" eam carnis tentatio inualeſcit. Sed ab hac fame &
" bello Deus iuſtos eruit, quia dum eorum mentes
" verbi ſui pabulo reficit, contra tentationes corpo-
" ris fortes reddit.

Hinc eſt valde nos ſolicitos eſſe debere, inquiren-
do primo quid faciemus, vt ſpiritus diuinus
crebro alloquatur nos, vnde noſtra pendet ſalus,
vita, pax & gaudium & omnium bonorũ cæleſtium
plenitudo: & rurſus, quid faciemus in die, & tem-
poris puncto, quo nos ipſe alloquitur, vel eius ad-
uerſarius loqui aggreditur, vt illi celeriter obſe-
quamur, huic vero mox reſiſtamus, obturantes
aures inſtar aſpidis ſurdi ne malefici incantatoris
audiamus vocem. Ad hoc autem maxime conducet
leges dilectionis iam præſcriptas obſeruare, ad
quas tamen obſeruandas ipſe ſpiritus adiuuat in-
firmitatem noſtram, & eius allocutio fortes conſti-
tuit. Ipſa etiam interrogationis forma tres condi-
tiones præſcribit animæ, quam Deus crebro allo-
quitur, nimirum ſi eſt ſoror, ſi parua, ſi vbera non
habet, ad modum quo explicatũ eſt. Libenter enim
alloquitur amicos & obedientes, humiles, ſim-
plices, & caſtos. Et qui huiuſmodi virtutibus ſunt
ornati, celeriter aduerſarij reiiciunt allocutiones,
ſed plura remedia ſuæ interrogationi reſpondens,
nobis mox præſcribet ſponſus, qui eſt Deus bene-
dictus in ſecula. Amen.

EXHORTATIO XIV.

De ſolicitudine Eccleſiæ, & Prælatorum erga alios fideles, & vnuſquiſque de proximo ſuo, atque omnium pro die vltimi iudicij. PRO EIS-DEM DO-MINICIS.

Soror noſtra parua vbera non habet, quid faciemus ſorori noſtræ in die quando al-
loquenda eſt?

EXPLANAVIMVS ſolicitudinem quam caput noſtrum Deus & Chri-
ſtus gerit de corpore ſuo myſtico, quod eſt Eccleſia, iam quomodo
Eccleſia hoc exemplo proficiat, aliorum gerens ſolicitudinem in-
dagemus, attribuentes hæc verba iuxta ſupra allatas interpretationes ipſi ſponſæ, aut adoleſcentulis
eius pediſſequis, vel ſponſi ſodalibus. Etenim cor-
pus myſticum Eccleſiæ, duas continet partes, potiſ-
ſima eſt cætus præſulum & doctorum, quibus ex
officio regimen incumbit animarum, & hæc intel-
ligitur hîc nomine ſponſæ, vel Eccleſiæ quæ eſt ſo-
ror maior & antiquior, ſolicitudinem gerens de
minori. Altera pars eſt cætus reliquorum fidelium,
quæ vocatur ſoror parua, & ſine vberibus reſpectu
alterius. Inter eos autem quidã ſunt imbecilliores
in vtroque ſexu, alij fortiores qui vocantur ſodales
ſponſi, Chriſtum ardenter diligentes, vel adoleſ-
centulæ, Eccleſiæ & boni communis valde amãtes.
Vnde quatenus membra ſunt eiuſdem corporis
myſtici ex propenſione charitatis, quæ inclinat ad
diligendum proximũ ſicut ſeipſum, ſolicitudinem Eccleſ. 17. v. 12.
etiam gerunt aliorum, iuxta illud, *Et mandauit il-*
lis (ſcilicet Deus) *vnicuique de proximo ſuo.* Quod
ſolicite præſtant, tum precibus ad Deum pro eo
fuſis, tum bonis conſiliis, tum aliquando fraterna
correctione, tum denique ipſos paſtores vrgendo,
vt munus ſuum obeant; vel cum eis conferendo,
quomodo imbecillioribus ſubueniẽdum ſit; eorũ
etiam defectus & neceſſitates cum oportuerit in
hunc finem detegendo. Peculiari tamen ratione Infra exh. 17.§ 1.
per ſorores paruas ſine vberibus intelligendæ ſunt
virgines quæ Dei obſequio dedicari cupiunt, qua-
rum maior eſt fragilitas & periculum, & ideo ma-
iorem exigunt ſolicitudinem in prælatis. Nunc « Lib. de diſcipli-
(inquit D. Cyprianus) ad Virgines ſermo eſt, qua- « na & ha-
rum quo ſublimior eſt gloria, maior & cura eſt. Has « bitu Vir-
exhortamur, quod ad ſolicitudinem magis cauti, « ginum à
plus de diaboli infeſtatione timeamus. Quanta ve- « principio
ro & qualis debeat eſſe huiuſmodi cura, ſatis con- «
ſtabit ex iis quæ de Eccleſia & prælatis dicere ag- «
gredimur. «

Quibus de causis Ecclesia & Prælati de aliis sint soliciti. §. 1.

CVm sponsa perfectissimas amoris leges à dilecto suo præscriptas audisset, eas cordi suo vehementer imprimens, mox amor Dei flammas emisit amoris proximorum, & solicitudinem peperit de eorum salute: charitas enim Christi sicut & Paulum, vrgebat eam, & solicitudo omnium Ecclesiarum ac omnium paruulorum & delinquentium, (2.Cor.5.v.14. & c.8.v.28.) *Quis enim infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Conuertit ergo sponsa oculos in sororem paruam. Id est Ecclesia vniuersalis, in singulas particulares Ecclesias, vel congregatio prælatorum & doctorum in reliquos proximos & fideles de plebe erga quos solicitam esse demonstrat, solicitudinisque suæ causas plures affert.

1. Prima insinuat vox illa, *soror nostra*, omnes enim fratres sumus, & eundem patrem habemus Deum qui fecit, genuit, & creauit nos, & per gratiam etiam in filios suos adoptare dignatur eos qui iterum renasci voluerint ex aqua & Spiritu sancto. Oportet autem fratrem de salute spirituali fratris sui & sororem de sorore solicitam esse: & in eo quo potentior est, infirmiorem adiuuare: ne conqueratur Deus de nobis sicut de antiquis sacerdotibus, & Leuitis contra quos ait, (Malach.2. v.10.) *Nunquid non pater omnium nostrum? nunquid non Deus vnus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisq; nostrum fratrem suũ?* propter quod Christus Dominus in communi oratione voluit nos Deum vocare patrem, non meum sed nostrum, vt sciremus omnes esse fratres, eiusdem patris filios, & pro omnibus oraturos tanquam de eorum salute solicitos.

2. (Genes.24. v.60.) Propter hoc ergo sponsa ait, *soror nostra*, quasi seipsam & prælatos ac magistros suos exhortans, vt aliis animabus faueant, quia sorores sunt. Ad modum quo fratres Rebecæ prospera ei imprecantes dixerunt, *Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* Sed adhuc sublimiorem rationem innuit dum verba hæc ad ipsum sponsum Christum refert. (Ad Hebr.2. v.11. Ad Rom. 8. v.29.) Quem ex eo allicit ad subueniendum, tam ipsi quam sorori, quia soror inquit nostra est, id est non tantum mea, sed etiam tua, tu enim non dedignaris vocare nos fratres tuos, etsi tu sis primogenitus in multis fratribus, quos oportet imagini tuæ fieri conformes, vt qui similes tibi sunt in natura humana, fiant etiam per gratiam similes in natura diuina.

3. Sed mox adhibet tertiam rationem, quia videlicet *parua* est, multi autem sunt paruitatis gradus. Primus omnibus communis, quatenus ex nobis debiles sumus & imbecilles, ac nihil possumus. Alij vero dicuntur parui quia fidem tantum habent, sed non charitatem, (Ita Philo Carpathius.) quæ sola nos coram Deo magnos facit: vnde etiam duobus carent charitatis vberibus, amore scilicet Dei & proximi propter quod additur, *Et vbera non habet.* Alij etsi charitatem habeant, paruam tamen, quia adhuc tyrones sunt, nec in virtute & dilectione aliquos fecerunt progressus, siue quia paruo tempore virtutibus acquirendis incubuerunt, siue quia lente & remisse; vel retrocesserunt tepore, & desidia animi, sicut illi de quibus Apostolus ait: (Ad Hebr.5. v.12.) *Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo.*

4. Hoc autem indicat amplius quarta ratio dum ait: *Vbera non habet,* A id est nondum peruenit ad perfectionem quæ magistros decet, nec vt in sponsam assumatur, vel proli filiorum spiritualium procreandæ incumbat. Deest enim illi perfecta virtus & sapientia. Nam etsi vbera habeat demissa, nõdum tamen intumuerunt, vt munere magistrorum fungatur. Spiritualia enim vbera in hoc differunt à carnalibus: quod hæc non intumescant, nec lac habeant, nisi post filium genitum, & in lucem editum: illa vero antea intumescere debent; deseruiunt enim ad generationem ipsam. Lac enim doctrinæ potens est infideles cõuertere ad fidem, & peccatores ad pœnitentiam, & tepidos ad feruorem. Qui autem parui sunt, & vberibus carent, indigent magistro, pastore, & duce qui eos doceat, pascat, & regat. Charitas autem Christi vrget eos qui præsunt, vt hæc munia circa illos exerceant, nam propter hoc dixit Petro, *si diligis me, pasce agnos meos, & oues* (Ioa.21.v.16.) B *meas.*

Quo tempore crescat hæc solicitudo, & quid tunc prælati agere teneantur. §. 2.

HOs autem defectus intuens sponsa in sorore sua, seu Ecclesia prelatorum in fratribus suis, solicita de eorum salute ad sponsum loquitur, dicens, *Quid faciemus sorori nostræ in die qua alloquenda est?* supponit alloquendam esse duplici modo supra explicato, à bono scilicet & malo spiritu. Vnde duplex alia ratio huius solicitudinis desumitur. 1. Ac si dicat: scio te allocuturum illam inspirando, & mouendo interius vt paruitate reiecta ad magnitudinem aspiret, & ad meliorem gradum virtutis ascendat, quia non tantum cupis omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, sed etiam perfectos esse sicut pater tuus cæle- C stis perfectus est, & propter hoc intus loqueris ad cor eorum. Sine tua autem locutione nihil proderit prædicatoris clamor, sed erit velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, cor nullo modo penetrans, nec ei aliquid imprimens, quod commutet in melius. *Quid ergo faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?* id est, quomodo præparauimus ad spirituales nuptias cum circa eas alloquaris illam? non ait, quid faciam, sed quid faciemus sorori nostræ, tum vt denotet diuersitatem ministrorum, quos Ecclesia congregat, & ad hoc opus insigne concurrunt. Nam teste D. Paulo; (Ad Ephes.4 v.11.) *Quosdam dedit Deus Apostolos, quosdã autem prophetas, alios Euãgelistas. Alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij in ædificationem corporis Christi.* Tum vero quoniam probe no- D uit se solam nihil facere posse nisi ipse Deus simul idem faciat cum illa, & per illam, iuxta illud: (1.Cor.15.v.10.) *Abundantius omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum:* indica ergo Domine mihi quid faciã, & tu idipsum fac mecum vt simul faciamus illud. Eadem ratione non ait in die qua ego alloquar illam, sed quando alloquenda est, vt etiam insinuet, quod non ipsa sola locutura est, sed Christus ipse cum illa, vt idem Paulus ait, (2.Cor.13.v.3.) *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus?* Christus ergo indicare debet, & cordi prædicatoris imprimere quid dicat, & quid faciat vt sororem paruam faciat magnam & carentem vberibus, adultam & tumentia habẽtem vbera? 2. Sed solicitior est sponsa de altera allocutione quæ à tentatoribus fit, vt peccatoris conuersionem impediant, teneram animam decipiant, & à dilectione Christi auertant. (Honorius apud Martinum del Rio, & Philo Carpathius.) Scit enim omnes qui piè viuere volunt in Christo per-

secutiones & tentationes pati, & scriptum esse: (Eccl.2.v.1.) *fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* De hac autem præparatione facienda valde soliciti debent esse prælati, timentes sicut ait Apostolus, (2.Cor.10. v.3.) *ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo Iesu.* Callidissimus enim serpens animam alloquitur, sicut allocutus est Euam, vt eam decipiat. Aliquando quidem loquitur in nocte quando de re turpi & praua sine vllo loquitur tegumento, interdum vero loquitur in die, vt iam insinuauimus, quando sub prætextu diei & sanctitatis tenebrosa opera suadet, (Ps.90.v.6.) quas tentationes Dauid vocat sagittas volantes per diem, & incursus dæmonij meridiani, quæ magis sunt timendæ quoniam difficilius agnoscuntur, & subtilius incautum feriũt. Et ideo de his potissimum dicitur: *quid faciemus in die quando alloquenda est?* Non ait in nocte, sed in die, quia tunc magis est necessaria magistri industria & vigilantia ne soror parua decepta corruat, & tẽtationi succumbat. Imo ipse doctor etiam maiori indiget Dei illustratione, vt astutias diaboli agnoscat, & alios ab eis eruat ac recte dirigat.

3. Propter hæc sponsa suæ ignorantiæ & imbecillitatis conscia, prudenter tria sibi prouidet remedia, quæ insinuantur in hoc verbo. *Quid faciemus?* primo enim ante omnia præcedere debet locutio cum ipso sponso, & deprecatio, ac consultatio. Dicere enim *Deo quid faciemus*, est tacite obsecrare illum vt quid faciendum sit inspiret, & vt sorori succurrat. (2.Paral.20. v.12.) *Cum enim ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui vt oculos nostros dirigamus ad te.* Præterea oportet secum in corde suo præmeditari, & quasi consulere cum lege Dei, & scripturis sacris, ac sanctorum dictis, & gestis quid eum facere oporteat, vt proximos opportune iuuet. Deinde oportebit etiam nonnunquam alios peritos & expertos magistros consulere, vt eorum etiam consilio melius agnoscat quid sibi facere expediat. Siquidem & D. Paulus ascendit Ierosolymam vt consuleret Petrum, & cum eo Euangelium quod prædicabat, conferret. (Ad Gal.2. v.2.)

4. Tandem munus eius est solicite obseruare erga fideles duplicem diem, duplicemq; allocutionem supradictam, vt tempestiue opportunum eis præbeat auxilium; quo diligenter diuinæ allocutioni assentiantur, & diabolicæ resistant. Admonentes eos vt in die bonorũ meminerint malorum, ne ex diuina allocutione superbiant: atq; in die malorũ ne obliuiscantur malorum, ne ob diabolicam allocutionem diffidant. (Eccles.11. v.27.) Obseruet etiam quod notat Philo Carpathiorum Episcopus, versionem Sept. in hunc modum referens, (Habetur in 1. tomo Bibliothecæ. Is.58.v.15.) *Quid faciemus in die qua locuta fuerit in se?* id est quando ipsa in se reuersa incipit intra se loqui secum, & recogitare omnes annos suos in amaritudine animæ suæ, vt melius » deinceps Deo inseruiat, nam magna (inquit) con- » sequitur Dei beneficia qui se rimatur, & conscien- » tiam propriam discutit, ac purgat, secumq; loqui- » tur & tacite recenset, quidquid vnquam egit in vi- » ta. (Ps.84.v.9.) Hanc enim animam alloquitur dulcius Deus, qui teste Dauid, *Loquitur pacem in plebem suam, & in sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor.* Id est, qui secum de sua salute solicite agunt. De his ergo peculiariter ait, *Sponsa quid faciemus sorori nostræ?* quæ cœpit iam in se, & de se loqui, vt iuuemus illam, & dirigamus, vt cœptum opus perficiat.

5. Ex dictis vltimum salubre monitum accipe pro A iis qui Dei contemplationi vacant, etsi pastores non sint; vt sicut sponsa postquam Deum loquentem audiuit, & amoris leges sibi traditas percepit, mox cum ipso Deo de sorore sua nuptiis tradenda cœpit agere; sic alienum non est ab iis qui orationi & contemplationi incumbunt, postquam eius dulcissima audierunt, vel contemplati sunt mysteria, ad proximos iuuandos preces conuertere, & de eorum salute cum Deo agere, desiderantes ad eãdem perfectionem euehi, ad quam ipsi Dei gratia euecti sunt. Nam charitas non æmulatur, nec est liuida, nec sibi soli dona Dei arrogare cupit, sed in omnes diffundi, & cum Moyse dicit, *Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* (Num.11.v.29.)

De solicitudine omnium pro die vltimi iudicij. §. 3.

B OMitto modo prosequi aliquorum interpretationem qui referunt ad solicitudinem Ecclesiæ de synagoga Iudæorum, qui in fine mundi conuertendi sunt ad Christum, aut de collectione ex illis & gentibus quæ receptura est fidem, quam paruam vocat, & in fide adhuc teneram, & non habentẽ vbera, id est doctores ex propria natione qui eam iuuent; etsi enim Elias & Enoch, tanquam duo vbera multos Iudæorum lacte verę doctrinæ lactauerint, tamen Antichristus occidet eos, & manebũt sine iis vberibus aliorum auxilio indigentes. (*Pro hoc puncto faciunt quæ in genere dicta sunt de allocutione à malo & bono Spiritu.* Apoc.11.v.3 & 7.)

Hac ergo interpretatione relicta, vltimam adhibeamus de solicitudine quæ omnem fidelem animam vrgere debet, vt tempestiue se præparet, & videat quid sibi faciendum sit pro die vltimo iudicij, quando alloquẽda est, tum à diabolo qui sciens (Apoc.12.v.12.) C se modicum tempus habere magna ira vehementius alloquetur eam vt in barathrum desperationis & condemnationis æternæ demergat: tum vero ab ipso Deo supremo iudice, qui bonos & malos alloquetur, etsi diuerso modo. In die enim vniuersalis iudicij omnium hominum congregationem & vniuersam Ecclesiam quæ in hoc mundo fuit militans, (Matth.25. v.30.) in duas partes diuidet separans agnos ab hædis, electos collocans ad dexteram, ad sinistram vero reprobos, tam infideles quam fideles; sed allocutio peculiariter non dirigetur ad illos, nam (Ioan.3.v.18.) *qui non credit, iam iudicatus est.* Nec indiget iudicio discussionis, sed tantum condemnationis. Peccatores autem qui fidem habuerunt, vtroq; modo sunt iudicandi, & ad eos fiet allocutio in illa die. Cum igitur Ecclesia contineat bonos & malos; horum congregationem vocat sororem paruam non ha- (Li.1.exh.19. Li.7.exh.17) D bentem illa duo vbera quæ in libro primo & septimo diximus esse duas propensiones charitatis & misericordiæ in duo eius opera, quæ vocantur corporalia, & spiritualia, per quæ in die iudicij potissime examinandi sunt à iudice, tam boni quam mali, quando alloquens vtrosque dicet, (Matth.25. v.35.) *Esuriui, & dedistis*, vel, *non dedistis mihi manducare*, &c. desiderat ergo sponsa omnes fideles crescere, magnos fieri, & hæc duo vbera habere, nam (Mat.5.v.19.) *qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum:* Facere ad opera misericordiæ corporalia potissime refertur, quæ qui fecerit non omittet opera iustitiæ: docere vero ad opera misericordiæ spiritualia spectat, & qui vtraque peregisse inuentus fuerit hic magnus vocabitur, paruus autem si nihil horum in vita curauerit. Præterea cum sciat Ecclesia ad nuptias regni cælestis solum admittendas fore virgines prudentes, quæ præparauerunt se, atque

oleo charitatis & misericordiæ ornauerunt lampades suas, vt semper lucentes essent & ardentes,
Matth.25. v.10. fatuis autem quæ hoc oleo carent claudendam ianuam: sciens etiam vocem illam Angelorum in die iudicij laudantium Deum, *Quia venerunt nuptiæ agni, & uxor eius præparauit se*: desiderat sororem paruam, id est congregationem omnium fidelium
Apoc 19. v.6. præparatam tunc inueniri, & operibus misericordiæ ornatam; & ideo ait, *Quid faciemus sororinostræ in die, quando alloquenda est?* id est, quid faciemus vt præparata sit, & vbera misericordię habeat, in die illo extremi iudicij, quando veniet sponsus & simul iudex vt alloquatur omnes, & ius dicat illis, eosque tantum ad nuptias admittat quos paratos & ornatos inuenerit, cæteros excludat?

At dum defectum sororis refert, quid faciẽdum sit satis insinuat. Si enim inepta est ad nuptias, quia parua, & quia vbera non habet: tunc fiet idonea, & bene præparata, cum creuerit & vbera habuerit. Si habet solam fidem crescat, vt habeat charitatem; & vt intumescant vbera misericordiæ. Si lampadem habet sine ornatu, vacuam oleo, ornet, præparet, & impleat, & sic obuiam sponso exeat. Semper igitur solicitus esto & memorare illius diei, quãdo anima tua à supremo iudice alloquenda est, tum in iudicio particulari post mortem, tum in vniuersali post consummationem sæculi. Intuere solerter qualis modo sis: nam qualis fueris in hoc sæculo, talis apparebis in iudicio, & talis erit allocutio
Matth. 25. v.34. & 41. Christi ad te, vel tanquam iudicis irati, dicentis, *Ite maledicti in ignem æternum*: vel tãquam benigni sponsi, qui dicat: *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum*: vtinam omnes digne
Ps.94.v.8. præparemur, diuinam allocutionem in hoc sæculo semper audientes, & exequentes: iuxta illud, *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Nam de obturantibus subiicit: *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam*. Per obedientiam autem intrabimus ad possidendum illam in sæcula sæculorum. Amen.

EXHORTATIO XV.

PRO FESTO PENTECOSTES, cũ exh. 13. Et de fortitudine Ecclesiæ, circa illud, *Portæ inferi non præualebunt aduersus eã.* VERS. 11.

De his quæ Christus operatur in Ecclesia, & in singulis iustis, vt eos amplius promoueat & perficiat, & de nostra ac ministrorum eius cooperatione cum ipso.

Simurus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus tabulis cedrinis.

RESPONDET iam sponsus ad interrogationem vel à se, vel à sponsa, vel à sodalibus factam. Aduerbium autem, *si* dupliciter vsurpari potest, vel vt sonat, conditionem apponens, id est, si fuerit murus, quasi desiderans vt vere sicut murus sit; vel vt idem valeat ac quoniam, quæ in scriptura vsurpatio frequens est, ac si dicat, quoniam murus est, ędificabimus super eam, &c. murus autem sumitur pro stabili & firmo fundamento, vel pro eo quod firmiter ciuitatem & domum custodit: propugnacula vero argentea ad ornatum & ad defensionem ædificantur super murum. Respondet ergo in hunc modum, soror nostra est parua, crescat vt sit murus: vel si fuerit firma & stabilis sicut murus, pectusque firmum ac virile habuerit, ædificabimus super illud loco vberum propugnacula argentea. Eodem modo intelligendum est quod dicitur, *Si ostium est*. Potest autem sumi ostium vel pro illo vacuo, per quod fit ingressus & egressus; vel pro operimento quo claditur, quod ex tabulis fieri solet; quæ etiam corroborari solent aliis superadditis, vel picturis, aut sculpturis ornari, & ideo dicitur; *Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis*, vel vt Septuaginta vertunt, *Si ianua est, sculpamus super eam tabulam cedrinam.*

De firmitate Ecclesiæ, & eius propugnaculis.
§. 1.

1. SVB his ergo duabus metaphoris duo præclara insignia Christus Dominus suæ sponsæ desiderat, duoque superaddere pollicetur. Primum vt sit velut murus firmus ad tuendam propriam pudicitiam, fidem, & dilectionem, virile habens pectus, etsi in fœmineo sexu, vel fragili corpore: vt omnibus fidei hostibus tam Dęmonibus, quam tyrannis, ac persecutoribus fortiter resistat. Secundum vero vt ostium sit forti operimento munitum, quod soli sponso aperiatur, vt ipse ingrediatur cum libuerit, cæteris vero eius hostibus sit clausum, & obserատũ. Quæ ergo parua est, & vbera non habet, nec adhuc in virtute satis profecit, hæc duo habere curet his duobus animi firmissimis decretis se præmuniat, vt coram sponso suo Christum, murum se exhibeat & ostium ad modum dictum. Tunc autem ad ipsum Christum spectat amplius, hunc murum & ostium corroborare, ornare, & perficere, vt munus muri & ostij melius peragat, & securius: sicut & paruulæ Apostolorum Ecclesiæ dixit; *Sedete in ci-* Lucæ 24. *uitate, donec induamini virtute ex alto*, ac si dixisset, v 49. adhuc, *parua est, & vbera non habet*, sedeat in ciuitate donec ex alto virtutem accipiat per quam ex parua fiat magna, & fortis sicut murus, & vbera habeat præclara, recipiens argentea propugnacula.

2. Quod in die ipso Pentecostes perfectum est. Per aduentum enim Spiritus sancti (vt D. Gregorius notat) Ecclesia quæ antea erat timida, debilis & Act.2.v.1. nõ satis instructa, facta est fortis, & firma sicut murus, in charitate radicata & fundata: & quæ antea timore perterrita Christum in passione sua deseruit, & fugit, atque ob metum Iudæorum se in cœnaculo claudebat, & obserabat; iam tanquam murum ipsis tyrannis & persecutoribus se opponit; nihil eorum minas vel ictus pertimescens, sed audaCter dicens, *Obedire oportet Deo magis quam* Act.5.v.29. D *hominibus*.

3. Super hunc autem murum ædificauit sponsus propugnacula argentea, quæ super virile forteque eorum pectus essent velut tumentia vbera: cũ Apostolis infundit cœlestem sapiẽtiam, & sacrarũ scripturarum intelligentiam, aliasq; gratias gratis datas, quæ ad fidei prædicationem cõducebant. Erant quidem vbera quia per ea lac doctrinæ populis impartiebantur. Erant vero propugnacula, quoniam per illa fidem Christi tuebantur, & ab oppugnatoribus defendebãt. Erant tamen argentea, quoniam potissime nitebantur verbo & eloquio Dei, quod est velut argentum igne examinatum. Vnde pro- Psal.11. v.7. pugnacula ista super murum (vt Diuus Gregorius ait) erant stupenda miracula, & omnes gratiæ gratis illis datæ, vt fidem confirmarent, nonne propugnacula argentea & fortissima erant,

Act.2.v.3. *Ipsæ linguæ quasi ignis*, quæ apparuerunt dispartiA quæ per tabulas cedrinas significantur, de quibus
tæ, & sederunt super capita Apostolorum? Erant autem ignitæ ex plenitudine lucis & ardoris, sapientiæ & charitatis, quam Spiritus Sanctus elargitus est illis: Vnde insigne donum diuersarum linguarum, quibus Apostoli loquebantur magnalia Dei, propugnacula etiam argentea erant, vt diuersæ linguæ in vno Apostolo, sint quasi diuersa
Prou.10.v. 20. propugnacula in vno muro: *quia & argentum electum lingua iusti*, nam, vt inquit D. Ambrosius, quia rationalis hæc ciuitas est, & omnis spes eius in Dei verbo est, non ferrea, sed argentea propug-
Serm.22. in Ps.118. v.8. naculâ requiruntur, eloquiis cœlestibus magis quam corporis voluptatibus hostiles impetus repulsare consueta. Apostoli igitur effecti iam muri sublimes, & fortes, his argenteis propugnaculis ornati & muniti; contra vniuersos fidei & Euangelij hostes se opposuerunt pugnantes linguis igneis, & hostium ictus tanquam muri ænei, sine læ- B sione recipientes. Quadrat enim in Apostolicam
Ierem. 1. v.18. Ecclesiam, quod de Ieremia dictum est: *ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram regibus Iuda, principibus eius, & sacerdotibus, & populo terræ, & bellabunt aduersum te, & non præualebunt, quia ego tecum sum vt eruam te*. Quamuis enim propugnacula argentea magis ornatui sint quam fortitudini, tamen à Deo ædificata fortissima sunt, quia simul sunt ignea, & ipse ad est pugnans in illis, qui per linguas igneas in Apostolis loquebatur. Vnde hunc Apostolorum cætum quem tunc vocat murum cum propugnaculis argenteis, superius vocauit collum sicut turrim Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis. Collum autem symbolum est doctorũ & prædicatorum, circa quem locum multa supradicta sunt quæ ad hunc valde condu cunt, à quibus ideo supersedemus. Hoc solum addamus, C ibi tantum dici de turre ædificatam esse cum propugnaculis, non exprimendo quis ædificauit eam,
Cant.4.v.4. Li.7.exh.14 licet subintelligatur ipse Dauid qui est Christus redemptor mundi. At hic dicitur, ædificemus propugnacula argentea, ad denotandum iuxta supradicta tres diuinas personas ędificare illa. Pater quidem tribuit firmitudinem, filius sapientiæ candorem, Spiritus sanctus decorem sanctitatis, & dilectionis, ad quos spectat ædificium suum indemne perpetuo seruare. Sed quoniam apud Isaiam promittit ædificaturum hæc propugnacula ex iaspide,
Is.54.v.12. in exhortatione sequenti, quid hoc indicet, explanabimus.

De portis Ecclesiæ, & earum ornatu.
§. 2.

1. SED quoniam murus ciuitatem, vel domum circundans ostium habere debet, per quod ciues & domestici ingrediantur, claudatur autem hostibus & deprædatoribus: sic Apostolicos muros fecit etiam esse tanquam ostium, vt per eorum prędicationem aditus omnibus nationibus pateret ad Christum, & ad eius fidem & legem recipiendam. Quod quidem ostiũ aperiebatur simplicibus & electis ac præordinatis in vitam æternã, claudebatur autem superbis, reprobis & contumacibus, qui sibi videbantur esse sapientes: vt autem fideles & pios allicerent per pulchritudinem & fragrantiam, incredulos autẽ & impios arcerent per fortitudinem, dicit, *Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis*, id est virtutibus sublimibus, incorruptis, odoratis, & pulcherrimis. Tales enim sunt virtutes

Cant.1.v.16. *Tigna domorum nostrarum cedrina.*

Aut tabulæ cedrinæ, in quibus sculpi & scribi consueuit, significant eadem præclarissima dona fidei, quæ eam valde ornant, & muniunt, videlicet quæ septem Spiritus sancti dona nuncupamus, nimirum sapientiæ, intellectus, scientiæ, & consilij, pietatis, fortitudinis, & timoris Domini, quæque in gradu heroïco sculpta sunt in primitiua Ecclesia, vt fidem incorruptam contra Iudæos & gentiles, ac hęreticos seruaret, & vitam fragrantem ageret per quam Christi bonus odor esset. Quod sic explicat D. Ambrosius: ne hæreticorum corrumpatur tineis, aut vermibus, dicitur; *Ædificemus* „ Serm.22. *super eam tabulas cedrinas*: id est sublimis fidei bo- „ in Ps.118. num odorem. Est enim suauis huius materiæ odor, „ Vers. 8. quam non vermis, non tinea corrumpat, ideo hu- „ ius materiæ vsu eligitur tectorum fastigiis eleuandis, formandisque literarum elementis, quibus ętas „ puerilis ad studium liberalis eruditionis imbuitur. „ Est ergo materia ista sublimis ad gratiam, leuis ad „ onus, suauis ad odorem, vtilis ad instrumentum „ scientiæ, habilis ad ministerium cognitionis æter- „ næ. Sic ille. Hæc autem insignia tabularum cedrinarum optime congruunt virtutibus & donis Spiritus sancti, per quæ Apostolici viri idonei reduntur, vt officio ostij fungantur in domo Domini.

2. Sed Cassiodorus & Beda, ac D. Anselmus ad ipsos fidei Euãgelij auditores quos Apostoli per prædicationem sibi aggregarunt, referre videntur, ac si dicat Saluator: postquam soror nostra Ecclesia hæc facta est iam murus, ædificemus super eũ alios qui sint sicut propugnacula argentea: & postquam ostium est, compingamus illud aliis qui sint velut tabulæ cedrinæ. Per has autem similitudines duo genera repræsentantur eorum qui conuersi sunt ad fidem; quidam sapientia & philosophica eruditione prestantes, qui ipsi Ecclesiæ adiumento esse possent, & instar muri eam defenderẽt. Vt Dionysius Areopagita, Irenæus, Iustinus, & alij eiusmodi. Super hos (inquit) ædificemus propugnacula argentea, infundendo illis diuinam & cœlestem sapientiam, & intelligentiam scripturarum, per quam pręclarum eorum ingenium ac sapientia humana ornetur, & perficiatur, potentioresque sint ad propagandam fidem & tuendam. Cæterum alij sunt minoribus ministeriis aptiores, qui deseruire possunt vt ostium sint per quod alij in Ecclesiam & ad Christum ingrediantur, cum eis sacramẽta & alia salutis media administrant. Hos (ait) compingamus tabulis cedrinis, id est faciamus esse virtute D imputrescibiles, boni odoris ad Ecclesiæ ædificationem; vel corroboremus illos sanctorũ Patrum exemplis, qui veluti tabulæ cedrinæ scientiæ & charitatis latitudine diffusi sunt, & imputribilia opera habent, inscriptamque in seipsis omnem euangelicam perfectionem gerunt; vt horum exempla intuentes & sectantes, ostia sint per quæ alij libenter in Ecclesiam ingrediantur, & fidelium consortio adiungi velint.

Eleganter ergo depingitur solicitudo & cura quam Christus Dominus gerit Ecclesiæ suæ, vt crescat & dilatetur per vniuersum orbem terrarũ, & hominibus appareat pulchra, ornata, fragrans, & miris bonis referta. Pulchritudo enim domus vel ciuitatis, eiusque fortitudo & nobilitas primo dignoscitur ex iis quæ foris primo apparent. Primo autem apparent muri & ostia, ideoque muris pul-

chris,& propugnaculis ex argento ornat;ostia vero A
speciosis tabulis ex cedro, vt ex iis dignoscatur
quanto pulchriora, fortiora, & nobiliora sunt quæ
intus latent.

Confirmemus quæ dicta sunt ex eo quod D.
3. Ioannes ait murum ciuitatis Ierusalem cœlestis
Apoc. 21. habuisse duodecim portas, in quibus inscripta erãt
v.12.& 13. nomina duodecim tribuum filiorum Israël. Per
has autem duodecim portas D. Hieronymus, Au-
gustinus, Ambrosius, Rupertus, & alij, duodecim
Apostolos intelligunt. Sed quia duodenarius nu-
merus est vniuersitatis, maxime in Apocalypsi,
omnes comprehendit Apostolorum successores in
munere prædicandi fidem & euangelium, per quos
ingrediuntur in vtramque Ecclesiam, ac terrenam
& cœlestem Ierusalem fideles ex vniuersis homi-
Apoc.7.v.4 num nationibus. Et ideo in portis scripta dicuntur
nomina duodecim tribuum filiorum Israël, non B
Israël carnalis tantum, sed mystici, id est, vel nomi-
na ipsorum patriarcharum Ecclesiæ nouæ, vel om-
nium fidelium ex vtroque populo Hebræo & Gen-
tilico, qui ab eodem Ioanne dicuntur signati signo
Dei viui. Vnde qui in hoc loco vocantur tabulæ
cedrinæ, quibus compactũ, & ornatum est ostium,
vel sunt iusti qui Apostolos & præsules in suo mu-
nere adiuuant, & officium ostij complent, vel sunt
fideles qui per ostium ingrediuntur in ipsam ciui-
tatem, & eam ornant. Nec te moueat quod in hoc
loco vocetur ostium in singulari, & in Apocalypsi
dicantur duodecim portæ. Nam illud denotat vni-
tatem Ecclesiæ, in quam omnes ingrediuntur vni-
ca dumtaxat via, scilicet eadem fide & baptismo,
Gen.6.v.16 eademque lege & obseruantia illius. Vnde & arca
Noe, quæ symbolum etiam fuit Ecclesiæ, vnicum
dumtaxat habuit ostium. Dicuntur tamen duode-
cim portæ, tres ad quamlibet mundi plagam, vt la-
titudo Ecclesiæ & legis euangelicæ denotetur,
quæ ex omni orbis plaga facile ad se venientes ad-
mittit.

Sed non prætereamus mysterium in horum no-
Ezech.48. minum inscriptione latens. Nam Ezechiel refe-
v.31. rens has duodecim portas eisdem nominibus in-
Apoc.7.v.4. scriptas, inter ea nominat tribum Dan; quam ta-
men prætermisit D. Ioannes cum duodecim tribus
in cap.7. numerauit, de quibus in cap.21. ait in por-
tis esse conscriptas; innuens tribum Dan in hac in-
scriptione non contineri. Cuius ratio est; quia Dan
interpretatur iudicium, & condemnatio, ac sym-
bolum est iniquorum & reproborum, qui Iudæ
proditoris ab Apostolatu excluſi partẽ sequuntur.
Hi autem pertinent ad Ecclesiam militantem,
quam describit Ezechiel, & ideo inter portas illius,
etiam nomen Dan inscribitur: non tamen pertine-
bunt ad Ecclesiam triumphantem, quam Ioannes D
depingit, & ideo ab eius portis huius tribus nomen
deletur. Quod maximum nobis debet incutere ti-
morem, vt solicite per bona opera certam nostram
vocationẽ faciamus. Simul tamen gratias agamus
Christo Domino, qui cum sit murus, firmamẽtum,
& vnicum ostium Ecclesiæ, per quod ingredi de-
bent omnes qui salui fiunt, nulliſque indigeat ex-
trinsecis & superadditis propugnaculis & tabulis
cedrinis, quia à seipso habet omnem fortitudinem,
Matth.16. claritatem, & decorem, voluit tamen propter nos
v.18. hæc eadem munia communicare Ecclesiæ quam
fundauit tanto robore & firmitate vt contra illam
portæ inferi nequeant pręualere, id est, nec Dæmo-
nes, nec tyranni, nec hæresiarchæ, qui portæ sunt,
per quos miseri homines intrant & demerguntur
in infernum. Vtinam nullus per has portas ingredi

velit, sed potius per, *Portas Syon, quas diligit Do-* Psal.36.v.2.
minus super omnia tabernacula Jacob; quia licet Vide Diuũ
dilexerit Ecclesiam antiquam, multo magis diligit Auguſt. ibi.
nouam, de qua subdit, *Gloriosa dicta sunt de te ci-*
uitas Dei.

De iis quæ operatur Deus circa singulas animas ad
earum profectum. §. 3.

FRVCTVOSIVS perpendemus in his verbis
perfectionem quam Deus ab vnaquaque ani-
ma exigit, & quam ipse in illa, ea tamen cooperante,
operatur; dixerat prius illam esse paruam & sine
vberibus, modo ostendit ei viam qua magna fieri
possit, & tumentia habere vbera, dicens. Primo, 1.
Si murus est: id est, decernat se esse murum; firmumque habeat & constans propositum perma-
nendi in fine, & in ea vocatione qua à Deo voca-
ta est, quo se totam omnesque suas vires internas &
externas, & quidquid in seipsa habet tãquam quo-
dam stabili muro circundet, muniat & defendat.
Hoc enim stabile animæ decretum, & tenax volun-
tas in iis quæ Dei ac propriæ vocationis sunt, iugi-
ter vsque ad mortem permanendi fundamentum
est totius spiritualis ædificij, & murus illud prote-
gens contra inimicorum impetus & tentationes,
dummodo non propriis viribus nitatur, sed diui-
nis. Si autem hoc propositum debile sit, fluctuans,
& inconstans, nullo modo spirituale stare poterit Mat.7.v.24
ædificium: fundatum enim est super terram, & are-
nam facile mobilem, & ideo à ventis, fulminibus,
& pluuiis concussa domus statim corruet. Perma-
neret vero si supra firmam petram fundata esset.
Christus autem tanquam homo sapiens renuit ædi-
ficium suum erigere super arenã, sed super petram,
& ideo ait, *Si murus est, ædificemus super eum pro-*
pugnacula argẽtea. Quidam iuxta Hebræam vocem C
legunt, *Ædificemus super eum palatium argenteum.* Psal.44.v.9.
Id est regiam domum, præclaram, & pulchram, de
qua in Psalmo dicitur, *A domibus eburneis, ex qui-*
bus delectauerunt te: domus autem eburneæ sunt
candidæ & pulchræ sicut palatia argentea, quibus
denotatur pulchra & quieta vita contemplatiua,
in qua anima cum cœlesti sponso quiescit & dele-
ctatur.

Sed sequentes vulgatam, dicamus propugnacula 2.
argentea super murum, virtutes esse seu actus ad
contemplationem mysteriorum Dei spectantes,
qui cœlestem pariunt sapientiam, & sublimium
rerum cognitionem, quæ in Psalmo vocantur,
Pennæ columbæ deargentatæ, quibus anima in cœlum Ps.67.v.14.
volat vt secreta cœlestia rimetur, & eius conuer-
satio in cœlis sit: deargentatæ autem dicuntur
propter candorem, & splendorem ac verbi Dei in-
telligentiam imbibitam, quam habent. Et quia in
iis actibus & exercitiis acquiruntur veritatum &
virtutum arma contra oppugnantes inimicos, pro-
pugnacula vocantur: sicuti manus Moysis in altum
eleuatæ propugnacula erant filiorum Israel in bel-
lo quod Iosue gerebat contra Amalech, siquidem
quandiu erant eleuatæ, vincebat; cum autem de-
pressæ, vincebatur. Actus ergo orationis & vitæ Exod.17.
contemplatiuæ propugnacula sunt contra hostes v.11.
erecta.

Aliter hoc explicari, & confirmari amplius po- 3.
test, vt his verbis spõsæ lex fidelis amoris tradatur:
nimirum vt sit sicut murus fortis seipsam, suam-
que pudicitiam & fidem illęsam seruans, tanquam
hortus conclusus & fons signatus, nulli alij amatori
aditum prębens, vt in cor suum introeat. Quod si
talis

talis murus est, ædificemus (ait) super eum pro- A
pugnacula argentea, id est, ornemus illum præ-
clarissimis donis, & gratiis; eximiis eam prosequa-
mur fauoribus; & insignibus victoriis, ac præmiis
coronabimus eam. Propugnacula enim argentea
sunt instar coronæ murorum, maximum eis præ-
bentia ornatum, & decorem. Quod sponsus testa-
tur vt sciat per constantiam & firmam sui custo-
diam magna apud ipsum adepturum præmia, &
copiosiorem gratiam inuenturum.

4. Sed vlterius addit, *Si ostium est, compingamus il-*
lud tabulis cedrinis: notum est discrimen inter mu-
rum & ostium. Illud omnino fixum, & clausum;
istud mobile quatenus iam potest apertum esse,
iam clausum: & ideo portas illi addimus quæ ape-
riantur, vel claudantur. Sponsa autem Christi
ostium esse debet, apertum quidem soli Deo ad
recipiendum ipsum tanquam spõsum & hospitem, B
& dona gratiæ quæ secum affert: ad recipiendum
item proximos propter illum, nimirum pauperes,
infirmos, debiles, & peregrinos, ac omnes necessi-
tatem patientes, siue corporalem, siue spiritua-
lem, vt opera misericordiæ in eos exerceat: reli-
quos vero qui Christo & sibi aduersantur, omnino
reiiciat, & ostium claudat: dum autem hoc firmiter
apud se decreuit, ostium istud constringitur &
compingitur à Deo tabulis cedrinis, id est, vir-
tutibus illis quæ maxime ostium cordis custodiũt,
& simul ad hæc opera misericordiæ animum incli-
nant; quasi qui ostij portas ornat, vestitque scul-
pturis vel pulchris picturis, de quibus Apostolus
Ad Col.3. ait, *Induite vos sicut electi Dei sancti viscera miseri-*
v.12. *cordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patien-*
tiam, supportantes inuicem, &c. Ecce tabulas cedri-
nas & odoratas valde ad imitationem earũ quibus
Psal.91.v.15. ornati sunt sancti Dei, de quibus dicitur, *Iustus vt*
Gen.18.v.1. *palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur.* C
Hujusmodi erat ostium Abraham: de quo inquit
scriptura in feruore diei stetisse in ostio tabernacu-
li sui, ad recipiendos transeuntes peregrinos. In-
duerat enim viscera misericordię & charitatis cum
ardenti spiritus feruore quẽ diei feruor denotabat.

5. Sed adhuc vlterius perfici debent ad similitudi-
nem Christi Domini, de quo videtur specialiter lo-
qui Sept. versio, *Sculpamus super eam tabulam ce-*
drinam: tabula autem cedrina Christus ipse est, quo
sculpendum est ostium cordis, & vestiendum vt sit
maxime ornatum, iuxta illud, *Induimini Dominum*
Ad Rom.13. *nostrum Iesum Christum*: sculpere autem hanc ta-
v.14. bulam est sculpere legem euangelicam, quam ipse
docuit, & omne genus virtutis quod opere perficit.
Ac si modo promittat facere quod paulo ante pe-
tierat vt fieret, cum dixit, *Pone me vt signaculum*
super cor tuum: & ego sculpam tabulam cedrinam D
super illud, vt ita sit mea vndique imitatione & si-
militudine præmunitum.

6. Nonnulli hanc sententiam diuidunt, vt cum di-
citur; *Si murus est*, accipiatur in bonum, id est, si
vndique fuerit satis muro circundata & custodita
tanquam hortus conclusus, & fons signatus, ædifi-
cemus, &c. cum vero dicitur, *Si ostium est*, vsurpe-
tur in malum. Ac si dicat, si vero sit ostium quod est
multis peruium, & facile versatur ac tentari ab aliis
amatoribus facile patitur, vnde & contingat inter-
dum vinci, claudamus illud vndiq; & fortibus ta-
bulis compingamus, ne in tale incidat periculum,
dum temere foras exit, vel hostem admittit. In
quo magna sponsi cœlestis solicitudo etiam detegi-
tur qui diuersarum animarum ingenio se accõmo-
dat, & cum iis quæ fortes sunt, vt murus, ingenue

se gerit, & fauoribus ac præmiis cumulat: cum iis
autem quæ fragiles sunt, & ad lapsum faciles, eas
præmunit, sepit, & ruendi occasiones remouet. Ali-
quando quidem sepit viam earum spinis sicut per Oseæ 2.v.6.
Oseam dicitur, vt relictis prauis amatoribus ad le-
gitimum suum sponsum reuertatur: aliquando ve-
ro suauioribus mediis, sed non minus efficacibus
eam præmunit, vt cum singulos sensus qui velut
ostia sunt cordis, tabulis constringit cedrinis, id est,
virtutibus moralibus infrænantibus illos.

De nostra cũ Deo cooperatione, & ministrorũ eius. §. 4.

SED mysterium habet phrasis ista sponsi in plura- 1.
li numero loquentis, non tantum auctoritatis er-
go sicut principes viri loqui consueuerunt, sed vt
quid nobis etiam agendum sit insinuaret. Non ait
si murus vel ostium est, ædificet vel compingat; nec
ego ædificabo, vel compingam; sed ædificemus &
compingamus, quia nec anima sola potest hoc ef-
ficere, nec Deus solus id vult prestare: sed ipse præ-
cipue nobis tamen consentientibus & cooperanti-
bus cum eo, iuxta illud, *Non ego, sed gratia Dei mecũ.* 1.Cor.15.
Gratia igitur Dei & nos cum illa hæc ædificat pro- v.10.
pugnacula, hęc cõpingit, & sculpit ostia, quia, *Nisi* Ps.126.v.1.
Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt
qui ædificant eum, nec tamen Deus ædificabit, nisi
etiam artifices laborare studeant.

Sed nunquid Deus etiam non ædificat murum, 2.
& ostium? cur ergo non ait, ędificemus murum? sed
si murus est? nunquid potest seipsam murũ facere,
vel ædificare nisi adiuuetur à Deo? minime. Sed cũ
tam Deus quam anima opus nostrę saluti prestent,
modo quædam tribuuntur vni, modo quædam al-
teri. Sed fere omnia ab vtroque post vocantem gra-
tiam. Vnde apud Isaiam, sic Dominus inquit, *Ædi-* Is.58.v.12.
ficabuntur in te deserta seculorum, fundamẽta genera-
tionis & generationis suscitabis, & vocaberis ædifica-
tor sepium, euertens semitas in quietem. Id est, in ad-
uentu Christi per efficacem ipsius gratiam reuiresc-
cent virtutes, quæ superioribus seculis floruerunt,
à quibus mũdus desertus videbatur. Redibit enim
innocentia Abel, obedientia Abrahæ, continentia
Ioseph, patientia Iob, mansuetudo Dauid, & pro-
phetarum, aliorumque iustorum præclarissima ef-
floresccnt exempla; quia in noua lege eadem, aut
præclariora in eius sectatoribus apparebunt: vnde
ipsi etiam excitabunt antiqua fundamenta virtutũ,
quæ sepulta videbantur, & erigent illa denuo. Vt
autem bene sint custodita vocabuntur, id est erunt,
ædificatores murorum, & sepium circundantium
animæ vineam vel hortum, ad arcendos latrones,
& claudendum antiquo serpenti ac aliis bestiis ac-
cessum, ne illi noceant. Hoc est quod dicitur, *Auer-*
tens semitas in quietem: id est, tollens illis semitã ad D
ingressum, vt suis bonis eã pacifice frui sinant. Ecce
quæ Salomõ hic reticuit, affatim Isaias explanauit?

Quæ vero ab vtroq; dicuntur Ecclesiæ, prælatis, 3.
& doctoribus maxime cõueniunt, qui vt supra di-
ximus, aliorum solicitudinem gerẽtes aiunt: *Soror*
nostra parua, &c. *quid faciemus sorori nostræ?* non di-
cunt, quid dicemus ei? sed quid faciemus? quia
maximum eorũ munus non est dicere, sed facere; nec
docere debent doctrinam tantum theoricam, sed
practicam & effectricem, docẽdo vera, & mouendo
ac impellendo vt faciant ea, adiuuandoq; simul de-
biles vt ea perficiant. Et ideo subdunt, *Si murus est,*
ædificemus, &c. *si ostium est, compingamus*, &c.
soliciti enim esse debent quomodo subditos ad me-
liora promoueant, à malis præseruent, ornent vir-
tutibus, vt ad perfectionis fastigium diligenter

ascendant. Cum vident aliquem murum esse, in A
Deique obsequio diu constanter versatum, ædificare debent super eum propugnacula argentea, tradendo eis media quibus firmius se tueatur, & ad Dei clariorem cognitionem ascendat, eique similior & proximior fiat. Sicut & supra sponsæ dictum est, *Murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Quas ibi vocarunt murænulas ex auro, argentoque compactas, hic argentea propugnacula vocant, quæ ita ornant murum, sicut ille collum, vel aurem: vtraque vero significant pretiosum animæ ornamentum, quo Deo gratior apparet, & ad excellentiora virtutis opera magis idonea: sed de murænulis iam suo loco dictum est.

Cāt.1. v.10.

Li.3.cxh.28.

Præterea cum dicitur, *Ædificemus & compingamus*, vel referri potest ad seipsos qui se mutuo exhortantur vt proximos iuuent; & sibi inuicem B auxilium præstent. Quomodo Apostoli, qui magnam cæperant piscium multitudinem, annuebant sociis qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos, si enim superbi filij Adam, posteri Noe, seipsos incitabant vt ædificarent ciuitatem & turrim Babel, quid quod Christi discipuli seipsos excitent, & vrgeant vt ædificent ciuitatem Ecclesiæ, & in populo fidelium turrim erigant Euangelicæ perfectionis? vel tandem dici potest eos loqui ad alios fideles & singulas animas, vt earum explorent voluntatem, consensum exigant, & ad cooperandum cum illis hortentur, & ideo sub conditione inquiunt, *Si murus est, si ostium est*, id est, reflectatur super seipsam, examinet & perscrutetur an sit talis murus super quem ædificare possimus propugnacula argentea, vel an fieri C talis murus velit; & an patiatur quod ostium compingatur tabulis cedrinis, quoniam absque eius consensu, & cooperatione nihil nos agere valemus. Vnde mox responsum eius refertur, *Ego murus*, &c. munus ergo doctorum est suauiter fideles inducere vt seipsos, suasque voluntates & vires agnoscant, & ad quid separatos & promptos exhibere velint; proponendo tamen eis id quod præcellentius est, gloriosius & suauius. Vnde non dicunt, ædificabimus propugnacula lapidea vel lateritia, nec compingemus tabulis abiectæ & vilis materiæ, sed cedrinis ac pretiosis, quasi exhortantes eos vt in omnibus semper æmulentur charismata, meliora & potiora probent, ostendentes eis excellentiorem charitatis viam, vt per eam progrediantur de virtute in virtutem, donec perueniant ad terminum supernæ felicitatis in secula seculorum. Amen.

4.

Luc.5.v.7.

Gen.11.v.4.

Aliam interpretationem huius loci tropologicam de qualibet virtute, quæ soror nostra vocatur, adduximus in libro secundo, exhort.16. §. 2.

EXHORTATIO XVI.

PRO EVANG. IN FESTVM CATHEDRÆ S. PETRI, vel, PRO FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

De constantia Ecclesiæ, ex quo fundata est à Christo Domino, & quam sancta anima habere debet in eius obsequio atque de differentia inter impiam synagogam quæ Christi pacem repulit, & Ecclesiam quæ coram eo pacem reperit.

Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem repperiens.

RESPONDIT sponsa ad præcedentem consultationem. Dixerat enim de sorore, parua est, & vbera non habet: ipsa vero de se, è contra, *Ego murus, & vbera mea sicut turris*, asseruerat etiam sponsus; *Si murus est, ædificemus super eum*, &c. quod dupliciter intelligi posse diximus, nimirum, quia murus est, vel si murus fuerit; respondet ad mentem eius, reticens verbum sum, aut fui, vel ero, vt omnia tempora comprehendat: id est, ego sum, & fui murus, vel ero murus super quem ædificari possint propugnacula argentea. Quæ sigillatim prosequemur primo de Ecclesia, deinde de qualibet sancta anima.

De Ecclesiæ constantia & firmitate in Christo.
§. 1.

1.

DVo præclara de seipsa confitetur hic sponsa; nimirum ingentia bona quæ habet, & fontem à quo recepit. Primum describit, dicens; *Ego murus, & vbera mea sicut turris.* Secundum vero cum addit, *ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens*: id est, ex quo coram sponso meo gratiam inueni. Non enim est contra spiritum veræ humilitatis dona Dei in se agnoscere, dum tamen ei cuius sunt, attribuantur. Imo spiritus veritatis ea solet manifestare, & quædam saltem externa sunt omnibus valde perspicua. Vnde Apostolus inquit, *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Sed cur sponsa hæc bona propalat quasi seipsam laudans, & commendans? *Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Cæterum non dicitur se commendare, qui bona sua narrat Deo, illaque ei attribuit. Sicut Ezechias rex dixit, *Memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim*: vnde Paulus præmiserat, *Qui gloriatur in Domino glorietur*: id est qui se commendat, non in se, sed in Deo se commendet: nam hic potius est ipsum Deum laudare, & gloriam ipsius quærere. Coram hominibus autem bona hæc narrare sine causa vanum est; ex causa vero ad veritatem doctrinæ cõfirmandam, ad honorificandum ministerium vt aliis prosis, vel vt teipsum in spem erigas, & inimicos confundas, licitum est, & sanctum, vt fuse docuimus supra circa illud; *Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem.*

1. Cor.2. v.12.

2. Cor.10. v.18.

Isai.38. v.3

Lib.2 exh. 18.§ 3 & 4.

2.

Sed perpende sponsi omnipotentiam & efficaciam gratiæ ipsius. Vix enim dixerat sponsæ, *Si murus est ædificemus super eum propugnacula*, &c. cum sentit & confitetur se ex eius gratia id iam

percepisse; & quasi gratias agens & laudans pro A
dono & beneficio accepto ait, *Ego murus*, id est, iam facta sum vt murus sublimis, firmus, & valde munitus: iam ædificata sunt super me propugnacula argentea, quia vbera mea sic intumuerunt, & increuerunt vt videantur turres quæ ornamenta sunt murorum.

Cassiod. D. greg. Ansel. Beda, D. Ambr. in Apolog. Dauid, c.17 Matth.16. v.18. Apoc. 21. v.18. Isa 54 v.12. Lib.37. c.8. & 9. in Is. 54. plurima cõgerit Alcasar in Apoc. 21.v.20. annot. 6. & 7.

Murus quidem est Ecclesia ædificatus ex viuis lapidibus charitate compactis, cuius firmitas non à se est, sed à Christo qui ædificauit eam super petram, contra quam portæ inferi prævalere nequeant. Ad explicandam vero eius pulchram fortitudinem dicitur in Apocalypsi, *Erat structura muri eius ex lapide iaspide*: & apud Isaiam, *Ponam iaspidem propugnacula tua.* Quæ supradixerat propugnacula argentea, modo vocat iaspidea, sicut etiam & murum. Iaspis autem, teste Plinio, D. Hieronymo, & aliis, gemma est viridis coloris, variis aliorum colorum maculis maxime sanguineis mixti, est fortis valde, amuletum contra veneficia, & B phantasmata, ad sistendum fluxum sanguinis, venereorumque appetentiam comprimendam potens. Vnde aptum symbolum est insignium virorum qui muri sunt, & propugnacula Ecclesiæ, seu qui partes sunt Ecclesiæ, quatenus murus cum propugnaculis vocatur, ad defendendum reliquorum fidelium cœtum. Sunt enim pretiosis virtutibus ornati, insigni fortitudine & patientia præditi, maximaque in Deum spe, à cuius omnipotentia inuicta eorum fortitudo pendet, quorum virtus & sapientia amuletum est & remedium forte contra phantasmata idololatriæ & hæresis, quæ nihil verum, sed phantasticum somniant. Ecclesia vero illa euanescere facit, & ad sistendum sanguineum vitiorum fluxum, libidinisque appetitus comprimendos potens, quia mores puros, & mundos do- C cet ac suadet.

3.

Hinc est Ecclesiam excellenter exercere officium muri valde præmuniti, eos qui ad eam confugiunt protegendo, & ab hostibus defendendo sacramentis, præceptis, consiliis, doctrinis, & orationibus ad Deum pro omnibus fusis, opponens se coram Deo quasi murum pro peccatoribus ne puniat illos, vt iam non conqueratur sicut olim, dicens:

Ezech 13. v.5. & c.22. v.30.

Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel: & rursus, *quæsiui de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni*: at modo in Ecclesia multos inuenit qui possint

De hoc plura dicta sunt supe- rius.

dicere: *Ego murus*, & se tanquam murum & sepem interponant ne Deus terram dissipet. Quamuis autem Ecclesia omnium sit murus, maxime tamen infirmorum, & paruulorum, de quibus di- D

Lib. 1. de Virginibus.

xit: *Soror nostra parua.* Ideoque Diuus Ambrosius peculiariter ait, murum esse Virginum, quæ
» fragiles sexus sunt. Facessat (inquit) sacris virginibus metus, quibus tanta prælia dedit primum
» Ecclesia; quæ teneræ prolis solicita successu, ipsa quasi murus abundantibus in modum turrium
» increuit vberibus, donec soluto obsidionis hostilis incursu, pacem validæ iuuentuti materna præsidio virtutis acquirat. Vnde & Propheta

Ps. 122. v.7. 4.

ait, *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.*

Hinc est cum Ecclesia ait, *Et vbera mea sicut turris.* Vbera vocare suos doctores, & prædicatores, Apostolicosque viros, lacte sapientiæ, & doctrinæ ex vtroque testamento desumptæ, redundantes, & valde prominentes. Hæc sunt Ecclesiæ propugnacula argentea simul & iaspidea,

nam lapis teste Plinio, etiam est transluces, & in Apocalypsi dicitur, lapis iaspidis sicut crystallum, Apo.21.v.11 ad denotandam sapientiam & claritatem, quam etiam denotat argentum. Hæc vbera sicut turris non quæuis, *Sed Dauid quæ ædificata est cum propugnaculis, & mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Quia doctores fideles lactant, corroborant, tuentur, & pro illis pugnant, & lac doctrinæ quod præbent, ad omnia hæc valet. *Nam omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.* Plura de iis vberibus Ecclesiæ dicta sunt supra circa illud, *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli*, &c. quam *pulchræ sunt mammæ tuæ*, &c. solum perpendamus non dici vbera sicut turres in plurali numero, etsi aliqui antiqui codices ita habeant: sed in singulari turris, non tantum quia scriptura sæpe singulare pro plurali vsurpat, sed ad indicandam vnionem prælatorum, & doctorum Ecclesiæ, qui quamuis plures sint, omnes tamen fide & doctrina eodem spiritu, eodemque charitatis glutino coniuncti sunt, tum ad expugnandos hostes, tum ad proximos iuuandos.

Cant.4.v.4. Vide in hũc locum supradicta, li.7.exh.14. 2. ad Tim.3. v.16.

Cant.4.v.5. & 10. L.7.exh.19. §.3 & lib.7. exh.16. & 17. & 18.

A quo, & ex quo tempore cœperit constantia Ecclesiæ nouæ. §. 2.

1.

SED quando & quomodo hoc bonum sortita sit Ecclesia, explicant sequentia verba, *Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Id est, ex quo me assumpsit in sponsum, vt à Salomone dicar Sulamitis, à pacifico pacifica sponsa pacifici, & eius qui pater est futuri seculi ac princeps pacis: apud quem pacem inueni, gratiam, & reconciliationem; cum quo venerunt mihi simul omnia bona. Vnde quod sim murus, quod vbera habeam instar turris, quod sim locuples, fortis, & inuicta non à me habeo, sed à sponso, à quo cuncta hæc me recepisse confiteor. Quam ingens autem bonum sit coram Deo inuenire gratiam, iam in libro primo explicatum est. Sed hic non nominat sponsum, sed tantum ait, *Coram eo*; quoniam tota erat ab ipso amore absorpta, & omnes putabat intelligere, de Lib.1. exquo loquererur, cum nullus alius in corde eius vi- hort.6. ueret nisi ille. Cum autem dicit, *quasi*, non est ad diminuendum, sed ad explicandum: sicut cum D. Ioannes ait, *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre.* Quamuis Diuus Gregorius ex eo putet additam esse vocem, *quasi*, quoniam in hac vita, ex eo quod à peccatis omnibus non desistimus, pacem perfectam cum illo qui sine peccato in carne vixit, non habemus. Ioa.1. v.14

Cum autem inquit, *Ex quo*, Cassiodorus refert D
ad tempus passionis Christi: nam pacem quam Angeli annunciauerunt in eius natiuitate, ipse perfecit in cruce, vbi nos reconciliauit patri, & nobis meruit fortitudinem, & omnia bona quæ postea largitus est. Sed D. Gregorius refert ad diem Pentecostes, cum Spiritus sanctus descendit in Apostolos, & perfecta est pax, reconciliatio, ac desponsatio cum Ecclesia noua, quæ tunc inuictam accepit fortitudinem, & copiosissimam spiritualis lactis vbertatem. Inde cœpit dicere, *Ego murus*, id est non indigeo alio muro custodiente; ipsa mihi murus sum; non ex me, sed quia in me habeo Spiritum sanctum, qui mihi est murus igneus contra omnes hostes, & ego vt illi vnita etiam murus igneus sum aduersus eos, & vt omnes ad me confugientes hoc diuino igne inflammem, igneos, fortes & inuictos reddam. Sic enim vati- Zach.2.v.4

cinatus est Zacharias, dicens: *Absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum, & iumentorum in medio eius, & ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.* Loquitur non de Ierusalem terrena quæ nunquam ita fuit sine muro, sed de Ecclesia, ad significandum quod nullo muro materiali coarctanda erat, sed amplexura omnes mundi nationes, & prouincias: nec etiam defendenda erat ab hostibus corporeis muris, & armis, sed spiritualibus. Ipse enim Deus qui ignis consumens dicitur, & est ipse Spiritus sanctus qui in linguis igneis datus est, erit illi instar muri ignis fortissimi & inextinguibilis, quem, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere, nec fluminæ obruere*: quis autem murus isto fortior poterit excogitari? nam muri ænei, vel ferrei aut lapidei tantum ictibus hostium resistunt, non eos lædunt, ac tandem tormentis bellicis, maxime igneis dissipantur: at murus igneus, qui extingui nequit, non tantum resistit, sed hostes appropinquantes adurit, etsi maior huius ignis potentia ostendatur non comburendo peccatores, sed peccata; non terendo, & abnegando inimicos, sed moliendo & mulcendo, vt transferat eos in amicos, quoniam ignis iste à saluatore mittitur in terram, non vt eam destruat, sed vt perficiat.

3. Vnde ipse etiam Saluator murus est Ecclesiæ
Isai.26.v.1. suæ sicut scriptum est, *Vrbs fortitudinis nostræ Syon saluator, ponetur in ea murus & antemurale*: id est Ecclesia per Sion significata, est vrbs fortissima, quam nulla vis conuellet; contra quam nec inferi potestates prævalebunt; quoniam Saluator Christus erit ei murus & antemurale, vndique
Ps.124.v.2. circumcingens & protegens illam, *Nam montes in circuitu eius, Dominus in circuitu populi sui.* Ecclesia ergo propter vnionem cum suo capite, & sponso Christo, & tanquam vnum quid cum C illo, optime inquit non indigeo alio muro, sed
Vt Apponius. per illum qui mihi in me murus est, *Ego murus sum, fui, & ero*, vsque ad finem seculi. Quia ex quo semel ab ipso erecta est Ecclesia, nunquam murus esse desiit, nec desinet. Semper integra permansit in fide, & dilectione, atque permanebit. Nec tempore imperatorum persequentium defecit, nec ingruenti Antichristi persecutione deficiet. Quia ipse sponsus promisit: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*: tanquam murus circumcingens vos vt inuicti permaneatis.

4. Vnde nonnulli hæc verba Cantici ad ipsum sponsum referunt ratione humanitatis assumptæ, suæque diuinæ personæ vnitæ, vt ipsa dicatur murus fortissimus inter Deum & homines inter- D positus ad placandum illum & protegendum nos, cuius vbera instar turrium, fuerunt Apostoli; nam sicut pectus sustinet vbera, & ab intus prouenit eis lac; ita Christus sustinet Apostolos, & præbuit eis lac sapientiæ & doctrinæ, per quam ipsi animas paruulas nutriunt. Et turres dicuntur, quia simul eas defendunt. Hæc autem habet humanitas Christi ex quo pacem reperit coram Deo, vnitaque illi est in persona, vt pacem mundo afferret. Cum igitur sponsus dixisset, *Si murus est*, &c. vt dilectam suam alliceret, & animaret, se in exemplum proponit, & in custodem offert, dicens; ne timeas, ne diffidas, bono esto animo; ego murus tibi ero, vbera mea erunt tibi quasi turris, vt te protegant, & defendant, ex quo pro te carnem assumpsi, quæ pro te & omnibus coram Deo pacem reperit. Sed quia singularis hæc expositio est, alteri quæ est communis standum est.

De constantia animæ sanctæ. §. 3.

QVÆ de vniuersa Ecclesia dicta sunt, facile cui- 1.
uis animæ perfectæ aptari possunt; maxime si verba ista explicentur tanquam quoddam firmum decretum seu propositum rei in futurum exercendæ: dixerat sponsus, *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea*, &c. respondet alacriter, *Ego murus*, id est firmiter decerno deinceps me futuram vt murum. Ædifica ergo super me propugnacula ista, quæ promittis, *Et tunc vbera mea sicut turris*; id est amores mei erga te erunt sublimes & fortes sicut turris: sæpius enim diximus vbera vsurpari pro amoribus in hoc Cantico. Proponit ergo anima se circumcincturam vndique, B ne aliquid Christo aduersum admittat, & vltra hæc curaturam vt affectus omnes amoris, & effectus illius siue circa sponsi cultum, siue circa proximorum commodum, maxima cum sublimitate & fortitudine crescant, & inualescant.

Sed cur cum sponsus dixerit; *Si murus est? & si ostium est*? ad primum tantum respondet, nullam mentionem faciens de secundo: at si ostium vsurpetur in malum, vt quibusdam placuisse diximus; prudenter id tacet. Si vero in bonum, in muro In exhort. præcedēti, §.2. ad finē: « Epist.7. « ad Lætam de instit. « filiæ. vtrumque includitur: ac si dicat; murus sum vndique conclusus, non ostium vlli apertum; quia neminem nisi sponsum admittere decreui. Quod sic explicat Diuus Hieronymus virginem instruens; nunquam (inquit) exeat foras, &c. quin potius si aliquis ostium eius pulsauerit, dicat, *Ego murus & vbera mea sicut turris*, id est, non habeo ostium ad aperiendum; tota sum circundata muro; & amores mei inexpugnabiles sunt sicut turris fortissima; & hoc modo tentationes insanorum amantium facile à se pellet? Sed vnde tanta ei fortitudo? causam reddit, dicens; *Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Ex quo idem valet ac ex eo quod facta sum, &c. ac si dicat, ideo murus ero, quia ex gratuita eius voluntate coram ipso reperi pacem, & gratiam; quæ semel cum eo pacem & fœdus inij, nolo illud rumpere: quæ gratiam inueni, nolo eam perdere, sed incorruptam in æternum seruare. Elegit me in sponsam, nolo fidem frangere; non ego feci vt pacem reperirem, sed ab ipso facta sum tam præclaro bono dignam. Non quæro reperiri pacem tãtum coram hominibus, quæ multoties mala est, sed pacem coram eo, Matth.10. v.34. Ioa.14.v.27. quam mihi mundus non potest dare, sed ipse solus dat, & omnem sensum superat. Hactenus tantum reperi quasi pacem, id est adhuc inchoatam & imperfectam quæ perficienda est in vita æterna, nollem amittere illam, sed seruare in integram donec consummetur in gloria. 2. 3.

En validas rationes ad omnes diaboli suggestiones superandas quæ ex eo desumuntur, quod nihil pretiosius, nihil vtilius, nihil possit esse iucundius quam pacem coram Deo inuenire, & eam perpetuo illæsam custodire. Amor huius pacis facit nos sicut murum, imo ipsa est instar muri nos protegens: siquidem Apostolus ait: *Et pax* Ad Phil.4. v.7. *Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras.* Id est, custodiat omnes vestros affectus ne declinent à bono, & omnes cogitationes ne recedant à vero: sitque vobis velut murus contra tentationes quæ

Ps.33.v.15. ad malum vel ad falsum vos impellunt. Totis A ergo viribus pax ista Dei inquirenda est nobis, & summo studio conandum coram Deo perpetuam inuenire pacem, iuxta illud Psalmistæ, *Declina à malo & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam*: donec tandem plenam inuenias & æternam.

4. Sed illud præclarum valde, si dictio, *Ex quo*, referatur ad tempus primæ vocationis, vt sensus sit. Ex quo tempore me Deus primo vocauit vt gratiam coram eo reperirem & pacem, semper murus fui, & vbera mea vt turris, quia nunquam à gratia eius recessi, nec alium amatorem præter eum admisi. Felix sponsa Christi cui conscientia tale de se testimonium perhibere potest, vt ex quo gratiam iustificationis accepit, nunquam illam per peccatum amiserit. De qua
Eccles. 27. v.12. dicitur: *Homo sanctus in sapientia manet sicut Sol, nam stultus vt Luna mutatur.* Sol lucem quam B in primo die suæ creationis accepit, perpetuo retinuit, retinet & retinebit. Luna vero mox ac lucem recepit, cœpit etiam mutationes pati, singulisque mensibus iugiter aut crescit, aut minuitur vsque ad summum, sic stulti cum multo labore per pœnitentiam pacem & lucem gratiæ coram Deo reperiunt, cito per lethale peccatum illam perdunt, quam mox iterum per pœnitentiam restaurare curant, sed paulò post destruunt. At homo sanctus speciali Dei fauore est sicut sol, quia ex primo die quo coram Deo lucem reperit & pacem, perpetuo retinuit, retinet & viriliter retinebit, dicens cum sancto
Iob.27.v.5. Iob; *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Iustificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram, neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Sed quis sicut Iob? vtinam essemus sicut Saulus, qui etsi peccator fuerit, tamen C cum primum vocatus fuit à Deo, ex tunc nunquam à iustitia discessit, audacter dicens: *Quis nos separabit à charitate Christi*? nihil ergo nos ab ea separet in hac vita, vt dicere possimus, murus fui, sum, & ero quandiu vixero, nam postea regnabo cum ipso Deo.

Pro Dominica 9. post Pentecostem.

Discrimen inter impiam Ierusalem quæ pacem Christi repulit, & Ecclesiam, quæ coram eo pacem reperit. §. 4.

Is.49.v.16. *Syon vsurpatur pro Ierusalem; pars pro toto.* PERVTILEM coronidem apponat singularis Dei prouidentia erga eos qui muri sunt Ecclesiæ, & coram eo pacem repererunt, sicut iste testatur per Isaiam dicens ad Syon seu Ierusalem, *Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.* D

1. Sed quoniam opposita iuxta se posita amplius clarescunt, reducamus in memoriam impiam Ierusalem, quæ pacem cum Deo veram habere noEzech.4. v.1. luit, sed idolis gentium inseruire, cui iratus Dominus tria ingentia mala minatur per Ezechielem. Primo enim mandauit ei vt eam describeret, non in lamina aurea, sed in latere luteo, ad denotandum quod Ieremias dixerat, *Domine, omnes qui te derelinquunt confundentur, recedentes à te*
Ierem.17. v.13. *in terra scribentur.* Quia nimirum derelinquendi sunt à Deo, & delendi de libro viuentium, vt ait
Ps.68.v.29. Psaltes, nec scribendi cum iustis, sed cum impiis in terra tenebrosa & operta mortis caligine. Deinde iussit vt ordinaret aduersus eam obsidionem, munitiones & castra in signum quod erat ab hostibus euertenda. Tandem vt sartaginem ferream poneret tanquam murum inter se & ciuitatem, vt indicaret indignam esse quam Deus benignis oculis inspiceret, nec ab eo vel ab eius prophetis auxilium habituram propter scelera quibus quasi frixa & denigrata erat, quæque instar muri ferrei eam à Deo diuidebant, vt Isaias dixerat. *Cum subIsai.59.v.2. iungit obstirmabis faciem tuam ad eam, & erit in obsidionem*, &c. sensus est, respicies eam vultu toruo, & irato, quia indignatio mea obstirmata est contra illam vt penitus destruatur.

Talis erat etiam Ierusalem quando Christus 2. Dominus in die palmarum cum ei appropinquaret, *Videns ciuitatem fleuit super illam dicens: quia*
Luc. 19.v. 41. *si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis*, &c. illa enim execranda ciuitas oblita pacis quam eius nomen præ se ferebat. Nam Ierusalem interpretatur, *Visio pacis*: noluit videre nec cognoscere veram pacem quam Christus ei offerebat, neglexitque coram eo pacem quærere, & repe-
Isai.48.v.22. rire; quin potius ei bellum indixit vsque ad mor-
Iob.9.v.4. tem crucis. Propter quod reprobata est à Deo, & destructa, *Quia circundabunt te* (inquit) *inimici tui vallo, & coangustabunt te, & ad terram prosternent te*, &c. Quod est idipsum quod prædixerat Ezechiel. *Non enim est pax impiis dicit Dominus. Nam quis restitit ei & pacem habuit*? habet quidem aliquam pacem, sed imperfectam & coram mundo, quæ cito finietur, non tamen habet veram pacem coram Deo, quæ omnem superat sensum, & non finietur?

At cum Dominus misertus est eiusdem Ierusalem, & à captiuitate Babylonica eam voluit eruere; cumque misertus nouellæ Ecclesiæ quam ex Hebræis congregauerat quæ ipsum libenter recepit, & coram ipso gratiam & pacem reperit, tan-
Cant.5.v.14. to eam amore est prosecutus vt diceret ei, *Ecce in manibus meis descripsi te*, non te scripsi in terra, sed in cœlo; non in latere luteo, nec quomodocumque in lamina aurea; sed in manibus meis, quas tu vocasti aureas plenas hyacinthis; quoniam sicut nomen vel imago personæ valde dilectæ scribi vel sculpi solet in annulis aureis cum gemmis, qui portantur in digitis (quod apud gentes in vsu fuisse testatur Plinius) ita ego te in manibus meis aureis descripsi; mihique semper vnita eris, nec inde euellam te; sicut deleo reprobos qui à me recedũt; qualis fuit ille de quo dixi, *Viuo ego dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioachim regis Iuda, an-*
Lib 35. c.2. Et Cicero lib. de finibus ait, *Epicuri imaginem in poculis & annulis à discipulis fuisse depictam.* *nulus in manu mea dextera, inde euellam eum.* Id est, etsi mihi aliquando ita fuerit coniunctus sicut annulus digito manus dexteræ, & ita dilectus vt eum sculptum geram in annulo dexteræ manus, inde propter scelera post patrata euellam illum. Sponsa vero Ecclesia ex quo coram Deo pacem inuenit, firmiter ei adhæsit, & adhærebit immobilis, tanquam murus. Vnde subdit; *Et muri tui coram oculis meis semper.* Benignis enim oculis aspicio semper eos, qui in te officium & munus obeunt, firmiterque tibi adhærent, & alios protegunt, vt ego ipse eos protegam, & ab omnibus inimicorum ictibus & telis indemnes seruem.

Sed perpendendum est valde cum inquit, *In manibus meis descripsi te*, vniuersam ciuitatem descriptam supponere, & consequenter muros qui pars præcipua eius sunt; cum ergo peculiariter addit, *Et muri tui coram me semper*, clare indicat speciali amore & benignitate respicere muros in manibus suis etiam conscriptos, quo

Ier.22.v.25. Vide dicta supra exh. 6.§.5.

niam licet totius Ecclesiæ & singulorum iusto- A rum qui coram ipso pacem repererunt, memoriam habeat & curam gerat, tamen multo maiorem præsulum & eorum qui muri sunt.

4\. Apoc.1.v.16 & 20. De hoc in lib. 8. exh. 24. § 3.

Vnde etiam est quod cum vniuersam ciuitatem scriptam in manibus dicat, tamen in Apocalypsi, septem stellas, quæ septem Asiæ Episcopos & Apostolicos viros repræsentabant, in dextera manu habere dicitur depictas, vel in annulis digitorum dexteræ manus sculptas, quod maiorem indicat æstimationem & solicitudinem circa illos. Nam dextera manus præfertur sinistræ, & per illam quasi fortius rem apprehendimus, & insigniora opera facimus. Sed cum inter hos Episcopos quidam acriter à Christo reprehendantur ob scelera sua, quomodo in dextera sua tanquam stellas seu gemmas fulgentes habere eos dicitur? hoc facile dilueremus, si ve- B rum esset quod affirmant multi Ecclesiæ Patres, [a] Origenes, Diuus [b] Nazianzenus, Hilarius [c], Diuus [d] Hieronymus, [e] Ambrosius, & alij has videlicet stellas, vt ex vltimis verbis capitis primi deducunt, esse Angelos custodes & rectores Ecclesiarum, ac Episcoporum, qui cum mundi sint ac chari Christo, apte comparantur stellis in manu eius sculptis, sed quia in cap. 2. & 3. etiam Episcopi vocantur Angeli propter eminentem officij dignitatem, quæ instar stellarum fulgent in Ecclesia, dicendum est electos qui in manu Dei inscripti sunt non esse in hac vita impeccabiles, sed aliquando delinquere etiam grauiter, sicut Dauid, prouidentia autem Dei circa illos singularis in hoc est sita vt vel teneat eos ne cadant, vel si ceciderint, ita corripiat, & in- C crepet ac minis terreat, vt resipiscant & resurgant, atque pristinam charitatem, aut vitam, aut feruorem quam amiserant, recuperent, & iterum tanquam muri firmi permaneant. Quod de prædictis Episcopis coniectare licet, sicut expresse in genere de electis docuit Zacharias propheta, dicens: *In illa die protegit Dominus habitatores Ierusalem, & erit qui offenderit ex eis in die illa quasi Dauid, & domus Dauid quasi Dei, & quasi Angelus Domini in conspectu eorum*: sed feliciores reliqui Episcopi, aliique insignes viri, ratione quorum de Ecclesia dicitur, *Ego murus*, &c. quia ex quo pacem repererunt coram Christo, non eam per grauem culpam ruperunt, sed permanserunt tanquam muri, & vbera quibus lactabant fideles velut turres fortes, stabiles, & magna sapientia ac sanctitate fulgentes, tanquam stellæ Firmamenti in perpetuas æternitates. Et tu ergo cuncta quæ diximus profunde meditare, & æmulari satage, vt vnus ex illis esse merearis ad gloriam cœlestis sponsi in secula seculorum. Amen.

a Hom.20. in num. b Orat.32. coram 150. Episcop. c In Ps.124. d In Mich. 6.&Mat 18. & ibi Maldonatus. e Lib. 2.in Luc.c 2. & Epist. 21.

Zach 12.v.8

EXHORTATIO XVII.

De virtutibus quibus beatissima Virgo præparata est ad annunciationem Angelicam, & quæ dona tres diuinæ personæ illi contulerint, etiam pro nobis. PROFESTO ANNVNCIATIONIS.

Soror nostra parua, & vbera non habet, quid dicemus ei in die qua alloquenda est? si murus est ædificemus super eum, &c. Ego murus, & vbera mea quasi turris, &c.

MYSTERIVM Dominicæ incarnationis in vtero Virginis operatum in his verbis latens propalemus. Decreuerant tres diuinæ personæ filium Dei carnem assumere ex beatissima Virgine Maria ad hoc ab æterno præelecta. Cum autem venit plenitudo temporis præ- Luc.1.v.26. definiti vt decretum istud opere compleretur, volens Deus Angelum ad Virginem mittere, vt ei illud annunciaret, quasi consilium secum iniens, vel cum Angelis suis loquens, ait; *Soror nostra parua vbera non habet, quid faciemus sorori nostræ in die qua alloquenda est*: scilicet ab Angelo Gabriele quem ad illam mittere decreui. Dum sororem vocat, singularem eius insinuat sanctitatem & gratiam, plenamque participationem diuinæ naturæ.

De humilitate & Virginitate Beatæ Mariæ. §. 1.

ET in primis in hac interrogatione duæ insignes virtutes insinuantur, per quas gloriosissima hęc fœmina digna inuenta est, quam Angelus de conceptione filij Dei alloqueretur, etsi ipsa per easdem quodammodo obstaculum tali conceptioni opponeret. 1. *Parua* (inquit) *vbera non habet*, parua vocatur per quandam antonomasiam quomodo Salomon vocatur sapiens, & Dauid Psaltes, & Angelus vocauit eam gratia plenam; sic nunc dicitur soror nostra non quæuis, sed illa eminenter parua insigni modo paruitatis. Parua non tam ætate quam humilitate; non parua virtute, sed in sui æstimatione; parua in oculis suis quæ magna est in oculis Dei. D Nonne magna quam Deus elegit in matrem? nonne parua, quæ se vocat ancillam? nunquid non maxima quæ dicitur gratia plena? at non parua, quæ se paruifaciebat tanquã gratia vacuam? sciebat enim non à se plenam, sed ab alio, quę ex se nihil erat. Sed hoc ipso digna facta est vt in illa operaretur Deus opus omnium maximum. *Quia respexit* (inquit) Luc.1.v.48. *humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est*. Id est, quia dignatus est Deus respicere me paruam voluit me facere magnam, me in suam assumendo matrem. Rursus, *Vbera non habet*. Hoc 2. ad Virginitatem referendũ est, non quomodocũq; sed perpetuo ex voto seruãdam. Nam quid mirum quod Virgo parua vbera tumentia non habeat, sed hoc præclarum quod se obstrinxerit ad nunquam habendum ea vbera quæ tument per carnalem generationem, & partum qua virginitas soluitur.

Luc.1.v.34. Nam quo sensu ipsa dixit: *Quoniam virum non co-* A *gnosco*: id est decreui nunquam cognoscere, modo dicitur, *vbera non habet*. Id est decreuit nunquam habere vbera tumentia lacte. Propter vtramque virtutem simul exaltata est vt desideratum cunctis gentibus fructum ferret, de quo inquit Isaias: Isai.4.v.2. *In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis*: Quare liceat virgini applicare quod Deus inquit per Ezechielem; Ezech.17. v.23.& 24. *Ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile: siccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum*. Lignum sublime & viride Eua fuit in Paradiso quæ de sua sublimitate confi- Genes.3 v.5 dens, superbe diuinam appetiit similitudinem, quam serpens ei offerebat, & ideo Deus humiliauit & siccauit hoc lignum vt nullum sanctum fructum ferret, sed labe culpæ infectum. At lignum humile & aridum est virgo Maria (consueuit enim Isai.53.v.3. scriptura virgines & castos ligna arida vocare) quã exaltauit Deus propter suam humilem virginitatem, & frõdescere fecit vt fructum illum ferret, de B quo paulo ante dixerat; *In monte sublimi Israël plantabo illud* (scilicet tenerũ ramorum) *& erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in Cedrum magnam*, &c. Quod licet de Christo intelligatur, tamen prior pars potest eius matri applicari, quæ tenerum fuit ramorum à progenie Dauid procedentium, plantatum à Deo in sublimi monte Is- Ierem.23.v. 5. raël. Id est in sublimi sanctitate super omnem Ecclesiam Israël quæ tunc erat; ex qua prodiit germẽ Domini Dauid, germen iustum quod est Christus, qui creuit in Cedrum magnam, in qua *habitabunt omnes volucres & vniuersum volatile sub vmbra frondium eius nidificanit*. Quoniam omnes magni & parui in eo suam spem, vitam & requiem sitam habent. En in beatissima Maria triplicem funiculum qui difficile rumpitur, sed difficile habetur, C quia rarus & maximus, nempe ingens sanctitas, profunda humilitas, & integra mentis & corporis virginitas. Nam (vt inquit D. Bernardus, quem a- Serm. 3. in Cant. libi citauimus plura de hoc dicentes) magna & rara profecto virtus est, vt magna licet operantem „ magnum te nescias; mirabilem te apparere, & con- „ temptibilem reputare: hoc ergo ipsis virtutibus „ Hom 1. in Missus est. mirabilius iudico. Rursus pulchra humilitatis & „ virginitatis permixtio, nec mediocriter placet „ Deo illa anima in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas coronat humilitatem. Hoc triplici funiculo tractus est filius Dei ad Mariam, oportebat enim sanctum nasci ex sancta, humilem ex humili, & ex virgine virginem omnis sanctimoniæ, humilitatis & castitatis autorem: eundem ergo texe tibi prout poteris, vt etiam filium Dei ad te trahas.

3\. Sed quoniam multoties virtutes, quæ sanctos sublimi munere dignos apud Deum constituunt, eos retrahere compellunt, quia se indignos putãt: Quomodo dicebat Ieremias, *a a a Domine quia* Ierem.1.v.1 *puer ego sum*, id est paruus, ignarus, & munere Prophetæ indignus; sic gloriosissimam Deiparam ipsa humilitas & virginitas à tam præcelsa dignitate acceptanda retrahebant. Ideoque auditis Angeli verbis, *Aue gratia plena*, &c. *turbata est in sermone eius*. Audiuit Eua sermonem mali Angeli di- Genes.3.v.5 centis ei, *eritis sicut dij*, sed non turbata est, quia licet tunc esset virgo, non tamen iam erat humilis, sed intus superbiæ vento inflata, & oblatam excellentiam arripere gestiebat. At beatissima Maria audita magnifica salutatione, turbata est quia parua & vbera non habet, seu quia humilis, & virgo,

A turbatur quia humilis, dum se audit vocari gratia plenam; turbatur quia virgo, dum benedicta in mulieribus nuncupatur, quod conceptionem alicuius filij inter Israëliticas fœminas indicabat, solamque vmbram fœcunditatis eam terrebat. Ideoque postea Angelo dixit: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Placuit Deo profunda hæc humilitas, placuit tam ingens amor castitatis: quia sine vtriusque detrimento cupit in electis suis ingentia opera patrare; & dum ad magna exhortatur, gaudet eos se ad ima deprimere, vt securius eleuentur ad maxima. Stupuit virgo ad Angeli nuncium, etiam postquã cognouit seruandam esse virginitatem. Nam si Elizabeth dixit: *Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?* Cur ipsa non diceret saltem in corde suo; vnde hoc mihi, quæ ancilla sum, vt sim mater Domini mei?

Quid tres diuinæ personæ B. Virgini contulerint in hac annunciatione. §. 2.

PRÆVIDENS igitur hæc cœlestis sponsus in- 1. quit: *Quid faciemus sorori nostræ in die qua alloquenda est?* Sed perpendamus prius cur tres diuinæ personæ hæc verba protulerint sub hoc communi verbo, *quid faciemus?* etenim in creatione hominis, vt superius dicere cœpimus, eodem verbo dixerunt, *faciamus hominem ad imaginem* Genes.1.v. 26. *& similitudinem nostram*, quoniam vt notat Rupertus, in venerando sanctæ Trinitatis Concilio, „ Exhor.13. § 2 mors vel perditio nostra quæ futura erat, perspecta „ Lib 3 exhort.15. est, & inde totum consilium habitum vt vnaquæq; „ persona suam operis partem susciperet. Vt scilicet „ Refertur etiã summatim ratio Ruperti lib. 2. de Trinitat in principio tunc quidem pater conderet, postea in plenitudine „ temporis filius perditum redimeret, Spiritus san- „ ctus remissionẽ peccatorum & carnis resurrectio- „ C nem perficeret. Atque ita communi Trinitatis „ consilio reædificarentur in homine deserta seculorum, &c. Sic igitur modo eædem tres diuinæ personæ de virgine per cuius filium hæc reparatio agenda erat, loquentes dicunt, *Quid faciemus sorori nostræ?* id est, quid offeremus & præstabimus ei quæ futura est nostra soror & coadiutrix in hominum reparatione? offerunt autem ei tria dona insignia quæ Angelus bis enarrauit, primo in salutatione, deinde in explicando conceptionis modo. Sed quia præparatio condigna ad hoc opus cætera præcedit Spiritus sanctus cui bonitas & sanctitas attribuitur, primo contulit illi plenitudinem sanctitatis & consequenter se ipsum, per quem sanctificantur omnes, & ideo Angelus primo vocauit eam *gratia plenam*, deinde dixit, *Spiritus sanctus superueniet in te*, vt scilicet te amplius impleat ad hoc opus in te perficiendum. Filius autem D cui tribuitur sapientia, per quem pater omnia operatur & regit, offert ei protectionem & auxilium speciale ad omnia quæ ipsa operatura erat, & Deus in illa, & ideo de eo Angelus ait: *Dominus tecum*, subaudi, assistit, & rursus, *& virtus altissimi obumbrabit tibi*. Pater vero qui fœcundam à se habet naturam diuinam, quam per æternam generationem suo communicat filio, stupendam dedit ei fœcunditatem, vt sine vlla corruptione suum filiũ generaret. Quod insinuauit Angelus, cum dixit, *Benedicta tu in mulieribus*. Et clarius cum ait, *quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*.

Præuidentes igitur tres diuinæ personæ obstacu- 2. lum perpetuæ virginitatis quod humillima virgo huic conceptioni opponebat, quasi consultantes dicunt, *quid faciemus sorori nostra quando allo-*

quenda est, ab Angelo, vt alloquenti assentiatur & munus matris non recuset? Respondent autem sibi: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.* Id est si velut murus inexpugnabilis firmissime in suo virginitatis proposito perseuerat, non destruamus murum, conseruemus in ea virginitatem, sed miraculoso quodam modo super virile pectus eius ædificemus duo vbera lacte de cœlo tumentia, quæ pulcherrima eius sint ornamenta, & velut propugnacula argentea murum ornent, vbera enim sunt velut propugnacula pectoris ad muniendum cor. Argentea vero dicuntur ob candorem pudicitiæ, & munditiam qua splenduerūt; sed quomodo fiet istud? descendat Spiritus sanctus super illam, & virtus altissimi obumbret ei; hæc sint eius propugnacula virginitatem tuentia, vt ea illæsa filium suum qui simul sit filius Dei, concipere possit & parere.

3. Nato autem tanto filio quid inde? *si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis:* ostium quidem est, per quod princeps cæli & terræ Dei filius egrediatur in mundum; sed sit semper clausum, quia ipsi ianuis clausis ingredi & egredi quocumque voluerit, est nimis facile: compingamus ergo illud tabulis cedrinis, quæ cādidæ sunt, imputrescibiles atque incorruptæ, vt perpetuo maneat clausum, & virginitatem prout optat, illæsam semper custodiat. Sicut apud Ezechielem scriptum est de porta quæ respiciebat ad Orientem; *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa principi.* Quem locum multi patres de beatissima virgine interpretantur, quæ porta est respiciens ad Orientem, id est Christum, de quo dicitur, *vir Oriens nomen eius.* Quæ semper fuit clausa, per quam solus princeps pacis Deus Israël Christus ingressus est, & egressus cum factus est homo, & natus ex illa, ita clausa permanens in perpetuum vt nullus alius per eam ingressus fuerit. Est enim (vt supra fuse perpendimus) *hortus conclusus, fons signatus,* & quomodo concluſus? muro fortissimo cum propugnaculis, & ostio vndique cedrinis tabulis compacto: id est cœlestibus quibusdam virtutibus & firmissimis, quæ incorruptam omnino seruarunt eius virginitatem, & quia tres diuinæ personæ dicunt, *ædificemus, compingamus.* Pater ædificauit super hunc murum propugnaculum potestatis, vt facillime ad omne opus bonum potentiam haberet, & omni malo ostium cordis clausum custodiret. Filius ædificauit propugnaculum sapientiæ, Spiritus sanctus propugnaculum charitatis, vt omne quod Deo placitum esset, probe agnosceret, diligeret & perficeret, ac contrarium omnino repelleret, sed quia Trinitatis opera indiuisa sunt ad extra, quod vna persona ædificat, etiam & alia, nam tantum per appropriationem hæc sunt dicta.

4. Tandem cum prudentissima virgo probe intellexisset cuncta quæ Angelus allocutus est eam; tunc respondit ei, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*; ac si diceret, parua sum, & vbera non habeo: vtrumque agnosco. Ancilla sum, nec ad dignitatem matris aspirare auderem, nisi Deus ordinasset. Fiat quidem mihi quod dicis, sed iuxta verbum tuum vt saluum sit virginitatis claustrum, vt ostium semper maneat clausum, & instar muri decretum meum semper insuperabile perseueret. Quibus verbis ita heroïcam suam ostendit humilitatem dum se ancillam vocat, & resignationem in Dei voluntatem cui se totam committit, dum ait: *Fiat mihi.* Vt tamen se murum in virginitate seruanda ostendat, dum inquit: *Secundum verbum tuum.*

Ezech. 44. v. 2.

Hieron. ibi. D. Ambr. de inst. Virg. c. 8. & Epist. 81. Aug. ser. 2. & 14. de nat. Dom. Chrysost. Hom. de Ioan. Bapt. to. 3. Dans lib. 4. de fide Orthodoxa c. 15. Cant. 4 v. 12. lib. 7. exhor. 31. §. 49

Ex quo tempore B. Virgo pacem reperit coram Deo, & facta est murus in se & nobis.

§. 3.

1. SED quomodo cum hac humilitate cohærent verba quæ statim subiungit, *Ego murus, & vbera mea velut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens?* at non ex iactantia hæc inquit humillima virgo, sed eo spiritu quo præsente Elizabet dixit, *Magnificat anima mea Dominum*, &c. *quia fecit mihi magna qui potens est.* Agnouit enim ex sola Dei benignitate processisse magnum illud opus quo assumpta est in Dei matrem, quia gratis coram eo pacem reperit, sicut testatur Gabriel Angelus, cum dixit: *Inuenisti gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero*, &c. De quo plura supra diximus. Ad hoc autem tam ingens Dei genitricis munus, alia etiam magna præcesserunt & quædam secuta sunt, & vtraque designantur per hæc verba, *Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens*, cum ait, *quasi* non diminutionem significat, sed veræ pacis explicationem, vt superius diximus. Cum vero inquit, *ex quo*, ad primum suæ purissimæ conceptionis instans referendum est. Tunc enim singulari quodā priuilegio pacem reperit coram Deo; tunc inuenit gratiam coram ipso, & assumpsit eam in sponsam; tunc debellatum imo impeditum est peccatū originis, quod inimicitiam & discordiam inter nos & Deum ingerit, tunc ablatus est ab illa peccati fomes, & concupiscentiæ ardor, ac passionum rebellio, vnde oritur intestinum bellum & lucta inter carnem & spiritum. Tunc denique omnimodam reperit pacem, & cum Deo, & cum se ipsa, & cum Angelis, atque cum patribus suis Patriarchis & Prophetis, atque omnibus iustis quibus facta est tanquam pacifica pacifici Salomonis futura mater. Ex tunc autem ait: *Ego murus* firmissimus, insuperabilis, & inuictus. Eodem enim speciali priuilegio in sapientia & sanctitate immutabilis permansit sicut sol, non quod in ea non creuerit vsq; ad mortem, sed quia gradum semel acceptum nūquam dimisit, vel minuit, vt de ea dicatur: *Thronus eius* (scilicet Christi quæ est mater ipsius) *sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum.* Non sicut Luna mutabilis & semiplena, sed plena & perfecta, plenitudinem suam in æternum retinens. Vnde subdit.

Depurissima conceptione.

Luc. 1. v. 49.

Pſ. 88. v. 38.

Et vbera mea sicut turris, ac si dicat, nunquam vberibus carui, vel ea parua & dimissa habui, semper ex illo instanti fuerunt sicut turris; quia vt suo loco probauimus, tunc coram Deo reperit pacem & gratiam incomparabiliter aliorum sanctorum plenitudines excedentem. Repleta est tunc lacte sapientiæ & scientiæ, lacte deuotionis & spiritualis dulcedinis; & amores ac affectus eius erga Deum sublimissimi ac fortissimi fuerunt sicut turris.

Lib. 1. exhor. 11.

3. Denique *ex tunc ego murus*, quia tunc Dei inspiratione concepit virginitatis propositum, quod inuiolabile perpetuo seruauit, vt vndique inueniretur circundata & munita tanquam hortus conclusus & fons signatus, ideoque nullam mentionē fecit ostij, quia decreuerat ita esse murum, ac si nullum haberet ostium. *Et vbera mea sicut turris*, nam proposita quæ semel decreuit non mollia

sunt, & fragilia, sed dura & stabilia sicut turris. Nam dura est sicut infernus æmulatio. Vnde immobilis permansit cum sponsus Ioseph voluit occultè eam dimittere; & cum acutissimus passionis gladius pertransiit animam eius, stabat erecta sicut turris iuxta crucem Iesu, nec amor aut vigor vllam passus est diminutionem.

4. Sed nunquid Deipara tantum est murus sibi an etiam & nobis? vtique & nobis, *ex quo facta est coram eo quasi pacem reperiens.* Ex quo autem refertur ad tempus in quo assumpta est in Dei matrē. Nam tunc facta est etiam & mater nostra, & pacem quam apud Deum reperit, nobis etiam inuenit, & attulit tanquam mediatrix & cooperatrix cum filio: & vbera eius de cœlo plena creuerunt sicut turres vt eum quem lactauerant, expugnarent, & reconciliarent nobis. Olim quærebat Deus aliquē qui interponeret sepem, & opponeret murum pro domo Israël: at Deipara cum vberibus suis coram Deo est sicut murus cum turribus, ea vbera illi offerens, & inter ipsum & nos opponens, ne terram dissiperi, ne iram in mundum effundat, sed potius largam misericordiam & copiosam gratiam. Quod enim saluator à patre exigit per sua vulnera, Deipara à filio impetrat per sua vbera. De quibus dixerat: *Pulchriora sunt vbera tua vino.* Non solum autem pulchriora, sed & fortiora quam vinum, quod fortissimum in libro Esdræ prædicatur. Fortissimum fuit vinū quod Moyses propinauit Deo, cum opponens se instar muri inter Deum & populum qui vitulum adorauerat, eū placare studebat, opponens simul tanquam muros antiquos Patriarchas progenitores suos. *Recordare* (inquit) *Abraham, Isaac, & Israël seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum dicens: multiplicabo semen vestrum*, &c. quo muro *placatus est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat.* Placuit enim ei vinum illud zeli, quo inebriatus Moyses, eum orabat, & se vt murum opponebat. At rigidum & mordax fuit vinum istud, nam mox eodem zelo accensus viginti tria millia hominum fecit occidi. Et postea Dominus dixit ei, *Ego autem in die vltionis visitabo, & hoc peccatum eorum.* Et addit, *Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli quem fecerat Aaron.*

Ezech. 13. v. 5. & c. 20. v. 30.

Cant. 4. v. 10.

Lib. 3. Esdræ c. 3. v. 18.

Exod. 32. v. 13.

At de gloriosissima Deipara quid dicemus? pulchriora & fortiora sunt vbera tua isto vino? cū enim ea opponis Deo tanquam murum cum turribus suis, indulgentiam omnino nobis impetras peccatorum. Moyses non impetrauit populo peccati indulgentiam quo ad culpam, sed quo ad pœnam, imo tantū dilationem pœnæ, ne scilicet tunc Deus penitus deleret omnes: at virgo gloriosissima impetrat etiam remissionem culpæ, efflagitando contritionis & pœnitentiæ donum, per quod à peccatis recedant: Vnde & nos humiliter illi dicimus; *Solue vincula reis, profer lumen cæcis, mala nostra pelle, bona cuncta posce*; ipsa ergo omnes peccatores exhortatur vt ad eam fidenter accurrant vt inueniant misericordiam, quia ego (ait) murus sum, fui & semper ero pro delinquentibus, ex quo hanc pacem coram Deo inueni, vt eorum essem patrona & aduocata donec perueniant in regnum cœlorum quod nobis Deus præstare dignetur. Amen.

De vberibus virginis plura in lib. 1. exh. 10. §. 2. dictū est, & li. 7. exh. 27. §. 4.

EXHORTATIO XVIII.

De vinea Ecclesiæ antiquæ & nouæ, ac piæ animæ: & de solicitudine quam Ecclesia gerit de vineis particularibus, anima de se ipsa, & Christus de omnibus.

PRO FERIA VI. HEBDOMADÆ II. QVADRA.

Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos, tradidit eam custodibus. Vers. 11.
Vir affert pro fructu eius mille argenteos. Vers. 12.
Vinea mea coram me est mille tui pacifici, & ducenti his qui custodiunt fructus eius.

NOVAM parabolam continent verba ista ad exprimendam curam salutis proximorum, quam Christi amor generat, est autem hæc parabola. Pacificus id est Rex Salomon, magnam habuit vineam in ea vrbe sitam quæ multos aggregat populos, qualis erat Ierusalem. Tradidit seu locauit eam custodibus & agricolis qui eam colerent, & custodirent. Quilibet vir ex iis colonis, pro fructu quem percipit, vel loco fructus, reddit ei mille argenteos, & vltra hoc qui custodiunt diligenter fructus, lucrantur sibi alios ducentos. Sint ergo mille isti argentei tui pacifici Salomonis, vel sint tibi; & ducenti his etiam qui custodiunt fructus; tamen vinea mea coram me est, id est vineam quæ mihi est propria, non trādam aliis, sed ego ipsa geram curam illius, & colere ac custodire fructus curabo, vnde maiores mihi euentus prouenient. Alij hæc vltima verba ad sponsum referunt, aliisq; variis modis explicari possunt, vt mox videbimus. Sed de cortice dicta sufficiant. Iam ad parabolæ nucleum deueniamus, supponēdo ea quæ fuse de vineis & custodibus diximus in libro secundo circa illud: *posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui.* Cant. 1. v. 5.

De vinea Ecclesiæ antiquæ. §. 1.

DVPLICIS vineæ hic videtur fieri mentio, altera quæ vocatur pacifici; altera quam sponsa vocat meam, velut Sept. vertunt, *vinea mihi mea*, id est mihi peculiariter tradita vt sit mea. Prior vinea vt D. Gregorius interpretatur, est Synagoga Iudæorum sub lege veteri degens, cuius mentionem fecit Isaias dicens: *Vinea Domini exercitium domus Israël est; & vir Iuda germen eius delectabile.* De eadem etiam Christus Dominus parabolam proposuit de patre familias, qui *plantauit vineam, & locauit eam agricolis, & peregre profectus est.* Vocatur autem vinea pacifici Salomonis, quoniam Christus qui verus Deus est, plantauit eam, & propter Christum mediatorem ac pacificatorem mundi fundata est in ea quæ habet populos, id est vt multos populos illius gentis in se congregaret. Duodecim enim tribus Israël magnam comprehendebant multitudinem, quæ populi nominantur, de quibus dicitur in Psalmo, *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?* tradidit autem hanc vineam custodibus, nimirum Moysi & cæteris Patriarchis ac Prophetis, vt custodirent eam iuxta legem à Deo ipsis traditam,

Isai. 5. v. 7.

Math. 21. v. 33.

Luc. 20. v. 9.

Pſ. 2. v. 1.

2. Sed vt omnis amphibologia ab his parabolis A eius vinea & regno dignos efficiat.
tollatur, aduertendum est in vinea mystica quæ congregatio est plurium hominum legem Dei profitentium, homines ipsos aliquando vocari vites, seu palmites, quosdam bonos qui bonum ferunt fructum, & sanctorum operum dulces vuas; quosdam vero pessimos qui iniquitatum ferunt labruscas, & spinas: aliquando vero eosdem homines nuncupari agricolas, colonos, vel custodes; similiter etiam aut bonos aut malos, quia strenue aut negligenter colunt vites animarum suarum, & aliarum quæ suæ sunt curæ commissæ; vel seruando Dei legem & præcepta, vel ea contemnendo. Et hac ratione in parabolis istis facile fit transitus à vitibus ad colonos, & è contra, quia eosdem homines repræsentant. In parabola autem huius Cantici nulla fit mentio malorum palmitum non ferentiũ fructum, nec malorum colonorum, vel custodum, quia solum agitur de vinea pacifici vt pacificus, id est vt pacifice ab eo possideatur & fructuosa est illi. Vnde Sept. vertunt, *vinea facta est Salomoni in Baalomon*, retinuerunt nomen Hebræum *Baalomon*, quod vulgata transfert, *in ea quæ habet populos* (& vt alij volunt) significat, in Domino seu possessore multitudinis. Aliisque placet nomen esse proprium loci prope Ierusalem, vbi maiores populi partis vineæ laudatissimæ & pretiosissimæ videbantur; quæ omnia indicant de vinea electa pacifice possessa, & fructus suos ferente hic esse sermonem.

3. Potissimus autem huius vineæ fructus (inquit D. Gregorius) fuit Christus Dominus ex semine
Ps.131.v.11. Ad Rom. 9. v.5. Dauid ortus, cui dictum est: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*: Vnde Paulus ait: *Quorũ patres ex quibus est Christus secundum carnem.* Quamuis autem ipse Christus se vocet vitam ve-
Ioan.15. v.1. Ierem.23.v.5. ram, cui inserti sunt omnes palmites ferentes fru- C ctum, tamen sæpius à Prophetis vocatur germen iustum, & fructus terræ sublimis in magnificentia,
Isai.4.v.2. qui etiam continebatur tanquam in vmbra in sacramentis, sacrificiis, & ceremoniis legis veteris, quæ in honorem Christi quem repræsentabant, tradita sunt illi populo, vt in eis Christum à se expectatum colerent: cum autem natus est in mundo,
Num.13.v.24. foras prodiit fructus iste magnus, scilicet ille botrus vuæ de terra promissionis in vecte allatus, quẽ impij Iudæi, maxime Scribæ & Pharisæi ac principes sacerdotum contempserunt, conculcarunt, & tradiderunt Pontio Pilato, vt in torculari crucis exprimeretur, torqueretur, & redigeretur in nihilum: dicentes quod in alia parabola refertur: *Hic*
Matth.21.v.38. *est hæres, venite occidamus eum, &c. & apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* Sed infelices dum suum odium in Christum exerebant, nescientes quid agerent, opus nostræ redemptionis perficiebant, sibique æternum parabant exitium. Sicut ipsi testati sunt audita parabola: nam suscitante Christo, *cum venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? aiunt illi: malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Quod Dominus confirmans ait, *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Quam appellauerat vineam, vocat regnum Dei, id est à vobis perfidis, & incredulis auferetur dignitas qua potiebamini, vt deinceps non sitis vinea, nec regnum Dei, nec apud vos sit verus Christus, nec lex eius, nec sacramenta, & sacrificia scripturæ sacræ, ac cætera bona ipsius, sed hæc omnia tradentur genti, quæ hunc fructum qui Christus est, magnificiat, & fructus

Et de his subdit præsens parabola, *vir affert pro fructu mille argenteos.* Sumitur *vir* distributiue pro quolibet viro ex custodibus, & significat cætum Apostolorum & discipulorum Christi ex eadem gente desumptum, & qui illos secuti sunt. Hi enim Apostolici viri pro hoc fructu sibi acquirendo, seu vt Christum sibi lucrifacerent, dederunt cuncta quæ habebant, relinquentes cuncta temporalia, & mundi pretiosa quæ per mille argenteos Act.3.v.34. & c.4.v.33. designantur. Quod primitiui Christiani similiter fecerunt, cum vendebant possessiones & agros, proiiciebantque ad pedes Apostolorum vt Christũ & Euangelij perfectionem sectarentur.

Ex tunc autem cœpit posterior vinea, nempe Ecclesia noua, gentes etiam comprehendens, quę propria vinea est Christi Domini (siue sit dicenda alia, siue tantum eiusdem vniuersalis vineę alius status) & de hac sponsus ait, *vinea mea coram me est.* Antiqua vinea non sic erat coram me; de ea enim di- B citur quod qui plantauit eam & locauit agricolis, *peregrè profectus est*: quod absentiam significat: nondum enim natus erat Christus. At vinea mea hæc noua semper coram me est, & ego ipse curam illius gero. Hæc iuxta D. Gregorij interpretationem. 4.

De vinea Ecclesiæ nouæ. §. 2.

SED reliqui patres totam parabolam de vinea pacifici Salomonis Christi interpretantur, plãtata ab ipso *in ea quæ habet populos*: quo distinguitur à vinea antiqua, quæ vnicum tantum populum Israël complectebatur, vt ex Isaia constat. Et licet ipse Christus primum venerit ad quærendas oues quæ perierunt domus Israël, tamen legem suam omnibus populis & nationibus voluit prædicari. *Prædicate* (inquit Apostolis) *Euangelium* Marci 16.v. 5. *omni creaturæ, & eritis mihi testes Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* In cuius signum cum primum in die Pentecostes lex Euangelica promulgata est, erant Ierosolimis viri ex plurimis mũdi nationibus, Parthi, Medi, & Elamitæ, &c. & donum omnium linguarum concessum est Apostolis, vt omnibus mundi nationibus fidem prædicarent. Quæ autem de vinea vniuersalis Ecclesiæ dixerimus, etiam de vinea religionis poterunt intelligi, quæ plures Prouincias, & conuentus in toto Christiano orbe complectitur. 1. Act.1.v.8. Act.2.v.9.

Pacificus autem Rex vineæ Dominus, *tradidit eam custodibus.* Sed cur sponsa custodes vocat, & de se etiam supra dixit: *Posuerunt me custodem in vineis*: cum tamen Christus Dominus in para- D la, vocauerit eos agricolas & colonos? diuersum enim est agricolæ, & custodis munus; illius enim ingentes sunt labores vt vinea fructus ferat, nempe fodiendo, propagando, putando, noxias euellendo herbas, & alia huiusmodi operãdo: Ad hunc autem tantum spectat fructus iam ortos custodire, ne à furibus aut bestiis eripiantur, at vtrumque simul singulis fidelibus, & maxime Prælatis ac doctoribus conuenire potest, quos saluator agricolas vocauit & colonos, vt meminerint propriæ industriæ ac laboris quem adhibere tenentur, vt sua libera voluntate diuinæ gratiæ cooperantes fructus ferant sanctitatis. At sponsa quæ maxime studet humilitati, vocat eos custodes, vt intelligant fructus non oriri ex propria industria & labore, sed potissime ex Dei gratia, & auxilio: quia teste Pau- 2.

1.Cor.3.v.7 lo: *Nec qui plantat est aliquid, neque qui rigat,* A *sed qui incrementum dat Deus.* Cui præcipue agri-
Ioan.15.v.1. colæ nomen competit, & munus, iuxta illud, *Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est.* Nihilominus tamẽ custodes vineæ & fructuum, etiam laborant vt nascantur, & crescant. Displicet enim Deo pigrorum custodia, quæ otiosa est & inutilis
Matth.25. v.17. Luc.19.v. 20. sine prouentu aliquo. Qualis fuit eorum qui vnum talentum, & vnam mnam quam receperant, custodierunt, abscondendo subtus terram vel in sudario reponendo. Quos acriter increpauit Dominus quia nihil proprio labore superlucrari conati sunt. Vtrumque ergo munus fideliter age, non tuis viribus nixus, sed diuinis, quia nisi Dominus ædificauerit domum, aut custodierit ciuitatem, frustra la-
Ps.126.v.1. borauerunt qui ædificant aut custodiunt eam.

3. Vnde de huiusmodi colonis dicitur, *vir affert pro fructu mille argenteos*, id est quilibet iustus qui virilem habet animum, & strenuus est ac fortis, in laboreque assiduus, pro fructibus quos percipit ex vinea aut vice fructuum reddit mille argenteos, relinquens omnia bona temporalia effectu ipso veluti religiosi, vel saltim affectu sicut reliqui iusti, vt ea tradat & offerat pacifico regi Christo: iuxta id quod scriptum est, *qui non renunciat omnibus*
Luc.14.v 33 *quæ possidet non potest meus esse discipulus, &, si vis*
Matth.19.v. 21. *perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pau-*
Matth.13.v. 44. *peribus.* Nam inuento thesauro & vna pretiosa margarita libenter homo vendit omnia quæ habet, vt emat illa. *Si enim dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam,*
Cant.8.v.7. sicut iam supra visum est. Potissimus enim fructus vineæ est Christi dilectio, pro qua merito reddun- tur mille argentei, qui innumeram & perfectam multitudinem significãt, & ita omnia comprehendit. Cum ait, *affert*, spontaneam indicat adductio- C nem, omnem excludentem coactionem, repugnantiam vel tædium, quia hilari & libenti animo cuncta tradit, ac si nihil dedisset. Vnde etiam afferre dicitur mille argenteos, cum pro acceptis beneficiis reddit Deo innumeros, & quasi immensos affectus gratiarum actionis & laudis; & plures etiã animas quas Deo lucrari conatur, vt vinea eius crescat & protendatur. Et denique plura reddit & magna incremẽta meritorum, quibus vitam æternam & ingentia præmia consequatur. Nam quæcumque Deo reddimus, ipse tanquam depositum nostrum custodit redditurus pro illis coronam iustitiæ iustus iudex.

4. Sed cum ait, *vir* non sexum denotat, sed virilem
Prou.18.v. 9 animum, vt excludat fœmineum & mollem, *nam*
Isai.5.v.5.& 8. *qui mollis est & dissolutus in opere suo, frater est suæ operis dissipantis.* Effœminatus est de quo dicitur, *Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas: expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: iu-* D *stitiam, & ecce clamor.* Fortis autem debet esse & constans, qui huius vineæ colonus est & custos. Dicitur autem in singulari *vir*, vt sciamus vnumquẽque hominem custodem esse huius vineæ, & pensionem à Deo impositam illi tributurum: nec in-
Matth.22. ter millia millium vnus latêre poterit, qui ratione vineæ sibi locatæ non reddat. Sicut non latuit inter plurimos conuiuas vnus qui veste nuptiali indutus non erat. Præcipue autem vir significat prælatorum & doctorum cætum, cui potissime est cura & custodia vineæ demandata, quibus necessarius est virilis animus, fortis & audax, vt munus suum digne obeant, & Deo mille reddant argenteos. Non ait mille aureos, quoniam argentum ad eloquia Dei casta, purgata, candida & sonora refer- tur, quæ in doctoribus maxime splendent. Vnde mille argentei includunt quidquid perfectionis est in Euangelica lege, siue in vita actiua, siue in contemplatiua, siue erga Deum, siue erga proximos; quia cuncta hæc pro fructu afferre debent qui in statu sunt perfectionis, nam ab eo cui plus datũ est, plus exigitur, & maiorem Deo tenentur reddere pensionem.

Non desunt qui nomine *viri*, hoc loco intelligãt 5. ipsum Christum, de quo dicitur, *vir oriens nomen* Iustus Orgelitanus. *eius*, qui custodibus & colonis vineæ recte suum exequentibus ministerium, affert pro fructu, id est pro præmio fructus quem ex vinea collegerunt, mille argenteos, id est consummatam remunerationem, quæ omnium bonorum plenitudinem cõtinet, tribuens eis paratum sibi regnum cœleste à constitutione mundi. Ita quod mille argenteos referatur ad præmium conferendum à Deo, non ad censum pro fructu præstandum à nobis. Quod B sponsus ait vt colonos & custodes ad fideliter laborandum exhortetur, dum tam copiosam sibi audiunt seruatam remunerationem. Mille autem argentei sunt quod in alia parabola denarius vocatur. Nam numerus denarius sicut millenarius Matth.20. v.22. perfectionem indicat; sed de præmio mox dicemus.

De vigilanti curæ Ecclesiæ circa vineam sibi propriam. §. 3.

SED iam quid addat sponsa, quæ ad sublime ascendit perfectionis fastigium, videamus. *Vinea* Serm.22.in *mea coram me est* (sponsæ enim consequenter hæc Ps.118.v.8. verba tribuunt Theodoretus, D. Ambrosius & alij) loquitur autem Ecclesia vniuersalis de Ecclesiis particularibus, vel Ecclesia Romana cum suo capite Romano Pontifice de aliis, vel Ecclesia pro cœtu Prælatorum & Doctoribus de reliquis fidelibus; aut denique Ecclesia de qualibet anima sibi subdita. Nam ex supra dictis constat nomen vineæ iam in singulari, iam in plurali vsurpari pro qualibet congregatione fidelium, aut pro qualibet anima in qua plures sunt potentiæ velut vites. Hac 1. autem phrasi summam solicitudinem quam suæ vineæ gerit declarat, ac si diceret: vineam meam non colo vel custodio per alienos agricolas, vel custodes: ego ipsa sum agricola illius: ego custos, ego semper sum in ea, inspiciens cuncta quibus indiget, & quæ illi prodesse valent. Nam oculus Domini saginat fundum. Tota huic operi intenta ero, nec ad aliud mentem diuertam: sic enim vberiores & excellentiores fructus feret. Dum ait, coram me, per pronomen me, intelligit Pastores qui insignes partes sunt illius, ei per amorem firmiter adhærentes in Christo, de quibus vaticinatus est Oseas Propheta dicens: *Dabo ei vinitores eius ex eodem loco,* Oseæ 2.v.15 qui scilicet vineæ curam gerant, non tanquam alienigenæ, & mercenarij, sed ex amore tanquam proprij vinitores, ad quos spectat vinea, quia ea quæ Dei sunt, tanquam propria respiciunt, & ideo dicunt, *vinea mea coram me est*, nihil enim vtilius aut efficacius est ad cuncta ministeria egregie præstanda quam semper illa præ oculis habere; & animum vehemẽter applicare ad ea quæ Deus iniungit præcellenter efficienda. Subditorum autem motus & mores accurate etiam inspiciẽdi sunt & præ oculis habendi, vt melius & opportunius eis subuenire valeamus. Propter hoc enim scriptum Prou.27.v. est: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque* 23. *greges considera.* Vnde subdit sponsa, *mille tui paci-* 24

fici, subaudi, etiam sunt coram me. *Pacifici* est in genitiuo cum pronomine *sui*, vt sensus sit; mille argentei qui tui sunt, ô Rex pacifice, & qui tibi pro fructu debentur, quosque vir fortis & strenuus affert tibi, etiam sunt corã me, & summa solicitudine ac vigilantia curo illos reddere tibi. Nam vinea mea, tua est potius quam mea, & censum quem pro ea exigis, libentissime tibi impedire gestio: quia valde iustum est quæ de tua manu accepimus, reddere tibi. Mille autem argentei quos ego reddere possum, tui sunt, & à te accepi, vt iterum tibi reddam illos. Cuncta enim sanctitatis perfectio & plenitudo meritorum à te est, eam tibi ad tui nominis gloriam lubens offero, & quid quod hæc reddam, cum omnes penitus fructus tibi seruando dixerim? *omnia enim noua & vetera seruaui tibi dilecte mi.*

3. Inde autem quid emolumenti sequetur? *docenti iis qui custodiunt fructus eius.* Spero me consecuturam duplicatum præmium quod polliceris custodibus vineæ qui fideliter custodiunt fructus
In hunc locum. eius. Quid inquit D. Gregorius, per ducentos intelligimus, nisi duplicem retributionem quam acquirimus dum in hoc mundo perfecte pro Christo omnia terrena contemnimus, iuxta id quod relinquenti omnia promissum est: *Accipiet*, inquit, *centies tantum nunc in tempore hoc, & in futuro seculo*
Marci 10.v. 29. *vitam æternam.* Idem autem duplicatum præmium (ait D. Anselmus) retribuitur custodientibus vineam cum se immaculatos Deo seruant, & alios lucrantur: nam iuxta sententiam Apostoli, *qui bene*
1. Ad Timoth. 5.v. 17. *præsunt Presbyteri duplici honore digni habentur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Vnde & seruis qui quinque vel duobus talentis totidem lucrati sunt, dixit Dominus eius, *Euge serue*
Matth. 15. v. 21. *bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Possumus etiam mille argenteos referre ad retributionem æternam, ducentos vero ad temporalem: ac si dicat, mille tui & ducenti erunt iis qui custodiunt fructus vineæ; mille in
Iuxta hæc pacifici est nominatiuum pluralis, vt infra dicetur. cœlo, & ducenti in terra: mille tanquam plena merces, ducenti tanquam quid superadditum ad huius vitæ solamen. Vel etiam referri possunt ad duplicem beatitudinem conferendam in cœlis, alteram essentialem quæ in Dei clara visione consistit, & est plenissima retributio omnem satians appetitum, & ideo merito millenario comparatur; alteram accidentalem ex pluribus gaudiis, laureolis, & aliis donis quæ in dies renouantur in beatis, & comparantur ducentis, quæ quinta pars sunt millenarij, vt etiam quinque corporis sensus qui diuinæ visionis non sunt capaces, propriam habeãt mercedem & beatitudinem, per quam iuxta captũ suum plene etiam saturentur.

De cura vniuscuiusque circa propriam vineam. §. 4.

1. Hinc deducere licet quomodo vnusquisque curam gerere debeat vineæ sibi commissæ, siue per vineam intelligas propriam animam, siue proprium statum religionis, aut castitatis, vel proprium officium, & viuendi modum ex Dei voluntate assumptum, vt loco citato diximus. De hac autem oportet dicere, *vinea mea coram me est*, seu
Lib. 2. exh. 19. iuxta Sept. *vinea mihi mea in conspectu meo.* Id est semper habeo præ oculis illam vt perfecte agnoscã me ipsum, & ea quæ ad statum meum spectant, vt cuncta sedulo opere perficiam. Quantumuis autẽ Prælati & Pastores mei curam gerant, ego tamen non obliuiscor mei, quia mihi potissimè animæ meæ & status mei cura est demandata: idem ergo est, vinea mea seu anima mea coram me est, ac quod Moyses commendauit in illa insigni sententia à patribus celebrata *attende tibi?* de qua elegantem fecit Homiliam D. Basilius, quæ huius loci insigne est commentarium. Attende (inquit) tibi-ipsi, hoc est teipsum omni ex parte collustra, & circonspice, animæ oculum ad tui ipsius custodiam habeto peruigilem, in examen te ipsum aduoca, quis ipse sis; tuam ipsius naturam fac vt noueris. Habet domus quæ Ecclesia Dei viuentis est, viatores, architectos, ædificatores, agricolas, pastores, athletas, milites, viatores; attende tibi ipsi, neu ad dexteram deflexeris, vel ad sinistram. Architectus solido, tutoue in loco iaciat, & collocet fidei fundamentum, quod est Iesus Christus. Ædificator, quo pacto ędificet videat, vt ne ligna, non fœnum, neque calamum, sed aurum, argentum, lapides pretiosos. Pastor es? attende ne quid te prætereat eorum quæ ad obeundum munus istud pastorale attinent. Agricolationis professor? ficum infructuosam si est, circunfodito, illique ingerito, quæ conductura noueris ad edendos fructus. Miles? collabora Euangelio, milita bonam militiam contra spiritus nequitiæ, aduersus vitiosas carnis affectiones; induitor omnem armaturam Dei. Athleta es? attende tibi ipsi, ne quem ex legibus athletico agoni præscriptis inueniare transgressus. Nam nemo coronabitur nisi qui legitime certauerit. Hæc carptim ex D. Basilio quæ omnia comprehendit sponsæ solicitudo, cum ait: *Vinea mea coram me est*, vt tam me ipsam, quam quæ mei officij sunt, probe nouerim, & eorum curam geram assiduam.

Deut. 27. v. 9. iuxta lxx. interpretes. Hom. 3. in id *attende tibi.* Vide in lib. 3. exh. 15. in id *ignoras te.*

Ad hoc etiam respicit quod de mysticis animalibus Ezechiel inquit: *Vnumquodque coram facie*
Ezech. 1. v. 12. *sua ambulabat*, quod (inquit D. Gregorius) est sibimetipsi absentem non esse. Omnis enim iustus qui
Hom. 4. in Ezech. vitam suam solicitus aspicit, & diligenter considerat quantum quotidie in bonis crescat, aut fortasse quantum à bonis decrescat, iste quia se ante se ponit, coram se ambulat, quippe qui vigilanter videt, vtrum surgat, an defluat. Quisquis vero custodiam sui negligit, & discutere quæ loquitur, quæ cogitat, aut despicit, aut nescit, coram se iste non ambulat, quia qualis sit in suis moribus vel actibus ignorat. Sic ille idem ergo est, *vinea mea coram me est*, id est, totus vitæ meæ decursus est coram me, est mihi præsens, vt quid sim, quid agam, quid mihi opus sit non me lateat. Antea plorabam amare, quia *filij matris meæ pugnauerunt contra me, po-*
Cant. 1. v. 5. *suerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui*, sæua enim eorum persecutio, & nonnulla mea incuria in causa fuit vt vineæ meæ custodiã negligerem: at postquam gratia tua ab eorum tyrannide eruta sum, & facta quasi coram te ipso pacem reperiens, vinea mea semper coram me est, nec deinceps custodiam negligam, ne aliquid deterius mihi contingat.

2. Præterea cum ait, *vinea mea mihi coram me est*, 3. insinuat illam solam coram se esse, nec curare alienas, nec coram se illas habere. Illas inquam, in quibus olim posita est custos à fratribus. Non est corã me vinea mundi, nec vinea carnis, nec ea quæ in seculo habentur pretiosa, quin potius hæc omnia contemno, eorumque obliuiscor & retro me proiicio: *Nam quid prodest homini si vniuersum mun-*
Matth. 16. *dum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Quid mihi emolumenti ex alienis vineis, ma-
Deut. 32. v. 32. xime ex iis quæ Sodomorum dicuntur? nam *vna eorum*

eorum vua fellis, & botri amarissimi. Sed præterea cum pacificus plures habeat vineas, plures status, munia, & ministeria ad sui cultum & obsequium deputatos, *vinea mea mihi coram me est*; illa tantum est coram me quæ mihi ab ipso est tradita, non quæ ad me non attinent, sed ad alios. Institutum religionis in qua vocatus sum, vinea mihi mea est, & coram me erit semper; illius curam geram, eius obligationes opere complebo; cætera non curo; sed iis quibus commissa sunt, relinquo: iuxta illud,
1. Ad Thess. 4. v. 11. *Rogamus vos fratres vt abundetis magis, & operam detis vt quieti sitis, & vt vestrum negotium agatis.* Sed de his plura locis citatis.

4. Sed alio modo hæc verba singulis iustis applicemus. Duplex enim vinea cuius hic fit mentio, duplex studium est vel actionis, vel contemplationis: illud vinea est in ea quæ habet populos, quia vita actiua circa proximos exercetur per opera misericordiæ quæ corporalia vel spiritualia dicuntur, per quæ ingentes producuntur fructus & animarũ lucra quæ Deo redduntur. Studium autem contemplandi non est in ea quæ habet populos, quia potius populos fugit, & ad solitudinem euolat, solumque de ea dicitur, *vinea mea coram me est.* Hanc ego ipsa excolo, botros nutrio, vinum exprimo; vinum inquam amoris & deuotionis, atque cœlestium affectuũ. Hos offero tibi instar mille argenteorũ, quia valde tibi placere scio: de illa dicitur, *Martha satagebat circa frequens ministerium*, & solicita est er-
Luc. 10. v. 4. ga plurima: de hac, *Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Quia duxerat illam ad internam solitudinem vt loqueretur ad cor eius. Illa dicit, *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum*, &c. *mane surgamus ad vineas, videamus si vinea nostra floruit.* Hæc solum ait, *vinea mea coram me est*, non alias, sed meam inspicio & florere curo: iuxta hanc autem interpretationem ad vineam istam pertinẽt cuncta fidei mysteria & scripturæ sacræ quæ in Dei cognitionem & amorem ducunt, quæque semper debent coram nobis esse, vt in eis ipsum Deum contemplemur & amplius ei vniamur.

5. Sed vt scias quã sublimis sit & purus huius vitæ finis & scopus, audi horum verborũ subtiliorem & magis reconditũ sensum, in quo præclare splendet
Nota. ingenuus & flagrans sponsæ animus super omnia lucra & propria cõmoda eleuatus, solius sponsi fatiata præsentia. Solent ardenter se amantes his nominibus se compellare; tu es mea hæreditas, delitię meæ atq; diuitiæ. Hoc affectu spõsa dilecto suo ait: *Vinea mea coram me est, mille tui pacifici*, &c. ac si diceret, tu sponse mi, rex pacifice, pretiosam habes vineã, plurescq; agricolas, & custodes qui eã colunt, à quibus recipis annuos census ingẽtes, & duplicarũ illis reddis præmiũ. Hæc omnia sint tibi & illis, & de hoc gaudeo, sed & gaudebo. At ego quid dicam? *Vinea mea coram me est*, tu ipse es vnica vinea mea, tu vitis mea, tu botrus & fructus meus: tu mille mihi argẽtei, tu duplicatum præmium, in te solo habeo cuncta quæ desidero, & nihil præter te habere cupio, tu es semper corã me & in conspectu meo, in te omnis mea cogitatio, & omnis cordis mei affectus, nunquã obliuiscar tui nec à te patiar separari tanquã dilectissimã vineã meã; te colã & custodiã, & cultui ac iugi tui obsequio me totam
Ps. 72. v. 25. mancipabo. *Quid mihi enim est in cœlo, & à te quid volui super terram. Deus cordis mei & pars mea Deus in æternũ.* Ecce fastigiũ vitæ contemplatiuæ quæ in solo Deo quietem & saturitatem inuenit, nec aliud præter ipsum quærit, nõ vagatur sicut Martha circa plurima, sed vnum tantum necessarium appetit, idque semper coram se habet, implens id quod Abrahæ dictũ est: *Ambula coram me, & esto perfectus.*
Genes. 17. v. 1.

Vnde etiã simul deduces ex eadem parabola illa duo quæ ardẽter desiderabat D. Augustinus dicẽs Deo; Nouerim me, & nouerim te; itẽ alia duo scilicet, ambulare corã te, seu corã facie tua, vt de animalibus Ezechielis diximus, & ambulare corã Deo, sicuti de Abrahã, & Enoch dictũ est. Vtrumq; complectitur hæc vox, *vinea mea coram me est*, quia vinea mea est anima mea, & vinea mea est Deus meus. Vtriusque curam, sed diuerso modo geram, nam animam meam excolam, vt dilecto placeam, non propter aliud, sed propter ipsum, quia ipse mea hęreditas, vinea, fructus & præmium est.

6.

De cura quam sponsus gerit vineæ suæ. §. 5.

1. Sed iam cum communiori patrum sententia hæc verba, *vinea mea coram me est*, sponso attribuamus, qui peculiarẽ suæ vineæ testatur habere prouidentiam & curam; ac si dicat, etsi illam tradam agricolis & custodibus, semper tamen coram me est, illius curã gero. Ego solertior agricola, ego vigilãtior custos, ego præ oculis illã semper habeo vt nihil necessariũ aut vtile desit illi: ego protegã illã ne cõculcetur à bestiis, ne diripiatur à tyrannis, ego ero illi sęps & murus vndique circuncingens illã, vt fructus illæsi permaneãt. Hoc itaque dicit in fine Cantici quod Apostolis dixisse refert D. Matthæus ad calcem sui Euangelij, *Ecce ego vobiscũ sum*
Matth. 28. v. 20. *omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.*

D. Gregor. Cassiod. Arsel. Rupert. & etiam D. Ambr. lib. 1. de Virgin.

Vtrumque autẽ duplici de causa dictũ potissime creditmus; prior ad consolandũ tristes & erigendũ pusillanimes, ac vt sciant agricolę & cultores vineæ secũ habere Dominũ qui potens est auxiliari illis, eosq; tueri, quomodo & afflictã Ierusalem consolatus est cũ dixit: *Non obliuiscar tui, ecce enim in ma-*
Isai. 49. v. 16. *nibus meis descripsi te, & muri tui in oculis meis semper*, id est, semper te præsentem habeo, & tu ipsa corã me es vt misereat tui; sed posterior causa est vt curent agricolæ strenue suum obire munus, siquidem oculi Domini super illos sunt, & super vineã, non solum vt laborantes adiuuet, sed etiam vt pigros & otiosos puniat, remuneret autem impigros & strenuos. Dixerat in alia parabola vt vidimus,
Matth. 22. v. 33. ipsum locata vinea agricolis peregre profectum esse, quia se gerebat tanquam absentem vt eorum fidem, & solertiam probaret: at modo monet nos reuera non esse absentem à vinea, sed semper illam coram se habere, ne infidi simus & segnes, sed reuereamur intuentem nos, & impigre laborare non cessemus. Nam *beatus vir qui in sensu suo cogita-*
Eccles. 14. v. 22. *bit circunspectionem Dei.*

Subdit autem sponsus vt gratum se præbeat custodibus vineæ; mille tui pacifici: nomẽ pacifici est, vt diximus, in recto pluralis, & sensus est, mille argentei tui quos mihi offers in pensionem pacifici erunt tibi, id est, secure tibi seruabuntur, & pacem magnam conferent, nam *fructus iustitiæ est pax*, & quæ digne regi pacifico Christo offerimus, pacifica nobis fiunt, magnam infundendo pacem, & conscientiæ securitatem, ac tranquillam iucunditatem; & sicut nos quæ de manu eius accepimus reddimus illi, ita vicissim quæ de manu nostra accipit, iterum retribuit nobis, quatenus eius dona vult nostra esse merita, & propter hæc merita noua retribuit dona & præmia, & qui omnia reliquit propter Christum non illa amittit, sed meliorat, nam habebit thesaurum in cœlo qui dabitur illi in tempore suo. Vnde subdit, & ducenti iis qui custodiunt fructus, id est: Super

hos autem mille addam ducentos his qui perſeue- A
rauerint, bene cuſtodiendo fructus, quia in *terra*
Iſai.61.v 7. *ſua duplicia poſſidebunt*, duplicem ſtolam gloriæ,
duplicem animæ & corporis felicitatem, duplicem
coronam eſſentialis & accidentalis beatitudinis:
Denique mille & ducenti argentei pacifici erunt
tibi, quia omni bonorum cœleſtium plenitudine
Luc.6.v.38. repleberis, *menſuram enim bonam & confertam &*
coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum ve-
ſtrum, nec vllus erit qui hanc menſuram poſſit mi-
nuere; nemo qui exterreat & pacem auferat: iux-
ta illud: *Erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſi-*
Iſai.32.v.17 *lentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum, & ſe-*
debit populus meus in pulchritudine pacis, & in ta-
bernaculis fiducia, & in requie opulenta. Ibi enim
fiet coram eo pleniſſimam pacem reperiens.

4. Tandem poſſunt hæc verba Deiparæ aptari quæ
DeDeipara vineas Chriſti reputat propriæ, & de qualibet a-
nima ſibi deuota dicit, *vinea mea coram me eſt*, B
quia illius ſingularem curam gerit vt fructum fe-
rat, & retributionem non amittat. Sed quia plura
de hoc ſæpius dicta ſunt, id attigiſſe ſufficiat. Cum
igitur tam ingentem Deus gerat curam ſuæ vineæ,
& ſolicitudinem colonorum vt augeat laborum
merita, & conferat eis vberrima præmia, eſto etiã
tu fidus Chriſti colonus, & vigilans vineæ tuæ cu-
ſtos, ac fructus quos ſemel tuliſti, conſtanter ſerua
ne pereant, quia vbi deeſt perſeuerantia nihil pro-
derunt plura & magna acquiſita merita, ſunt enim
velut merces in ſacculum pertuſum miſſæ; qui au-
tem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit,
Aggei 1.v.6 & omnium bonorum operum quæ aggregauit, in-
tegram & plenam recipiet mercedem in ſecula ſe-
culorum. Amen.

EXHORTATIO XIX.

De efficacia diuinæ vocis excitantis ad canen-
das Dei laudes: de cantu & publica oratio-
ne in templis, atque de communicatione in-
ter Deum & animam per voces internas,
& de affectibus illius.

VERS.13. Quæ habitas in hortis amici auſcultant, fac
me audire vocem tuam.

LXX. Qui ſedes in hortis amici ſunt intenden-
tes voci tuæ, vocem tuam inſinua mihi.

IAM ad totius Cantici coronidem D
accedimus, quod mutuum dulce-
que inter Deum & Eccleſiam, vel
piam animam colloquium eſſe di-
ximus. In hac autem peroratione
mutuum vtriuſque inſinuatur de-
ſiderium audiendi alterius vocem. Vulgata enim
ſponſo hæc verba attribuit dilectæ ſuæ dicenti:
Quæ habitas in hortis, amici auſcultant fac me au-
dire vocem tuam. E conuerſo autem Septuagiſta
ſponſæ aſſignant ita ſuum ſponſum alloquenti,
qui ſedes in hortis, amici ſunt intendentes voci tuæ,
vocem tuam inſinua mihi. Sæpius alter alterius vo-
cem audierat; ſed ardenter amantium eſt nun-
Cant.2.v.8. quam ſe mutuo ſatiari colloquio, bis illa dixerat,
& c.5.v.2. *Vox dilecti mei, en dilectus meus loquitur mihi,*
Cant.2.v.14 &c. ille autem, *ſonet vox tua in auribus meis, vox*
enim tua dulcis. Et tamen iterum ſe inuicem ro-
gant vt vocem ſuam emittant, vel inſinuent.
Quamuis autẽ de varietate & efficacitate harũ vo-
cũ plurima in ſuis locis dicta ſint à nobis; quoniã
tamen præſens ſententia vtramque vocem Dei &
animæ peculiari quodam modo comprehendit, ea
nunc ſuperaddemus quæ maxime conducunt ad
ſupremam communicationem inter ipſos radici-
tus declarandam.

De voce Dei quæ ſufficienter vel efficaciter nos excitat ad orandum. §. 1.

1. PRIMO autem ſupponendum eſt vocem Dei
internam quæ eſt eius inſpiratio, ſeu illuſtra-
tio, ſemper præcedere vocem animæ ad Deum,
quæ eſt eius oratio vel laus, aut gratiarum actio,
vel quicumque effectus vel actus ad eius cum Deo B
communicationem ſpectans. Oportet enim quod
gratuita Dei motio animam præueniat, excitet, &
inducat, vt cum eo ſicut par eſt, loquatur. Nam ſi 2.Cor.3.v.5.
non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis
quaſi ex nobis, quia omnis noſtra ſufficientia ex
Deo eſt, nequibimus etiam aliquid amare, deſide-
rare & loqui cum Deo, niſi per gratiam præuenien-
tem ſufficientes nobis vires præſtet, ipſe enim ope-
ratur velle, & perficere pro bona voluntate qua
ſuos proſequitur electos. Hinc eſt quod licet Can-
ticum Canticorum inchoetur à voce ſponſæ dicen- Ad Phil.2.v.
tis, *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Tamen ad hanc 13.
vocem emittendam excitata eſt per aliam ſponſi
ad fores eius pulſantis, ſicut teſtatur eadem ſponſa
cum in capite quinto ordinem eorum quæ cum
ſponſo ſibi contigerunt narrat dicens, *Ego dormio,*
C *& cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulſantis*, &c.
vt ibi explicatum eſt.

2. Huiuſmodi autem vox, quæ & vocatio dicitur,
bifariam aſſignatur à Theologis: alia eſt ſufficiens,
ſed non efficax; quia intus quidem auditur, ſeu
ſentitur (cum enim ſpiritus Dei intus loquitur,
non poteſt non vox eius audiri, *quia ſpiritus vbi* Ioan.3.v.8.
vult ſpirat, & vocem eius audis,) ſed tamen mul- Prou.1.v.24
toties tua ſegnitie non ei aſſentiris. Ideoque tunc
non eſt efficax, ſicut de quibuſdam dicitur, *quia vo-*
caui & renuiſtis. Alia vero vocatur efficax, quia
tali tempore & loco, talibuſque circunſtantiis cor
hominis tangit, vt mox aſſentiatur; Deus enim per
eam vocem ita fortiter & ſuauiter mouet vt faciat
eum aſſentiri, & hanc efficacitatem denotant ver-
ba iſta ſponſi, *quæ habitas in hortis, amici auſcul-*
tant, fac me audire vocem tuam. Id eſt, locus hor-
torum aptus eſt ad canendum, amici plures ſunt
hic deſiderantes te audire canentem, fac ergo vt
canas, & vocem tui Cantici ego audiam. Cum ait, D
fac, ipſe facit vt faciat, & operetur, & velit & per-
ficiat, at inter has voces Dei internas quæ animæ
inſinuantur, quædam ita ſunt ſignificatiuæ eius
quod Deus à nobis vult & exigit, vt non mox id
efficiant, nec omnem auferant repugnantiam, vt
cum Moyſi dixit vt iret ad Pharaonem qui ter vel
quater ſe excuſauit, prius quam Deo loquenti obe-
diret, & cum ſponſæ dixit, *aperi mihi ſoror mea*,
&c. non ſtatim obediuit, nec aperuit. Aliæ tamen
voces ſunt quaſi effectiuæ, nam ſimul rem oſten-
dunt, & ita cor impellunt vt mox ſequatur effe-
ctus, ſicut cum vocauit Matthæum & Saulum.
Tunc enim Deus dat voci ſuæ vocem virtutis, vt Pſ.67.v.34.
ait Pſaltes, & ita locutus eſt nunc ſponſæ, vt ex eius
reſponſo mox conſtabit.

3. Huius autem internæ vocis efficacitas eadem A
eſt quæ apparebat in Chriſti voce externa, eoſdem-
que operatur in momento temporis effectus intus,
quos illa operabatur foris. Sicut enim cum dicebat
cæco, reſpice, ſurdo & muto adaperire, leproſo
mundare, & mortuo ſurge, confeſtim ſine vlla mo-
ra ſequebatur effectus; ſic cum dicebat alicui, re-
mittuntur tibi peccata tua; ſtatim omnia delebantur
peccata, quia intus ita efficaciter mouebat ad
contritionem vt eam mox eliceret. Quo argumen-
to vſus eſt ſaluator ad Iudæos conuincendos coram
Matth. 9.v. paralytico. *Quid eſt* (inquit) *facilius dicere huic, re-*
5. *mittuntur tibi peccata tua, an dicere, ſurge & ambu-*
la? loquebatur autem citra dubium de actu dicen-
di effectiuo eius quod voce promebat. Vnde mox
ſubiecit: *Vt autem ſciatis quia filius hominis ha-*
Pſ.28.v.4. *bet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait*
paralytico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domũ
tuam, & ſurrexit, & abiit in domum ſuam. Omira,
ſtupenda, & omnipotens vox Chriſti! vox quidem
Ioan.11.v. Domini in virtute, & vox Domini in magnifecen- B
43. tia! nonne omnipotens & ſtupenda vox; *Lazare*
veni foras, quæ in ictu oculi animam è limbo, &
corpus ligatum inſtitis eduxit è ſepulchro? & ta-
men quotidie Dominus ſimiles voces ſpiritualiter
Hom.38. in in cordibus peccatorum emittit, nam de illis D.
Ioan. Chryſoſtomus, Euthimius, & alij interpretantur
Ioan.5.v.25 quod ſaluator dixit: *Venit hora & nunc eſt, quando*
mortui audient vocẽ filij Dei, & qui audierint viuent.

4. Semel ergo ab ipſo Deo inſtructi, inſtanter de-
Ita D. Am- bemus ab illo hanc vocationis efflagitare vocem, vt
br. ſermon. ipſe nobis intus loquatur, præmoueat, inſtruat, &
22.in Pſ.118 doceat, hanc deuotam effundentes precem, *qui ſe-*
v.8. *des in hortis amici ſunt intendentes voci tuæ, vocem*
tuam inſinua mihi, ac ſi dicas, ô ſponſe cœleſtis, &
Rex æterne, qui ſedes in hortis paradiſi inter An- C
gelos & beatos, omnes amici tui deſiderant tuam
audire vocem, & vt loquaris ad cor illorum, nam
inde omnis eorum inſtructio, conſolatio & virtus
procedit; fac me audire illam, vel vocem tuam in-
ſinua mihi. Inſinuare autem eſt quaſi latenter vel
ſecreto aliquid dicere. De voce autẽ Domini quæ
Iob 4.v.12. eius inſpiratio eſt dicitur in libro Iob: *Porro ad me*
& 16. *dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſ-*
cepit auris mea venas ſuſurri eius, & vocem quaſi
3.Reg.19.v. *aurꝛ lenis audiui*, non enim venit Dominus in
12. commotione, nec in terræ motu, ſed in ſibilo auræ
Lib.5.exho. tenuis, vt ſuo loco explicauimus.
7.

Cum autem à Deo petis, vt ipſe tibi loquatur, &
vocem ſuam tibi inſinuet, attentas debes præpara-
re aures vt audias, & diſcas, ac opere quod audie-
ris, exequaris: dicens cum Samuele: *Loquere Do-*
1.Reg.3.v. *mine, audit ſeruus tuus*, vel cum Abacuch Prophe-
10. ta, *Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum*
Abacuch 2. D
v.1. *ſuper munitionem meam, & contemplabor vt videam*
Nunquam *quid dicatur mihi?* Vbi cauendus eſt ineptus error
eſt curandũ eorum qui coram Deo aſſiſtere curant, omni peni-
ceſſare ab tus carentes interno actu, & vim ſibi facientes vt
omni actu nihil agant, & omnem actum ſuſpendant, quaſi ex-
expectando pectantes vt Deus loquatur & doceat, illiſque illu-
vt Deus lo- ſtrationes & actus infundat, ipſumque loquentem
quatur. audiant; ad modum quo in corporalibus, omnia
quis tranquilla eſſe curat, & omnem ſtrepitum ceſ-
ſare, vt loquentis vocem percipiat. Etenim iſti in
vanum laborant, imo impoſſibile intendunt, quia
vix poſſumus omnem internum ſuſpendere actum.
Id autem eſſet omnino inutile: actibus enim no-
ſtris meremur aut demeremur; carere autem om-
ni actu eſt otioſum eſſe, & inanimatis ſe reddere ſi-
mile. Vnde conſulto Abacuch ait, *contemplabor vt*
videam, quid eſt contemplabor, niſi mentis atten-
tionem figam in Deum, vt videam & percipiam e-
ius vocem, & doctrinam. Attentio autem illa a-
ctus eſt animæ Deum præſentem contemplantis,
& quodam modo intuentis. Vſus autem eſt verbo
contemplandi, non meditandi, quoniam contem-
platio ſimplicem rei intuitum ſonat, meditatio
vero multiplicem & varium diſcurſum. Licitum
autem eſt aliquando & expediens maxime viris
iam prouectis multitudinem meditationum, &
diſcurſuum intercipere, & variarum phantaſiarum
& imaginationum turbam, etiam circa diuina re-
primere, vt ſoli Deo ſimplici intuitu attendentes
ab eo doceantur, & vocem eius percipiant, & iuxta
hæc explicari poteſt quod dicit Dauid: *Vacate &* Pſ.45.v.11.
videte quoniam ego ſum Deus: non ait vacate ab
omni actu, alioqui non diceret, videte, ſed vacate
vt videatis; vacate ab operibus prauis, à negotiis
terrenis, à multiplicibus diſcurſibus, & actibus, vt
huic vni attendatis quod eſt videre & contempla-
ri me eſſe Deum, in quo omnia bona amabilia, &
omnia vera contemplabilia eminentiſſime conti-
nentur.

De voce orationis & cantu in templis. §. 2.

EXCITATVR igitur ſponſa à Deo vt loqua-
tur ei cum ait: *Quæ habitas in hortis amici auſ-*
cultant, fac me audire vocem tuam. Quem locum Lib.5.exho.
ſimul cum illo, *ſonet vox tua in auribus meis*, in li- 27. & ſe-
bro quinto fuſius explicuimus, ſed nunc quædam quentibus.
ſubtiliora addamus. Conſtat autem duplicem aſſi-
gnari orationis vocem, externam & internam. Ex-
terna quæ proprie oratio vocalis dicitur, alia eſt cõ-
munis quæ fit à tota Eccleſia, & miniſtris eius pu-
blice in templis, & locis ſacris cũ Canticis & hym-
nis ac Pſalmis, qui coram omnibus fidelibus eò
concurrentibus decantantur. Alia eſt priuata quæ
à ſingulis domi, vel in proprio oratorio priuatim
fit. Illa autem deſcripta videtur in verbis iſtis cum
ſponſus exhortatur Eccleſiam, quæ in hortis habi-
tat, id eſt in particularibus Eccleſiis; vel in ædibus
ſacris ſedet, & commoratur, vt ibi canat & preces,
orationes, obſecrationes, laudes & gratiarũ actio-
nes cum hymnis & Eccleſiaſticis Canticis Deo of-
ferat, quia amici auſcultant, id eſt fideles & iuſti eò
accedentes Dei laudes audiendi auidi; & etiam a-
mici cœlicolæ, nempe ſancti Angeli cuſtodes, qui
orantibus aſſiſtunt vt eos iuuent, & preces eorum
audiant, quas in Dei aures deferre debent, de qui-
bus Pſaltes ait: *In conſpectu Angelorum pſallam ti-* Pſ.137.v.1.
ti: De eodem etiam videtur dixiſſe, *Præuenerunt* Pſ.67.v.26.
principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencula-
rum tympaniſtriarum. In Eccleſiis benedicite Deo Do-
mino. Ad quem locũ videtur alluſiſſe Salomon. Nã
quod Dauid ait: in Eccleſiis, ille in hortis; & quos
ille vocat principes, hic amicos: iuuenculæ autem
ſub cætu canentiũ comprehenduntur. Merito autẽ
Eccleſiæ particulares & ſacræ ædes vocantur hor-
ti, propter ſpiritualem amænitatem iuſtorũ qui in
eis ſunt, & pulcherrimarum virtutũ quas exercẽt;
quarum fragrantia & ſuauitate inſtar florũ & fru-
ctuum Deus maxime delectatur. Hi autem horti
deputati ſunt ad Dei preces, & laudes ſolemniter
canendas. Ideo enim dicitur, *Domus mea domus* Iſai.56.v.7.
orationis vocabitur cunctis gentibus. Nec in locis Matth.21.
prophanis apte hæc diuina officia celebrantur, ne- v.13.
que in iis hortis prophana negotia ſine eorum in-
iuria pertractantur. Hoc enim eſſet domum Dei

ſpeluncam latronum facere, & hortos Dei in lucos diaboli conuertere. Vnde Chriſtus Dominus zelo domus Dei accenſus à templo negociatores omnes eiecit, nec eos permiſit vas aliquid per illud transferre. Curandum enim eſt ea loca quieta eſſe & tranquilla vt orationi ſint apta, nec orandi vlla habeant impedimenta, ſed de hoc alias. Marci 11.v. 16.

2. Nota. Sed cur quæſo cum ſponſus dixiſſet: *amici auſcultant*, non ait fac eos audire vocem tuam, ſed *fac me audire vocem tuam?* nimirum vt Eccleſiæ miniſtri, omneſque orantes meminerint ſcopũ ſuum potiſſime dirigendũ, vt eorũ cantus, preces & laudes ad aures Dei perueniant, ipſique gratæ ſint, ſiue amici plures, ſiue pauciores, ſiue nulli etiã auſcultarent. Atque ita oraturos ac canituros coram populis, & innumeris amicis audiẽtibus, ac ſi ſoli coram ſolo Deo canerẽt, propter cuius cultum, honorem & gloriam laudes canunt, non vt hominibus propter ſe ipſos placeant: alioqui erunt ſicut hypocritæ qui vt ſaluator ait: *Amant in Synagogis, & in angulis plantearum ſtantes orare vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam*, & quid tibi proderit ſi vox tua, & cãtus tuus ſuauis & decorus hominibus appareat, ſi ex tua praua animi intentione, vel ex voluntaria mentis diſtractione, Deo es moleſtus & ingratus: recepiſti quidem mercedem laudis vel lucri temporalis ab hominibus, ſed æternam perdidiſti retributionem. Matth.6.v.5

3. Vnde ſummo conatu curandum eſt attentionem & intentionem ac deuotionis affectus excitare, vt oratio & laus Deo ſuauis ſit, quod non ſine aliqua ſui abnegatione & violentia præſtari poteſt. Et hoc inſinuat phraſis illa, *fac me audire*, id eſt conare, & ſatage vigilanter ita orare, vt ego audiam vocem tuam, cum autem Deus paratus ſit audire, nõ enim iuberet vt vocem emitteremus, niſi eam audire voluiſſet, omnis difficultas non ex Deo, ſed ex nobis prouenit; nobis ergo vim inferre debemus vt attentè, purè, & deuotè oremus, & laudes Dei canamus, quod ſi aliquando Deus iuſtis de cauſis noſtras audire differat voces, & orationes, vel quia indigni ſumus, vel vt nos probet, vel quia dilatio iſta nobis expedit, cum ait, *fac me audire*, hoc inſinuat vt inſtemus, & orãdo importuni ſimus, vt ſaltem propter improbitatem faciamus eum audire vocem noſtram, ſicut Chananæa & alij repulſam paſſi, quia tamen perſeuerarunt iugiter clamantes, tandem exauditi ſunt.

4. *Oratio ad ſanctos & beatos.* Deniq; cum dicitur, *amici auſcultant*, etiã commendantur preces ad ſanctos Angelos, & beatos, qui in cœlis ſunt fuſas, ipſi enim vere auſcultant, & audiũt preces quas ad eos fundimus, vt pro nobis apud Dominum fidi ſint interceſſores. Quod optime probat Angelicus doctor, & ſcholaſtici cõtra hæreticos acriter tuentur. Beati enim in verbo vel ex Dei reuelatione agnoſcunt quidquid ad eorum ſtatum pertinet, & inter hæc maxime preces quæ ad ipſos diriguntur. Sed de hac oratione dicta ſufficiãt. Nam pluries de ea ſupra egimus, & in noſtro tractatu ſpeciali de horis Canonicis quæ ad orationẽ publicã & priuatã attinent, videri poſſunt? 2.2.q.83.ar. 4. maxime ad 2. Tom.4. de perfectione ſpirituali tract.3.

De vocibus internis & actibus quos comprehendit interna cum Deo communicatio. §. 3.

1. IAM de intima communicatione quæ inter Deũ & animam per internas voces fit, hæc verba iuxta vtramque verſionem expendamus. Hæc enim communicatio quantumuis intima ſit, & ſuprema, in eo potiſſime cõſiſtit quod anima ita Deo loquatur ſicut ipſe exigit, cum ait, *fac me audire vocem tuam*. Et Deus ita loquatur animæ ſicut ipſa deſiderat, cum ait: *Vocem tuam inſinua mihi*. Nec te moueat quod hæc communicatio viſui ſæpius tribuitur in ſcriptura, & contemplatio etiam intuitus ſit veritatis, quoniã etiam illa quæ perfectiſſima eſt, explicari ſolet per auditum. Nam qui audit magis videtur pati & recipere à Deo doctrinã, quam aliquid agere. Vnde iuxta D. Dionyſium in ſcientia myſtica nobilius quid eſt diuina pati, quam agere: *Nam qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei*, & D. Paulus ſupremũ ſuum contemplationis raptum non per viſionem, ſed per auditionem explicuit dicens: *Audiui arcana verba quæ non licet homini loqui*. Imo Chriſtus Dominus ſcientiam quam à patre recepit, eodem modo per auditionem manifeſtat, cum ait: *Quæcumque audiui à patre meo, nota feci vobis*. Rurſus, *Quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo*, & paulo poſt ait: *Ego quod vidi apud patrem meum loquor*, vt ſciamus pro eodem vſurpari audire & videre. Vnde & Abacuch in loco prælegato dixit: *Contemplabor vt videam quid dicatur mihi*, non ait vt audiam, ſed vt videam. Quæ tamen ad eundem intellectus actum referuntur. 2.Cor.12.v. 4. Ioan.15.v.15 Ioan.8.v.26 & 38.

Idem igitur actus noſtri intellectus & affectus poteſt eſſe vox Dei, & vox noſtra diuerſis rationibus; eſt vox Dei, quatenus nobis à Deo infuſus per quem nobis loquitur, illuminat, inſtruit & docet myſteria & arcana ſua, & aliquando noſtrum præuenit liberum arbitrium, vt cum repentinas emittit illuſtrationes, & inſpirationes, aliquam Dei veritatem vel ſuam voluntatem nobis manifeſtantes, quæ omnes actus noſtri ſunt à potentiis quidem noſtris effecti, ſed efficaciter Deo eos in nobis operante. Facit enim nos tunc intelligere & velle id quid ſibi placet, manifeſtare; cum autem ita excitati eoſdem actus liberè proſequimur, & ad Deum dirigimus, voces noſtræ ſunt per quas Deo loquimur, & deſideria noſtra illi manifeſtamus. Tunc autem iterum Deus loquitur nouas illuſtrationes & affectiones ardentiores imprimens, ad eaſque continuandas efficacius mouet, atque ita fit mutua iſta & interna inter Deum & animam communicatio.

2. In ea autem iſte ſeruatur ordo communiter, vt primo Deus infundat vehemens deſiderium huius familiaris communionis cum ipſo, quale eſt illud quod in exordio huius capitis habuit ſponſa, cum dixit: *Quis mihi det te fratrem meum?* vbi ſuũ ardens exprimit deſiderium habendi Deum apud ſe, tanquam amicum, & frattem mitem, benignũ & amabilem, inſtar paruuli ſuæ matris vbera ſugentis, vt deoſculetur illum & ſummam cum eo contrahat amicitiam & pacem. Hoc autem deſiderium quaſi præcurſor eſt appropinquantis communicationis. Nam teſte Dauid, *ignis ante ipſum præcedit*, & Salomon ait: *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus, inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ*. Vnde & Chriſtus Dominus ait: *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat*. Oportet enim prius ſitire vt poſſis bibere, & ſatiari. Nam *beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*. Hæcautẽ deſideria ſæpius multiplicantur, *nam qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient*, eo quod quanto ſe Deus plus communicat, & anima magis illius guſtat ſuauitatem, tanto plus deſiderat vt amplius ſe illi communicet, & hoc eſt quod ſponſa nunc inquit: iuxta Sept. *qui ſedes in hortis*, &c. *vocem tuam inſinua mihi*. Vbi pro coronide Cantici duo vel tria ſe concupiſcere & efflagitare Pſ.96.v.3. Sap.7.v.7. Ioan.7.v.37 Matth 5.v.6 Eccle.24.v. 29.

innuit, ſcit enim multiplicem eſſe vocem Dei: alia eſt terrifica quæ timorem incutit, alia lenis & dulcis quæ ſpem erigit, & conſolatur; alia flammigera, quæ animam vehemẽter inflammat, & liquefacit; alia ſublimis, quæ ad altiſſima myſteria contemplanda eleuat; alia præcipiens, aut conſulens, quæ interdum dura & ardua ſuggerit: alia denique docens & inſtruens quæ agenda ſunt. Semper autem docet vtilia, & loquitur quæ ad pacem ſunt. Nam etiam de interna locutione verum eſt quod ait Apoſtolus: *Multifariam multiſque modis loquens Deus patribus in Prophetis*. Nam ſpiritus ſapientiæ docentis & loquentis ad cor *eſt vnicus, & multiplex*. Quia vt in libro Iob dicitur, *ſemel loquitur Deus*. Nam licet multa & multipliciter loquatur, omnia ad eundem ſcopum ſuæ gloriæ & noſtræ ſalutis refert, ſiue proſpera ſint quæ dicit, ſiue aduerſa, ſiue præmia, ſiue pœnæ. Propter quod Pſaltes ait: *Semel loquitur Deus, duo hæc audiui quia poteſtas tibi eſt, & tibi Domine miſericordia*, &c. Has omnes voces experta erat ſpõſa in huius Cantici decurſu, audiuit enim ſponſi vocem iam increpantem, cum dixit, *ſi ignoras te*, iam conſolantem & erigentem, cum ait: *Surge, propera amica mea*, iam inflammantem, nam *anima mea* (inquit) *liquefacta eſt cum dilectus locutus eſt*, iam præcipientem, cum ſæpius dicebat: *Veni, aperi, oſtende*, &c. Iam docentem cum dixit, *ibi me docebis*, nam mox cœleſtem ei tradidit doctrinam. Ex eo autem quod dixit, *quid faciemus ſorori noſtræ quando alloquenda eſt?* colligit voluntatem eius eſſe aliquoties alloqui illam: his ergo experientiis allecta vehementer deſiderat & poſcit audire quamcumq; vocem ſponſi, & ſæpius eam audire, ideo ait, *inſinua mihi vocem tuam*, non hanc vel illam, ſed omnem quam malueris & quæ mihi magis fuerit expediens, nec ſemel, aut iterum, ſed ſæpe, crebro, & frequenter, quia iugiter vellem te audire & intimã ac familiarem tecum habere communionem. Dicebant olim Hebræi Moyſi, *loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus ne forte moriamur*. Ac ſi dicerent, loquatur tibi Deus, & audi illum: tu vero quæ ab eo audis, loquere nobis & audiemus, timemus enim quod Deus ipſe loquatur nobis. At ſponſa è conuerſo non ait, amici loquantur mihi, ſed potius *amici audiunt, & ſunt intendentes voci tuæ*, ego etiam cupio eſſe ſicut vnus ex illis, tu ipſe loquere mihi, *& vocem tuam inſinua mihi*, quoniam in ipſa viuam, & per ipſam omnia quæ deſidero obtinebo bona: dixerat quondam Chriſtus Chananææ: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*. At illa humiliter reſpondit: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum*. Sic humilis ſponſa ſciens Angelos & beatos ſemper eſſe intendentes voci Dei qui palam, & non per ænigmata facie ad faciem & os ad os loquitur illis, nõ audet hoc modo vocem eius expetere, & ideo tantum ait: *Vocem tuam inſinua mihi*, loquere vel ſaltem inſinuando ſiue latenter, ſiue obſcure, vel ænigmatice mihi loquendo; nam mica hæc mihi proderit ad ſalutem. Quod ſi aliquid à me agendum exigis, ſat eſt vt inſinues vocem tuam; inſinuatio enim voluntatis tuæ erit mihi inſtar præcepti, & tandem non ait, inſinua nobis, ſed mihi, quoniam ſermo eſt de locutione interna, quæ ad cor eſt vniuſcuiuſque dumtaxat, etſi quæ Deus vni Eccleſiæ dicit, plurimis dicat: iuxta illud, *quod vobis dico, omnibus dico*. Ad Hebr.1. v.2. Sap.7.v.2. Iob.33.v.4. Pſ.61.v.11. Iſai.48.v.17 Pſ 33.v.9. Exod.20.v. 19. Marci 13.v. 37.

Cum igitur anima his deſideriis ardet, accurrit ſponſus vt eam alloquatur & doceat omnibus vocibus ſupradictis, iam vno iam altero modo, ſicut ſæpius in hoc Cantico viſum eſt; nunc vero quæ ſui muneris ſunt eam docet, dicens: *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocem tuam*, ac ſi dicat, non ſatis tibi putes audire vocem meã, oportet enim te mihi reſpondere, & vt ego audiã vocem tuam. Fac ergo me audire eam, id eſt fac vt ita digne ac feruenter me alloquaris, quod ego libenter te audiam, vt ſic iterum tibi reſpondeam, & de nouo loquar. Sed in iis verbis plurima alia includuntur quæ ad hanc ſpectant communicationem, quæ ſigillatim explicanda ſunt.

De his quæ animam diſponunt ad internam cum Deo communicationem. §. 4.

1. ET in primis non ſine cauſa ſpõſus verba ſua dirigit ad eam quæ habitat in hortis, id eſt quam delectat commoratio in illis, de quibus in hoc Cãtico ſæpius mentio facta eſt. Quos ergo hortos anima contemplationis auida inhabitet indagemus. Primo enim vt Rupertus ait, in hortis habitat, id eſt in ſcripturis ſacris verſatur, quæ horti ſunt pulcherrimi, amæniſſimi & vberrimi, cum omnia fidei myſteria contineant quę contemplationis ſunt materia, & lætitiam non modicam præbent perſcrutantibus illa, ſicut in libro Machabæorum legitur: *Nos cum nullo horum indigeremus habentes ſolatio ſanctos libros qui ſunt in manibus noſtris*. Hinc autem facilius aſcendit ad habitandum in hortis illis, de quibus Apoſtolus inquit: *Noſtra converſatio in cœlis eſt*. Cœli enim horti ſunt, & paradiſi deliciarum in quibus Angeli & beati perpetuo cõmorantur, anima autem contemplationi aſſueta in his hortis mente habitare dicitur, cum ipſo Deo & ſanctis dulcem habens communicationem. 1.Mach.12. v.9. Ad Philip.3 v.20.

Denique habitare ſeu ſedere in hortis quietem & tranquillitatẽ indicat, quomodo de Iſraël dicitur: *Habitabat abſque timore vllo vnuſquiſque ſub ficu ſua, & ſub vite ſua*. Id eſt, cum magna pace & tranquillitate, quæ maxime ad contemplationẽ neceſſaria eſt, hortus enim locus eſt amœnus quidem, ſed ſolitarius in agris vel montibus conſitus, & tum ob amænitatẽ tum ob ſolitudinem ad contemplationem, & ad loquendum cum Deo, vel audiendũ ipſum eſt valde aptus: iuxta illud: *Ducam eam in ſolitudinẽ, & loquar ad cor eius*, crebro enim in ſcriptura deſertus locus laudatur tanquã idoneus ad contemplandũ. *In terra deſerta* (inquit Dauid) *inuia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam*. Quo denotatur omnia quæ carni & ſenſibus iucunda ſunt, deſerenda eſſe & hominũ conſortia fugienda, vt tranquillius Deo vacare poſſimus. Aliquãdo vero ipſa amœnitas horti cum ſolitudine iuncta animum ad orandum mouet: Vnde & Chriſtus Dominus, qui aliquãdo orabat in montibus ſeorſum à tumultu hominum ſegregatis, etiam (vt D. Ioannes teſtatur) frequenter cum diſcipulis egrediebatur ad hortum trans torrentem Cedron ſitũ, vt oraret ibi: eligendus igitur eſt locus tranquillus à turba hominum, quæ orationem turbare poſſit, ſegregatus. Hoc enim videtur Chriſtus Dominus conſuluiſſe, cum dixit, *Tu autem cum oraueris intra in cubiculũ tuum, & cluſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito*, &c. Vnde ſpõſa deſiderans dilectum inuenire foris, ait: *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ*, quod eſt cubiculũ cordis, *& ibi me docebis*, ſ. in illo ſecreto loco, ſed debet eſſe virtutibus fragrãtibus ornatus vt merito hortus vocari poſſit. Nã vt inquit Ambroſ. Oſeę 2.v.14 Pſ.62.v 3. Ioan.18.v.2 Matth. 6.v. 6. Serm.22. in Pſ.118.v.8.

„ sequens versionem Sept. Deus sedet in hortis sci- A
„ licet cœlestibus, cum Angelis, si autem & nos vo-
„ lumus eum in nobis sedere, simus horti clausi atq;
„ muniti, feramus virtutum flores, gratiæ suauita-
„ tem.

2. Sed quid est quod subditur, *amici auscultant?* non enim sola tunc erat, quæ amicos auscultantes habebat. De quibus autem amicis sit sermo non constat apud omnes patres, communiter de bonis amicis hoc intelligunt. Nempe de sanctis Angelis vt iam diximus, qui tamen peculiariter contemplantibus assistunt, auscultantes quod inter Deum & animam agatur, eo quod ministri sunt ipsius Dei ad multa quæ operatur in illa; maxime in phantasia seu vi imaginatiua, in qua diuinas quasdam solent efformare imagines manuducentes ad sublimissima Dei mysteria penetranda, de quibus supra explicuimus illud Cantici, *murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, quod Sept. vertunt, *similitudines auri faciemus tibi cum distinctionibus argenti.* Promittit ergo his verbis sponsæ a- B micorum auscultantium auxilium ad id præstandum quod ab ea exigit. Possumus præterea per amicos intelligere pios viros, qui cum norunt aliquam animam singulariter à Deo diligi & eleuari ad anagogicos excessus, ac arcana Dei conspicienda, desiderant aliquam illius vocem audire illa mysteria detegentem, vel vt ex hoc proficiant, vel forte nonnulli ex quadam curiositate, & de iis etiã dicitur quod auscultant, quia audire gestiunt. Alij vero vocem amici in malum vsurpant de sodalibus sponsi æmulis, fictisque amicis, quorum mentio facta est in capite primo, cum dixit: *Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Nec mirum etiam in hortis esse hos falsos amicos, quia diabolus serpens callidissimus ingressus est hortum paradisi vbi Eua habitabat, vt eam deciperet. Dicunt C autem sponsum monere illam ne coram eis canat, ne forte vox & cantus eius suauis ad sui amorem eos inflammet, vt sensus sit. O tu quæ in hortis habitare soles, scito fictos amicos, te auscultare, ideo, *fac me audire vocem tuam*, id est, fac me solum, non illos audire te canentem, nec coram illis canas, sed tantum coram me; sat tibi sit vt tua mihi sit vox dulcis, cui placere desideras, nihil de aliis curans. Ex hac autem metaphora nos spiritale documentũ deducamus, animã contemplationi deditam cum solo Deo in abscondito cordis conuersantem non debere temerè bona sua aliis propalare. Nam sicut fœminis sua dulcis vox multoties est ruinæ occasio; sic bona sua coram aliis canere, etiam sub prætextu gratias agendi Deo, sicut Pharisæus in templo, occasio est propriæ ruinæ vel ex superbia, vel ex inani gloria, propter audientium applausum; D vnde fit vt quæ aliis inaniter manifestat, ipse amittat, & in potestatem deueniant inimicorum, sicut Ezechiæ regi contigisse legimus, cuius thesauri quia sine causa Babyloniis ostendit, in Babylonem post modum sunt asportati. Propter quod D. Bernardus post plurima documenta fratribus de monte Dei exhibita hoc vltimo longam Epistolam seu tractatum concludit, dicens: Præ omnibus o-
„ portet, &c. bona sua non ponere in ore hominum,
„ sed celare in cella sua, & recondere intra conscien-
„ tiam vt hunc quasi titulum & in fronte conscien-
„ tiæ & in fronte cellæ semper habeat, *secretum meũ*
„ *mihi, secretum meum mihi.* Per hoc autem non pro-
hibemus patri spirituali qui nos dirigit, ea manifestare, vt suo loco dictum est, cætera in exhortatione sequenti prosequemur.

Cant.1.v.11.

Pro lena multis vox sua sæpe fuit. D. Ciril. in id Isa. 23. v. 15. *erit tyro quasi cantium meretricis.* Luc.18.v.11. Isai.39.v.6.

Ad fratres de monte Dei in fine.

Isai.24.v.16

EXHORTATIO XX.

De variis animæ vocibus in contemplatione vel extra illam Deo valde gratis; de eius obedientia ad cuncta quæ Deus iubet, ac de consensu in spiritale connubium cum ipso Deo.

VERS. 13. & 14.

Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloque ceruorum super montes aromatum.

PROSVIT huic Cantico coronidem sponsus dicens dilectæ suæ, *quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Illa vero quæ Canticum inchoauerat illis verbis, *osculetur me osculo oris sui*, illud concludit respondens sponso: *Fuge dilecte mi*, &c. sed stupendã apparet, & valde dissona exordio suo coronis ista. Nam quæ inquit, *osculetur me*, petit ab illo vt ad eam accedat, eique intimè coniungatur. At cum dicit, *fuge*, postulare videtur vt ea recedat. Illud vehementis amoris indicium est, hoc autem potius auersionis. Quomodo ergo hæc cohærent. Egregie vtique, dum modo supponas verbum *fugere*, si ad Hebræam vocem attendas, non tantum significare celerem motum eius qui aliquod malũ cauere cupiens, ab eo loco recedit; sed generaliter vsurpari pro eo quod est festinare, & velociter aliquò tendere siue accedendo, siue recedendo. Quomodo fuga à poëtis accipi solet pro quouis celeri motu. Quo sensu ad calcem cap. 2. dixit sponsa, *reuertere, similis esto dilecte capreæ, hinnuloque ceruorum super montes Bether.* Vbi per plures exhortationes varias sponsi reuersiones & fugas affatim explicuimus. Nunc autem solum addemus explicationem horum verborum, *fuge dilecte mi*, &c. vt responsum continent ad postulationem sponsi dicentis: *Fac me audire vocem tuam.* Vtraque enim sententia simul, integra est totius Cantici coronis, & quæ ad perfectissimam inter Deum, & animam communicationem spectant, comprehendit.

Vide Calepinum. Cant.2.v.17. Lib.5.exho. 39. & sequentibus.

De septem animæ mysticis vocibus ad Deum. §. 1.

SED prius propalemus omnes voces siue internas siue externas quas Deus exigit ab anima cui dicit, *Fac me audire vocem tuam.* Internarum catalogum recensет Apostolus dicens: *Implemini Spiritu sancto, loquentes vobis metipsis in Psalmis, & hymnis, & Canticis spiritalibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo, & Patri, subiecti inuicem in timore Christi.* Etenim voces animæ cum Deo colloquentis multiplices sunt affectus erga Deum, vel seipsum ac proximos, vnde multi actus exterius procedunt. Inter eas autem post tot, tantaque sponsæ collata beneficia, quę in hoc Cantico referuntur, primum tenet locum interior vox laudis & gratiarum actionis cum profunda humilitate & admiratione diuinæ Majesta-

Ad Ephes. 5. v.19.

1.

tis, quæ ita placide tam vilem alloquitur creaturã. A Nam, vt ait D. Bernardus, locutio verbi est infusio doni, responsio animæ cum gratiarum actione admiratio. Delectatur enim Dominus hac gratitudine, nõ propter se quasi nostris laudibus indigeat, sed propter nos qui valde proficimus illis, dum ad noua & maiora dona ab ipso recipienda capaciores reddimur. Propter quod mũdatis decẽ leprosis, de nouẽ ingratis cõquestus est, dicẽs: *Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Qui procidẽs ad pedes eius pro salute accepta gratias egit. Vnde ad hunc fere scopum vniuersum hoc Canticum ordinatur, vt in prima exhort. primi libri dictum est. Vt autem principio finis respõdeat, asserimus sponsum ad harum laudum cantum sponsam excitare dicendo, *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam*: hoc est Angeli & beati qui te amicè diligunt, & continuo diuinas laudes canunt, dicentes. *Benedictio, & claritas & sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo nostro*, &c. desiderant audire te similiter canentem, vt simul cum illis Deum socia exultatione concelebres, dicentes, *Magnificate Dominum nobis cum exaltemus nomen eius in idipsum*: fac ergo me audire hãc vocem tuam coram illis, loquere intra te in Hymnis & Canticis spiritualibus, cantans & psallens in corde tuo, gratiasque agens pro omnibus bonis quæ fecit tibi.

Luc.17.v.16

Apoc. 7. v. 12. & c. 5. v.12.

Psal.33.v.4.

2. Deinde fac etiam me audire vocem tuam orationis & precis, non quidem tantum pro te ipsa, pro tua salute & bonis propriis, sed quod ardentioris charitatis est, etiam pro omnium hominum salute quæ tibi chara esse debet, sicut & mihi. Iuxta illud, *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, &c. hoc enim bonum est, & acceptum coram saluatore nostro Deo qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ne autem oratio sit repida, inconstans, & infida, non ait emitte vocem tuam, vel sonet vox tua in auribus meis, sicut prius dixerat, sed, *Fac me audire vocem tuam*, id est, ita instanter, fideliter, & perseueranter ora, vt me facias, & quasi compellas audire orationem tuam, iste autem postulandi modus familiaris est Dei amicis in ipsa contemplatione, in qua Dei lumine proximorum præuident necessitates, & pro illis ita ardenter orant, vt Dei iram cohibeant, & misericordiam ad benefaciendum prouocent.

1.ad Tim.2. v.1.

C

3. Vlterius etiam, fac me audire vocem confessionis peccatorum tuorum, ac paupertatis, & indigentiæ tuæ, ac dependentię quam in omnibus à me habes, non erubescens cum opus est peccata tua fateri coram confessariis, qui tanquam amici auscultant vt eis medeantur, & parcant. Huiusmodi enim vox quæ te humiliat, me exaltat, dum tibi attribuis confusionem, & mihi veniæ gloriam, iuxta illud, *Da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne absondas.* Fac item me audire vocem confessionis nominis mei publice coram omnibus, siue corã veris amicis, siue coram fictis, vt omnes sciant te non erubescere nomen meum, sed de eo gloriari. Nam, *Quicumque confessus me fuerit coram hominibus, & filius hominis confitebitur illi coram Angelis Dei, & qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua, & patris, & sanctorum Angelorum.*

Ioſ. 7. v.19.

Luc.12. v.8. & c.9. v.26.

D

4.

5. Præterea fac me tempore opportuno audire vocem prædicationis fidei euangelij, vt notitia eius ad omnium hominum aures perueniat, qui parati sunt audire vt salui fiant. Amici enim auscultant: id est, paratas habent aures ad auscultãdum. *Nam qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Vnde amicos vocat non tantum iustos, sed quotquot electi & prædestinati sunt à Deo vt credant, quos D. Ioannes vocat filios Dei per vniuersum orbem dispersos, & de quibus D. Lucas ait, *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*: & quia prædicatio euangelica fociandа est bonæ vitæ, quæ illam attestetur, & confirmet; sanctorumque exempla non minus efficaces voces sint quam verba, etiam de iis intelligi potest quod dicitur, *Fac me audire vocem tuam.* Cum enim parabolica sit locutio ad omnia quæ aliquid manifestant & docent, nomen vocis & auditus accommodari potest. Nam & in scriptura sæpius verbum sumitur pro re facta. Vt cum Dauid de belli successu interrogans ait, *Quod est verbum quod factum est?* amici autem auscultant, & attendunt vt audiant vocem, tam verborum quam exemplorum. Apostolici enim viri, *Spectaculum facti sunt mundo, Angelis & hominibus.* Omnes enim attendunt vt audiant & aspiciant quod ipsi dicunt, & faciunt, veluti in theatro. (Hoc enim significat vox Græca quæ vertitur spectaculum) omnes sunt intendentes audire & videre quæ repræsentantur: est ergo sanctus quisque Apostolicam gerens vitam spectaculum à Christo propositum mundo, id est iniquis, & etiam Angelis & hominibus: mundus rider & irridet, Angeli lętantur; homines qui diuersi dicuntur à mundo, audiunt, vident & proficiunt.

Act.13.v.48.

2.Reg.1.v.4

1.Cor.4.v.9

Ita D. Greg. hic & hom. 12. in Ezech. & 3. p. past. admon. 26. Cassiodorus, Beda, & alij.

Ioa.8.v.47.

6.

Tandem postquam Deus aliquid nobis præcipit aut consulit, nihil est ei ita iucundum sicut audire statim vocem obsequentis sibi, ad modum quo Samuel vocatus ab eo, mox respondebat, *Ecce ego;* & Saulus dixit, *Domine quid me vis facere?* & de populo quem ante non cognouerat, sed ad se reuerso ait; *In auditu auris obediunt mihi*: id est, mox vt audiuit vocem meam, assensit & obediuit. Cum igitur sponsus multa in hoc Cantico, & maxime in hoc cap. 8. iusserit dilectæ suæ, vel illi insinuauerit; vt cum paulo antedixerat illi, *Pone me vt signaculum super cor tuum*, &c. concludit Canticum, obedientiam perfectam ab eo exigens, cum ait, *Amici auscultant, fac me audire vocem tuam*: qua consentias voluntati meæ. Cum inquit, amici auscultant, duo intendit, nimirum plures esse testes suæ obedientiæ, coram quibus oporter non surdam se exhibere, sed celeriter exequentem, quomodo sæpius Dauid dicebat, *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius.* Deinde notanter ait, *Amici*, auscultant, non addendo me, vel te, volens vtrumque comprehendere, vt reuocet in memoriam id quod est proprium amicorum Dei, nempe audire vocem eius, & seruare mandata iuxta illud, *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*: & rursus, *oues meæ vocem meam audiunt*: & tacite etiam in exemplum adducit obedientiam amicorum auscultantium, scilicet Angelorum quos Dauid vocat, *Potentes virtute facientes verbum eius ad audiendam vocem sermonum eius.* Sunt enim potentes ad audiendum & efficiendum quod Deus iubet, & ideo vt D. Dionysius notat, pinguntur in scriptura stantes nudi, & alati, aliique extensis, quasi volitantes, vt intelligatur esse promptos, expeditos, & agiles ad celerrime exequendũ quidquid illis iniunctum fuerit. Sponsa autem adeo bene calluit hanc sponsi vocem vt mox obediret, dicens; *Fuge dilecte mi:*

1.Reg.3.v.5. Act.9. Psal.17.v.45. Psal.115.v.5. Ioa.15.v.13. Ioa.10.v.27 Psal.102.v.20

de quo ſtatim. Ecce plures voces quas Deus à nobis emitti cupit, quia maxime delectatur illis de quibus dixerat ſupra, *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis*: vt ibi affatim tractatum eſt. Quæ omnes ex perfecta inter Deum & animam communicatione oriuntur. Dicuntur tamen in ſingulari vox, quia omnes ab animo ſibi concordi procedunt, & ad eundem ſcopum placendi Deo tendunt, omneſq; ſibi cohærẽt, & miram harmoniam Pſ.117.v.15. & concentum faciunt: de qua inquit Pſaltes, *Vox exultationis, & ſalutis in tabernaculis iuſtorum*: quoniam in eorũ cordibus multiplex hæc vox magnam lætitiam, & ſpiritalem efficit ſalutem?

8. *De ſeptem Dei vocibus.* Miram autem huiuſmodi ſeptem voces conſonantiam habent cum aliis ſeptem, quas Dauid vocat voces Domini, quaſque audire cupiebat ſponſa cum ait, *Qui ſedes in hortis amici ſunt intendentes voci tuæ, vocem tuam inſinua mihi*. Iuxta Sept. Pſal. 28. In Pſalmo enim 28. qui inſcribitur, *In conſummatione tabernaculi*: exhortatur Dauid omnes filios Dei vt in actionem gratiarum pro conſummato iam ſpiritali tabernaculo, Ad Hebr.13. v.15. quod eſt Eccleſia, & ſanctorum congregatio, Oſeæ 14.v.3 afferant ei filios arietum, & afferant gloriam & honorem, id eſt hoſtiam laudis & fructum labiorum cõfitentium nomini eius, cuius rationem reddens connumerat ſeptem Domini voces, aut vnam vocem quæ ſeptem mirabiles effectus operatur in tabernaculo Eccleſiæ & iuſtorum: de quibus in l.5. Lib 5.exh 1. §.3. & exh. 8. §.1. fuſius egimus. Vox enim Domini eſt ſuper aquas, effundendo in electos aquas viuas ſapientiæ & gratiæ. Vox Domini in virtute, cor magna fortitudine & virtute præditum tribuens illis. Vox Domini in magnificentia, ad magnifica & præclara opera illos efficaciter excitans. Vox Domini confringens cedros, id eſt ſeculi ſublimes humilians vt illos ſibi ſubiiciat. Vox Domini intercidens flammam ignis dum concupiſcentiæ ignem ex parte extinguit, ne lædat, etſi torqueat; vel dum diuidit inter electos ignem charitatis, & chariſmata eius. Vox Domini cõmouens deſertum Cades (quod eſt ſanctũ) vt qui antea erãt ſteriles, fiant virtutibus fœcundi, & tranquillam ad contemplandum ſpiritalem eligant ſolicitudinem. Vox Domini præparans ceruos, dum electos facit alacriter & velociter per viam mandatorum Dei currere, & ad excelſam perfectionem aſcendere. His vocibus audiendis intenti ſunt filij, & amici Dei, eaſque audire cupiebat quæ dixit, *Inſinua mihi vocem tuam*: qua tot mirabilia in animis operaris, dum ad eorum cor amicè loqueris.

9. *Duplex vox confeſſionis.* At quia ſponſus has ſeptem voces ſæpius in hoc Cantico emiſerat, aut earum vim patefecerat, alias ſeptem iam commemoratas à ſponſa exigit cũ ait, *Fac me audire vocem tuam*: exhibens te mihi gratam, quia inſinuaui tibi vocem meam. Inter has autem voces duæ ſunt nobis magis frequentandæ, quæ in ſcriptura vocantur voces confeſſionis, & animam pulchram reddunt, imo bis pulchram & decoram, vt in hoc Cantico appellatur; nimirum vox confeſſionis proprij peccati, & iniuſtitiæ etiam minimæ, pro qua orat ad Deum omnis ſanctus in tempore opportuno: & vox laudis ac gratiarum actionis pro acceptis à Deo beneficiis. De vtraque Pſ.31.v.6. dicitur, *Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius*. Id Pſal.95.v.6 eſt in conſpectu Dei, *Qui confeſſionem & decorem* Pſ.103.v.2. *induit*. Quod eleganter ſic explicat D. Bernardus: Epiſt.113. ad Sophiã » vbi confeſſio, ibi pulchritudo, ibi decor. Cum ma- Pſal. 50. v.19. » la tua confiteris, ſacrificium eſt Deo ſpiritus contribulatus: cum Dei beneficia, immolas Deo ſa- Pſal. 49. » crificium laudis. Bonum animæ ornamentum confeſſio, quæ peccatorem purgat, & iuſtum reddit « v 23. purgatiorem. Abſque confeſſione iuſtus iudicatur « Eccl.17. ingratus, peccator mortuus reputatur, *A mortuo* « v.26. *quippe tanquam nihil perit confeſſio*. Confeſſio igitur, peccatoris eſt vita, iuſti gloria. Ama confeſſionem ob quam amaris. Ama confeſſionem, ſi affectas decorem. In Pſal.95. Sic Bernardus, ſequens D. Auguſtinum, Li.2.exh.21. cuius verba in lib. 2. retulimus. Et plura in L.5.exh.27. & 28. lib.5. de his vocibus dicta ſunt. Felices qui eas feruenter emittunt, vt Dei iuſſioni pareant, nam feliciores & iucundiores ab eo audient cum illos tanquam amicos os ad os alloquatur in gloria. Sed iam quomodo ſponſa paruerit, explanemus.

De obedientia ſponſæ ad ea quæ ſponſus iuſſit ei.
§. 2.

AVDIENS ergo ſponſa quod dilectus ſuus ei præcipiebat, celeriter obediit voci eius, dicens, *Fuge dilecte mi*, &c. quæ verba ad omnia quę præcedens ſententia ſuggerit, pleniſſime reſpondent. Duo hactenus ex ea collegimus. 1. Primum velle ſponſum vt omnes eas voces quarum mentionem fecimus, faciat eum audire: ad hoc reſpondet annuens, cum ait, *Fuge dilecte mi*: vſurpando fugere pro celeriter currere. Pſ.69.v.2. Ac ſi diceret; Domine, iube quod vis, ſed da quod iubes, *Et ad adiuuandum me feſtina*: quia tu ſcis ſine te nihil me poſſe facere. Dicis mihi, *Fac me audire vocem tuam*: libenter faciam, Ezech.36. v.27. ſed tu accelera & veni vt me iuues, & idipſum in me facias, quia tu etiam dicis, *Faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini*. Fac ergo in me, vt ego faciam te audire vocem meam ſicut iubes. Vox mea tua eſſe debet, da ergo voci tuę vocem virtutis vt tibi placeat. Pſ.67.v.34 Fuge autem ea celeritate & alacritate qua caprea & hinnuli ceruini currunt ad montes aromatum, vt etiam ego celeriter & alacriter tibi obediam, & tecum curram ad ſublimes & heroicas virtutes, quas me habere cupis. Poteſt autem verbum fugere Ad Rom.8. v.26. accipi in eo ſenſu quo dicitur Spiritum ſanctum poſtulare pro nobis, quia nos adiuuat & facit poſtulare. Sic inquit ſponſa, fuge & curre dilecte mi, id eſt, fac me fugere & currere ad omnia quæ iubes. Tu præi, & ego te ſequar, & ita fiet quidquid præcipis. Ad modum quo dixit Moyſes Domino, Exod.33.v.14. *Si tu ipſe non præcedas, non educas nos de loco iſto*. Cui Dominus, *facies mea præcedet te*.

2. Præterea præſupponit ſponſa in hac reſponſione voluntatem quam habet nunquam eum deſerendi, nec ſe ab eo ſeparandi, ex quo dixit, *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Experta eſt etiam indigere ſemper eius ope, nec poſſe ſurſum aſcendere niſi innixam dilecto ſuo: quare cum ait, *Fuge*: vtrumque includit, & quod ipſe ſponſus ducat eam, & quod ipſa tendat poſt illum, iuxta id quod ſupra petierat, Cant.1.v.3 *Trahe me, poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum*: cum igitur conſpexiſſet placere ſponſo quod in hortis & locis ſolitariis cum ipſo ſolo conuerſaretur, ipſa aſſentiens, & quaſi remotiora & ſecretiora loca appetens ait, *Fuge dilecte mi*, &c. *ſuper montes aromatum*: curre celeriter ad locum ſecretum & tutum, & ego curram tecum, ibique te faciam audire vocem meam. Quaſi deſiderabat id quod Pſaltes ait, Pſ.54.v.7. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam. Ecce elongaui, fugiens immanſi in ſolitudine*. Celeritas quam ſignificat curſus capreæ, hinnulique ceruini denotatur etiam per pennas columbæ, cuius pernix eſt volatus, maxime cum ſubitum ſtrepitum fugit. Per fugam

autem non tãtum à publico recedere, ſed elongari cupit in ſolitudinem, vt ibi maneat & requieſcat: ſic ſponſa vſque ad remotos & ſublimes montes aromatum fugere deſiderat, intelligens per montes aromatum aptiores locos ad orandum & contemplandum, qui quaſi videntur hæc diuina aro- Apoc.5.v.8. mata ferre. Eſt enim oratio & contemplatio ſuauis exhalatus odor ad cœlos vſque perueniens in conſpectu Dei, vt autem proprium periculum caueat ad ſolitudinem ſola tendere non audet; quia etiam ibi ſunt ficti & occulti amici, ſcilicet Angeli Sathanæ transfigurantes ſe in Angelos lucis vt orantes decipiant, & ideo prius à dilecto petit vt ipſe confugiat & tendat, ac ſecum illam ducat. Bene autem aſſimilat eum capreæ quæ perſpicacis eſt viſus, & hinnulo ceruorum qui ſerpentes in antris reconditos halitu extrahunt, & perimunt, vt ſuo loco diximus, ad ſignificandum in hac fuga ſuper montes aromatum, perſpicaci viſu indigere, ac diuina illuſtratione ad hos falſos amicos dignoſcendos; virtuteq; non vulgari ad eos ex antris vbi ſe abſcondunt, 4 propalandos & perimendos. Præterea etſi inimici ibi non eſſent, refugit etiam ea amoris ſigna videlicet cantum, exhibere ſpectantibus aliis, quia ſoli ſponſo placere deſiderat, & ideo ab illo poſtulat vt celeriter fugiat ad montes aromatum vt ibi coram ipſo ſolo canat, & ipſe non alij auſcultẽt; quod iuxta mentem ipſius ſponſi eſſe intellexit dum non ait, fac eos, ſed me audire vocem tuam. Ideoque ſatagit contemplationis idoneum locum, vel potius ſolitudinem cordis inuenire, in qua tranquille Deo vacet, ſeparans ſe tunc temporis etiam à conſortio bonorum, ſicut & ipſe Chriſtus proprios diſcipulos relinquebat, vt ſolus in montem ad Serm.40 » orandum aſcenderet. O ſancta anima (ait D. Ber- in Cant. » nardus) ſola eſto vt ſoli omnium ſerues te ipſam, » quem ex omnibus elegiſti: fuge publicum, fuge & » ipſos domeſticos, ſecede ab amicis & intimis, & ab » illo qui tibi miniſtrat. An neſcis te verecundum » habere ſponſum, qui nequaquam ſuam tibi velit » exhibere præſentiam præſentibus aliis? ſecede ſed » mente, ſed intentione, ſed deuotione, ſed ſpiritu, & » cum opus eſt ſecede etiam corpore. Plura de hoc Cant.1.v9. diximus in id, *Genæ tuæ ſicut turturis*.

De conſenſu animæ in ſpiritale connubium cum Deo. §. 3.

1. SED aliter in vtraque ſententia ſupremum diuinæ communicationis ſcopum ad quem Cãticum Canticorum ordinatur, perpendamus, nimirum perfectam deſponſationem & connubium ſpirituale inter Deum & animam, ſumpta metaphora à corporalibus nuptiis, ad quas conuocari ſolent amici, qui etiam rati matrimonij teſtes ſint, coram quibus ſponſa conſenſus vocem emittat, & publice profiteatur ſe iam non ſuam ſed ſponſi eſſe, cum illoque perpetuo velle viuere, & illi ſoli coniugalem fidem ſeruare. Qua etiam de cauſa religioſa profeſſio, quæ velut ſpiritualis quædam deſponſatio cum Deo & traditio eſt, coram amicis fieri ſolet qui teſtes illius ſint. Quod interdum valde iuuat ne quis, vel ob amicorum & teſtium tacitam reprehenſionem ab obligata fide deficiat, aut vrgenti tentationi ſuccumbat. Quo ritu vſus videtur Moyſes cum ad omnem populum dixit, *Congrega-* Deut 31. v.28.& c.32. v.1. *te ad me omnes maiores natu per tribus veſtras, atque doctores, & loquar audientibus eis ſermones iſtos, & inuocabo contra eos cœlum & terram*. Vnde mox cœpit dicere, *Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei*: vt ſcilicet quidquid nomine cœli & terræ comprehenditur, teſtis eſſet legis ipſis promulgatæ. Pſal.115.v.4. & 8.& Pſ.21. v.26. Dauid etiam ſæpius dicebat, *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius*. Et: *Vota mea reddam in conſpectu timentium eum*. Cum autem viſibiles teſtes deſunt, inuiſibiles amici conuocari ſolent, nimirum Angeli, & beati omnes. Vnde Pater noſter Sanctus Ignatius formulam votorum ſimplicium ſic inſtituit: voueo coram ſacratiſſima Virgine Maria, & vniuerſa curia tua cœleſti diuinæ Maieſtati tuæ paupertatem, &c.

Sponſus igitur cœleſtis animam ad hanc ſummam dignitatem euehere cupiens, in extrema Cantici parte ait: eia tu qui in hortis habitas, & ſemper rebus cœleſtibus vacas, Angeli ac beati amici tui & noſtri auſcultant, & conſenſum tuum expectant ad ea quæ in hoc Cantico propoſui tibi, cum dixi, *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum*, &c. *fac me audire vocem tuam*. Conſenſum præſta, & te mihi omnino trade. Perficiamus nuptias; vt tu omnino iam ſis mea, ſicut ego volo eſſe tuus. Sæpius mihi ſoli dixiſti, *Dilectus meus mihi, & ego illi*: dicito hoc publice coram amicis, qui teſtes ſint tui erga me amoris, & fidelitatis. *Ad Deiparam in Annunciatione.* Ad hunc modum etiam conſiderare poſſumus quod Beatiſſimæ Virgini audito Angelico nuncio intus Deus ipſe dicebat: ô Virgo chariſſima, quæ in cœleſtibus hortis ſpiritu ſemper habitas, amici omnes tam Angeli qui ſunt in cælo, quam Patriarchæ & Prophetæ ſan- Luc.1.v.38. ctique qui ſunt ſubtus terram auſcultant, & expe- In lib.8. ctant reſponſum tuum, fac me audire vocem tuam, exhor.13. vocem illam mihi dulcem, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſicut vis*? ſed de hoc alibi dictum eſt.

2. At quid ad hæc ſponſa reſpondet audiamus, *Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ hinnuloque*, &c. fuge non eſt recede, ſed feſtina, ac ſi conſenſum iis verbis tribuat, celerumque connubium ſuum ſpiritale perfici exoptet. Nam cum ita ſe inuitantem ſponſum audit, hilaris & tripudians extenſis brachiis ad amplexum, ait illi, feſtina dilecte mi, & veni ad me ipſam qui tuus ſum mons aromatum, & hortus concluſus, cuius emiſſiones paradiſum vocaſti, curre ea celeritate qua capreæ & hinnuli ceruini ſuper montes aromatum percurrunt, trade te ipſum mihi, nam ego libenter me totam trado tibi. Deſiderabat inuenire eum foris vt deoſcularetur illum, & ſe totam intra dilectum immitteret; petierat in exordio Cãtici, vt ipſe oſcularetur eam oſculo oris ſui, nunc ait, eia dilecte mi, fuge, feſtina, veni cito, vt oſculeris me oſculo iſto, & me tecum vnum facias. Eſto mihi ſicut caprea & hinnulus qui commorantur in montibus aromatum, amabiles, fragrantes, celeres, & iucundi, quia vehemens amor nullam patitur eſſe in vnione moram. Communica mihi viſum capreę acutum, iucundam hinnuli gratiam, celerem vtriuſque motum, montium aromatum fragrantiam & ſublimitatem, vt te ſolum cognoſcam, te diligam, tibi ſoli placeam, tibi celerrime obediam, ad ſublimia ſemper aſpirem, & odor tuus ſim vbique per fragrantiam quam à te recipiam. En effectus ſupremi amoris quos diuina hæc eructat communicatio, quoſque experieris ſi toto corde cum regio pſalte omnibus aliis ſpretis dicas? Pſ.72.v.25. & 28. *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram*: & rurſus, *mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Deo meo ſpem meam*. Cui ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

EXHORTATIO XXI.

Pro festo Ascensionis, et pro Domin. I. Aduentus, vel 24. post Pentec.

De multiplici, miraque Christi fuga super omnem intellectum creatum, & ad cælos vnde venerat; atque ad electos suos, & cum illis post extremum iudicium in cælum Empyreum.

Quæ habitas in hortis, fac me audire vocem tuam. Fuge dilecte mi, &c.

SVBLIMIORES Christi mysticas fugas, dulciaque eiusdem cum electis suis postrema colloquia in his verbis agnoscimus, quibus huic operi breuem apponemus coronidem.

De incomprehensibili Christi Maiestate dulcis cantio. §. 1.

1. ET imprimis respondens sponsa dilecto suo iubenti eam coram amicis auscultantibus canere, supremam quam potuit, ei cecinit laudem. Tam eximiam enim sui sponsi admirans pulchram, & affabilem maiestatem, quæ in colloquiis huius dramatis splendebat, quasi stupens canit, *Fuge dilecte mi, &c.* quia tam immensus es, & incomprehensibilis vt vincas scientiam nostram, & nos ipsos ac supremos Angelorum choros etiam fugias. Nota enim est phrasis Latina; hoc me fugit, id est, hoc me latet, & super scientiam meam est eleuatum. Vnde idem est fuge, quod fugis nos dilecte mi. Fugit nos tua diuinitas & æternitas, tua bonitas & sapientia, tua iustitia, & misericordia. Infinite nos hæc superant, & immensa sunt in eis, quæ nos latent, quare optimum nomen tuum est, *Fugiens:* qui omnia fugis, & super omnia te extollis; quod sic explicat Diuus Gregorius: fugit, nos dicimus, quoties menti nostræ id quod reminisci volumus, non occurrit, vel memoria non tenemus. Sancta ergo Ecclesia postquam mortem ac resurrectionem Domini, ascensionemque describit, clamat ei prophetico plena spiritu, *Fuge dilecte mi*: ac si diceret; tu qui ex carne comprehensibilis factus es, ex diuinitate tua intelligentiam nostri sensus excede, & in te ipso nobis incomprehensibilis permane: vnde de eo dicitur, *Caligo sub pedibus eius, & ascendit super cherubim, & volauit, volauit super pennas ventorum; posuit tenebras latibulum suum*: caligo est ei sub pedibus, quia non in ea claritate ab inferioribus cernitur, qua in superioribus dominatur; ascendit super Cherubim quod est plenitudo sciētię, & volauit, quia maiestatis eius celsitudinem scientia nulla comprehendit. Volauit igitur quia longe in altum ab intellectu nostro se rapuit. Volauit super pennas ventorum, quia scientiam transcendit animarum. Posuit tenebras latibulum suum, quia dum caligine nostræ infirmitatis obscuramur, per ignorantiam nostram nobis absconditur, ne à nobis modo in æterna & intima claritate videatur. Sic D. Gregorius.

De hoc supra, lib.6. exh.7. §.1.
Lib. 17. mor.c.15.
Psal. 17. v.10.

2. Cuncta autem hæc vnico isto verbo sponsa complectitur, cum ait, *Fuge dilecte mi*: in quo supremam omnium ei canit laudem, dum confitetur eum incomprehensibilem esse, & infinite maiorem omni laude, & quasi se victam fatetur quod ei laudare non valeat, *Ecce enim Deus magnus vincens scientiam nostram, & admirabilis facta est scientia tua ex me* (id est supra me:) *confortata est, & non potero ad eam.* Nam cum apprehendere volo, fugit à me. *Dixi* (inquit Salomon) *sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me, multo magis quam erat. Alta profunditas quis inueniet eam?* quanto quis amplius Dei contemplationi vacat, tanto magis agnoscit infinitum esse quod ignorat, & postquam multa de Deo est assecutus, fateri tenetur plus esse quod eum fugit, & dicere cum sponsa, *Fuge dilecte mi:* vere enim fugis & excedis me, sed de hoc gaudeo & gaudebo quod me fugias, & sciētiam meam vincas. Propter quod Psalmista dicebat iuxta versionem D. Hieronymi, *Tibi silentium laus Deus in Syon.* Quia maxima tua laus est quod stupor magnitudinis tuæ silere nos faciat. Vnde duplex in his verbis insinuatur affectus sponsæ, alter admirationis & stuporis, dum immensam Dei maiestatem suæ comparat paruitati: alter eximiæ dulcedinis, qua repleta est tam ingentem videns sui sponsi dignationem, & vtrumque profunda comitatur humilitas. Vt sensus sit; fuge & recede à me dilecte mi, quia nec digna sum tuo conspectu, nec tantam lætitiam capere valeo. Fuse hæc explicuimus in exhort. 40. libri 5. Cum autem addit, *Assimilare capreæ hinnuloque ceruorum super montes aromatum:* confirmat quod dixerat, id est ita fugis omnes creaturas vt nulla te assequi valeat, ideo esto similis perspicacissimæ capreæ & gratissimo hinnulo, qui super montes aromatum discurrunt celerrime, tua enim attributa sublimissimi & fragrantissimi montes sunt, in his versare, ea perspice, & comprehende, in his delectare, & teipsum pasce, hi montes aromatum te laudēt, & glorificent, laudet te tua pulchritudo, sapientia, & misericordia. His aromatibus & odoribus te decet suffiri: non aliis indiges laudibus; quia tu solus es tibi sufficiens, tu solus ad supremum horum montium verticem ascendere vales, hoc fateor, & hoc libenter cano. Assimilat his duobus animantibus, quoniam beatitudo Dei sicut nostra, in perspicua consistit visione diuinitatis, & attributorum eius, quod pertinet ad capream; & in amore, fruitione & gaudio quod pertinet ad hinnulum; nec comparatur ceruis qui veterascunt, sed hinnulo qui floridum ætatis vigorem habet, quia beatitudo Dei, & quidquid est in illo non marcescit, nec senescit, sed semper floret & viget.

Iob.36.v.26
Psl.138.v.6.
Eccl.7.v.24
Psal.64.v.1.

Desiderium fugæ seu ascensus sponsi in cælos post suam resurrectionem. §. 2.

1. SED cantionem hanc, etiam ad sponsum Christum Deum simul & hominem quasi commemorās, quę ab ipso in postremo huius capitis colloquio audierat, sic refert sponsa. Postquam dilecte mi sub arbore malo crucis suscitasti me, & fortis sicut mors fuit dilectio tua, & dura sicut infernus tua æmulatio, quoniam pro me diros cruciatus, & acerbam mortem oppetiisti, & ad infernum vsque descendere dignatus es, *Fuge* iam è terris, & ascēde in cælos; tende ad cęlestes montes aromatum, vbi sunt innumeri exercitus Angelorum te laudantium, vt ab illis sicut dignus es lauderis, & audias voces illorum cantantium tibi Canticum nouum, *Dignus est agnus qui occisus est accipere virtutem & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorē, & gloriam, & benedictionem.* Illi montes sunt tuæ immensæ maiestati locus magis idoneus, horum montium aromata & laudes erunt tibi gratiores & iucundiores: nos enim quid sumus, nisi puluisculus pigmentarij? & quas laudes tibi digne persoluere possumus, cum tam viles simus? laudent te illi, qui sunt astra matutina & præcellentissimi filij Dei. Dicis mihi, *Amici auscultant*: vt me tuas laudes canentem audiant, ego potius dico vt ipsi canant, & defectum paruitatis meæ suppleant. Videtur autem allusionem facere ad id quod supra dixerat, *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis*: ac si dicat, tu dilecte mi humiliasti temetipsum vt è cælo descenderes ad hortum Ecclesiæ, & ad paruam areolam aromatum, quam habebas in terris vt eius odoribus & fructibus reficiaris. Perfecisti opus tuum, fuge iam ad hortum quem habes in cælis, redi non ad paruam areolam aromatum, sed ad maximos aromatum montes qui in eo sunt, quorum odoribus & laudibus abundātius pascaris, & delecteris. Omnes enim nos quid sumus respectu beatorum, nisi paruula areola respectu plurium & magnorum montium? sicut tu dixisti, *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista, qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo:* maior enim huius mundi est sicut areola, minor vero regni cælorum sicut magnus mons. Ab iis ergo laudes accipe, qui ampla & plena corda ad te laudandum habent, nam de his qui te ibi laudabant dicitur habuisse, *Cytharas & phialas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum:* orationes autē, etiam laudes & gratiarum actiones comprehendunt.

De hoc alia plura in li.5. exh.39. §.2. & li. 8. exh. 5. 1.
In D.Amb. de bono mortis, c.5. Cassiodorus hic D. Bern. ser. 9. in Psal. Qui habitat.
Apoc.5.v.12
Cant.6. v.1.
Mat 11.v.11.
Apoc 5.v.8

Cum autem ait, *Assimilare capreæ hinnuloque ceruorum* : diuinam eius indicat naturam, & humanam à patriarchis progenitoribus ortam. Sed quid in hac fuga desideret tacite his nominibus innuit. Paraphrasis Chaldaica ait, capream tempore quo dormit vnum oculum habere clausum, alterum apertum; hinnulum vero ceruorum cum fugit post se respicere. Primum valde dubium est, nec in historiis legitur, secundum vero certum est. Ait ergo sponsa, esto dilecte mi in hac fuga tua, sicut hinnulus ceruorum, qui cum fugit, maxime insectatus à canibus interdū retorquet oculos, respiciens quos à tergo relinquit: sic tu etsi ad cælum abeas, oculos ad nos conuerte, in duro huius exilij certamine laboramus. Oculos habes perspicacissimos sicut caprea, nihil te latere potest, sic fuge per corporalem præsentiam vt non abeas, sed permaneas nobiscum per vigilantem prouidentiam & nostrorum curam.

Tandem hæc dicit sponsa, non quia ipsa canere & laudare nolit dilectum suum, sed potius ex nimio desiderio quod digne laudetur ab iis qui id præcellenter præstare possunt. Omitto aliam rationem ob quam Ecclesia petit à sponso vt fugiat celeriter in cælos, nimirum vt inde mittat Spiritum sanctum, & aromata omnium gratiarum & virtutum, auxiliaque opportuna ad emittendas digne omnes illas voces quas ipse desiderabat audire. Quoniam de hac ratione loco citato, & alibi sæpius actum est.

De fuga Christi à Iudæis ad gentes, à reprobis & iniquis ad electos & sanctos. §. 3.

1. PLVRA adhuc latent mysteria in verbo, *Fugit*: quo sponsa ardentia sua exprimit desideria, vt dilectus suus fugiat non solum ad cælum, sed per vniuersum orbem terrarum ex vna prouincia, & natione in aliam, vt omnibus se communicet, & manifestet, omnesque suæ fidei, gratiæ & redemptionis participes fiant. Fugere vero dicitur non per se, sed per suos ministros & prædicatores ac in illis. Sumitur autem fugere in vtraque sua significatione. Primo pro vera fuga quando ingruit persecutio: quod Diuus Ambrosius propter infirmos dictum putat, qui tentamenta grauiora ferre non possunt. Propter quos dictum est Apostolis: *Cum persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Quamuis Apostoli & Apostolici viri non ex timore, vel ex pusillanimitate fugiebant, sed ex magna scientia & prouidentia, quia iustum putabant ab eo loco discedere: quod D. Athanasius in Apologia de sua fuga fuse prosequitur, adducens exemplum saluatoris qui aliquoties fugit persecutores, & se abscondit, aliique sancti Dei impulsu fugerunt, vt alibi fructuosius prædicarent. Quomodo etiam cum draco per seipsum & per tyrannos persequeretur Ecclesiam, quam mulier amicta sole repræsentabat, *Illa fugit in solitudinem, & datæ sunt ei alæ duæ aquilæ magnæ*, vt volaret in desertum. Nam propter sæuam Iudæorum persecutionem iussu Dei Ecclesia eos reliquit, & fugit ad desertum gentilium, vt eis fidem prædicaret, ad quod datæ sunt duæ alæ non columbæ timidæ, sed aquilæ magnæ, in subsidium & auxilium vt altius volaret quam draco, & cito gentibus subueniret, ac prædicaret. Duæ autem alæ sunt scientia & sanctitas, vel vehemens amor Dei & proximi, vel contemptus temporalium & æstimatio æternorum, vel intelligentia duorum testamentorum; quæ ad fructiferam prædicationem valde conferunt. Vocantur autem alæ aquilæ magnæ, id est diuinæ sapientiæ increatæ, quæ Christus est, & suæ Ecclesiæ hæc auxilia præbet.

Serm. 22. in Ps. 118. v.7.
Matth.10. v.23.
Apoc.12. v. 6.& 14.

2. Sponsa ergo quasi vaticinans quod futurum erat in nouissimis temporibus, ait, *Fuge dilecte mi:* id est, fuge ab incredulis, & perfidis Iudæis, qui te & tuos discipulos persequuntur; fuge celeriter in solitudinem gentium, ex quibus tuam Ecclesiam cōgreges, pluresque sub ea nationes fidelium qui sint velut montes aromatum. Vocat autem gentes montes aromatum, non quia tunc ita essent, sed quia in Dei prædestinatione & decreto ita erant; quomodo Ioannes ait Christum mortuum esse, *Vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum.* Vt sensus sit, fuge ad eos quos elegisti vt sint filij Dei, & montes aromatum virtutibus odoriferos, & tibi gratos. Fuge autem celeriter sicut caprea & hinnulus ceruorum, quia hanc celeritatem petit sæuitia Iudæorum, qui se tua præsentia indignos reddiderunt, & indigentia gentium quæ nisi tu ad eas fugias, peribunt. Potest iuxta hunc sensum mystice explicari quod ait Saluator, Ierusalem deuastationem prędicens, *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.* Id est, ad electos ex gentibus vt cum eis degant, quibus prædicandum est Euangelium, quia Iudæa deserenda est, & desolanda propter eius contra fidem Christi rebellionem.

Ioa.11.v.52.
Matth.24. v.16.

Ad hanc autem fugam capessendam datæ sunt Ecclesiæ, vt lib. 6. exhort. 14. dicere cæpimus, duæ potissimæ alæ, nimirum S. Paulus & Barnabas, à Spiritu sancto destinati vt eam inter gentes deferrent, quod ipsi etiam Iudæis testati sunt.[a] Quos etiam in hac fuga comparare possumus capreæ, & hinnulo ceruorum; Paulum quidem capreæ propter perspicaciam visus, & abundantiam scientiæ; Barnabam autem, qui interpretatur filius consolationis, hinnulo ceruorum propter eius gratam mansuetudinem, & amabilem conuersationem: hunc gentiles vocarunt[b] Iouem, quia venerandam præ se ferebat sanctitatem; illum vero Mercurium,

a Act.13.v. 2.& 46.
b c.14. v.11.

Quia ductor erat verbi: magnam ostentans scientiam & facundiam. At de his satis. Ad priorem expolitionem reuertamur.

Sed quid est quod mulieri datæ dicuntur duæ alæ aquilæ magnæ vt celeriter volaret; ab sponso autem solum petitur vt velociter currat sicut caprea & hinnulus? sed præter quam quod vtraque metaphora rei de qua agebatur apta erat, mysterium nonnullum insinuatur; alæ enim aquilæ non sunt natiuæ mulieri, sed gratis superadditæ vt velocius fugiat; at celeritas natiua est capreæ, & hinnulo ceruino, sitque cum perspicacitate, & maturitate seu prudentia, quam capra denotat: sic Ecclesia & feruidi eius ministri non à se habent alas sapientiæ & sanctitatis, quæ tãtum natiuæ sunt aquilæ magnæ sapientiæ increatæ, ipsis vero gratis à Deo tribuuntur, vt velociter per orbem currant: tam ardens q; est eorum zelus vt vellent si possent, citissime omnes ad fidem conuertere, & ad Dei B amicitiam trahere; at celeritas ista natiua est Christo, qui ex propria propensione vult omnes saluos fieri, sed est celeritas prudens, & opportuna, quæ multoties iustis videtur tarda, & morosa, quia iudicia Dei non assequuntur, sæpe enim prædicationem euangelij, vel auferri à persecutoribus, vel deferri ad alios ex iustis causis nobis occultis decernit, donec opportunum tempus veniat à sua sapientia præfinitum.

3. Hinc est verbum fugere in hoc vaticinio etiam sumi pro celeri cursu, etsi nulla sit persecutio, quam fugere oporteat, propter vehementem propensionem Christi Domini percurrendi plures nationes ex vna in aliam, vt omnibus benefaciat. Quomodo capra & cerui nullo etiam persequente natiua inclinatione currunt ad montes. Exultauit enim Dominus instar solis vt gigas ad currendam viam. A summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque C ad summum eius, lumen fidei & ardorem dilectionis omnibus impertiri cupiens. Vtrumque modum festinandi tetigit Isaias cum ait, *Qui sunt isti qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* hæ ex timore fugiunt, illæ ex impetu ventorum ad irrigandam terram feruntur.

Pſ.18. v 3. Iſai.60. v.8

4. Sed non minus tremendum vaticinium insinuat sponsa in hoc verbo, *Fuge dilecte mi*: quasi morem sponsi describens qui fugit à sceleratis, & seditiosis, à fictis & ingratis, à tepidis & pigris seruis, vt vadat ad iustos & electos, suique amantes & gratos, vt cum illis familiarem habeat communicationem, & vberiora gratiæ illis largiatur dona, *Spiritus sanctus enim disciplinæ effugit fictum*: & delitiæ Dei sunt esse cum filiis hominum, qui secundum rationem & legem eius viuunt. Quod sic perpendit D. Gregorius: fugit dilectus, quia è reprobis cordibus se, ne intelligatur abscondit. Sed fugiens reprobos, montes aromatum petit, quia peruersos dimittens, sanctas animas non deserit, quæ & per contemplationem excelsæ sunt, & per confectiones virtutum odorifera vnguenta secum ferunt. Super hos montes dilectus similis est capreæ hinnuloque ceruorum, quia in cordibus sanctorum manifestat, quam pia charitate humanitatem pro nobis assumpsit: sic ille. Caue ergo ne talis sis à quo fugiat Christus, sed potius cura esse velut mõs aromatum virtutibus sublimis, orationibus fragrans, in quo ipse libenter permaneat. Et dicito illi, *Fuge dilecte mi*: id est, fac me fugere à vitiis, à carnis illecebris, à seculi vanitatibus, vt ascendam ad montes aromatũ, ad montes fragrantium virtutum, & sublimium cõtemplationum, vbi tu libenter cõmoraris, vt ego cõmorer tecum. Ibi filiæ (ait D. Ambrosius ad Virgines) Christũ quæramus, vbi quærit Ecclesia, in montibus boni odoris, qui excelsorũ sublimitate factorũ suauem vitæ odorẽ pro meritorum virtutibus exhalant. Fugit enim plateas, fugit cõuentus & strepitus fori, iuxta quod scriptum est, *Fuge fraternus meus, & similis esto hinnulo cerui in montes aromatum.* Serpentinis enim inuisus colubris, effugitans canum morsus, atque humi reptantibus infectus serpentibus, nescit habitare nisi in sublimitate virtutum: nescit commorari nisi in talibus Ecclesiæ filiabus, quæ possunt dicere, Christi bonus odor sumus.

Lib. 3. de Virginibus ad medium.

De postremo colloquio inter Christum & iustos in hora mortis, & vltimi iudicij, & de ascensu in cœlum. §. 4.

IAM colophonem addamus per vltimam interpretationẽ de extremo colloquio inter Deum & animam, Christum & Ecclesiam, inchoando à versione Sept. *Qui habitas in hortis, amici sunt intendentes voci tuæ, vocem tuam insinua mihi, fuge*, &c. Sept. dicũt, *Fuge fraterne mi, similis esto capreolæ, aut hinnulo ceruorum super montes aromatum.* potest autem applicari vnicuique sanctæ animæ prope mortem, aut omnium cætui in iudicio vniuersali. Quæ autem de illa dixerimus, præcellẽtius Deiparæ in sua assumptione conuenient. Sancta igitur anima, de qua Psaltes ait, *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Cum iam appropinquantem præsentit diem mortis, clamat ad dilectum suum; ô Domine, qui in hortis paradisi cœlestis tranquille sedes ad dexteram patris, tuos amicos alloquens, & docens, & ipsi intendentes sunt voci tuæ, quando iubebis mihi venire ad te? quia, *Me expectant iusti, donec retribuas mihi.* Insinua iam mihi vocem tuam, quam tandiu audire desidero, qua me voces vt veniam ad te, & simul te audiam cum amicis tuis, & quæ vox est ista nisi illa, *Veni de Libano sponsa mea, coronaberis.* Aut illa, veni sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus præparauit in æternum; vel veni electa mea, & ponam in te thronum meum, aut forte clamor ille, *Ecce sponsus venit, exite obuiã ei*: qui clamor in auribus Virginum fatuarum quæ paratæ non sunt, terrificus erit, & horribilis: at in auribus prudentum quę iam sunt paratæ, & vocem hanc audire desiderant, erit suauis & iucundus; & ideo sponsa ait, *Insinua mihi vocem tuam*: quoniam ego non repugno ab hoc ergastulo exire, sed valde cupio, & libenter tuæ voluntatis insinuationem audiam. Vnde cum contingit audire, nimis gaudet D sicut dicebat Psaltes, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus?*

Fuge fraterne mi, similis esto capreolæ, aut hinnulo ceruorum super montes aromatum.

I. PRO ASSVMPT. DEIPARÆ. Pſal.41. v.1.

Pſ.141. v.8. Cant.4. v.8. Matth.25. v.6. Pſal.121. v.1.

2. Ad eandem sanctam animam etiam loquitur sponsus dicens, *Quæ habitas in hortis, amici auscultant. Fac me audire vocem tuam.* Locutio dirigitur ad eam tantum quæ habitat in hortis Ecclesię, nam omnes qui extra illos sunt, detrudentur in infernum, nec tamen ad omnes fit qui in his hortis habitant, nisi fidem operibus bonis contestentur. Quod innuit vox, *Amici auscultant*: id est, beati qui sunt amici tui, & amici mei. Hæc autem amicitia non fundatur in sola fide, sed etiam in dilectionis operibus iuxta illud, *Vos amici mei estis si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Et rursus, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis* (scilicet per eleemosynas & opera bona) *vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Nã qui in horto Ecclesiæ operibus carent,

Ioa.15. v.14. Luc.16. v.9.

carent, excludendi sunt ab horto paradisi vt Isaias A hanc vocem (quam Apostolus vocat vocem Archangeli in iussu Dei) simul audient, & resurgent. Cæterum solum iusti, quorum animæ sunt in cælo (& idem est si quæ sint tunc in Purgatorio) intendunt & desiderant audire hanc vocem, quia resurgent ad vitam, nimirum æternam & beatam, quæ sola vocari potest vita, nam damnati licet resurgant ad vitam naturalem, tamen vita eorum (vt notat D. Augustinus) potius est dicẽda mors, quam vita. Et ideo nollent audire vocem illam filij Dei, quia in augmentum tormentorum cedet, dum simul corpus cum anima igne torquebitur æterno, audituri enim sunt mox aliam tremendam vocem Iudicis disceptantis (vt ait Ioël) cum illis, & acriter increpantis dicendo: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: esuriui enim & non dediſtis mihi manducare, &c.*

Isai.26. v.10. Pſal.141. v.8. Pſal.83. v.5. Lib.6 de Ciuit.c.12. Ioël 3 v.2. Matth.25. v.34. & 41.

5. B At sancti econtra expectantes sunt post resurrectionem suam suauissimam aliam audire vocem Christi dicentis: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Per quam vniuersam iustorum Ecclesiam tamquam reginam summi regis sponsam in suum regnum & cælestem domum introducet, & hoc est quasi inuitare eam ad consummandam desponsationem, & celebrandas solemniter nuptias corã Angelis, qui amici auscultantes nuncupantur dicendo ei: *fac me audire vocem tuam*, id est, tempus est vt desponsationem cœptam per auditum fidei, perficiam in præsentia omnium Angelorum per elaram visionem in regno meo, & tu deinceps in perpetuum canas laudes meas, & facias me audire vocem, quæ propria est cælestis Ierusalem, de qua dicitur: *Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis, & per vicos eius alleluia cantabitur*, id est laudate Deum.

5. Ioan.14. v.2. Pſal.119. v.5. Pſal.124. v.2. Iſai. 51. v. 3. Tobiæ 13. v.22.

C

Audita autem hac sponsi voce respondet ipsa: *Fuge dilecte mi, assimilare capreæ hinnuloque ceruorum super montes aromatum.* Fuge iam à terra, non amplius reuersurus in illam: ascende in cælos, præi tamquam dux, vt omnes te sequamur ad montes aromatum hilares, & iucundi, tamquam liberati à laqueis venantium; vt montes illi cælestes suum integrum recipiant complementum & ornatum. In hoc autem itinere, quod citissime in nictu oculi perficiendum est, assimilatur sponsus capreæ & hinnulo ceruorum, quia duplici procede stipatus caterua, scilicet Angelica significata per capream, & humana per hinnulum ceruorum, quia homines ex hominibus geniti sunt. Inter quos distribuet mansiones & sedes regni cælorum, vt cum illis tranquille & pacifice regnet in sæcula. Hæc attigisse sufficiat, quia plura & vberius de hoc puncto diximus ad finem prioris Tomi, posteriorem diuino fauente numine, iam perfecimus. Vtinam vtriusque moralis expositio ad morum profit correctionem in ædificationem Ecclesiæ Catholicæ, cuius correctioni, quæ simul cum suo capite Romano Pontifice Christi Vicario, columna est & firmamentum veritatis, cuncta in vtroque Tomo dicta libenter subijcio, ipsum cælestem sponsum humiliter deprecans vt in ipsius cedant honorem & gloriam in sæcula sæculorum. Amen.

6. 6.

D

Apoc.22. v.21. Pſal.97. v.9. 4. De vltimo iudicio. Duplex vox Christi tempore iudicii. Ioan 5. v. 28. 1. ad Theſſal.4. v.15.

Omnes quidem mortui nemine dempto,

FINIS.

INDEX
EXHORTATIONVM
VEL CONCIONVM PRO DOMINICIS, FERIIS ET FESTIS QVAE IN HOC posteriori Tomo continentur, vel deduci facilè possunt: Ponitur dispositio vnicuique Exhortationi congrua.

Aduertendum est singulos Tractatus vel Partes cuiusque libri ita esse dispositas, vt argumentum earum plures ordine congruo comprehendat conciones vel lectiones sacras, quæ vespere haberi solent tempore Aduentus vel Quadragesimæ, vel aliis Dominicis per annum. Vt vno tempore v. g. fiant conciones de modo quærendi Deum, & finem vltimum: alio de quinque mysticis diadematibus Christi Domini: alio de variis Dei pulsationibus ad ostium cordis, vel de præcipuis notis ad dignoscendum Christum, &c.

1 DOMINICA 1. Aduentus, de duplici Christi Aduentu, s. in carne mortali, & cum maiestate magna ad iudicium, & de vocatione animarum ad contemplandum vtrumque. In id, *egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, &c.* de primo Aduentu agitur. l. 6. c. 34. columna 264. 280. de secundo verò. c. 36. §. 4. col. 285. 286.

2 Alia de inflammatis desideriis prædicti duplicis Christi Aduentus quo flagrauit & flagrat Ecclesia diuersis temporibus; & in hoc tempore commemorantur. In id, *quis mihi det te fratrem meum, &c.* de primo lib. 10. c. 1. col. 109. de secundo. c. 3. §. 4. col. 137.

3 De præparatione ad iudicium, & ad allocutionem quæ tunc facienda est tum à Satana accusante, tum à iudice sententiam proferente. In id, *Soror nostra parua, vbera non habet, quid faciemus ei in die quando alloquenda est? si murus est, &c.* l. 10. c. 14. §. 3. col. 1122. & c. 15. col. 1123.

4 De duplici voce filij Dei quæ audietur. Prima ante iudicium. Secunda in ipso iudicio. In id, *quæ habitas in hortis fac me audire vocem tuam, &c.* l. 10. c. 21. §. 4. col. 1176.

Dom. 2. Aduentus circa Euang. *Tu es qui venturus es, &c. dicite Ioanni, &c. cæci vident, claudi ambulant, &c.* de facilitate, celeritate & perfectione operum & prodigiorum Christi, quæ testimonium perhibent de ipso. In id quod respondet sponsa ad interrogationem sibi factam, *qualis est dilectus tuus?* dicens, *manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.* l. 8. c. 14. colum. 767.

1 Dom. 3. In id, *vox clamantis in deserto, &c.* de testimonio quod Ioannes præbuit Iudæis de Christo, exhortans eos vt ei aperirent cordis ianuam, & reciperent. In id, *vox dilecti mei: aperi mihi soror mea, &c.* l. 8. c. 13. §. 5. col. 692. 693. vbi multa concisè tanguntur, quæ fusè protendi valent Item. l. 8. c. 27. §. 4. col. 794. 795.

2 Alia in id, *non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti*, de carne mortali Christi, & de exemplis ipsius, quæ calceamenta Verbi diuini vocantur, quæ nullus potuit comprehendere; sed Ecclesia imitatur, & ideo pulchri vocantur gressus eius in calceamentis. l. 9. c. 10. §. 2. col. 895. & sola omnia quæ in ea exhort. dicuntur in Christum quadrant.

Dominica 4. vt in 3. Vigilia Natiuitatis circa illud, *voluit occulte dimittere eam*, de desiderio Virginis, vt Deus fieret homo: & postquam factus est vt nasceretur, nec despiceretur ab aliis. In id, *quis mihi det te fratrem meum, vt iam nemo me despiciat.* l. 10. c. 1. §. 3. col. 1014.

1 Natiuitas Domini. 1. De modo quo B. Virgo inuenit Christum & introduxit in mundum per Incarnationem, & per Natiuitatem temporalem, ac introducit spiritaliter in homines. l. 6. c. 9. col. 79. maximè, §. 4. col. 85. c. 6. col. 88. In id, *inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam donec, &c.*

2 De Christi humanitate vt est lectulus Verbi diuini, & de Deipara & præsepio Bethleemitico vt fuit lectulus Christi quem ambiunt omnes fortes Ecclesiæ. In id, *lectulum Salomonis sexaginta, &c.* l. 6. c. 26. col. 209.

3 De eadem humanitate vt fuit pretiosum ferculum filij Dei, & de B. Virgine vt fuit ferculum Christi quem concepit & portauit, ac manifestauit mundo. In id, *Ferculum fecit sibi Rex Salomon, &c.* l. 6. c. 32. de primo. col. 250. & c. 31. de secundo, col. 244.

4 De contemplatione Christi nati in Bethleem iademate suæ humanitatis à matre corona-

tum. In id, *egredimini filiæ Sion, & videte*, &c. l. 6. c. 34. col. 264.

5 De inflámato Virginis desiderio videndi Deum hominem factum, & postquam factus est homo, in eius vtero videndi eum foras iam natum. In id, *quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ vt inueniam te foris?* &c. l. 10. c. 1. col. 1009. & in §. 4. habetur modus contemplandi hæc mysteria. col. 106.

6 Huic etiam festo quadrant fere omnes quæ habentur in festo Annunciationis menſe Martio, sicut etiam istæ quadrant illi festo.

Dominica infra octau. Natiuitatis circa Euangelium, *ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel*, &c. l. 6. c. 10. col. 90.

1 In Circumcisione Domini circa id, *dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus*, de candore diuinitatis, & innocentiæ Christi, de rubore sanguinis pro nobis fusi in Circumcisione, & Passione; de eminentia super omnes quam importat nomen Iesu super omne nomen. l. 8. c. 19. col. 731.

2 Alia in id, *caput tuum vt Carmelus, comæ capitis*, &c. de agno circumciso, & fidelibus illi adhærentibus. l. 9. c. 16. col. 709.

3 Vigilia Epiphaniæ. In id Euangelij, *quia Nazaræus vocabitur*, quod interpretatur sanctus, habetur exhortatio de sanctitate Iesu ad modum Nazaræorum qui dicuntur *candidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo*, circa id, *candidus & rubicundus*. l. 8. c. 19 col 731.

2 Et quia Nazaræus etiam interpretatur floridus, est alia exhortatio de floribus virtutum Christi Domini. In id, *genæ illius sicut areolæ aromatum*. l. 8. c. 22. col. 743.

3 Alia de capillis quos nutriebant Nazaræi indicantibus eorum sanctitatem. In id, *caput eius aurum optimum, capilli capitis eius vt elatæ palmarum*. l. 8. c. 20. col. 737.

1 Epiphania Domini de Aduentu Magorum ad quærendum Christum. In id; *in lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea*. l. 6. c. 11. col. 97.

2 Alia de inuitatione Magorum vt veniant ad videndum, & adorandum regem Christum natum in Iudæam. In id, *egredimini filiæ Sion & videte regem Salomonem*, &c. l. 6. c. 34. col. 264. maximè §. 5. vbi habetur disposítio exhortationis, col. 271.

3 Alia esse potest circa id, *veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana*, &c. de vocatione nouellæ Ecclesiæ cõgregandæ ex Gentibus vt recipiat coronam sponsalitiam tradendo se vni viro Christo regi nato. Dicitur ter veni, quia in tribus regibus vocatur. De Libano, vt relinquat idololatriam; de capite Amana, Sarõ & Hermon, vt relinquat superbos montes scientiæ mundanæ, potestatis & voluptatis; *& pertransibis à principio fidei* (vt dicunt Lxx.) quia perueniet ad perfectam fidem Christi, vt illum videant & recipiant quem neglexerunt Iudæi. Hæc omnia fusè deducentur ex l. 7. c. 21. col. 459.

Domin. infra octauas Epiphaniæ, circa Euang. de modo quo B. Virgo quæsiuit puerum Iesum cum triduo remansit in Ierusalem. Circa id, *in lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit*, &c. l. 6. c. 12. col. 104.

Dom. 2. post Epiphan. circa id Euangelij, *dixit mater eius ad eum, vinum non habent*, de præclara misericordia Deiparæ erga electos tum in spiritualibus, tum in corporalibus. In id, *duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ*. l. 7. c. 17. in §. 4. col. 49. ad finem habetur dispositio: quadrant autẽ in eam cuncta quæ ibi dicuntur de duplici misericordia, & etiam congruunt petitioni, *vinum non habent*, quod de corporeo & spirituali potest intelligi.

Domin. 3. de Centurione: vide feria quinta post Cineres.

1 Dom. 4. circa Euang. *ecce motus magnus factus est in mari, ita vt naucula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat*; de vigilantia Christi circa Ecclesiam & iustos in tribulationibus, etsi videatur dormire. In id: *ego dormio, & cor meum vigilat*. l. 8. c. 6. col. 624.

2 Alia de causis ob quas se abscondit à iustis in tribulationibus, vt videatur absens vel dormiens. In id, *at ille iam declinauerat, atque transierat*. l. 8. c. 14. col. 695. maxime § 3. col. 699.

3 Potest applicari alia, de firmitate Ecclesiæ & Sanctorum etsi multis procellis tribulationum concutiantur. In id, *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*. &c. l. 10. c. 11. col. 1096.

Domin. 5. circa id, *in tempore messis dicam messoribus, colligite primum zizania*, &c. de duplici messe, altera animarum in agro mundi, quam colligunt operarij Euãgelij dum infideles conuertunt, & peccatores, & congregant eos tamquam triticum in horreum Ecclesiæ. Et hæc sub alia ratione vocatur seminatio, respectu secundæ messis quæ in consummatione sæculi colligetur ab Angelis vt à messoribus, &c. de hac loquitur parabola, de vtraque dicuntur multa. In id, *veni in hortum meum, messui myrrham meam cum aromatibus*, in l. 8. De prima c. 3 §. 4 col 604.

De secunda c. 5 § 3 col. 618. de vtraque iterum, in id, *dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum vt pascatur in hortis, & lilia colligat*. c. 29 §. 4. col. 808.

Dom. 6. de grano synapis, de modo quo Ecclesia, & anima iusta, ac virtus crescit dum tribulationibus vexatur. In id; *quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi*, &c. l. 6. c. 19. §. 2. 3. & 4. col 160. 161. & 162.

1 Dom. Septuagesimæ circa Eugũ. *exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*, de creatione hominis ad operandũ. & de malitia otiositatis. In id, *in lectulo meo per noctes*, &c. l. 6. c. 3 col. 25. & 26. & 9. c. 8. §. 2. col. 881. de vocatione ad pœnitentiam.

2 Alia in id, *voca operarios & redde illis mercedem suam*, de vocatione vltima ad recipiendum præmium laboris in cælo. In id: *veni de Libano sponsa mea, veni coronaberis*, &c. l. 7. c. 22. §. 1 & 2. col. 471. & 473. & aliquid l. 9. c. 8 §. 3 col. 882.

3 Circa id, *an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* nonnulla de inuidia habentur. In id, *viderunt eam filiæ & beatissimam prædicauerunt*. l. 9. c. 4. §. 1. & 2. col. 845. & 848.

Dom. Sexag. in id, *quod autem in spinis cecidit hi sunt*, &c. de euellendis tribus spinarum generibus quæ semen verbi Dei suffocant, & diuinæ vocationi obstant. In id, *pessulum ostij mei aperui dilecto meo*. l. 6. c. 35. §. 1. col. 274. & l. 8. c. 12. col. 678.

1 Dom. Quinquagesimæ, in Euang. *ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur*, &c. de prõptitudine qua Christus Dominus se obtulit morti

per eam adeptũrus gloriam resurrectionis. In id, *vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris*. l. 7. c. 19. col. 441.

2 Alia de eodem; coniungendo semper Passionem & Resurrectionem. In id, *labia illius lilia distillantia myrrham primam*. l. 9. c. 23. col. 984.

1 Feria 4. cinerum circa Euang. *cum ieiunatis*, &c. vel epist. *conuertimini ad me*, &c. de tempore Quadragesimæ quod institutum est ad quærendum Deum per pœnitentiam, quia modo inueniri potest. In id, *in lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea*, &c. l. 6. c. 8. colum. 71. de perfecta conuersione peccatoris l. 9. c. 8. col. 878.

2 Aliàs de profectu per tres actus pœnitentiæ, & per tria opera satisfactoria, scilicet, ieiunium, orationem & eleemosynam. In id, *quæ est ista quæ ascendit per desertum*, &c. l. 6. c. 14. col. 140.

3 Aliàs circa id, *tu autem cum ieiunas vnge caput tuum*, &c. de duplici genere virtutum quæ castigant, scilicet corpus vt ieiunium, & colunt Deum per deuotionem, de intentioneque pura in his placendi illi. In id, *vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris*. l. 7. c. 18. col. 432.

4 Alia contra eos qui externa bona sine internis agunt, vide in feria 6. sequenti.

5 Alia circa id, *puluis es & in puluerem reuerteris*, de morte quæ ad agendam pœnitentiam instigat, in id, *quæ est ista quæ ascendit sicut virgula*, &c. *& vniuersi pulueris pigmentarii*. l. 6. c. 20. col. 165.

Feria 5. de Centurione. In id; *non inueni tantam fidem in Israel. Amen*, &c. de insigni fide humilitati & charitati cum Christo coniuncta, per quam distinguuntur electi ex gentibus vt Centurio, à filiis regni, id est, reprobis Iudæis, qui proijcientur in tenebras exteriores. In id, *sicut vitta coccinea labia tua*, &c. talia fuerunt labia Centurionis in hac fidei humili confessione & reuerentia ad Christum. l. 7. c. 6. col. 341.

Fauent quæ dicuntur c. 21. §. 3. eodem lib. colum. 172. in id, *coronaberis à capite Amana*, seu vt Lxx. vertunt, *pertransibis à principio fidei*, nimirum ad perfectionem ipsius ascendens.

1 Feria 6. in id Euang. *audistis quia dictum est; diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum, ego autem dico vobis*, &c. de eminentia legis nouæ supra veterem in dilectione proximorum. In id, *duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli qui pascuntur in liliis donec aspiret dies & inclinentur vmbræ*. l. 7. c. 16. §. 2. col. 414. etsi fere reliqua omnia eidem proposito quadrent.

2 Alia in id, *cum facis eleemosynam noli tuba canere ante te*, &c. *nesciat sinistra tua quod facit dextera tua*, de operibus misericordiæ corporalis & spiritualis, & de modo illa operandi in id, *duo vbera tua sicut duo hinnuli* &c. l. 7. c. 17. col. 423. alia c. 27. §. 1. & 2. col. 512. & 513. de fragrantia horum vberum scil. operum misericordiæ.

3 Alia contra eos qui externa bona sine internis operantur in id, *oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet*. l. 7. c. 1. colum. 305. & c. 10. col. 363. in id, *sicut fragmen mali punici genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet*.

Sabbato in id Euang. *erat naucula in mari, & ipse solus in terra, & videns eos laborantes in remigando: erat enim contrarius ventus*, de causis ob quas Deus aliquando derelinquit iustos magnas pati tribulationum procellas, quibus tempore opportuno subuenit. l. 8. c. 14. col. 695. & l. 10. c. 11. §. 2. col. 1097. vt in Dom. 4. post Epiph. habetur.

1 Dom. 1. Quadragesimæ in Euãg. de duobus quæ Christus fecit in deserto, scil. vacare orationi & contemplationi, & præliari contra diabolum. Vtrumque eleganter deducitur ex illo, *en lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vnusquisque ensis super femur propter timores nocturnos*. Explicatur hic locus in libro 6. & applicatur sic. Lectulus Salomonis est Christi humanitas: in qua quiescebat filius Dei c. 26. §. 1. col. 209. in hoc lectulo requieuit specialiter in deserto quadraginta diebus vacans vitæ contemplatiuæ & quietæ, quem ambibant sexaginta fortes. i. suæ excellentissimæ virtutes & scientiæ quibus præmunitus erat ad sui custodiam & bellum, & eum comitabantur in illa quiete c. 24. col. 196. in principio, & §. 1. Hunc lectulum perturbare est aggressus diabolus per tentationes sub specie boni quæ dicuntur timores nocturni, & per alias manifestas, sed omnes vicit Christus gladio & ense verbi Dei, ex scriptura deprompti. c. 23. §. 5. col. 194. tandem cum reliquit eum diabolus, *accesserunt Angeli, & ministrabant ei*, ambientes eum isti fortes ex fortissimis Israël, non vt custodes sed vt ministri c. 26. §. 1. col. 211.

2 Alia in id, *postea esuriit; & accedens tentator*, &c. de modo quo diabolus obseruat parrem debiliorem hominis penuriam patientis, & eam aggreditur, & sic aggressus est Christum esurientem, sed fortiter ei restitit. In id, *venter tuus eburneus distinctus sapphiris*. l. 8. c. 25. §. 3. col. 776. habetur ad finem dispositio, sed quod dicitur de castitate, intelligitur de temperantia quia vtraque per ventrem eburneum designatur: cum respondit, *non in solo pane viuit homo*, ex scriptura desumpsit arma. De quo in sequenti exhort.

3 Alia in id, *tunc*, id est, post susceptum baptisma, *ductus est Iesus in desertum vt tentaretur à diabolo*, quomodo omnes qui se submittunt ad portandum iugũ legis diuinæ, tentationes patiuntur, & ideo debent se armis conueniẽtibus præparare ad bellandum contra diabolum. In id, *sicut turris Dauid collum tuum quæ ædificata est cum propugnaculis, Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, de quo l. 7. col. 303. 304. Collum vocantur qui portant iugum diuinæ legis. Hi sunt sicut turris Dauid, id est, sicut vita præcelsa Christi, in quo ad nostrum exemplum sunt omnia armorũ genera c. 12. §. 4. col. 390. & ad bellandum contra diabolum oppugnantem hoc collum & hãc turrim: desumpsit arma verborum Dei ex scriptura quæ ea cõtinet, & ideo vocatur etiam turris Dauid ex qua pẽdent mille clypei & omnis armatura fortiũ contra hostes c. 14. §. 3. col. 403.

4 Alia potest esse de modo quo Christus ductus est à proprio spiritu seipsum impellente in desertum ad exercenda opera pœnitentiæ corporalis, & orationis quietæ, implens quod de se dixit: *vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris*, de quo l. 7. c. 18. & 19. col. 432. & 441.

Feria 2. circa Euang. de iudicio deseruiunt tertia & quarta quæ habentur 1. Dom. Aduentus.

Feria 3. in id, *domus mea domus orationis est*, & de Ecclesiis deputatis ad orationem maximè communem. In id, *quæ habitas in hortis fac me audire vocem tuam*. l. 10. c. 19. col. 1155.

Feria 4. in id, *ſignum non dabitur ei niſi ſignum Ionæ Prophetæ: ſicut enim fuit Ionas tribus diebus, &c.* mortem Chriſti fuiſſe ſignum exaltationis ſuæ, victoriæ diaboli, & idololatriæ, ac conuerſionis mundi: de quo agitur in id, *aſcendam in palmam. & apprehendam fructus eius.* l. 9. c. 20. col. 963. & ſicut Ionas poſtquam triduo fuit in ventre cete, relicta Iudæa vadit ad gentes Niniuitas, qui eum non expectabant, nec quærebant, & ſua prædicatione conuertit ad fidem & pœnitentiam non tantum plebeios, ſed principes, & regẽ: ſic Chriſtus poſt mortem ſuam, relicta Iudæa, per Apoſtolos ſuos tranſiuit ad Gentes, qui eum non quærebant, quorum prædicatione eos conuertit ad fidem, etiam Senatores & Imperatores Romæ. De hoc agitur l. 6. c. 14. §. 1. col. 116. & l. 10. c. 2. §. 10. col. 116.

Feria 5. in Euang. Cananeæ de fide & conſtantia in quærendo Chriſtum & de percuſſionibus quæ fiunt ad earum probationem, l. 8. c. 16. §. 1. & 4. col. 709. & 714.

Feria 6. in id, *& quiprior deſcendiſſet in piſcinam* poſt *motionem aquæ ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.* De mira efficacia aquæ viuæ gratiæ quæ confertur in baptiſmo, ad ſanandum hominem, & præbendum vires vt ambulet & fructificet (piſcina enim hæc figura erat baptiſmi.) In id, *puteus aquarum viuentium.* l. 7. c. 30. §. 1. & 2. col. 542. & 544. ſed coniungendus eſt cum ſacramẽto baptiſmi & pœnitentiæ mœror de peccatis & fons lachrymarum, de quo agitur in id, *oculi tui ſicut piſcinæ in Eſebon.* l. 9. c. 14. §. 1. & 2. col. 921. & 922.

Sabbato vt in Domin. ſequenti.

Domin. 2. Quadrageſ. 35. circa Euangel. ad connectendum cum prima Domin. de viribus ad opera pœnitentiæ & ad pugnandum contra diabolum & eius tentationes, quas præbet oſtenſio præmij quod expectamus in cœleſti Ieruſalem; in id, *pulchra & ſuauis & decora ſicut Ieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* l. 9. c. col. 819. vbi §. 4. refertur ex Ezechiele prædicatoribus præcipi vt pingant ciuitatem Ieruſalem in latere. 1. imaginem gloriæ in mentibus hominum vt illam æſtiment, ament, & conſequi ſatagent belligerando contra hoſtes, vnde in exh. 2. §. 1. col. 828. refertur eiſdem præcipi vt pingant obſidionem futuram cõtra illam, vt ſe præmuniant, ideoque anima ſimul debet eſſe pulchra imitando cæleſtem Ieruſalẽ per excellentes virtutes, vt ſit fortis & terribilis ad vincendos dæmones. Alias exhortationes vide in feſto Transfigurationis menſe Auguſto.

Feria 4. vt in Domin. Quinquageſimæ.

1 Feria 6. de parabola vineę, in id, *vinea fuit pacifico, &c.* l. 10. c. 18. col. 1146. quam fœcunda ſit vinea Eccleſiæ & vtilis tum colonis tum Domino, & de cura quam agit illius, qua tamen in vinea antiqua ſynagoga proſtrata eſt: circa id vero quod

2 additur, *auferetur à vobis regnum Dei & dabitur genti facienti fructum eius*, plura dicuntur l. 6. c. 14. col. 116. & l. 10. c. 21. §. 1. col. 1171.

1 Sabbato de filio prodigo in Euang. de vocatione efficaci peccatoris qui conuerti renuit, adhibitis fortioribus mediis & flagellis, in id, *dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, &c.* l. 8. c. 10. col. 661.

2 Alia de perfecta reuerſione peccatoris ad Deum qui eũ inuitat vt reuertatur, in id, *reuertere, reuertere Sulamitis, &c.* l. 9. c. 8. col. 878.

Dom. 3. in id, *erat Ieſus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum, &c.* de differentia inter ſpiritum diaboli & Chriſti, quod ille facit mutos ad orationem, ad confeſſionem, & ad alia plura quæ reneantur loqui: Chriſtus diſſoluit opera diaboli, & hos mutos facit loqui: in id, *quæ habitas in hortis amici auſcultant: fac me audire vocem tuam.* l. 10. c. 19. col. 1079. Sed plura congeruntur §. 5. item, l. 7. c. 8. §. 1. col. 356. proprium eſſe Dei aperire labia ad orandum in id, *extollens vocem mulier de turba.* Vide in feſto S. Mariæ ad Niues menſe Auguſto.

Feria 3. in id, *ſi duo ex vobis conſenſerint de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, &c.* de Eccleſiæ oratione cõmuni, & communione plurium in ſanctitate Chriſti, & de eius efficacia. In id, *pulchra es amica mea, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* l. 9. c. 2. §. 2. col. 830. cum iis quæ dicta ſunt c. 1. Iuuant etiam quæ dicuntur de conuenientibus ad orandum ſimul in Eccleſijs. l. 10. c. 19. §. 2. col. 1158. Alia in id, *vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*: de eximio Chriſti amore erga eos qui cõcordes ſunt in ipſo, vnde oritur quod ſemper ſit cum illis, & illi rapiant ipſum ad ſe. In id, *vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* l. 7. c. 25. col. 497.

Feria 4. in Eua. *quare diſcipuli tui tranſgrediuntur? &c. hypocritæ bene prophetauit de vobis Iſaias: populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* De diſcrimine inter labia iuſtorum, & hypocritarum. In id, *fauus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua*: nam hypocritę conantur exterius per labia diſtillare mel, ſed ſub lingua, id eſt in corde non habent niſi fel, & ideo ſæpius diſtillant contumelias, & accuſationes contra proximos, & contra Chriſtum ſicut Phariſęi: agitur de hoc l. 7. c. 7. col. 348. à principio, & c. 9. §. 2. col. 366. cui iungendum eſt quod ſubdit Euang. *ſinite illos, cæci ſunt & duces eorum.* De cæcitate mentis & affectata ignorantia eorum quæ ad Chriſtum & ad euangelia ac virtutes pertinẽt. In id, *neſciui, anima mea conturbauit me, &c.* l. 9. c. 7. §. 1. col. 871. Item quadrat huic Euangelio quod dicitur ad commendandam non tantum ſanctitatem externam, ſed magis internam quę in corde intrinſecus latet. l. 7. c. 1. col. 305.

Feria 5. in id Euang. *quia aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo miſſus ſum.* De deſiderio Chriſti inuiſendi per ſe & per diſcipulos omnes ciuitates & regiones mundi, ad prædicandum Euangelium. In id, *veni dilecte mi, ingrediamur in agrum, &c.* l. 8. c. 24. col. 992. imperfecti volunt detinere apud ſe, perfecti inuitant vt egrediatur ad omnes.

1 Feria 6. in id, *omnis qui biberit ex hac aqua ſitiet iterum, qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* De ſtupenda efficacia aquæ viuæ ad plurimos ſpirituales effectus. In id, *fons hortorum, puteus aquarum viuentium.* l. 7. c. 30. col. 541.

2 Alia de duplici inſigni ſententia quam dixit Apoſtolis, ſcilicet *cibus meus eſt vt faciam voluntatem eius qui, &c. & leuate oculos veſtros, & videte regiones quia albæ ſunt iã ad meſſẽ.* De cibo Chriſti qui erat conuerſio animarum, & meſſione ſpirituali animarum totius mundi quæ aptæ erant vt

metererentur

metererentur, & eſſent cibus eius. In id, *veni in hortum meum, meſſui myrrham meam cum aromatibus, comedi fauum cum melle meo, &c.* l. 8. c. 3. §. 3. & 4. col. 601. & 604. illæ enim duæ ſententiæ debent extendi etiam ad Gentes, quoniam propter Samaritanos Gentiles dictæ ſunt.

Dom. 4. circa Eua. de panibus. Primo ponderetur connexio Dom. in ſecunda proponitur Euangelium de præmio ſpirituali & æterno conferendo bonis in 4. Euangelium de ſolicitudine quam habet Deus adijciendi illis temporalia: nam hoc etiam vires addit ad actus ſtudioſos: ſed ſeruandus eſt ordo vt prius quæratur ſpirituale & æternum quod eſt regnum Dei, beatitudo & iuſtitia eius, de quo agitur l. 6. c. 1. §. 2. & 3. col. 5. & 8. in quo defecerunt qui de ijs quinque panibus ſaturati ſunt vt ibi notatur.

Hęc prouidentia denotatur illis verbis, *cũ ſubleuaſſet oculos ſuos & vidiſſet quia multitudo magna venit ad eum, dicit ad Philippum.* Nam per oculos quibus Chriſtus reſpicit homines denotatur hæc prouidentia, de qua agit: circa illud *oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, &c.* l. 8. c. 21. col. 746. Vide etiam quæ dicuntur in id, *vinea mea coram me eſt.* l. 10. c. 18. §. 5. col. 1154. & c. 13. §. 2. col. 1113. in id, *ſoror noſtra parua, &c.*

Feria 4. in id, *liniuit lutum ſuper oculos eius, & dixit ei, vade, laua in natatoria Siloë, &c.* de virtute baptiſmi & pœnitentiæ ad reſtituendum lumen & ſplendorem gratiæ in virtute Chriſti. In id, *oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon.* l. 9. c. 14. §. 1. col. 921. & ponderandum eſt Chriſtum non tantum dediſſe huic cęco oculos corporis, ſed multo magis illuſtraſſe oculos animæ, vt in Chriſtum crederet, & de eo teſtimonium redderet, manſerunt que eius oculi lucidi, pulchri, tranquilli, & ſani, ſicut aquæ natatoriæ Siloë: fauet quod de aquis viuis dicitur l. 7. c. 30. col. 541. & aliquid l. 8. c. 24. §. 2. col. 763. de ſecreta cauſa curandi cæcum hoc modo.

Feria 6. de Lazaro. De duplici voce ſibi correſpondente, vtraque breui, & efficaci ex feruenti dilectione procedente: altera ſororum Lazari: *ecce quem amas infirmatur*: quia ardens dilectio ligat in oratione verba, imò ligat Deum & vincit vt faciat quod petit: de hoc agitur in id, *ſicut vitta coccinea labia tua.* l. 7. c. 8. §. 2. & 3. col. 357. 359. altera ipſius Chriſti dicentis, *Lazare veni foras*, quia vox Chriſti omnipotens eſt ad ſuſcitandas animas mortuas per peccatum, & corpora iacentia in ſepulchris. De primo intell. *venit hora & nunc eſt quando mortui audient vocem filij Dei, &c.* de quo in l. 8. c. 8. §. 1. col. 640. & l. 10. c. 19. §. 1. col. 1156. de ſecundo vero, *venit hora in qua omnes qui in monumentis ſunt audient vocem filij Dei, &c.* de quo in l. 6. c. 36. §. 4. col. 285. & l. 10. c. 21. §. 3. col. 1173.

1 Domin. in Paſſione in id *quis ex vobis arguet me de peccato?* de impeccabilitate & innocentia Chriſti, vnde fit paſſionem eius & perſecutiones tantum fuiſſe propter peccata hominum. In id, *candidus & rubicundus, electus ex millibus.* l. 1. 8. c. 19. col. 731. Dicitur electus ex millibus propter inuictam fortitudinem contra perſecutores & hoſtes.

2 De eius diuinitate, ſanctitate & operibus eminẽtiſſimis, quæ inimicis viſa ſunt impia: in id; *caput eius aurum optimum, comæ capitis eius vt elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus.* l. 8. c. 20. col. 1. 737. fauet quod dicitur de rectitudine operum eius. l. 8. c. 24. §. 2. & 3.

3 Circa id, *Abraham exultauit vt videret diem meũ, vidit & gauiſus eſt.* In id, *Videte regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis & lætitiæ cordis eius*: habetur diſpoſitio integræ exhort. de triplici die Chriſti quem vidit Abraham, de quo gauiſus eſt. l. 6. c. 35. §. 3. col. 278. Quomodo autem in ſpiritu viderit diem paſſionis Chriſti habetur l. 7. c. 19. §. 1. col. 442.

1 Feria 2. in id *qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* De aquis viuis gratiarum & virtutum quæ fluunt ab anima intus recipiente eas à Spiritu ſancto de cælo miſſo. In id, *puteus aquarum viuentium quæ fluunt cum impetu de Libano*: in puteo ab intimis ebulliunt aquæ, ſed à Libano deſcendunt. l. 7. c. 30. §. 1. & 4. col. 542. & 550.

2 In id, *quæretis me, & non inuenietis, & vbi ego ſum vos non poteſtis venire*: quomodo principes Iudæorum quærentes verum Chriſtum, non inuenerunt, ne receperunt, turba vero multa credidit & recepit. In id, *quæſiui eum & non inueni.* l. 6. c. 10. §. 1. & 2. col. 91. & 93. Vnde propter eorũ incredulitatem reliquit eos & tranſijt ad Gentes. vide l. 10. c. 20. §. 4. in id *fuge dilecte mi.* col. 1169.

Feria 4. in id, *opera quæ ego facio in nomine Patris mei ipſa teſtimonium perhibent de me.* De perfectione operũ Chriſti vt Deus & homo. In id *manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.* l. 8. c. 24. col 767. & l. 27. §. 1. & 2. c. 782. & 790. in id, *electus vt cedri.* hæc teſtimonium perhibẽt de ipſo qualis ſit.

Feria 5. de Euangelio vt in feſto S. Mariæ Magdalenæ, menſe Iulio.

Sabbato vt in Dom. ſequenti & in feſto Exaltationis S. Crucis.

Dom. in Palmis: circa id Euang. *dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi manſuetus, & ſedens ſuper aſinam, &c.* de ingreſſu Chriſti in Ieruſalem cum gaudio & pompa ad accipiendum per mortem regnum ſuum, & coronam illius. In id *egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater ſua, &c.* eſt enim exhortatio ad filias Sion, quibus locuti erant Prophetæ vt viderent regem quem expectabant, ſuper humile iumentum venientem. l. 6. c. 15. col. 273. & fauent quæ dicuntur. c. 34. col. 264. Cætera de Paſſione pro hac hebdomada habentur feria 6. in Paraſceue.

1 Feria 5. in Cœna Domini, in id, *cum dilexiſſet ſuos qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos*, de dilectione ſine limite. l. 6. c. 4. §. 2. col. 36. de infinita dilectione Chriſti vſque ad finem ſeu mortem in feria 6. ſequenti. Alia in id, *exemplum dedi vobis vt quemadmodum, &c.*

2 De tribus excellentiſſimis operibus Chriſti in nocte Paſſionis. 1. lauare pedes diſcipulorum, inſtituere Euchariſtiã, & offerre ſe ad opprobria & tormenta Paſſionis. l. 8. c. 24. §. 2. col. 768. & quamuis præcipue tribueret hæc ſuis qui erant in hoc mundo, non tamen negauit ea inimicis & Iudæ ſicut pro inimicis eſt mortuus. l. 7. c. 13. §. 2. col. 395. Reliquæ exhortationes de inſtitutione Euchariſtiæ habentur in feſto Corporis Chriſti.

Feria 6. in Paraſceue. Ex l. 10. plures deducuntur exhortationes. Prima de ſuſcitatione humanæ

naturæ Ecclesiæ, & animarum facta à Christo sub arbore crucis. In id, *sub arbore malo suscitauite, &c.* c. 5. col. 1047.

2 Alia de ponendo signaculo Christi crucifixi & crucis eius super cor nostrum. l. 7. §. 2. col. 1065. in id, *pone me vt signaculum*: & causa huius quę est vehementia amoris Christi vsque ad mortem & sepulchrum propter nos, in id, *quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* c. 7. §. 1. col. 1070. deinde incrementum huius amoris, in id, *lampades eius lampades ignis atque flammarum.* c. 10. §. 2. col. 1090. & confirmatur à signo in id, *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, quia omnes superauit tribulationes in passione, c. 11. §. 2. col. 1097. deinde aliud signum, in id, *si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, &c.* c. 12. §. 1. col. 1103. Ex ijs quinque sententijs deducuntur quinque insignes notæ amoris Christi crucifixi erga nos.

3 Alia circa id, *egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron vbi erat hortus*, de descensu Christi in mundum ad tormenta passionis ferenda propter nos. In id, *descendi in hortum nucum vt viderem poma conuallium*, siue *in germina torrentis, &c.* l. 9. c. 6. col. 863.

4 De mira coniunctione animæ suæ gloriosæ cum corpore mortali, & pendente in cruce propter nos. In id, *ferculum fecit sibi rex Salomon, &c. reclinatorium aureũ, ascensum purpureum media charitate constrauit propter filias Ierusalem.* l. 6. c. 32. §. 2. & 3. & 4. col. 251. 253. & 254.

5 De spinea corona Christo imposita. In id, *egredimini filiæ Sion, &c.* l. 6. c. 35. col. 273.

De veste purpurea, & alba qua indutus est in prætorio Pilati & ab Herode. l. 8. c. 19. §. 3. col. 734.

6 De ingenua voluntate qua Christus se obtulit passioni acerbissimæ quæ multis de causis vocatur mons myrrhæ. In id, *vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* l. 7. c. 19. col. 441.

Hinc addi potest quod dicitur in id, *labia eius lilia distillantia myrrham primam*, de septem verbis quæ protulit in cruce, in quibus splenduerunt virtutes pulcherrimæ, fragrantissimæ, & vtilissimæ ad salutem, & insuper erant velut flammæ ignis egressę per os ex fornace dilectionis internę, habentur epilogatæ l. 8. c. 23. §. 2. col. 760.

7 De ascensu Christi in palmam crucis, & de fructibus quos ibi apprehendit nobis & sibi. l. 9. c. 20. col. 963. In id, *Ascendam in palmam, &c.*

8 Alia in id, *vulnerasti cor meum soror mea*, quomodo Christus vulneratus amore Ecclesiæ., & generis humani passus est se vulnerari, & suis vulneribus multa nobis contulit bona. l. 7. c. 23. col. 479.

9 In id, *stabat iuxta crucem Iesu mater eius.* l. 9. c. 20. §. 5. col. 971. & l. 10. c. 4. §. 4. col. 1045.

Quæ referuntur in Domin. Passionis etiam congruunt huic feriæ.

1 Domin. Resurrectionis; de gloriæ corona quam tunc Christus Dominus adeptus est. In id, *egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, &c.* l. 6. c. 36. §. 1. & 2. col. 281. & 282. ibidem agitur de descensu in Lymbum. & l. 8. c. 5. §. 1. col. 615.

2 De Christo glorioso potissime prædicantur encomia sponsi, de quibus agitur l. 8. præcipue, *candidus & rubicundus, electus ex millibus*: candidus ob splendorem gloriæ, rubicundus ob ruborem cicatricum, electus ex millibus propter eminentiam super omnes. c. 19. col. 731. post confirmat dicens *species eius vt Libani, electus vt Cedri*: Libanus autẽ dealbatus, interpretatur, & est amœnissimus, ac pulcherrimus. c. 27. §. 1. & 5. col. 787. & 797.

3 Item caput eius *aurum optimum, comę capitis eius vt elatæ palmarum, nigræ sicut coruus*: quia tunc manifestata est eius diuinitas, & constitutus caput super omnem Ecclesiam cum omnimoda potestate, & profunda sapientia, ac immortali iuuentute quæ denotantur per nigredinem comarum c. 20. col. 737. & sic de alijs encomiis.

Feria 2. In id, *oportebat pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*: de gloria adepta per passionem, quæ via est ad illã. In id, *ascendam in palmam, &c.* l. 9. c. 10. §. 2. & in id, *vadam ad montem myrrhæ, & collem thuris.* l. 8. c. 19. §. 3. col. 734.

Feria 5. in Eu. *Maria stabat ad monumentũ, &c.* l. 6. c. 13. §. 2. c. 113. circa id, *quæsiui quẽ diligit anima mea, &c.*

Dom. 2. post Pascha. In id, *fiet vnum ouile, & vnus pastor*, de vnitate Ecclesiæ cum vnitate pastoris. In id, *sexaginta sunt reginę, &c.* vna est columba mea, l. 9. c. 3. col. 836.

Dom. 5. & feria secunda Rogationum circa Euang. de oratione habentur exhortationes plures.

1 Prima in id, *in cubiculo meo per noctes quæsiui* & de loco, tempore & modo orandi. l. 6. c. 5. col. 41.

2 Alia in id, *sicut vitta coccinea labia tua*, de efficacia orationis etsi paucis verbis facta ad omnia. l. 7. c. 8. col. 355. & c. 27. §. 3. & 4. col. 515. & 518. agitur de bonis operibus vt vim habent orationis & efficaciam illi præbent.

3 Alia in id, *guttur tuum vinum optimum*, de optimo affectu orationis & deuotionis & proprietatibus eius. l. 9. c. 21. col. 973.

4 Alia in id, *quæ habitas in hortis amici auscultant: fac me audire vocem tuam*, de oratione publica, & vocali cum cantu. l. 10. c. 19. col. 1155.

1 Festum Ascensionis, de Christi Domini gloria & coronatione ac gestis tunc in cælis. In id, *egredimini filiæ Sion, &c.* l. 6. c. 36. col. 280. maxime §. 4. col. 285.

2 Alia in id, *veniat dilectus meus in hortum, & comedat fructum pomorum suorum*, quomodo Ecclesia cælestis inuitat Christum vt ascendat, vel Ecclesia militans vt vadat ad hortum paradisi, & fruatur consortio sanctorum, & de ardenti desiderio fruendi illo in gloria. l. 8. c. 5. col. 615. & l. 10. c. 21. §. 2. col. 1172.

Fauent plura quæ dicuntur in id, *fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloque ceruorum super montes aromatum.* l. 10. c. 20. §. 3. & aliquid etiam habetur l. 8. c. 27. §. 5. col. 797.

3 In illud Euangelii, *euntes in mundum vniuersum predicate Euangelium omni creaturæ.* Agitur l. 9. c. 23. col. 984. In id, *veni dilecte mi, ingrediamur in agrum, &c.* id est, si ascendis in cælos, veni tamen nobiscum vt eamus per vniuersum mundum, & l. 10. c. 2. §. 3. col. 1022.

1 Domin. Pentecostes: de aduentu Spiritus sancti in paruulam & nouellam Ecclesiam Christi, de eius incremento ex tunc, & de promulgatione legis nouæ quæ est lex amoris tunc facta. In id, *surge Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* l. 7. c. 31. col. 552.

2 Alia de eodẽ. In id, *soror nostra parua vbera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die quãdo alloquẽda est?* l. 10. c. 13. c. 111. & de infirmitate quã tunc accepit

pit Ecclesia. In id, *si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea, &c.* c. 15. col. 1123.

3 Alia in id, *egredimini filiæ Sion*, de linguis quasi ignis quæ erant super capita Apostolorum tamquam diademata, & de diademate sanctorum quo coronatus est Christus in illo die desponsationis eius. l. 6. c. 38. col. 293. & confirmatur in id, *sicut vitta coccinea labia tua.* de labijs igneis concessis in illo die Apostolis ad ligandos homines & trahendos ad Christum. l. 7. c. 6. col. 341. maxime §. 3. col. 345.

4 De magno incremento Ecclesiæ in die Pentecostes promulgando legem amoris. In id, *quæ est ista quæ ascendit vt virgula fumi, &c.* l. 6. c. 19. col. 157. & idem confirmatur amplius in id, *quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, &c.* l. 9. c. 5 §. 3. col 857. idem l. 7. c. 14. §. 2. col. 401. circa id, *mille clypei pendent ex ea.*

5 Alia de Spiritu sancto vt est fons aquæ viuæ, & eius efficacia in id, *fons hortorum, puteus aquarum viuentium.* l. 7. c. 31. §. 3. & 4. col. 556. & 558. cum iis quæ dicta sunt in c. 30. col. 541. de aquis viuis gratiæ.

6 Alia de Spiritu sancto vt est signaculum spiritus, & de quatuor miris effectibus amoris quos operatus est in Apostolis, & operatur in electis. Hi cõtinentur in quinque sententiis cantici, *pone me vt signaculum, &c. fortis est vt mors dilectio. &c. lampades eius lampades ignis, &c. aquæ multæ non potuerunt, &c. si dederit homo omnem substantiã, &c.* habentur scilicet. l. 10. c. 7. col. 1063. & seq.

Hæc maxime quadrant feriæ 2. in id Euangel. *sic Deus dilexit mundum vt Filium suum vnigenitum daret*: per quem etiam dedit Spiritum sanctum, qui est eius amor.

In feria 3. circa id, *ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant*: hanc abundantiam tribuit per Spiritum sanctam qui mouet ad crescendum in omnibus virtutibus modo præscripto. l. 6. c. 15. §. 2. col. 127. & 128.

Festum S. Trinitatis: de inuestiganda per fidem & contemplationem Dei essentia, & quam incomprehensibilis sit, nec plene inueniri possit. In id, *in lectulo meo per singulas noctes quæsiui quem diligit anima mea, &c.* l. 6. c. 6. §. 2. & 3. col. 43. & 46. sed plenius c. 7. & l. 10. c. 10. §. 3. col. 1092. & c. 21. §. 1. col. 1171. aliquid tangitur de hoc mysterio l. 8. c. 27. ad finẽ. col. 787. & l. 6. c. 18. §. 2. c. 151.

1 Festum Corporis Christi. Prima de Eucharistia vt est lectulus Christi, & de triplici modo ambiendi illam. In id, *en lectulus Salomonis, sexaginta fortes ambiunt illum, &c.* l. 6. c. 27. col. 216.

2 Alia de eadem vt est pretiosa sedes gestatoria Christi, currus triumphalis ipsius, ac claritatis suæ, & ferculum conuiuale. In id, *ferculum fecit sibi rex Salomon, &c.* l. 6. c. 33. col. 256.

3 Alia de coronis Christi in Eucharistia, & vt est conuiuium nuptiale. In id, *egredimini filię Sion, & videte regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater sua in die desponsationis, &c.* l. 6. c. 37. col. 287.

4 De dulcissimo & opulentissimo Eucharistiæ conuiuio & qui potissime inuitantur ad illud. In id, *comedi fauum meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo, comedite amici, bibite & inebriamini charissimi.* l. 8. c. 4. col. 607. & c. 21. §. 3. col. 749. aliquid habetur de duabus speciebus Sacramentalibus panis, & vini. In id, *candidus & rubicundus, electus ex millibus.* l. 8. c. 19. §. 3. col. 734. In id, *vmbilicus tuus sicut crater tornatilis non indigens poculis: venter tuus vt acervus tritici vallatus liliis.* l. 9. c. 13. §. 4. col. 918. adiunctis quæ in præsentibus §§. dicta sunt.

6 Alia in id, *ascendam in palmam & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua sicut botri vineę.* De duplici ascensu Christi in palmam, crucis scilicet per sacrificium cruentum, cùm reuera ibi mortuus est, & promeruit omnes fructus redemptionis nostræ, & per sacrificium incruentum Eucharistiæ, quod est fructus alterans, & applicat nobis illos. l. 9. c. 20. col. 963. sed §. 3. col. 967. tangetur de Eucharistia: de vberibus eius fusiùs in primo Tomo.

7 De inflammato desiderio fruendi Christo Domino in Eucharistia, & de duplici modo apprehendendi eum, per communionem spiritalem vel sacramentalem. In id, *quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meę, vt inueniam te foris, & apprehendam te, &c.* l. 10. c. 3. col. 1029. 1030.

8 De Eucharistia vt signaculi munus exercet in anima. In id, *pone me vt signaculum super cor tuum.* l. 10. c. 7. §. 3. col. 1067. cuius causa redditur sequentibus verbis: *quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus emulatio.* vbi tangitur amor Christi, vnde proueniunt duo actus Eucharistiæ, consecratio, & consumptio, qui dictis metaphoris designantur. c. 8. §. 3. col. 1074.

Alia signa amoris eius ibidem tanguntur. In id, *lampades eius, lampades ignis*: lampades sunt duæ species sacramenti. c. 10. §. 2. col. 1090. *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, &c.* quia nullę iniuriæ eum à sacramento reijciunt. c. 11. §. 1. col. 1096. tamdem *si dederit homo omnem substantiã domus suæ pro dilectione*, eam dat Christus in Eucharistia pro dilectione augenda in nobis, vt nos demus ei omnia nostra. c. 12. §. 1. col. 1103. Hæc concisiùs tanguntur quia vberius aliis in locis explicata sunt. Ex his vero colligitur vna insignis exhortatio de quinque notis amoris Christi in Eucharistia.

1 Dom. infra Octauas Corporis Christi. De iis qui vocati ad nuptias noluerunt venire, sed excusarunt se: de iis qui quærunt suam fœlicitatẽ, non in Christo, sed in bonis propriis. In id, *in lectulo meo per noctes, &c.* l. 6. c. 2. col. 15.

2 Alia de iis qui Deo vocanti resistunt per obstinationem in peccatis. In id, *expoliaui me tunica mea. quomodo induar illa, &c.* l. 8. c. 10. col. 661 quomodo autem auferendum sit impedimentum vt Deo vocanti obediatur, c. 12. col. 678. In id, *surrexi vt aperirem dilecto, &c.* pessulum ostii mea aperui, *&c.* fauent quæ dicuntur l. 7. c. 21. §. 3. col. 459. In id, *veni coronaberis de capite Amana. &c.* Vide in Dom. 19. post Pentecosten.

1 Dom. 5. post Pentecosten in Euang. *nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* cõtra eos qui tantum magni faciunt externa quæ videntur ab hominibus, contemnentes interna quæ Deo patent. In id, *absque eo quod intrinsecus latet.* l. 7. c. 1. & c. 10. col. 305. & col. 371.

Confirmatur ex eo quod subiungitur, *audistis quia dictum est antiquis, non occides, &c. ego autem dico vobis, quicumque irascitur fratri suo, &c.* De excellentia legis nouæ super veterem quæ externa & interna componit, & ad sublimiora eleuat. l. 7. c. 16. col. 411. In id, *qui pascuntur in liliis donec aspiret dies & inclinentur vmbræ.*

2 Alia in id Euang. *si ergo offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid, &c.* de vnione fraterna, quanti Deus illam faciat, & odio habeat diſcordiam. In id, *vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, &c.* l.7.c.25.col.497.

Dom.6.in Euang. *miſereor ſuper turbam, &c.* de operibus miſericordiæ corporalibus & ſpiritualibus, & exemplaribus illorum præcipuis, quæ ſunt Deus & Chriſtus. In id, *duo vbera tua ſicut duo hinnuli, &c.* l.7.c.17.& 27.§.1.& 2.col.423.& col.513.

Dom.7. In id, *à fructibus eorum cognoſcetis eos*, agitur de hoc. In id, *emiſſiones tuæ paradiſus.* l.7.c.28.§.2.& 3.col.523.& 525.

1 Dom. 9. Circa id: *videns ciuitatem fleuit ſuper illam*, de lachrymis Chriſti ſuper ingratam Ieruſalem, & de dono lachrymarum. In id, *oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon.* l.9.c.14. col.920.maxime, §.2. & 3.col.924.& 925.

2 In quod additur, *quia ſi cognouiſſes & tu quæ ad pacem tibi, &c.* de impia Ieruſalem quæ pacem Chriſti reiecit, & ideo periit: quam pacem recepit Eccleſia, & ideo firma permanet. In id, *ego murus, & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* l.10.c.16.§.4.col.1137.

3 Alia in id, *domus mea domus orationis vocabitur*, de Eccleſiis & templis deputatis ad orationem. In id, *quæ habitas in hortis amici auſcultant, fac me audire vocem tuam.* l.10.c.19.col.1155.1156.

Dom.10. circa id Euang. *Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat, Deus gratias ago tibi quia non ſum ſicut cæteri hominum, &c.* de ſuperbo corde contra Deum, & homines, & in quo diſcriminatur ab humili. In id: *ſicut turris Dauid collum tuum.* l.7.c.12.col.384.

1 Dom.11. circa id, *ephphetha, quod eſt, adaperire, &c.* de efficacia vocis Chriſti ad aperiendas ſpirituaIiter aures ſurdorum, & linguas mutorum, & de noſtra cooperatione cum ipſo petente vt ſimul aperiamus. In id, *vox dilecti mei pulſantis, aperi mihi ſoror mea, &c.* l.8.c.8.col.639.

2 Alia in id, *bene omnia fecit, &c.* de facilitate, celeritate & perfectione operum Chriſti. In id, *manus eius tornatiles, &c.* l.8.c.24.col.767. quod hunc ſurdum ſeparauit à turba, quod miſit digitos in auriculas, quod expuit in linguam, quod ingemuit myſterium indicabant: nam ſola vox, Adaperire, ad id facilè, celeriter & perfectè efficiendum ſufficiebat.

1 Dom.12. in id, *diliges Dominum Deum, &c. & proximum ſicut teipſum*, de vtraque dilectione Dei, & proximi coniungenda. In id, *duo vbera tua ſicut duo hinnuli, &c.* l.7.c.16. Aliquid dicitur in id, *vmnes gemellis fœtibus.* l.7.c.4.§.3.col.332.

2 Alia de eadem charitate & dilectione cum duobus operibus miſericordiæ erga proximos. l.7, c.17.col.423.& l.10.c.13. col.111. & 112. in initio aliquid de eodem habetur.

Aliàs vide in Dom.17.

1 Dom.14.circa id, *primùm quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*, de modo quærendi regnum Dei & beatitudinem. In id, *quæſiui quem diligit anima mea.* l.6.c.1.col.4.

2 De ſolicitudine & cura Dei erga nos, vide Domin. 4. Quadrageſimæ, circa id Euangelii, *ſcit enim Pater veſter quod his omnibus indigetis*, nam ſcientia Patris omnipotentis origo eſt prouidentiæ erga filios.

1 Dom.17. In id, *quod eſt mandatum magnum in lege? &c.* de vehementia perfectæ charitatis circa dilectionem Dei. In id, *quæſiui quem diligit anima mea.* l.6.c.4.col.33.

2 Alia de præcepto dilectionis Dei, & lege vt habet rationem ſignaculi conſtituendi ſuper cor & brachium. l.10.c.6.col.51.& c.7.§.3.col.66.& fauent quæ dicuntur c.12. & 13.col.104.& 109.

Dom.19.de inuitatis ad nuptias. ſcil. Iudæis qui venire noluerunt, & eorum loco vocati ſunt Gentes, quaſi compellendo eos intrare. In id, *inueni quem diligit anima mea: non dimittam donec introducam eum, &c.* l.6.c.14.col.116.

Vide etiam Dom. infra Octauam corporis Chriſti.

Feſta Sanctorum.

Quando Euangelia quæ leguntur in feſtis ſunt de communi Sanctorum, ibi quærenda, ne idem ſæpius repetatur. Et ſimiliter quando idem Euangelium legitur in feſtis plurium Sanctorum, quæratur in eo qui maior eſt, vt in feſto S. Mathiæ, quod legitur etiam in feſto S. Franciſci I. & Pauli primi Eremitæ.

Feſtum S. Andreæ vltimo Nouembris.

Hinc incipiunt feſta Sanctorum ſecundum ritum Eccleſiæ.

1 Circa illud Euangelij, *venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum*, de vocatione ad ſequendum Chriſtum in munere lucrandi proximos, & de efficacia ad eos lucrandos quę in his verbis promittitur. In id, *veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, &c.* l.7.c.21.§.4.5.& 6.col.465. 468.469. vide etiam, l.6.c.29.§.1.col.16.

2 Circa id, *vidit duos fratres, Simonem, &c.* Et rurſus: *vidit alios duos fratres*, de vnione charitatis fraternæ neceſſaria ijs qui obeunt munus lucrandi proximos. In id, *duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli.* l.7.c.16.col.411.præcipue §.4.col. 418. Item. c.25.col.497.

3 Circa id, *at illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt illum*, de renunciatione omnium neceſſaria ijs qui perfectè ſequuntur Chriſtum in munere Apoſtolico prædicandi. In id, *dentes tui ſicut greges tonſarum quæ aſcenderunt de lauacro: omnes gemellis fœtibus, &c.* l.7.c.4.col.329.

4 Circa illud Epiſtolæ: *quam ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem, &c.* de excellētia eorum qui prædicant Euangelium Chriſti, ſimul cum humilitate quam in ſeipſis habent. In id, *quam pulchri ſunt greſſus tui filia principis in calceamentis.* l.9.c.10. §.3.& 4.col.897.& 899.potiſſime: & l.8.c.26.§. 3.col. 782. In id, *crura eius marmoreæ ſuper baſes aureas.*

5 De lætitia qua B. Andreas & Apoſtolici viri amplectuntur crucem, & prædicant virtutes eius, & de victoria, & fructibus quos in ea apprehendunt. In id, *aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* l.9.c.20.maxime §.4.col.969.

Feſta Decembris.

Pro feſto Beati Patris noſtri Franciſci Xauier habetur exhort. de ſtudio introducendi Chriſtum per fidē & dilectionem in totum orbem, & abditiſſimas eius regiones, in illud: *non dimittam donec introducā in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis*

genitricis meæ. l.6.c.14.§.3.col.119.

Feſtum S. Ambroſij. In communi Pontificum & Doctorum. Sed peculiariter circa id, *fauus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua*, ob prodigium apum quæ in ore infantuli requieuerunt. l.7.c.6.& 7.col.341.& 348.

1 Conceptio B. Virginis; quomodo creata ſit à filio Dei cum ſumma rectitudine mentis. In id, *ſicut turris Dauid collum tuum, &c.* l.7.c.15.§.1.col. 406. ſed quæ dicuntur in ſequentibus ſic rationes confirmant id ipſum.

2 Alia in id, *tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* l.7.c.20.col.449. maxime §.3.& 4.col. 453.& 458. Item. l.10.c.17.§.3. col. 427. In id, *ex quo facta ſum coram eo pacem reperiens*, circa Euang. vide in feſto Natiuitatis B. Mariæ menſe Septembri.

Expectatio partus. De vehemente deſiderio quo B. Virgo expectabat Aduentum Chriſti, donec inuenit eum. In id, *per ſingulas noctes quærebam quem diligit anima mea, &c.* l.6.c.9.§.3.& 4.col.83.& 85. alia de eodem. In id, *quis mihi det te fratrem meum, &c.* l.10.c.1.§.3.col.1014. alia de eius virginitate. In id, *hortus conclusus, fons ſignatus, &c.* l.7.c. 29.col.529.maxime §.5.col.538. vbi habetur diſpoſitio. Plures circa Euang. in feſto Annunciationis menſe Martio.

De Natiuitate Domini vide poſt Aduentū.

Feſta Ianuarij.

De Circumciſione, & Epiphania. Vide poſt Aduentum.

1 Cathedra Sancti Petri Romæ, circa Euangelium, in id, *interrogauit diſcipulos ſuos dicens, quem dicunt homines eſſe filium hominis?* De vera Chriſti cognitione; & à quibus ſit petenda, potiſſimùm ab Eccleſia, & Petro, eiuſque ſucceſſoribus in id, *qualis eſt dilectus tuus ex dilecto?* l.8.c.18.col.724.

2 Alia in id, *ædificabo Eccleſiam meam.* De excellentiis Eccleſiæ ædificatæ à Chriſto Domino. In id, *ferculum fecit ſibi Rex Salomon, &c.* l.6.c.28. col. 223.

3 Alia de vnitate Eccleſiæ ædificata ab vno Chriſto ſuper vnam petram. 1. Petrum. Ex eo quod non ait; ædificabo Eccleſias, ſed Eccleſiam. In id, *vna eſt columba mea.* l.9.c.3. col. 836. addito quod habetur c.4.§.2.col.845. In id, *& beatiſſimam prædicauerunt*, ſicut & Chriſtus dixit, *beatus es Simon Bar-iona.*

4 Alia in id, *& portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, de inuicta fortitudine Eccleſiæ contra hoſtes, & in perſecutionibus ac tribulationibus, quibus potius aucta eſt. In id, *quæ eſt iſta quę aſcendit ſicut virgula fumi, &c.* l.6.c.19.§.2.col.160. & in id, *terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* l.9.c.2.§. 1. col. 828. & quomodo in perſecutionibus potius ſe manifeſtat. In id, *hortus conclusus, emiſſiones tuæ paradiſus* l.7.c.28.§.1.col.519.

5 Alia de eadem fortitudine & ornatu murorū & portarū eius. In id, *ſi murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea: ſi oſtium eſt, &c.* l.10.c.15.& 16. col.1123.& 1132. Item fauet quod dicitur c.11.col. 1196. In id, *aquæ multæ non potuerunt extinguere, &c.*

6 Alia in id, *tu es Petrus, & ſuper hanc petrā ædificabo Eccleſiam meam, &c.* de dignitate capitis Eccleſiæ collata Petro, & Romanis Pontificibus ſucceſſoribus eius. In id, *caput tuum vt Carmelus, coma ca-*

pitis tui vt purpura regis, &c. l.9.c.16.§.3.col.938. fauet quod dicitur l.8.c.20.§.2.col.739. In id, *caput eius aurum optimum,* & l.9.c.15.§.3.col. 931. In id, *naſus tuus ſicut turris Libani*, de auctoritate eius ad diſcernendum verum à falſo.

7 Alia l.8.c.29.col.804. in Eccleſia inueniri Chriſtum. In id, *dilectus meus deſcendit in hortum ſuum.* l.8.c.29.col.804.

1 Conuerſio S. Pauli Apoſtoli. In id, *Saule, Saule quid me perſequeris?* de vocatione efficaci per vnicam vocem Chriſti, & de rationibus ad agendam pœnitentiam. In id, *vox dilecti mei, aperi mihi, &c.* l.8.c.8.col.639.

2 Alia in id, *vas electionis eſt mihi vt portet nomen meum, &c.* de electione eius vt per prædicationem portet nomen Chriſti per vniuerſum mundum. In id, *ferculum fecit ſibi Rex Salomon, &c.* l.6.c.29.col.232.

3 Hoc & alia munia ipſius inſinuantur in id, *ſicut turris Dauid collum tuum, &c.* l.7.c.14.col.398. & in id, *naſus tuus ſicut turris Libani quæ reſpicit contra Damaſcum*: fuit enim fortiſſimum collum Eccleſiæ ad portandum caput ſuum Chriſtum, & ad prædicandum ipſum, & toleranda onera legis & muneris ſui.

Feſta Februarij.

Purificatio B. Mariæ. In id, *& ecce homo erat in Ieruſalem cui nomen Simeon, &c.* de modo quo Simeon quæſiuit, & inuenit Chriſtum. In id, *quæſiui quem diligit anima mea.* l.6.c.10.§.2.col.94.

1 S. Mathias in Euang. *venite ad me omnes qui laboratis, &c. Tollite iugum, &c. & inuenietis requiem animarum veſtrarum*, de requie legis Euangelicæ quam aſſequuntur qui eam fortiter ampſectuntur. In id, *lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, &c.* l.6.c.25.col.203.

2 Alia in id, *tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde*, de manſuetudine & humilitate ad tollendum iugum Chriſti, rejecta ſuperba erectione. In id, *ſicut turris Dauid collum tuum* l.7.c.12.§. 4. col. 390. etſi præcedentia etiam ſint ad rem.

3 Vberius de eiſdem. In id, *genæ tuæ ſicut areolæ aromatum.* l.8.c.22.col.753.754. vbi de pulchra, miti ſeu humili cōuerſatione Chriſti inter homines.

Feſta Martij.

Feſtum Angeli Cuſtodis, vide in feſto S. Michaëlis Archangeli.

Annunciatio B. Mariæ Virginis: omnia quæ habentur in feſto Natiuitatis Domini fere habent aliquid ſpectans ad hoc feſtum, & ad Euangelium quod in eo legitur, quæ habentur in feſto Expectationis partus menſe Decembri.

1 Præterea, de præparatione Virginis per humilitatem, & virginitatem ad Annunciationem, & de miro modo quo tunc his & aliis virtutibus eſt amplius exornata. In id, *ſoror noſtra parua vbera non habet: quid faciemus ei in die quando alloquenda eſt? Si murus eſt, &c.* l.10.c.17.col.1140. Item quam vere dixerit, *ego murus & vbera mea ſicut turris ex quo facta ſum coram ipſo quaſi pacem reperiens*: tunc fuit firmior murus, & fœcundior, & ampliorem adepta pacem.

2 Alia de affectu quo B. Virgo deſiderauit incarnationem, & de modo quo in ipſa effecta eſt.

In id, *veniat dilectus meus in hortum suum, &c. veni in hortum meum soror mea, &c.* l. 8. c. 3. col. 596. In id, *descendi in hortum nucum, &c.* l. 9. c. 6. col. 863. habetur idem.

3 Alia de miro modo quo Deus intus, & per Angelum exigebat à Virgine consensum ad incarnationem in ea operandam, & quo modo operatus est illam. In id, *aperi mihi soror mea, &c. caput meum plenum est rore, &c.* l. 8. c. 13. col. 687.

4 Alia quomodo B. Virgo vulnerauit cor Dei vt ex ea carnem sumeret pro nobis. In id, *vulnerasti cor meũ soror mea, &c.* de quo agitur l. 7. c. 23. & 24. col. 479. 487. in cuius §. 4. col. 494. habetur proprium Annuntiationis, ad quod reliqua deseruiunt.

5 Alia de triplici fœcunditate mirabili Deiparæ simul cum virginitate. In id, *venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs.* l. 9. c. 13. col. 911.

6 De integerrima eius virginitate. In id, *hortus conclusus fons signatus, &c.* l. 7. c. 29. §. 5. col. 538.

7 De prudenti silentio Virginis, & modo loquendi in salutatione. In id, *sicut vitta coccinea labia tua, &c.* l. 7. c. 9. §. 3. & quo modo Christus nouo modo per incarnationem cœpit esse *candidus & rubicundus.* l. 9. c. 19. col. 956.

Festa Maii.

1 SS. Philippi & Iacobi circa Euang. *in domo Patris mei mansiones multæ sunt, &c. iterum venio & accipiam vos ad me ipsum*: de gloria, & cælesti conuiuio & gaudio quod expectamus in cælis. In id, *veni in hortum meum, &c.* l. 8. c. 5. col. 615.

2 In id, *amen dico vobis, qui credit in me opera quæ ego facio & ipse faciet*: quomodo Christus Dominus communicat electis facultatem faciendi opera virtutis, & miraculorum & conuersionis gentium quæ ipse fecit, & quo sensu dicantur maiora. In id, *emissiones tuæ paradisus*, vel: *fluent aromata illius.* l. 7. c. 31. §. 4. col. 558. & in id, *manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis*: quæ verba ad similitudinem Christi de eius membris intelliguntur in operibus suis. l. 9. c. 24. §. 3. col. 996. S. Athanasij in Euang. *cum persequentur vos in ista ciuitate, fugite in aliam.* l. 10. c. 21. §. 1. col. 1171. In id, *fuge, dilecte mi.*

Inuentio S. Crucis. De cruce quatuor exhortationes referuntur in Paraseeue feria 6. nimirum prima & secunda & quarta & septima.

Apparitio S. Michaëlis vt in festo eius mense Septembri.

Festa Iunii.

1 S. Barnabæ in Euang. *ecce ego mitto vos sicut oues inter lupos*: quomodo Apostoli, Doctores & Cõcionatores, debent esse puri, mansueti & patientes, sicut oues, parati dilacerari quo ad corpus à tyrãnis tamquam à lupis, & tamen debent esse fortes, constantes ad cõminuendum vitia, & resistendum tyrãnis, vt filios spirituales Christo generent. In id, *dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, &c.* l. 7. c. 4. col. 329.

2 Circa Epist. In id, *segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos, &c.* id est, in duos Apostolos Gentium, quomodo Paulus & Barnabas, qui dixerunt Iudæis, *quia reiecistis vos indignos vitæ æternæ, ecce cõuertimur ad Gentes, &c.* fuerũt duæ alæ aquilæ magnæ, id est Christi, datæ mulieri, quæ repræsentabat Ecclesiam, vt relicta Iudæa, vbi persequebatur à dracone, volaret, & fugeret in desertum Gentilitatis. l. 6. c. 14. col. 116. & l. 10. c. 11. §. 3. col. 1096. & c. 21. §. 3. col. 1173.

S. Ioannis Baptistæ, quomodo fuit vox, & guttur Christi Domini. In id, *vox dilecti mei.* l. 8. c. 13. §. 5. col 692. & in id, *guttur illius suauissimum.* l. 8. c. 27. §. 4. col. 794. cui etiam aptari potest quod dicitur in id, *guttur tuum sicut vinum optimum.* l. 9. c. 21 §. 3. col. 967. quia eius vita & prædicatio fuit ardens & acris contra peccatores, sed disponens ad optimam perfectionem Euangelij, ideoque *dignum dilecto meo*, id est Christo, & electorum cœtui, *ad potandum, &c.*

1 SS. Apostolorum Petri & Pauli. Hos duos Apostolos fuisse quasi duo vbera Ecclesiæ & Christi ad lactandos fideles, de quibus dicitur; *duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli qui pascuntur in lilijs.* l. 7. c. 16. §. 4. col. 418. sed tota exhortatio ad idem conducit.

2 Alia eosdem esse quasi duos oculos Christi ad regendam & illustrandam Ecclesiam & mundum: quibus congruit illud, *oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum quæ lacte sunt lotæ, & residentiuxta fluenta plenissima.* De quo l. 8. c. 21. §. 4. col. 750. præsupposito quod dicitur l. 7. c. 16. §. 4. ex D. Leone. col. 420. & 421.

3 Alia eosdem esse quasi duo Christi crura, sicut *columnas marmoreas super bases aureas*, ad discurrendum per orbem & prædicandum Euangelium, & sustinendum corpus Ecclesiæ, &c. l. 8. c. 26. §. 3. & 4. col. 781. & 785.

Circa Euang. *quem dicunt homines*, relatæ sunt sex exhortationes in festo Cathedræ sancti Petri mense Ianuario.

Commemoratio S. Pauli, plura habentur in eius Conuersione mense Ianuario.

Circa Euang. *ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum*, vt in festo S. Barnabæ, & alia quæ ibidem habentur de Apostolatu eius inter gentes, qui confirmatur amplius. l. 8. c. 26. §. 4. col. 785.

Festa Iulii.

1 Visitatio B. Mariæ Virginis. In id, *exurgens Maria abiit cum festinatione*, quomodo B. Virgo fuit quasi ferculum & vehiculum Christi ad portandum illum in domum Zachariæ vt sanctificaret præcursorem, & modo vt nobis benefaciat. In id, *ferculum fecit sibi rex Salomon.* l. 6. c. 31. col. 244.

2 Alia de solicitudine Virginis postquam inuenit sibi Christum, introducendi illum in domum Zachariæ & spiritualiter in omnes homines. In id, *inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam donec introducam in domum matris meæ, &c.* l. 6. c. 9. §. 5. & 6. col. 87. & 88.

3 Alia de misericordia Virginis circa spiritualia & corporalia electorum quæ meruit eam festinanter ire in domum Zachariæ vt Baptistam iustificaret, &c. In id, *duo vbera tua sicut duo hinnuli, &c.* l. 7. c. 17. col. 423. maxime §. 4. col. 429. vbi habetur dispositio illius.

Octaua Apost. Petri & Pauli circa Euang. vide in Dom. 4. post Epiphaniam.

Triumphus sanctæ Crucis, vt in festo Inuentionis eius, de Euang. in Communi Martyrum.

1 S. Mariæ Magdalenæ, in Euang. *ecce mulier quæ erat*

erat in ciuitate peccatrix, de eius conuersione in id, *in lectulo meo per singulas noctes quæsiui, &c.* quod est pars Epistolæ quæ legitur in Missa. l. 6. c. 13. col. 109. cum his quæ dicta sunt in c. 8. col. 71.

2 Alia de eius feruore in quærendo Christum resuscitatum & vsque ad mortem. l. 6. c. 13. §. 2. col. 113. cui potest adiungi mirus eius profectus prout generaliter explicatur. In id, *quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi?* l. 6. c. 18. col. 150.

3 Alia de eius pœnitentia circa eadem verba cantici. l. 6. c. 17. nam in conuersione sua ascendit per desertum pœnitentię feruentissime exercens actus eius.

4 Ac de eius verecundia seu robore propter peccata commissa. In id, *sicut fragmen mali punicitia genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet.* l. 7. c. 10. §. 4. col. 382.

5 Alia circa posteriorem partem Epistolæ, *pone me vt signaculum super cor tuum, &c. quia fortis est vt mors dilectio, &c.* applicari possunt multa ex l. 10. c. 6. & 8. & 9. col. 71. & 79. ac sequentibus:

Quæ etiam dicuntur circa Euang. *Maria optimam partem elegit*, in festo Assumptionis beatæ Mariæ.

Festa Augusti.

Sancti Petri ad vincula circa Euang. vt in Cathedra S. Petri mense Ianuario.

Dedicatio S. Mariæ ad Niues, in Euang. *beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti, &c.* de fœcunditate, obedientia, & virginitate ipsius. In id, *venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs.* l. 9. c. 13. col. 911.

1 Transfiguratio Domini, de quinque viris circumdantibus *Christum gloriosum*, & de quieta contemplatione ipsius. In id, *en lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël.* l. 6. c. 24. col. 196.

2 Alia de duplici corona Christi, s. corona gloriæ tunc assumptæ, & corona Sanctorum à quibus circumdatus erat. In id, *egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, &c.* l. 6. c. 38. §. 1. & 3. col. 294. & 299.

S. Laurentij in Euang. *nisi granum frumenti, &c.* vide in Communi vnius Martyris.

1 Assumptio B. Mariæ. De vtroque eius miro ascensu & profectu in vita, & morte vsque ad assumptionem in cælos. In id, *quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, &c.* Et: *quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens.* l. 6. c. 21. col. 170.

2 Alia de miro progressu à Concept. eius vsque ad Assumptionem. In id, *quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, &c.* l. 9. c. 5. col. 852. maximè §. 4. col. 859. & c. 8. §. 3. col. 882. & l. 10. c. 20. §. 5. col. 1177. & 1178.

3 Alia in id, *sexaginta sunt reginæ, &c. vna est columba mea, perfecta mea, &c.* quomodo B. Virgo est vnica columba & perfecta inter omnes sanctos. l. 9. c. 3. §. 4. col. 843. cui iungendum est quod additur c. 4. §. 3. col. 850. In id, *viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt*, & c. 19. §. 2. col. 960. In id, *statura tua assimilata est palmæ, &c.* col. 960.

4 Alia de eximia abundantia meritorum, & præmiorum B. Virginis. In id, *venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs*, vt aceruus tritici referatur ad merita, lilia ad præmia huius vitæ & futuræ. l. 9. c. 13. In §. 3. col. 917. habetur dispositio.

5 Alia circa Eu. *Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius*, de ascensu animæ in Deum per quietam & sublimem contemplationem, qui plusquam in omnibus refulsit in Deipara. l. 6. c. 18. col. 150. In id, *quæ est ista quæ ascendit per desertum, &c.*

6 Alia circa id; *porro vnum est necessarium*: *Maria optimam partem elegit*, de sublimi vnione Deiparæ per contemplationem & amorem cum Deo. In id, *vulnerasti cor meum in vno oculorum, &c.* l. 7. c. 24. col. 487. Omnia quæ ibi dicuntur Deiparæ aptari possunt, & similiter quæ de eodem puncto dicuntur l. 8. c. 2. §. 4. & 5. col. 592. & 594. & c. 7. col. 630. vt habetur in §. 4. col. 637.

7 De firmitate qua tenuit ac tenet Deum, nec vmquam dimisit, nec dimittit irasci pro nobis. In id, *inueni eum quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam donec introducam eum, &c.* l. 6. c. 9 §. 6. col. 88. & c. 12. §. 5. col. 108. applicando quæ dicta sunt in 4. & 5. vel 7.

1 S. Bartholomæi circa Euang. *exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* De loco, & tempore orationi apto, & de sublimitate eius, quæ tria in ijs verbis tanguntur. In id, *in lectulo meo per noctes, &c.* l. 6. c. 5. & 6. ac 7. col. 41. 51. & 60.

2 In eadem verba & sequentia, *& cum factus esset dies vocauit discipulos suos, & c. descenditque cum illis, &c.* De duplici exercitio Christi & discipulorum qui eum imitantur, scilicet vacare in noctibus orationi Dei, & in diebus prædicare, & docere populos: ad vtrumque exhortatur sponsa illis verbis, *veni dilecte mi, ingrediamur in agrum*, de quo l. 9. c. 23. & c. 24. col. 984. & 992.

Festa Septembris.

1 Natiuitas B. Mariæ in Euang. *liber generationis Iesu Christi, &c.* &: *de qua natus est Iesus qui vocatur Christus*, de modo quo promissio incarnationis facta Adæ, Abrahæ, & Dauid, ac executioni mundata est in B. Virgine. In id, *in lectulo meo per noctes, &c.* l. 6. c. 9. §. 1. & 2. ac 3. & 4. col. 79. 80. 83. & 85.

2 Alia in idem Euang. quomodo Deus elegit sibi matrem ex antiquis patribus ortam, & qualem eam fecerit. In id, *ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, &c.* l. 6. c. 31. col. 244.

Possunt etiam optimè applicari multæ exhortationes ex ijs quæ referuntur in alijs Virginis festis, Annuntiationis, Assumptionis, Niuis, &c.

Exaltatio S. Crucis in Euang. *nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras: & ego si exaltatus fuero, &c.* De ascensu Christi in crucem, & de effectibus illius, qui his verbis indicantur. In id, *ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* l. 9. c. 20. col. 963.

S. Matthæi Apostoli in Euang. De vocatione efficaci peccatoris ad pœnitentiam. In id, *vox dilecti mei, aperi mihi, &c.* l. 8. c. 8. col. 639.

1 Dedicatio S. Michaelis Archangeli. De vigilanti custodia Angelorum. In id, *inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem.* l. 6. c. 6. col. 132.

Index

2 Alia de fortiſſima eorum cuſtodia. In id, *en lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, &c.* l. 6. c. 23. col. 187.

3 De inuocatione Angelorum, & prece ad ipſos fuſa, aliquid dicitur in id, *adiuro vos filiæ Ieruſalem ſi inueneritis dilectum, &c.* l. 9. c. 17. §. 2. colum. 944.

Feſta Octobris.

S. Franciſci. In id, *ego ſtigmata Ieſu in corpore meo porto*, de duplici ſignaculo Sancti Franciſci, altero charitatis & legis Euangelicæ, altero crucis & Chriſti crucifixi in corde, & in corpore, l. 10. c. 6. §. 1. & c. 7. §. 2. col. 1055. & 1065.

Circa Euangelium vt in feſto S. Matthiæ, Simonis & Iudæ in Euang. *hæc mando vobis vt diligatis inuicem.* Vide de Communi Apoſtolorum. In id, *ſi vos perſecuti ſunt, & me perſequentur*, de cauſis ob quas Deus permittit electos perſecutionibus vexari. l. 6. c. 19. §. 2. 3. & 4. colum. 160. 161. & 162.

Feſta Nouembris.

1 Feſtum omnium Sanctorum, de pulchritudine, ſuauitate & decore Sanctorum. In id, *pulchræ es amica mea, ſuauis & decora ſicut Ieruſalem, &c.* l. 9. c. 1. colum. 819. & in id, *tota pulchra es amica mea, &c.* l. 7. c. 20. §. 1. & 2. colum. 449. & 450.

2 De ſpiritualibus delitiis quibus fruuntur Sancti. In id, *quam pulchra, & quam decora es chariſſima, in delitiis!* l. 9. c. 17. colum. 942. & quomodo ſunt inuocandi à nobis, in id, *adiuro vos filiæ Ieruſalem ſi inueneritis, &c.* l. 8. c. 17. §. 2. col. 942. & l. 10. c. 9. §. 2. col. 1082.

3 Quomodo cœtus Sanctorum eſt hortus concluſus, & habet emiſſiones ſicut paradiſus Dei. l. 7. c. 28. col. 519.

4 Circa Euangel. *beati pauperes, &c.* de ijs in quibus non inuenitur vera beatitudo, ſed potius in contemptu eorum. In id, *quæſiui quem diligit anima mea, &c.* l. 6. c. 2. col. 41.

5 Circa id, *aſcendit in montem, & cum ſedisſet acceſſerunt ad eum diſcipuli eius.* l. 7. c. 13. colum. 392. *& aperiens os ſuum docebat eos dicens, beati pauperes, &c.* l. 8. c. 22. col. 678. In id, *labia eius lilia diſtillantia myrrham primam*, myrrha ad virtutes, lilia ad præmia, & nomen beatitudinis, refertur: de excellentia harum beatitudinum. l. 7. c. 21. §. 1. & l. 9. c. 6. §. 1. colum. 459. & col. 863.

6 In id, *beati qui lugent quoniam ipſi conſolabuntur*: de lachrymis & iuſtis earum cauſis in id, *oculi tui ſicut piſcinæ in Eſebon.* l. 9. c. 14. §. 2. & 3. colum. 922. & 925.

7 In id, *beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* l. 7. c. 17. col. 123. In id, *duo vbera tua, &c.*

8 In id, *beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt*, de albore & munditia neceſſaria ad meditandum diuina myſteria, in id, *dentes tui ſicut greges tonſarum quæ aſcendunt de lauacro, &c.* meditatio enim aſſimilatur exercitio dentium qui mandunt cibum. l. 7. c. 5. col. 336. Item ad contemplationem & delitias eius. In id, *quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delitijs affluens.* Secundum verſionem Lxx. *quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata.* l. 6. c. 18. §. 5. col. 155.

9 In id, *beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*, de vtilitatibus perſecutionum. l. 6. c. 19. §. 3. & 4. col. 161. & 162. & l. 7. c. 10. §. 2. col. 372. & l. 10. c. 11. §. 2. & 3. col. 1097. & 1098.

Commemoratio fidelium defunctorum in id, *beati mortui qui in Domino moriuntur, &c.* de fœlici morte iuſtorũ in id, *quæ eſt iſta quæ aſcendit, &c.* l. 6. c. 20. & l. 10. c. 21. §. 4. & 5. col. 165. 166. 1176. & 1177.

De vocatione ad gloriam, in hora mortis iuſtorum, in id, *veni de Libano, coronaberis.* l. 7. c. 22. col. 471. quæ etiã quadrat feſto omniũ Sanctorum.

Dedicatio Eccleſiæ: pertinent ad eam plures quæ referuntur in feſto cathedræ S. Petri menſe Ianuario, de Eccleſiæ excellentia, vnitate, &c.

Item de eius pulchritudine & decore in id, *tota pulchra es amica mea.* l. 7. c. 20. §. 1. & 2. col. 450. & 451. & in id, *pulchra es ſicut Ieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* l. 9. c. 1. & c. 2. col. 819. & 828.

1 S. Martini, circa id, *lucerna corporis tui eſt oculus tuus: ſi oculus tuus fuerit ſimplex, &c.* de prudentia neceſſaria maximè Doctoribus. In id, *naſus tuus ſicut turris Libani, &c.* l. 9. c. 15. col. 927.

2 De ſimplici intentione quæ tendit ad vnum quantum Deo placeat; In id, *vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* l. 7. c. 24. col. 487.

1 Præſentatio B. Mariæ circa Euang. vt in feſto Niuis. l. 9. c. 13. col. 911.

2 De progreſſu Virginis in pueritia inſtar auroræ conſurgentis, cum pulchritudine lunæ, &c. l. 9. c. 5. §. 4. col. 861. Item l. 6. c. 21. col. 170. In id, *ſicut virgula fumi.* Plures aliæ deduci poſſunt ex aliis feſtis eiuſdem Deiparæ. Feſtum S. Andreæ habetur à principio.

De Communi Apoſtolorum.

In Apoſtolos omnes quadrant ferè omnes exhortationes quæ referuntur in feſto S. Andreæ, & Apoſtolorum Petri & Pauli; ac quæ referentur in Communi Pontificum, Doctorum, & Martyrum: quia illis propriiſſimè conueniunt eſſe vbera, labia, dentes, genas, collum Eccleſię & aliæ ſimilitudines quarum ibi fit mentio.

1 Item de aquæ viuæ gratiis Apoſtolis communicatis in die Pentecoſtes, & quomodo ſunt duodecim fontes aquarum viuentium. l. 7. c. 31. col. 752. & l. 9. c. 18 §. 3. col. 954.

2 Apoſtolos eſſe Eccleſiæ muros cum propugnaculis, & oſtia cum tabulis cedrinis. l. 10. c. 15. col. 1123.

3 Alia in illud Euangelij de Communi: *hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem*, de dilectione mutua adinuicem eis communicata, quæ Dei cor vulnerat & rapit ad ſe. l. 7. c. 25. col. 497.

4 Circa illud, *ſicut ego dilexi vos*, de exemplari dilectionis, quod eſt Chriſtus & dilectio eius erga nos. In id, *pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum.* l. 10. c. 7. col. 1063. & l. 7. c. 17. §. 4.

5 Circa id, *maiorem charitatem nemo habet quam vt animam ponat quis pro amicis*, de opperenda morte pro Chriſto & pro ſalute animarum. In id, *quia fortis eſt vt mors dilectio, &c.* l. 10. c. 8. colum. 1069. & 1070. & in id, *ſicut fragmen mali punici genæ tuæ.* l. 7. c. 10. & c. 18. §. 2. col. 372. & l. 6. c. 30. §. 2. col. 241. & l. 7. c. 17. §. 4. col. 419.

6 Circa id, *vos amici mei eſtis ſi feceritis quæ ego præcipio vobis*, de ſigno & affectu dilectionis, qui eſt ſeruare legem, & facere voluntatem Dei, in id, *pone me vt ſignaculum ſuper, &c.* l. 10. c. 6. & in id, *manus eius tornatiles aureæ, &c.* l. 8. c. 24. §. 3. col. 770.

Exhortationum.

Commune Euangeliſtarum.

1 Circa id, *miſit illos binos, &c.* de vnione & concordia charitatis neceſſaria prædicantibus Euãgelium. In id, *duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli.* l. 7. c. 16. col. 411. maximè §. 4. colum. 418.

2 Alia de vnione Prædicatorũ & Doctorũ inter ſe, vnde reſultat vnio reliquorum fidelium. In id, *vulneraſti cor meum in vno* (id eſt vnione) *oculorum tuorum*: oculi ſunt Præſules & Prædicatores, maximè Euangeliſtæ repræſentati per animalia quæ plena erant oculis ante & retro, & in circuitu, quaſi tota eſſent oculi. l. 7. c. 25. colum. 497.

3 Alia quomodo concordia horum animalium repræſentantium Euangeliſtas etſi inter ſe eſſent diſſimilia, ſignificabat ſtupendam vnionem eorum qui recepturi erant Euangelium, vt fuit in primitiua Eccleſia, etſi contrarias haberent propenſiones. In id, *quid videbitis in Sulamite niſi choros caſtrorum?* l. 9. c. 9. col. 886.

4 Circa id, *meſſis quidem multa, operarij autem pauci: rogate, &c.* de meſſione animarum quæ potiſſimè fit à Chriſto Domino meſſis, ſed mediis operariis ſuis. In id, *veni in hortum meum, meſſui myrrham meam.* l. 8. c. 3. §. 3. & 4. col. 601. & 604.

5 Alia circa id, *ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos.* In id, *dentes tui ſicut greges tonſarum*, qua ratione operarij debent eſſe mites ſicut agni inſtar Chriſti, ſed fortes ſicut dentes ad conterenda vitia, & vtrumque coniungere. l. 7. c. 4. col. 329. vel circa id, *nolite portare ſacculum, &c.* de renunciatione temporalium, & ſollicitudine auferenda vt digne prædicetur Euangelium, quod eadem e. circa eadem tractatur.

6 Circa id, *dicite illis, appropinquauit in vos regnum Dei*: vel: *primum dicite, pax huic domui*, de pulchritudine ſpiritali & fœlicitate Euangelizantium hanc pacem, & hoc bonum quod eſt regnum Dei. In id, *quam pulchri ſunt greſſus tui filia principis, &c.* l. 9. c. 30. §. 3. & 4. col. 897. & 899. & etiam l. 8. c. 26. §. 3. col. 782.

Commune vnius Martyris.

1 Circa Euang. *quis ex vobis volens turrim ædificare, &c. aut quis Rex iturus committere bellum, &c.* de ædificanda turre perfectionis Euangelicæ, de ſumptibus ad id neceſſariis, & de militibus & armis ad defendendum illam: In id, *ſicut turris David collum tuum quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, &c.* l. 7. c. 13. colum. 392.

2 Circa id, *ſi quis venit ad me & non odit, &c.* vel circa id: *ſi quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum, &c.* de abnegatione ſui ipſius quæ medium eſt ad proficiendum & aſcendendum. In id, *quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, &c.* l. 6. c. 16. & c. 17. §. 2. & c. 29 §. 4. col. 132. 142. & 236. In id, *aſcenſus purpureus.*

3 Alia de eodem, ſeu de virtutibus repræſentatis per montem myrrhæ & collem thuris, & de modo aſcendendi ad illas. l. 7. c. 18. colum. 432.

4 Alia quomodo Chriſtus venit in mundum vt doceret viam mortificationis, & viſitans animam, excitat ad illam. In id, *veni in hortum meum, meſſui myrrham meam cum aromatibus.* l. 8. c. 2. col. 586.

5 Alia de mortificatione vt obediamus Dei vocationi, & tollamus impedimenta cordis. In id, *manus meæ diſtillauerunt myrrham, &c. peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo.* l. 8. c. 12. colum. 678.

6 De mortificatione cum eius præmio quod docet Chriſtus. In id, *labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.* l. 8. c. 23. col. 759.

7 De excellenti mortificatione ſui quam efficit amor Chriſti. In id, *fortis eſt vt mors dilectio, &c.* l. 10. c. 8. §. 4. & 5. c. 9. colum. 1075. 1077. & 1079.

8 In id, *niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit multum fructum affert*: ſine mortificatione nullus eſt fructus virtutum, per illam affertur plurimus, quia omnis virtus mortificatione acquiritur: & fructus etiam animarum. l. 8. c. 12. §. 1. col. 679. reliquæ exhortationes à 2. vſque ad 7. eidem applicari poſſunt. Vide etiam l. 6. c. 19. §. 3. colum. 161. & l. 9. c. 20. §. 1. col. 963.

9 De Communi Martyris tempore Paſchali circa id, *ego ſum vitis, vos palmites.* Et: *ſi quis in me non manſerit, &c.* de dignitate eorum qui vniti ſunt Chriſto, & miſeria eorum qui ſeparantur à Chriſto ſub metaphora capitis & capillorum quæ ferè eadem eſt cum alia de vite & palmitibus. In id, *caput tuum ſicut greges caprarum quę aſcendunt de Galaad.* l. 7. c. 2. §. 2. 3. & 4. col. 316. 318. & 321.

Commune plurimorum Martyrum.

1 Circa illud Euang. *ante hęc omnia iniicient vobis manus ſuas, & perſequentur tradentes, &c.* de perſecutionibus tyrannorum contra inuictos Martyres Chriſti mira fulgentes tolerantia. In id: *inuenerunt me cuſtodes qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, vulnerauerunt me & tulerunt pallium meum, &c.* l. 8. c. 16. column. 709.

2 Alia de præclara martyrum in tormentis confeſſione Chriſtum manifeſtante. In id, *ſicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* l. 7. c. 10. col. 371.

3 Alia quomodo Deus permittat excitari perſecutiones vt ſint plures Martyres, ſplendeant eorum virtutes, & Eccleſia amplius creſcat. In id, *ſurge Aquilo, veni Auſter, &c.* l. 7. c. 33. colum. 569. & l. 6. c. 19. §. 2. & 3. columm. 160. & 161. In id, *quæ eſt iſta quæ aſcendit, &c.*

4 In id Euangelij, *capillus de capite veſtro non peribit: in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, de prouidentia Dei in cuſtodiendis etiam capillis Martyrum & Iuſtorum. l. 7. c. 3. §. 3. colum. 326. In id, *capilli tui ſicut greges caprarum, &c.* & l. 6. c. 29. §. 4. col. 236. In id, *aſcenſus eius purpureus.*

Commune Pontificum, & Doctorum.

1 De munere vigilandi & cuſtodiendi Eccleſiam, & eos qui ſuæ curæ ſunt commiſſi: In id,

inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitatem, &c. l.6.c.6.colum.51.§.2.&3. colum.54.& 55. circa Euang. *quis putas est fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam? &c. beatus ille seruus quem cum venerit Dominus inuenerit vigilantem,* & l.8.c.7.§.5.col. 638. In id, *cor meum vigilat.*

2 De eodem munere custodiendi Ecclesiam & sibi subditos ac defendendi eos, in id, *en lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, &c.* l.6.c.23. col. 187. vbi de fortitudine & promptitudine ad bella spiritualia, & experimẽto circa ea: propter quæ de eis dicitur: *qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno cælorum*, vel: *euge serue bone, & fidelis, &c.* quod in idem recidit, quia bone refertur ad facere, fidelis ad docere.

3 De munere deferendi Christum ad subditos per doctrinam & prædicationem, & de proprietatibus ad id requisitis quæ indicantur in illo: *ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Sethim, columnas fecit argenteas, &c.* l.6.c.29. col. 232. circa Euang. *vni dedit quinque talenta,* quæ in quinque insignibus huius ferculi designantur vt ad finem c. habetur.

4 Alia in id, *qui fecerit & docuerit, &c.* de insignibus proprietatibus Doctorum Ecclesiæ quæ designãtur per *dentes sicut greges tonsarum quæ ascendunt de lauacro, omnes gemellas fœtibus, &c.* l.7.c.4. col.330.

5 Alia de charitate, & dulcedine in modo docẽdi, & proponendi sacram doctrinã in id, *sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuũ dulce*; & in id, *fauus distillans labia tua, &c.* l.7.c.6.col.341. sed fusius c.7.col.348. Item in id, *guttur tuum sicut vinum optimum, &c.* l.9.c.21.§.3.col.977.

8 De muniis propriis Doctorum & armis ad pugnandum contra vitia & errores, in id, *sicut turris Dauid collum tuum, &c.* l.7.c.14.col.398. & l.8.c.16.§.4.col.714. In id, *percusserunt me vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum.*

9 Alia de duobus vberibus charitatis Dei & proximi quæ propria sunt Præsulum & Doctorum in id, *duo vbera tua sicut duo hinnuli, &c.* l.7.c.16. col.411. maximè §.4. col.418. ac de præcellenti munere lactandi fideles Ecclesiæ. In id, *quam pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino.* l.7.c.26.col.506.

10 De modo manifestandi Christum faciendo & docendo siue per præclara opera & verba. In id, *sicut fragmen mali punici genæ tuæ, &c.* l.7.c.10.§.3. col.374. & l.9.c.19.§.3. & c.18.§.3. col. 954. & 962. In id, *erunt vbera tua sicut botri, &c.*

11 Alia de vocatione ad conuertendos peccatores vt ex illis conuersis coronentur, in id, *veni de Libano coronaberis, &c.* l.7.c.21.col.459. maximè §.4.5.& 6. col. 465. 468. & 469. & de vocatione ad aperiendum corda fidelium per prædicationẽ in id, *aperi mihi soror mea, &c. quia caput meum plenũ est rore, &c.* l.8.c.9.col.649. maximè §.3.4. & 5.col. 654.655. & 658. de mortificatione necessaria ad hoc, c.12. §.4.

12 Alia de eorum insignibus vt sunt, *oculi* mystici Christi, *sicut columbæ super riuulos aquarum, &c.* l.8.c.21.§.4.col.750. & de eorum prudentia ad cognoscendas & præcauẽdas insidias hostium, ibidem, sed fusius in id, *nasus tuus sicut turris Dauid quæ respicit contra Damascum.* l.9.c.15.§.3.col. 931.

13 De solicitudine Prælatorum & Doctorum circa subditos & fideles promouendos in melius. In id, *soror nostra parua vbera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? &c.* l.10.c.14.& 15. col. 1118. & 1123. maximè §.4. col. 1130.

Item in id, *veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis,* & vbi etiam de affectu conuertendi infideles & meliorandi fideles agitur. l.9.c.24.§.2.& 3.& c.25.§.3.col.993.996.& 1003.

14 Contra eos qui se ex nimio timore vel pigritia se excusant à suo munere obeundo. In id, *expoliauimc tunica mea,* vt seruus qui recepit vnum talentum. l.8.c.11.§.2.& 3.col.675.

Commune Confessorum non Pontificum.

1 Circa Euang. *sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardẽtes in manibus vestris:* de cõiunctione castitatis cũ bonis operibus l.9.c.13.§.1.& 3.col.9.l.2. & 914.& l.9.c.29.col.529. maximè §.4.col.536. In id, *hortus conclusus, emissiones tuæ paradisus.*

2 De virtutibus quæ præcingunt & mortificant carnem, & de ijs quæ erga Dei cultum, & proximorum commodum micant. Illæ per lumbos præcinctos, hæ per lucernas ardentes designantur in id, *vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris.* l.7.c.18.& l.6.c.17.§.2. colum. 142. & 432.

3 Circa id ipsum, *sint lumbi vestri præcincti,* cum eo quod subditur: *vt cum venerit & pulsauerit ianuam confestim aperiant ei:* de necessaria mortificatione, ad aperiẽdum Deo pulsanti ad ianuam cordis, & de promptitudine ad expedite obediendum illi: nam vtrumque denotat habere præcinctos lumbos quasi paratũ ad iter: de hoc agitur in id, *surrexi vt aperirem dilecto meo: manus meæ distillauerunt myrrham, &c.* l.8.c.12. & c.9 §.4. col.555. & 678. Eadem verba tradunt præparationem ad obsequendum libenter pulsationi quę fit in hora mortis: de qua l.8.c.9.§.6. col. 660.

4 Alia circa eadem verba, de virtutibus quę sunt lucernæ ardentes in manibus ab igne charitatis accensæ, & de mortificatione quæ hunc ardorem conseruat. In id, *lampades eius lampades ignis atque flammarum.* l.10. c.10 §.3. & c.9. col. 1079.& 1092. & in id; *sicut virgulæ fumi ex aromatibus myrrhæ,* nam fumus procedit ab igne. l.6.c.16.§.3.col.136.

5 Circa Euang. *nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum,* de solicitudine Christi erga Ecclesiam, & erga pusillos suos, & de bonis quæ eis confert. In id, *soror nostra parua, vbera nõ habet, quid faciemus ei in die quãdo alloquenda est?* l.10.c.13.& 14.col.1111.& 1118.& etiam 15. in id, *si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, &c.* quia ibi traduntur media ad consequendum quod Patri complacuit pusillo gregi dare.

6 Alia circa parabolam de decem mnas: de discrimine inter seruos impigros & pigros, qui nolunt laborare, nec negotiari, &c. In id, *expoliauimc tunica mea, &c.* l.8.c.11.§.2.&c.9. §.2.& 4.& c.10.§.2.col.652.655.663.& 672. Item in id, *in lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, &c.* l.6.c.3.col.25.

Commune

Commune Abbatum & Sanctorum Monachorum, ac pro Religiosorum Cœtibus.

1 Circa Euangel. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* De relinquendis omnibus pro Christo & eius amore: In id, *si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* l.10.c.12. & l.7.c.13.§.1.col.392.& 1103. dicetur sumptus ad ædificandam turrim perfectionis esse renunciationem omnium.

Circa id, *vos qui reliquistis omnia, &c. centuplum accipietis,* de gaudio & delitiis spiritalibus quæ centies excedunt ea quæ pro Christo relinquimus. In id, *quam pulchra es charissima in deliciis.* l.9.c.17.& l.6.c.30.§.2.& c.17.§.5.col.148.246.& 942

2 De Religiosa vita seu Religioso statu vt est quidam ascensus in superna per desertionem rerum temporalium, *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, &c.* & de gradibus abnegationis per quos ascendit. l.6.c.16.& c.19.in §.5.colum.132. 164. habetur dispositio.

3 De eadem vt est mons myrrhæ, & collis thuris, ad quem ascendit anima vt insignibus virtutibus coronetur, & de inimicis triumphet, in id, *vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris: veni de Libano & coronaberis.* l.7.c.19.§.5.& c.27.§.3.col.440.& 463.

4 De eadem vt est lectulus Salomonis quem fortes ambiunt, de tranquillitate & pace huius status, & de ijs quæ custodiunt illud. l.6.c.25. col.203.

5 De excellentiis eius quæ designantur per ferculũ Salomonis, & fabricã eius. l.6.c 30.col.240.

6 De eximiis proprietatibus Religiosorum quæ denotantur per capillos inhærentes capiti & ornantes illud: In id, *capilli tui sicut greges caprarum quæ ascenderunt de Galaad.* l.7.c.2.§.2.3.& 4. col. 316.318.321.& etiã in id: *Comæ capitis eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus.* l.8.c.20. §.4. col. 589. & iterum in id, *Comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus.* l.9.c.19.§.2.col.960.

6 De præclaris Religiosorum exercitiis quæ denotantur per *dẽtes sicut greges tonsarum quæ ascendunt de lauacro; omnes gemellis fœtibus.* l.7.c.5.col. 336.

7 De pretiosa morte seu mortificatione quam efficit in eis dilectio quæ fortis vt mors dicitur. l.10.c.8.§.4.& 5.& c.9.§.3.& 4.col.1075.& 1077. colum. 1083. & 1085.

Commune Virginum.

1 Circa Euang. *de quinque virginibus prudentibus, & quinque fatuis, vel sicut eunuchi qui se castrauerunt propter regnum cælorum,* de amœno horto Virginitatis clauso vallo humilitatis, & de fructibus bonorum operum quos ferre debet. In id, *hortus conclusus: emissiones tuæ paradisus.* l.8.c.29.col.804.

2 De eadem coniũctione bonorum operum cum Virginitate aliis pulchris virtutibus sociatæ. In id: *venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* l.9.c.13.col.911.

3 De eiusdem coniunctione cum temperantia contra gulam & luxuriam, in id, *vmbilicus tuus crater tornatilis non indigens poculis.* c.12. colum. 905.

4 De præclaris notis Virginum cum fortitudine ad subeundum martyrium propter fidem vel castitatem tuendam, in id; *sicut fragmen mali punici genæ tuę.* l.8.c.11.colum.670. & conducunt quæ habentur c.10.col.661.

5 De cælesti & fortissima castitate in carne de se fragili, in id, *venter eius eburneus distinctus sapphiris.* l.8.c.25. col.772. & item in id, *quam pulchri sunt gressus tui filia principis in calceamentis.* l.9.c.10.§.2.col.895.

6 De feruore Virginis & Martyris quærentis Christum, & gaudenter tolerantis tormenta. In id, *inuenerunt me custodes murorum: percusserunt me: vulnerauerunt me, &c.* l.6.c.16.col.935.

7 Alia de Virginibus tenellis & paruis quæ se Dei consecrarunt obsequio, & de cura habenda de illis in id, *soror nostra parua vbera non habet: quid faciemus ei, &c. si murus est.* l.10.c.14.& 15.colum. 1118.& 1123. esse periphrasin virginitatis & humilitatis quæ in B. Maria splenduerunt c.17.§.1.col.1140.

8 Circa Euang. *simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, &c.* Et: *simile est homini negotiatori quærenti bonas margaritas, &c.* quæ applicantur primo Christo Domino, deinde nobis In id, *si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, &c.* l.10.c.12. col. 1103. vbi de vnione charitatis cum Deo & proximis quæ est vna pretiosa margarita ad quam valde conducit virginitas. De eadem etiam l.7.c.25.colum. 497. in id, *vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.*

INDEX LOCORVM

SACRAE SCRIPTVRÆ

QVAE IN HOC POSTERIORI

Tomo fusius explicantur.

L. denotat librum : E. Exhortationem.

Genesis.

1 SPIRITVS *Domini ferebatur super aquas. l.6.e.5.col.49.b.& vidit Deus quod esset bonum. l. 7. e.25.§.3.col. 103.b. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinẽ nostram. l. 10. e. 13.§.2.& 17.§.2.col.1113.c.d.1142.b.*

2 *Requieuit Deus die septimo l.6.e.5.§.4. col. 49.a. inspiranit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.l.6.e.7.§.1.plantauerat autem Deus paradisum voluptatis, &c. & fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum. l.7.e.30.§.2.col.544.posuit eum in paradiso voluptatis vt operaretur,& custodiret illum. l.6.e.3.§.1.& l.7.e. 29.col,26.b.& 530.b.*

3 *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi.l.6.e.17. §.2.col.145.a.puluis es, & in pulverem reuerteris l.6.e.29.§. 1. inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius,ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. l.6.e.9.§.3.col.81.a.l.7.e.20. §.3.col.456.b.l.9.e.20. §.1.e.5.§.4.col.861.c.l.10.e.9.§.1.& 4. col. 149.b.collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim,& flammeum gladium,& c.l.6.e.22.§.2.col.182.a.*

4 *Peperit Caim dicens,possedi hominem per Deum.l.6.e. 7.§. 5. Abel obtulit de primogenitis gregis sui,& c.l.8. e.1.§.2.col.87.c.*

7 *Inclusit eum Dominus deforis l.7.e.28.§.1.col.523.*

9 *Bibens vinum inebriatus est & nudatus l. 10.e.12.§.1. col.1105.b.*

11 *Erat terra labij vnius l.7.e.6.§.3.col.345.b.venite,faciamus nobis ciuitatem, & turrim cuius culmen pertingat ad cælum l.7.e.6. §.2.e.12. §.2. & 14.§.1. col. 402.*

12 *Egredere de terra tua,& c.l.6.e.19. §.5.col.164.b.*

13 *Ne quæso sit iurgium inter me & te, fratres enim sumus.l.7.e.25.§.4.col.505.d.*

15 *Noli timere Abraham, ego protector tuus, & merces tua magna nimis.l.8.e.6.§.3.col.628.c.d.*

18 *Apparuit Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei.l.10.e. 4. §.2. col.1042. d.loquar ad Dominũ meum cum sim pulvis, & cinis.l.10.e.9. §.3.col.1086.d. & l.7.e.12. §.2. col. 387.d.*

22 *Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac,& vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium, & c. l.7. e.19.§.1.col. 442.d.vidit post tergum arietem hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio l. 6.e.35. §.3.col.280.a.*

24 *Pone manum tuam subter femur meum vt adiurem te.l.6.e.26.§.1.col.210.c.*

27 *Ecce odor agri mei sicut odor agri pleni.l.7.e.27.§. 2. col.513.d.*

28 *Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli. l. 6. e. 19.§.2.e. ero custos tuus quocumque perrexeris.l.18.c. §.6.3.& col.628.d.*

29 *Non est in loco nostro consuetudinis vt minores ante tradamus ad nuptias l.6.e.3.§.4.col. 42. vidit Dominus humilitatem meam.l.9.e.4.§.3.col.850.c.*

30 *Hoc pro beatitudine meæ beatam me quippe dicent mulieres.l.9.e.4.§.3.col.850.c.*

30 *Da mihi partem de mandragoris filij tui.l.9. e. 25.col. 1000.c.abstulit Deus opprobrium meũ l.10.e.1. §.3.& 4.col.1015.d.& 1019.a.tulit Iacob virgas virides,& c. & ex parte decorticauit eas, & c.l.7.e.4.§.3.col.135.a.*

32 *Fuerunt que ei obuiam angeli Dei, quos cum vidisset, ait,castra Dei sunt hæc.l. 6.e.6.§.1.col. 53.c.placabo illum muneribus quæ præcedunt.l. 7.e. 28.§.3.Ecce vir luctabatur cum eo vsque mane, qui cum videret quod eum superare non posset,tetigit nervum femoris eius.& statim emarcuit,& c.l.6.e.10.§.2.& 3.col.81.c.e.6.§.1. e.9.§.2.col.53.d.l.9. e.11.§. 1. col. 901.dimitte me iam enim ascendit aurora,& c.ibid.& l.9.e.5.§.4.col.860. b.nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël,quoniam si contra Deum fortis fuisti,& c.l.6.e.23. §.2.& 5.col.190.c.& 195.c.*

37 *Fratres meos quæro,indica mihi vbi pascant greges,l.8. e.28.§.3.col.802.d.*

38 *Vnus protulit manum in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens, iste egredietur prior, & c.l.7.e.6:§.1.col. 343.a.*

47 *Adorauit Israël Deum conuersus ad lectuli caput l.6. e.26.§.1.col.201.a.*

49 *Dentes eius lacte candidiores.l.7.e.4.§.2. e. 5.§.1.col. 331. c. Aser pinguis panis eius,ipse præbebit delitias regibus l.6.e.13.§.1.*

Exodi.

1 *Quanto opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & crescebant.l.6.e.19.§.3.col.162.d.*

3 *Solue calceamenta de pedibus tuis. l. 9. e. 10. §. 2. col. 896.b.vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & c. & sciens dolorem eius descendi vt liberem eum.l.9.e.6. §.2.col.866.b.*

4 *Sponsus sanguinum tu mihi es.l.6.e.35.§.3.col.278.*

5 *Vt eamus viam trium dierum in solitudine, & c.l.6.e. 17.col.140.d.*

12 *Cum lactucis agrestibus.l.8.e.4.§.3.col.614.omnis alienigena non comedet ex eo,omnis autem seruus emptitius circuncidetur,& c.l.6.e.27.§.2.col.218.*

14 *Quid clamas ad me? l.7. §. 5. e. 28.e.3. Tollensque se angelus Dei qui præcedebat castra Israël, abyt post eos,& c.l.6.e.22.§.3.col.184.a.*

15 *Inde venerunt in Elim vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ. l.7.e.31. §. 3. col. 557.a.l.9.e.18.§.3.col.955.c.*

Factum

15 *Dedit ei Caleb irriguum superius, & inferius l.6. 15.§.3.col.131.a & l.9.e.14.§.2.col.923.a.*

Iudicum.

6 *Ponam hoc vellus lanæ in area,si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas,& c.l.8.e.13.§.1.col.688.a.*

7 *Dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas, ac lampades in medio lagenarum,& c.l.6.e.11.§.3.& l.7. e.10.§.3.*

14 *De comedente exiuit cibus,& de forti egressa est dulcedo l.8.e.4.§ 3.col.614.d.*

15 *In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum deleui eos.l.7.e.4.§ 4.col.335.d.*

16 *Rasit septem crines eius.l.7.e.2.§.2. & 4.col.316. d.& 322.a.b.*

I. Regum.

1 *Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur l.7.e.8.§.2. & 3.col.358.c.*

13 *Quæsiuit Dominus virum iuxta cor suum, & præcepit ei Dominus vt esset dux super populum suum l. 6.e.23.§ 1.col.187.c.*

17 *Induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & c.l.7.e.13.§.3.col.398. a.ego veni ad te in nomine Domini & dabit te Dominus in manu mea l.7.e. 13.§.2.*

18 *Expolianit se Ionathas tunica qua erat indutus, & dedit eam Dauid,& c.l.7.e.13.§.3.col.398.a.*

II. Regum.

1 *Montes Gelboë nec vos, nec pluuia veniant super vos, nec sint agri primitiarum,& c.l.7.e.18 §.4. col.439.b.*

6 *Benedixit populo in nomine Domini exercituum, & partitus est vniuersæ multitudini Israël tam viro quam mulieri singulis collyridam panis vnam, & assaturam bubalæ carnis vnam,& c.l.6.e.33.§.1.col.261.d.*

14 *Cum ingressa fuisset mulier Thecuitis ad Regem,& c. l.6.e.9.§.6.col.90.a.*

III. Regum.

1 *Sufficiebat nobis paupertas nostra, & c.l.6.a. 21.§.5. col.176.b.*

6 *Fecit in oraculo duos Cherubim de lignis oliuarum,& c. l.7.e.17.§.1.& e.25.§.2.col. 501.a.*

7 *Finxit duas columnas æreas, & c.l. 6.e.31. §.2. col. 247.a.*

10 *Ingressa est in Ierusalem multo cum comitatu,& diuitijs camelis portantibus aromata l.6.e.20.§.4.*

18 *Fundite (aquam) super holocaustum & super ligna l.6.e.18.§.5.col.155.a.*

19 *Ecce angelus Domini tetigit eum & dixit illi, surge & comede,& c.l.6.e.6.§.2.col.55.& l.8.e.7.§.3.*

IV. Regum.

5 *Putabam quòd egredereturad me, & stans invocaret nomen Dei sui,& c.l.6.e.3.§.2.col.29.b.& e.6.§.3.col. 57.b.& e.17.§.3.*

Tobiæ.

6 *Cordis eius particula si super carbones ponas,fumus eius extricat omne genus dæmoniorum. l. 6.e.17.§. 2. col. 143.a.*

12 *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna magis quam-*

Index locorum sacræ Scripturæ.

16 *Factum est vespere ascendens coturnix cooperuit castra, mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum l.6.e.27.§.2.col.220.d.*

18 *Vt comederent panem coram Domino l.9.e.17.§.4.col. 948.a.prouide de omni plebe viros potentes, & c.l.6.e. 23.§.1.col.188.d.*

23 *Ecce ego mitto angelum meum qui præcedat te, & custodiat te in via,& c.l.6.e.6.§.2.& 3.col. 55.& 57.d.*

24 *Hic & Aaron & Madab, & c. adorabitis procul. Solus Moyses ascendet ad Dominum.l. 7. e. 13. §. 1. col. 393.c.*

25 *Deaurabis eam auro mundissimo intus & foris l.8.e. 20.§.2.col.741.a.facies & propitiatorium de auro mundissimo. ibid. duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi l.7.e.25.§.2.col. 500.c.*

28 *Per circuitum quasi mala punica facies ex hyacintho & purpura, & cocco bis tincto mixtis in medio tintinnabulis, & c.l.7.e.10.§.3.col.374.e.28.§. 4.col.527.d.e. 31.§.1.col.554.facies & laminam de auro purissimo in qua sculpes opere cælatorio sanctum Domino l.6.e.29. §.5.col.239.c.*

30 *Sume tibi aromata, stacten & onycha, & c. facies que thymiama compositum opere vnguentario, & c.l.6. e.18.§.3.col.147.d.& 153.d.& l.7.e.27.§.1.col.512.b.c*

31 *Ecce vocaui ex nomine Beseleel, & c. & impleui eum spiritu sapientiæ,& c.l.6.e.30.§.1.col.240.c.d. dedit Dominus Moysi, & c. duas tabulas testimonij lapideas scriptas digito Dei.l.7.e.16.§.2.col.415.c.*

32 *Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & c.l. 6.e.9.§.8.& 6.col.82.a.89.c.*

33 *Noui te ex nomine,& inueniisti gratiam coram me l.7. e.24.§.2.col.492.*

34 *Ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.l.6.e.23.§.1.col.190.c.quo transeunte coram eo ait, dominator Domine Deus misericors & clemens,& c.l.10.e.10.§.1.col.1090.a.*

Numerorum.

6 *Sanctus erit crescente cæsarie capitis ipsius. l.7.e.2.§.2. col.316.d.& e.3.§.1.col.323.c.d.*

11 *Cumque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & man. l.6.e.27.§.2.col.220.d.*

14 *Seruum meum Caleb qui plenus alio spiritu secutus est me,introducam in terram hanc, & c. l.6.e.22.§.4. col.185.a.*

17 *Turgentibus gemmis eruperunt flores qui foliis dilatatis in amygdalas efformati sunt l.9.e.6.§.1. & 3.col. 863.d.*

24 *Orietur stella ex Iacob,& exurget virga de Israël l.6. e.11.§.1.col.97.c.*

Deuteronomii.

21 *Si videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, voluerisque habere vxorem, & c. l.6.e.37.§.4.col.292.b.c.*

33 *Benedictus in filijs Aser sit placens fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum, ferrum & æs calceamentum eius l.9.e.10.§.4.col. 890.b.sicut dies iuuentutis tu æ,ita & senectus tua ibidem, & l.6.e.37.§.1.*

Iosue.

2 *Appendit funiculum coccineum in fenestra.l.7.e.6.§.1. col.342.6.& l.9.e.21.§.2.*

6 *Circuite vrbem cuncti bellatores semel per diem, & sic facietis sex diebus,& c.l.6.e.14.§.4.col.122.b.*

Index locorum

thesauros auri recondere. l.6.e.17.§.2.col.142.

Iob.

Circuiui terram & perambulaui eam l.8.e.3.§.4.num-quid considerasti seruum meum Iob quod non sit similis in terra? & c.l.7.e.33.§.1.col.570.d. & l.10.e.11.§.4. col.1102.

5 *Parvulum occidit inuidia l.9.e.4.§.1.col. 846.b. homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum l. 6.e.3.§. 1.col.26.a. ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut, & c.l.9.e.13.§.1.*

10 *Visitatio tua custodiuit spiritum meum l.7.e.18.§.4. & l.8.e.1.§.3.col.439.c.*

11 *Vtinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi l.7.e.6.§.3.col.347.b.c. forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum omnipotentem reperies. l.6.e.7.§.1.col.62.*

12 *Deridetur iusti simplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum l.10. e.10.§.2. & e.12.§.3.col.1091.c. & 1109.a. interroga iumenta, & docebunt te, & c.l.6.e.5.§.2.col. 48.c. 61.a.*

14 *Breues dies hominis sunt, & c.l.6.e.1.§.1.col.7.a.*

15 *Cucurrit contra eum erecto collo, & dura ceruice armatus est l.7.e.12.§.1. & 2.col.386.b.*

20 *Si ascenderit vsque ad cælum superbia eius, & c.l.7. e. 32.§.1.col.562.c.d.*

24 *Dulcedo eorum vermis l.9.e.17.§.4.*

28 *Sapientia vbi inuenitur, & quis est locus intelligentiæ?* cum tota parabola *l.6.e.2. §.1.col.18.b. c. & e.3.§.3. col.32.a.*

29 *Quando lauabam pedes meos butyro l.8.e.26.§. 3. & l.9.e.10.§.3.col.890.d.*

33 *Semel loquitur Deus, & c. per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & c. l.8.e.2.§.3. & e.7.§.3.col.635.b.*

34 *Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius & flatum ad se trahet l.10.e.9.§.4.col.1087.b.i*

37 *Qui in manu omnium hominum signat l.10. e.6.§.2. col.1061.a.*

38 *Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum? l.6.e.21.§.6. & l.9.e.5. §.4.col.862.a. quis dedit gallo intelligentiam? l.7.e. 33. §.3.col.574.c.*

39 *Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum? l.7.e.37.§.2.col.566.a. procul odoratur bellum l.9.e.15.§.2.col.930.d.*

40 *Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in umbilico ventris eius l.8.e.25.§.2. & l.9.e.12.§.1.col.906.b.*

Psalmi.

2 *Apprehendite disciplinam l.10.e.1.§.2.col.1012.*

4 *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, & c. l.10.e.6.§.3.col.1059. in pace in idipsum dormiam & requiescam l.6.e.33.§ 3.*

6 *Lauabo per singulas noctes lectum meum, stratum meum lachrymis meis rigabo l. 6.e.8.§.2. & l.9.e.14. §.2.col.923.e.*

10 *Palpebræ eius interrogant filios hominum l.8.e.21.§.1. col.747.b.*

11 *In circuitu impij ambulant l.6.e.2.§.3.col.22.*

16 *Domine à paucis de terra diuide eos, & c.l.9.e.3.§.2. col.841.a.*

18 *Exultauit vt gigas ad currendam viam, & c.l.6.e.34. §.3.col.269.b. meditatio cordis mei in conspectu tuo semper l.7.e.4.§.4.*

22 *Parasti in conspectu meo mensam, & c.l. 6.e.27.§.3. col.220.b.*

23 *Hæc est generatio quærentium Deum, & c.l.6.e.1.§.1.*

26 *Ne declines in ira à seruo tuo l.8.e.14.§.1.col.696.b.*

28 *Afferte Domino filij Dei, & c. vox Domini super aquas, & c.l.10.e.20.§.1.*

29 *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor, & c.l.6.e.4. §.3.col.40.a. conuertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & c.l.6.e.36.§. 2.*

31 *Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina l.8.e.10.§.4.*

35 *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & c.l.8.e.5.§.3. col.620.d.*

36 *Reuela Domino viam tuam, & c.l.7.e.2.§.3.col.321.a.*

39 *Corpus aptasti mihi l.7.e.19 §.1.col.442.c.*

41 *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: sitiuit, & c.l.9.e. 3.§.2. & l.10.e.3.§.4.col.619.b.*

44 *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime l.6.e.26.§.1. & e.25.§ 3.col.211. astitit regina à dextris tuis, & c.l.7.e.25.§.1. omnis gloria eius filiæ regis ab intus l.7.e.1.§.1.col.307.b. adducentur regi virgines post eam l.7.e.29.§.5.col.538.*

45 *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus l.8.e.7.§.1. col.265.a.*

54 *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & c.l.10.e.20. §.1.col.1168.d.*

64 *Te decet hymnus Deus in Sion l. 6.e.7.§.5.l.7.e.1.§. 4.col.311.d.*

67 *Et iusti epulentur & exultent in conspectu Dei l.9.e. 17.§.4.col.948. si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & c.l.8.e.26.§.4. currus Dei decem millibus multiplex, & c. ascendisti in altum, cepisti captiuitatem l.6.e.36.§.7. & l.7.e.19.§.3. col.284.b. præuenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuuenculatum tympanistriarum l.6.e.25.§.2.*

68 *Zelus domus tuæ comedit me l.10.e.9.§.1.col.656.b.*

70 *Quoniam non cognoui literaturam, & c.l. 9.e.3.§.3.*

71 *Erit firmamentum in terra in summis montiū, & c.l.7. e.32.§.4.col.257.b. ante solē permanet nomen eius. ibid.*

72 *mihi autem adhærere Deo bonum est, & c.l.6.e.17.§.3. & l.7.e.2.§.2.col.317.a.*

74 *Et calix in manu Domini vini meri plenus misto, & inclinauit, & c.l.8.e.5.§.4.col.623.b.*

76 *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus l.6.e.1.§.5. col. 14. b. cogitaui dies antiquos & annos æternos in mente habui, & c. & exercitabar & scopebam spiritum meum l.6.e.8.§.2. & l.9.e.6.§.4.col.869.d.*

79 *Cibabis nos pane lachrymarū, & potum dabis nobis in lachrymis in mēsura l.6.e.17.§.4.col.147.a. Deus virtutum respice de cælo & vide, & visita vineam istam, & c. & super filium hominis quem confirmasti tibi l.8.e. 1.§.4. & e.1.§ 3.*

83 *Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle, & c. l. 6.e. 15.§. 1. & seq.col. 126.d.*

86 *Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion, & c.l.7.e.13.§.1. & e.21.§.4. numquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus? l.6.e.31.§.1. & e.35.§.2. col.245. & 277.a. sicut lætantium omnium habitatio est in te l.6.e. 21.§.6.col.177.d.*

90 *Scuto circundabit te veritas eius l.6.e.23.§.5. & l.7. e.14.§.3.col.195.a. & 404.a. non timebis à timore nocturno l.6.e.23.§.5.col.195.a. angelis suis mandauit de te vt custodiant te in omnibus vijs tuis, & c.l.6.e.6. §.2. & e.22.§.5.col.54. & 187.a. super aspidem & basiliscum ambulabis, & c.l.9.e.7.§.2.col.875.b.*

104 *Quærite*

104 *Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius semper l.6.e.2.§.2. & e.4.§.2.col.37.a.*

109 *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput l. 9.e.6.§.2. & e.11.§.4.col.865.c.*

105 *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? l.10.e.3.§.3.col.1039.b.*

123 *Torrentem pertransiuit anima nostra l.10.e.11. §.4. col.1100.c.*

126 *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filij merces fructus ventris l. 7.e. 22. §. 3.col. 477.d.*

131 *Ascende Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ l.6.e.21.§.5.col.178.d.*

132 *O quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum! Sicut vnguentum in capite, & c.l.7.e.25.§.3. col.501.d.502.a.b.c. sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion l.8.e.8.§.3. & e.9.§.4.col.644. & 657.d.*

138 *Et nox illuminatio mea in delitijs meis l.6.e.18.§.5. col.136.b.*

139 *Acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labijs eorum l.7.e.9.§.2.col.367.d.*

140 *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio & c.l.6.e.16.§.3.e.18.§.5. & l.7.e.27.§.3.col. 515.c. pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis l.7.e.9.col.364.a.*

141 *Me expectant iusti donec retribuas mihi l.7.e.21.§. 5.col.468.c.*

147 *Flauit spiritus eius, & fluent aquæ l.7.e.37.§.2.col. 565.b.*

Prouerbiorum.

4 *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & c.l.9.e. 5.§.1.col.852.d.*

4 *Omni custodia serua cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit l.6.e.24.§.1. & l.10.e.6.§.4.col.197.b.*

5 *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui, deriuentur fontes tui foras, & c. l. 7.e.30.§.3.e.29.§.3.col. 549.a. cerua charissima, & gratissimus hinnulus, ubera eius inebrient te, & c.l.7.e.18.§.4.col.432.b.*

9 *Misit ancillas suas vt vocarent ad arcem l.7.e.13.§.3.*

15 *Secura mens quasi iuge conuiuium l.9.e.17.§.1.col. 943.c.*

16 *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium l.6.e.25.col.205.d.*

18 *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum currit iustus, & exaltabitur l.7.e.13.§.2.col.395.d.*

19 *Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os applicat eam l.8.e.10 §.2.col.663.d. & 664.a.*

21 *Vir obediens loquetur victoriam l.6.e.33.§.1.*

22 *Dicit piger, leo est foris in medio plateārum: occidendus sum l.6.e.3.§.4.col.28.c.*

23 *Quando sederis vt comedas cum principe, diligenter considera quæ apposita sunt ante faciem suam, & statue cultrum in gutture tuo l.6.e.25.§.2. & e.27.§.2.col.205. a.col.219.b.c. fili mi si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum & l.9.e.21.§.3.col.978.a.*

24 *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices domum tuam l.6.e.5.col.42.a.*

26 *Dicit piger, leo est in via, & leæna in itineribus: sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo l. 6.e.3.§.2.col.28.b. vidisti hominem sapientē sibi videri, magis illo spem habebit insipiens l.9.e.15.§.1.col. 929.*

30 *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes, affer, affer l.9.e.12. §.1. & e.15.§.2.col.906.a.*

31 *Surrexerunt filiæ eius, & beatissimam prædicauerunt, vir eius, & laudauit eam l.9.e.4.§.2.col.849.b.*

Ecclesiastes.

2 *Vadam & affluam delitijs, & fruar bonis, & vidi quod hoc quoque esset vanitas l.6.e.2.§.3.col.21.a.*

5 *Ne temere quid loquaris, nec cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo, & c. l. 7.e. 9.§.2.col 367.a.*

7 *Inueni quod Deus fecerit hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus l. 7.e.15. §.1. & 3.col. 409.c.*

11 *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocūque loco ceciderit, ibi erit l. 7.e.33.§.3.col.568.d.*

Sapientiæ.

3 *Tamquam aurum in fornace probauit eos, & quasi holocausti hostiam accepit eos. l.6.e.9.§.5.*

16 *Substantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebat l.8.e.4.§.1.col.608.*

Ecclesiastici.

2 *Præpara animam tuam ad tentationem l. 9.e. 2.§. 1. col.829.a.*

4 *Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam. l.7.e.15.§.5.col.384.a.*

15 *Cibauit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potauit illum. l.10.e.3.§.3.col.1035.d.*

24 *qui creauit me requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi, in Iacob inhabita, & c. l. 6.e. 26.§. 3.col. 212.b.*

Ego sapientia effudi flumina, ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio, & c.l.7.e.30.§.2.col.545.d.

25 *In tribus beneplacitum est spiritui meo, & c.l. 7.e.25. §.1.col.497.d.*

26 *Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata, omnis ponderatio non est condigna continentis animæ. l.7. e.11.§.3.col.380.d.*

27 *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol, & c. l. 10.e. 16.§.3.col.1137.a.*

28 *Ne vercaris iustificari vsque ad mortem. l.6.e.14.§. 2. & 4.*

22 *Audi tacens, & pro reuerentia accidet tibi bona gratia. l.8.e.18.§.1.col.725.*

38 *Antegrandinem præibit coruscatio, & ante verecundiam præibit gratia. l.7.e.11.§.4.col.382.d.*

34 *Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur nisi ab Altissimo emissa fuerit visitatio. l.7.e.18.§.4. & l.8.e. 7.§.2.col.439.d. & 632.d.*

36 *Innova signa, & immuta mirabilia, & c.l.7.e.23.§.1. col.481.b.*

38 *Sapientia Scribæ in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu sapientiam percipiet. l. 6.e.3.§.3.col.31.d.*

39 *Obaudite me diuini fructus, & c. florete flores quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & c.l.8. e.23.§.4.col.764.c.*

43 *Vas castrorum in excelsis in firmamento cæli resplendens glorioſe l.6.e.21.§.3.*

Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua, & c.l.7.e.32.§.1.col.561.d.

Medicina omnium in festinatione nebulæ, & vos obuians ab ardore venienti humilem fecit eum. ibidem.

Isaiæ.

1 *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & c. l. 7.e.6.§.1.col.342.c.*

Erubescetis super hortos quos elegeratis l.7.e.28.§.2.col.

Index locorum

525.d.
2 *Elevabitur super omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes. l.8.e.15.§.2.col.706.d.& 707.a.*
Conflabunt gladios suos in vomeres, &c. l.6.e.26.§.3. col.212.d.& 213.a. quiescite ab homine cuius spiritus in naribus eius est, quia excelsus reputatus est ipse l.9.e. 15.§.3.& 4.col.932.a.
3 *Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet l.8.e.5.§.1.col.616.d.*
4 *Apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa dicentes, panem nostrum comedemus, &c. l.6.e.25.§.5. col.202.c.*
5 *Vinea Domini exercituum domus Israel est, & c. l.10. e.18.& l.8.e.3.§.3.col.601.d.*
6 *Duabus velabant faciem eius, &c. l.6.e.7.§.1.col.61.c. d. volauit ad me vnus de Seraphim, &c. l.7.e.6.col. 345.d.*
7 *Butyrum & mel comedet vt sciat reprobare malum & eligere bonum l.7.e.7.col.793.d.*
8 *Aquas Siloë quæ vadunt cum silentio l.9.e.14.§.1. col.922.*
11 *Requiescet super eum spiritus Domini, &c. l.6.e.31.§. 2. habitabit lupus cum agno, &c. & puer paruulus minabit eos l.9.e 9.§.2. l.6.e.25.§.3. l.7.e.25.col.207. d. delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis l.7.e.21.§.4.& 5.col.467.b. radix Iesse qui stat in signum populorum ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum l.6.e.26 §.5.col.215.b.c.*
14 *Qui dicebas in corde tuo, in cælum conscendam, & c. l. 7.e.12.§.3.col.386 b.*
18 *Ite angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam, &c. l.6.e.14.§.4.col.120.a.*
21 *Custos quid de nocte? dixit custos, venit mane: & nox, si quæritis quærite, &c. l.6.e.8.§.1.e.12.§.3. col. 72.a.*
25 *Faciet Dominus exercituum in monte hoc omnibus populis conuiuium pinguium, &c. l.8.e.5.§.4.*
26 *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent, &c. quia ros lucis ros tuus l.8.e.9.§.2.& 3.& 6.col.652.c.& 657.c.*
29 *Adhuc in modico & in breui conuertetur Libanus in Carmel, & c. l.6.e.14.§.1.col.117.b.*
30 *Expectat Dominus vt misereatur vestri, & exaltabitur parcens vobis l.8.e.3.§.5.*
32 *Princeps cã quæ sunt digna principe cogitabit l.7.e.3. §.4.*
34 *Erit cubile draconum, & pascua struthionum, & ibi cubauit lamia & inuenit sibi requiem l.6.e.13.§.1.*
35 *Lætabitur deserta & invia, &c. gloria Libani data est ei, decor Carmeli, &c. l.7.e.3.§.2.& e.31.§.2.col.546.d. & 556.a. quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine l.7.e.30.§.2.col.546.d.547.a.*
38 *Conuertit Ezechias faciem suam ad parietem & orauit ad Dominum l.6.e.5.§.1.col.43.c. meditabor vt columba l.7.e.1.§.4.col.310.a.*
40 *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, & c. l. 6.e.25.§.2.col.206.a.*
44 *Iste dicet, Domini ego sum, &c. l.8.e.1.§.1.& l.10.e.6. §.2.e.col.580.a.& 1058.*
49 *In manibus descripsi te, & muri tui coram me sunt sẽper l.10.e.16.§.4.& e.7.§.2.col.1067.b.1138.d. quis genuit mihi istos? ego sterilis & non pariens, &c. l.10.e. §.3.col.1116.b.*
52 *Quam pulchri sunt super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, &c. l.9.e.10.§.3.& l.8.e.26.§. 3.col.897.c.*
53 *Domine quis credidit auditui nostro, & c. l.7.e.19.§.2. col.445.a.*
53 *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti l.7.e.29.§.4.col.1141.a.b.*
54 *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, &c. l.9.e.1.§.2.col.822.c. ponam iaspidem propugnacula tua* ibid. *& l.10.e.16. §.1.col. 1133.a.*
55 *Omnes sitientes venite ad aquas, &c. l.7.e.16.§.4. quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est l.6.e.1.§.5.col.14.d.*
56 *Hæc dicit Dominus eunuchis qui custodierint, &c. dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, &c. l.7.e.11.§.1. & e.29.§.3.col. 377.c.*
57 *Veniat pax & requiescat in cubili suo qui ambulauit in directione sua l.6.e.5.§.2.col.44.b. hæc dicit excelsus & sublimis habitans æternitatem, & sanctum nomen eius in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu vt viuificet cor contritorum l.7. e.12.§.3.col.389.*
58 *Ædificabuntur in te deserta sæculorum, fundamenta generationis & generationes suscitabis, & vocaberis ædificator sepium l.10.e.15.§.4.col.1130.b.c.*
60 *Omnes de Sabba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes l.6.e.34.§.5.col. 272.c.*
62 *Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui l.6.e.38.§.1.col.294.d. sed vocaberis voluntas mea in ea l.10.e.1.§.1. super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & nocte in perpetuum non tacebunt l.6.e.6.& e.11.§.3.*
63 *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? &c. l.6.e.32.§.2.& l.8.e.19.§.2.col.252.c.& 731.e.*
64 *Aquæ arderent igni vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis l.10.e.11.§.4.col.1102.a. non est qui consurgat & teneat te l.6.e.12.§.4.*
65 *Quæsierunt me qui ante non interrogabant, &c. l.6.e. 1.§.5.& e.14.§.1.col.116.d.*

Ieremiæ.

1 *Ecce constitui te, &c. vt euellas & destruas, &c. l.10.e. 9.§.3.col.1085.a.*
1 *Virgam vigilantem ego video l.8.e.6.§.3.col.629.c.*
9 *Ascendit mors per fenestras nostras l.7.e.6.§.1.col. 342.d. non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis, &c. sed in hoc glorietur qui gloriatur scire & nosse me l.8.e.18.§.2.col.726.e.*
13 *Sicut lumbare adhæret ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi, &c. l.7.e.2.§.4.col.322.*
21 *Scribe virum istum sterilem, &c. nec erit de semine eius vir qui sedeat super solium Dauid, &c. l.6.e. 31.§. 1.e.32.§.1.col.246.c.& 251.a.*
31 *Et ædificabitur ciuitas Domino à turre Hananeel vsque ad portam anguli, & exibit vltrà norma mensuræ in conspectu eius, &c. l.7.e.13.§.1.col.393.d.*

Threnorum.

2 *Non taceat pupilla oculi tui l.7.e.1.§.4.col. 311.c. effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini l. 6.e.18.§.5.*
3 *Sedebit solitarius, & tacebit quia leuauit se super se l.6. e.18.§.1.& l.7.e.1.§.4.col.150.c.& 311.c. opposuisti nubem tibi ne transeat oratio l.7.e.1.§.4.col.142.d. 314.a.*
4 *Quomodo obscuratum est aurum, &c. l.6.e.3.§.2.col.31. a. Nazarei candidiores latte l.8.e.19.§.1. col. 732.b.*

Ezechielis

Ezechielis.

1 *Quatuor facies vni, &c. l.7.e.25.§.2.& l.9.e.9.col. 888.d.*
1 *Vidi quasi speciem electri velut aspectum ignis l.6.e. 28.§.5.col.230.b.c.*
3 *Comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israël l.7.e.4.§.4.*
4 *Sume tibi laterem & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Ierusalem, &c. l.9.e.1.§.4.& l.10.e.16 §.4.col.826.d.& col.1137.d. ordinabis aduersus eam obsidionem, &c. l.9.e.2.§.1.col.828.d. radix tua & generatio tua de terra Chanaam: pater tuus, &c.*
16 *In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus l.9.e. 12.§.1.& l.10.e.5.§.2.col.906.e. extendam manum meam super te, & auferam iustificationem tuam l.8.e. 10.§.4.col.667.b.*
17 *Sumam ego de medulla cedri sublimis, & ponam de vertice ramorum eius tenerum distringam, &c. l.9.e. 18.§.1.col.951.a.b. ego Dominus humiliaui lignum sublime & exaltaui lignum humile, &c. l.6.e.17.§.1. col.1141.a.*
22 *Quæsiui de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, &c. l.6.e.12.§.4.col. 1133.c.*
28 *In signaculum similitudinis plenus sapientia, &c. l. 10.e.7.§.1.col.1064.b.*
36 *Effundam super vos aquam mundam, &c. l.7.e. 30.§.1.*
37 *Putas ne viuent ossa ista? l.7.e.25.§.3.col.504.*
40 *Ante frontes picturæ palmarum l.6.e.20.§.2.col. 168.a. cælatæ erant palmæ vna hinc altera inde, &c. l. 7.e.33.§.2.col.572.d.*
41 *Fabre facta Cherubim & palmæ, & palma inter Cherub, & Cherub, duasque facies habebat Cherub, &c. l.9.e.18.§.2.col.953.*
44 *Porta hæc clausa erit, non aperietur, &c. l.7.e.27.§.4. & l.10.e.1.7.§.2.col.1143.b.*
47 *Aquæ istæ quæ egrediuntur ad tumulos fabuli orientalis, & descendunt, &c. & sanabuntur aquæ, & omnis anima viuens quæ serpit, quocumque venerit torrens, viuet l.7.e.30.§.2.col.546.b.*

Danielis.

7 *Prima leæna habens alas aquilæ, & aspiciebam donec euulsæ sunt alæ eius, &c. l.7.e.12.§.1 col.387.a.*
10 *Princeps regni Persarum restitit mihi l.6.e.22.§.5.col. 186.b.*

Oseæ.

2 *Auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum l.8.e.10.§.1.col. 663.b. ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius l.10. e.17.§.3. vocauit me vir meus & non vocabit me vltra Baalim l.7.e.16.§.1.col.412.a.*
3 *Dies multos expectabis me, non fornicaberis, & non eris viro, sed & ego expectabo te, &c. l.6.e.11.§.5.col. 124.a.*
6 *Misericordia vestra sicut nubes matutina & sicut ros mane pertransiens l.8.e.3.§.3.& e.8.§.3.& l.7.e.17.§. 4.col.431.& 644.c.*
9 *Da eis vulua m sine liberis & vbera arentia l.7.e.26. §.1.col.508.a.*
13 *Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne l.10.e.8. §.1.col.1072.a.*
14 *Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum l.7.e.8.§.3.col.361.a.*

Ioel.

1 *Ficum meam decorticauit, &c. l.8.e.10.§.1.col.663.b.c*
2 *Senes vestri somnia somniabunt, iuuenes vestri visiones videbunt l.8 e.7.§.3.col.635.a.*
3 *Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum l.6.e.35.§.1.*

Amos.

4 *Plui super vnam ciuitatem, & super alteram ciuitatem non plui, &c. l.6.e.10.§.1.col.91.c.*
5 *Qui vocat aquas maris & effundit eas super faciem terræ l.6.e.29.§.1.col.233.c. auser à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam l.9.e. 21.§.1.& l.7.e.8.§.4.col.361.d.& 974.d.*

Ionæ.

1 *Vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in ea, quia ascendit malitia eius, &c. l.8.e.11.§.3. col. 676.b*
2 *Pelagus operuit caput meum l.6.e. 35.§.1.col.274.c.*

Micheæ.

1 *In domo pulueris pulvere vos conspergite l..6.e.20.§.1. col.167.b.*

Abacuc.

3 *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors, &c. l.6.e.32.§.4.l.10. e.8.§.1.l.9.e.20.§.1. col. 255. c.d. 965. a.& 1071. d. viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. l.8.e.26.§.3.col.784.b.*

Sophoniæ.

3 *Tunc reddam populis labium electum vt inuocent omnes in nomine Domini, &c. l.7.e.6.§.2.& e.8.§.1.col. 345.b. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit, gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, &c. l.6.e.34.§.4.& l.7.e.5.& 7.col.271.a.*

Zachariæ.

2 *Absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum, &c. & ego ero, ait Dominus, murus ignis in circuitu, &c. l.10.e.16.§.1.col.1134.d.1135.a.1093.d.*
3 *Et ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum, &c. cũ tota visione. l.6.e.36.§.1.col.281.a. ecce lapis quem dedi coram Iesu, &c. ego cælabo sculpturam eius. l.10.e.7.§.2.col. 1065.b. super vnum lapidem septem oculi sunt. l.8.e.21.§.1.col.746.c.*
4 *Quid sunt duæ oliuæ istæ ad dexteram candelabri? l.7. e.17.§.1.col.424.b.c.& col.1090.c.*
6 *Sumes aurum & argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu sacerdotis, &c. l.6.e.38.col.294.a.& corone erunt Helem, & Tobię & Idaę, &c. memoriale in templo Domini.* ibidem.
8 *Apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi. l. 6.e.27. §.4.col.221.d.*
9 *Quid enim bonum eius, & quid pulchrum eius nisi frumentum electorum, &c. l.6.e.27.§.2.col.219.a.*
12 *Et erit qui offenderit ex eis in die illa quasi Dauid, &c. l.7.e.12.§.3.& col.388.d. effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ & precum. l.7.e.8.§.1.col.357.a.*
13 *In illa die erit fons patens domui Dauid, &c. l.7.e.30. §.1.& l.9.e.14.§.1.*
13 *Homo agricola ego sum, quoniam addam exemplum meũ ab adolescentia mea. l. 6.e.3.§.1.col.26.c.& erunt in omni terra dicit Dominus: panes duo in ea dispergentur & deficient, & tertia pars relinquetur mea, l.6.e. 10.§.1.col.91.d.& 92.a.*
14 *Exibunt aquæ viuæ de Ierusalem, medium earum ad mare orientale, &c. l. 7.e.30.§.2.col. 546.a.*

Malachiæ.

1 *Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? l.6.e.8.§.2.col.119.b.*
2 *Numquid non pater vnus omnium nostrum? l. 7.e.25. §.4. col.505.a.*

Matthæi.

1 *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. l.6.e.9.§.1.& e.31.§.1.e.32.§.1.col.81.a.& 245. Iacob genuit Ioseph virum Mariæ de qua natus est Ie-*

ſus qui Vocatur Chriſtus. ibidem. *voluit occulte dimittere eam.l.*10.*e.*1.§.3.*col.*1015.*c.*

2 *Eccè Magi venerunt ab Oriente Ieroſolymam*, cũ tota hiſtoria. *l.*6.*e.*11.*e.*24.§.4. & 5.& *l.*7.*e.*21.*col.*97.

3 *Permundabit aream ſuam*, &c.*l.*8.*e.*29.§.2.*col.*806.

4 *Accedẽs tentator dixit ei,ſi filius Dei es*,& *c.l.*6.*e.*23.§.5.*l.*8.*e.*25.§.3.*col.* 778.*a. non in ſolo pane vivit homo*, &c.ibidem. & *l.*7.*e.*14.§.3.*col.*404.*a. mitte te deorſum.l.*6.*e.*23.§.5.& *l.*7.*e.*21.§.3.*col.*463.*c. d. ambulans iuxta mare Galilææ vidit duos fratres*,&c.*l.*6.*e.* 29.§.1.& *l.*7.*e.*16.§.4.*col.* 233.*d. venite poſt me faciam vos fieri piſcatores*, &c.*l.*7.*e.*21.§.4.*col.*465.*d. at illi relictis retibus ſecuti ſunt eum. l.*7.*e.*4.§.4.

5 *Aſcendit in montem*,& *cum ſediſſet acceſſerunt ad eum diſcipuli eius*, &c. *l.*7.*e.*13. *col.* 393.*c.* & *aperiens os ſuum docebat eos. l.*7.*e.* 6.§.3.*col.*347.*b. beati pauperes ſpiritu, quoniã*: & reliquæ beatitudines.*l.*6.*e.*2.§.5.& *l.*7.*e.*21.§.1.*l.*8.*e.*23.*l.*9.*e.*6.§.1.*col.*24.*b.*465.*b. beati qui lugent quoniam*,&*c.l.*9.*e.*14.§.2.& 3. *beati miſericordes quoniam*,&*c.l.*7.*e.*17.*col.* 431.*b. beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt.l.*7.*e.*5.& *l.*6.*e.*18.§.5.*col.*157.*b.* & 336.*c. beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*, &*c.l.*7.*e.*10.§.2.& *l.*10.*e.*11.*col.*169.*a.*374.*b.*1101.*d. ſi ſal euanuerit in quo ſalietur.l.*7.*e.*4.§.2.*col.*332.*a. vos eſtis lux mundi.l.* 6.*e.*6.§.4.& *l.*7.*e.*14.§.1.*col.*59.*a.*401.*b.c. non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. l.*9.*e.*1.§.2.*l.*7.*e.*14.§.1. *col.* 401.*b.c. neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio,ſed ſuper candelabrum*,&*c.l.*6.*e.*6.§.4.*l.*7.*e.*23.§.4.& *e.*33.§.1.*col.*59.*a. qui fecerit & docuerit hic magnus vocabitur in regno cælorum.l.* 6.*e.*23.§.3.*e.*29.§.3.& *l.*7.*e.*4.§.3.*e.*10.§.3.*e.*14.& *e.* 17.§.3.& *e.*23.*l.*8.*e.*28.§.2.*col.*192.*a.*236.333.*c.*374. *c.*398.*d.*428.*d.*& 800.*c. non potes vnum capillum facere album aut nigrum.l.*7. *e.*5.§.3.*col.*327.*c. ſi offers munus tuum ad altare*,& *ibi recordatus fueris*, *quòd frater tuus habet*, &*c.l.*7.*e.*27.§.2. *eſtote ergo perfecti ſicut & Pater veſter*, &*c.l.*7.*e.*16.§.2.*e.*13.§.1.*col.* 393.*c.*856.*b.*

6 *Cum facis eleemoſynam noli tuba canere ante te ſicut hypocritæ faciunt*, &*c.l.*7.*e.*17.§.2.*col.* 425.*b. te autem faciente eleemoſynam neſciat ſiniſtra tua*,&*c.l.*7.*e.*1.§.2.*col.*308. *c. tu autem cùm oraueris intra in cubiculum tuum*, &*c.l.* 7.*e.*1.§.3.& *l.*6.*e.*5.§.1.& *e.*12.*col.* 43.*c. orantes nolite multum loqui.l.*7.*e.*8.§.2.*col.*358.*a. ſanctificetur nomen tuũ*: &reliquæ petitiones.*l.*7.*e.*30.§.4. *cum ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ*, triſtes, &*c.l.*7.*e.*18.§.1.*col.*78.*a.*& 434.*d. ſi oculus tuus fuerit ſimplex*, *totum corpus tuum lucidum erit. l.*7.*e.*24.§.1.& *l.*9.*e.*15.§.1.*col.* 490.*a.*& 928. *c. quærite ergo primùm regnum Dei*, & *iuſtitiam eius*, & *hæc omnia adijcientur vobis. l.*6.*e.*1.§.3.*col.*9.*c.*& *l.*10.*e.*13.§.2. *col.*111.*c.*

7 *Nolite ſanctum dare canibus*, &*c.l.*7.*e.*30.§.3.*col.* 548.*a.*908.*e. petite & dabitur vobis*,*quærite & invenietis*,&*c.l.*6.*e.*5.§.1.*l.*7.*e.*8.*col.*42.*d.*43.*a.*& 356.*a. b. attendite à falſis prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium*,&*c.l.*7.*e.*29.§.2.*col.*523.524.

8 *Vulpes foueas habent*, & *volucres cæli nidos*, &*c.l.*6. *e.* 8.§.2. *eccè motus magnus factus eſt in mari*, *ita vt nauicula operiretur fluctibus*, *ipſe verò dormiebat.l.*8. *e* 6.*col.*624.*d.*

9 *Quid eſt facilius dicere dimittuntur tibi peccata tua*, *an dicere*,*ſurge & ambula?l.*10.*e.*19.§.1.*col.*1157.*a. ait illi*, *ſequere me*, & *ſurgens ſecutus eſt eum. l.*8.*e.*3.§.3. *diſcite quid eſt*,*miſericordiam volo & non ſacrificium. l.*7.*e.*17.§.1.

10 *Non portabitis in via*, &*c*, *neque calceamenta. l.* 9.*e.* 10.§.3 *col.*898.*a. ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum*, &*c.l.*7.*e.*3.§.1.*col.*330.*d. tu es qui venturus es?cæci vident*,*claudi ambulant*, &*c.l.* 8.*e.* 24. & *e.* 13.§.5. *col.* 693. 694.

11 *Quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? l.* 7. *e.*2.§.3.*col.*693.*d.*& 320. *d. qui minor eſt in regno cælorum maior eſt illo. l.*7.*e.*1.§.3. *regnum cælorum vim patitur*, & *violenti rapiunt illud. l.*6.*e.*25.§.1.& *l.*7. *e.*25.§.2.*col.* 204.*a. venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis*, &*c.l.* 6.*e.*25.*col.* 203.*b. diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde*,& *inuenietis requiem animabus veſtris. l.*6.*e.*16.§.4. & *l.*7.*e.*12.§.4.& *e.* 13.*l.*8.*e.*22.§.2.*col.*139.*c.*390.*d.*

12 *Qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt*, *ipſe meus frater & ſoror & mater eſt. l.*6.*e.*38.§. 1. & 3. *col.*294.*c.*& 495.*d.*

13 *Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis.l.*6.*e.*19 §.3. & 4.& *l.*7.*e.*33.§.1.*col.*163.*c. colligite primùm zizania*,& *alligate in faſciculos*,&*c.l.*8.*e.*5.§.3.& 229.§. 4. *col.* 618. *ſimile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro*, &*c.l.*10.*e.*12. *col.* 1104.*d.* 1106.*c. ſimile eſt regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas.l.*10.*e.*22.*col.*1104.*d.*

14 *Venit ad eos ambulans ſuper aquas.l.*10.*e.*11.§.2.& 3. *col.*1098.*b.*& 1099.*a.*

15 *Ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamauit*, &*c.l.*8.*e.*16.§.1.& 4.*col.*710.*e.*& 715.*col.*161.*b.*

16 *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* &*c.l.* 8. *e.*18.§.3.*col.*728.*d. tu es Petrus*,& *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. l.*7.*e.*3.§.3. & *l.*8.*e.*18.§.3. & *l.*10.*e.*3.*l.*9.*e.*3.§.1.*e.*16.§.3. *col.* 161.*b. portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam.l.*6.*e.*19.§.2.& *l.*10.*e.* 2.& *e.*15.§. 2. *col.* 728. *d. tibi dabo claues regni cælorum*, &*c.l.*6.*e.*30.§.3.*col.*244.*a. qui vult venire poſt me*, *abneget ſemetipſum*, *tollat crucem ſuam*, & *ſequatur me.l.*6.*e.*16.§.2.*e.*25.§.2.*e.*32.§.4.*l.*7.*e.*12.§.2.*e.* 18.§.1.& 3. & *l.*8.*e.*2.§.*a.c.*23.§.1.*e.*9.§.1.& *l.*9.*e.* 6.§.1.& *l.*10.*e.*8.§.3.& *e.*9.§.2. *col.*434.

17 *Et transfiguratus eſt ante eos*, &*c.l.*6.*e.*24.§.3.& *e.* 38.§.3.& *l.*8.*e.*19.§.3.*col.*734.*d. hoc genus non ejcitur niſi in oratione & ieiunio.l.*6.*e.*17.§.2.*col.*142.*d. ſi duo ex vobis conſenſerint de omni re quamcumque petierint fiet illis à Patre meo.*

18 *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo*, *ibi ſum in medio eorum. l.*9.*e.*2 §.2.*col.*833.*b.*

19 *Sunt eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum*,&*c.l.*9.*e.*12.§.2.*col.*908.*b. ſi vis perfectus eſſe*,*vade & vende omnia quæ habes*, & *da pauperibus*, &*c.l.*7.*e.*4.§.3.*e.*22.§.3.& *e.*17.§.2.*l.*9.*e.*17.§.3.*col.* 344.*c.*427.*a.*394.*c. ecce nos reliquimus omnia*,& *ſecuti ſumus te*,&*c.l.*10.*e.*12.§.3.& *omnis qui reliquerit domum*,&*c.centuplum accipiet*,& *vitam æternam poſſidebit.l.*6.*e.*33.§.2.& *l.*9.*e.*19.§.1.*col.*958.*d.*

20 *Exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam.l.*6.*e.*3.§.1.*e.*15.§.4.& *l.*9.*e.*8.§.2. *col.* 881.*a.b. quid hic ſtatis tota die otioſi?* ibidem. *cum ſero factum eſt*, *ait dominus vineæ procuratori*, *voca operarios & redde illis mercedem ſuam. l.* 6.*e.*15.§.4.& *l.* 7.*e.*24. *col.*131.*d. murmurabant aduerſus patrem familias*, &*c. l.*9.*e.*4.§.7.*col.* 845.*c. multi ſunt vocati*, *pauci verò electi.l.*9.*e.*5.§.2.&*e.*3.§.2.*col.*856.*a. ecce aſcendimus Ieroſolymam*, & *Filius hominis tradetur principibus*, &*c.l.*7.*e.*20.§.1.*col.*442.*d.*

21 *Dicite filiæ Sion*,*ecce rex tuus venit*,&*c.l.*6.*e.*34.§.4. *col.*270.*b. domus meæ domus orationis vocabitur*,&*c. l.*10.*e.* 19.§. 2. *col.* 1158. *d. videns ſici arborem vnam ſecus viam*, *venit ad eam*: & *nihil inuenit in ea niſi folia tantum*, & *ait illi*, *numquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum.l.*8.*e.*3.§.3.*col.*602.*a.b. homo erat paterfamiliæs qui plantauit vineam*, & *ſepem circũdedit ei*,

dit ei &*c l.*10.*e.*18.*col.*1146.*d.* & 1149. *d. auferetur à vobis regnum Dei*, & *dabitur genti facienti fructus eius.l.*6.*e.*14.§.1. *col.*117.*a.*

22 *Simile eſt regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias filio ſuo.l.*6.*e.*37.§.3.*ite ad exitus viarũ*, & *quoſcumque inueneritis vocate ad nuptias.l.*6.*e.*14.§.1.& 4.*l.*8.*e.*4.§.2.*col.*117.*d. quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? l.* 4.*e.* 10.§.1.*c.col.*611.*c. diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* &*c. hoc eſt maximum & primum mandatum*;*ſecundum huic ſimile*,*diliges proximum ſicut teipſum*,&*c.l.*6. *e.* 4.& *e.* 17.§.4.*l.*7.*e.*16.§.1.*e.*17.§.1.& 4.& *l.*10.*e.*6.§.2.*e.*13. §.1.*col.*34.*b. in his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & Prophetæ l.*7.*e.*4.§.2.*col.*232.*d.*

23 *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ*,&*c.l.*7.*e.*1.§. 1.*col.*308.*b.*24.*vigilate*,&*c.l.*6.*e.* 6.§.2.& 3.& *l.*8.*e.* 6.§.3.*e.*7.§.5.*col.*630.*a.*638.*d.*639.*a.*

25 *Simile eſt regnum cælorum decem virginibus*, &*c prudentes acceperunt oleum in vaſis ſuis l.*7.*e.*11.§.3.*e.*29. §. 4.*e.* 31. & *l.*10.*e.*11.§.4. *media nocte clamor factus eſt*,*ecce ſponſus venit*, *exite obuiam ei*,*l.*10.*e.*21.§.3.*col.* 1176. *c. quæ paratæ erant intrauerũt cum eo ad nuptias l.*6.*e.*37.§.4.*Domine Domine aperi nobis*, &*c.l.* 6. *e.* 20.§.3.*vigilate quia neſcitis diem neque horam l.*8.*e.*6. §.3.*col.*630.*a. vni dedit quinque talenta l.*6.*e.*25.§.5. *ſeparabit eos ab inuicem ſicut paſtor ſegregat oues ab hædis*,&*c.l.*7.*e.*24.§.1.& *l.*10.*e.*14.§.3.*col.* 1122.*c. venite benedicti Patris mei*,&*c.l.*10. *e.* 21.§.3. *col.* 1177. *quamdiu feciſtis vni ex fratribus meis minimis*, *mihi feciſtis l.*8.*e.*2.§.3.*col.*591.*c.*

27 *Clamydem coccineam circundederunt ei l.* 8.*e.*19.§.3. *col.* 734. & *plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius l.*6.*e.*35.§.1.*col.*274. *c. dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum*, &*c l.*7. *e.* 18.*col.*435.*b.*

28 *Vndecim diſcipuli abierunt in Galilæam in montem*, &*c l.*6.*e.*36.§.3.*col.*283.*d.*

Marci.

1 *Eamus in proximos vicos & ciuitates vt ibi prædicem*, *ad hoc enim veni l.*9.*e.*24.§.2.*col.*995.*c.*

4 *Sic eſt regnum Dei quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram*,& *dormiat*,& *exurgat nocte & die*,&*c l.*8.*e.*6.§.1.& *l.*9.*e.*5.§.1.*e.*24.§.3.*col.*997.*a.*

5 *Et dixit dari illi manducare l.*7.*e.*7.§.3.*col.*354.

6 *Erat nauis in medio mari l.*8.*e.*14.§.3.

7 *Ait illi ephpheta*,*quod eſt adaperire l.* 8.*e.* 81. *bene omnia fecit l.*8.*e.*24.§.2.*col.*767.*e.*

8 *Video homines ſicut arbores*,&*c l.*6.*e.*37.*col.* 288.*a.*

9 *Hoc genus non ejcitur niſi in oratione & ieiunio l.* 6.*e.* 17.§.2. *centies tantum nunc in tempore hoc*, &*c*,*cum perſecutionibus l.*6.*e.*33.§.2.*l.*9.*e.*19.§.1.*col.*958.*d.*

15 *Dabant ei bibere myrrhatum vinum & non accepit l.* 7.*e.*18.§.1.

Lucæ.

1 *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo*,&*c l.*6.*e.*9.§.3.& *l.* 7.*e.*9.§.3.*e.*15.*e.*18.*e.*22.§.3.*e.* 24.§. 4.*l.*10.*e.*1.§.3.*e.* 17.*col.*85.*a.*370.*b.c.*407.*d.*476.*c.*495.*a.*1014.*c.d.*& 1140. *Aue gratia plena*,*Dominus tecũ*:*benedicta tu in mulieribus.*ibidẽ.*l.*8.*e.*13.& *l.*9.*e.*1.§.1. *e.*5.§. 4. *col.* 689. 660.860.*d. ecce concipies in vtero & paries filiũ*, &*c l.*10.*e.*1.§.3.*col.*1014. *quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?l.*7.*e.*9.§.3.*e.*21.§.1. & *e.*29. §.5.& *l.*9.*e.*12.§.3.& *e.*13.§.3.*col.*370.538. *c.*910. *d.* & 918.*c. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*, & *virtus Altiſſimi obũbrabit tibi l.*6.*e.*31.§.1.*e.*34.§.3. & *l.*8. *e.*3.§.1.*e.*8.§.2.*col.*246.*c.* 596.*d. Ecce ancilla Domini*, *fiat mihi ſecundum verbum tuum l.*8.*e.*3.§.1.& *e.*13.§. 4.& *l.*9.*e.*13.§.3.*l.* 7.*e.*15.§.2.& *e.*22.§.3.*col.*692. 918.*c.d.*& *diſceſſit ab ea. Angelus l.*6.*e.*9.§.3.*col.* 84. *d. Exurgens autem Maria abijt in montana cum feſtinatione in domum Zachariæ*,&*c l.*6.*e.*9.§.6.*e.*30.§.1. & *l.*7.*e.*9.§.3.*e.*18.§.4.*col.*88.*d. quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, *ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes l.*9.*e.*4.§.3. *quia fecit mihi magna qui potens eſt*, & *ſanctum nomen eius l.*7.*e.*21.§.3.& 4.*col.*454.*b.c.*

2 *Peperit filium ſuum primogenitum*;& *pannis eum inuoluit*, &*c l.*6.*e.*9.§.5.*col.*87.*d.*& *reclinauit eum in præſepio l.*6.*e.*26.§.4.*col.*112.*c. ecce euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo*,*quia natus eſt vobis Saluator*,&*c: hoc vobis ſignum*,&*c l.*6.*e.*34.§.3. & 4.*col.*269. *d. ecce homo erat in Ieruſalem cui nomen Simeon*, &*c l.*6.*e.*10.§.3.*col.*95. *c. d. ecce poſitus eſt hic in ruinam*, & *in reſurrectionem multorum in Iſrael l.* 6.*e.* 10. *col.*90. *d. remanſit puer Ieſus in Ieruſalem & non cognouerũt parentes eius*,&*c l.*6.*e.*12.*col.*104.*a.b.*

3 *Vox clamantis in deſerto l.*8.*e.*13.§.5.*col.*693. *c. vt putabatur filius Ioſeph*,*qui fuit Heli*, &*c l.* 6.*e.* 31.§.1.*col.* 246.*a.*

4 *Alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei quia ideo miſſus ſum l.*9.*e.*24.§.2.

6 *Exijt in montem ſolus orare*, & *erat pernoctans in oratione Dei l.*6.*e.*5.§.3. & *l.*9.*e.*23.*col.*986.*c.d. væ vobis diuitibus qui habetis hic conſolationem veſtram l.* 6.*e.*2.§.2. *col.* 20.*b. eſtote miſericordes*,*ſicut & pater veſter miſericors eſt l.*7.*e.*17.§.4.*col.*430.*c.d. dimittite & dimittemini: date & dabitur vobis l.*7.*e.* 17. §.3. *col.*429. *a. menſuram bonam & confertam & coagitatam*,& *ſuperefluentem dabunt in ſinum veſtrum l.*6.*e.* 25.§.3.*col.*207.*d.*

7 *Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix vt cognouit quod accubuiſſet Ieſus*,&*c l.*6.*e.*13.& *e.*17.§.3.*col.*110. *c.*& 145.*c.*& *l.*7.*e.*11.§.4.& *l.*8.*e.*9.§.4.*col.*383.*c.*

8 *Quod autẽ in ſpinis cecidit hi ſunt*,&*c l.*6.*e.*35.§. 1.& *l.* 8.*e.*12.§.1.*col.*275.*d.*& 681.*e.* & *inſuſi illi dari manducare l.*7.*e.*7.§.3.*col.*354.*c.*

9 *Erant autem Moyſes & Elias viſi in maieſtate l.*6.*e.*38. §.3.*col.*299.302.*a.*

10 *Meſsis quidem multa*,*operarii autem pauci.* & *l.* 8.*e.*3. §.4.*col.*604.*a. ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos l.*7.*e.*13.§.1.*nolite portare ſacculum*, &*c l.* 7.*e.* 4.§.1. *col.*332.*b. neminem per viam ſalutaueritis l.*6.*e.* 6.§.5: *videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem: ecce dedi poteſtatem*, &*c l.*7.*e.*2.§. 5. *diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo*,&*c l.*6.*e.*4.& *e.*17.§.4.*l.*7.*e.*16.§ 1.*l.*10.*e.*6.§.2.*e.*13.§.1.*col.*413.*b.c.*426.6.*alligauit vulnera eius infundens vinum & oleum l.*7.*e.*7. §. 2. *Maria ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius l.* 6.*e.*18.& *l.*8.*e.* 7.*col.* 150. *c. Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium l.*6.*e.*3.§.3.& *l.*7.*e.* 24.§.2. *col.*491.*c. Maria optimam partem elegit l.*6.*e.*13.§.3. *l.* 7.*e.*24.*l.*8.*e.*2.§.4.& 5.*col.*115.*b.col.*487.*b.* 590. *d.* & 594. *d.*

11 *Quis veſtrum habebit amicum*, & *ibit ad illum media nocte*,& *c l.*6.*e.*5.*l.*7.*e.*8.*col.*45.*a.*& *iam oſtium clauſum eſt*,& *pueri mei mecum ſunt in cubili l.*6.*e.*24.§.2. *col.*199.*b.c.* & *ego dico vobis*,*petite & accipietis. Quærite & inuenietis l.* 6.*e.*5.§.1.& *l.*7.*e.*8.§.1.*col.*42.*d.* 43.*a. erat Ieſus ejciens dæmonium*; & *illud erat mutum l.*7.*e.*8.§.1.*col.* 357.*b. beatus venter qui te portauit*,& *vbera quæ ſuxiſti l.*7.*e.*18.§.4.& *l.*9.*e.*4.§. 3.*e.* 13.§.2.*col.*871.*b.* & 914.*d.e. ſi oculus tuus fuerit ſimplex*,*totum corpus tuum lucidum erit l.*7.*e.*24.§. 1.& *l.*9.*e.*15.§.1.& *l.*8.*e.*21.§.4.*col.*928.*c.*

12 *Anima mea habes multa bona poſita in annos plurimos*; &*c l.*6.*e.* 33. §.2.*nolite timere puſillus grex*,*quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum l.*10.*e.*11.3. §.1. *col.capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt l.*7.*e.*3.§. 3.*col.*326.*c. ſint lumbi veſtri præcincti l.*9.*e.*13.§.1.&

l.7.c.18.§.1.c.12.§.4.col.434.c.660. vt cum venerit & pulsauerit ianuam confestim aperiant ei. l.8.c.9.§.6. col. 660.a. præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis l.8.c.5.§.4.col.622. & si venerit in secunda vigilia, & c l.9.c.8.§.2.col. 881.

14 Omnis qui se humiliat exaltabitur l.7.c.12.§.1.col.386. cum facis prandium noli vocare amicos, &c, sed voca pauperes, &c l.7.c.17.§.2.col. 425.d. homo quidam fecit cænam magnam & vocauit multos l.6.c.37.§.2. & l.7.c.21.§.3.col.464.b. & cæperunt omnes simul excusare: primus dixit, & c l.6.c.3.§.1.c.37.§.2. & l.8.c.12. §.2. col. 290.b. exi cito in vicos & plateas ciuitatis, &c l.6.c.14.§.2. & l.3.c.4.§.2.col.611.b. & 995.d. 996.a. quis ex vobis volens turrim ædificare, & c l.7.c.13. col. 395.a. aut quis vir iturus committere bellum, & c ibidem. & l.9.c.2.§.1.col. 829.a. sic ergo omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus l.6.c.16.§.2. & l.7.c.1.§.1. & l.8. c.12.§.1.c.23.§.1.col.134.d. & 679.d.

15 Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis l.7.c. 2.§.1. vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & c l.9.c.8.§.1.col.880.c.

16 Recordare fili quòd recepisti bona in vita tua l.7.c.14. §.1.

18 Non sum sicut cæteri hominum, & c l.7.c.12.§.2. & 3. col.388.a. & 389.a. ecce ascendimus Ierosolymam, & c l. 7.c.20.§.1.

19 Ecce mna tua quam habui repositam in sudario, & c l.8. c.11.§.2.col.672.d. videns ciuitatem fleuit super illam l.9.c.14.§.3. & l. 6.c.35. quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi l.10.c.16.§.4. col. 1138.a.

21 Capillus de capite vestro non peribit l.7.c.3.§.3.col.326. in patientia vestra possidebitis animas vestras l. 6.c. 29.§.4.col.237.d. attendite ne grauetur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & c l.6.c.17.§. 2.col.143.c.

22 Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar l.3.c.4.§.2. & l.10.c.3.§.1.col.11.a. & 1031.d. hoc facite in meam commemorationem l.8.c.4. ego dispono vobis sicut disposuit pater meus mihi regnum vt edatis, & c l.8.c.4.§.1. & c.5.§.2. & 4.col. 612.c. ecce duo gladij hic l.6.c.23.§.4. & c.25.§.1.col. 194.a.

23 Et illusit indutum veste alba l.8.c.19.§.3.col.734.b.

24 Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? l.9.c.20.§.2. & l.8.c.5.col.448.a.b. 237.c.966.c. nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dū loqueretur nobis in via? l.8.c.15.§.3.col.707.d. obtulerunt ei partem piscis assi & fauum mellis l.8.c.5.§.5. col.622.c.d. sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto.

Ioannis.

1 Dedit eis potestatem filios Dei fieri l.9.c.20.§.2.col. 967. a. plenum gratiæ & veritatis l.6.c.31.§.2.col.251.c. non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti l. 9. c.10.§.2.col. 895.a. ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini l.8.c.13.§.5.col.693.c. tu vocaberis Cephas l.7.c.3.§.3.

2 Vinum non habent l.7.c.8.§.2. & c.9.§.3.c. 18. §.4.col. 358.c. seruasti bonum vinum vsque adhuc l.9.c. 21. §.3. col.977.c. zelus domus tuæ comedit me l.10.c.9.§.2.& c.8.§.2.col.1074.d. & 1082.b.

3 Sic Deus dilexit mundum vt filium sicut vnigenitum daret l.10.c.12.col.253.c. & 1103.d.

4 Aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam l.7.c.30.§.1.col.542. & 547.d. ego aliū cibum habeo manducare quem vos nescitis: cibus meus est, & c l.3.c.13.§.2. & c.3.§.1. l.9.c.12.§.2.col. 581.b. & 909.a. 598.d. videte regiones quia albæ sunt iam ad messem l.8.c.3.§.4.col.604.a.

5 Qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ sanus fiebat l.7.c.30.§.2.col. 547.b. venit hora & nunc est quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent l.8.c.8.§.1.c.23.§.2. & l.10.c.19.§.1.col. 1157.b. venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei, & procedent, & c l.10.c.21.§.4. l.6.c.36.§.4.col.1177.

6 Quæritis me non quia vidistis signa sed quia manducastis, & c operamini non cibum qui perit l.6.c.1.§.3.col. 10.a. hunc pater signauit Deus l.10.c.7.§.3.col. 1068.d. caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. l.8.c.4.§.1.col.608.a.b. qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in illo l.6. c.27.§.2.l.8.c.4.§.1.col. 610.b. qui manducat hunc panem viuet in æternum l.6.c.32.§.2.col.1035.

7 Quæretis me & nō inuenietis, & vbi ego sū vos non potestis venire l.6.c.10.§.1.col. 92.d. flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ l.7.c.30.§.1. & 4.col.542.b. quis ex vobis arguet me de peccato? l.9.c.24.§.2.col.734.c. & 767.b.

8 Abraham exultauit vt videret diem meum, & c l.6.c.35. §.3.col.279.d.

9 Vade ad natatoria Siloë & lauabo l.9.c.14.§.1.l.8.c.24.§ 2.

10 Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis l.6.c.23. §.2.col.190.a.

10 Ingredietur & egredietur & pascua inueniet l.6.c.34. §.1. & l.10.c.3.§.4. ego veni vt vitam habeant & abundantius habeant l.6.c.15.col.128.d. & col.603.d. fiet vnum ouile & vnus pastor l.9.c.31.§.1.c.

11 Ecce quem amas infirmatur l.7.c.8.§.2.col. 358. turbauit semetipsum l.9.c.7.§.4.col.877.c. Lazare veni foras l.8.c.8.§.1. & l.10.c.19.§.1.col.1157.b.

12 Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet l.6.c.19.§.3. & l.9.c.20.§.1.l. 8.c.12.§.1.col.162.a.681.d. & 964.b. nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mūdi, & c: & ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum l.9.c.20. §.1. & c.6.§.2.col.865.c.d.

13 In finem dilexit eos l.6.c.4.§.2. misit aquam in peluim & cæpit lauare, & c l.8.c.24.§.2.col.768.d exemplum dedi vobis, & c l.7.c.12.§.4.c.16.§.2.col.390.c. mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem & c l.7.c. 17.§.1.col.423.d. in hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis si dilectionem habueritis ad inuicem l.7.c. 17.§.1. & c.25.§.1.l.10.c.6.§.3.col.498. & 1060.c.

14 In domo Patris mei mansiones multæ sunt l.8.c.5.col. 615.c. vado parare vobis locum l.8 c.5.col.615.c. qui credit in me, opera quæ ego facio ipse faciet, & maiora horum faciet l.7.c.31.§.4.col.560.b.

15 Si quis in me non manserit mittetur foras sicut palmes, & arescet l.7.c.2.§.4.col.122.c. hoc est præceptū meum vt diligatis inuicem sicut dilexi vos l.7.c.27.§.1. & c. 25.§.1. & l.10.c.6. maiorem hac dilectionem nemo habet vt animam suam ponat quis pro amicis suis l.7.c.10 §.2. c.18.§.2.col.242.d. & l.10.c.3 §.5.

17 Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum l.8.c.18.§.2.col. 545. & 726.b. ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis, vt sint vnum sicut & nos vnum sumus l.7.c.25.§.1. col. 498.b.

18 Egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus l.9.c.6.§.2. & l.10.c.11.§.4.col. 866.c. & 1100.d.

19 Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius l.6.c.35.§.1.col.274.c. & vestē purpuream circūdederunt eum l.8.c.19.§.3. & l.6.c.32.§.2.col. 232.d.

& 734.

& 734.b. ecce adduco vobis eū foras, & c & dicit eis, ecce homo l.6.c.35.§.2.col.277.d. stabat iuxta crucem Iesu Maria mater eius l.9.c.20.§.5.col.971.d. & l.10.c. 5.§.4.col.1054.c. consummatum est l.7.c.19.§.2.col. 445.d.

20 Maria stabat ad monumentum foris plorans, & c l.6.c. 13.§.2.col.113.d. & 114.a. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis, & c l.7.c.7.§.3.col.243.d.col.353. d. infer digitum tuum huc, & c l.8.c.18.§.5.

21 Simon Ioannis diligis me plus his? l.7.c.26.§.1. & 2.col. 506.d. & 508.c.

Actuum Apostolorum.

1 Videntibus illis eleuatus est l.6.c.36.§.4.col.284.b. viri Galilæi quid hic statis aspicientes in cælum, & c l.6.c. 36.§.5.col.285.d. erant omnes perseuerantes vnanimiter in oratione l.7.c.31.§.1.col. 552.d.

2 Dum complerentur dies Pentecostes, & c l.6.c.19.§.1. & l.10.c.13.§.3. & c.15.§.1.l.7.c.31.§.1. & 3.col.158.b. 1115.b. & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, sedit que super singulos eorum l.6.c.38.§.3. & l.7. c.6.§.2.c.14.§.3. & l.10.c.11.§.2. col. 344.d. repleti sunt omnes Spiritu sancto & cæperunt loqui variis linguis prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis l.7.c.6. §.1. & 2.col.345.a.b. effūdam spiritum meum super omnem carnem l.6.c.38.§.3.

8 Facta est in illa die persecutio magna in Ecclesia quæ erat Ierosolymis, & omnes discipuli dispersi sunt, & c l.6.c. 19.§.3.col.161.c.

9 Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, & c l.8.c.3.§.5. & l.9.c.15.§.3.col.932.b. Saule Saule quid me persequeris? l.8.c.6.§.3.c.11.§.3. surge ingredere in ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere l.6.c.6.§.3.l.8.c.28.§.3. col. 56.c. vas electionis est mihi iste vt portet nomen meum coram gentibus l.6.c.29.& §.4.

10 Mitte viros in Ioppem & accersi Simonem quendam qui cognominatur Petrus l.6.c.6.§.3.col.56.b. in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli, & c l.6.c.38 §.3. & l.7.c.21.§.4. & 2.col. 466.b. occide & manduca l.7.c.21.§.4. & l.8.c.3.§.3. & 4.col.466.b.

13 Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & c. ecce conuertimur ad gentes l.6.c. 14.§.1.col.116.d.

17 Fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ, & quærere Deum si forte attrectent eum aut inueniant, & c l.6.c.1.§.2.col.5.d.

Epistolæ ad Romanos.

5 Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis l.7.c.6.§.1.col.342.

7 Mortificati estis legi per corpus Christi vt sitis alterius l. 8.c.1.§.3.col.584.c. Spiritus sanctus postulat pro nobis, & c l.7.c.8.§.1.col.356.d.

8 Quis nos separabit à charitate Christi, & c l.10.c.9.§.1. & c.11.§.1.col.1080.d. & 1097.b.

9 Tristitia mihi magna est & continuus dolor: optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis, & c l.10.c.9. §.2.col.1082.b.

10 Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona l.9.c.10.§.3.col. 897.c. inuentus sum à non quærentibus me, & c l.6.c.1.§.2.

12 Obsecro vos, & c vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem sanctam, & c l.10.c.9.§.1.col.1081.a.

1. Ad Corinthios.

2 Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis l.7.c.6.§.3.col.346.c.

4 Spectaculum facti sumus mundo, & c l.10.c.19.§.5. quid vultis? in virga veniam ad vos? & c l.7.c.7.§.1. col. 351.c.

10 Omnia vestra in charitate fiant l.10.c.12.§.3.col. 1110.b.

13 Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas & c l.10.c.12.§.1.col.1101.1102.

2. Ad Corinthios.

1 Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ l.9. c.17.§.1.col.943.

2 Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei l.9. c.21.§.3.col.979.c.

3 Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur, & c l. 7.c.1. §.4.col.313.c.

6 Per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, & c l.7.c.33.§. 2.col.572.c.d.

7 Iustitia quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur l. 6.c.16.§.3. & c.7.§.5.l.7. c.11.§. 4.col.383.b.

9 Qui parce seminat parce & metet, & c l.7.c.17.§.2. col. 427.a.

12 Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus, & c l.6.c.20.§.3.l.7.c.13.§.1.

Ad Galatas.

2 Viuo autem, iam non ego, viuit vero in me Christus l. 10.c.8.§.3. & l.8.c.30.§.2. col. 814.c.

5 Fructus autem spiritus sunt, charitas, & c l.7.c.28.§.2. col. 524.d.

6 Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo l.6. c.31.§.5. stigmata Iesu in corpore meo porto l.10.c.6.§. 1.c.7.§.2.col.165.c.

Ad Ephesios.

3 Christum habitare per fidem in cordibus vestris in charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere, & c l.6.c.3.col.39.c.

4 Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis l.7. c.27.§.1. ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem: dedit, & c l.6.c.36.§.4.l.7.c.19.§.3.& l.8.c.5.§.1. col.284.c. & 616.d.

5 Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis l. 6.c. 19.§.1.col.159.b. nolite inebriari vino in quo est luxuria: sed implemini Spiritu sancto l.8.c.2.§.4.col.595.a. Loquens vobis metipsis in psalmis, & c 10.c.20.col. 793.b.c. & 1164.d. vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, & c l.7.c.20.§.1. & 2.col. 450.c.

Ad Philippenses.

2 Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, & c l.6.c.36.§.1.col.282.a.

3 Non quòd iam acceperim, aut perfectus sim, sequor autem si quo modo comprehendam, & c l.6.c.4.§.2.col. 38.a.

1. Ad Thessalonicenses.

5 Vt integer spiritus vester & anima & corpus sine querela, & c l.7.c.21.§.2.

1. Ad Timotheum.

2 Volo viros orare omni loco l.6.c.5.§.1.col.43.d.

Ad Hebræos.

1 Et cum iterum introducit primogenitum, & c adorent eum omnes Angeli Dei l.6.c.36.§.2. col. 283.

2 Eum qui modico quam Angelus minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum l.6.c.35.§.3. & c.36.col.280.

4 Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti l.6.c.24.§.3.

9 Vt appareat vultui Dei pro nobis l.7.c.28.c.3.

10 Ingrediens mundum dicit; hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi l.7.c.19.§.1.col.442.& & l.8.c.3.§.2.l.9.c.20.§.1.

Index locorum sacræ Scripturæ.

12 *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta l.6. c. 35.§.3.col.279. contemplantes ne quid desit gratiæ Dei l.8.c.8.§.1. col. 640.b.c.*

Primæ Petri.

1 *In quem desiderant Angeli prospicere l.6. c.7.§.1.col.61. d.*

2 *Quasi modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite l.8.c.4.§.1.*

2 *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, &c, vt virtutes annuncietis eius l.8.c.9.§.3.col.655.a.*

4 *Admirantes non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confusiones l.6.c.16.§.1.col.133.c.*

5 *Cubilia leonum l.7.c.21.§.3.col.463.d.*

1. Ioannis.

2 *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ l.6. c.2. §.1. col.17.c. & l.7.c.21.§.3.col.465.*

3 *Nunc filij Dei sumus, nondum apparuit quid erimus, scimus quoniam cum apparuerit l. 7.c.1. §. 1. col.309.b. omnis qui natus est ex Deo non peccat, &c l.10.c.9.§.4. col.1087.d. non diligamus verbo neque lingua, sed opere, & veritate l.7.c.5.§.2.*

4 *Qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo l.6. c.21.§.5. & l. 7. c. 25.§.2.col. tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbū, & c: & tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua & sanguis l.7.c. 3. §.2.col.326.a. & l.9.c.10.§.3.*

Apocalypsis.

1 *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt l. 6. c.36.§.4.col.286.b. caput eius & capilli erant candidi tanquam lana alba & tanquam nix l.8.c.20.§.3.& 4. col.471. & 745.b. oculi eius tanquam flamma ignis l. 8.c.21.§. 2. col. 747. pedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti l.8.c.26.§.1. & 2.col.779.d. & 780. d. habebat in dextera sua stellas septem &c. l. 10. c. 16.§.4.col.1139.a. & l.8.c.24. §. 3.col. 770.b. de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.*

2 *Habeo aduersum te quòd charitatem primam reliquisti l.8.c.9. §. 2. col. 653. c. mouebo candelabrum tuum de loco suo nisi pœnitentiam egeris l.6.c.28.§.1.col. 225.b.*

3 *Qui habet clauem Dauid, aperit & nemo claudit, &c l.7.c.6.§.1. & c.7.§.1. ecce dedi coram te ostium apertum quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutē, & non seruasti verbū patientiæ meæ l.8.c.9.§. 4.col.657.b. tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam l.6.c.4.§.3. qui vicerit faciam eum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius, & scribam, &c l.6.c.29.§.2.col.235.a.286.a. & l.8.c.26. §.3.col.782.c. ego sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi l.8.c.8.§.1.c.14.§.3. col.640. & col. 699. a. cœnabo cum illo & ille mecum l.8.c.1.§.4.col.585.a.*

5 *Habentem oculos septem qui sunt septem spiritus Dei l.8. c.21.§.1.col.746.d.*

7 *Habentem signum Dei viui l.10.c.6. & c.7.col.1058. & col.1064.b. & palmæ in manibus eorum l.6. c. 20.§.1. & 2.col.167.d. hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, &c. ibidem.*

8 *Factum est silentium in cælo quasi dimidia hora l.7.c.1.§. 4.col.312. accepit Angelus thuribulum & impleuit illud de igne altaris, & misit in terram l.6.c.33. §. 2.col. 258. d.*

10 *Vidi alium Angelum fortem descendentem de cælo amictum nube, & iris in capite eius l. 6.c. 33. §. 1. & c. 38. pedes eius tanquam columnæ ignis, &c & posuit pedem suum dexterum super mare, & c l.8.c.26. §. 1. & l. 6.c.14.§. 3.col. 121.c. & col. 780.a. accepi librum de manu Angeli, & deuorani illum, & c l.7.c.4.§.4.*

12 *Mulier amicta sole, & luna, & c l. 9. c. 5.§.3. col.858.a. & cruciabatur vt pareret l.10.c.2.§.5.l.9.c.23.§.3.col. 990.a. peperit filium masculum l.10.c.2.§.4. & c.9. §. 2.col.1024.b. & datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ vt volaret in desertum in locum suum, & c l.10. c. 11.§.3.c.21. misit ex ore suo aquam tanquam flumen post mulierem l.10.c.11.§.3.col.1099.a.*

13 *Et faciet omnes, &c habere charactērem in dextera manu sua, aut in frontibus suis, & c l.10.c.5.§.3. col. 1053. c.d.*

14 *Vidi & ecce agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor milia, & c l.7.c. 11.§.1. col.378. beati mortui qui in Domino moriuntur: amodo iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis, & c l. 6.c.24.§.2. & c.20.§.1. & l.10.c.8.§.5.col.199.d. & col.1078.c. mitte falcem & mete, quia venit hora vt metatur l.8.c.3.§.4.col.604.b.*

19 *Gaudeamus, &c quia venerunt nuptiæ agni, & vxor illius præparauit se, & c l.6.c.36.§.3.c.37.§.3.l. 7. c.22. §.1.col.285.b. & col.472.a. & l.6.c.36.§.3. & 285.a. datum est illi vt cooperiat se byssino, &c. ibidem. in capite eius diademata multa, habens nomen quod nemo nouit nisi ipse, & c l.6.c.33. & c.38.col.294.d. & col. 266.b.*

21 *Vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam, & c l. 9 c.1. §.3.col.824.b. habebat murum altum & magnum, habentem portas duodecim, & c, & nomina inscripta quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel l. 10. c. 15.§.1.col.1127.a. struentur muri eius ex lapide iaspide l.10.c.16.§.1. col. 134.a. & platea ciuitatis aurum mundum tanquam vitrum pellucidum l.6.c.5.§.3.col. 49.d.*

22 *Ostendit mihi fluuium aquæ viuæ splendidum tanquam crystallum procedentem de sede Dei & agni l.7. c.30.§.2. & l.8.c.5.§.1.col.544.d. & 616.b. qui iustus est iustificetur adhuc, & c l.6.c.14. & l.7.c.21.§.1.col. 460.c.*

INDEX RERVM ET VERBORVM QVAE IN HOC POSTERIORI Tomo continentur.

v. significat verbum, n. nomen.

A

Abnegatio sui. Vide verbum Mortificatio.

Amor Dei erga nos, & nostri erga Deum & proximos. Vide v. Charitas.

Angeli.

Sunt Ecclesiæ vigiles & custodes, & quam egregie suum munus gerant, l.6.c.6.§.1.col.52.c. qua solertia nos in omnibus vijs custodiant. §.2. numerus eorum qui custodiendi munus habent designatur per sexaginta fortes ambientes lectulum Salomonis. c.22.§.2.col.181.c. eorum inuicta fortitudo. §.3. col. 182.d. discrimen inter bonos & malos angelos circa timores nocturnos. §.4.col. 184.c. idem discrimen circa bonum & malum, & spiritum per Austrum & Aquilonem designatum. l. 7.c.32.§.3. col. 566. c. d. pugna bonorum angelorum inter se circa custodiam prouinciæ sibi cōmissæ. l.6.c.22.§.5.col.186.a. Angeli sunt à nobis orandi, & Deo nostras offerunt orationes. l.8.c.17.§.2. col. 719. a. stimulant nos ad laudandum Deum. §. 4. col.722.b.

Apostoli.

Sunt duodecim putei aquarum viuentium quę fluxerunt è cælo in die Pentecostes. l.7.c.31.§.3.col. 156.b. sunt duodecim fontes aquarum in Elim iuxta septuaginta palmas. *ibidem.* & l.9.c.18.§.3. col.154.c. sunt Ecclesiæ muri cum propugnaculis, & ostia cum tabulis cedrinis. l. 10. c. 15. col. 1124.a.b. Denique cum ipsi potissimi sint Pastores & Doctores, maiorì cū proprietate & excellentia sunt Ecclesiæ vbera, dentes, labia, genæ, &c. quæ sigillatim vide v. Doctores & Prælati.

Aqua viua gratiæ.

Alia est increata nempe Deus, alia creata scilicet gratia, seu charitas inhærens, & sapientia. l.7.c. 30.§.1. col. 542.a. sacra scriptura est etiam fons aquæ viuæ sapientiæ, & sacramenta aquæ viuæ gratiæ. *ibidem.* triplex effectus stupendus aquæ viuæ ad extinguendam sitim, ad lauandam animam & irrigandam, & quomodo efficiat illos. §.2.col.544. mira eius efficacia & fœcunditas ad irrigandum. §.3.col.547.d. quomodo sunt à nobis desiderandæ & petendæ. §.4.col.547.d. cætera vide v. Doctores, qui eas distribuunt.

B

Baptismus.

Baptismus est piscina in Esebon, in qua lauātur sordes etiam paruulorū; & natatoria Siloë vbi cæcis restituitur visus. l. 9.c.14.§.1.col. 921. a. est lauacrum vnde ascendunt oues Christi tonsæ & mundę, omnes gemellis fœtibus. l.7.c.4.§.2.col. 330.c. inde ascendit anima tamquam dealbata innixa super dilectum suum. l. 6.c.17.§.5.col. 148.a. est quasi probatica piscina, in qua aqua ab angelo mota sanabat infirmum qui primus descendisset. l.7.c.30.§.2.col.544.c. & 546.b.

Beatitudo seu beatorum gloria.

Non consistit in voluptatibus, diuitijs, & honoribus, sed in solo Deo ijs contemptis. l. 6.c. 2.col. 15.d. nec à superbis sæculi sapientibus inuenitur. §. 5.col. 24.b. sitam esse in quærendo & inueniendo Deum. c. 1. assimilatur lectulo Salomonis quem sexaginta fortes ambiunt. id est vehementer concupiscunt, vt in æternum requiescant. l. 6.c. 24.§. 2.col.199.b. comparatur colli thuris ad quem ascenditur per montem myrrhæ. l.7.c.19.§.3.col. 447.c. corona gloriæ ad quam vocatur anima quæ ascendit ad montem myrrhæ, & quam dulcis sit vocationis modus, *veni de Libano, &c.* l.7.c.22.§.1.& 2.col. 471.c, & 473.a. pulchritudo & sanctitas beatorum, ad quorum imitationem nos debemus anhelare. l.7.c.20.§.1. & 2. col. 450.b. & 451.b. beatorum sanctitas quomodo superet sanctitatem viatorum. l.6.c.1.§.3.col.8.d. quanta sit gloria cælestis Ierusalem, cui debemus assimilari. l.9.c.1.§.3.col. 824. describenda in corde terreno vt eam magnifaciat. §. 4. col. 826.c. sex insignia beatorum in quibus eos possumus imitari. l.9.c.9.§.1.col.886. d. desiderium videndi Deum & Christum in gloria. l.8.c.5.§.2.col.617. & l.10.c.3.§.4. col.1037.b. messio iustorum ad gloriam & dulcissimum conuiuium quo ibi fruuntur. l. 8.c. 5.§.3. col. 618.c. cur explicetur hoc conuiuium per similitudinem cibi & potus. *ibidem.* aptissime declaratur per manducationem faui cum melle, & potationem vini cum lacte. §. 4. col. 621. a. beati quæ bona secum afferunt è terra, Deo offerunt in cælo à quo multo plura accipiunt. l.6.c.21.§. 4.col. 175.a. quo quisque est sanctior in terra, eo abundantiores delicias obtinet ascendens in cælum. §.5.col.176.b. & c. 19.§.3.col. 161.c. beati omnes sunt Christi gloriosum diadema quo coronatur à matre sua cælesti Ierusalem. l.6.c.38.§.3.col.299.a. homo non creatus est collo prono in terram sicut bestiæ, sed erecto in altum vt cælestia aspiceret, & ad supernam beatitudinem tenderet. l.7. c.12.§.1. col. 385.a.

C

Capilli capitis nostri.

Capilli capitis nostri qua ratione sunt partes imperfectæ, repræsentant imperfectos fideles qui Christo capiti hærent per fidem tantum. l.7. c.2.§.1.col.315.a. secundum vero alias proprieta-

tes repræsentant perfectos & Religiosos. §. 2. col. 316. d. quod varijs similitudinibus in hoc Cantico explicatur vt suis locis notatur: Deus habet prouidentiam capillorum nostrorum ne pereant, eosque apud se numeratos habet. l. 7. c. 3. §. 3. col. 326.

Castitas & Virginitas.

Triplex est Castitatis gradus, coniugalis, perpetuus cœlibatus, & virginitas cum triplici fœcunditate illis correspondente, filiorum carnalium, bonorum operum, & filiorum spiritualium. l. 9. c. 13. §. 1. col. 912. a. b. quomodo castitas coerceat libidinis appetitum. l. 9. c. 12. §. 2. col. 907. b. quam pulchri sunt recti gressus castitatis in carne mortali. c. 10. §. 2. col. 895. b. castitas ad similitudinem Christi est venter eburneus, fortis & candidus in carne de se fragili cœlestibus ornata virtutibus tãquam sapphyris. l. 8. c. 25. §. 2. col. 773. d. interna munditia simul cum externa fœcunditate spiritali. c. 3. col. 776. ab eadem castitate cum charitate dici spiritum candidum & rubicundum. l. 8. c. 19. §. 4. col. 735. c.

Necesse est castitatẽ cõiugi cum humilitate & aliis virtutibus, deserẽdo carnales voluptates, propter quod vocatur desertum per quod anima ascendit ad supera sicut virgula fumi, &c. l. 6. c. 21. §. 2. col. 172. a. indiget sociari bonis operibus vt sit quasi lampas oleo plena & igne accensa, & venter eius velut aceruus tritici vallatus liliis castitatis. l. 9. c. 19. col. 956. c. & 1088. est quasi hortus conclusus & fons signatus, maxime quando adhibetur regium sigillum voti. l. 7. c. 29. §. 3. col. 533. b. concluditur & signatur custodia sensuum & linguæ, clausura corporis, & custodia cordis. *ibid.* necesse est vt habeat emissiones sanctorum operum instar paradisi Dei. §. 4. col. 536. b. maxime vincenda castigationibus, & operibus charitatis. *ibidem.* castitas & virginitas sunt pulchertimæ Ecclesiæ genæ sicut fragmen mali punici, quæ quodammodo angelicam excedit pulchritudinem. l. 7. c. 11. §. 1. col. 377. a. comparatur cortici propter asperitatem pœnitentiæ, granis vero pulchris propter affectus & actus illam comitantes. §. 2. col. 378. d. cortex etiam indicat qualis debeat esse amictus eius exterior, & quomodo intrinsecus latere veller, & sub velo. *ibidem.* eius verecundia & modestia etiam per corticem designatur, & est nos distinguẽs inter pudicos & impudicos. §. 3. col. 380. c. in minimis est etiam seruanda. l. 7. c. 11. §. 3. col. 904. b. maior solicitudo est habenda de virginibus puellis vt roborentur in bono & præseruentur à lapsu. l. 10. c. 14. col. 1118. b.

Charitas Dei & Christi erga nos.

Vehementia diuini amoris erga sanctã animã indicatur per hoc quod dicitur ab ea vulnerari. l. 7. c. 23. §. 2. c. 482. b. effect° & signa huius amoris vulnerati. c. 3. c. 484. b. priùs Deus vulnerat quã vulneretur. §. 2. col. 482. vulneratur autem potissime à charitate nostra omnes virtutes secum vnẽte, vt ipsi Deo vniatur. c. 24. §. 1. col. 488. c. amor facit Deum quasi captiuum animæ quam diligit. l. 8. c. 8. §. 5. col. 647. indicium etiam huius vehementis amoris est quod seipsum sicut sigillum & signaculum iubet poni super cor & brachium. l. 10. c. 7. col. 1063. a. Spiritus sanctus est hoc signaculum. §. 1. col. 1063. c. ei Christus crucifixus eiusque crux. §. 2. col. 1065. a. amor eius erga nos fuit fortis sicut mors dirã opperiens mortem, & zelus eius durus sicut infernus descendens in sepulchrum & in lymbum. c. 8. §. 1. & 3. col. 1070. & 1074. lampades ignis, & flammæ Dei sunt diuinæ perfectiones quæ nostram incendunt charitatem. l. 10. c. 10. §. 1. col. 1088. a. item mysteria quæ Christus operatus est, & beneficia nobis collata. §. 2. col. 1090. b. charitatẽ eius superasse omnia genera tribulationum. c. 11. propter dilectionem nostram Deus stupendo modo dedit nobis omnem substantiam domus suæ, diuinam & humanam. c. 12. §. 1. col. 1103. c. ex ea oritur cura quam habet Ecclesiæ & animarum vt eas promoueat. c. 13. col. 1111. c. & c. 18. §. 5. col. 1154. a. charitas fuit diadema Christi, & mater quæ eum coronauit. l. 6. c. 37. §. 1. col. 288. b.

Charitas nostra erga Deum & Christum.

Est signaculum à Spiritu sancto, animę impressum. l. 10. c. 9. §. 1. col. 1063. c. lex charitatis & amoris est similiter signaculum super cor & brachium ponendum. §. 2. col. 1065. c. efficit in nobis mortem ciuilem, transferendo animam à se in Deum sibi dilectũ. c. 8. §. 3. col. 1074. a. quomodo in hoc discriminetur ab amore proprio. c. 9. col. 1079. c. affectus eius erga Deum sunt lampades ignis atque flammarum, & alæ ignis propter vehementiam suam. l. 10. c. 10. §. 3. col. 1092. d. eximiam à Christo recipit vim ad superandas omnes tribulationes ne extinguant, nec obruant illam. c. 11. col. 1096. & ad dandam omnem substantiam domus suæ, & quidquid habere potest pro ipso Christo. c. 12. §. 2. col. 1106. est thesaurus absconditus, & vna pretiosa margarita pro quibus qui eam inuenit, libenter dat omnia quæ habet. *ibidem.* & quasi nihil computat quæ dat, vel despici ab hominibus eo quod det, sed omnia vincit opprobria hominum. §. 3. col. 1108. vehemens eius propensio ad quærendum Deum omnibus modis quibus potest, etsi despiciatur vt fatua. l. 6. c. 4. §. 1. col. 34. a. est constans in eo quærendo, maxime vim declinauit ab ipsa tolerando persecutiones & vulnera. l. 8. c. 16. quærit insatiabiliter sine limite vllo. l. 6. c. 4. §. 2. col. 36. d. & cum proposito retinendi in perpetuum, ac introducendi in alios. §. 3. & 4. col. 38. d. 40. b. ab hac vehementia dicitur vulnerari anima & amore languere. l. 8. c. 7. §. 1. col. 717. d. qualem mortem ciuilem efficit in nobis. §. 4. col. 722. b. in quibus maxime eam efficiat. §. 5. est dura circa carnem sicut sepulchrum, & sicut infernus circa spiritum propter zelum. l. 10. c. 9. §. 2. col. 1082. redigit hominem spiritaliter in pulverem & cinerem, & vehementius mortificat vitia vrendo ea quam aliæ virtutes. §. 3. col. 1083. quod semel decidit, numquam reuiuiscere vellet. §. 3. col. 1083. c. vehemens affectus dilectionis cum humilitate & gratitudine coniunctus propter beneficia nobis collata. l. 8. c. 1. col. 578.

Charitas erga Deum & proximum.

Duo charitatis præcepta circa duos actus amoris Dei & proximi sunt velut duo vbera animæ mi-

ris

ris excellentiis fulgentia. l. 7. c. 16. §. 1. col. 412. a. in his eximiè lex noua excedit veterem. §. 2. col. 414. d. iusti vtroque amore fulgentes dicuntur mystica vbera Ecclesiæ. §. 3. col. 416. b. duplex est charitas, paterna vel materna quæ Prælatis respectu subditorum, & fraterna quæ aliis inter se, cõuenit. §. 4. col. 420. quantum Deus & Christus in vtroque testamento commendauerint peculiariter dilectionem proximi l. 7. c. 7. col. 348. exemplaria suprema illius, & misericordiæ erga eos. §. 4. col. 353. c. vide plura in misericordia, quam fortis & potẽs sit charitas, maximè quæ dicitur materna ad benefaciendum proximis, & lætandis in eos, & quantum hoc æstimet Christus l. 7. c. 26. col. 506. b. ignis charitatis est causa omnis spiritalis profectus & ascẽsus l. 6. c. 16. §. 3. col. 136. b. in eius præcepti obseruantia offertur admirabile & perfectum holocaustum Deo & hominibus gratum. c. 18. §. 5. col. 155. c. odor & fragrantia charitatis sicut fragrantes omnes virtutes, & ipsa fragrat super omnes. l. 7. c. 27. §. 1. & 2. col. 512. a. & 513. c. omnis vita transigenda est in charitate & dilectione l. 10. c. 12. §. 3. col. 1108. c. charitas tenet medium in ferculo Ecclesię Christi vt omnes etiam debiles, quibus est omnino necessaria, eam apprehendãt l. 6. c. 28. & c. 3. col. 217. a. charitas increata & creata replent iustos vt eas ipsi tãquam ferculum deferant ad proximos c. 29. §. 5. col. 237. d. charitas est diadema quo coronati sunt Apostoli, cũ apparuerunt linguæ super capita eorum propter bonum proximorũ l. 6. c. 38. c. 2. col. 294. c. etiam est mater coronans c. 37. §. 1. col. 288. b. est currus triumphans Christi & gestamen pompaticũ eius vincẽs hostes per dilectos ministros l. 6. c. 28. §. 5. col. 239. d. charitas est vitta vel funiculus coccineus ligans nos Deo quo electi & saluandi secernuntur à reprobis & condemnandis. l. 7. c. 6. §. 1. col. 341. d. à labijs hac charitate accẽsis prouenit vt eloquium sit dulce dum loquuntur cum Deo vel cum proximis de Deo §. 2. col. 344. a. charitas in oratione ligat verba, cogitationes c. 8. §. 2. & varijs modis ligat & trahit ad se Deum §. 3. col. 345. c. d. charitas præclaram efficit vnionem inter maiores, æquales & minores l. 7. c. 24. col. 486. & 487. vide n. Vnio. & vltimam vnionem cum Deo, vide. n. Contemplatio. Charitas tollit inuidiam, & amando aliena bona facit ea propria. l. 9. c. 4. §. 1. & 2. col. 845. d. vide v. Spiritus sanctus qui est charitas increata.

Christus, secundum ea quæ spectant ad eius incarnationem, & infantiam.

Ecclesia legis naturæ & antiquæ quæsiuit Christum, sed non inuenit l. 6. c. 9. §. 1. col. 79. c. antiqua inuenit peculiarem promissionem sibi factam quod nasceretur Christus ex semine Abrahæ §. 2. col. 80. d. cum natus est, diuisi sunt Iudæi, & quidam eum receperunt, quidam non, & causam huius c. 10. §. 1. col. 91. b. antesignanus eorum qui eum receperunt, fuit Simeon §. 2. col. 93. c. agnitus est à Magis, primitijs gentium, qui diligenter eum quæsierunt c. 11. col. 98. & 99. humanitas Christi fuit lectulus Salomonis quem ambiebãt fide patres antiqui eum venerantes & defendentes l. 6. c. 26. §. 1. col. 209. d. ambierũt Angeli cum natus est in præsepio, non vt custodirent, sed vt adorarẽt §. 1. col. 210. a. ibi ambierũt pastores; ambiunt & fideles §. 3. col. 212. c. Christus fecit sibi pretiosissimum ferculum humanitatis assumptæ, in qua Deus vnitus illi, veheretur per orbem l. 6. c. 32. col. 250. a. b. fecit ex progenitoribus de genere Dauid, & qui numerãtur à Luca, sunt per lineam maternam: qui verò à Matthæo etiã pertinent ad lineam paternam eiusdem matris quam ipse fecit sibi c. 32. §. 1. 2. c. 3. §. 1. col. 245. a. & 250. b. ornauit præclarissimis gratijs hanc humanitatem assumendo animam gloriosam & corpus passibile §. 2. col. 251. c. Verbum diuinum est charitas increata replens omnia media huius ferculi propter nos §. 3. col. 253. b. & propter nos etiam tanquam charitas replet medium ferculi Ecclesiæ c. 28. §. 4. col. 228. c. d. humanitas eadem fuit velut diadema quo coronauit eum mater in die incarnationis l. 6. c. 34. §. 2. col. 267. a. qua ratione vocemur ad contemplandam hanc coronationem & circunstantias eius §. 1. & 3. col. 265. & 268. b. manifestata est hæc coronatio in die natiuitatis & Epiphaniæ pastoribus & Magis, quibus est dictum vt egrederentur ad videndum illum §. 4. & 5. col. 269. b. c. & 271. c. d. Christus in vtero Virginis fabricatus est quasi fauus, mel diuinitas, cera humanitas, coniunctio sine opera viri. l. 7. c. 9. §. 3. col. 368. d. in incarnatione est velut malum punicum integrum omnes in se cõcludens gratias, cæteri verò fragmen eius l. 7. c. 10. §. 1. col. 371. c. ingentia bona quæ ex incarnatione aduenerunt Ecclesiæ propter quæ vehementer illam desiderauit & petijt l. 10. c. 1. col. 1009. d.

Christus quoad vitæ eius insignes proprietates quibus supereminet omnes, & secernitur ab illis.

Dicitur per antonomasiam turris Dauid ad exemplum eorum qui turrim perfectionis ædificaturi sunt l. 7. c. 12. §. 4. col. 390. a. peculiariter verò ad exemplum mansuetudinis & humilitatis, &c. *ibidem.* Semper versabatur in monte myrrhæ mortificationis, & in colle thuris orationis ad nostrum exemplum c. 18. §. 3. col. 437. b. Christus fuit candidus & rubicundus propter diuinitatem & humanitatem patibilem: item propter innocentiam & passionem: item propter virginitatem & charitatem l. 8. c. 19. col. 731. a. Christi caput est diuinitas tanquam aurum optimum infinitis fulgens perfectionibus l. 8. c. 20. §. 1. col. 727. d. ipse est caput Ecclesiæ tanquam à se aureum, facit tamen alios esse capita, sed deaurata per participationem §. 2. col. 739. c. cogitationes, affectus & actus huius capitis vocantur elatæ palmarum, nigræ quasi coruus propter profunditatem, sublimitatemque eorum §. 3. col. 741. b. alibi vocantur albæ sicut nix propter antiquitatem, munditiam & sapientiam. *ibidem.*

Duo eius oculi pulcherrimi, sunt sapientia increata & creata quibus electos respicit, prouidet & gubernat: sed dicuntur septem à septem effectibus huius prouidentiæ l. 8. c. 11. §. 1. & 3. col. 746. a. & 749. c. dicuntur sicut flamma ignis, & sicut columbæ lacte lotæ propter diuersas rationes coniungẽtes zelum cum mansuetudine §. 2. col. 747. d. labia illius

Index

ſemper erant tamquam lilia diſtillantia myrrham primam, id eſt verba ſpectantia ad eius diuinitatem & humanitatem, ad ſublimitatem perfectionis & abnegationis Euangelicæ. e. 23. §. 1. & 2. & 3. col. 759. 760. 762. ſuamque doctrinam proponebat tamquam poteſtatem habens. *ibidem.* omnia opera eius fuerunt tamquam manus tornatiles aureæ diſtinctæ ſapphiris, vndique perfectæ, ſine difficultate operantes, theandricæ, & Dei viriles, miris gratijs cælestibus ornatæ. l. 8. e. 24. col. 767. modeſta, humilis, & fragrans conuerſatio eius cum hominibus ab interno ſpiritu procedens, comparatur genis ſicut areolæ aromatum. l. 8. e. 22. col. 753. c. quod infirmum fuit in Chriſto, & vocatur venter, propter vnionem ad verbum fuit eburneum, candidum, forte & inexpugnabile. e. 25. §. 1. col. 772. c. candidiſſima eius caſtitas in carne de ſe fragili. §. 2. col. 773. d. omnes eius greſſus fuerunt recti, fortiſſimi, & candidi velut crura marmorea ſuper baſes aureas, id eſt, diuinos affectus. e. 26. §. 1. col. 778. d. pedes aliquãdo dicũtur ſimiles aurichalco in caminoigne ardẽti: hîc vero excellentiori modo dicuntur aurei. §. 2. col. 780. c. duo eius pedes ſunt miſericordia & veritas. *ibidem.* perfectio Chriſti ſecundum ſe totum in genere eſt velut ſpecies Libani omnibus virtutibus & perfectionibus ſplendens. l. 8. e. 27. §. 1. col. 787. c. perfectio & electio in ſingulis operibus vt cedri ſublimes, incorrupti, & odorati. §. 2. col. 789. a. perfectio in ſingulis verbis & iudicijs denotatur per eius guttur ſuauiſſimum §. 3. col. 790. d. quomodo hinc concluditur quod totus eſt pulcher, & deſiderabilis ac amabilis in vita & morte. §. 4. col. 794. b. & etiam halitus eius quod eſt minimum hominis, eſt deſiderabilis, ideſt inſpirationes à Deo prouenientes. ibidẽ. Impleuit deſiderium Eccleſiæ vadens per agrum Iudeæ prædicans Euangelium in omnibus oppidis & caſtellis. l. 9. e. 24. col. 992. b. conſtans eius prædicatio docendo vſque ad finem vitæ l. 10. e. 2. §. 2. col. 1020. b. c. in eo ſunt virtutes exemplares l. 7. e. 12. §. 4. col. 390. a. exemplarque eſt dilectionis & miſericordiæ e. 17. §. 4. col. 429. d.

Chriſtus quoad geſta tempore paſſionis & mortis.

Deſcẽſus eius in mundũ vt pro nobis pateretur: vocatur deſcẽſus in hortum nucum, & in genimina torrentis, & quos fructus inde collegit nobis. l. 9. e. 6. §. 1. & 2. col. 863. c. & 865. a. quibus modis in paſſione turbauit ſemetipſũ propter incredulos, & propter timidos diſcipulos l. 9. e. 7. §. 4. col. 877. a. Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis firmiter decreuit vadere ad montem myrrhæ, id eſt crucis, ſed ardentius in ipſa nocte paſſionis id dixit & fecit. l. 7. e. 19. §. 1. col. 442. a. magnitudo, multitudo & amaritudo dolorum paſſionis Chriſti per montẽ myrrhæ apte deſignantur §. 2. col. 444. d. mors eius cur vocatur exaltatio à terra, & eleuatio manuum. ibidem. & præfigurata eſt in ſacrificio Abrahę in monte Moria oblato. §. 1. col. 442. a. ingreſſus eius in Ieroſolymam cum ramis palmarum. l. 6. e. 35. col. 273. d. lachrymæ eius hanc videns ciuitatem, & quas fudit in cruce l. 9. e. 14. §. 3. col. 925. d. aſcenſus eius in palmam crucis, & quam ingẽtes fructus apprehẽdit nobis l. 9. e. 20. §. 1. col. 963. b. & ſibi etiam §. 2. col. 966. c. Perfectiſſima opera quæ in paſſione ſua egit & pertulit l. 8. c. 24. §. 2. col. 768. e. ſpinea corona à ſynagoga ei impoſita in die quem vocat deſpõſationis & lætitiæ cordis l. 6. e. 35. col. 273. c. d. veſte alba, & purpurea irriſionis cauſa eſt indutus l. 8. e. 19 §. 3. col. 734. a. in cruce labia eius tanquam lilia diſtillarunt ſeptem verba myrrhæ primæ e. 23. §. 2. col. 760. c.

Natura humana corrupta per peccatum Adæ & Euæ comedentium ex ligno vetito, ſuſcitata eſt à Chriſto ſub arbore crucis l. 10. e. 5. §. 1. & 2. col. 1047. d. 1050. quomodo ille multipliciter ſuſcitat animas ad amorẽ & varios affectus. §. 3. col. 1051. c. extenſus in cruce factus eſt ſignaculum cui nos aſſimilare curemus l. 10. e. 7. §. 2. col. 1065. a. nullæ aquæ tribulationum extinxerunt charitatem eius e. 11. col. 1096. a. omnia ſua reliquit & dedit propter nos e. 12. §. 1. col. 1103. c. triumphus quem obtinuit per ſanguinem vincens inimicos l. 6. e. 32. §. 2. & 3. col. 251. c. 253. b. amara dulciter pertulit vt Eccleſiæ ſuæ aggregaret omnes electos, & tanquã fructum ſuum comederet l. 8. e. 3. §. 2. 3. & 4. col. 599. a. 601. c. & 604. a. ſepulchrum eius quam glorioſum fuerit, ſignificaturque per lectulum Salomonis l. 6. e. 26. §. 5. col. 215. a.

Chriſtus quoad ſuam reſurrectionem & reliqua eius myſteria.

Corona gloriæ impoſita Chriſto in die reſurrectionis, & circunſtantiæ ipſius coronationis l. 6. e. 36. §. 1. & 2. col. 281. & 282. eadem coronatio in die aſcenſionis §. 3. col. 284. glorioſa corona ſanctorum quibus coronatus eſt in limbo e. 37. col. 287. c. in die transfigurationis coronatus eſt ad tẽpus corona gloriæ, & corona ſanctorum qui beatos & viatores repræſentabant e. 3. §. 38. col. 299. a. in die Pentecoſtes cœpta eſt publica coronatio ex ſublimi ſanctitate Apoſtolorum & conuerſione peccatorum per ipſos facta e. 38. § 2. col. 296. a. & protẽditur in diesvſque ad finem ſeculi §. 3. col. 299. a. per montem myrrhæ paſſionis aſcendit Chriſtus in collem thuris glorioſæ reſurrectionis & exaltationis quæ apte per collem thuris deſignatur. l. 7. e. 19. §. 2. col. 444. d. Chriſtus bis aſcẽdens in altum. ſ. crucis, & in cælum, vtrobique captiuam ſecum duxit captiuitatem, licet diuerſimodè. ibidem. Aſcendens in palmam crucis miras obtinuit victorias contra diabolum, & exaltationem ſui nominis ſuper omnes l. 9. e. 20. §. 2. col. 966. c. capilli capitis eius ſunt vt elatæ palmarum quia ſancti ſũt coronæ & palmæ ipſius l. 8. e. 20. §. 4. col. 744. a. deſcenſus eius in hortum ſanctorum qui erant in limbo, & aſcenſus in hortum cæleſtis paradiſi vbi dulciſſimum eis præbet conuiuium l. 8. e. 5. col. 615. b. quomodo hunc aſcenſũ deſiderauerit Chriſti ſponſa. ibidẽ, & l. 10. e. 21. §. 2. col. 1172. d. reſeruauit vulnera paſſionis vt ea Patri præſentaret pro nobis l. 7. e. 27. §. 3. col. 515 & 517. aduẽtus eius ad iudicium l. 6. e. 36. §. 4. col. 213. c. d. & l. 10. e. 3. §. 4. col. 1037. b. regreſſus vltimus eius poſt iudicium in cælum l. 10. e. 21. §. 5. col. 1177. 1178.

Chriſtus quoad curam quam gerit Eccleſiæ & noſtri.

Etſi dormire videatur cum perſecutionibus concutimur, tamen ſemper vigilat vt nos adiuuet l. 8. e. 6. §. 1. col. 624. c. d. ſimulat ſe dormire vt nos amplius vigilemus §. 2. col. 626. b. c. curam gerit ſemper noſtri etiam cum dormimus. §. 3. col. 628. a. ſeptem effectus huius curæ & prouidentiæ qui per ſeptem eius oculos deſignantur l. 8. e. 21. §. 1. col. 746. eſt murus Eccleſiæ, murusque ignis defendẽs illam l. 10. e. 18. §. 2. col. 1148. b. habet eam, & nos ſcriptos in manibus ſuis. l. 10. e. 16. §. 4 & l. 7. §. 2.

Rerum & Verborum.

7. §. 2. col. 1065. a. 1137. c. vinea Eccleſiæ ſemper eſt coram ipſo vt cuſtodiat eã l. 10 e. 18. §. 5. col. 1154. a. b. maxime curat de ea cum paruula eſt, & de paruulis e. 13. §. 1. & 2. col. 1112. a peculiariter etiam regit humiles l. 9. e. 7. §. 3. col. 875. c. & curam gerit flatuum Auſtri & Aquilonis, ideſt boni & mali ſpiritus in bonum animæ l. 7. e. 32. §. 3. col. 566. c. d. Chriſtus cur vocetur agnus quoties agitur de nuptiis l. 6. e. 37. §. 2. col. 290. a. b. quam neceſſaria ſit nobis cognitio ipſius l. 8. e. 18. §. 2. col. 726. b. nemo poteſt ſoluere corrigiam calceamenti eius, id eſt vnionem Verbi cum natura humana comprehendere l. 9. e. 10. §. 1. col. 894. a. eſt potiſſimus fructus quem tulit nobis vinea Iſraelitica l. 10. e. 18. §. 1. col. 1146. c. quomodo procuranda eſt eius ſimilitudo in moribus l. 9. e. 1. §. 1. col. 820. a. eius dilectio, & miſericordia, ac virtutes exemplares l. 7. e. 17. §. 4. & e. 17. §. 4. col. 390. a. & 429. d. vocatur beneplacitum Patris ad cuius ſimilitudinem ſancti ſunt pulchri & ſuaues l. 9. e. 1. §. 1. col. 820. a. b.

Cogitationes cordis.

Comparantur capillis & comis capitis, & qua ſolicitudine ſunt amputandæ malæ, & nutriendæ bonæ l. 7. e. 2. §. 5. & 6. & l. 9. e. 16. §. 4. col. 940. b. ad cordis cuſtodias vt cogitationes ſint puræ, ponenda ſunt ſuper illud varia ſignacula. l. 10. e. 6. §. 3. col. 1058. d. moleſtæ cogitationes quæ in oratione vexant quomodo reprimendæ l. 8. c. 7. §. 2. col. 632. c.

Confeſſarius.

Quomodo Confeſſarij pœnitentes iuuent ad quærendum & inueniendum Deum. l. 6. e. 8. §. 3. col. 75. d. ſunt velut pigmentarij congerentes & componentes actus contritionis, confeſſionis & ſatisfactionis, quibus pœnitentes aſcendunt in ſtatum gratiæ, & proficiunt. e. 17. col. 140. b. ſunt labia Eccleſiæ velut vitta coccinea, & velut fauus diſtillans, ad ligandos & ſoluendos pœnitentes, dulciter eis gratiam infundendo. l. 7. e. 7. §. 3. col. 353. c. d.

Contemplativa vita, & contemplatio.

Vita contemplatiua per lectionem, meditationem, orationem & contemplationem quærit inuenire Deum, præcedentibus operibus vitæ actiuæ. l. 6. e. 5. & e. 3. §. 1. col. 26. a. & 41. quæritur Deus per meditationem eorum quæ intra nos ſunt, ſed plene non inuenitur. e. 5. §. 2. col. 43. b. & per ea quæ ſunt in hoc mundo viſibili, & inuiſibili beatorum. §. 3. col. 46. b. cur dicatur non inueniri, & quibus de cauſis non inueniatur. §. 4. col. 48. a. & e. 2. §. 1. col. 16. c. d. à creaturis plene inueniri non poteſt, quia eſt incomprehenſibilis cogitatu. e. 7. §. 1. col. 61. a. pertranſeũdo omnes creaturas in perfecta contemplatione ſublimius inuenitur. §. 2. col. 62. d. ab ea tenetur per vnionis amorem, & cognitionem. §. 3. col. 66. a. quomodo anima in ea aſcendat per ſpiritale deſertum, omnia creata deſerendo. l. 6. c. 18. §. 1. col. 150. b. modus aſcendendi inſtar virgulæ fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris. §. 2. & 3. col. 151. b. c. 152. d. aſcendit affluens delicijs, id eſt affectibus virtutum, & diuinis conſolationibus. §. 4. col. 154. b. & l. 9. e. 17. §. 3. col. 946. quieta contemplatio denotatur per lectulum Salomonis, quem fortes & heroicæ virtutes ambiunt & cuſtodiũt. l. 6. e. 24. §. 1. & 2. col. 197. b. c. 199. b. & per reclinatorium aureum ferculi Salomonis. e. 28. §. 2. c. 225. c. & e. 29. §. 3. col. 235. c. contemplatio ordinaria per oculum in modum columbæ gementis denotatur. l. 7. c. 1. §. 3. col. 309. d. extraordinaria per modum ſilentij, quod dẽtes later. §. 4. col. 311. c. iuuant ad illam ſilentium externum, & clamor internus, & etiam velum modeſtiæ & abnegationis proprii iudicii. §. 3. & 4. col. 309. d. & 311. c. meditationis officium recte deſignatur per dentes. l. 7. c. 5. & l. 9. c. 21. col. 973. b. meditatio recte comparatur comeſtioni faui cum melle, contemplatio vero potui vini & lactis. l. 8. c. 2. §. 4. col. 592. d. & qui potiſſimi ad hoc ſpiritale conuiuium inuitentur. §. 5. col. 594. d. in contemplatione anima dormit ad externa, & vigilat ad interna. l. 8. c. 7. §. 1. col. 630. d. aliquando patitur moleſtas cogitationes velut inſomnia niſi Deus cohibeat. §. 2. col. 632. c. myſticus ſomnus à Deo in ea aliquando immittitur, in quo miræ fiunt reuelationes, extaſes & actus anagogici. §. 3. col. 634. c. & l. 6. c. 7. §. 3 col. 68. a. b. quid ſit iſte ſomnus myſticus, & eius proprietates per ſomnum naturalẽ. l. 10. c. 4. §. 2. c. 1040. a. quid ſit læua & dextera ſponſi ſuper quas fit. §. 1. miri aſcenſus & profectus in eo fuerunt cum magna affluentia deliciarum ſpiritalium. §. 3. col. 1042. c. myſteria humanitatis Chriſti non ſunt excludenda à myſtico ſomno, nec à ſuprema contemplatione. §. 4. col. 1045. c. quam mirabilem mortem efficiat contemplatio per charitatem. e. 8. §. 3. & 5. col. 1075. a. & 1077. a. contemplatio iuuat ad mortificandum, & cur comparetur colli, mortificatio vero monti. l. 7. e. 18. §. 2. col. 435. d. ad contemplationẽ iuuant varij oculi interni. l. 7. c. 24. col. 487. b. Deus vulneratur vulnere amoris à cognitione & affectu quæ per vnum oculum & vnum crinem colli deſignatur. §. 2. col. 490. d. triplex vnio affectuum in ea efficitur. *ibidem.* vnio vitæ contemplatiuæ etiam valde vulnerat & Deo placet. §. 3. col. 493. contemplatio quomodo rapit ad ſe cor Dei, & qua cautela eſt prouidendum in ea. l. 9. e. 2. §. 3. col. 833. c. contemplatiui & actiui flagrantes amore Dei & proximi ſunt velut duo vbera ſicut hinnuli capreæ gemelli qui paſcuntur in liliis. l. 7. e. 16. col. 416. b. vinum ob triplicem proprietatem deſignat contemplationem cui præferantur vbera ſpiritaliter lactantia proximis. e. 26. §. 2. col. 508. b. poſt aſcenſum in ſublimia per contemplationem, oportet deſcendere ad ima per humilitatem. l. 9. e. 6. §. 3. col. 867. c. & deſcendere etiam ad lucrandos proximos à quibus etiam vrgentur vt reuertantur ad gerendum curam illorum e. 8. §. 2. col. 881 a. quæ præcedunt ad perfectam contemplationem quoad ſolitudinem, locum, tẽpus & alia. l. 9. e. 23. § 1. c. 985. a. & l. 10. e. 19. § 3. c. 1159. d. & e. 20. §. 1. col. 1164. d. varij actus qui in contemplatione exercentur. l. 9. e. 23. §. 2. col. 987. a. quomodo intuendus eſt ibi proprius profectus. §. 3. & fructus eius erga Deum & proximos. §. 4. col. 990. d. variæ voces internæ quas includit mutua communicatio inter Deum & animam. l. 10. e. 19. §. 3. & 5. & e. 20. §. 1. col. 1159 d. & 1162. a. & 1164. d. modus meditandi varia Chriſti myſteria. l. 6. e. 34. & l. 10. e. 1. §. 4. & l. 9. e. 20. c. 3. col. 264. b. 968. c. & 1016. b. ſecretum ſibi ſeruandum caute. l. 10. e. 19. §. 4. column. 1162. a.

Crux.

Crux comparatur lectulo Salomonis quem ſexaginta fortes ambiunt. l. 6. e. 26. §. 4. col. 213. c.

& ferculo ipsius, cuius ascensus est purpureus. c.32.§.2. col. 251. c. assimilatur palmæ, cuius varij & multi sunt fructus. l.9.c.20.§.1.col. 963.e. duplex ascensus in crucem vel per meditationem vel per imitationem. §.3. col. 968. c. sub arbore crucis suscitauit Deus Ecclesiam vbi corrupta est synagoga. l.10.c.5.§.2. col.1050. a. sub illa suscitantur animæ ad amorem.§.3.col. 1051. c. quare vocetur arbor mali. §.2. col. 1050. a. b. est signaculum Christi ponendum super cor & brachium, Thau, & signum Dei viui. c. 7. §. 2. col. 1065. a. est turris Dauid cum mille clypeis, & omni armatura fortium. l. 7. c. 12. §. 4. col. 390. a. 391. c. fuit Christo mons myrrhæ, & cur hoc genus mortis elegerit. l. 7. c. 19. §. 2. col. 444. d. & 445. a. ascendit ad eam sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, &c. l. 6. c. 19. §. 1. col. 158.

D

Delectationes & deliciæ spirituales.

DElectationes quædam oriuntur ex ipsis virtutum actibus, & sunt securiores, ac appetendæ. l. 9. c. 17. §. 1. col. 942. c. aliæ ex Dei infusione, & sunt copiosiores. §. 2. 944. c. d. sunt centuplum quod Religiosis promittitur. §. 3. col. 946. a. non est præcipue operandum propter illas. §. 2. col. 944. d. & l. 6. c. 18. §. 5. col. 155. c. d. contemplatione maxime percipitur hæc affluentia deliciarum. l. 10. c. 4. §. 3. & l. 6. c. 18. §. 5. col. 155. c. d. & 1042. c. & cum anima sancta ascendit in cælum. l. 6. c. 20. §. 3. col. 168. c. quomodo honeste vtendum sit delicijs corporalibus, relictis carnalibus & turpibus. l. 9. c. 17. §. 3. col. 946. a.

Desponsatio spiritalis.

Qui fuerit dies desponsationis Christi, & lætitiæ cordis ipsius. l. 6. c. 34. §. 3. col. 268. b. & c. 36. col. 280. c. denotatur per lectulum Salomonis quem sexaginta fortes ambiunt. c. 24. §. 5. col. 215. a. conuiuium eius nuptiale. c. 37. §. 3. col. 291. d. solemnis animæ consensus in hanc desponsationem exigitur. l. 10. c. 20. §. 3. col. 1169. c. d.

Deus vt quærendus à nobis.

Est noster vltimus finis propter quem quærendum creati sumus. l. 6. c. 1. col. 4. est nostra beatitudo, & non creaturæ vllæ. c. 2. col. 5. c. multis modis dicitur absens à nobis, & eius absentia vocatur nox. l. 1. §. 1. col. 4. c. modus eum quærendi per ea quæ sunt intra nos vel extra nos. c. 5. col. 41. & per scripturas sacras. §. 5. col. 50. d. est incomprehensibilis à creaturis, & qua ratione inuenitur & tenetur à sanctis. c. 7. col. 60. c. d. diuinitas incomprehensibilis omnes creaturas fugit & superat. l. 10. c. 20. §. 3. col. 1173. d. nebula & fumus circa Deum repræsentant eius incomprehensibilem maiestatem. l. 6. c. 18. §. 2. col. 151. b. arcana Dei latent, nec per similitudines corporales plene manifestantur. l. 7. c. 1. §. 1. col 306. c. quærendus est Deus summo conatu propter seipsum. l. 6. c. 1. §. 3. col. 8. d. peculiariter propter septem bona quæ ab ipso nobis proueniunt. §. 4. col. 11. a. Deum omnes excitare vt eum quærant, iuuareque vt inueniri valeant. §. 5. col. 13. b. cur multi non quærant, vel quærentes non inueniant. c. 2. & c. 3. col. 15. d. & 20. c. & c. 5. §. 3. col. 46. & l. 10. c. 1. §. 4. col. 1023. d. quatuor rationes ad quærendum Deum & Christum ex eius insignibus desumptæ. l. 8. c. 28. §. 1. col. 798. c. oportet suscitari modum quærendi illum. §. 2. col. 800. a. quam efficax debeat esse propositum quærendi illum. §. 3. col. 802. qui digne quærit, tandem inuenit. c. 30 col. 810.

Deus qualis erga nos.

Deus omnes sanctos vnice diligit, nec amor vnius diminuit amorem erga alterum. l. 9. c. 3. §. 3. col. 841. b. plures Dei conuersiones ad animam dilectam. c. 22. col. 980. a. Deus vt caput curdicatur aurum optimum. l. 8. c. 20. §. 1. col. 737. d. e. attributa & cogitationes eius sunt profundissimæ & æternæ ac puræ. §. 3. col. 741. manus eius aureæ & tornatiles quia eius opera sunt diuina, & perfectissima, ac cælestibus donis quæ communicant fulgentia. c. 24. §. 1. col. 767. d. e. Deus est totus amabilis & desiderabilis, secundum omnia quæ habet. l. 8. c. 27. §. 4. col. 794. b. c. Deus Pater speciosus vt Libanus, Filius electus vt Cedri, Spiritus sanctus guttur suauissimum, omnes tres personæ vnus Deus totus desiderabilis. §. 5. col. 797. a. Deus per dilectionem dat nobis omnem substantiam suam, videlicet Pater, Filium, & Spiritum sanctum ac seipsum. l. 10. c. 12. §. 1. col. 1103. c. d. quomodo vulnerat & vulneratur amore. Vide n. Charitas. Prouidentia Dei. Vide v. Christus ad finem. Cur Deus quædam beneficia det manifeste, quædam occulte. l. 10. c. 13. §. 2. col. 1113. c.

Dilectio Dei & proximi. Vide Charitas.

Discordia fidelium quantum displiceat Deo. l. 7. c. 25. §. 3 & 4. col. 501. d. & 504. c. d. Vide n. Pax.

Doctores, Prælati & Prædicatores.

Sunt vigiles & custodes fidelium. l. 6. c. 6. §. 3. col. 55. d. quomodo se gerere debeant cum illis, & illi cum eis. §. 4. col. 58. d. ab ipso Deo eligendi sunt, & quales eligantur. c. 23. §. 1. col. 887. quanta indigeant fortitudine ad hoc munus, quam in cõtemplatione acquirent. §. 2. col. 189. a. vtuntur verbo diuino vt efficacissimo gladio contra hostes. §. 3. col. 191. a. quam necessaria sit illis experientia bellandi, & ablatio impedimentorum. §. 4. col. 193. a. quomodo per verbum Dei vincant timores nocturnos & insidias inimicorum. §. 5. col. 194. d. media quibus vti debent ad conuertendos peccatores. l. 6. c. 14. §. 4. col. 122. b. sunt Christi ferculum vt eum deferant per vniuersum orbem, vel Ecclesiam, & alijs manifestent. l. 6. c. 29. col. 232. b. aliquando desumuntur ex magnis peccatoribus vt humiliter se gerant. §. 1. col. 233. sunt columnæ argenteæ per sonoram prædicationem. §. 2. col. 234. b. c. reclinatorium aureum propter contemplationem. §. 3. col. 235. c. d. ascensum habent purpureum propter patientiam. §. 4. col. 236. omnia sua media replenda sunt charitate propter bonum animarum. §. 5. col. 237. d. sunt quasi matres coronantes Christum diademate iustorum, quos ad ipsum conuertunt. l. 6. c. 38. §. 1. col. 294. c. sunt quasi dentes Ecclesiæ præparantes & distribuentes cibum corpori eius mystico. l. 7. c. 3. §. 1. col. 329. c. comparantur gregibus tonsarum ascendentibus de lauacro propter eorum eximiam munditiam. §. 2. col. 330. c. omnes sunt gemellis fœtibus propter spiritalem fœcunditatem. §. 3. col. 332. d. sunt Ecclesiæ labia sicut vitta coccinea ad trahendos & ligandos homines Deo per amorem. c. 6. §. 3. col. 345. c. doctrina & modus prædicandi per labia sicut fauus distillantes optime designatur. c. 7. §. 1. col. 348. & per mel & lac sub lingua contenta, tamquam matres paruulorum, & Doctores maiorum. §. 2. col. 349. a. prius debent gustare quod aliis tribuunt. *ibidem.* sunt etiam mystica sponsi labia sicut lilia stillantia myrrham primam, & quam efficax sit prædicatio mortificationis Christi cum sublimi vita. l. 8. c. 23. §. 3. col. 762. c. sunt velut pulchræ genæ Ecclesiæ verbo & opere eius pulchritudinem manifestantes. l. 7. c. 10. §. 3. col. 374. b. sed pulchrius debet esse quod intus latet, & quantum est ex se latere curare. *ibidem.* sunt collum Ecclesiæ quasi turris Dauid, & munia eorum quæ per collum & turrim designantur. l. 7. c. 14. §. 1. col. 399. a. clypei & arma quibus vtuntur ad expugnandos hostes. §. 2. col. 401. d. maxime autem callere debent sacram scripturam. §. 3. col. 403. sunt velut vbera Ecclesiæ amore Dei & proximi tumentia ad lactandos fideles. l. 7. c. 16. §. 4. col. 418. b. cur comparentur duobus hinnulis gemellis capreæ. *ibidem.* splendet in eis materna charitas erga subditos, & quam ingentem fortitudinem eis præbeat. *ibidem.* & c. 26. §. 3. col. 510. a. quanti faciat Deus munus hoc lactandi fideles. c. 26. §. 1. col. 506. d. præfertur contemplationi. §. 2. ex vino amoris intumescunt vbera pastorum, & ideo non tantum effundunt lac facilis doctrinæ, sed vinum sublimioris. §. 2. col. 508. b. perfectio eorum assimilatur palmæ, & vbera materna eorum botris dactylorum. l. 9. c. 18. col. 949. a. b. & etiam botris vineæ, & odor oris eorum odori malorum propter variam & excellentem doctrinam cum amore & fragrantia propositam. c. 19. §. 3. col. 962. a. sunt velut guttur Ecclesiæ sicut vinum optimum, quia optimam debent amoris prædicare doctrinam. c. 21. §. 3. col. 977. d. & sicut guttur suauissimum Christi. l. 8. c. 27. §. 4. col. 794. b. sunt cor Ecclesiæ, cuius munus est vigilare cum alij dormiunt. l. 8. c. 7. §. 5. col. 638. a. sunt Christi messores, per quos metit peccatores quos ad fidem cõuertunt. l. 8. c. 3. §. 3. & 4. col. 601. c. d. & 604. a. sunt Christi mystici oculi sicut columbæ iuxta riuulos aquarum sapientiæ & sacræ scripturæ, & quomodo munus gerant. c. 21. §. 4. col. 750. c. sunt etiam eius pedes mystici & crura marmorea super bases aureas ad deferendum eius Euangelium, & quid his metaphoris designetur. l. 8. c. 26. §. 3. col. 782. b. c. quam pulchri dicantur pedes annunciantium Euangelium pacis, & in quo sit hæc pulchritudo. l. 9. c. 10. §. 3. col. 897. b. de fortitudine, constantia, & deuotione eorum. §. 4. col. 899. b. oportet in eis cohæreat sancta vita & sana doctrina vt gressus rectos faciant. c. 11. §. 1. col. 901. c. per prudentiam quam denotat nasus præuident insidias inimicorum, & alios de eis monent c. 15. §. 3. col. 931. c. à Christo participant rationem capitis aurei, & esse comas capitis eius sicut elatæ palmarum, ab eo in omnibus pendentes, & quid hoc significet. l. 8. c. 20. §. 2. & 4. col. 739. c. & 744. a. vocatio eorum vt aperiant per prædicationem aliorum corda. l. 8. c. 9. §. 3. col. 654. b. rationes efficaces huius vocationis. §. 4. col. 655. d. signa ad cognoscendum huiusmodi vocationes vt discernantur ab illusionibus. §. 5. col. 658. a. b. quam indecens sit ex timore humano vel pigritia huic resistere vocationi. c. 11. §. 2. col. 672. b. quomodo Deus alia efficaciori vocatione hæc impedimenta tollat. §. 3. col. 675. b. alia vocatio vt prædicando coronentur de victoria. l. 7. c. 21. §. 4. col. 465. c. & vt triumphent de diabolo virtute Christi. §. 5. col. 468. a. per quæ munia potissime coronentur. §. 6. col. 469. d. ad eos pertinet describere in corde terreno auditorum cælestem Ierusalem, & militantem, ac vtriusque mores vt eos sequantur. l. 9. c. 1. §. 4. col. 826. c. & etiam obsidiones & pugnas quas patiantur vt se præparent ad eas. c. 2. §. 1. col. 828. d. & docere qualis sit Deus, & Christus, paratosque esse ad reddendam rationem eis qui interrogant. l. 8. c. 18. §. 3. col. 724. d. c. & 728. d. e. ideoque oportet perfectos esse scientia etiam experimentali. *ibidem.* sunt muri propugnacula, & portæ Ecclesiæ mirifice à Deo ornatæ. l. 10. c. 15. col. 1123. d. adiuuant alios vt cooperentur ad hæc in seipsis ædificanda. §. 4. col. 1130. a. debent inuitare Christum vt cum illis egrediatur ad suum opus. l. 9. c. 24. col. 992. & deducere eum ad omnes peccatores etiam infideles, & in oppidula parua. §. 2. col. 993. d. etiam ad Indos & gentes remotissimas. l. 6. c. 14. col. 116. a. maxime §. 3. col. 119. c. & quibus mediis ad hoc vtitur. §. 4. col. 122. b. quã ardens sit zelus Ecclesiæ per suos ministros introducendi Christum in Iudæos & gentes. l. 10. c. 2. §. 4. col. 1023. d. in fine mundi tandem introducet Iudæos. §. 3. col. 1022. c. d. & l. 6. c. 14. §. 5. col. 123. d. debent esse fontes hortorum ad irrigandos omnes homines, sed ad tempus fons signatus euitantes vitiosa extrema. l. 7. c. 30. §. 3. col. 547. d. qualis sit doctrina Euangelica qua rigare debet. §. 4. c. 550. a. aliquando debent esse in prædicatione vt Aquilo terrens, aliquando vt Auster mulcens. c. 33. §. 3. col. 573. b. quomodo etiam debent prædicare noua & vetera, & qua solicitudine ac quibus affectibus id præstare debent. l. 9. c. 25. §. 3. col. 1003. c. vnio eorum inter se quantum placeat Deo, & prosit Ecclesiæ. l. 7. c. 25. §. 2. & 3. col. 500. b. & 501. d. non prosunt per ornamenta extrinseca & prophana, sed per affectus & verba à Christo procedentia. c. 24. §. 3. col. 493. b. oportet vt aliquando probent sibi commissos rebus asperis vt illis prosint. l. 8. c. 16. §. 4. col. 714. c.

E

Ecclesia.

ECclesia est velut lectulus Salomonis indigens custodibus, & qui sunt isti. l. 6. c. 22. col. 179. d. est ferculũ & currus triumphalis Christi mirifice exornatus. c. 28. §. 1. & 5. col. 223. d. & 229. d. quos gradus fidelium continet. §. 2. col. 225. c. in medio eius est Christus charitas immensa. §. 4. col. 228. c. quantum præcellat aliis sectis & cœtibus hominum. §. 5. col. 229. d. est corona Christi, & mater coronans illam. c. 3. §. 1. col. 293. c. eius pulchritudo instar ciuitatis Ierusalem terrenæ & cælestis. l. 9. c. 1. §. 1. & 2. col. 820. a & 821. d. est vnica columba tantum. c. 3. §. 1. col. 836. c. complectitur tres status fidelium qui per reginas, concubinas & adolescentulas designantur. §. 2. col. 839. a. laudanda est ab omnibus eius filiis, tamquam beatissima. c. 4. §. 2. col. 848. mirus eius progressus instar auroræ, lunæ & solis, ac castrorum aciei ordinatæ. c. 5. §. 3. col. 857. b. est fortis & terribilis vt acies ad expugnandos hostes, & ad exorandum Deum

e.2.§.1.& 2.col.828.d. & 830. d. progressus eius ab initio vsque ad aduentum Spiritus sancti & post illum. l. 7.e.31. col.552.a.b. sex insignia Ecclesiæ triumphantis, quæ etiam suo modo inueniuntur in milites, &c. l. 9.e.9.§.1.col.886.c.d. maxime eius stupenda pax, concordia & obedientia in viris perfectis. §. 2. col. 887. d. eius profectus & progressus instar palmæ. e. 18. §. 1. col. 949. d. eius constantia in tribulationibus, velut palma. §. 2. col. 952. a. imo pluribus tribulationibus concussa plus creuit. l. 6. e. 19. §. 2. col. 160. a. modus proficiendi ex fructibus Ecclesiæ, & apprehendēdi illos. l. 9. e. 19. §. 1. c. 957. a. Ecclesiæ constantia & firmitas in Christo. l. 10. e. 16. §. 1. col. 1132. & vnde potissime cœpit. §. 2. col. 1134. b. tenet eam Christus scriptam in manibus suis, & præ oculis muros eius. §. 4. col. 1137. c. opposuit firma propugnacula muris eius, & murum ac fortem armatum portis eius. e. 15. §. 1. & 2. col. 1124. a. b. & 125. d. ab Ecclesia quęrendum est qualis sit Deus & Christus, & ipsa tota verum dat responsum. l. 8. e. 18. §. 3. col. 727. b. auctoritas infallibilis eius in Romano Pontifice ad diffiniendum & discernendum inter verum & falsum, bonum & malum quæ pertinent ad fidem & mores. l. 9. e. 15. §. 3. col. 931. c. in sola Ecclesia inueniri Christum. l. 8. e. 29. §. 1. col. 804. c. est area respectu bonorum & malorum, areola vero aromatum respectu bonorum. §. 2. col. 805. d. est hortus vnus & plures, in quibus Christus pascitur. §. 3. col. 807. c. ipse seminat in ea lilia, colligit eleuans ad excellentiorem statum, & tandem merit ad vitam æternam. §. 4. col. 808. c. Ecclesia est hortus conclusus, in fidelibus incognitus, miras edens fructus emissiones nonobstantibus persecutionibus. l. 7. e. 28. §. 1. col. 521. a. dicitur etiam propter iustos hortus conclusus segregatus à peccatoribus. §. 2. col. 523. b. est puteus aquarum viuentium ad bibendum, lauandum, & rigandum animas mirabiles operando effectus. e. 30. §. 1. col. 542. a. velut paradisus terrenus in quo est fons aquæ viuæ ad hos effectus. §. 2. col. 544. c. significatur per Elim vbi erant duodecim fontes, & septuaginta palmæ. l. 7. e. 31. §. 3. col. 556. b. perpetuus fluxus aquæ viuæ & aromatum gratiarū erit in Ecclesia vsque ad finem mundi. §. 4. col. 558. b. Ecclesia triumphans est tota pulchra & sine macula, ac ruga, & suo modo etiam militans. l. 7. e. 20. §. 1. & 2. col. 450. b. & 451. b. Ecclesia noua simul vocatur soror & sponsa, non sic antiqua. e. 23. §. 1. col. 480. a. comparatur fragmini mali punici, Christus vero malo punico integro. l. 7. e. 10. §. 1. col. 371. c. vrget Christum vt ipse nos doceat. l. 9. e. 24. §. 1. & e. 25. §. 3. col. 992. b. & 1003. c.

Eleemosyna.

Eleemosyna. Vide n. Misericordia.

Eucharistia.

Est velut lectulus Christi figurati per Salomonem quem Angeli summa cum reuerentia ambiunt. l. 6. e. 27. §. 1. col. 217. a. iusti etiam ambiunt cum per communionem sacramentalem eum recipiunt. §. 2. col. 218. a. & per spiritualem cum astant sacrificio Missæ. §. 4. col. 221. b. c. & cum defertur in processionibus. §. 5. col. 222. a. b. quā fortitudinem præbeat ambientibus illam, & quę arma ad prœliandum contra hostes. §. 3. col. 219. c. est quasi sedes gestatoria Christi per vniuersum orbem. l. 6. e. 33. §. 1. col. 256. d. est currus triumphalis ipsius. §. 2. col. 259. b. & ferculum cœlestis conuiuij. §. 3. col. 269. b. c. eius excellentia vt ferculum Salomonis. §. 4. col. 262. b. præparatio ad digne recipiendum illam. §. 5. col. 263. a. & e. 37. §. 4. col. 291. d. est conuiuium regium. e. 37. §. 1. col. 288. b. & conuiuium nuptiale. §. 2. col. 290. a. in ea coronatur Christus à charitate increata tamquam à matre diademate charitatis. §. 2. c. 289. c. instituta est in nocte passionis. l. 8. e. 4. col. 607. quod continuit sub vtraque specie declaratur per metaphoras faui cum melle, & vini cum lacte. §. 1. col. 607. d. Christus vere comedit suum corpus & bibit suum sanguinem cum sacramentum instituit. §. 2. col. 610. d. præceptum & consilium communicandi contineri illis verbis, Comedite amici, bibite & inebriamini charissimi. *ibidem.* quam mirabilem efficiat inebriationem in ijs qui vocantur charissimi. §. 3. col. 612. d. specialis præparatio ad illam quatuor continet virtutis exercitia. *ibid.* eius effectus est sublimis contemplatio quę denotatur per illa verba, Ego dormio, & cor meum vigilat. e. 7. §. 4. col. 637. Christus in Eucharistia vocatur candidus & rubicundus à speciebus panis & vini. l. 8. e. 19. §. 3. col. 734. a. propter easdem vmbilicus Ecclesię dicitur crater tornatilis non indigens poculis, & venter eius aceruus tritici vallatus liliis. l. 9. e. 13. §. 4. col. 918. d. propter easdem est fructus palmæ crucis Christi, vbi vbera fiunt vt botri dactylorum, & botri vineæ. e. 20. §. 3. col. 968. c. vocatur etiam vinum optimum, & pomum mali odoriferi propter easdem. e. 21. §. 2. col. 975. b. riuulus aquarum & fluenta plenissima. l. 8. e. 21. §. 3. col. 749. c. ardens desiderium fruendi Christo in Eucharistia. l. 10. e. 3. §. 1. col. 1029. d. propter quid ita est desiderandus. §. 2. col. 1032. b. præparatio ad illam per communionem spiritalem. *ibidem.* actio gratiarum post sumptionem sacramenti. §. 3. 1035. b. est signaculum ponendū super cor signaculi munus egregie perficiens. l. 10. e. 7. §. 3. col. 1067. d. in ea dilectio est fortis vt mors propter consecrationem, dura sicut infernus æmulatio propter manducationem & consumptionem. e. 8. §. 3. col. 1074. 1075. vtraque pertinet ad integram essentiam sacrificij. *ibidem.* in ea dat nobis Christus omnem substantiam domus suæ propter dilectionem. e. 12. §. 1. col. 1103. c. d.

Examen conscientiæ.

Quomodo faciendum à viris perfectis. l. 9. e. 6. §. 4. col. 869. d. exempla sanctorum. Vide n. Sancti.

Fides.

Fides sanguinis Christi cum dilectione est funiculus coccineus saluans animas ab interitu. l. 7. e. 6. §. 1. col. 341. d. perfecta fides coronam operatur & victoriam de vitiis. l. 7. e. 21. §. 2. col. 461. d. fides cum spe comparantur naso quoad tria eius munia, odorandi, respirandi, & emittendi excrementa. l. 9. e. 15. §. 4. col. 933. b. Deus excitat nos vt aperiamus ei fidem quæ iaūa est virtutum. l. 8. e. 9. §. 1. col. 649. c.

F

Fortitudo.

Fortitudo quam necessaria est Ecclesiæ Prælatis, & Doctoribus ad munus suum obeundū. l. 6. e. 23. §. 2. & l. 7. e. 14. §. 1. col. 116. a. b. 140. b c. & 187. a. b. & quæ necessaria est vnicuique ad custodiendam legem Euangelicam. l. 6. e. 25. col. 203. a. b. præstatur affluenter per Eucharistiam. e. 27. §. 3. column. 219. c. & per ipsas legem Euangelicam in qua est omnis armatura fortium l. 7. e. 13. §. 2. column. 395. a. sed potissime habetur in nomine Dei. *ibidem.* & virtute Christi à quo iusti habēt vt sint velut colūnæ marmoreæ, & columnæ firmissimæ in templo Dei l. 8. e. 26. §. 3. column. 782. b. c. in carne infirma splendet hæc fortitudo virtute Christi e. 25. column. 772. c. d. fortitudo instar aciei castrorum bene ordinatæ ad expugnandos hostes l. 9. e. 2. §. 1. column. 828. d. & ad prœualendum contra Deum in orationibus §. 2. column. 830. d. fortitudinis symbolum in laboribus & tribulationibus est palma quæ nulli cedit oneri l. 9. e. 18. §. 1. & 2. column. 949. d. & 952. a. quam stupenda sit fortitudo dilectionis & zeli l. 10. e. 8. & e. 9. & l. 7. e. 26. column. 506. b. & 1069. d. 1079. d. quæ operatur Deus dona in ijs qui sunt fortes vt murus eos reddat fortiores l. 10. e. 15. column. 1123. c. d. quomodo nos offerre debeamus ad hanc fortitudinem habendam e. 16. §. 1. & 3. column. 1132. & 1136. a.

G

Gabrielis nomen significat mysterium incarnationis l. 10. e. 1. §. 3. col. 1014. c. d.

Gloria Beatorum, vide Beatitudo.

Gratia, vide Aqua viua.

Gratitudo & gratiarum actio.

Affectus gratitudinis erga Deum quid includat, & quos gradus habeat l. 8. e. 1. §. 2. column. 580. d.

Gula.

Inordinatus eius appetitus & insatiabilis l. 9. e. 12. §. 1. column. 906. a. infrænatur per heroicam temperantiam §. 2. column. 907. c. d.

H

Humilitas.

Hvmilitas est fundamentum profectus spiritualis, & qui in ea proficit, in omnibus virtutibus proficit l. 6. e. 16. §. 4. column. 138. coniunctio eius cum virginitate quā laudabilis sit e. 21. §. 2. column. 172. a. & l. 10. e. 17. §. 1. column. 1140. c. & cum contemplatione, descendendo ad ima post ascensum in supera l. 9. e. 6. §. 3. column. 867. c. humilitas propriæ originis reducenda est in memoriam antequam aggrediamur insignae facinus l. 10. e. 5. §. 1. column. 1047. d. quid humilitatis importet esse cinerem & puluerem e. 9. §. 3. column. 1080. c. d. humilis fatetur suam ignorantiam & inscientiam e. 7. §. 2. column. 1065. a. & ideo libentius regitur à Christo Domino §. 3. column. 1067. d. Deus singulari modo habitat in humili spiritu l. 7. e. 12. §. 3. column. 388. c. d. vulneratur cor eius ab humili velut ab vno crine colli sui e. 24. §. 4. column. 494. d. per humilitatem anima fit hortus conclusus; bene custoditus e. 29. §. 2. column. 531. d. & similiter fons signatus. *ibidem.* quam mirabile fit cum præclara sanctitate omnibus nota humilitatem seruare, seipsum nescire & abscondere l. 7. e. 10. §. 3. column. 374. b. multiplex discrimen inter cor humile, & superbum. e. 12. §. 2. & 3. column. 387. b. & 388. c. d.

Humilitas & manſuetudo.

Sunt duæ genæ pulcherrimæ Christi quibus dignoscitur, & quas nos imitari tenemur l. 8. e. 22. §. 2. column. 756. a. quam fragrantes sint §. 3. column. 757. b. c. faciunt iugum Christi suaue & onus leue l. 7. e. 12. §. 4. column. 390. a.

I

Ieiunium.

Ieiunium & oratio quomodo iungenda expellenda dæmonia l. 6. e. 17. §. 2. col. 142. a. plures Ieiunij vtilitates. *ibidem.* intentio pura & lætitia spiritalis habenda in illo l. 7. e. 18. §. 1. column. 433. d. & 434. a.

Intentio.

Sublimis intentio quæ omnia reducit ad vnum, & vulnerat cor Dei l. 7. e. 24. §. 1. column. 488. c. d.

Inuidia.

Quàm ingens malum sit, & duplicem esse l. 9. e. 4. §. 1. column. 845. d. per humilitatem & charitatem expelli. *ibidem.* & per affectus laudandi bona aliorum §. 2. column. 848. a.

Ioannes Baptista.

Eius prædicatio, vox & vita l. 8. e. 13. §. 5. column. 692. e. est guttur Christi suauissimum l. 8. e. 27. §. 4. column. 794. b.

Iudæi.

Eorum ruina quia Christum noluerunt recipere l. 6. e. 10. column. 90. d. cur eum non cognouerint. *ibidem.* & l. 9. e. 7. §. 1. column. 871. d. quærentibus eum Magis, ipsi quærere noluerunt l. 6. e. 11. §. 3. column. 99. d. deserti sunt ab Apostolis ob eorum incredulitatem, transeuntibus ad Gentes e. 14. §. 1. column. 116. c. Christus etiam transfugit ab illis ad gentes l. 10. e. 21. §. 2. & l. 9. e. 24. §. 1. & e. 25. column. 992. b. & 1000. d. 1173. d. 176. a. in fine seculi reducendi sunt ad Christum l. 6. e. 14. §. 4. column. 122. b.

Iudicium finale.

Desiderium Ecclesiæ quod Christus veniat ad iudicium l. 10. e. 1. column. 1009. d. præparatio ad illud e. 14. §. 3. column. 1122. b. duplex vox filij Dei quæ audietur in illo à malis & bonis, licet diuersimodè, vna vt resurgant, altera vt sententiam accipiant e. 21. §. 4. column. 1176. b. vocatio iustorum in iudicio ad recipiendum præmium l. 7. e. 22. §. 2. column. 473. a.

L

Lachrymæ.

Lachrymarum vallis in qua fiunt ascensiones cordis, quæ dicatur l. 6. e. 15. §. 3. co-

lumn. 129. a. duplex lachrymarum genus, & vtriusque origo & fructus. *ibidem.* & l. 9. c. 14. §. 2. column. 922. c. lachrymæ ex liquefactione animæ, cui Deus loquitur, procedentes l. 8. c. 15. §. 3. column. 707. c. lachrymæ dantur à Deo, & assumendæ sunt cum mensura l. 7. c. 17. §. 4. column. 429. d. lachrymæ Christi super Ierusalem & in cruce l. 9. c. 14. §. 3. column. 925. d.

Laudes aliorum.

Quomodo citra inuidiam sunt laudandi alij l. 9. c. 4. §. 1. column. 845. d.

Lex Euangelica, & antiqua.

Illa est lex amoris & in hoc secernitur à veteri quæ fuit lex timoris l. 6. c. 19. §. 1. column. 158. a. propter hoc comparatur virgulæ fumi ascendenti ex aromatibus igne combustis. *ibidem.* superat veterem in vtroque actu dilectionis Dei & proximi l. 7. c. 16. §. 2. column. 414. d. promulgata est in die Pentecostes, & tunc cessauit vetus c. 31. §. 2. column. 554. d. 555. a. duratura est vsque ad finem seculi c. 16. §. 2. column. 414. d. ingens requies & pax illi promissa, ob quam comparatur lectulo Salomonis l. 6. c. 25. §. 1. column. 204. a. 206. c. qui dicantur fortes tenentes gladios vt ambiant & custodiant illam §. 2. column. 206. c. 208. c. d. 209. a. excellentia perfectionis quam profitetur, optime describitur per turrim Dauid l. 7. c. 13. §. 1. column. 392. d. quibus sumptibus est ædificanda. *ibidem.* quæ virtutum arma & milites habeat ad præliandum contra vitia §. 2. column. 395. a. quantum in iis superet legem veterem §. 3. column. 397. c. est signaculum ponendum super cor & brachium l. 10. c. 6. §. 2. column. 1057. a. imperfectiones legis veteris ablatæ sunt per Christum in noua, quæ durabit vsque ad finem mundi, illa vero abrogata est l. 17. c. 16. §. 3. column. 416. b. & c. 13. §. 3. column. 397. c.

Locutio recta.

Labia debent aperiri ex charitate ad loquendum cum Deo & de Deo, ideoque vocantur coccinea l. 7. c. 6. §. 2. column. 344. a. dicuntur vitta quia ex charitate ligantur verba quoad numerum, pondus & mensuram c. 9. §. 1. column. 364. b. dulcedo & suauitas seruanda in locutione c. 2. column. 366. c. sine fraude & fictione. *ibidem.*

Luxuria.

Furens eius appetitus l. 9. c. 12. §. 1. column. 906. a. quomodo coercetur per castitatem §. 2. column. 907. c. vide, v. Castitas.

M

MAnsuetudo, vide v. Humilitas.

Maria Magdalena.

Eius mira conuersio l. 6. c. 13. §. 1. col. 110. b. eius perfecta pœnitentia c. 17. §. 4. column. 146. d. & simul eius verecundia c. 11. §. 4. quo feruore quæsiuit Christum in sepulchro l. 6. c. 13. §. 2. col. 113. c. & vacauit in spelunca contemplationi per triginta annos §. 3. col. 115. a.

Maria Mater Dei, Conceptio eius.

Prænunciata fuit cum dictum est serpenti, inimicitias ponam inter te & mulierem l. 6. c. 9. §. 3. col. 83. c. fuit ex progenie Dauid per Nathan vt refert D. Lucas, & aliquo modo etiam per Salomonẽ vt refert D. Mathæus l. 6. c. 31. §. 1. col. 245. a. Concepta est sine peccato originali vt semper fuerit tota pulchra & sine macula l. 7. c. 20. §. 3. col. 453. a. contraxit debitum peccati originalis tantum radicale, non actuale. *ibidem.* facta est à Deo recta, sicut primus homo fortis est rectus l. 7. c. 15. §. 1. column. 406. b. quomodo sub arbore malo in quo corrupta est Eua, suscitata est virgo vt innocens permaneret l. 10. c. 5. §. 4. column. 1053. d. ab instanti conceptionis pacem reperit coram Deo; fuit sicut murus fortis & vbera eius sicut turris l. 17. §. 3. column. 1144. a. extunc agnouit per fidem Christum venturũ, desiderauit & perquæsiuit eius aduentum l. 6. c. 9. §. 3. column. 83. c.

Annunciatio Angeli.

Annunciatio facta ei ab Angelo de incarnatione filii Dei, & tunc Christum inuenit, quem desiderabat l. 6. c. 9. §. 4. column. 85. a. & per partum introduxit plene in mundum §. 5. column. 87. b. quam vehementer desiderauerit videre Deum puerum factum, & post annunciationem videre illum iam natum l. 10. c. 1. §. 3. column. 1014. c. per humilitatem & virginitatem præparauit se ad incarnationem in ea operandam, & per eadem quodam modo obsistebat illi c. 17. §. 1. column. 1140. c. quid tres diuinæ personæ ei contulerint in hac Annunciatione, ad conseruandam virginitatem cum fœcunditate matris, §. 2. column. 1142. b. quomodo tunc labia illius fuerunt vt vitta coccinea seruans mirum silentium, & breuissima loquens verba quod semper seruauit l. 7. c. 9. §. 3. col. 368. d. Angelo nunciante incarnationem Deus intus illam solicitabat ad consensum, illis verbis, aperi mihi soror mea, &c. quia caput meum plenum est rore, &c l. 8. c. 13. col. 687. b. & rursus illis verbis, quæ habitas in hortis, amici auscultant; fac me audire vocem tuam l. 10. c. 20. §. 2. col. 1168. a. audita Annunciatione quo affectu desiderauerit complementum illius, cum dixit, Ecce ancilla Domini, &c. l. 8. c. 3. §. 1. col. 596. d. 597. triplex myrrha mortificationis annexa muneri matris Dei quam tunc acceptauit c. 13. §. 4. col. 691. a. modus quo in ea tunc perfecta est incarnatio §. 3. col. 69. a. quomodo vulnerauit cor Dei in annunciatione vt eum raperet, & traheret vt ex ea carnem assumeret l. 7. c. 24. §. 4. col. 494. d. quomodo tunc vocata est ad recipiendam coronam matris Dei c. 22. §. 3. col. 475. c. d.

Virginitas eius.

Deducitur ex genealogia Christi per Iechoniam quam refert D. Mathæus l. 6. c. 31. §. 1. col. 245. a. propter eam vocatur hortus conclusus & fons signatus virginitatis voto l. 7. c. 29. §. 4. col. 536. b. emissiones illius fuerunt sicut paradisus omnibus virtutibus fragrans. *ibidem.* coniunctio temperantiæ cum castitate l. 9. c. 12. §. 3. col. 910. c. coniunctio triplicis fœcunditatis. s. filii vnigeniti, sanctorum operum, & electorum cum pulchro vallo virginitatis c. 13. §. 2. & 3. colum. 914 d. 917. a. coniunctio humilitatis cum eadem l. 7. c. 29. §. 4. & l. 10. c. 17. §. 1. & 2. & l. 6. c. 21. §. 2. & 3. column. 172. a. 173. c. 536. b. 1140. c. & 1142. b. Mariæ virginitas confirmatur ex eo quod dicitur vultures feminas concipere ab Austro sine masculo l. 7. c. 32. §. 2. col. 564. a.

Profectus

Profectus eius & sanctitas.

Per antonomasiam conuenit ei esse quæ ascendit l. 6. c. 21. §. 1. column. 170. d. ascendit per desertum spiritale omnium rerum, & per desertum virginitatis §. 2. column. 172. a. ascendit vt virgula fumi per humilitatem, & rectitudinem intentionis, mortificationis & orationis §. 3. & 4. column. 173. c. & 175. a. ascendit delicijs affluens, id est virtutibus quæ sunt eius deliciæ §. 6. column. 178. c. stupendus eius progressus à Conceptione vsque ad Assumptionem vt aurora, luna & sol l. 9. c. 5. §. 4. & c. 10. §. 2. column. 859. c. 895. b. c. statura & perfectio eius instar palmæ c. 18. & c. 19. column. 949. a. b. constantia eius iuxta palmam crucis c. 20. §. 4. column. 969. c. quam excellenter in contemplatione impleuit illud; Ego dormio & cor meum vigilat l. 8. c. 7. §. 4. column. 637. est inter omnes & super omnes vna columba, & vna perfecta l. 9. c. 3. §. 4. column. 843. c. ab omnibus beatissima prædicanda e. 4. §. 3. column. 870. a. fuit velut lectulus Salomonis quem fortissimæ & præclarissimæ virtutes ambiebant, & ad quem omnes electi confugiunt l. 6. c. 26. §. 2. column. 211. c. est ferculum ab ipso Christo factum cum stupendo ornatu virtutum vt illum veheret; & etiam propter nos c. 31. column. 244. d. est vnicum collum Ecclesiæ, cui præcellenter conueniunt omnes colli proprietates l. 7. c. 15. §. 1. column. 406. b. dicitur sicut turris Dauid quæ ædificata est cum propugnaculis, & cum innumeris virtutum armis §. 2. column. 407. c. & quam potens sit ad protegendum nos §. 3. column. 409. semper fuit præcelsus mons myrrhæ & collis thuris Christo simillimus l. 7. c. 20. §. 4. column. 458. a. quam ingens sit eius misericordia, tum in corporalibus tum in spiritualibus tamquam exemplar eius l. 7. c. 17. §. 4. & l. 6. c. 21. §. 6. column. 178. c. & 429. d. qua solicitudine quæsiuit puerum Iesum in triduo, quo mansit in Ierusalem, nec dimisit vsque ad mortem l. 6. c. 13. col. 109. d.

Assumptio in cælos.

Vocatio eius ad recipiendam coronam gloriæ l. 7. c. 22. §. 4. column. 184. b. quomodo tunc ascendit delicijs affluens innixa super dilectum suum l. 6. c. 21. §. 4. & 5. & 6. column. 175. a. 176. b. & 178. c. progressus eius in Assumptione. l. 9. c. 5. §. 5. column. 862. a. beati desiderabant habere illum secum c. 8. §. 3. column. 882. c. ex quo assumpta est in matrem Dei reperit pacem etiam pro nobis l. 10. c. 17. §. 3. column. 1144. a. satagit introducere Deum in mentes & corda hominum l. 6. c. 9. §. 6. column. 88. c. tenet Deum ne irascatur mundo & nobis. *ibidem.*

Martyres.

Propter eorum præclaram confessionem & testimonium dicuntur genæ Ecclesiæ sicut fragmen mali punici l. 7. c. 10. §. 2. column. 372. d. 373. mors quædam Martyrum quæ eos ad martyrium præparat l. 10. c. 8. §. 4. & 5. column. 1075. a. & 1077. b. persecutiones eorum l. 8. c. 16. §. 2. & 3. column. 711. b. & 712. d. Vide n. Mortificatio & n. Tribulationes.

Meditatio. Vide Contemplatio.

Misericordia, Eleemosyna.

Misericordia vt dilectioni proximi sociatur, præferatur alijs virtutibus l. 7. c. 17. column. 421. a. duo opera misericordiæ corporalia & spiritualia, sunt velut duo vbera iusti §. 1. column. 424. a. septem eorum proprietates ex similitudine vberum desumptæ §. 2. column. 425. a. eædem explicantur amplius ex eo quod dicuntur sicut duo hinnuli capreæ gemelli qui pascuntur in liliis §. 3. column. 427. d. quatuor exemplaria vt perfectius efficiantur §. 4. column. 429. d. viri misericordes dicuntur vbera Ecclesiæ §. 1. col. 424. a. manus diuitum debent esse tornatiles plenæ hyacinthis ad dandas eleemosynas l. 8. c. 24. §. 3. column. 770. a. hyacinthus symbolum est misericordiæ. *ibidem.* maior misericordia est offerre auxilium indigenti, & eleemosynam pauperi etiam antequam petat l. 8. c. 28. §. 3. & l. 7. c. 17. §. 2. column. 425. a. & column. 802. a. qui plus hilariter propter Christum largiuntur, plura recipiunt l. 7. c. 17. §. 2. & 3. column. 425. a. & column. 427. d. dulcedo quam Deus miscet operibus misericordiæ l. 9. c. 2. §. 3. column. 833. c. eleemosyna est satisfactoria pro peccatis l. 6. c. 17. §. 2. column. 142. a. orat pro nobis, & est quasi munus obligans Deum vt nos exaudiat. l. 7. c. 27. §. 3. column. 515. c.

Modestia.

Eius excellentiæ & proprietates ad similitudinem Christi l. 8. c. 22. & 27. column. 753. c. & 787. a. b.

Mors.

Discrimen inter mortem pessimam peccatorum, & pretiosam mortem sanctorum l. 6. c. 2. §. 1. column. 166. a. vniuersus puluis aromaticus bonorum operum congregandus est antequam conuertamur in puluerem §. 2. column. 167. a. tunc iustus ascendit dealbatus & delicijs affluens in cælum §. 3. column. 168. c. quam fatuum sit differre præparationem bonorum operum ad horam mortis, sed statim esse faciendam. l. 9. c. 25. §. 2. col. 1000. d. vocatio sanctorum in morte ad coronam, & præmium quã magna & dulcis sit l. 7. c. 22. §. 1. & 2. col. 471. c. & 473. a. & l. 8. c. 9. §. 6. col. 660. a. beati desiderant videre secum animam iusti qui est prope mortem, & eam inuitant vt reuertatur ad patriam l. 9. c. 8. §. 3. col. 882. c. mors iustorum est deductio in domum cælestis Ierusalem, quæ est mater nostra l. 10. c. 2. §. 5. col. 1026. d. dulce colloquium inter Deum & animam sanctam in hora mortis desiderantes vtrique audire vocem alterius c. 20. §. 4. col. 1176. b. mors spiritalis & salutaris Vide n. Mortificatio.

Mortificatio, Abnegatio sui.

Ascensus in perfectionem fit per omnimodam mortificationem sui deserendo mundum & seipsum l. 6. c. 17. colum. 140. b. quinque gradus mortificationis per quos ascenditur in perfe-

ctionem religiosam c. 19. §. 5. column. 164. a. sextus addendus est offerendum se ad fundendum sanguinem cum oportuerit c. 32. 4. column. 184. b. c. duplex ad hoc gladius spiritalis, alter abnegationis spontaneæ, alter tolerantiæ passionis, seu martyrij, & discrimen inter eos c. 25. §. 2. col. 206. c. insignis mortificatio per capillos designatur l. 7. c. 2. §. 2. col. 316. d. & rursus per tonsionem capillorum, id est superfluarum cogitationum mortificationem, & concupiscentiarum vnde pullulant c. 3. col. 323. b. est circumcisio quædam generalis ad similitudinem Christi crucifixi l. 9. c. 16. §. 1. & 2. col. 935. b. 936. b. superflua omnia tondenda l. 7. c. 5. §. 1. col. 337. a. excellentior mortificatio & copiosior fit per ardentem charitatem quę dicitur fortis vt mors l. 10. c. 8. §. 4. col. 1075. a. in quibus potissime eam efficit §. 5. efficit eam intus & exterius c. 9. §. 3. col. 1083. c. excellentes proprietates mortificationis quam amor Dei gignit c. 4. col. 1085. d. perfectius mortificat vitia quam reliquæ virtutes. *ibidem.* mortificationis exercitium egregie designatur per montem myrrhæ, & eius proprietates l. 7. c. 18. §. 1. col. 433. d. cur vocetur mons, cum oratio comparetur colli, qui minor est §. 2. col. 435. d. Dei est nos excitare vt ascendamus in vtrumque §. 3. col. 437. b. Deus visitat, consolatur & iuuat commorantes in illis §. 4. col. 439. a. præsente diuina visitatione fit perfectior abnegatio sui quæ secum affert omnes virtutes l. 8. c. 2. §. 1. col. 586. d. conditiones perfectæ mortificationis necessariæ ad obediendum diuinæ vocationi designantur per manus distillantes myrrham l. 8. c. 12. §. 1. col. 679. a. scopus eius est auferre pessulum cordis, id est id quod impedit ne Deus ingrediatur in illud §. 2. col. 682. b. conducit ad omnia opera bona patranda, & ad opus prædicationis §. 4. col. 685. b. perfecta mortificatio significatur per myrrham primam quam distillant labia Christi l. 8. c. 23. §. 2. col. 760. c. in quo differt myrrha prima Christi à mira ficta & impura philosophorum ac hypocritarum §. 3. col. 762. c. id est manus & opera iustorum debent esse tornatiles, abscindendo per mortificationem omne imperfectum c. 24. §. 2. & 3. col. 768. c. & 770. a. renuntiatio omnium quæ possidemus quæ fit per mortificationem affectionum ad illa, est sumptus necessarius ad ædificandam turrim perfectionis Euangelicæ l. 7. c. 13. §. 1. col. 392. c. mortificatio indiget ope orationis, sicut oratio mortificatione l. 6. c. 17. §. 2. & l. 7. c. 16. §. 2. col. 142. a. & 435. d. obtinet quietem à laboribus, qui ea adepta cessant l. 10. c. 8. §. 4. & l. 6. c. 24. §. 2. column. 199. b. c. &. 1075. a. quam vtilis sit etiam in minimis l. 6. c. 19. §. 5. colum. 164. a.

O

Obedientia.

OBedientia eximia est obedientia ad quemuis Prælatum propter Christum, quæ floruit in Ecclesia primitiua Christi, & in religionibus l. 9. c. 9. §. 2. column. 887. d. in quo discriminentur obedientia politica, & Christiana seu religiosa §. 3. column. 890. d. pax & concordia illi adiuncta. *ibidem.* obedientia generat aceruum bonorum operum c. 13. §. 2. column. 914. d. quantum desideret Deus audire vocem nostram prompte nos exhibentes ad audiendam vocem eius l. 10. c. 20. §. 1. column. 1164. d. obediendi celeriter §. 2. column. 1168. a. opera & media nostri profectus & victoriæ vim habent ex obedientia ad Deum iubentem per se vel per Prælatos l. 6. c. 14. §. 4. & c. 6. §. 3. & c. 17. §. 3. column. 55. d. 122. b. & 144. c.

Otium. Vide Pigritia.

Opera bona, & occupationes.

Homo natus est ad laborandum & operandum l. 6. c. 3. §. 1. col. 26. a. immoderatæ occupationes nocent nisi redigantur ad medium. §. 3. col. 30. a. opera coniungenda sunt orationi l. 7. c. 27. §. 3. column. 515. c. sunt velut munera oblata Deo & causæ mouentes vt nos audiat. *ibidem.* quomodo sunt iungenda orationi §. 4. column. 518. a. vtraque sunt emissiones sicut paradisus Dei valde ei gratæ. c. 28. §. 4. column. 527. a. non solum oportet operari, sed custodire quæ operata sunt. c. 29. column. 529. d. sequuntur iustum in morte l. 6. c. 20. §. 1. column. 166. a.

Oratio.

Locus, tempus, & modus Orandi l. 6. c. 5. §. 1. column. 41. c. quale desertum vel solitudinem potissime exigat Oratio c. 18. §. 1. column. 150. b. est perfectum holocaustum quod Deo spiritaliter offertur §. 5. col. 155. c. est ascensus mentis in Deum sicut virgula fumi ex aromatibus thuris §. 2. col. 142. a. excellentia orationis vt est locutio cum Deo l. 7. c. 8. column. 355. b. Dei est aperire labia ad orandum, & clauis est eius inspiratio §. 1. column. 356. b. oratio tam mentalis quam vocalis egregie designatur per labia tamquam vitta coccinea §. 2. charitas est vitta coccinea ligans in oratione verba, cogitationes & affectus variis & miris modis. *ibidem.* oratio etiam miris modis ligat Deum & trahit ad orantem vt det quod petit §. 3. column. 359. b. ligat virtute Dei ignes, leones, diabolum & omnia iuxta Dei voluntatem. *ibidem.* est neruus ligans potentias animæ. *ibidem.* orationis dulcedo, vocalis est vt fauus distillans, mentalis, vt mel & lac sub lingua §. 4. column. 361. b. oratio sine attentione est fauus sine melle, Deo insipida. *ibidem.* distractiones quæ eam molestant velut somnia dormientium l. 8. c. 7. §. 1. column. 630. d. orationis vocalis & mentalis exercituum etiam egregie depingitur per dentes sicut oues tonsarum quæ ascenderunt de lauacro. l. 7. c. 5. column. 336. b. & per guttur sicut vinum optimum dignum dilecto ad ruminandum l. 9. c. 21. §. 1. column. 973. c. eius insignes proprietates §. 2. column. 975. b. orationes iaculatoriæ sunt velut respirationes per guttur emissæ. *ibidem.* quàm

quàm fortis sit oratio ad expugnandos hostes ex eo quod est fortis erga Deum l. 9. c. 2. §. 2. column. 830. d. multo efficacior est oratio Ecclesiæ & multorum simul concurrentium ad orandum. *ibidem.* vox interior Dei nos prius excitat ad orandum & emittendas voces nostras ad ipsum l. 10. c. 19. §. 1. column. 1156. a. oratio vocalis, & cantus in Templis quam laudabilis & gratus sit Deo §. 2. column. 1158. b. variæ voces animæ in oratione ad Deum, scilicet laudis, gratiarum actionis, &c. c. 20. §. 1. col. 1164. d. quam celeriter Deus audit orationes iustorum l. 8. c. 2. col. 586. d. orandi etiam sunt Angeli & beati c. 17. §. 2. column. 719. a. & etiam iusti qui nobiscum degunt vt orent pro nobis §. 3. col. 721. a. oratio & mortificatio mutuò se iuuant, & magnam vim habent l. 6. c. 17. §. 2. col. 142. a. ideo optime designantur per montem myrrhæ & collem thuris, ad quos nos vadere oportet l. 7. c. 18. §. 2. column. 435. d. necesse est tamen vt Deus vadat nobiscum & nos cum illo §. 3. colum. 437. b. Deus vt finit ibi commorantes, & quæ bona illis præstet §. 4. column. 439. a. b. quomodo oratio auferat sibi cor Dei, & consequenter bona ipsius l. 7. c. 23. §. 2. column. 482. b. orationes sunt emissiones tamquam paradisus Dei ab Ecclesia vel pia anima tamquam ab horto concluso procedentes l. 7. c. 28. §. 4. column. 527. a. septem petitiones Dominicæ sunt septem emissiones per septem aromata designatæ. *ibidem.* opera bona habent vim orationis, ideo dicuntur vestimenta redolentia thus c. 27. §. 3. 3. & l. 10. c. 19. §. 2. col. 515. c. & 1158. b.

P

Patientia.

PAtientia est ascensus ad perfectionem, & vertex illius l. 6. c. 29. §. 4. col. 236. d. per illam dilectio est dura sicut infernus ad tolerandos labores l. 10. c. 9. col. 1079. d. Vide n. Fortitudo. Patientia inuicta Martyrum trahebat homines ad fidem, & dilatabat Ecclesiam l. 6. c. 19. §. 3. col. 161. c.

D. Paulus.

Eius conuersio, & mutatio ex peccatore in prædicatorem l. 6. c. 29. & l. 9. c. 15. §. 3. col. 232. b. & 931. c. fuit insigne collum Ecclesiæ sicut turris Dauid ad deferendum Christum l. 7. c. 14. col. 398. d. & singulare ferculum Christi l. 6. c. 29. col. 232. b. ipse & D. Barnabas fuerunt duæ alæ Ecclesiæ ad deferendum Christum inter Gentes. l. 6. c. 14. §. 1. & l. 10. c. 21. §. 3. col. 116. c. & 1173. d. Vide etiam n. Petrus.

Pax & Concordia.

Quam stupenda sit quam prædixit Isaias efficiendam per Christum etiam inter eos qui per naturam dissident l. 9. c. 9. §. 2. col. 887. d. duplex pax, mundana seu politica, & Christiana seu religiosa, & in quo differant §. 3. col. 890. d. triplex concordia Deo valde grata inter maiores, æquales & minores, inter se inuicem l. 7. c. 25. §. 1. col. 497. c. concordia & vnio Præsulum & Doctorum qui sunt oculi Ecclesiæ §. 2. column 900 b. concordia minorum & subditorum inter se. §. 4. column. 904. c. excellentiæ & præmia huius vnionis & concordiæ ex Psalmo 132. deducta §. 3. mala, & pœnæ discordiæ. *ibidem.* & §. 4. column. 904. c. concordia & vnio Religiosorum vt significatur per dentes l. 7. c. 5. §. 3. column. 337. a. in quo consistat l. 6. c. 25. §. 2. col. 206. c. hanc concordiam & vnionem in Ecclesia efficit charitas l. 9. c. 3. §. 1. colum. 836. c. quam ingens bonum sit reperire pacem coram Deo. l. 10. c. 16. §. 3. column. 1136. a. & quam malum illam oblatam à Deo, repudiare. §. 4. col. 1137. c. Vide n. Vnio.

Peccatum.

Significatur per Aquilonem, & quàm grauia damna inferat nobis l. 7. c. 32. §. 1. column. 561. c. quàm molesta & onerosa sint Deo peccata nostra l. 8. c. 8. §. 4. col. 645. a. minima peccata etiam detestanda l. 6. c. 17. §. 3. column. 144. c. Vide n. Pœnitentia.

Perfectio Euangelica. Vide n. Profectus spiritalis, & lex Euangelica.

D. Petrus.

Vocatur Cephas quod est petra & caput, quia fundamentum & caput Ecclesiæ l. 9. c. 16. §. 3. column. 938. a. est caput aureum Cephas ad similitudinem Christi l. 8. c. 20. §. 2. col. 739. c. vt repræsentans Ecclesiam respondit, Tu es Christus Filius Dei viui l. 18. §. 3. column. 727. d. quid significet Bar-jona *ibidem.* Petrus & Paulus sunt duo vbera Ecclesiæ sicut duo gemelli capreæ l. 7. c. 16. §. 4. column. 510. a. & duo oculi eiusdem. *ibidem.* & l. 8. c. 21. §. 4. column. 750. c. & veluti duo Christi crura sient columnæ marmoreæ super bases aureas l. 8. c. 26. §. 3. & 4. column. 782. b. c. & 785. b.

Pigritia, & otium.

Sunt contraria homini qui natus est ad laborem l. 6. c. 3. §. 1. col. 26. a. pigrè quærentes Deum, iustè non inueniunt §. 2. & c. 1. §. 4. col. 11. a. & 28. a. pigritia est ros & guttæ noctium grauantes caput Christi l. 8. c. 9. §. 2. col. 652. a. excusationes variæ pigrorum ad non pœnitendum vel laborandum c. 10. §. 2. & 1. column. 663. c. d. vel ad non prædicandum cùm iubetur c. 11. §. 2. col. 672. b.

Pœnitentia.

Oportet eam celerem esse, & perfectam, ex amore que procedere l. 6. c. 8. §. 1. col. 71. actus eius interni §. 2. col. 73. c. perficietur per absolutionem à confessariis exhibitam §. 3. column. 75. d. tres eius actus, contritio, confessio & satisfactio per quos ascenditur ad perfectam iustificationē c. 17. §. col. 140. c. opera eius satisfactoria sicut ieiuniū seu castigatio carnis, oratio & eleemosyna, ac quomodo mutuò se iuuent §. 2. col. 142. a. quam rarus & mirabilis sit ascensus per perfectam pœnitentiam §. 3. col. 144. c. moderatio ex discretione in eius operibus habenda. §. 4. colum. 146. d. arbor gratiæ instar niuis quem efficit. §. 5. col. 148. a. pœnitentia est velut piscina in Esebon, quod est mœror, in qua lauantur peccata post baptismum commissa. l. 9. c. 14. §. 1. duplex genus lachrymarū quod illa

comitantur. §. 2. virtute sanguinis Christi peccata dealbantur sicut nix. l. 7. c. 6. § 1. col. 341. d. vocatio peccatoris ad pœnitentiam fit variis modis. l. 8. c. 8. § 2. col. 642. a. rationes mouentes ex parte roris gratiæ quem Christus offert. §. 3. col. 643. c. & aliæ ex roræ frigido nostrorum peccatorum quæ illum vexant. §. 4. col. 645. a. ex eo quod diu nos expectauit, tamquam nostri amoris captiuus §. 5. col. 647. a. instanter peccatorem excitat dicendo ei quater, reuertere. l. 9. c. 8. § 1. col. 878. c. d. in omnibus ætatibus vocari vt reuertatur ad Deum. §. 4. col. 881. a. quosdam resistere Deo vocati, ex obstinatione in suis peccatis. l. 8. c. 10. § 1. col. 662. a. alios ex pigritia vanas adducentes excusationes. § 2. col. 663. c. d. aliquando vocantur alia fortiori vocatione, maxime per flagella. § 3. & 4. col. 665. c. & 666. a. alij perfecte obediunt vocationi & surgunt vt Deo aperiant, per tres actus pœnitentiæ. l. 8. c. 12. § 3. col. 683. a. firmum propositum numquam peccandi est valde necessarium. c. 11. § 1. col. 670. c. d. pœnitentes comparantur capillis capiti adhærentes, & sunt velut greges caprarum, &c. l. 7. c. 2. § 1. col. 315. a. quam periculosum susit relabi, & iterum à Christo separari. § 4. col. 321. b. cor humile & flexibile, si cadat, mox surgat per pœnitentiam vt Dauid. c. 12. §. 3. col. 388. c. zelus vindictæ contra propria peccata. l. 10. c. 9. § 3. col. 1083. c.

Profectus spirituales & perfectio.

Tres status incipientium, proficientium, & perfectorum l. 6. c. 15. § 1. col. 126. b. l. 9. c. 3. § 2. & c. 5. & c. 24. § 1. col. 839. a. 852. a. & 993. d. varii eorum profectus in suo gradu l. 6. c. 15. § 1. col. 126. b. Deus est præcipua eorum causa §. 2. col. 127. b. alii sunt veri profectus, alii ficti. § 3. col. 129. a. proficiendum est cum feruore vsque ad mortem § 4. col. 131. b. etiam si degamus inter malos, quamuis hoc sit difficile l. 6. c. 16. § 1. col. 133. b. profectus fit per desertionem mundi, & mundanarum rerum ac sui ipsius. § 2. col. 134. b. potissime procedit ab igne charitatis § 3. fundatur in humilitate, & à profectu in illa est inchoandum. § 4. col. 138. a. modus crescendi paulatim, secreto, & fortiter l. 9. c. 5. § 1. & l. 6. c. 17. § 4. col. 146. d. & 852. d. significatur egregie per incrementum palmæ l. 9. c. 18. § 1. col. 949. d. debet fieri per opera plena, & proprio statui consentanea ad similitudinem Christi § 2. col. 952. a. opera externa non semper possunt crescere, secus interna l. 6. c. 17. § 4. col. 146. d. firmum propositum obsequendi Deo fundamentum est magni profectus l. 10. c. 15. § 3. col. 1128. a. seruare minima valde iuuat ad cumulum perfectionis l. 9. c. 13. § 1. & l. 6. c. 19. § 5. col. 164. a. & 912. a. iusti vocantur à Deo vt iugiter proficiant, & in ipsa vocatione media proficiendi præscribit l. 8. c. 9. § 1. col. 649. c. per visitationem Dei cõfertur ros gratiæ ad proficiendum, & aufertur ros frigoris & pigritiæ quæ id impediebat §. 2. col. 652. a. quosdam insigniter vocat ad maiorem profectum vt ascendant vsque ad verticem perfectionis l. 7. c. 21. § 1. col. 460. c. modus proficiendi ex bonis Ecclesiæ, & quale debeat esse hoc proficiendi propositũ l. 9. c. 19. § 1. col. 957. a. oportet vt quis sit perfectus quòd sit hortus conclusus sciens custodire quæ operatur l. 7. c. 29. col. 529. d. quam sublimis sit perfectio legis Euangelicæ, ad quam ascendere debemus relinquendo omnia c. 13. § 1. col. 392. d. perfectio in quatuor potissime consistit l. 9. c. 6. § 3. col. 867. c. d. pauci valde proficiunt & sunt perfecti c. 3. § 2. col. 839. a. anhelandum esse ad numerum perfectorum §. 3. column. 841. b. Vide n. Sanctitas.

Prouidentia Dei. Vide v. Christus, ad finem.

Prudentia, & discretio.

Sublimitas & rectitudo illius l. 9. c. 15. § 1. col. 928. a. discretio inter verum & falsum, bonum & malum. § 2. col. 929.

Q

Quadragesimæ tempus.

Deputatum est ad quærendum Deum per actus pœnitentiæ, & aliarum virtutum l. 6. c. 8. § 4. col. 77. c.

Quærere Deum & Christum. Vide v. Deus.

R

Religiosum institutum, & Religiosi.

Religiosum institutum est velut lectulus Salomonis, in quo Christus pacifice requiescit pacem efficiendo per tria vota l. 6. c. 25. § 3. column. 206. c. & 208. a. ambiunt eum sexaginta fortes. 1. Angeli, Prælati, & perfectionis studiosi ad eius custodiam. *ibidem.* est sicut turris Dauid, in qua est omnis armatura fortium. *ibidem.* & l. 7. c. 13. colum. 392. b. est quasi ferculum ab ipso Christo erectum vt in eo deferatur ad alios l. 6. c. 30. § 1. column. 240. c. quinque eius insignes proprietates quæ in ferculi fabrica designantur. § 2. column. 241. c. religiosi comparantur capillis hærentibus capiti ob alias quinque præclaras proprietates l. 7. c. 2. § 2. column. 316. d. & hæ amplificantur per similitudinem ad greges caprarum quæ ascenderunt de Galaad § 3. colum. 318. c. quam tremendum sit eos semel à suo capite, scilicet Christo, & à suo instituto diuelli § 4. col. 321. b. comparantur etiam capillis sicut purpura regis vincta canalibus ob maximam similitudinem cum Christo crucifixo cui vinciuntur per tria vota l. 9. c. 16. § 2. col. 936. b. comparantur dentibus sicut greges tonsarum quæ ascenderunt de lauacro propter septem eorum insignia l. 7. c. 5. column. 336. b. vota eorum sunt vitta coccinea à labijs charitate inflammatis procedentia, quibus se Deo & religioni ligant l. 7. c. 8. § 3. column. 359. c. comparantur duobus vberibus sicut gemellis capreæ quia flagrant vtroque Dei & proximi amore cum aliis virtutibus quæ per hos gemellos designantur l. 7. c. 16. § 3. column. 416. b. per vota offerunt Deo sua vbera, & omnia poma noua & vetera l. 9. c. 25. § 2. col. 1009. d. religio est quidam mons myrrhæ & collis thuris, ad quem fideles ex Christi

Christi vocatione vadunt vt mortificatione & oratione proficiant l. 7. c. 18. § 5. col. 431. d. ad hunc montem vocantur fugiendo alios tres, s. potestatis, voluptatis, & inanis scientiæ c. 21. § 3. col. 463. b. religiosus profectus sit per quinque abnegationis gradus l. 6. c. 18. § 5. col. 155. c. d. cui additur sextus perfectior designatus per purpuram c. 32. § 4. col. 254. c. & alius excellens repræsentatus per capillos l. 7. c. 2. § 2. col. 316. c. d. quâ insignẽ mortificationem efficiat in eis charitas fortis vt mors l. 10. c. 10. § 3. & 4. per vota maxime castitatis dicuntur hortus conclusus, fons signatus l. 7. c. 29. col. 529. d. quam mira sit obedientia, pax & concordia religiosa l. 9. c. 9. § 2. col. 887. d. pulchritudo religiosi & sanctitas debet esse ad similitudinem cælestis Ierusalem l. 9. c. 1. § 3. col. 824. b. & conformis religioni quam profitetur transferendo in se eius institutum § 4. col. 826. c. religiosorum delitiæ spirituales c. 17. § 2. col. 946. a. & corporales honestæ § 4. col. 947. d. vnio eorum l. 7. c. 5. § 1. & c. 25. & l. 9. § 2. col. 337. a. 497. & 887. d. Religiosorum dux fuit Elias l. 7. c. 2. § 3. col. 316. d.

Romanus Pontifex.

Est caput Ecclesiæ sicut Carmelus Cardinales & alij Episcopi eomæ eius sicut purpura regis l. 9. c. 16. § 3. col. 938. a.

S

Sacramenta.

Sacramenta sunt septem canales quibus communicatur gratia Christi, & sacerdotes sunt ligati illis ad eam conferendam l. 9. c. 26. § 3. col. 938. a. 939. 940. a. ipse Christus de lege ordinaria se ligauit illis. *ibidem.* etsi alio modo. *ibidem.* sunt septem riuuli aquarum viuentium iuxta quæ residunt animæ puræ vt columbæ l. 8. c. 21. § 3. col. 749. c. sunt fontes aquæ viuæ gratiæ ad triplicem effectum bibendi, lauandi & rigandi l. 7. c. 30. § 1. col. 542. a.

Sanctitas & sanctus.

In sanctis maior est virtus quæ intus latet quam quæ foris manifestatur l. 7. c. 1. § 2. col. 306. c. sanctitas viæ inferior est sanctitate patriæ. §. 3. col. 309. d. debet esse ad similitudinem Christi l. 9. c. 1. § 1. col. 820. a. & ad similitudinem Ierusalem terrenæ ac cælestis § 2. & 3. col. 821. d. & 824. b. & in vnoquoque conformis Ecclesiæ, cuius est membrum § 2. & 4. col. 821. d. qua ratione sanctæ animæ possit conuenire esse totam pulchram & sine macula l. 7. c. 20. § 2. col. 451. c. sanctorum cætus est hortus conclusus segregatus à peccatoribus, & fons signatus triplici signaculo l. 7. c. 28. § 2. col. 523. b. & simul fontes hortorum c. 30. § 3. col. 547. d. sancti sunt Christi & Ecclesiæ diadema l. 6. c. 38. col. 293. c. & insigniores sunt etiam mater coronans illum § 1. col. 294. c. sunt capilli velut greges caprarum l. 7. c. 2. col. 314. c. & comæ capitis Christi velut elatæ palmarum l. 8. c. 20. § 4. col. 744. a. sunt mysticæ Christi manus aureæ & tornatiles ad insignia opera pa-tranda c. 24. col. 770. a. sunt hyacinthi in Christi manibus. *ibidem.* quo sensu sancti dicantur facere maiora opera quam ipse Christus l. 7. c. 31. § 4. col. 558. b. sancti in gressibus suis sunt stabiles, & ideo dicuntur crura velut columnæ marmoreæ super bases aureas l. 8. c. 26. § 3. col. 782. b. c. sunt etiam columnæ Ecclesiæ. *ibidem.* Exempla sanctorum iuuant nos ad bene quærendum Deum & inueniendum l. 6. c. 5. § 4. col. 48. a. quomodo sunt inspicienda vt proficiamus illis l. 9. c. 6. § 4. col. 869. a. sunt quasi calceamenta pedum, qui sunt affectus nostri c. 10. § 1. col. 894. a. imitatio sanctorum iungenda est eorum laudibus c. 19. col. 956. c. maxime § 2. col. 960. a. sancti qui sunt in cælo & in terra orandi sunt vt intercedant pro nobis l. 8. c. 17. § 2. & 3. col. 719. & 721. a. ipsi nos vrgent ad laudandum Deum § 4. ausultant nostras preces l. 10. c. 19. § 2. col. 1148. b.

Scriptura sacra.

Est quasi ciuitas vicos habens & plateas per quas quæritur Deus l. 6. c. 5. § 4. col. 48. a. est quasi lectulus Salomonis quem ambiunt fortes armativt eam intelligant & custodiant c. 24. § 4. col. 203. a. comparatur monti Galaad, quod est acervus testimonij quia de Christo illud præbet l. 7. c. 2. § 6. col. 318. c. 321. b. 322. d. est fauus mellis quem distillant labia prædicatorum c. 7. § 1. col. 549. a. & qui præbet materiam meditationis l. 8. c. 2. § 4. col. 592. d. est velut turris Dauid à qua pendet omnis armatura fortium l. 7. c. 14. § 3. col. 403. a. continet arma contra omnes tentationes. *ibidem.* est puteus aquarum viuentium sapientiæ c. 30. § 1. col. 542. a. qualitates doctrinæ sacræ quæ est aqua viua §. 4. col. 550. a. scripturæ sunt riuuli aquarum, & fluenta plenissima iuxtaquæ residentcolumbæ ideſt animæ puræ & contemplatiuæ l. 8. c. 21. § 4. col. 750. e. habet alas quasi ignis inflammantes cor l. 10. c. 10. § 3. col. 1092. d.

Silentium.

Studiosum Silentium quam vtile sit maxime quod procedit ex charitate l. 7. c. 9. § 1. column. 364. & quod manat ex verecundo & casto pudore. § 3. & c. 11. § 3. column. 368. d. 380. c. religiosum silentium per dentes labiis contectos designatur l. 7. c. 5. § 1. column. 337. a. vide. n. locutio recta.

Somnus spiritalis & mysticus.

Qualis est qui pertinet ad quietam orationem & contemplationem ordinariam l. 8. c. 7. § 1. column. 630. d. molesta in somniis & vigiliis illam turbantes §. 2. column. 632. c. supernaturalis & mysticus somnus à Deo immissus qualis sit, & quos effectus habeat § 3. column. 634. c. explicatur amplius iste somnus & reuelationes quæ in eo fiunt l. 10. c. 4. § 2. column. 1040. a. miri profectus in eo fiunt, vel ex eo procedunt § 3. col. 1042. c. mysteria humanitatis Christi ab hoc mystico somno non excludi § 4. column. 1045. c.

Index

Spiritus sanctus.

Est fons aquæ viuæ miros prodúcens effectus l. 7. c. 30. col. 541. b. c. & causa aquarum viuentiũ quæ cum impetu & sonitu vehementi fluxerunt de Libano in die Pentecostes c. 31. §. 3. column. 556. b. quo feruore Ecclesia desiderauerit huius aduentum §. 1. per illum cessauit lex vetus, & inchoata est noua lex amoris §. 2. column. 554. d. per ipsum recessit à mundo Aquilo, id est diabolus & spiritus idolatriæ: & tanquam Auster dissipauit eum, contrarios inducens effectus c. 32. §. 2. column. 564. per hos duos ventos significantur spiritus Dei & diaboli, & quomodo circa illos nos gerere debeamus §. 3. column. 566. c. item significatur duplex inspiratio Spiritus sancti vel refrigerans æstum concupiscentiarum, vel inflammans ad amorem virtutum c. 35. §. 3. column. 573. b. in die Pentecostes apparuit in linguis quasi ignis veluti coronans capita Apostolorum l. 6. c. 38. §. 2. column. 296. a. dedit illis labia coccinea & ignea ad prædicandum, & ligandos homines Christo l. 7. c. 6. §. 3. column. 345. c. & clypeus igneus l. 7. c. 14. §. 2. column. 401. b. dedit Deus tunc Ecclesiæ cor suum, & illa quasi rapuit & abstulit sibi l. 7. c. 23. §. 3. column. 484. b. fecit eam turrim Dauid à qua mille clypei igniei penderent c. 14. §. 2. column. 698. b. quid locutus sit ad cor eius vt ex parua faceret magnam, ex debili fortem l. 10. c. 13. §. 3. & c. 15. §. 1. column. 1115. d. & 1122. a. b. Spiritus sanctus est flagnaculum ponendum super cor & brachium, à quo anima manet charitate sigillata, fortis, & munita c. 7. §. 1. column. 1063. c. lampades eius sunt lampades ignis atque flammarum c. 10. column. 1088. a.

Superbia.

Quàm grauia mala inferat sub metaphora Aquilonis l. 7. c. 32. §. 2. column. 564. a. habet sicut Aquilo, ventos collaterales, id est plura vitia quæ eam comitantur, & quomodo sunt repellenda §. 3. column. 566. c. superbi erecto collo contra Deum & alios homines se erigunt l. 12. §. 1. column. 385. a. discrimen inter superbum & humile cor §. 1. & 3. column. 287. b. & 688. c. damna superbi per turrem Babel §. 2. column. 387. b.

T

Temperantia.

TEmperantia quomodo coërceat gulam, & quæ dicatur heroica l. 9. c. 12. §. 2. col. 907. c. vide. n. Ieiunium.

Tentationes & tribulationes.

In illis virtutes fiunt illustriores, Ecclesia & iusti in perfectione crescunt l. 6. c. 19. §. 2. & 3. column. 169. a. & 161. c. quos effectus efficiat ignis tribulationis §. 4. column. 162. d. aquæ & flumina multarum tribulationum non possunt obruere charitatem perfectam l. 10. c. 11. column. 1096. a. sed potius charitas superat illas, & ad cælum vsque animam euehit §. 3. &. 4. column. 1098. d. & 1100. b. diuina visitatio dulcedinem tribuit, quæ tribulationes dulcorat, l. 8. c. 2. §. 2. column. 589. a. in tribulationibus nostris Deus videtur dormire, sed cor eius vigilat nostri curam gerens, c. 6. §. 1. column. 624. c. nos etiam etsi Deus dormiat vigilare debemus: ei qui tunc vigilant vocantur cor Dei. §. 2. column. 626. b. quomodo Deus simul adest & abest à iustis in tribulationibus c. 14. §. 3. column. 699. c. quam graues sunt persecutiones inimicorum contra Ecclesiam & iustos l. 8. c. 16. §. 2. column. 711. b. omnes tendere ad auferendum pallium fidei vel charitatis §. 3. column. 711. d. quantum vero prosint, & simul etiam probationes patrum spiritualium §. 4. column. 714. c. in illis est velut hortus conclusus à Deo munitus & custoditus l. 7. c. 28. §. 1. column. 521. a. septem vtilitates tribulationum quæ per ventum Aquilonem designantur c. 33. §. 1. column. 569. d. promptitudo ad eas ferendas, & quibus de causis, §. 2. column. 571. d. inuictus animus inter prospera & aduersa. *ibidem.* & l. 7. c. 26. §. 2. column. 508. b. c. duplex inspiratio Spiritus sancti ad hoc iuuans l. 7. c. 33. §. 3. column. 573. b. fortitudo sicut castrorum acies ordinata prævalet contra illas l. 9. c. 2. §. 1. column. 828. d. quæ dicantur timores nocturni, & quo modo vincantur verbo Dei l. 6. c. 23. §. 5. column. 194. c. & c. 24. §. 1. column. 197. b. arma contra illas potissime desumenda sunt ex verbis sacræ scripturæ l. 7. c. 14. §. 3. column. 403. a. discrimen inter bonum & malum spiritum circa timores nocturnos l. 6. c. 22. §. 4. column. 184. b. c. & circa alias tentationes quæ sub Aquilone & Austro comprehenduntur l. 7. c. 32. c. 3. column. 566. c. diabolus aggreditur partem debiliorem quæ vocatur venter, & ideo curandum est vt fiat eburnea l. 8. c. 25. §. 3. column. 776. a.

V

Verbum Dei.

VErbum Dei est gladius & scutum contra tentationes l. 6. c. 23. §. 3. column. 191. a. & maxime contra timores nocturnos §. 5. column. 194. c. hic gladius procedit ab ore Christi, sed à nobis est tenendus in manibus, & super femur §. 3. & 4. column. 191. a. & 193. a. est clypeus igneus & lingua quasi ignis l. 7. c. 14. §. 2. column. 401. d. inuenitur copiosè in scriptura, & effectus ipsius §. 3. column. 403. a. est semen quod iactum in terra nocte & diu germinat ac crescit l. 8. c. 6. §. 1. column. 624. c. sed germinat in virtute Christi etiam ignorante prædicatore qui seminauit illud l. 9. c. 24. §. 3. column. 996. a. tria spinarum genera quę illud suffocant, & quomodo sunt euellenda l. 6. c. 35. §. 1. column. 274. b. c. & 8. c. 12. §. 1. column. 679. verbum internum seu locutio Dei quam stupendam habeat efficacitatem l. 8. c. 19. §. 2. column. 732. d. vide n. Visitatio diuina.

Virginitas, vide n. Castitas.

Virtus.

Virtutes sunt cordis custodia designata per sexaginta fortes ambientes lectulum Salomonis l. 6. c. 24. §. 1. & 2. column. 197. c. & 199. b. sunt milites contra duplicia vitia sibi opposita; & arma ad expugnandum illa l. 7. c. 13. §. 2. column. 395. a. dicuntur vestimenta animæ valde odorifera c. 27. §. 1. column. 512. a. odor earum vt sunt charitate connexæ, est super omnia aromata. *ibidem.* odores virtutum sunt odores Dei & Christi, & ideo dicuntur sicut thuris §. 2. column. 513. c. externi actus virtutum ex coniunctione ad internos fragrant. *ibidem.* sunt arbores aromaticæ & fructiferæ in horto animæ plantatæ emissiones habentes instar paradisi l. 7. c. 28. §. 3. column. 525. a. virtutes morales faciunt animam vt hortum conclusum, & fontem signatum, & vndique custoditum, cum emissionibus sicut paradisus c. 29. §. 1. column. 530. c. d. virtutes sunt aquæ lustrales quæ lustrant vitia l. 8. c. 21. §. 4. column. 750. c. virtutes aliæ ordinantur ad sui abnegationem, aliæ ad Dei cultum: illæ per montem myrrhę, hæ per collem thuris designantur l. 7. c. 18. §. 1. column. 433. d. sunt inter se connexę §. 2. omnes comitantur myrrham mortificationis l. 8. c. 2. §. 1. column. 586. d. aliæ sunt dulciores quas Deus largitur post messionem myrrhæ. §. 2. column. 589. a. virtutes afferunt secum delitias spirituales, & vocantur veræ delitiæ l. 6. c. 18. §. 5. col. 155. c. & l. 9. c. 17. §. 1. col. 992. c. virtus assimilatur palmæ quæ inferius est aspera, postea sursũ dulces fert fructus l. 9. c. 18. §. 1. col. 949 d. & etiã ob rectitudinẽ, fortitudinẽ, & cõstantiam in laboribus. *ibidem.* & §. 2. col. 952. a. iter virtutis comparabatur ascensui in montem in cuius vertice erat palma c. 19. §. 1. column. 957. a. proposita ascendendi & proficiendi in virtute qualia esse debeant. *ibidem.* quæ sint virtutum culmina instar palmæ, quæ apprehendere debemus §. 2. column. 960. a. perfectæ virtutes per mandragogas, & earum proprietates optimè designantur l. 9. c. 25. §. 1. column. 999. a. quomodo distinguũtur veræ à fictis. *ibidem.* virtutes semper sunt in promptu ad operandum cum oportet, non differendo ad tempus mortis §. 2. column. 1000. d. 1001. a. duplices virtutes ordinis naturæ & gratiæ sunt seruandæ & offerendæ Deo. *ibidem.* column. 1002. a. b. virtutes desiderant quod auferatur ab eis opprobrium sterilitatis l. 10. c. 1. §. 4. column. 1016. a. b. in anima cõstanti in Dei obsequio ædificantur virtutes fortiorem & pulchriorem eam reddẽtes c. 15. §. 3. & 4. column. 1128. a. sunt velut calceamenta pedum, vt recti fiant gressus nostri, & suaues l. 9. c. 10. §. 1. & 2. col. 894. & 895. b. quatuor virtutes cardinales optime repræsentantur per quatuor facies animalium quæ vidit Ezechiel c. 15. §. 1. column. 928. a. virtutis encomia ad similitudinem ciuitatis Ierusalem l. 9. c. 1. §. 2. column. 821. d. virtutes solidæ connectuntur inter se, & mutuo se iuuant c. 11. §. 2. column. 902. c. d. virtutes in charitate cõnexæ & vnitę vulnerant cor Dei, & ad se rapiũt l. 7. c. 24. §. 1. column. 488. c. d. duplex earum vnio per vnionem oculorum, & crinis capitis optime designatur. *ibidem.* virtutes exemplares quæ potissime fulserunt in Christo Domino l. 7. c. 12. §. 4. column. 390. a. & c. 17. §. 4. column. 429. d.

Visitatio diuina.

Quando, & quomodo, & propter quos fines sit petenda l. 8. c. 1. §. 3. & 4. column. 583. a. & 584. d. efficit in anima sui abnegationem, & per illam cæteras virtutes c. 2. §. 1. column. 586. d. præbet spiritalem dulcedinem quæ dulcorat tribulationes §. 2. column. 587. a. & dulcorat etiam opera studiosa maximæ misericordiæ, §. 3. column. 591. & vitæ contemplatiuæ §. 4. plurimæ causæ ob quas negatur diuina visitatio, & Deus declinat & transit etiam à iustis c. 14. §. 1. & 2. column. 695. a. & 698. b. in ijs absentijs copiosa prodest abnegationis myrrhæ §. 2. column. 698. b. quomodo Deus abest, quòd etiam tunc iustis adest §. 3. column. 699. c. qualis sit mœror qui dicitur liquefactio ex Dei absentia procedens c. 19. §. 1. column. 731. c. liquefactio amoris ex Dei visitatione & interna locutione procedens, & mirus eius effectus §. 2. column. 732. c. d. eius signa §. 3. column. 734. a. per visitationem Dei infunditur ros gratiæ, & expellitur ros pigritiæ l. 8. c. 9. §. 2. column. 652. a. Deus visitat commorantes in monte myrrhæ & colle thuris per studia mortificationis & orationis, & quæ bona illis confert l. 7. c. 18. §. 4. col. 439. a.

Vnio charitatis.

Quam preciosa sit vnitas quam perfecti inquirunt l. 9. c. 3. §. 3. column. 841. b. vnio cum Deo quæ explicatur illa voce, Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi l. 8. c. 30. column. 804. a. vnio virtutum & affectuum quæ dicitur vulnerare cor Dei vulnere amoris l. 7. c. 24. §. 1. column. 488. c. d. triplex vnio affectuum cum Christo, cum ipsa charitate, & cum lege §. 2. column. 490. d. vnio contemplatiuæ vitæ & actiuæ etiam vulnerat cor Dei §. 3. column. 495. b. vnio proximorum, vide, n. Pax.

Vocatio diuina.

Vocatio peccatoris est vox seu inspiratio Dei pulsantis ad ostium cordis eius vt ei aperiat, & quos effectus habeat l. 8. c. 8. column. 639. b. c. 640. alia est sufficiens, alia efficax §. 1. column. 640. a. quibus rationibus nitatur §. 2. column. 642. a. alia fortior vocatio quæ applicatur per flagella c. 10. §. 4. column. 666. d. & c. 11. §. 3. column. 675. b. alia quasi importuna maxime instans vt reuertatur l. 9. c. 8. §. 1. column. 878. c. d. vnde proueniat quosdam vocationi isti resistere l. 8. c. 10. §. 1. & 2. column. 670. c. & 671. b. triplex vel quadruplex vocatio Dei maximo affectu quæ declaratur illis verbis, Veni de Libano, & cl. 7. c. 21. column. 459. a. ibi insinuatur vocatio Gentium ad fidem, sed magis fidelium ad maiorem profectum §. 2. column. 461. d. & ad fugiendum tres noxios montes profectui aduersos §. 3. column. 463. b. item vocatio ad prædicandam & reportandam victoriam & coronam de proximis ad fidem conuersis §. 4. column. 465. c. & ad vincendum diabolum §. 5. clauis etiam vocatur ad aperiendum Deo corda proximorum per prædicationem l. 8. c. 9. §. 3.

column. 654. b. ſigna ad cognoſcendas has vocationes §. 5. column. 658. a. b. impedimenta non obediendi illis e. 11. §. 2. & 3. column. 672. b. & 675. b. quatuor claues ad aperiendum cor Deo vocanti e. 9. §. 1. column. 649. c. aperienda ſunt oſtia ſenſuum Deo, claudenda diabolo. *ibidem.* peculiaris etiam eſt vocatio ſeu vox Dei excitans ad orandum l. 10. e. 19. §. 1. column. 1156. a. aliæ voces Dei quæ fiunt in interna communicatione cum anima §. 2. column. 1158. b.

Vota, vide n. Religioſus.

Z

Zelus.

ZElus quem Chriſtus habuit noſtræ ſalutis fuit illi durus ſicut infernus l. 10. c. 8. §. 1. column. 1070. c. zelus vindictæ quem habet contra ſponſam infidelem §. 2. column. 1072. d. zelus furibundus Iudæorum contra Chriſtum aſſimilatus eſt inferno. *ibidem.* qualis zelus Chriſti reſplendeat in Euchariſtia ad ſimilitudinem mortis & inferni §. 3. column. 1074. a. zelus animæ contra propriam carnem & paſſiones eſt etiam durus ſicut infernus e. 9. §. 2. & 3. column. 1080. c. & 1083. c. zelus ſalutis proximorum & contra eorum peccata qualis eſſe debeat §. 2. column. 1082. a.

FINIS.

BIBLIOTECA CENTRAL UNIVERSITARIA DE CARACAS